PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (*ANNO* 1216) *PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI* (*ANN.* 1439) *PRO GRÆCIS FLORUERUNT :*

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CXVII.

HAYMONIS TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1881

Ex typis societatis dictæ Societas impressionis et librariæ administrationum viarumque ferratarum,
PAULO DUPONT. — Parisiis, in via dicta Jean-Jacques Rousseau, 41. (Cl.) 82.6.80.

SÆCULUM IX

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA

EX VARIIS EDITIONIBUS INEUNTE SÆCULO SEXTO DECIMO COLONIÆ DATIS
AD PRELUM REVOCATA ET DILIGENTISSIME EMENDATA

PRÆMITTUNTUR

EBBONIS RHEMENSIS, HARTMANNI MONACHI S. GALLI, ERMANRICI AUGIENSIS
MONACHI, ERCHAMBERTI FRISINGENSIS EPISCOPI,
NITHARDI S. RICHARII ABBATIS, AMULONIS EPISCOPI LUGDUNENSIS,

SCRIPTA QUÆ SUPERSUNT

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS,

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES, ET J.-P. MIGNE, SUCCESSORES,
IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1881

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC TOMO CXVII CONTINENTUR.

HAYMO HALBERSTATENSIS EPISCOPUS.

(*Operum primæ partis continuatio.*)

MONITUM.

Nonnullorum instar medii ævi auctorum, noster Haymo, citans Scripturas, versus leviter immutatos, imo aliquoties obtruncatos in medium frequenter adducit. Res ita evenit, sive, memoriter et Bibliis procul ab oculis, sæpius scripserit; sive ex Hebræo vel Græco textu libros sacros interpretatus fuerit; sive tandem versus suos hauserit ex veteri versione nobis incognita. Quidquid sit, de more nostro, scripta Haymonis, sicut cæterorum, integra reverenter servavimus, quotiescunque sensus manifeste erroneus non nobis apparuit. Porro Monitum istud plane sufficiet ne conturbetur attentus et intelligens lector, quando aliquid discriminis in nostra editione cum Vulgata percipiet. Præcedenti volumini necnon et præsenti sequentique valeat hæc monitio.

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

OPERUM PRIMÆ PARTIS CONTINUATIO.

ENARRATIO

IN DUODECIM PROPHETAS MINORES [a].

AD CANDIDUM LECTOREM.

Sunt inter prophetas postremos, duodecim vulgo A minores prophetæ appellati, non tam argumento et vaticinii decursu quam elocutionis modulo et sententiarum compage a majoribus differentes. Nam quæ majores, concitatiore divini numinis (ut ita dicam) œstro stimulati, longo verborum ambitu, variis ænigmatum figuris, et personarum crebris mutationibus effuderunt. hæc quoque minores, quibus gratiæ placidior instinctus adfuisse creditur, angustioribus periodis et per breviores obscuritatum anfractus complexi sunt. Porro prophetiam non humana mens suapte natura per humanam sapientiam depromit, sed Spiritus sanctus (ut Sedulius ait) per gratiam loquentis dictat. Est enim (si Suidam audiamus) prophetis peculiare, τὸ τὴν γλῶτταν παρέχειν ὑπουργὸν τῇ τοῦ Πνεύματος χάριτι. Quo fit ut prophetas enarrare nemo possit, nisi divino quodam afflatu excitetur perinde ac nemo prophetiam eloquitur, nisi Spiritus sancti inflammatione calescat. Apud Platonem Socrates disserit ἐνθουσιασμῷ agitari non solum poetas, ut egregia carmina conficiant, sed etiam poe- B tarum interpretes, ut reconditos sensus aperiant, figuratas locutiones commonstrent, ordinem historiarum digerant, et naturæ miracula, vitæ cultum, morumque ornamenta, fabularum lenociniis et integumentis adumbrata, diligenter ac sedulo exponant. Qui ergo fieri potest, ut interpres sine Dei præcipuo afflatu sit explicaturus divinum oraculum, quod citra præsentis numinis impulsum propheta effari non potuit? Isaias testatur visiones esse verba libri signati; quem si quis dederit scienti litteras, dixeritque: Lege, respondebit: Non possum. Signatus est enim sin dederit nescienti litteras, et dixerit: Lege, respondebit: Nescio litteras. Joannes se vidisse librum ait scriptum intus et foris signatum sigillis septem quem nemo aperire, cujus signacula nemo solvere potuit. Osee voluminis sui obscuritatem agnoscens, scripsit: Quis sapiens et intelliget ista, intelligens et cognoscet ea? Cui succinit Jeremias, dicens: Quis est vir C sapiens qui intelligat hoc, et ad quem verbum oris Domini fiat, ut annuntiet istud? Quod si prophetiæ librum signatum nemo solvit, nisi leo de tribu Juda, radix David, si prophetia, Scripturæ propria interpretatione (ut B. Petri verbum est) non fit, si voluntate humana nunquam allata est prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, quis non videt quemadmodum imprimis arduum, sic quoque periculosum esse, in prophetas elucubrare commentaria? Nempe in quibus, ut inconcinna quædam verborum congeries, lecturienti sese primum offert, ita in eruendo sensu immensus labor et in errorem proclivis et lubricus, identidem enarratori impendet, ut personarum verba subinde mutantur; ut historiæ ordo confunditur, ut minæ temperantur consolationibus, ut sedationibus mitescunt iræ, ut medicamentis verbera deliniuntur, ita sententiarum, quæ ad prophetæ scopum pertinent, difficilis est et plena discriminis consarcinatio. Quare factum est, ut pauci in enarrandis prophetis oleum et opera impenderint, nonnulli etiam ἀνίπτοις χερσὶ (quod dicitur) in illorum explanationem pervolarint. Apud Græcos Apollinarium Laodicenum commentariolos in prophetas reliquisse testatur B. Hieronymus, verum ejuscemodi, ut sensus magis tangant quod explicent. Cuderunt quoque libros in prophetas Origenes et Didymus, sed tales ut B. Hieronymi palato non satisfaciant. Post Hieronymum apud Latinos plerique hanc provinciam susceperunt, cæterum non æquali, neque eruditione et judicio, neque auspicio et eventu. Inter hos est Haymo episcopus Halberstatensis; quem si quis cum aliis conferat, admirabitur viri sanctitatem, commendabit diligentiam, suscipiet eruditionem, deosculabitur pietatem, olfaciet spiritum propheticum, quo imbutos esse oportet prophetarum ῥαψῳδοὺς et enarratores. Quod ad historiæ veritatem pertinet, sagaciter vestigavit; quod ad allegoriam, firmissimis Scripturæ testimoniis communivit; quod ad ordinem perturbatum, clarissima serie illustravit; quod ad rerum gestarum involucra, miro quodam artificio evolvit; quod postremo ad verborum tricas et sententiarum nodos, docte simul et feliciter enodavit. Secrevit comminationes a consolationibus, consolationes dispescuit a revocationibus, discriminavit ea quæ duabus tribubus (hoc est, populo Judaico) impendebant, ab illis quæ decem tribus, sive plebs Israelitica, exspectabant. Interstinxit luculenter quæ ad corpus Christi verum referuntur, incarnationem scilicet, nativitatem, fugam in Ægyptum, prædicationem, passionem, ascensionem, etc., ab iis quæ de corpore Christi mystico prædicta sunt, de Ecclesia, de vocatione gentium, de insultu hæreticorum, de extremi judicii severitate, de beatorum præmio, de damnatorum æterno supplicio. Quemquem igitur non pudebit pigebitve isthæc ex minoribus prophetis perdiscere, is hunc librum parvo numismate coemat: et sordida pecuniola aucupetur (ut ille ait) σοφίας κτῆμα τιμιώτατον. Vale.

[a] Recudimus juxta editionem Coloniensem anni 1529. Ad calcem libri legitur: « Coloniæ, apud Eucharium Cervicornum, procurante M. Godefrido Hittorpio, cive et bibliopola Coloniensi, pridie Nonas Augustas anni 1529, Adolpho Rincho, Arnoldo Segenio coss. »

IN OSEE PROPHETAM

CAPUT PRIMUM.

« Verbum Domini, quod factum est ad Osee, filium Beeri in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel. » Verbum Domini illud debemus intelligere, de quo Joannes in exordio Evangelii sui dicit : « In principio erat Verbum. » Hoc Verbum non dicit factum in sua natura, sed genitum a Deo Patre ante omnia sæcula. Quod ergo hic dicitur, « Factum est verbum Domini ad Osee, » ita intelligendum est, Factum est verbum Domini, id est ut sermo Dei Patris fieret, hoc est loqueretur, ad Osee. Loquendo autem verbum Domini ad Osee, fecit illum deum et salvatorem populi sui. Interpretatur enim Osee *salvator*, ut pote qui doctrina et exemplo sanctitatis, populum ad quem mittebatur, salvum facere curabat. Quod autem idem Osee cæterique prophetæ dii sunt nuncupati, ad quos hoc verbum factum est, Dominus in Evangelio manifestat : Si illos (inquit Dominus) dicitis deos, ad quos sermo Dei factus est, etc. Sicut ergo Deus loquendo hominibus facit illos deos, sic ipse Salvator facit ut et ipsi sint salvatores. Dicuntur autem sancti dii et salvatores per gratiam, cum sit unus Salvator et Deus per naturam. Ubi notandum quod hic non dicitur : Factum est verbum Domini in Osee, ne scilicet sit sensus, quasi per illum fiat sermo ad alium, sed « ad Osee, » ut ostendatur ad illum proprie sermo conferri, ad quem dirigitur. Aliud est enim (ut B. Hieronymus exponit) loqui Dominum in Osee, aliud ad Osee. In Osee quippe non ipse loquitur Osee, sed per Osee ad alios sermo dirigitur, sicut Propheta dicit in psalmo : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebe sua. » Ubi ostenditur, quia per illum qui hoc loquebatur, aliis Deus loqueretur. Ad Osee vero loquens, ostendit proprie ad illum pertinere prophetam ea quæ sequuntur, cum dicitur ei : « Vade, sume tibi uxorem, » etc. Prophetavit autem iisdem temporibus quibus Isaias, Amos, Michæas, Joel, Abdias et Jonas : quod ex nominibus regum manifeste probatur, qui in titulis eorumdem ponuntur prophetarum. Unde intelligimus eum et ante captivitatem et post captivitatem prophetasse. Prædixit quippe captivitatem decem tribuum, quam visam postea deflevit. « Filium Beeri. » Tradunt Hebræi, quod ubicunque nomina patrum vel avorum prophetarum ponuntur, ipsi quoque patres vel avi prophetæ fuerint. Unde constat Beeri prophetam fuisse, cujus filius Osee fuisse refertur. Osee interpretatur (ut diximus) *salvator*, ideoque Dominum Christum significat, qui est vere Salvator mundi. Unde et Jesus dicitur, ad quem pertinent ea quæ sequuntur. Unde Osee filius Beeri dicitur, qui *puteus meus* interpretatur. Ipse quoque Deus Pater per Prophetam dixit : « Me dere-

A liquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. » Hoc enim inter puteum et cisternas distat, quod puteus perpetuas aquas habeat et de vivo fonte manantes ; cisterna vero externas et adventitias aquas possideat atque temporaneas. De hoc fonte Propheta dicit : Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. « In diebus Oz., Joa., Ach., Eze., regum Juda. » Ozias ipse est qui alibi vocatur Azarias, qui regnavit in Hierusalem super duas tribus, quæ appellantur Juda, annis quinquaginta et duobus. Cui successit in regnum Joathan, qui regnavit annis sexdecim. Post quem filius ejus Achaz, qui et ipse sexdecim annis regnavit, cujus undecimo

B anno decem tribus ductæ sunt in captivitatem in montes Medorum et Persarum a Salmanasar rege Chaldæorum. Post Achaz regnavit filius ejus Ezechias annis viginti novem. Ex quo perspicuum est (ut supra diximus) Osee et ante captivitatem et post captivitatem prophetasse et ipsam ingruentem captivitatem. In diebus Hier. fi. Joas. Hieroboam istum non debemus autumare primum regem decem tribuum, qui filius fuisse Nabat perhibetur, quia iste (sicut hic commemoratur) filius fuit Joas, pronepos Jehu, qui interfecta Jezabel impiissima regina, et duobus regibus impiissimis, Joram, scilicet filio Achab rege Samariæ, cum septuaginta ejus fratribus, et Ochozia rege Juda, promissum est quod regnarent filii ejus usque ad quartam generationem. Qui tamen, quoniam reversi sunt

C ad peccata regum filiorum Israel, cito amiserunt regnum.

« Principium loquendi Domino in Osee. » Hæc verba dupliciter intelligi possunt, vel quia isti primum captivitas decem tribuum nuntiata est, ante Isaiam videlicet, cæterosque qui tunc temporales ei in prophetando fuerant ; vel quia hoc verbum primum ei a Domino dictum est quod sequitur, de conjunctione mulieris meretricis. Unde statim infertur : « Et dixit Dominus ad Osee : Vade, sume tibi uxorem fornicationis, et fac filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra a Domino. » Licet quidam hæc juxta litteram acta contendant, excusantes prophetam a culpa fornicationis, utpote qui Dei præ-

D ceptis in hoc obedierit, nec attendentes quod Deus nihil injustum, nihil turpe unquam præcepit. Meliori tamen intellectu juxta mysticos sensus accipiendum est, sicut illud quod Ezechieli dictum est : « Dormies super latus tuum sinistrum trecentis nonaginta diebus, et non te convertes in latus aliud, et iterum dormies super latus aliud dextrum quadraginta diebus. » Illud quoque quod Jeremiæ in carcere clauso præcipitur, ut in vicinas gentes populo Israelitico inimicas pergat ad Euphratem, et ibi abscondat lumbare quod possideret, qui nec inter suos positus

ad venditionem sui agri exire potuit, sed eo pergens quasi proditor et delator suorum civium, ab ipsis captus et ligatus atque in carcerem collocatus est, maximeque cum jam ab hostibus Hierusalem obsessa et undique vallata erat. Quantum autem ad litteram pertinet, uxor fornicationum est; quæ multorum patet libidini adultera, quæ super virum suum inducit alienum. Filii vero fornicationum sunt, qui de tali conjugio nascuntur.

« Et abiit, et accepit Gomer filiam Debelaim, et concepit et peperit filium. » Quia hæc omnia, ut superius dictum est, spiritualiter sunt accipienda, Osee, qui *salvator* interpretatur, Dominum Jesum Christum significat. Qui veniens per Incarnationis mysterium, accepit uxorem fornicationum, plebem, scilicet Judaicam, qui Deum unum et verum relinquendo, varia dæmonum portenta venerabatur. Ex qua genuit filios fornicationum, quia omnes ostendit esse sub peccato. Unde bene uxor fornicationum Gomer dicitur, quod nomen interpretatur *perfecta*, sive *consumpta*, in malo videlicet opere, quod nulli dubium est ad eamdem plebem pertinere. Ideoque etiam congrue filiam Debelaim esse perhibetur, quæ *voluptas* interpretatur, quæ semper suam studuit sequi voluptatem. Quæ genuit filium, hoc est fortem populum in malum. Si vero hoc altius perscrutari volentes, in bonam partem voluerimus interpretari, filius ex gente Israelitica natus intelligitur Dominus Jesus Christus, quoniam qui sibi eamdem plebem conjunxerat per divinitatem, nasci voluit ex ea per humanitatem. Cui sensui congruit interpretatio nominis, quo idem vocari præcipitur filius, nam Jezrael *semen Dei* interpretatur. Unde sequitur :

« Et dixit Dominus ad eum : Voca nomen ejus Jezrael, quoniam adhuc modicum et visitabo sanguinem Jezrael super domum Jehu. » Jezrael interpretatur *semen Dei*. Quantum ad litteram attinet, civitas fuit metropolis in regno decem tribuum in qua interfectum legimus Naboth, ob cujus sanguinem vindicandum suscitatus est Jehu, qui delevit domum Achaz et Jezraelis. Verum quia ipse Jehu ultor sanguinis justi exstitit, et filii ejus fecerunt malum in conspectu Domini, sanguis Achaz super domum illius fusus est, id est reversus, quando filii ejus ducti sunt in captivitatem et interfecti. Et non post multum tempus quieverunt pariter, id est cessaverunt et regnum et reges. Mortuo quippe Jeroboam, pronepote Jehu, sub quo prophetare cœpit Osee, sub quo filius ejus Zacharias in regnum successit, quem sexto mense regni sui occidit Sellum de alia natus stirpe. Statimque reges Assyrii ceperunt Ruben et Gad, et dimidiam tribum Manasse, qui erant trans Jordanem, deinde Nephthalim, ad extremum omnes reliquas tribus. Fuerunt a Zacharia usque ad Osee, sub quo omnes decem tribus in captivitatem sunt ductæ, anni tantum quadraginta novem. Quam ob causam hic dicitur : Adhuc mod. et v. san. Je. s. d. Jehu. Spiritualiter Jehu, per quem sanguinis in Jez-

A rael fusus visitari dicitur, Judæos significat, a quibus sanguis Christi fusus est, quem nomine Jezraelis prælibavimus designari, cujus sanguis super eos visitatus est, quando a Romanis occisi et in omnes terras abducti, usque hodie a propria terra exules existunt. « Et quiescere faciam regnum domus Israel, et in illa die conteram arcum Israel in valle Jezrael. » Supra diximus Jezrael civitatem fuisse metropolim decem tribuum, juxta quam est vallis nimiæ vastitatis ; quæ plus quam decem millium distenditur passibus ; in hac commisso certamine ab Assyriis cæsus est Israel decem tribuum, quorum fortitudo hic nomine arcus exprimitur. Juxta mysticos vero sensus, omnes qui de Christo male sentiunt, sicut hæretici, qui recedentes a domo David, id est

B ab Ecclesia, Israelis nomine in hoc loco intelliguntur. In valle Jezrael, id est in humilitate seminis Dei, conteruntur, quia « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. »

« Et concepit adhuc, et peperit filiam, et dixit ei : Voca nomen ejus absque misericordia, quia non addam ultra misericordiam domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, et miserebor domui Juda, et salvabo eos in Domino Deo suo, et non salvabo eos in arcu et gladio, et in bello et in equis et in equitibus. » Ablata omni fortitudine a Judæis, nequaquam jam masculino sexu nuncupantur, sed feminino ; quasi fragiles et imbecilles. Unde et bene filia nuncupatur eadem plebs, quia femineum habuit animum ; quando Deum dereliquit ; et pro Deo idola vana co-

C lere cœpit. Quæ abque misericordia est et oblivioni tradita, quoniam usque hodie Persarum regibus serviunt, et nunquam est eorum absoluta captivitas. Domus autem Juda cum duobus tribubus sibi sociatis misericordiam consecuta est, quando propter confidentiam quam in Deo habuerunt, missus est angelus, et percussit exercitus Sennacherib centum octoginta quinque millia. Et salvabo eos, inquit, in Domino Deo suo, id est, in mea et Patris et Spiritus sancti protectione. Tale est enim hoc, quale illud : Pluit Dominus a Domino, id est Filius a Deo Patre. Et non sal. eos in a et g., et b. et in equis, id est, non in aliqua spe aut in fortitudine humana, vel in multitudine equitum, sed potius a Domino Deo suo, qui mittet angelum suum ut interficiat omnes inimicos illorum. Si autem hoc ad eos refertur qui in ad-

D ventu Domini sunt reperti, recte ipsi quoque filia, et non filius nominantur, quia mollitiem suæ voluptatis exsequentes, quando et sanguinem seminis Dei imprecati sunt, « sanguis ejus super nos et super filios nostros. » Unde et absque misericordia facti, traditi sunt Romanis, et eorum perpetua servitute damnati atque oblivioni traditi. Domus autem Juda, quæ interpretatur *confessio*, id est, apostoli cæterique vel credentes vel doctores, qui fidem nominis Christi confessi sunt, salvati sunt non in gladio et arcu, id est non in aliquo humano auxilio, sed in Domino Deo suo, Christo videlicet qui eos per gratiam suam elegit. Sed et nomine filiæ possumus accipere hæreticos,

qui dogmata vanitatis sequentes, et perfectos ac fortes divinæ Scripturæ sensus depravantes emollire conantes, traduntur diabolo, cujus æterna damnatione sine ulla misericordia premantur, perpetualiter a Deo obliti. Domus autem Juda, id est Ecclesia catholica, quæ fideliter sanctæ Trinitatis fidem inseparabili unitate confitetur, salvabitur in Domino Deo suo, non in exercitus multitudine aut virium suarum fortitudine.

« Et ablactavit eam quæ erat absque misericordia. » Qui ablactatur, recedit a matre et parentis lacte non vescitur, sed alimentis sustentatur alienis. Mos quippe veterum fuit, ut in die ablactationis infantum, id est a lacte separationis, facerent convivium universis vicinis et amicis suis. Unde et mater Samuelis, ascendente viro suo ad templum Domini, se non ituram dixit donec ablactaretur infans, hoc est, donec ad eam veniret ætatem qua eum a lacte movere posset. Lac in sacra Scriptura pro simplici intellectu ponitur. Et Judæi quodammodo lacte alebantur, quandiu intra suam manebant legem, cæterasque legentes Scripturas. Postquam autem ducti sunt in captivitatem, cœperunt pasci cibis gentilium et idolothyta comedere. Unde ad hanc miseriam pervenerunt, ut ipsum parum scientiæ quod habere videbantur, amitterent, ut neque etiam ipsam legis superficiem intelligant. « Et concepit et peperit filium, et dixit : Voca nomen ejus, Non populus meus; quia vos non populus meus, et ego non ero vester Deus. Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur. Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos : dicetur eis, Filii Dei viventis. » Hæc verba et ad eos possunt referri, qui tunc temporis a regibus Assyriorum comprehensi et in captivitatem sunt ducti, et ad eos qui post adventum Domini a Romanis sunt per omnes gentes dispersi. Illi quippe Deum per idolorum culturam abjecerunt, isti autem per Filii Dei abnegationem et traditionem, quoniam non habentes filium, non possunt habere patrem. Quam ob rem et Deus illos abjecit, ne sint ejus populus, sed servi efficiantur diaboli, dicaturque eis : Quia vos non populus meus, et ego non ero vester Deus, sed indignos vos judicabo possessione mea et præsentia, abjiciamque vos in perpetuum. Quod et de persona hæreticorum potest accipi, qui Deum adjicientes perversa de illo sentiendo, penitus ab eo repelluntur, ne cum electis dicere possint : « Dominus pars hæreditatis meæ. » Et erit numerus filiorum Israel ut supra. Licet ipsi Judæi vel tunc pressi fuerint, vel nunc durissima premantur captivitate, tamen hominibus innumerabiles sunt, de quibus Isaias dicit : « Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient. » Quod et in adventu Domini impletum, et in fine sæculi veraciter implendum potest intelligi, quia postquam populus Israel fuerit dispersus in toto orbe, et omnem supputationem vicerit populi multitudo, tunc habebit licentiam Israel, qui hodie captivus est. « Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos, » ut supra. Locum ubi ista dicebantur, debemus intelligere Hierusalem, ubi dicitur eis modo : « Non populus meus vos, » dicetur eis, Filii Dei viventis, tempore Dominicæ Incarnationis. Quod impletum est in apostolis cæterisque fidelibus. « Quotquot enim, ut Joannes dicit, crediderunt in Christum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. » Si autem ad Judæos qui nunc sunt, voluerimus ista referre, locus quo dicitur eis : Non populus meus vos, totus mundus accipitur, quia in omnibus gentibus nunc Judæi, non Dei, sed diaboli servi comprobantur. Cum autem per prædicationem Eliæ et Enoch crediderint, ab omnibus gentibus filii Dei vocabuntur.

« Et congregabuntur filii Juda et filii Israel pariter, et ponet sibi caput unum. » Per Judam significantur duæ tribus illæ conjunctæ, tribus scilicet Benjamin, et tribus sacerdotalis, id est Levitica : propter tribum enim Juda, ex qua reges qui eisdem tribubus præfuere, duxerunt originem, ipsæ duæ tribus etiam nomine Judæ censebantur. A majori autem parte decem tribus nomen pristinum Israelis retinent, quia et ante divisionem decem tribuum et duarum, generaliter omnes hoc nomine vocabantur. Qui ergo divisi erant, promittitur eis quod congregandi sint in unum a Domino. Siquidem Dominicæ incarnationis tempore et resurrectionis, tam ex decem quam ex duabus tribubus, qui reversi fuerant de captivitate, morabantur in Judæa, ex quibus plurimi crediderunt in Christum, de quibus hic dicitur : « Congregabuntur filii Juda et filii Israel simul, » hoc est ex duabus et decem tribubus credentes, convenient in unum Christi ovile. « Et ponent sibi caput unum, » Dominum videlicet Jesum Christum, de quo Ezechiel dicit : Et princeps unus in medio eorum, David servus meus. Vel per Israel possumus intelligere gentiles, per Judam Judæos credentes : sive per Israel hæreticos, per Judam catholicos viros. Qui omnes ad unitatem fidei Christianæ conversi, ponent sibimet caput unum Jesum Christum. « Et ascendent de terra, » id est, de terrenis sensibus et humilitate litteræ occidentis; et elevabuntur ad spiritualem et vitalem intelligentiam, « quia magnus dies Jezrael. » Diem hic pro universo tempore a Domini nativitate usque ad finem sæculi positam noverimus, de qua cantamus in psalmis : « Hæc est dies quam fecit Dominus. » Magnus est hic dies, id est magnum est tempus, in quo credentibus remissio peccatorum tribuitur, et janua regni cœlestis aperitur.

CAPUT II.

« Dicite fratribus vestris populus meus, et sorori vestræ, misericordiam consecutæ. » Si hoc ad Judæos voluerimus solummodo referre, hortatur homines Judææ ne desperent decem tribuum salutem, sed eam quotidie et sermone et voto et litteris ad pœnitentiam provocent, quia fratres eorum appellantur et soror. Fratres, ex eo quod dicitur : « Populus meus; » soror, ex eo quod appellatur « misericordiam conse-

cuta. » Si hoc voluerimus referre ad gentes, dicitur eis, ut dicant in infidelitate cæteris manentibus : Populus meus erunt, si in me credere voluerint, et rejecta vetustate, ad novitatem vitæ transire voluerint. Vel vos qui in me creditis, et fidem quam habetis perfecte operibus decoratis, dicite reliquis credentibus : quia meus erunt populus, si in me credere voluerint, et in fide qua vocati sunt permanserint, et eam operibus ornare studuerint. Dicite etiam sorori vestræ, id est eidem plebi in Christum credenti, quia misericordiam consecuta est in me credens.

« Judicate matrem vestram, judicate, quia non uxor mea, et ego non vir ejus. » Hoc apostolis cæterisque credentibus dicitur, ut judicent, id est redarguant matrem suam Synagogam, quæ de meretrice uxor effecta, pristinos non relinquit mores. Sed rursum suam redarguant matrem, quia fornicata est cum suis amatoribus iterum. Et consideranda patientia et clementia hujus viri, iterum adhortantis filios suos ut suam redarguant matrem, quia ipsis credentibus, illa in infidelitate permansit. Hoc impletum est tunc, quando Petrus Judæis lacrymantibus dicebat : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum, » etc. Ostendite ei, inquit, quia ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus. Quoniam enim ipsa me repulit, et ego abjiciam eam ne sim vir ejus. Vir quippe Ecclesiæ Christus est, de quo hæretici dicunt eidem Ecclesiæ : Non est vir in domo sua. « Auferat fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum. » Fornicatio vel adulterium in sacro eloquio dupliciter accipitur, et pro immunditia carnis, et pro idololatria, de qua scriptum est : Perdes omnes qui fornicantur abs te. Fornicatur quippe vel adulterium perpetrat mulier, quæ multorum patet libidini, vel super virum suum inducit alienum. Et quia vir animæ Deus est, populus Israeliticus plurimis fornicationibus se substraverat, quia relicto omnipotente Deo, multorum portenta dæmonum venerabatur. Idcirco nunc dicitur : « Ut auferat fornicationes suas a facie sua, » id est, culturam deorum removeat ab amore et præsentia sua, quia multorum patebat libidini, deos omnium gentium colens. Auferat adulteria etiam sua de medio uberum suorum, hoc est de corde, quo malum opus primum concipitur. Cor quippe inter ubera est, de quo (ut Dominus manifestat) exeunt cogitationes malæ. Et illi prius malum in corde cogitabant, et sic demum cogitationes in opus pravum prodire faciebant. Quapropter hortatur eam sermo divinus, ut hæc omnia a se removeat, ne propter perpetrata scelera perdat bona divinitus sibi collata.

« Ne forte, » inquit, « exspoliem eam nudam, et statuam eam secundum diem nativitatis suæ. » Vestis qua tegebatur eadem plebs, intelligitur Dei auxilium doctrina legis et prophetarum, et tutela angelorum. Quæ omnia minatur Deus omnipotens se ei tollere, nisi potentiam agat a perpetratis sceleribus, ut fiat nuda plenaque ignominia, veluti olim fuit. Et

A statuam eam (inquit) secundum diem nativitatis suæ: ut scilicet his careat omnibus, sicut olim in Ægypto manens. « Et ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam. » Domus in solitudinem redigitur, quando dominum proprium amittit. Et hæc plebs in solitudinem redacta est, quando Deus omnipotens propter peccata ejus recessit ab ea. Unde Propheta dicit : Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, etc. Et in Evangelio ipse eis per semetipsum minatur quod relicturus eos sit, dicens : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. » Facta est quoque velut terra invia, quoniam perdito recto itinere fidei, perdidit Patrem Deum, perdidit et Filium ejus qui dicit : « Ego sum via. » « Et interficiam eam siti, » id est inopia omnium

B bonorum, vel ea siti de qua propheta Joel dicit : Mittam in eos famem et sitim, non famem panis vel sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei. Sive aquam quæ eis ablata est, possumus gratiam intelligere Spiritus sancti de qua ipse in Evangelio loquitur, invitans omnes ad se, ut aquam accipiant ab illo hanc : Qui sitit, inquiens, veniat ad me et bibat, et flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hæc autem omnia et Judæis aptantur Christum negantibus, et hæreticis rectam fidem relinquentibus, et varia dogmata errorum corde, verbo et opere sequentibus, qui nisi pœnitentiam egerint, exspoliati omnibus virtutibus quas in Ecclesia perceperunt, redigentur juxta diem nativitatis suæ, et effecti solitudo et terra invia, patientur sitim vel ariditatem sacræ Scripturæ,

C ut etiam quod falso habere videbantur, in nihilum redigatur.

« Et filiorum illius non miserebor, quoniam filii fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum. » Quando egressi sunt Judæi de Ægypto, iratus Dominus patribus eorum, interfecit eos in deserto. Filiorum autem ipsorum misertus, et ad vitam eos reservavit, et terram quam patribus eorum promiserat, dedit. Sed modo minatur non ita se facturum dicens: Filiorum illius non miserebor, sed in captivitatem simul cum patribus pergent, ibique morientur, et terram nativitatis suæ non videbunt ultra, quia filii fornicationum sunt, hoc est in cultura idolorum sunt nati. Qualem quippe fidem tenebant patres, talem

D docebant filios. Unde et subditur : « Quia fornicata est mater eorum. » Sicut enim viperam vipera parit, sic eadem plebs tales filios generavit qualis ipsa erat, « Confusa est, » id est obstupuit, et in admirationem versa, « quæ concepit eos » et filios diaboli effecit. « Quia dixit : Vadam post amatores meos, qui dant panem mihi et aquas meas, lanam meam et linum meum, oleum meum et potum meum. » Hoc dixerunt Judæi, dum colerent diversarum gentium deos. « Vadam (inquit) post amatores meos, » id est, fide et dilectione sequar deos, vel imitabor gentes quarum deos adoro, qui mihi dant panem et aquam, etc. Omnia enim bona, quæ idem populus cœlitus a Deo perceperat, a dæmonibus se habere putabat, illisque totum ascribebat. Quod etiam totum spiritualiter ad

eos potest referri, qui negaverunt Filium Dei eligentes sibi Barabbam seditionis auctorem, et crucifigentes Dei Filium, omnium bonorum largitorem. Quapropter confusi sunt, et non solum se, sed etiam posteros suos pessima imprecatione multati sunt, dicentes : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros. » Possunt hæc juxta litteram in expositione sua etiam super hæreticis intelligi, qui confunduntur; sed etiam filii eorum mala doctrina generati, pariter cum eis erubescunt Qui quare confundantur, manifestatur cum subjungitur, quia dixit : « Vadam post amatores meos, » id est sequar varia dogmata hæreticorum, quorum panis est luctus perpetuus. Aqua autem doctrina perversa et stulta qua etiam baptizatos interficiunt. Cui aquæ illa contraria est, de qua scriptum est : Aqua profunda ex ore viri Per lanam autem et linum, simulata eorum sanctitas et munditia exprimitur. Quos Dominus cavendos admonens, dicit : « Quia venient ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. » Per oleum vero adulatio eorum accipitur. De quo Propheta dicit : Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Potus etiam illorum Scriptura sacra intelligitur, quam illi male intelligendo turbidam reddunt.

« Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet. » Per spinas vero, punctiones dolorum et duritia adversitatis exprimitur. Per murum autem obstaculum, ne quod quærebat, invenire posset. Sepiam (inquit) viam tuam spinis, id est, tuas actiones durissimis implicabo laboribus, sepiam etiam maceria, ut etiam ad hoc quod vis nequeas pervenire. Porro quod sequitur, « et semitas suas non inveniet, » idem est sensus. Sed more variatur prophetico sermo, ut de alia ad aliam repente transeat personam.

« Et sequetur amatores suos, » Assyrios vel Chaldæos, quærens ab eis auxilium pressa tribulatione gravissima. « Et non apprehendet eos, » ad hoc ut auxilium sibi præbeat, quin etiam comprehendetur ab illis, et captiva ducetur. « Et quæret eos, et non inveniet » sibi propitios. « Et dicet : Vadam et revertar ad virum meum priorem. » Id est, redeam ad Deum omnipotentem, qui me olim per datam legem despondit « Quia bene mihi erat tunc, » quandiu præceptis ejus obedivi. « Magisque nunc » quando propter idolorum culturam variis affligor tribulationibus. Ipsa siquidem plebs Israelitica sæpe prosperis elata recedebat a Deo, idola colendo. Iterum autem afflicta calamitatibus, revertebatur ad Deum, qui suscitans eis Salvatorem, liberavit eos. Quæ verba et generaliter et specialiter nobis congruunt, qui prosperitatibus elati, non nunquam Dei præceptis contraimus. Iterum autem afflictionibus attriti, ad nosmetipsos revertimur, et peccasse nos recognoscimus et ad illius confugimus misericordiam sub cujus protectione nobis bene fuisse recolimus. Sic plerumque solet accidere his, qui in sæculo positi, divitias et honores appetunt mundi, sed ne ad has possint pervenire, diversis adeo anguntur tribulationibus, ut velint nolint sæculum relinquant ! et postpositis curis temporalibus, quas adipisci nequaquam ad libitum suum valent, in monasterium confugiunt. Et qui prius contristabantur quod non omnia quæ vellent habebant, gaudent contenti esse cibo et vestimento, secundum Apostolum, et Deo in paupertate servire, qui ante mundo et concupiscentiis ejus serviebant.

« Et hæc nescivit, quia dedi ei frumentum et vinum et oleum et argentum, et multiplicavi ei aurum, quæ fecerunt Baal. » Dictum est superius quod populus Israeliticus omnia bona temporalia quæ a Deo perceperat idolis deputavit, nesciens quod Deus omnipotens omnibus his abundare eum fecerit Unde et relicto Deo, ex auro et argento quod ad ornatum decoris acceperant, fecerunt sibi Baal idolum Sidoniorum, quod Ezechiel propheta plenius in suo volumine describit. Si autem spiritualiter hæc verba voluerimus intelligere, per frumentum legem debemus accipere, qua pasci debuerant ; per vinum, spiritualem lætitiam, quam non in temporalibus bonis, sed in Deo habere debuerant ; per oleum autem, sensus illuminationem ; per argentum, nitorem eloquentiæ, de qua scriptum est : « Argentum igne examinatum, eloquia Domini eloquia casta ; » per aurum vero, præceptum dilectionis Dei et proximi, in quibus omnibus cum Deum glorificare debuerit, dæmones venerari maluerit quam Deum.

« Idcirco, » inquit Dominus, « convertar » a mea scilicet clementia ad crudelitatem, « et sumam frumentum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo. » Tempus harum frugum est, quando ad maturitatem perductæ colliguntur, et in cellariis per totum annum victum ministraturæ reconduntur. Si autem tunc temporis, instante videlicet maturitate, hominibus qui ea colligere debuerant, auferuntur, gravissimo affliguntur mœrore. Minatur autem hoc se ablaturum a Judæis, ut per totum annum patiantur inopiam famis. Sæpe enim Deus propter peccata hominum, tempore messis et vindemiæ immittit tempestatem, et paratos ad colligendum fructus aufert. « Et liberabo lanam meam et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus. » Falso in quibusdam codicibus habetur, librabo, unde liberabo est legendum. Quasi enim sub sua servitute habebant linum et lanam, cum ipsi essent servi diaboli, idcirco dicit Deus : Liberabo linum meum et lanam meam, ne ab iniquis possideantur dominis. Porro ignominia quam hæc operiebant, idola eorum intelliguntur, quorum altaria vario vestimentorum decorabant ornamento. Spiritualiter vestimenta ista significant Dei auxilium et angelorum custodiam, quæ omnia aufert ab eis Deus, ut qui ex his non senserant datorem, relicti in sua iniquitate tradantur diabolo æternaliter cruciandi.

« Et tunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum illius. » Stultitiam appellat idola, quæ in templo posuerant : amatores autem Chaldæos vel Assy-

rios et Idumæos appellat, cum quibus longo tempore pacem habuerant, in quorum oculis stultitia Judæorum revelata est, quando capta Hierusalem temploque subverso, videntes jam dicti hostes imagines Cherubim et idolum Baal, cœperunt dicere : Ecce Israelitæ, sicut omnes gentes, idola venerantur, quam ob rem merito suæ iniquitatis nostræ subjiciuntur potestati. « Et vir non eruet eam de manu mea. » Hoc est, nullius vi aut fortitudine poterit liberari de manu mea, sed justo judicio tradam eam hostibus, et in captivitatem duci faciam.

« Et cessare faciam omne gaudium ejus. » Hoc et in illis impletum est, qui ab Assyriis et Chaldæis ducti sunt captivi, ubi omnem perdiderant lætitiam : et post in illis qui a Domino audierant : « Auferetur a vobis regnum Dei. » et : « Relinquetur vobis domus vestra deserta. » « Solemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, et omnia festa temporum ejus, » subauditur, cessare faciam. Cum dicit solemnitatem, unam pro omnibus ponit. Vel certe in hoc speciali nomine vult intelligi festivitatem Paschæ, quam illi in memoriam suæ liberationis honorifice celebrare consueverant. Neomeniam autem appellat innovationem lunæ, quomodo illi in initio singulorum mensium hujusmodi festivitatem cum gaudio colebant. In sabbatis quoque vacabant otio et epulis. Habebant etiam in alias festivitates, id est, Pentecosten, solemnitatem Tabernaculorum, et dedicationem templi, aliaque his similia, quæ omnia ablata sunt ab illis, quando in captivitate positi, nec prædictas festivitates cum gaudio secundum ritum suum celebrare, nec otio vacare permittebantur. Quæ omnia ab illis ablata nunc spiritualiter celebrantur in Ecclesia.

« Et corrumpam vineam ejus, et ficum ejus, » grandine scilicet atque ariditate et gelu, ut nullam habeat arborem fructiferam. Spiritualiter per vineam, lætitiam cordis significat ; per ficum autem, dulcedinem ac suavitatem debemus intelligere, quæ ablata sunt ab eis. Unde et in mœrore et in amaritudine versantur, de quibus dixit : « Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei. » Reddit causam cur superius abstulerit eis bona dicta, eo quod dixit, « Mercedes hæ meæ sunt, » etc. Putabat enim hæc sibi a dæmonibus dari pro mercede, quia colebat idola. « Et ponam eam in saltum » ut jam non habeat arbores pomiferas, sed in solitudinem penitus redigatur. Quod ex parte quidem ab Assyriis et Chaldæis, plenius tamen completum constat a Romanis, qui eorum terram destruentes redegerunt in solitudinem, ipsos quoque ultima captivitate exsules a sua terra reddiderunt. Hinc est quod sequitur, « et comedet eam bestia agri, » hoc est, Romanorum exercitus. De hac bestia Psalmista dicit : Exterminavit eam aper de sylva Vel certe hanc bestiam possumus intelligere diabolum, qui eos comedit, quando ad suam traxit culturam, pro qua exterminium postea passi sunt. Quæ de Judæis dicta sunt, possunt et de hæreticis accipi, qui dum de Ecclesia egrediuntur a Deo derelicti, eorum stultitia revelatur his qui prius amatores illorum extiterant, et traditi bestiæ, id est diabolo, ejus morsibus lacerati perpetua morte puniuntur.

« Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, et ornabatur in aure sua et monili suo, et ibat post amatores suos, et mei obliviscebatur, dicit Dominus. » Servat adhuc personam mulieris meretricis, quæ ornatur auro et gemmis ut placeat amatoribus suis, et quidquid pulchritudinis non habet per naturam, arte conquirit. Visitabo, inquit, super dies Baalim, id est, pro diebus quibus Baal coluit, adducam super eam afflictionem tribulationis. Hic enim in malum ponitur visitatio, pro angustia scilicet tribulationis, interfectionis et captivitatis, quæ propter idolorum culturam venerunt super Judæos. Cæterum in bonum ponitur visitatio, ut est illud : « Visitavit nos oriens ex alto ; » et : Visita nos in salutari tuo. « Visitabo (inquit) super eam, » haud dubium quin Judæam, « dies Baalim, » quibus videlicet diebus accendebat incensum non Deo, sed dæmonibus. Baal numero singulari, Baalim vero plurali, masculino genere eadem idola nominantur. Ubicunque enim in fine Hebraici sermonis *im* syllaba reperitur, numerus pluralis est generis masculini. Ubi autem *oth*, ut sabaoth, numerus pluralis est in genere feminino. Unde cherubim et seraphim pluralis est numeri, generis masculini ; sabaoth autem, quod interpretatur *militiarum*, vel *exercituum*, sive *virtutum*, plurali numero genere feminino. Ergo et Baalim masculino genere numero sunt pluralia, licet quidam male legant genere feminino. Ornabatur autem plebs Judaica in aure sua et monili suo, ut placeret amatoribus suis, id est dæmonibus; quæ ad hoc aures ornare debuerat, ut spiritualia præcepta Dei corde conciperet ; et collum, ut aliis ipsa prædicaret. Hæc vero ideo gessit, quia sequendo dæmones Dei oblita est, qui ejus vir esse debuerat. Sed hæretici immolabant Baalim incensum, quando perversa dogmata, quæ ipsi sibi tanquam idola finxerunt, sequuntur. Ornant quoque aures suas, quibus verba audiuntur ; et collum, quo proferuntur, ut eloquii venustate illis quos ceperint, placeant. Nam et per monilia intelliguntur verba divina, de quibus Ecclesiæ dicitur : Collum tuum sicut monilia, quæ non facerent, nisi Dei oblivis cerentur.

« Propter hoc, ecce ego lactabo eam, et adducam eam in solitudinem. » Quia Dominus misericors est et miserator. Licet superius comminatus fuerit mala, tamen ne desperet eadem plebs, promittit ei salutem, dicens : « Propter hoc, » scilicet quia misericors sum, « lactabo eam, » id est blandiar illi, ut ad me revertatur. Unde est : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum; » et : « Venite ad me omnes qui laboratis, » etc. « Et ducam eam in solitudinem, » id est liberabo eam iterum de captivitate, sicut prius eduxeram eam de Ægyptiaca servitute; et sicut tunc per solitudinem deserti eduxi illos, protegens et liberans eos ab omni hoste,

sic faciam cum eos de terra captivitatis eorum ad proprium reduxero nativitatis solum. « Et loquar ad cor ejus, » mollia scilicet verba et consolatoria illi proferam, ut tristitiam ejus gaudio relevem. Hoc enim significat loqui ad cor. Unde est : Locutus est Sichem ad cor Dinæ; et Joseph, postquam a fratribus recognoscitur, loqui ad cor eorum dicitur. Tunc hoc impletum est, quando Filius Dei, qui hic per prophetam loquitur, in carne apparens dicit apostolis, immo omnibus discipulis suis ex ea gente in se credentibus : Jam non dicam vos servos, sed amicos meos; quos etiam filios vocat, dicens : Filioli, adhuc vobiscum sum.

« Et dabo ei vinitores ex eodem loco. » Quæ sit hæc vinea, Isaias ostendit, qui dicit : Vinea Domini sabaoth, domus Israel est. Et David: Vineam de Ægypto transtulisti. Huic vinitores dati sunt, primum egredienti de Ægypto Moyses et Aaron, et cæteri qui tunc temporis verbo et exemplo boni operatores eamdem excoluerant vineam, deinde regredienti de captivitate Chaldaica Zorobabel, Jesus et Nehemias, atque Esdras, cæterique prophetæ, qui boni ejus cultores exstitere. Post quoque in suo adventu optimos illi dedit vinitores, apostolos videlicet, qui omnes ex eodem loco fuerunt, hoc est ex eadem Israelitica plebe. « Et vallem Achor ad aperiendam spem. » Hic necesse est ut veteris recordemur historiæ. Legimus quippe in libro Jesu Nave, quod cum filii Israel cepissent Hierico, anathematizavit eam Josue, omniaque quæ erant in ea, quodque Achar filius Charmi, videns quædam inter spolia civitatis quæ sibi placita fuere, tulerit de anathemate. Cumque non possent filii Israel hostibus resistere, consuluissentque Dominum super hoc, et illo respondente quod dediti essent in hoc quod fecerat Achar, fecit cum Josue lapidari ab omnibus filiis Israel, locusque occisionis ejus vocatus est vallis Achor, hoc est vallis conturbationis, eo quod dixerit Josue : Quia conturbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Post cujus interfectionem aperta est filiis Israel spes victoriæ futuræ, pergentesque ceperunt oppidum Hai, interfectis habitatoribus ejus ; et mœror eorum in gaudium versus est, ibique spem sumpserunt ubi fuerat desperatio. Sed quia hoc, ut dictum est, factum constat fuisse, videamus quid sibi velint verba prophetica, qui hæc de futuro vaticinatur, dicens : « Et vallem Achor ad aperiendam spem. » Sciendum ergo, quia sicut tunc postquam interfectus est Achar, Judæi sumpserunt spem vincendi hostes, nec ea frustrati sunt; sic nimirum postquam Hierusalem destructa est a Romanis, templumque succensum, et ipsi Judæi interempti et in totum mundum sunt captivati ; apostolis cæterisque credentibus aperta est spes victoriæ, quia totum mundum fidei Christi subjugaverunt, quodque in umbra præcesserat, id est illud templum et omnium cæremoniarum observationes in spiritualem verterunt intelligentiam, sicut nunc agitur in Ecclesia a fidelibus. Et hæc fuit eorum spes victoriæ, de qua hic dicitur : « Et vallem Achor ad aperiendam spem, » subauditur dabo.

« Et canet ibi juxta dies juventutis suæ, et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti. » Etiam nunc historiæ similitudinem conservat. In Exodo legitur, quod submerso Pharaone et equitatu illius in mari Rubro, filii Israel cecinerunt Domino canticum, dicentes : « Cantemus Domino, » etc. Quod tempus juventutis illius appellatur dies, eo quod tunc idem populus in fide et religione cresceret Dei, nam ante idola colebant, id est vitulos Ægyptiorum. Unde postea vitulum fabricati sunt, dicentes : « Isti sunt dii tui, Israel, » etc. Et congrue dicitur : « Juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti, » quia Ægyptus in planitie, terra autem repromissionis est montuosa. Ideoque de Ægypto in Judæam pergentes, ascendere dicuntur, sicut et frequenter eis a Domino dicitur : Ego vos ascendere feci de terra Ægypti. Sed jam mysterium videamus. Ægyptus, quæ interpretatur *tenebræ* vel *mœror*, infidelitatem significat Judæorum, mare Rubrum baptismum, quod Dominicæ passionis fide consecratur; Pharao et exercitus ejus submersus in mari Rubro, diabolum signat et originalia peccata, quæ in baptismo submerguntur : desertum illud, per quod post mare Rubrum transeuntes pasti sunt manna et aqua de petra, et sic demum ad terram repromissionis pervenerunt, typum præsentis vitæ gessit, in qua fideles percipiunt manna et aquam de petra, id est corpus et sanguinem Christi, vel doctrinam divini eloquii. Terra autem repromissionis, cœlestem significat patriam, ad quam post baptismum et laborem hujus vitæ pervenitur. Promittitur ergo Synagogæ credentium, quia sicut tunc credentes ex Ægypto post interitum Pharaonis cecinerunt filii Israel carmen Domino, sic ipsa de tenebris infidelitatis egressa, post necem diaboli et vitiorum compressionem, cum gaudio et lætitia transiet spirituali ad cœlestem patriam, ubi est terra viventium. Et recte de Ægypto pergentes ascendere dicuntur, quia tunc bene ascendimus, quando a terrenis ad cœlestia, a vitiis ad virtutes transmigrare studemus.

« Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me vir omnis, et non vocabit me ultra Baalim. Et auferam nomen Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum. » De nomine Baalim juxta litteram hoc dicendum est : Belus pater fuit Nini primi regis Assyriorum, qui ex nomine suo civitatem a se ædificatam appellavit Ninum, quam Hebræi et nostri Ninivem vocant. Qui patrem suum Belum in deum transferens, simulacrum fecit, quod Bel voluit nominari et ab omnibus adorari. Quo nomine a Babyloniis, vocatur, sicut in Daniele legitur : a Sidoniis autem et Phœnicibus Baal, ab Hæbræis vero Beelzebub ob spurcitiam et sordes immolatitii cruoris vocatur ; id est, muscarum vir, sive habens muscas et quia in multis colebatur locis, idcirco pluraliter Baalim enuntiatur. Sed jam nunc videamus quid hæc verba Domini significent, quibus de fideli populo loquitur, dicens : Non vocabit me ultra Baalim.

Baalim (ut diximus) idem est quod Baal, et interpretatur *Baal habens*, Baalim vero *habens me*. Unde Hebrææ et Syræ mulieres maritos suos hoc nomine vocant, dicentes : Baal meus, hoc est habens me ; et est sensus, habens me in conjugio. Est et aliud nomen in eadem lingua sub eadem significatione, id est Is, quod similiter sonat vir. Unde et mulier ab ei Issa nominatur, quasi virago, eo quod a viro suo sumpta sit. Quæ ergo nolunt de suis dicere maritis Baal, sive Baalim, dicunt alio nomine Is meus, id est vir meus, scilicet habens me in conjugio. Quod itaque hic dicit Dominus : « non vocabit me Baalim, » sed vocabit me vir meus, ita est intelligendum, quia volens me ostendere suum virum, nequaquam vocabit me Baalim, quod bene dici poterat, sed vocabit me Is, id est vir meus. In tantum enim Deus odio habet nomina idolorum, ut nec recordari quidem electos suos velit, nominum eorum, ideoque dicit de fideli populo : Non vocabit me ultra Baalim, propter ambiguitatem verbi, ne, dum aliud loquitur, aliud recordetur, et virum nominans, idolum cogitet. Unde et subditur : « Et auferam nomina Baalim » de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum.

« Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, et cum volucre cœli, et cum reptili terræ. » Jam hic aperte describitur conjunctio Judæorum et gentium in unitate fidei Christi, qui ante adventum ejus dissidentes erant ab invicem. Unde et Judæi gentiles a consortio suo repellebant : postea autem in unum Christi ovile convenientes, jam in una fide Dei omnipotentis pacem et fraternam dilectionem se gloriantur habere. Hinc Isaias eidem populo dicit: Advena quondam tuus adjungetur tibi, ut non jam sit advena, sed recognoscatur frater. Nomine enim bestiarum, volucrum, et serpentium, gentiles exprimuntur qui hæc pro Deo colebant. Verum ab his expurgati, jam non his nominibus appellantur, sed homines rationabiles. Unde cum Petrus linteum ad se missum de cœlo vidisset, in quo bestiæ, volucres atque serpentes monstrabantur, et audiret se illa occidere et manducare debere, respondissetque : « Absit, Domine, quia nunquam commune aut immundum intravit in os meum, » dictum est ei : « Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris. »

« Et pharetram, et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra. » Id est, pacem et tranquillitatem summam dabo in terra, hoc est in Ecclesia. Licet enim multa bella crebrescant in terra, tamen in comparatione illius temporis magna est pax in hominibus, maxime inter electos, apud quos nullius discordiæ fomes locum invenit. De hoc tempore dicit Isaias: Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. « Et dormire eos faciam fiducialiter, » id est securos eos faciam in mea fide et pace requiescere. Vel certe somnus iste intelligitur pausatio electorum, qui modo quiete dormiunt in spe futuræ resurrectionis.

« Et sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia, et miserationibus, et sponsabo te mihi in fide; et scies quia ego Dominus. » Advertendum quod eamdem plebem ter se promittit sponsaturum. Primo quippe eam despondit in Abraham, cui signaculum circumcisionis dedit ut esset signum inter Deum et semen illius in perpetuum, vel etiam quando eam eduxit de Ægypto. Secundo in monte Sinai, dans ei legem. Unde et hic in secundo loco dicitur : Sponsabo te mihi in justitia, id est in observatione legis, et in judicio mandatorum meorum, ut et juste viveres et discretionem inter bonum et malum scires; et misericordia et miserationibus, ut si propter peccata tua tradita fueris in captivitatem et pœnitentiam egeris, iterum misericordiam consequaris. Tertio in adventum Filii Dei, unde et hic dicitur : « Et sponsabo te mihi in fide, » sanctæ videlicet Trinitatis. De qua desponsatione dicit Apostolus de Christo loquens : Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Et iterum de persona Christi loquens, ait : Desponsavit sibi Ecclesiam non habentem maculam neque rugam. Sed Synagoga ter a Domino desponsata, omnem desponsationem irritam fecit. Unde quia desponsata in Ægypto primam desponsationem non custodivit, et fornicata est tibi deos alienos colendo, rursum per legem et Scripturas sacras prophetarum Veteris Testamenti assumitur, ut quasi sponsalibus secundis firmata, jam ab amplexu non recederet. Tertio autem Jesus Christus Filius Dei et per gratiam sancti Evangelii eam copulare sibi voluit, sed paucis credentibus, maxima eorum pars collata sponsalia negligens, in infidelitate permansit, sicut beatus Stephanus eis improperat, dicens : « Vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut et patres vestri. » Qui autem receperunt fidem ejus, conjuncti sunt illi vinculo dilectionis, credentes quod ipse Christus Deus esset, quem prius negaverunt. Ex quibus fuerunt illi qui ad prædicationem beati Petri una die quinque millia, et alia die tria millia crediderunt.

« Et erit in die illa : Exaudiam, dicit Dominus, et exaudiam cœlos, et illi exaudient terram, et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum, et hæc exaudient Jezrael. » Secundum litteram hoc potest intelligi in his verbis : quæ bona temporalia promittit Dominus his qui in se credunt. Spiritualiter cœli sunt apostoli, de quibus Psalmista ait : « Cœli enarrant gloriam Dei, etc. » Hi cœli exauditi sunt tempore Dominicæ incarnationis, rogantes pro muliere Chananæa et pro socru Petri. Isti cœli nunc exaudiunt terram, id est homines in Ecclesia habitantes, et hæc terra exaudit triticum, id est, profert simplicem doctrinam Veteris et Novi Testamenti, ut impleatur illud Dominicum : « Beatus ille servus quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram. » Exaudiet vinum, hoc est; spiritualem intelligentiam ita præbet, ut sua doctrina lætificet corda audientium. Secundum qualitatem enim auditorum debet formari sermo docto-

rum. Exaudit quoque et oleum, quia in episcopis et presbyteris dat fidelibus gratiam Spiritus sancti. Et hoc est cœlum et terra, apostoli scilicet atque universalis Ecclesia. Et hæc exaudient Jezrael, id est semen Verbi Dei perducent ad operationis effectum, ut faciat illud semen fructum centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Porro quod sequitur :

« Et seminabo eam in terris. » Ad apostolos specialiter pertinet, qui ab Hierusalem seminati sunt, ut sua prædicatione et miraculis, terram (hoc est corda auditorum suorum) facerent fructificare. De quibus scriptum est : Isti sunt semen cui benedixit Dominus. Nam ipsi apostoli et semen sunt, quia dispersi sunt per universum mundum, audientes a Domino, « euntes in mundum universum, » etc. Et ipsi sunt seminatores, juxta illud : « In omnem terram exivit sonus eorum, etc. » « Et miserebor ejus quæ fuit absque misericordia, » hoc est Synagogæ jam in me credentis, quæ prius dum per multa dæmonum portenta erraret, eaque pro Deo adoraret, sine misericordia erat.

« Et dicam non populo meo : Populus meus es tu ; et ipse dicet mihi : Dominus meus es tu. » Hoc est quod ipse fidelibus suis de eodem populo dicit: Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Et ipse dicit : « Deus meus es tu, » sicut et Petrus : « Tu es (inquiens) Christus Filius Dei vivi : » et Thomas : « Dominus meus et Deus meus. » Quæ verba et specialiter ad decem tribus, et generaliter ad omnes Israelitas possunt referri, ad eos scilicet qui crediderunt.

CAPUT III.

« Et dixit Dominus ad me : Adhuc vade, et dilige mulierem dilectam amico et adulteram : sicut diligit Dominus filios Israel, et ipsi respiciunt ad deos alienos, et diligunt vinacia uvarum. » Per has duas mulieres, id est superiorem fornicariam, quæ appellatur Gomer, et istam quæ vocatur adultera, debemus intelligere Israel et Judam, id est decem tribus, quæ erant in Samaria sub rege Hieroboam, qui fuit de Ephraim ; et Juda, qui regnavit in Hierusalem de stirpe David. Has duas mulieres describit Ezechiel sub nomine duarum sororum, Oola videlicet et Ooliba. Quas si diligentius voluerimus distinguere, per priorem, quæ fornicaria appellatur, decem tribus : per secundam, quæ adultera, Judam possumus intelligere : et tamen generaliter et per illam et per istam, universus populus Israeliticus (sicut in sequentibus quoque monstrabitur) potest accipi. Juxta litteram ita est intelligendum quod dicit, « Adhuc vade, etc. » Sensus est hic : Tu quidem eam diligis, sed ipsa debita vicissitudine non te diligit, quoniam potius tuum negligens amorem adultera est, quia alteri viro copulatur, eumque plus quam te diligit. Ad quod autem ista pertineant, aperitur cum subditur : « Sicut diligit Dominus filios Israel, » id est, sicut tu diligis illam mulierem, et tamen illa plus alium quam te diligit, sic Dominus summo amore filios Israel diligit, sed ipsi eum spernentes « respiciunt ad deos alienos, » hoc est venerantur et colunt eos, « et diligunt vinacia uvarum. » Vinacia appellat quæ nos acinos dicimus, id est, folliculos uvarum post expressionem a prelo projectos. Spiritualiter autem, per hæc vinacia, dæmones intelliguntur, qui quandiu in sua dignitate fuerunt, quodammodo uvæ erant, hoc est, pinguedine Spiritus sancti referti, postquam vero superbientes contra Deum, similes ei fieri voluerunt, evacuati gratia Spiritus sancti, facti sunt steriles et veluti ad nihilum utiles, de cœlo projecti sunt veteri siccitate marcentes, et nihil antiquæ gratiæ possidentes. Sic et Judæi ob infidelitatem a Deo derelicti, diligunt dæmones omni dulcedine bonitatis evacuatos. Sive pro vinacia possumus intelligere traditiones scribarum et Pharisæorum, veritatis sensu prorsus vacuas et superstitione plenas ; quas ipsi Judæi diligebant, relinquentes traditiones Dei propter traditiones hominum.

« Et fodi eam mihi quindecim argenteis, et coro hordei, et dimidio coro hordei, et dixi ad eam. » Septuaginta interpretes, sicut beatus Hieronymus dicit, pro eo quod nostra interpretatio habet « Fodi, » posuerunt « Conduxi, » quod ad mulierem utique pertinet, quia ad hoc conducitur, ut marito fidem servet, nec alio copuletur illo vivente. Cum autem dicit : Fodi eam mihi in mulierem, ostendit se vineam velle significare, quæ (sicut propheta testatur) domus Israel est, de qua scriptum est : Vineam de Ægypto transtulisti. Foditur ergo atque conducitur hæc mulier quindecim argenteis, et coro hordei, et dimidio coro hordei, id est quadraginta et quinque modiis, nam corus triginta modios habet, dimidius vero corus quindecim. Et hac mercede conducta, audivit a Domino : « Dies multos exspectabis me : non fornicaberis, et non eris viro. » Hoc est : nec amatoribus turpiter te prostitues, nec mihi viro a quo conducta es legitimo conjungeris, ac ne putes factam tibi injuriam ; quia dixi : « Exspectabo me, » paria tibi referam, quia « sed et ego exspectabo te. » Mystice, quindecim denarii ad quintum decimum diem primi mensis, id est Nisan, quo Judæi egressi sunt de Ægypto, percussis primogenitis Ægyptiorum, pertinent. Ipsa enim die, id est quinta decima luna, eduxit eos Dominus de Ægypto, et in suam conduxit servitutem, liberans per occisionem agni ab illata plaga Ægyptiis. Cœpitque eos erudire, constituens pro primogenitis filiorum suorum, qui plagam non sensere communem, quinos argenteos siclos conferri in donariis domus Dei. Deinde quadragesimo quinto die, qui intelligitur in quadraginta quinque modiis hordei, pervenerunt ad montem Sinai ; altera autem die, præceptum est Moysi ut se sanctificarent per triduum, et a mulieribus abstinerent, et se præparent ad accipiendam legem ; transactisque tribus diebus, quinquagesimo die Moyses Decalogum legis accepit. Qui ergo quadragesimo quinto die ad eum

pervenerunt locum in quo legem acceperunt, bene quadraginta quinque modiis hordei fuisse referuntur conducti. Quod autem sequitur : « Dies multos exspectabis me, » ad præsens pertinet tempus, quo populus Judæorum, qui quondam quindecim argenteis et quadraginta quinque modiis hordei conductus, post incarnationem Domini ejusdem videlicet sponsi adventum viri sui exspectat, donec (ut Apostolus dicit) « plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel salvus fiat. » Quod vero dicit : « non fornicaberis, et non eris viro, » hoc ostendit quod interim modo idolis non servit, nec tamen habet Deum, sed et amatoribus et viro spoliata est; et quia virum non habet, nec vescitur modo cibo hominum, id est, frumento, sed hordeo irrationabilium jumentorum, quia videlicet spiritualem sensum vivificantem non capit, sed occidentem litteram sequitur. Quodque additur, « sed et ego exspectabo te, » ad eos pertinet qui exspectant ad hoc ut in fine sæculi credentes recipiantur ad amplexum Christi, quando ex Judæis et gentibus fiet unus grex, unum habens pastorem, qui de se dicit : « Ego sum pastor bonus. »

« Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio et sine altari, et et sine ephod, et sine theraphim. » Judæi autem hæc omnia ad septuaginta annos suæ captivitatis referunt; sed melius est, ut beatus Hieronymus dicit, de præsenti tempore, vel de ultima Judæorum conversione intelligi quæ dicuntur. Jam enim in his verbis ea quæ superius dicta sunt intelliguntur : quia dies multos exspectabis me, non fornicaberis. Modo namque sedent, hoc est habitant Judæi contracti, quia status rectitudinem amiserunt, et sunt sine rege Christo, qui loquitur: « Ego autem constitutus sum rex ab eo, » « et sine principe, » id est, ipso Salvatore, vel etiam pontifice et sacerdote, de quo scriptum est : « Principem populi tui non maledices. » Sunt etiam « sine sacrificio, et sine altari, » quia perdito loco ubi templum et altare habuerant, de quo eis in lege præcipiebatur: In loco quem elegerit Dominus, immolabitis ei, et non in omni loco, nequaquam legales victimas offerunt. « Et sine ephod. » Ephod proprie superhumerale vocatur, sed hic pro omni vestimento accipitur. Aliquando autem ponitur et pro lineis vestimentis, sicut de Samuele legimus, quia indutus ephod lineo erat. Theraphim proprie appellantur figuræ et simulacra, quæ non possunt in præsenti loco duntaxat, cherubin et seraphin, sive alia quæ in templo ornamenta fieri jussa sunt, dici, sed hic pro omni ornamento sacerdotali positum noverimus. Hæc omnia postquam perdiderunt Judæi, spiritualiter nobis data sunt in Ecclesia. Non enim verum regem et sacerdotem habemus Christum, qui « est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech ; » habemus sacrificium verum corporis et sanguinis Domini; habemus et ephod, hoc est vestimentum innocentiæ et simplicitatis, facti ipsi sacerdotes et reges, juxta quod Petrus dicit : « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. » Habemus et theraphim, hoc est signum et memoriam Dei expressam in cordibus nostris, juxta quod eidem decantamus : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. »

« Et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum. » Post hæc, id est, postquam hæc omnia impleta fuerint, dum plenitudo gentium intraverit, revertentur filii Israel per prædicationem Eliæ et Enoch, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum, id est Patrem et Filium ejus Jesum Christum, Filium ejus unum Deum corde et ore et opere confitentes. » Et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimo dierum. » Spiritum videlicet sanctum, qui non extra Patrem et Filium, sed simul cum Patre et Filio unus est Deus. De quo dicit discipulis suis: « Si vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se ! »

CAPUT IV.

« Audite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ. » Hæc verba proprie ad eos pertinent, qui in adventu Filii Dei sunt reperti, licet et juxta litteram eis possint aptari, qui tunc temporis in decem et duabus tribubus commorabantur, quibus et propheta hæc loquitur, ostendens non frustra iratum Deum, tam gravia comminari et inferre supplicia quæ superius dicta sunt, ut scilicet essent sine rege, cæterisque in quibus eatenus gloriati fuerant. Sed quia erant sine veritate, et sine misericordia, et sine scientia Dei, et maledictum, et mendacium, et homicidium, cæteraque multa inundaverant, idcirco Dei judicio justo, ab habitatoribus illius terræ hæc omnia ablata, ipsique captivitati sunt traditi, augentes peccata peccatis, et novis vetera cumulantes. Ut autem diximus, maxime ad eos referuntur, qui Deum in carne viderunt et audierunt, sed in eum credere noluerunt, sed ad eorum posteros. Dicitur namque eis : « Audite verbum Domini, filii Israel, » quia judicium Domino cum habitatoribus terræ, hoc est cum Judæis semper terrena desiderantibus, quibus contrarii sunt illi qui cœlestes appellantur, qui se peregrinos et advenas in hac vita considerantes ad cœlestia tendunt. Cum his habitatoribus terræ judicium agit, id est, damnationi æternæ eos tradi promittit. Quare autem hoc faciat aperit, subjungens. « Non est enim veritas, » sed unusquisque cum proximo suo loquitur mendacium. Vel non est veritas, quia ille qui de se dicit: « Ego sum veritas, » non habitat in cordibus eorum. « Et non est misericordia, » quia subditos persequuntur, et pupillo ac viduæ non miserentur. Unde etiam nec ipsi Christo pepercerunt, sed veluti canes rabidissimi contra eum ora sua aperuerunt, dicentes : « Reus est mortis, » et : « Crucifige, crucifige. » « Et non est scientia Dei. » Hoc est, fides et cognitio nominis Dei non est in cordibus eorum, qui terrena solummodo sapiunt. Vel certe scientia, id est sapientia Dei patris, qui de se dicit per Salomonem: « Ego sapientia habito in con-

silio, et eruditis intersum cogitationibus. » Et de quo Apostolus. » Christum inquit Dei virtutem et Dei sapientiam. » Non habitat in terra, hoc est, non requiescit in illorum mentibus, qui ab ejus fide sunt alieni. De quibus adhuc sequitur.

« Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt. » Maledictum pertinet ad eorum convicia et opprobria, qui contra Deum tumebant, dicentes : « Dæmonium habes, » et, « Samaritanus es, » et cætera talia. Mendacium ad hoc quod dixerunt : « Reus est mortis, » et, « Hic est vorator et potator vini. » Homicidium ad hoc quod ipsum morti tradiderunt et omnes prophetas, sicut ipse eis improperat dicens : Et vos implete mensuram patrum vestrorum. « Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, » etc. Et beatus Stephanus : « Quem (inquit) prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis. » Furtum pertinet ad hoc, quod seipsos et filios suos furati sunt, dicentes : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros. » Vel quando ipsum Christum emerunt furtim triginta argenteis. Adulterium, ad immunditiam vel ad idololatriam. Hæc omnia in Judæis inundaverant, id est abundaverant. Per verbum enim inundationis, magnitudinem scelerum ostendit. « Et sanguis sanguinem tetigit. » Sanguis sanguinem tangit, cum homicidium homicidio jungitur, et cum peccatum peccato augetur. Sanguinis enim nomine peccatum designatur, ut est illud : « Libera me de sanguinibus. »

« Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, et in volucre cœli : sed et pisces maris congregabuntur. » Propter hoc, quia pro bonis operibus vitia superius dicta inundaverunt, lugebit terra. Terra lugere videtur quando inculta remanet, sublatis habitatoribus, et quæ antea suis lætos proferebat fructus, incipit vepres procreare et spinas. Ideoque in hoc loco desolatio decem et duarum tribuum exprimitur, cum dicitur : « Lugebit terra. » Sive per terram ipsos Judæos possumus intelligere, terram quærentes, et terrena sapientes. Unde et statim sequitur : « Et infirmabitur omnis qui habitat in ea, » hoc est, qui per amorem et desiderium ibi manet. Comprehensi enim ab hostibus, luxerunt et infirmati sunt, quoniam ea quæ summo amore dilexerant, et in quibus gloriati fuerant, amittebant. « In bestia agri, et in volucre cœli. » Naturale est, ut beatus Hieronymus dicit, ut si terra ab habitatoribus suis fuerit derelicta, bestiæ quoque et aves ab ea deficiant. Altiori autem sensu, per bestias agri, feroces populos, et bestiali stoliditate pressos significat ; per volucres vero, superbos, et elatos, ac leves possumus intelligere, quales erant ipsi Judæi, de meritorum dignitate jactantes, et alios despicientes ; per pisces maris, ipsi non inconvenienter accipiuntur qui in profunditate vitiorum et in tenebris peccatorum conversabantur. Sive per pisces, philosophos mundi intelligamus, in exquirendis re-

A rum temporalium profundis quæstionibus desudantes. « Pisces (inquit) maris congregabuntur, » subauditur in mortem. Unde et alia translatio habet : Pisces maris deficient.

« Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir. » Provocaverat eos superius ad judicium, ut cognoscerent se ex veritate judicatos, et non per potentiam Dei oppressos, sed propter peccata præterita hostibus traditos. Verum quia deteriores effecti sunt, tantæ erant imprudentiæ, ut ne convicti quidem verecundiam haberent. Prohibet a justis judicari injustos et argui, quia indigni sunt correptionem suscipere. Unusquisque (inquit) justus non judicet injustum, et non arguatur vir impius a pio, quod utique enormitate scelerum ipsi impii et

B injusti non merentur. « Populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt sacerdoti. » Et est sensus : Sicut plebecula inobediens est sacerdoti, cujus non vult obsequi mandatis, et sicuti discipulus inobediens magistro, sic populus tuus contradicit verbis oris mei, et ideo non est dignus vel a propheta, vel a quolibet redargui justo.

« Et corrues hodie, et corruet etiam propheta tecum. » Superius ad prophetam locutus est de populo, nunc autem ad ipsum populum, decem videlicet tribus, vertit sermonem, dicens : « Corrues hodie, » id est in præsenti tempore, vel certe in aperta luce, et in omnium oculis duceris in captivitatem. « Et corruet etiam propheta tecum. » Duobus modis possumus hic prophetam intelligere, vel falsum videli-

C cet prophetam, quia æquivocum nomen est, vel etiam prophetalem dignitatem, quia decem tribus post captivitatem non legimus habuisse prophetam. Quandiu enim non sunt captæ decem tribus, habuerunt Eliam prophetam et Elisæum, cæterosque filios prophetarum, qui prophetaverunt in Samaria. Et quidem duæ tribus in ipsa captivitate et postea habuere prophetas. Decem vero, postquam translatæ sunt in Medos et in Persas, neminem referuntur habuisse prophetam. Ideoque eis dicitur : « Corruet etiam propheta tecum, » id est, dignitas prophetalis a te peribit ; vel falsi prophetæ, qui vobis falsam prophetiam resolvebant, una vobiscum peribunt. « Et nocte feci tacere matrem tuam. » Mater ipsa Judai-

D ca plebs in generalitate appellatur. Filii hujus matris vel singuli e populo, vel hi qui per oppida villasque erant dispersi. In nocte ergo, id est, in tenebris captivitatis et mœroris et prementis angustiæ, feci tacere matrem tuam, quia non est ausa dolere malum suum coram hostibus.

« Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam. » Hoc est, comprehensus ab hostibus silentio tabuit, non audens eis repugnare. Et redditur causa cur sanctum sit ei, scilicet eo quod non habuerit scientiam legis Dei, et præcepta Dei non servaverit, ut illi serviret et idola contemneret. Quia enim prius a laudibus Dei os clauserat, juste ad hanc devenit miseriam, ut nec malum suum inter hostes deflere auderet. « Quia tu scientiam repulisti, repellam te,

ne sacerdotio fungaris mihi. » Repulit ipsa plebs scientiam, hoc est Deum, quando stultissima mente opus manuum suarum cœpit adorare, Factoremque cœli et terræ deserens, vitulos aureos venerata est in Dan et in Bethel, ideoque repulsa est, ne essent ex ea sacerdotes in domo Domini, sed potius in delubris idolorum. « Et oblita es legis Dei tui, » quæ prohibet deos alienos adorare, « Obliviscar filiorum tuorum et ego, » tradens eos æternæ captivitati, nec miserebor eorum, ut olim misertus sum patrum eorum in deserto. Qui enim ignorat, ignorabitur. Hæc omnia possunt et ad hæreticos referri, qui reliquerunt domum David et Jerusalem, id est Christum et Ecclesiam. Et ideo æterna nocte cooperti, conticescunt a Dei laudibus, sicut scriptum est : « In inferno autem quis confitebitur tibi ? » Et hoc propterea, quia non habuerunt scientiam Dei, id est Christum, ut rectam fidem ejus crederent. Unde et merito a Domino repelluntur, ne sacerdotio fungantur ei. Sacerdotio ejus, quia plerumque tales immatura morte ab hac vita subtracti, æternaliter pereunt, ne vel ipsi indigne corpus et sanguinem Domini attrectantes, aliis sint offendiculum, vel mala sua doctrina causa perditionis multis diu vivendo existant. Quorum etiam filii a Deo oblivisci dicuntur, id est, hi qui ab illorum perversa doctrina generati sunt, quia simul cum patribus perpetuæ damnationi tradentur.

« Secundum multitudinem eorum, sic peccaverunt mihi. » Id est, quot homines habuit Israel, tot aras instruxit dæmonibus, in quorum victimis peccaverunt mihi. « Gloriam eorum in ignominiam commutabo. » Gloriam eorum idolum appellat, in quo gloriabantur, et in cujus veneratione lætabantur, quod tunc in ignominiam commutatum est, quoniam pro ipso scelere simul cum ipso ducti sunt in captivitatem.

« Peccata populi mei comedent. » Dupliciter hæc sententia intelligenda est : Peccata populi sacerdotes comedent, id est, sacrificia pro peccatis hominum oblata. Ea quippe, vel quæ tunc offerebantur, vel nunc in templo Domini offeruntur, in usus transeunt sacerdotum. Unde et in canonibus dicitur, ut laici de consecratis non comedant. Sed et illi qui eleemosynas aliorum comedunt, nisi digne pro eis oraverint, Judæis similes sunt. Qui vero digne pro eis orant, operibus manuum suarum vivunt. Sive peccata populi sacerdotes comedunt, quia cum male agentibus adulantur, eorum peccata sibi assumunt. Qui enim alterius peccatis consentiunt, participes eorumdem peccaminum fiunt; quoniam cum eos peccare conspexerint, non solum non arguunt, sed laudibus peccantes attollunt. Unde subditur :« et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. » Dum illi peccatis deservirent, sacerdotes sublevabant animas eorum, dicentes : Quoniam populus Dei estis, ex genere Abraham descendistis, propter illius amicitiam parcet vobis Deus, si peccaveritis ei. Quorum verbis accipientes illi fiduciam, audacter pecca-

A bant erecti in superbiam, vel etiam falsa adulatione peccantes decipiebant, dicentes : Dimissa sunt vobis peccata vestra. Sicque animas illorum sublevabant, quoniam eorum verbis plus quam suæ conscientiæ credentes, cum peccatores essent, justos se esse æstimabant. Unde est : « Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. »

« Et erit sicut populus, sic sacerdos. » Id est, quia æqualiter peccant, æqualiter indignantis Dei sententiam sustinebunt. Sacerdotes autem isti, quibus æque ut populo mala eventura a Domino prædicuntur, non erant de tribu Levi, sed ex quacunque tribu venientes implebant manum suam auro vel argento, dantes munera regibus decem tribuum, fiebant sacerdotes in templis idolorum. Sed et sacer-
B dos et prælatus quilibet, qui mala aliorum sibi assumit, eis adulando æqualis efficitur, ideoque æque cum eis damnabitur. « Et visitabo super eum, » id est sacerdotem, « vias ejus ». Omnia videlicet opera ejus puniam, quia visitabo, hic pro afflictione ponitur et tormento. « Et cogitationes ejus reddam ei. » Quia non solum pro malis operibus, verum etiam pro pessimis cogitationibus, quibus ut talia facerent tractaverunt, pœnas luent. De hæreticis facilis intelligentia est, quod quanto plures fuerunt, tanto magis delinquant Domino, et juxta suum numerum multiplicant varia dogmata errorum quorum gloria, id est, sapientiæ et Christianitatis dignitas in ignominiam commutatur, quando pro præteritis peccatis
C justo Dei judicio in errores varios labi permittuntur, pro quibus demum et æternis suppliciis tradantur. De quibus dicit Apostolus : Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt. Qui peccata populi comedunt, quando et placentia loquuntur, et per dulces sermones decipiunt corda credentium, et devorant domos viduarum. Cum enim viderint alios delinquentes, aiunt, nihil aliud quærit Deus, nisi fidei veritatem, quam si custodieritis, non curat quid agatis, male intelligentes illud Dominicum: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. » Dumque hæc dicunt, in iniquitatibus eorum sublevabunt animas eorum, ut non solum non agant pœnitentiam nec humilientur, sed etiam gaudeant in sceleribus suis, et erecta gradiantur cervice. Unde
D et populus et sacerdos, id est, hi qui docti sunt et hi qui docuerunt pari judicio constringentur, cum non modo pro factis, verum etiam pro cogitationibus malis debitæ pœnæ illis redditæ sint.

« Et comedent, et non saturabuntur ; » id est, mala opera exercebunt, et non implebuntur : quia luxuriosi et avari nunquam malitia sua saturabuntur. Econtrario autem : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. » Illi scilicet de quibus Propheta dicit : « Edent pauperes, et saturabuntur. » Sicut enim justitia saturat, sic iniquitas substantiam non habens, vana comedentes fraude deludit, et uteros devorantium vacuos derelinquit, id est sensus :« Fornicati sunt, et non cessaverunt. » Subauditur fornicari, quia utres perverso-

rum hominum in fornicatione deficiunt, et fornicandi desiderium non quiescit. Et quia non audierunt : « Peccasti, quiesce, » audient in die judicii : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. » Fornicatæ sunt etiam decem tribus cum idolis sub Jeroboam, filio Nabath, et non cessaverunt postea idola colere. Et hoc quare ? « Quia Dominum dereliquerunt in non custodiendo. Fornicatio, et vinum, et ebrietas, auferunt cor. » Non custodiendo illum, subauditur idola coluerunt, ideo quia dereliquerunt Dominum Deum suum, non valentes duobus dominis servire simul, et hoc in non custodiendo, subaudis mandata illius, quibus jusserat : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. » Fornicatio et vinum, etc., id est, sensum et intellectum hominis subvertit : et est sensus : Sicut vinum et ebrietas, qui nimium biberit, mentis suæ impotem facit, ita fornicatio sive corporalis, sive spiritualis pervertit sensum, animumque debilitat, et de rationali homine brutum efficit animal, ut lupanaria et libidinum lustra sectetur, lignaque et lapides deos putet, adorans opera manuum suarum.

« Populus meus, » subauditur quondam, « in ligno suo interrogavit, et baculus ejus annuntiavit ei. » Genus erat divinationis, quod fiebat in ligno et baculis, quo futurarum rerum captabantur auguria. Unde in Ezechiele legitur, quod « pergens Nabuchodonosor contra Amon et Jerusalem, steterat in bivio, ubi inter cæteras divinationes commiscuerit sagittas, et inter cæteras una exierit contra Jerusalem. » Forte similiter fecerunt isti, quærentes qui eis esset utilius, utrum Deum an idola colerent? Et quia adeo perversi erant, ut relicta veritate mendacium sequerentur, justo judicio relicti a Deo, per responsionem baculi seducti sunt a diabolo. Unde sequitur : « Spiritus enim fornicationum decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo ; » id est, per idololatriam recesserunt a Deo suo. Spiritus enim fornicationum diabolus intelligitur, qui suadet hominibus ut a Deo recedant, et se in simulacris ligneis et lapidibus venerentur. Principium quippe hujus fornicationis idolorum formatio. Sed et hæretici, quibus hæc congruere possunt, nunquam suis satiantur erroribus, nec cessant a fornicationis turpitudine; immunditiam carnis operantes, et non custodientes legem cæterasque Scripturas, Deum derelinquunt, insaniunt et inebriantur ; et perdito mentis vigore, adorant idola quæ de suo corde finxerunt, fornicationisque spiritum possident.

« Super capita montium sacrificabant, et super colles accendebant thymiama. » Filii Israel sequendo voluptates suas et desideria carnis, Deo derelicto, spretoque ejus templo, in montibus et in collibus sacrificabant idolis, eisque thymiama (id est, incensum suavitatis) incendebant, ibique propter amœnitatem locorum comedebant, bibebant, dormiebant, et luxuriabantur eademque loca excelsa vocabant. Ideo autem ista faciebant, quoniam excelsum Deum non habebant. De quibus excelsis legimus in actibus Regum : Verumtamen excelsa non abstulit. Adhuc enim populus immolabat in excelsis. Vel certe in excelsis hæc fecisse dicuntur quia in solariis domorum suarum adorabant, et hoc ex consuetudine, ut reor, serpentis in stipite elevati. « Subtus quercum, et populum, et terebinthum, » subauditur sacrificabant « quia bona erat umbra ejus. » Veritatem Judæi perdiderunt, et idcirco hoc faciebant. Præceperat quippe Dominus in lege ne sacrificaretur nisi in loco quem elegisset; sed illi propter voluptates suas, ut superius dictum est, in delectabilibus lucorum et montium locis sacrificabant idolis, sub umbra arborum altaria facientes, quarum amœnitate allecti, immunditiam suæ carnis exercebant. Unde Dominus prohibuerat plantari nemus juxta altare suum. « Ideo fornicabuntur filiæ vestræ. » Subauditur cum alienigenis, vel Dominum etiam relinquentes, idola colent : « et sponsæ vestræ adulteræ erunt, » hoc est, thorum proprium relinquentes, alienis se jungent.

« Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras cum adulteraverint. » Fornicatus fuerat Israel a Domino Deo suo recedens, ideo fornicabantur filiæ ejus et sponsæ absque ulla vindicta, suo sceleri relinquuntur, ut ex proprio dolore intelligant dolorem Dei, qui intantum iratus est, ut nequaquam percutiat delinquentes. « Non (inquit) visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras cum adulteraverint, » hoc est, non puniam eas pro sua fornicatione et adulterio, sed libere voluptatibus suis servire permittam, ut vestra injuria meam cognoscatis, nec mala illarum vindicabo, nisi per ultimam captivitatem. « Quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, et cum effeminatis sacrificabant. » Reddit causam quare se dicat non vindicaturum iniquitates filiarum atque uxorum populi Israel. Tantus quippe fuit numerus filiorum Israel, ut esset ultio desperans emendationem. « Cum meretricibus (inquit) conversabantur, et cum effeminatis sacrificabant, » et cum mulieribus et cum viris turpitudinem exercebant in templis deorum suorum. « Et populus non intelligens » subauditur Deum vel peccatum suum, « vapulabit, » id est, per captivitatem plagis verberibusque attritus. Si super hæreticis ista voluerimus intelligere, filiæ vel sponsæ illorum intelliguntur animæ, quas in errore genuerunt, et suis dogmatibus desponsarunt. Istiusmodi indigni sunt correptione Dei, quoniam omnis eorum cultus fornicatio est, et turpes turpibus commiscentur. Et propterea vapulabunt, ut aliquando per plagas qui reliquerunt Dominum, resipiscant.

« Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Juda. » Israel in hoc loco, sicut sæpe dictum est, decem tribus significat, Judas autem, Benjamin et sacerdotalem, id est, Leviticam, cum eadem tribu conjunctas. Quam tribum nunc hortatur propheticus sermo, ne Deum deserat per culturam idolorum, sicut fecerat Israel, id est decem tribus, adorando idola, quæ fecerat eis Jeroboam, filius Nabath. Si

fornicaris (inquit) tu Israel, qui cum meretricibus A te miscuisti, ita ut quicunque impleret manum, vel suam, vel regis, munera dando fieret idolorum sacerdos. Saltem tu Juda, qui possides Hierusalem, et habes ex lege sacerdotes et Levitas, ac templum cum legalibus cæremoniis, noli delinquere ut eum imiteris idola colendo. « Et nolite ingredi in Galgala. » Galgala locus est ubi filii Israel, transito Jordane, primum castra metati sunt; ibique secunda circumcisione accepta, purgabant ibi idola, a quorum veneratione nunc tribus Juda prohibetur, cum dicitur : « Nolite ascendere in Galgala, » subaudis ut ibi deos adoretis, sicut faciunt Israelitæ, id est decem tribus. « Et ne ascendatis in Bethaven. » Bethaven ipsa est Bethel, quæ prius dicta est Bethel, hoc est domus Domini. Sed postquam idolorum cultus in ea exortus est, et B vituli ab Jeroboam ibi positi sunt, domus inutilis appellata est et domus idoli. Unde et Septuaginta pro Bethaven, domoon, id est domum inutilium ponunt, quia videlicet ibi unus ex vitulis aureis positus fuerat ab Jeroboam. Nolite (inquit) ascendere in Bethaven ut ibi immoletis, quia jam non est ibi domus Dei, sed domus idolorum. « Neque juraveritis, vivit Dominus. » Prohibentur jurare in nomine Domini, qui cultores idolorum exstiterant, et laudibus dæmonum os pollutum habebant. Non est enim speciosa laus in ore peccatoris. Nam prohibuerat Dominus in lege, ne jurarent Judæi per nomina idolorum vel alienorum, per nomen suum jurare concedens. Unusquisque enim per quem jurat, aut amat, aut veneratur. Unde ne idola diligerent aut venerarentur, prohibiti sunt per C nomina idolorum jurare, ne forte eorum facta mentione illicerentur ad amorem et culturam eorum, sed habentes nomen Dei semper in ore, illum colerent et adorarent. Verum quia ipsi Judæi jam relicto Deo colebant idola, prohibentur jurare : « Vivit Dominus. » Quod juramentum apud illos erat, sicut dicebat Elias : « Vivit Dominus, in cujus conspectu sto. » Et sæpissime legimus eos hoc usos fuisse juramento. « Neque enim juraveritis : Vivit Dominus; » ac si diceret : Nolo per os vestrum mei fieri mentionem, quod idolorum pollutum est veneratione.

« Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel : nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine. » Vacca lasciviens appellatur superba propter nimiam crassitudinem, quæ et jugum suscipere de- D trectat, et œstro stimulata, tramitem recti deserit sulci. Sic Israel (hoc est, decem tribus) jugum legis de cervice sua excussit, et dæmoniaco spiritu incitata, latam viam arripuit voluptates suas sequendo, de qua Dominus dicit : « Lata via est quæ ducit ad perditionem. » Nunc pascet eos ut supra. Hic vox prophetæ est de eodem populo : et quia cœperat loqui de vacca lasciviente, servat metaphoram in reliquis, dum in latitudine camporum Deum dicit pasturum Israelitas quasi agnum. Nunc, inquit, hoc est in præsenti tempore, dum spiritus hos regit artus, me scilicet vivente, pascet eos Dominus in latitudine quasi agnum, id est, ducentur ab Assyriis in captivitatem, et ibi in captivitate latitudinis terræ dispergentur, ibique multo tempore morabuntur. Allegorice Israelis nomine hæretici appellantur. Judas autem vir quilibet ecclesiasticus Deum confitens, quibus dicitur : Si fornicaris tu Israel, hoc est, si tu, o hæretice, a Deo recedis per falsam doctrinam, non delinquat Judas; hoc est, vir ecclesiasticus non sequatur dogmata tuæ perversitatis. Et ne ingrediatur in Galgala, hoc est in conciliabula hæreticorum, ubi omnium peccata revelantur, et instar porcorum volutantur in cœno vitiorum. Galgal enim *revelatio* interpretatur sive *volutabrum*. Nec ascendat in Bethaven, hoc est ad arrogantes falsorum dogmatum finctiones, quoniam non est ibi domus Dei, sed domus idolorum. Prohibentur etiam hujusmodi delictis maculati jurare in nomine Domini, cujus majestatem mala de eo sentientes polluunt, qui sicut vacca lasciviens asylo percussa, ardentibus diaboli sagittis percussi sunt et legis notitiam reliquerunt, ideoque pascentur in lata et spatiosa via, quæ ducit ad mortem.

« Particeps idolorum Ephraim. » Ephraim in hoc loco appellantur decem tribus post separationem a domo David ad Jeroboam, qui de tribu fuit Ephraim, cui Jacob benedictionem regni dederat. Interdum appellantur et Joseph nomine, propterea quia Joseph pater fuit Ephraim. Ephraim itaque, (hoc est decem tribus) participes fuerunt idolorum, quia similes eis fuerant, quos manibus operantes ut deos venerabantur. Sic enim Psalmista ait : « Similes illis fiant qui faciunt ea et omnes qui confidunt in eis. » « Dimitte eum. » O Juda, subaudis, id est ne spernas verba prophetæ, et ne sequaris impietatem Israel, qui idolorum particeps et amicus est, cujus cultus, religio et cibus a tuo convivio separatus est, unde sequitur :

« Separatum est convivium eorum, » id est, sacrificium idolorum a tuo sejunctum est, quia tu omnipotenti Deo offers, illi autem dæmonibus. « Fornicatione fornicati sunt. » Repetitio sermonis, confirmatio est; quod tale est ac si diceret : Quotidie fornicantur, et diligunt fornicationem suam, semperque fornicationes fornicationibus augent. Primo quippe idolum adoraverunt, quod fecerat eis Jeroboam, filius Nabath, deinde omnium gentium deos. « Dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus. » Protectores Israelitici populi appellantur Jeroboam et cæteri reges ejus, qui illos et erudire in via justitiæ, et ab hostibus defendere debuerant. Isti dilexerunt afferre ignominiam, hoc est, idololatriam, quorum actu infelix populus cultum suscepit idolorum, quique debuerant ductores existere eis in viam salutis, facti sunt duces erroris et æternæ perditionis.

« Ligavit eum spiritus in alis suis. » Spiritus et ventus uno verbo apud Hebræos exprimuntur, quod est *Ruach*. Spiritus autem hic dæmones significat, qui ligaverunt eos, haud dubium quin et reges et populum sibi subjectum ligaverint in alis suis, hoc est in umbrationibus eorum, ut mentis paterentur cæcitatem, ne quo vellent libere possent incedere. Ligavit

nempe illum ipse spiritus, quando sibi conjunxit, et ita univit, ut nondum jam coleret, sed illum jam in simulacris adoraret. « Et confundentur a sacrificiis suis. » Hoc est, cum fuerint comprehensi ab hostibus, confundentur et erubescent, cognoscentes sibi hanc pœnam illatam propter sacrificia, quæ idolis prius immolabant. Altiori sensu, hoc et ad hæreticos referendum, qui participes fuerunt idolorum, quando sua varia dogmata colunt. Ideoque hortatur virum ecclesiasticum propheta, ut dimittat et contemnat eorum vesaniam, omnemque illorum spernat societatem, quia sacrificium ipsorum a sacrificio fidelium est divisum, dum non recte celebrant mysteria corporis et sanguinis Domini, atque idcirco fornicantur varios sequendo errores, et immunditiæ carnis serviendo. Diliguntque afferre ignominiam, hoc est, vanas et superfluas traditiones auditoribus suis gaudent præbere : quos spiritus, id est, diabolus, ligat, ne stabili pede in Ecclesia permaneant, sed « hac et illac omni vento doctrinæ circumferantur. » Qui vere in suis sacrificiis confunduntur, quia panis eorum, hoc est remuneratio, perpetuus erit luctus.

CAPUT V.

« Audite hoc sacerdotes, et attendite, domus Israel, et domus regis auscultate : quia judicium vobis est, quoniam laqueus facti estis speculatione et rete expansum super Thabor. » Sacerdotes decem tribuum alloquitur, et vocat reges eorum ad judicium, non quod sint sacerdotes de tribu Levi, sed quoniam sacerdotes vocentur a populo. Sed et Israel, id est populus, vocatur ad judicium, nullusque excipitur, ut et sacerdotes, et populus, ac reges, qui seduxerant populum et constituerant illi tales sacerdotes, simul audiant quid facerent, et cur inimicis traduntur. Audite hoc omnes et auscultate, id est, corporis aure percipite, et mentis intellectu retinete, quia vobis judicium est, id est, damnatio imminet merito vestræ iniquitatis, quoniam laqueus facti estis captivitatis et interfectionis. Ego quidem posui vos speculatores et principes in populo, ut eum regeretis errantem. Vos autem facti estis laqueus, ideoque jam non speculatores et principes, sed venatores estis appellati. Et sicut super montem Thabor rete expanditur ut aves capiantur, ita vestra doctrina et exemplo cepistis populum, et ad mortem duxistis. Thabor autem mons est situs in campestribus Galilææ, rotundus atque sublimis, et ex omni parte æqualiter finitur. De quo in psalmo canitur : « Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt. »

« Et victimas declinastis in profundum. » Victimæ in profundum declinantur quæ dæmonibus offeruntur. Populus duarum tribuum victimas, quas Deo omnipotenti offerebat, superius (id est ad cœlos) ascendere faciebat : Israel vero, quoniam idolis sua immolabat sacrificia, descendere illa faciebat in profundum, hoc est in infernum. Moraliter victimæ Domini sunt laudes credentium, pœnitentia peccatorum, lacrymæ orationum, de quibus scriptum est : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus. » Sed sunt nonnulli qui, post lacrymas et pœnitentiam peccatorum, ad jam perpetrata redeunt peccata. Hi, nimirum pœnitentiam quam de pristinis peccatis exercuerant, in profundum declinant, quia pejores efficiuntur. De qualibus scriptum est, « Canis reversus ad vomitum suum. » Juxta mysticos quoque sensus, sacerdotes et principes hæretici intelliguntur, populi autem discipuli et subjecti eorum. Increpantur et principes, et ad judicium deducuntur damnationis : quia qui debuerant esse doctores populorum, ceperunt per pravam doctrinam, induxeruntque eos in errorem. Iidem quoque hæretici expandunt rete super Thabor, qui interpretatur *veniens lumen*, quando suas in Ecclesia tendunt insidias, per quæ dogmata perversa aves (id est animas ad cœlestia volantes) capiunt. Victimas enim declinant in profundum, qui suadent hominibus immolare dæmonibus, dum eos affectando errores suos pertrahunt, ut non resipiscant aliquando a malis, et se erigant ad cœlestia contuenda. « Et ego eruditor omnium eorum. » Ne desperarent populi et magistri eorum, hoc est principes et sacerdotes, redire se posse ad veniam, misericorditer se Dominus eruditorem omnium eorum fore pronuntiat, dicens : « Et ego eruditor omnium eorum. » Ac si diceret : Si pœnitentiam agere voluerint, et diis quos hactenus coluerunt servire cessaverint, ne desperent : quia ego eruditor eorum docebo illos quid agere debeant, qui emendare, non punire cupio : et salvare, non perdere quæro.

« Ego Ephraim scio, et Israel non est absconditus a me. » Nomine Ephraim, comprehendit Jeroboam, filium Nabath, et omnes ex eadem tribu reges. Ego etiam condidi populos regibus subjectos Quia ergo mea sunt creatura, et omnia eorum intueor opera, non desperent, sed pœnitentiam agant, et suscipiam eos. « Quia fornicatus est nunc Ephraim. » Hoc est, reges eorum in præsenti tempore a Dei cultu recedentes, fornicari cœperunt vitulos aureos adorando « Et Israel contaminatus est. » Quia fornicante rege, populus est secutus, paremque impietatem pari studio compleverunt, ubi a superioribus jungendum, et hoc ego scio.

« Non dabunt cogitationes suas ut convertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum et Deum non cognoverunt. » Licet eruditorem eorum se Dominus misericorditer superius dixerit, tamen intentionem cordis illorum cognoscens, subjungit : Non dabunt cogitationes suas ut convertantur ad Deum suum, ut scilicet pœnitentiam agant de malis cogitationibus, ne perficiant opus malum quod cogitaverunt. Et reddit causam, inquiens : Spiritus fornicationum (id est, diabolus) in medio eorum. Et Deum non cognoverunt, id est, non intellexerunt ut eum colerent et digna veneratione adorarent. Quia ergo diabolus in eorum cordibus habitabat, ipse eos excæcaverat, ne ad verum lumen possent redire, ut

Deum cognoscerent, id est, intelligerent eum solum esse colendum. Sic enim dicitur de filiis Heli : Porro filii Heli filii Belial non cognoscebant Dominum. Principes quoque dogmatum perversorum (id est hæreticos) et populum subjectum scit Deus, quia omnia eorum opera et ipsas cogitationes occultas considerat, nihilque est apud illos quod eum possit latere. Et quia per pravam eorum doctrinam subjecti quoque ipsorum contaminati sunt, non dabunt suas cogitationes ut pœnitentiam agant, et ad Deum revertantur, quia spiritu fornicationis seducti sunt, qui in medio illorum versatur, ideoque Deum non cognoscunt.

« Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus. » Arrogantia, id est, superbia Israel fuit, qua tumens contra Deum, culturam ejus despexit, ut in creatoris injuriam idola veneratus est. Hæc arrogantia ejus respondebit in faciem ejus, quando merito iniquitatis propter idolorum culturam tradetur captivitati, ne habeatur impunitus, sed humilietur ab hostibus ejus contumacia. « Et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua, » hoc est, et populus subjectus et reges, qui eos ad idolorum culturam inclinaverunt, pariter corruent et infirmabuntur, ut qui fortes erant in scelere, infirmi cogantur redire ad Deum. « Ruet etiam Judas cum eis. » In his verbis ostenditur quod et tribus Juda jam tunc colebat idola, non enim hoc solum, inquit, eveniet Israel et Ephraim, id est, decem tribubus et regibus earum, ut ducantur in captivitatem, verum etiam Judas, id est, duæ tribus quæ regnabant in Hierusalem, sequentur captivorum vestigia, ut quorum imitati sunt scelera, patiantur et pœnam. Sed et hæreticis sua arrogantia in faciem respondet, quando pro superbia qua semper se scire altiora jactant, et magistri et discipuli simul corruent. Judas quoque, id est vir ecclesiastica doctrina institutus, qui corpore quidem, non mente, in Ecclesia manet, et eamdem cum hæreticis habet in errore scientiam, frustraque nomen ecclesiasticum confitetur, ipse quoque cum hæreticis puniendus est.

« In gregibus suis et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient. » Hoc tam de decem tribubus, quam et duabus accipi potest. Et sensus est : Cum pressi fuerint ab hostibus Israel et Ephraim et Judas, tunc sera pœnitentia ducti vadent ad quærendum Dominum in suis muneribus gestientes, cum oblationibus placare, quem prius offenderant prævaricationibus. Sed non invenient eum, quia, recedentibus illis a cultu divino, ipse quoque ab eis recessit. Unde et subditur, « ablatus est ab eis. » Non ergo præsentem eum sentient adjutorem, nec suis eum poterunt placare muneribus, præsertim cum Psalmista dicat : Non suscipiam de domo tua vitulos ; et : Nunquid manducabo carnes taurorum, etc.

« In Domino prævaricati sunt, » tunc scilicet, quando pro Deo idola venerati sunt, « quia filios alienos genuerunt, » hoc est, juncti idolis, non Deo, sed dæmonibus filios genuerunt. Alieni quippe filii accipiuntur, qui in idolorum sunt errore generati, sive quos per ignem ducentes idolis consecrarunt. « Hunc devorabit eos mensis cum partibus suis. » Quia, inquit, hoc fecerunt, non multo post tempore, sed impræsentiarum advenientes hostes, Assyrii videlicet atque Chaldæi, et devorabunt eos cum suis partibus, hoc est, cum suis possessionibus, quas sorte et funiculo acceperunt. Unde et LXX transtulerunt : Devorabit eos rubigo cum hederis suis. Et est sensus : Per singulos menses hostis adveniet, et cuncta quæ ad eos pertinent vastabit, ipsosque partim interficiet, partim in captivitatem ducet. Quod qualiter factum sit, historia libri Regum et Paralipomenon demonstrat, quæ eumdem populum non semel, nec bis, sed pluribus vicibus captivatum refert. Sed hæretici suspicantur quod in multitudine sacrificiorum suorum placent Deum, et Judas (id est ecclesiastici) quod faciendo eleemosynas peccata sua redimant, in quibus permanent, cum omne sacrificium præterita, non præsentia scelera delere soleat. Et utique tales Deum non inveniunt, quia auferetur et procul recedet ab eis. Prævaricantur autem, quando Dei negligunt præcepta, et alienos generant filios per opera diabolica. Ideoque quotidie et singulatim damnantur cum suis partibus, hoc est, cum malis quæ egerunt operibus ad interitum properant æternæ damnationis.

« Plangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, ululate in Bethaven. » Buccina ex cornu animantis recurvo fit, tuba autem ex ære vel argento in lege fieri præcipitur, concrepatque in bellis et in solemnitatibus. Gabaa et Rama civitates sunt in tribu Benjamin sibi vicinæ. Hæc est Gabaa, in qua natus est Saul. Rama autem ipsa est, quam rex Israel conatus est occupare, sicut in Regum legitur, ut clauderet exitum et introitum tribui Judæ et Benjamin. Porro Bethaven in tribu est Ephraim, quæ ante vocata est Bethel. Quia ergo præmiserat superius decem tribuum et duarum captivitatem, dicens : « Nunc devorabit eos mensis cum partibus suis, » hortatur eos quasi jam instante vicina captivitate, ut resonent buccinis et tubis, cohortantes se invicem in communem luctum. Et est sensus : Nolite vestram captivitatem humili voce deflere, sed buccinis concrepate et tubis, ut omnes audiant qui in circuitu sunt. Cui sensui bene congruit, quod Gabaa, collis, Rama excelsa interpretatur. Dicitur ergo eis : « Plangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, » id est ascendite in montes et colles, celsaque voce deflete imminentem vobis captivitatem. « Ululate etiam in Bethaven, » ubi est unus ex vitulis aureis, pro quorum veneratione modo captivi tradentur habitatores ejus. Et pulchre additur, « post tergum tuum Benjamin. » Ubi enim tribus finitur Benjamin, non procul est hæc civitas condita in tribu Ephraim, in posteriore scilicet parte ipsius Benjamin.

« Ephraim in desolationem erit in die correctionis. » In hoc loco Ephraim nomine tam reges de stirpe ejus procedentes, quam et ipse decem tribuum

populus designatur. Diem correptionis appellat tempus quo traditi sunt hostibus propter peccata sua, ut qui noluerunt Deo servire in prosperitate, correptionem sustinerent hostium variis afflicti miseriis. Qua videlicet die facti sunt in desolationem et reges et subjecti illorum, quando quibusdam interfectis, cæteris autem in captivitatem abductis, terra eorum a suis cultoribus vacua remansit. « In tribubus Israel ostendi fidem. » Septuaginta : In tribubus Israel ostendi fidelia, et ponitur ibi præteritum tempus pro futuro, ostendi pro ostendam. Ac si diceret : Cum venerint ea, quæ prius locutus sum in prophetis, ostendam fidem, id est, fidelia verba mea manifestabo et vera, quia quidquid de eorum locutus sum perditione, complebitur opere. Sed et hæretici in Gabaa et in Rama, id est, in tumore superbæ scientiæ morantur, dum excelsam se putant habere sapientiam, ibique idola colunt, id est, falsa dogmata quæ de suo corde finxerunt, venerantur. Quapropter præcipitur eis ut non silentio malum suum tegant, sed publice cunctis manifestent. Et jubentur ululare in Bethaven, quæ domus inutilis sonat, hoc est, in suis cordibus quæ prius per rectam fidem erant Bethel, id est domus Dei, sed jam per diversos errores inutilia facta sunt, quibus bene congruit, quod Bethaven post tergum Benjamin fuisse memoratur. Benjamin quippe interpretatur dexter, et significat sanctos ad dexteram, id est, ad cœlestis regni prosperitatem venturos, qui propter gaudia æterna omnia præsentis vitæ commoda post dorsum habent, quia cuncta postponunt transeuntia, dicentes cum Apostolo : Unum est quod retro obliviscentes, et in anteriora nos extendentes, sequimur ad bravium supernæ vocationis. Hæretici vero post tergum Benjamin sunt, quia illa quæ in præsenti sunt vita, et sancti despectui habent, desiderabiliter appetunt, et delectabiliter sequuntur, totam spem suam in transitoriis rebus positam habentes, et qui prius videbantur esse Ephraim, id est ubertas, cum advenerit dies correptionis, id est judicii, erunt in desolationem, quando exspoliati bonis omnibus, quibus pollere videbantur, nudi et vacui igni tradentur inexstinguibili. Tunc etiam Dominus in damnatione illorum fidem ostendet, id est, verba sua fidelia et vera demonstrabit, cum hoc quod de illorum interitu ante prædixerat, opere complevit. Quod non solum ad hæreticos, sed ad omnes generaliter reprobos potest non inconvenienter referri.

« Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum. » Qui flere debuerant, et suum populum cohortari, ut recederent ab idolorum cultura, et ne ipsi similia sustinerent, cœperunt gaudere, quod pateret sibi terra eorum ad possidendum latius, et facti sunt quasi assumentes terminos Israelis, transeuntes fines suos et in regnis quondam eorum, regnum suum et possessionem dilatare cupientes. Quamobrem subditur : « Super eos effundam quasi aquam iram meam, » id est, super ipsos principes Juda venient Babylonii, et ita eos quasi aquæ impetus occupabunt, per quos perfectam super eos captivitatem et mortem abundanter inducam, quia non suis viribus, sed mea hoc facient indignatione. Verbum enim effusionis, largitatem et magnitudinem rei de qua agitur, significat. Dicit quoque ad principes Juda, hoc est Ecclesiæ, quod non debuerint exsultare, et reproborum perditionem suam æstimare salutem, sed potius plangere quod illi perierint, memores suæ conditionis. Unde et Apostolus admonet viros ecclesiasticos, ne super fractione Judaicorum glorientur ramorum, sed magis timeant ne et ipsi frangantur. Sed quia de interitu quidam gaudent reproborum, et idcirco stare se putant si alii corruant, effundit super eos Dominus quasi aquam iram suam, quia plerumque dum alii de aliorum lapsu lætantur, ipsi in eadem incidunt mala, pro quibus aliis insultabant, ac per hoc iram Dei incurrunt. Transferunt etiam Juda principes terminos, quos posuerunt patres eorum, quando immutant mendacio veritatem, et aliud prædicant quam ab apostolis acceperunt.

« Calumniam patiens Ephraim, fractus judicio. » Populus Israeliticus adhuc in duritia cordis perseverans dicebat se fractum judicio, et inique opprimi ab hostibus, dicens : Quoniam nos ex genere Abraham amici Dei descendimus, pejoribus vobis, hoc est, incircumcisis et idololatris, penitusque a Dei cultu alienis tradi non debuissemus. Calumniam quippe appellat afflictionem ab hostibus ei illatam, quam sustineret, fractum se dicebat judicio, hoc est, injuste et sine aliqua culpa fatebatur se damnatum. Quamobrem, ut non sine causa cognoscat se hoc sustinere, subditur, « quoniam cœpit abire post sordes. » Ac si diceret : Non idcirco traditi sunt Chaldæis, quod justiores fuerint, qui eos oppresserunt, sed quia Judæi, quondam populus meus, me deseruerunt, et cœperunt abire post sordes, hoc est, post idola. Unde sordibus et immunditiis comparantur, ideoque justam infert sententiam, ostendens eos idcirco calumniam sustinere, et tradi pejoribus, quia cœpit Ephraim (hoc est Hieroboam) abire post idola, et Deum derelinquere. Ipse enim aureos fabricavit vitulos, quos postea populus adoravit. Et de hæreticis manifestus est sensus, quod sophismatibus suis et arte dialectica oppresserint Ecclesiam. Sed cum hoc fecerunt, non munditiam veræ fidei, sed sordes sequuntur mendacii. Qui cum se damnatos viderint cum diabolo et angelis ejus, videntur sibi calumniam pati, et in se fractam esse judicii veritatem. Sed et de omnibus reprobis sciendum est.

« Et ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda. » Tinea comedit vestimentum, putredo autem vel caries ligna consumit, estque in his verbis sensus : Sicut tinea consumit vestimentum, et putredo vel caries lignum, quod utrumque per spatium fit temporis, ita ego et prius decem et postea duabus tribubus longo tempore pœnitentiam tribuens, eosque ad salutem provocans, damnationi illos tradam. Ubi notandum quod tinea refertur ad Ephraim, putredo autem ad domum Juda. Tine

quippe celerius consumit vestimentum, quam putredo vel caries lignum. Ac per hoc ostenditur prius factam decem tribuum captivitatem, deinde duarum: quoniam qui priores quoque dati sunt in captivitatem, advertendum etiam, quod cum totum Ephraim se tanquam tinea consumpturum protestatur, de tribu Juda loquens ait: « Et ego quasi putredo domui Juda. » In quibus verbis ostendit partem quamdam se servaturum ex eis, quæ postea reversa est, ex qua Christus originem duxit, cui repromissio reposita est, dicente Jacob: « Et ipse erit exspectatio gentium. » Punitis autem hæreticis, qui intelliguntur nomine Ephraim, etiam Judas, scilicet hi qui in Ecclesia permanent, et hæreticorum vel vitiis vel erroribus continentur, simili sententiæ subjacebunt, quia necesse erat, ut qui eorum imitantur actus, parem cum eis pœnam sustineant.

« Et vidit Ephraim languorem suum, et Judas vinculum suum, et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem. » Intelligens Ephraim (id est decem tribuum reges) suum languorem, id est suam infirmitatem, et Judas vinculum suum, hoc est, cognoscens sibi ideo imminere captivitatem, quia sociatus erat decem tribubus in peccato, misit ad Assur, quia non a Deo, qui et peccatum et captivitatem solvere poterat, sed a rege Assyriorum quæsivit auxilium. Legimus in libro Regum quod sub rege Manahem, qui decem tribubus præfuit, Israel Assyriis dona transmisisset, ut eum a Damascenis hostibus liberaret. Judas quoque sub rege Achaz misit munera Teglatphalassar, ut liberaret eum de oppressione Phaceæ regis Damasci. Sed licet eos tunc salvaverint de manu hostium, ipsi postea eos debellaverunt, et facti sunt ultores injuriarum Dei, qui prius fuerant liberatores. Unde hic subditur: « Et ipse non poterit sanare vos, nec solvere a vobis vinculum. » Quia videlicet Deo adversante, nec a seipsis liberare eos potuerunt Assyrii, nec vinculum captivitatis solvere. Juxta tropologiam Ephraim et Judam possumus referre ad hæreticos et ecclesiasticos viros, qui cum suum viderint vinculum, hoc est, cum se viderint peccatis obnoxios, de quibus scriptum est: Funibus peccatorum unusquisque constringitur, non Dei quærunt, sed diaboli auxilium, qui ultor est peccatorum omnium, de quo scriptum est: Ut destruas inimicum et ultorem. Et quia non verum auxiliatorem et judicem deprecantur, idcirco permanere coguntur in doloribus suis, et in variis delictorum erroribus, nec poterit eos diabolus sanare, nec a vinculis peccatorum eruere, cum justo judicio Dei una cum eo perierint.

« Quoniam ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda. » Sensus est: Licet perrexerint ad Assur, et miserint munera regi ultori ut eos liberaret, tamen sanare eos non potuerunt, nec solvere vinculum captivitatis eorum. Ostendam enim quod me adversante, vanum sit omne humanum auxilium. Ego enim quasi leæna Ephraim. Septuaginta pro leæna, pantheram interpretati sunt, quæ Græce

A similiter dicitur ut Latine. Qua bestia (ut dicit beatus Hieronymus) nihil est velocius, ideoque jure Dominus adversum Ephraim (id est, contra decem tribus) loquens, dicit se fieri ut panthera, propter velocem videlicet captivitatem, quoniam non longo post tempore per Assyrios factus est eorum interitus. Contra Judam autem veluti leonem futurum dicit, qui fortissimus bestiarum est; per quod ostenditur captivitas eorum aliquanto post tempore futura, per regnum Chaldæorum fortissimum: comparat enim se Dominus bestiis in eorum damnationem, ut quidquid sævius est, cognoscant in ejus indignatione. « Ego capiam et vadam et tollam, et non erit qui eruat. » Quia dixerat se superius futurum veluti

B pantheram vel leonem, servat metaphoram in reliquis, dicendo: « Ego capiam, » subaudis per meos ministros, neque in suis viribus ceperunt eos Chaldæi vel Assyrii, sed Deus omnipotens propter iniquitates eorum comprehendet illos. Unde nec ipsi etiam hostes parcere eis irato Domino potuerunt. Ego, inquit, capiam, id est, comprehendi ab hostibus faciam, et vadam cum eis, ut etiam in captivitate positi, præsentiam meæ vindictæ sustineant cui peccaverunt, et tollam eos de proprio solo, et non est qui eruat, hoc est, qui a mea potestate eripiat. Nemo enim de manu Dei quemquam eripere valet nisi ipse qui tenetur propria voluntate excidere voluerit, sicut fecit Judas proditor.

« Vadens revertar ad locum meum, donec defi-

C ciatis et quæratis faciem meam. » Locum Dei, magnificentiam et majestatem ejus debemus accipere, sive ut hæc verba specialiter ad Filium Dei referamus, per quem omnis dispensatio prophetiæ agitur, locus ejus est Deus Pater, juxta quod ipse ait: « Ego in Patre, et Pater in me est. » « Vadens inquit, revertar ad locum meum, » hoc est, cum traditi fueritis hostibus, securus residebo in mea majestate, vel etiam in Patre, nec descendam ad vos, ut patiar humanos affectus, quo scilicet irascar vobis aut etiam miserear oblitus malorum vestrorum; sed permittam vos quos antea protegebam hostibus subjacere, nullumque auxilium miserationis porrigam, donec deficiatis, et servitute cogente quæratis faciem meam, pœnitentiam agentes. Hæreticis etiam

D et viris ecclesiasticis peccantibus Deus omnipotens propter magnitudinem peccatorum suorum, cum sit clementissimus, vertitur in sævitiam ferarum, tollitque ab eis prædam, hoc est, discipulos illorum, quos de Ecclesia rapuerunt, ad rectam fidem redire facit, nec est qui eruat, quia cujus cor ipse illuminaverit, nemo decipere poterit, dumque hæc agit, a conciliabulis perversorum abscedit, et in Ecclesia commoratur credentium, eosque despicit et aspernatur, donec tabescant in suis impietatibus, et deficiant in iniquitate sua quærentes præsentiam illius a quo fuerant derelicti, dicentes: « Illumina, Domine, faciem tuam, et salvi erimus. »

CAPUT VI.

« In tribulatione sua mane consurgent ad me. »

Hæc verba ex parte ad eos referri possunt qui, pressi tribulatione captivitatis, cœperunt pœnitentiam agere et requirere Deum, quem absentem sentiebant iratum. Et in mane, hoc est, in luce pœnitentiæ, dicentes ad invicem : « Venite, revertamur ad Dominum. » Generaliter hæc verba aptantur omnibus Christianis credentibus in Christum, qui afflicti variis tribulationibus, orto eis lumine veritatis, in adventu Christi mane, hoc est, in luce fidei consurgentes de tenebris infidelitatis et erroris, cœperunt se invicem hortari, dicentes : « Venite, revertamur ad Dominum. » Illi quippe, qui ex duabus tribubus de captivitate sunt reversi, non contenti propria salute, hortantes se invicem, dicunt : Venite gressibus amoris et fidei, revertamur ad Dominum, quem peccando deseruimus, et a quo justo judicio relicti sumus.

« Quia ipse cepit, » per Nabuchodonosor ducendo in captivitatem ; unde supra dictum est : « Ego capiam : » « et sanabit nos, » a captivitate revocando, ut pater filios ; « percutiet, » nos flagellando variis tribulationibus atque verberibus, « et curabit nos, » a vulneribus peccatorum, si post flagella dignam egerimus pœnitentiam. Quod autem subditur :

« Vivificabit nos post duos dies, » proprie ad credentes referendum est, qui vocati et fide Christi illuminati, mutuo se provocant, ut ad Dominum revertantur, a cujus cultu olim recesserant, et varia dæmonum portenta colendo absentiam illius meruerant. Quia (inquit) ipse cepit nos, quando Verbum caro factum est. Hinc Paulus: Semen (inquit) Abrahæ apprehendit. Et sanabit nos, quia cœlestis medicus post dolorem vulnerum et peccatorum, plenam nobis salutem dabit. Hinc Dominus paralyticum sanaturus prius in anima purgat, deinde in corpore ab infirmitatis molestia relevat. Percutiet nos, subaudis vario modo, et post percussionem curabit nos, juxta illud : « Quem diligit Dominus corripit. » Unde et ipse cuidam sanato ait : « Ecce sanus factus es, » etc. « Vivificabit nos post duos dies. » Frustra Hebræi (dicit beatus Hieronymus) somniant sibi post circulum mille annorum salutem, cum salus credentium tertia die promissa sit, quia Dominus ab inferis resurrexit. Illi quippe diem secundum referunt adventus sui Christi : diem vero sui tertium, adventus ad judicium, quo salvandi sunt. Sed cum hæc dicunt, debent respondere, quare primum accipiant. Qui enim secundum tertiumque accipiunt, primum se perdidisse testantur quia secundus et tertius sine primo esse non possunt. Cumque de primo respondere non poterunt, nos hæc omnia referamus ad primum et secundum Christi adventum, quibus impleta est salus credentium. Primum itaque Dei tempus diem accipiamus secundum adventum Christi. Post quem diem vivificabit nos per fidem, qui eramus mortui per infidelitatem : vel certe vivificavit nos in spe resurrectionis, juxta illud Apostoli : Convivificavit nos, et consedere fecit in cœlestibus in Christo. » In die tertia suscitabit nos, » quia ipso resurgente a mortuis, nos pariter in illo surreximus, quorum resuscitationem sua resurrectione significavit, quoniam sicut ille resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos resurgemus cum illo. Vel primum diem accipiamus, adventum Christi in humilitate, secundum in gloria, qua videbitur ab omnibus : tertium, quando transacto judicio, electis ampliorem gloriam suæ demonstrabit claritatis : generalem enim omnium sanctorum vivificationem et resurrectionem ordinavit Deus Pater fieri per Filium : vel nobis prima dies est, quando renascimur per aquam baptismatis, et gratiam Spiritus sancti, a tenebris ad lumen venimus, secundum illud Apostoli : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » Secunda in requie animarum, tertia in resurrectione generali. « Et vivemus in conspectu ejus, » quando (ut Joannes dicit) « videbimus eum sicuti est. » Vel si ad præsens tempus hoc referre volumus, in conspectu ejus vivimus, quia in ipso movemur et sumus. « Sciemus sequemurque ut cognoscamus Dominum. » Sciemus enim, id est, majestatem deitatis illius cognoscemus credentes, perspicientesque ejus Trinitatem in personis, et unitatem in majestate. Sequemur illum ejus vestigia imitando, vel ad cœlos ascendendo. Unde subditur : « Ut cognoscamus Dominum. » Quod veraciter tunc implebitur, quando quod nunc videmus per speculum et in ænigmate, contemplabimur facie ad faciem. Unde est : Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum et, quem misisti, Jesum Christum. « Quasi diluculum præparatus est egressus ejus. » Diluculum dicitur parva diei lux, qua oriente tenebræ noctis fugantur, et claritas diei apparere incipit. Est ergo sensus : Sicut diluculo surgente tenebræ noctis fugantur, et lux diei aperitur, ita Christo in carne nascente tenebræ peccatorum nostrorum dissipatæ sunt, et ortus est nobis sol justitiæ, qui nostram illuminans cæcitatem, oculos mentis nostræ aperuit, et claritatem cœlestis patriæ, lumenque veræ scientiæ manifestavit. Et pulchre eadem nativitas egressus ejus appellatur, de qua Psalmista ait : « Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. » Tanquam sponsus quippe de thalamo processit, quando de incorrupto virginis utero immaculatum corpus assumpsit, et in carne natus apparuit. De cujus ortu recte adhuc subditur. Et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ. » Quantum ad litteram, temporaneum imbrem vocat pluviam, quæ jactis seminibus a Deo datur terræ Palæstinorum, qua infusa coalescunt semina ; serotinam autem, quæ ad maturitatem eosdem perducit fructus. Siquidem terra promissionis non ita frequenter, veluti nostra, de cœlo accipit pluviam, sed bis tantum in anno. Unde Dominus pollicetur per prophetam eidem populo dicens : Dabo vobis pluviam temporaneam et serotinam. Spiritualiter autem Christus nobis est imber temporaneus, quando fidei illius fundamenta percipimus, qua radicati bonis operibus abundemus. Serotinus vero, quando paratis jam ad metendum

frugibus, id est, completis bonis operibus abundemus, in horrea Dominica recondemur. Vel nunc nobis imber est temporaneus, dum ex parte cognoscimus. Erit et serotinus, quando venerit quod perfectum est. Ergo Judæi qui non receperunt temporaneas, et absque pluviis messuere, fructus semen in ultimo tempore non recipient.

« Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda? » Ac si diceret : Quomodo te sine dolore cordis tradere potero hostibus, aut quod medicamen tibi imponam, ut te sanitati restituam? « Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens, » id est, sicut veniente sole, nubes quæ tetram noctem reddiderat pertransit, et veluti mane consurgens ros orto sole siccatur, ita illa misericordia, qua vobis misereri consueveram, pertransiit, etiam vobis tempus captivitatis imminet, cito per Assyrios et Babylonios venturum.

« Propter hoc dolavi in prophetis. » Ne dicerent Judæi excusationem quærentes: A pseudoprophetis decepti sumus, pacem nobis promittentibus, ideoque peccavimus, testatur se Dominus prius prophetas interfecisse, ut ipsi eos occisos a Domino intelligentes, et qui fuerant ei causa erroris, interempti verterentur in occasionem salutis. Hinc legimus in libris Regum quadringentos quinquaginta prophetas interfectos, et aliam innumerabilem multitudinem ab Hieu, qui subvertit domum Achab. Unde et subditur, « et occidi eos in verbo oris mei. » Os quippe Domini erat Elias, qui eos occidi jussit. Aliter : Propter hoc scilicet, quia inique agentibus misericordia recessit ab eis ; dolavi, id est dolandos esse prædixi per prophetas, sicut fuit Isaias, Jeremias, et cæteri ; ac verbis meis terribilibus comminatus sum eis, ut qui clementem contemnebant timerent offensum. » Et occidi eos in verbo oris mei, » ut ante peccatores verborum terrore punirentur, quam captivitas immineret. Hæc vero omnia ut judicia mea, quibus te judicaturus sum, quasi lux egredientur, id est, manifesta fient. Quia enim sæpe vos redarguo, et impœnitentes existitis, in aperta luce multisque nationibus videntibus damnabimini. Vel certe mea judicia quasi lux egredientur, quia nullus dubitabit vos juste, quæ patimini, fuisse perpessos. Possunt hæc eadem verba ad hæreticos sive ad viros Juda referri, quod Dominus provocat ad misericordiam, et reverti cupit ad salutem. Illis autem impœnitentibus nubes vel ros, id est, prosperitas istius sæculi auferetur ab eis, sicut accidit illi diviti purpurato, qui omne quo fruitus est, ut instar nubis vel roris transire cognovit, semperque hæreticorum prophetas Dominus interficit, dum æterna eis supplicia comminatur. Quorum judicia manifesta fient, cum videntibus omnibus cum diabolo et angelis ejus damnabuntur.

« Quia misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocaustum. » Judæi vario modo peccantes, putabant se purgari per sacrificiorum oblationes ; sed Dominus ostendit se potius velle misericordiam, ut primum misererentur sibi, juxta illud : Fili, miserere animæ tuæ placens Deo, deinde pauperibus, et scientiam rectæ fidei cum sui cognitione, quam holocausta, quia sine fide et misericordia impossibile est placere Deo.

« Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum meum. » Ac si diceret : Ideo non poterunt purgari per sacrificia, sicut æstimant, quia sicut Adam gustando pomum ligni vetiti, contempsit Dei præceptum, ita isti transgrediendo legem divinam, faciunt contra Dei præceptum, quo dixit eis : Non faciatis vobis deos alienos : et sicut ille perdidit paradisum, ita et isti perdent terram, quam acceperant in hæreditatem. « Ubi » hoc est, in Adam, sive etiam in paradiso, « prævaricati sunt in me, » juxta quod Apostolus ait : In quo omnes peccaverunt. Quotidie etiam et eos qui intra Ecclesiam sunt, et peccant, et qui extra Ecclesiam commorantur, ad pœnitentiam Dominus vocat, et ad misericordiam rectæque fidei scientiam, dicens : « Misericordiam volo, » etc. Videntur enim tales offerre Deo munera, et sectari humilitatem, et facere eleemosynam, quæ sacrificia vocarentur, si cum rectitudine fidei et bona voluntate procederent. Sed cum et hi misericordiam, et hi rectam abjiciunt Dei scientiam, frustra se truncato capite fidei cætera membra habere jactant. Prævaricati enim sunt pactum Dei in Ecclesia, sicut Adam in paradiso : ideoque quomodo ille a paradiso, ita isti projicientur ab Ecclesia.

« Galaad civitas operantium idolum. » Galaad nomen est civitatis vel montis, sed hic pro civitate ponitur ; est autem sita trans Jordanem in tribu Gad. In hac urbe idolum primitus est consecratum, quia habitabatur a sacerdotibus. Erat enim et civitas fugitivorum, sed quanto celebrior et majoris erat auctoritatis, quia in partem sacerdotum fuerat delegata, tanto principium idololatriæ et malorum omnium fuit : et quia isti idola primum consecrarunt, primi ab Assyriis capti, et in captivitatem sunt ducti. « Supplantata sanguine. » Legimus in libro Regum quod Hieu unctus in regem in Ramoth Galaad deleverit, secundum Domini præceptum, omnem domum Achab, id est septuaginta ejus filios, cæterosque illi consentientes in malum. Quapropter ipsa civitas supplantata (id est humiliata) sanguine dicitur, vel etiam, quia vindicta sanguinis quem fundebat, sicut in sequentibus videbimus, super eum venit.

« Et quasi fauces virorum latronum. » Fauces virorum latronum sunt cavernæ, cæteraque loca abdita, in quibus absconsi prætereuntes exspoliant et interficiunt. Hujusmodi habitacula erant in eadem regione. Idcirco dicitur quod sit Galaad quasi fauces latronum, quia sicut illi latentes denudabant et interficiebant homines, ita sacerdotes Galaad insidiantes simplicitati populi, exspoliabant eos fide, et interficiebant mente. Quos autem decipere non poterant, vestibus privabant, et corpore necabant. Et hoc est quod subditur, « particeps

sacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem. » Sichem civitas est in confinio decem tribuum et duarum, quæ hodie Neapolis appellatur, unde transitus erat Israelitis in Hierusalem, ubi solummodo licebat victimas immolari. Tribus ergo temporibus, quibus secundum legis præceptum populus ad Dei templum ascendere debebat, sacerdotes idolorum ponebant in itinere latrones, qui insidiarentur pergentibus, ut magis vitulos aureos in Dan et in Bethel quam Dominum adorarent in Hierusalem; et quos revocare non poterant, in eadem via interficiebant. Quorum sacerdotum particeps erat Galaad, quia sacerdotes illius conjurationem et consensum fecerunt cum supradictis, similiterque per suos ministros interficiebant pergentes in Hierusalem. Unde sequitur, « quia scelus operati sunt, » subaudis in interfectione scilicet illorum, sive in idololatria. Sed et nunc pravi doctores in via, hoc est, in itinere præsentis vitæ pergentibus in Hierusalem cœlestem, tendunt insidias, necantque quos possunt in Sichem, id est, in bonis operibus, revocando ad nequitiam suæ actionis prava doctrina vel malo exemplo. Nam Sichem interpretatur humerus. In humero autem opus intelligitur. Unde et de Issachar legimus, quod supposuerit humerum suum ad operandum.

« In domo Israel vidi horrendum. » Horror aliquando ponitur pro timore, juxta quod scriptum est: Horrendum est incidere in manus Dei viventis; aliquando pro squalore et re sordida; unde est: Non horruisti virginis uterum, hoc est, sordidum non deputasti. Horrendum itaque hoc in loco pro timore ponitur idololatriæ. Expavit enim propheta videns idolum, quod fecerant Israelitæ relicto Deo, ideoque ait: In domo Israel, id est, in congregatione decem tribuum vidi idololatriam. Quod enim horribilius quam decem tribus ad idolorum cultum repente transgressas? « Ibi fornicationes Ephraim, contaminatus est Israel. » Dictum est superius quod nomine Ephraim Hieroboam intelligatur, primus scilicet rex decem tribuum, Israelis autem, omne regnum illius. Dicitur itaque ibi, hoc est, in domo Israel qua horrendum apparuit, fornicationes sunt Ephraim, id est, Hieroboam de tribu Ephraim, qui Deum relinquens idola venerari cœpit. Fornicatur quippe homo, quando Creatorem (qui est vir animæ) deserens, adultero (id est diabolo) copulatur. Et fornicante Jeroboam, contaminatus est Israel, populus videlicet illi subjectus, quia magna ex parte commune nomen Israelis obtinuit. Unde et ad Judam sermo convertitur, cum protinus subditur:

« Sed et Juda, pone messem tibi. » Et est sensus: Non te putes esse securum, quod Israel captivus abducitur, tu quoque præpara tibi segetes ut metantur, id est, genera filios qui succidantur a Nabuchodonosor et exercitu ejus. Non multo enim post tempore duceris captivus in Babylonem, et messionis tuæ (hoc est interfectionis) tempus adveniet. « Cum convertero captivitatem populi mei, »

A subaudis, videbis. Impletum est hoc sub Cyro rege Persarum, quando per manum Zorobabel et Jesu atque Nehemia, reversi sunt Judæi in terram suam, videntibus multis, quorum tempore eadem facta fuerat captivitas, qui videntes illorum reversionem qui nati fuerant in Chaldæa, pariter cum ipsis reversi sunt. Nota autem quod Judæ captivitas et regressio pariter prophetetur; de Israel autem nihil dicitur, quia videlicet istis post septuaginta annos revertentibus, illi perpetuo mansere captivi. In domo quoque hæreticorum horrendum apparet, quando dogmata prava sectando, male de Christo sentiunt, quorum etiam fornicationis errore populus ab eis seductus sordidatur. Judæ quoque, hoc est, viris ecclesiasticis præcipitur, ut præparent messem B sectionis, metendi propter peccata sua in die judicii, ab eo qui in Apocalypsi Joannis habere falcem acutam in manu sua dicitur. Hoc tamen non optantis voto dicitur, sed prædicentis. Nam et isti si pœnitentiam egerint, suam conversionem a malo ad bonum videbunt.

CAPUT VII.

« Cum sanare vellem Israel. » Subaudis, ab idololatria, quam exercuerant in Ægypto vel in deserto, quando conflaverunt caput vituli, dicentes: Isti sunt dii tui, quia malui pœnitentiam peccatoris quam mortem. « Revelata est iniquitas Ephraim, » id est, idololatria Jeroboam, qui repente super populum Israeliticum rex constitutus, vitulos aureos fecit; « et malitia Samariæ, » id est, subjecti populi re- C velata est sequentis regem impium. « Quia operati sunt » et rex et populus « mendacium, » hoc est, idolum. Sicut enim contrarium est mendacium veritati, ita idolum Deo. Vel certe in hoc mendacium fecisse dicuntur, quia falso loquebantur, dum prostrati diis dicebant: Isti sunt dii tui, gloriam Dei transferentes ad simulacra. « Et fur ingressus est spolians, latrunculus foris. » Hoc inter furem et latronem distat quod fur noctem quærit, et latenter inique operatur, latro autem aperte vim infert. Furem autem in hoc loco vel latronem, debemus intelligere Jeroboam, qui instar furis ingressus ad domum Israel, furatus est eos Deo, et quasi latrunculus infelicem populum exspoliavit Dei pro- D tectione, et est sensus: Cum vellem vetera peccata populi mei delere propter antiquam idololatriam, Ephraim et Samaria nova idola repererunt. Sed et hoc dici potest, quod Domino Salvatore volente peccata Ecclesiæ tam Judæorum quam gentium sanare, subito surrexit Ephraim, hoc est ubertas falsorum dogmatum, cui multi faventes operati sunt mendacium contra Christum, et per eos ingressus est fur et latro, hoc est diabolus in Ecclesiam. Sive furem et latronem ipsos intelligamus hæreticos, de quibus Dominus dicit: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, vel ascendit aliunde, ille fur est et latro, etc. Omnes quotquot venerunt ante me, fures sunt et latrones. Unde significanter ait, quod latrunculus foris exspoliet. Non enim possunt illos privare Christi

veste, quos docuerint, nisi de Ecclesia foris eos eduxerint, et in via doctrinarum suarum ambulare fecerint.

« Et ne forte dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum, nunc circumdederunt eos adinventiones suæ. » Ne forte (inquit) dicant in cordibus suis, pro veteribus peccatis nos punit, et patrum delicta resolvimus, juxta illud : « Patres nostri comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt. » Nunc, id est in præsenti, « circumdederunt eos adinventiones suæ, » hoc est, non pro dilectis patrum eos, sicut illi æstimant, vel veteres iniquitates, sed pro præsentibus puniam. Putabant enim illi latere Deo suam iniquitatem, cum procul dubio Deus omnia videat. Unde et subditur : « Contra faciem meam factæ sunt, » id est, ego semper mala illorum intueor, quæ me præsente faciunt, non veriti faciem meam. Sed et mali quique non tantum propter peccata præterita damnantur, sed quia antiquis operibus novam quotidie addunt impietatem, et cum Dominum celare se putant, vitare ejus oculos non valent, quia scriptum est : « Vultus autem Domini super facientes mala. »

« In malitia sua lætificaverunt regem, » præbentes consensum regi Jeroboam, ut adorarent idola secundum ejus voluntatem, « et in mendaciis suis » quibus dicebant : Isti sunt dii tui. « Principes » subauditur, lætificaverunt : quia ipsi principes consentiebant regi. Attendendum autem, quia nunc exponit quod fecerunt coram facie ejus. Omnis quoque qui perverso operi deservit, vel male de Christo sentit, sicut Arius et cæteri, regem (hoc est, diabolum) lætificat, et in mendaciis pravorum dogmatum principes, hoc est, satellites diaboli, qui principes diaboli tenebrarum vocantur. Valde enim in peccatis nostris gaudent contrariæ fortitudines.

« Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente. » Et hoc contra eos loquitur, qui in malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis suis principes. Omnes (inquit) adulterantes, id est, a proprio viro Deo recedentes, quasi clibanus a coquente, quia sicut clibanus succenditur ut coquat panes, ita illi succensi sunt malitia Jeroboam, et igne idololatriæ. « Quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum. » Fabricatis quippe idolis, non vim fecit Jeroboam populo ut ea coleret, ne forte quibusdam causa Dei et religionis resistentibus, cultura illorum evacuaretur, ideoque paululum quievit civitas, donec propria voluntate populus regi consentiret, ut primum principes, deinde satellites illorum regi et principibus faventes, ad ultimum omnis populus corrumperetur. Et hoc est quod dicit : Donec fermentaretur totum. Quæ enim sponte fiunt, diu permanent : quæ autem necessitate, cito solvuntur. Hoc considerans Jeroboam, maluit populum sponte subire novam idolorum culturam, quam coactum. Fermentum autem et in bonam partem ponitur et in malam. In bonam, ut Dominus in Evangelio dicit, quod mulier accepto fermento abscondit in farinæ satis tribus. Hic autem in malo ponitur, pro corruptione, scilicet populi, per idolorum venerationem. Hæretici quoque pravam intentionem tandiu celant, veris falsa velantes, quousque subjecti libenter eorum obtemperent voluntati, et donec corda deceptorum intumescant fermento pravæ doctrinæ illorum de quo Dominus dicit : « Cavete a fermento Pharisæorum. »

« Dies regis nostri. » Succensa tota populi massa veneratione vitulorum, cœperunt dicere ad fores Jeroboam regis : Dies regis nostri, subauditur iste est, et quem nobis festivum noster constituit imperator, hunc celebramus, in hoc gaudemus, in hoc vitulos aureos adoramus. « Cœperunt principes furere a vino. » Clamante populo : Iste est dies quem nobis rex noster sacrum instituit, principes non solum non sunt irati, qui debuerant esse rectores populi, sed insuper intelligentiam suæ mentis amittentes, cœperunt furere a vino, hoc est, amentiam pati luxuriæ et idololatriæ. » Extendit manum suam cum illusoribus, quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis. » Cum cerneret rex clamare populum quod prædiximus, et principes etiam temulentos et vino idololatriæ demersos, extendit manum suam cum illusoribus, hoc est, principibus qui illudebant pessime populo, et a Deo suo longe abducebant benedicendo, et gratias agendo, vel erroribus eorum consentiendo, quia videlicet applicuerant cor suum quasi clibanum, ut eos succenderet, et idololatriæ flammis ardere faceret. Idcirco enim applaudendo gratias egit populo una cum principibus, quia intellexit toto nisu mentis ad errorum eos fuisse conversos. Et hoc cum insidiaretur eis, ne ascenderent ad templum Domini, sed vitulos quos ipse fecerat colerent. Dolose quippe eosdem fabricatus fuerat vitulos, ne forte populus Israel pergens ad Dei templum Hierosolymis, sumpta occasione reconciliaretur regi Judæ. « Tota nocte dormivit coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flammæ. » Postquam ignem malitiæ misit in eorum cordibus, et vidit eos furere, nullumque esse qui suæ resisteret voluntati, tota nocte dormivit, hoc est, securus jacuit, versatus in tenebris, coquens eos igne impietatis, mane autem ipse succensus flammis suorum scelerum, venit ad immolandum.

« Omnes calefacti sunt quasi clibanus, » quia cum jam non per insidias, sed impudenter a Dei cultu ad cæremonias idolorum transirent, omnes succensi sunt malitia iniquitatis suæ. « Et devoraverunt judices suos, » id est, eos qui noluerunt eis consentire, sed insuper redarguebant, et interfecerunt. Vel certe eos, qui ante judices illorum exstiterant, spiritualiter interemerunt trahendo ad suam malitiam. Cum enim illi religiones Domini recordarentur, videntes regem et principes omnemque populum idololatriæ deditos, cœperunt dicere ; Quid faciemus ? Ecce rex et principes ejus, omnisque populus deos colit. Jam quia in medio illorum versamur, non

possumus similia non facĕre, ne forte exspoliati omnibus rebus, etiam vitam amittamus. Dumque hæc dicerent, etiam ipsi ad scelus idololatriæ devoluti sunt. « Omnes reges eorum ceciderunt. » Ab isto scilicet Jeroboam usque ad ultimum Josiam, omnes reges Israelitarum ceciderunt in idololatriam vel perditionem æternam, et ambulaverunt in viis Hieroboam, filii Nabath, qui peccare fecit Israel. « Non est in eis qui clamet ad me, » id est, nemo in regibus aut in subjecto populo reperitur qui clamet ad me, et relictis idolis ad Deum convertatur. Hæc omnia beatus Hieronymus ad hæreticos eorumque refert discipulos, qui malitia diaboli (qui est rex super omnes iniquos) debriati, dies regis (hoc est, cujusque præpositorum suorum, verbi gratia, Marcionis, Arii, atque Eunomii, cæterorumque) celebrant festivos, Ecclesiam relinquentes, et veritatem fidei conculcantes. Unde et hi qui cæteris præsunt, applaudunt illis, eo quod videant corda illorum nequitia referta, et vino iniquitatis infusa; de quo Salomon dicit: Principes vinum non bibant, nequando obliviscantur sapientiæ. Insaniunt etiam ex vino. De quo Moyses: « Furor (inquit) draconum vinum eorum, » etc. Quod autem dicitur Jeroboam tota nocte dormisse, ostenditur per hoc, quia hæretici dum in tenebris infidelitatis morantur, lucem veri solis non valent perspicere: nam et qui dormiunt, nocte dormiunt, quia oppressus est sensus eorum. Horum corda calefieri noscuntur ira, avaritia, cæterisque vitiis, ipsique devorant judices suos, hoc est, si qui possunt habere in animo virtutem, vel sensus quibus mala discernuntur a bonis, abstrahunt ab illis, et omnes principes talium ceciderunt in Dei prædestinatione, nec est inter eos qui clamet ad Dominum, ut invocans nomen Domini salvus fiat.

« Ephraim in populis ipse commiscebatur. » Ephraim non hic tantummodo reges, ut superius, sed omnis populus decem tribuum accipitur. Ephraim ergo, id est omne regnum decem tribuum, « commiscebatur in populis, » hoc est, similis erat gentibus idola colentibus. « Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur. » Panis qui non reversatur, ex omni parte plenus est sordibus. Talis factus est Ephraim non agendo pœnitentiam, ideoque inconvertibilis manens, ex omni parte circumdatus est cineribus peccatorum. Quod si converti a suis iniquitatibus vellet, purgari utique potuisset.

« Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit. » Robur appellat principes et fortes quosque populi, vel certe thesauros in quibus confidebant. Alieni ergo a Deo, vel etiam a gente Judæorum, hostes scilicet ejus Chaldæi atque Assyrii, comederunt robur ejus, interficiendo principes, et bona illorum sibi vindicando, et quidquid virium habere poterat devorando. Tantæque idem Ephraim fuit amentiæ, ut nesciret Deum suum, aut certe ignoraret causam pro qua fuisset devorantibus traditus, justum se reputans.

« Sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. » Cani hominum aliquando in bonum ponuntur, ut est illud Salomonis: « Cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. » Hic autem in malum ponuntur, malitiam in eodem populo usque ad finem regni perseverasse monstrantes. Sed et cani (inquit) effusi sunt in eo, hoc est, abunde in nequitia usque ad senium et regni terminum permanserunt. Et ipse ignoravit finem regni sui, subaudis imminere.

« Et humiliabitur superbia Israel in facie ejus. » Erexerat enim se Israel contra Dominum, et non in illo, sed in multitudine sui fidebat exercitus. Et quia « superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam, » dicit nunc per Prophetam: « Humiliabitur superbia Israel, » hoc est, interficientur principes et exercitus ejus (in quibus gloriabatur) ab Assyriis et Chaldæis, et hoc non multo post tempore sed nunc et in præsenti. Hoc est enim quod ait: « In facie ejus. » « Non reversi sunt ad Dominum Deum suum, et non quæsierunt eum in omnibus his. » Quod superius subobscure posuerat, dicens: « Ephraim factus est subcinericius panis qui non reversatur, » nunc ponit manifestius: « Non sunt (inquit) reversi ad Dominum Deum suum, et non quæsierunt eum in omnibus his. » Quod si fuissent reversi ad Dominum Deum suum, audissent utique per Jeremiam loquentem Dominum: « Revertimini ad me, et ego revertar ad vos. » Post idola quippe ambulantes, non quæsierunt eum in omnibus his adversitatibus, ut in eum perfecte crederent, et recte operarentur. Ut autem ad hæreticos vel impios ista referamus præpositos, Ephraim in populis commiscetur, quando ad sui similitudinem alios quilibet nequam præpositus trahit, et similis eorum efficitur, juxta quod supra dictum est: Erit sicut populus sic sacerdos. Sive etiam Ephraim populis commiscetur, quia omnes hæretici nihil differunt ab errore gentilium, et qui fuerat princeps quondam Ecclesiæ, fit quasi panis subcinericius, ex omni parte cineribus peccatorum circumdatus, nec revertitur ad Dominum, in incœpto permanens errore, cujus robur, hoc est, fortitudinem virtutum et intelligentiæ, dæmones, Christianorum pessimi hostes, auferunt. Ipse vero hoc nescit, dum sibi amicos putat, quos devoratores sentit. Sed et cani in eo effunduntur, dum stultitia cordis illius usque ad terminum vitæ in eo perseverat. Sicut enim justi hominis cani sapientia intelligitur, sic impii stultitia accipitur. Ipse autem vetustatem suæ ignorat malitiæ, de qua scriptum est: Quod antiquatur et senescit, prope interitum est. Quorum superbia cum quotidie a Christo humilietur, non agunt pœnitentiam, nec revertuntur ad Dominum. « Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor. » Columba in bonum accipitur, ut Dominus in Evangelio dicit: « Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ, » ut nec aliis nocere possimus, nec ab aliis insidias patiamur, sed simplicitate et prudentia exhibeamus hominem temperatum, quia prudentia sine simplicitate calliditas est, simplicitas

sine prudentia stultitia est. Unde et in hoc loco columba stultitiam Judaici populi designat, qui potius fisus est in homine quam in Deo, Ægyptum invocans, et ad Assyrios pergens. Qui enim auxilium Ægypti petiit, qui ab Isaia appellatur baculus arundineus confractus, ab Assyriis abducitur captivus. Factus est ergo Ephraim quasi columba seducta a diabolo, non habens cor, hoc est, intelligentiam mentis. Notandum autem quod non aquilæ, accipitri, aut corvo, vel cuilibet aliæ avi comparatur, sed columbæ, quæ tantæ fragilitatis est, ut proprios non valeat tueri fetus. Sic enim et isti comprehensi ab hostibus, non habuerunt vires se defendendi. « Ægyptum invocabant, » subaudis in auxilium, vel deos illorum colendo. « Ad Assyrios abierunt, » non sponte, sed captivi, « et cum perfecti fuerint, expandam rete meum super eos, » id est, ut sentiant quia mutantes loca, meum non possunt vitare conspectum. Cum profecti fuerint in captivitatem, rete meum expandam, hoc est, potentiam meam super eos ostendam, ne possint libere redire ad terram sicut putant, donec ipse velim. « Quasi volucres cœli detraham eos, » id est, sicut avis ab altitudine cœli reti super aquas expanso detrahitur, sic ab altitudine superbiæ suæ deponam eos. « Cædam eos secundum auditionem cœtus eorum. » Et est sensus : Sicut juncto consilio omnes idola coluerunt, quæ fabricantes consiliati sunt omnes ut a me recederent, ita me irato omnes pariter vastabuntur, dum communiter eos percussero a rege usque ad mendicum. Possumus et hæc verba ad tempus Dominicæ passionis referre, quia sicut communi consilio tractaverunt de Domini morte, clamantes ad Pilatum, « Crucifige, crucifige eum, » sic pariter ab hostibus in solemnitate paschali comprehensi sunt, cæsi, et interfecti.

« Væ eis, » id est, damnatio perpetua erit post præsentem tribulationem. « Quoniam recesserunt a me, » idola colendo « vastabuntur » ab hostibus scilicet, et miseri erunt. « Quia prævaricati sunt in me, » adorantes vitulos aureos, et meum præceptum transgredientes, quod dixi : Non facietis vobis deos alienos. « Et ego redemi eos » de Ægyptiaca servitute, et eduxi in excelso brachio ; « et ipsi locuti sunt contra me mendacia » facientes idola et dicentes : « Isti sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. »

« Et non clamaverunt ad me in corde suo » quo idola diligebant. « Sed ululabant in cubilibus suis. » Voces luporum vel canum imitantes in laudibus dæmonum. Ipsa enim carmina, quæ dæmonia laudantes canebant, ululatum Scriptura nuncupat. Amiserant quippe rationabilem animi intellectum, et similes facti sunt bestiis insensatis. De hæreticis facilis est intelligentia, quibus væ imminet sempiternum, quoniam a Deo recesserunt, et prævaricati sunt mandata illius, qui redemit eos sanguine suo. Ipsi enim loquuntur contra Deum mendacia, impia falsitatis dogmata componentes, non clamant ad Dominum in cordibus suis, sed ululant semper in suis conciliabulis, quæ lustra

A ferarum vocantur, ululatum luporum, et sonitum irrationabilium bestiarum imitantes. « Super triticum et vinum ruminabant. » Ruminare est revomere, quomodo animalia quod die comedunt, nocte ab intimis visceribus ad guttur et fauces redire faciunt, sicque subtilius ruminando, in ventrem redire faciunt. Et est sensus : Quia abundantia omnium rerum habebant, quæ in vino et tritico comprehenditur, ideo corruerunt recedentes a me, quod etiam Ezechiel in Sodomis et Gomorrhis factum esse commemorat. Intuendum autem quia ut ostenderet eos jumentorum similes, non dixit comedebant, sed « ruminabant. » In hoc etiam ruminasse dicuntur, quia pabula divinorum eloquiorum spiritualiter non intelligebant. « Recesserunt a me, » cultum religionis

B meæ spernendo, et servituti diaboli se subdendo. « Et ego erudivi eos, » id est, docui eos per Moysen, cæterosque fideles. « Et confortavi brachia eorum, » hoc est, præbui fortitudinem ad bellandum, sicut factum est temporibus Josue et Machabæorum. « Et in me cogitaverunt malitiam, » meam potentiam ad idola transferentes, dicentesque non me esse Deum, sed vitulos quos ipsi fecerunt. Nunquid aliquid possunt facere aut nocere mihi ? Sed quod solum agere potuerunt, contra me cogitaverunt mala.

« Reversi sunt ut absque jugo essent, » id est, ut prius antequam vocarem eos per Abraham, deinde per Moysen et reliquos, absque jugo legisque notitia erant, cunctis nationibus commiscebantur, ita nunc reversi sunt ad priorem statum, ut absque jugo et

C Dei frenis irent præcipites sequendo suas voluptates. « Facti sunt quasi arcus dolosus, » id est, pravus, reflectens in dominum sagittam. Ipsi quippe fortes a Deo et extensi facti fuerant, ut adversarios hostesque percuterent, sed quos Deus extenderat contra inimicos, ipsi contra suum versi sunt Dominum, mittentes adversus eum blasphemiæ sagittas. « Cadent in gladio principes eorum a furore linguæ suæ. » Sicut caput malitiæ fuerunt principes, qui infelicem populum deceperunt, ita nunc ipsi vere primum confundantur propter furorem linguæ suæ, qui amentes effecti, ausi sunt vitulos aureos vocare deos, ut hoc facerent in terra repromissionis quod didicerant in Ægypto. Nam furor linguæ eorum, amentia et blasphemiæ intelliguntur. « Ista subsannatio eorum in

D terra Ægypti, » id est, hoc quod modo faciunt subsannando me et deridendo per culturam idolorum, non est nova res, quia quod fecerunt in Ægypto, et postea in deserto, hoc etiam nunc tenent. Ibi quippe cœperunt idola colere, et usque nunc in eadem perseverant malitia. Spiritualiter vero per triticum et vinum possumus intelligere mysteria corporis et sanguinis Christi, sive etiam Scripturam sacram, quæ in locis obscurioribus cibum, in facilioribus autem potum nobis præstat. Super hoc triticum vel vinum hæretici corruunt, indigne corpus et sanguinem Domini sumentes, et Scripturam divinam perverso intellectu interpretantes. Legentes enim assidue, et meditantes legem cæterasque Scripturas, co-

medere simulant, quod male intelligendo ruminant. Et hoc facientes recedunt a Domino, qui docuit eos in Ecclesia, et dedit eis fortitudinem, qua contra adversarios dimicarent. Ipsi vero cogitant contra Deum malitiam, impiissimas hæreses exstruentes, fiuntque similes gentibus, et ad nihilum rediguntur Et tales vertuntur in arcum dolosum, dum suis sententiis mortem sibi æternam inferunt. Unde principes hæreticorum propter insaniam linguæ suæ, quia Dominum blasphemant, sententia veri judicis feriuntur, facientes eadem in falsi nominis Ecclesia, quæ ante faciebant dum in Ægypto, hoc est, in tenebris morabantur infidelitatis et ignorantiæ.

CAPUT VIII.

« In gutture tuo sit tuba. » Vox Dei est ad prophetam, cui præcipitur ut sic exaltet vocem, quatenus tubæ sit similis, ut plurimi eum audiant vociferantem, quia plurimi peccaverunt. Denique quid eum exaltata voce oporteat dicere, statim subjungit, dicens : « Quasi aquila super domum Domini. » Quo in loco aquila appellatur Nabuchodonosor, veniens adversus Hierusalem et Dei templum, quod in ea erat situm. Qui aquilæ comparatur propter nimiam velocitatem vel rapacitatem, quia imitatus est volatum aquilæ raptim festinantis ad prædam. Unde Ezechiel parabolice de eo loquitur : Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu venit ad Libanum. Ipsum quippe Dei templum, super quo prophetæ præcipitur annuntiare adventum aquilæ, Ezechiel appellat Libanum. Unde et Zacharias loquitur, dicens : « Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuos. » « Pro eo quod transgressi sunt fœdus meum, et legem meam prævaricati sunt. » Et hic versus ad superiora pertinet, quo præcipitur prophetæ ut excelsa voce clamet, quia aquila super domum Dei. Et est sensus : Quod tibi dico, o propheta, atque præcipio ut in gutture tuo sit tuba, id est magna voce annunties venire regem Chaldæorum, non ob aliam causam hoc jubeo, nisi quod transgressi sunt fœdus meum faciendo idola, et legem meam prævaricati sunt, qua dixi : « Non facietis vobis deos aureos vel argenteos. »

« Me invocabunt, Deus meus, cognovimus te, Israel. » Quando, inquit, captivitas evenerit, pressi angustia, necessitate cogente invocabunt me, poscentes auxilium et misericordiam, et dicent : « Cognovimus te, Israel, » id est nos qui appellamur Israel, et servamus nomen antiquum Jacob, qui tibi placuit, scimus te atque cognoscimus, et propter tui cognitionem quam præ omnibus gentibus habemus, libera nos.

« Projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum. » Responsio est Dei omnipotentis ad hoc, quod ipsi dixerant : « Cognovimus te, Israel. » Et est sensus : Quomodo vocamini nomine Israel, qui interpretatur vir videns Deum, cum projeceritis bonum, hoc est, Dominum Deum, a quo Jacob appellatus est Israel ? Bonum enim quod projecerat Israel. Deus intelligitur, de quo scriptum est : « Nemo bonus nisi solus Deus. » Projecit itaque Israel bonum, hoc est, Deum suum reliquit, et pro nihilo duxit : ideoque cum clamaverit, non exaudiam eum propter falsum nomen Israel, sed inimicus (hoc est, Assyrius, sive etiam diabolus) persequetur eum, et comprehendet, qui, me rege derelicto, petierunt sibi regem, sicut habent reliquæ gentes. Unde statim subjungit :

« Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt, et non cognovi. » Si hoc ad primum regem eorum Saul referre voluerimus, quæstio oritur cur Dominus dicat : Ipsi regnaverunt, et non ex me, etc., cum Dominus elegerit eum, et per sortem regem constituerit. Nam et Samuel eo rege constituto dixit : Certe videtis quem elegit Dominus. Unde et in domo absconditum prodidit, et auriculam Samuelis ante ejus adventum revelavit. Sed sciendum quia Deus omnipotens aliquando fieri permittit quod non vult, sicut de ipsius electione factum profecto constat. Vidit quippe prona illorum corda ad electionem regis, et ideo permisit fieri secundum quod petebant, contra suam voluntatem. Quod ex tonitruo et coruscatione facta tempore æstivo contra consuetudinem illius terræ, aperte monstratur. Unde et Samuel sciens hoc Deum nolle, prædixit eis jus regis, qui durissima servitute erant ei subjiciendi, ut ad Dominum regem clementissimum reverterentur. Si autem ad Jeroboam, qui postea decem tribubus præfuit, et ad cæteros principes qui ei in regno successerunt, ista retulerimus, manifeste cognoscimus hoc contra Dei ordinationem factum. Licet enim Deus propter peccatum Salomonis iratus regnum dividere voluerit, tamen contra suam voluntatem populus Israel Jeroboam elegit. Debuerat enim juxta præceptum consulere Deum, an vellet hoc fieri, et sic per sortem eligere regem, non secundum suam voluntatem. Nam et sæpe fiunt necessariæ causæ, quæ præteriri nequeunt, sed tamen quia homines non Dei voluntatem, sed suam in his attendunt, graviter delinquunt, sicut, verbi gratia, de Domino Salvatore dicitur, quod oporteat tradi Filium hominis, mori, et sepeliri, et cætera, ac postea infertur : Væ illi homini per quem tradendus sit. Neque enim in ejus morte nostram Judas necessitatem, aut Dei consideravit voluntatem, sed potius suam secutus est cupiditatem. Ideoque quod Deus ante sæcula fieri præordinaverat, iste faciens perenni morte damnatus est. Ipsi itaque regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt, et non cognovi, id est non elegi eos, ideoque eos reprobo. Scire autem Dei, eligere est : nescire autem, reprobare. « Aurum suum et argentum suum fecerunt sibi idola ut interirent, » id est, quia his abundabant, neglecto Deo qui hæc illis ad ornatum et deliciarum affluentiam dederat, fecerunt sibi idola contra animam suam ut interirent, quia dii quos fecerant, causa mortis et perditionis illis exstiterunt. Spiritualiter ista quæ de Nabuchodonosor dicuntur, possunt referri ad diabolum, qui in plerisque locis Scripturæ divinæ aquila appellatur. Unde est : Si exaltatus fueris ut aquila, inde detraham te,

dicit Dominus. Hæc aquila venit super hæreticorum conciliabula, quia quondam fuerant domus Dei: et ideo quia prævaricati sunt Dei legem, et sine causa invocant Deum verbis, a cujus notitia longe distant operibus, qui etiam Deum projicientes per falsam doctrinam, eligunt sibi reges contra Dei voluntatem, principes scilicet et auctores perversorum dogmatum, quod Deus nescit, quia ipsius notitiam non merentur. Qui aurum et argentum, id est quidquid habuerunt in nitore eloquentiæ vel fulgore spiritualium sensuum, perverse intelligendo vertunt in idola, quæ de suo corde finxerunt; et quia hoc fecerunt, idcirco perierunt.

« Projectus est vitulus tuus, Samaria. » Samaria nomen est civitatis et provinciæ; ponitur autem hic Samaria, quæ metropolis est decem tribuum, pro omnibus civitatibus ejusdem regni. Neque enim in Samaria vituli aurei erant, sed potius in Dan et in Bethel, qui (sicut dictum est) in Samaria comprehenduntur. Unum autem vitulum pro duobus debemus accipere, singularem numerum pro plurali positum agnoscentes, quod sæpissime fit in Scripturis. Projectus est (inquit) vitulus tuus, id est destructum est templum idolorum ab Assyriis. Ipsi quoque vituli sunt projecti, et conflati, atque in captivitatem delati. Unde protinus subditur, « iratus est furor meus in eis. » Quod vindicatus sum in eis, vel in vitulis scilicet, vel in eis qui eos adorabant. « Usquequo non poterunt emendari?» Ac si diceret: Quæ ista insania est, me dante locum pœnitentiæ, illos ad sanitatem nolle converti? Et exponendo quis fuerit iste vitulus, a cujus sordibus non poterunt emendari, subjungit:

« Quia ex Israel et ipse est. » Id est, non aliunde vitulum acceperunt, ut alium Sidoniis Baas et Astaroth, Gamos Moabitis, Moloch ab Ammonitis, sed illi et rex illorum Jeroboam fecerunt vitulum. « Artifex fecit illum, » hoc est, Jeroboam malitiæ inventor, vel certe artifex quilibet jussus ab illo, unde ostenditur, « quia non est Deus » quem manus format artificis, sed simulacrum. « Quam in aranearum telas erit vitulus Samariæ, » id est, sicut telæ aranearum vento percussæ dissolvuntur et annihilantur, ita vitulus ejus redigetur ad nihilum. Unum autem vitulum, sicut et supra, pro duobus posuit.

« Quia ventum seminabunt, et turbinem metent. » Seminabunt positum est pro eo, quod est seminaverunt, futurum scilicet pro præterito, sicut sæpe fit in Scripturis. Ventum (inquit) seminabunt, hoc est, inania opera facient, idolum fabricantes vacuum penitus omni divinitate, et idcirco turbinem metent, captivitatem scilicet, tempestatem, et miseriam. » Culmus stans non est in eis, germen non farinam faciet. » Quando semina jacta corrumpuntur vento, et medullam perdunt interiorem, nequaquam possunt facere stipulæ ut ex his seminibus tantummodo possit effici farina. Et est sensus: Sicut vento corrupto semina fructum non reddunt, ita in eis fructus boni operis reperiri non potest, nec ali-

A quam speciem fecundæ operationis possunt habere. Unde et subditur: « Quod et si fecerint, alieni comedent eam, » id est, si habere prævaluerint aliquam potestatem ad tempus, vel si fecerint aliquod bonum, alieni, hoc est Assyrii, hæc omnia auferent, vel etiam dæmones, de quibus Dominus in Evangelio loquitur, quod jacta semina comederint volucres cœli.

« Devoratus est Israel, » ab hostibus, qui interfecerunt, vel a dæmonibus, qui omne bonum illorum abstulerunt. « Nunc factus est nationibus, » hoc est, factus est similis gentibus idola colentibus. Unde subjungitur, « quasi vas immundum. » Vas immundum, quantum pertinet ad litteram, appellat, quo ad suscipienda et projicienda stercora uti solemus. Tales
B ipsi erant stercoribus et sordibus idolorum maculati, facti vas non in honorem, sed potius in contumeliam, ideoque velut immundi projecti sunt a Domino: quid enim immundius esse potest dæmoniaco spiritu? Hæc omnia hæreticis possunt aptari, qui inania sectantur, et ideo vacui recedent, et in carne seminantes de carne metent turpitudinem corruptionis, in quibus cum videatur culmus ecclesiastici dogmatis stare, per hoc quod baptizati sunt, quod mysteria corporis Christi celebrant, non faciet farinam, hoc est, non perveniet ad fructum boni operis, quia omnis illorum actio vacua est et nihili. Quod et si fecerint, alieni comedent eam, quia favoribus hominum elati, omne bonum suum amittent, ideoque
C in futuro fructu remunerationis carebunt Qui etiam ab hostibus, id est dæmonibus sæpissime devorati, fiunt vas immundum, et similes paganis existunt, etiam nomen Christianitatis amittentes.

« Quia ipsi ascenderunt ad Assur, » non sponte pergentes, sed potius invitæ captivitatis malum perferentes. « Onager solitarius sibi Ephraim. » Onager est asinus sylvestris, qui non similiter ut oves pascua requirit domestica, sed sponte per diversa loca vagatur, et solitariam diligit habitationem. Tales facti sunt Judæi recedentes a Deo, pro libito suo per diversa idola currentes, et varios deos sibi fabricantes, qui a Deo derelicti, solitarii effecti sunt, de quibus adhuc subditur, « munera dederunt amatoribus suis, » id est Assyriis, quibus quondam in amicitiam
D juncti fuerant, quod factum est temporibus Manahen, vel Osee regis, sicut supra dictum est.

« Sed et cum mercede conduxerunt nationes, » subaudis, in auxilium sibi, quod supra ostensum est, ubi dicitur, quod abierit Ephraim ad Assur, et miserit ad regem ultorem. « Nunc congregabo eos, » subaudis ad pugnam, scilicet ut cuncti pariter ducantur captivi. « Et quiescent paulisper ab onere regis et principum. » Quasi diceret: Hactenus amabant dare adversarii munera, quos diligebant: nunc autem faciam eos cessare paulisper, ut quandiu transierint in captivitatem, non solvant stipendia etiam suis regibus et principibus, donec scilicet perveniant in Assyrios, ubi nequaquam veluti liberi tri-

A buta et stipendia dabunt, sed in ultimam servitutem redigentur.

« Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum, factæ sunt ei aræ in delictum. » Ostendit causam cur patiantur captivitatem, et desinant paulisper dare munera regibus et principibus, quia scilicet Ephraim, id est Jeroboam, vel certe omnis populus decem tribuum, multiplicavit altaria, in quibus peccatis peccata conjungerent. Ideoque potius peccaverunt, quia non solum in Dan aut in Bethel, sed in montibus et lucis diversisque locis idola colebant.

Quæ altaria (id est aræ) versa sunt ei in delictum, quia quanto plura fuerunt, tanto magis ibi peccaverunt. « Scribam ei multiplices leges meas. » Quia scilicet pro nihilo ducunt legem, quam dederam eis per Moysen, idola colendo in diversis locis, cum præceperim ut in Hierusalem unum esset altare, adhibebo ei multiplices leges, quibus corrigantur, sed rursus intendens illorum nequitiam subjungit, quia et ipsæ leges « quæ velut alienæ computatæ sunt. » Quasi diceret: Quia enim contempserunt eam quam ante susceperant, quid prodest ultra alias scribere leges?

« Hostias afferent, immolabunt carnes, et comedent. » Hic ostenditur quod idcirco plura fecerint altaria, ut afferent hostias et ibi varia immolarent sacrificia, ubi ventrem suum replerent, non ut Domino placerent. Quamobrem et subjungitur, « et Dominus non suscipiet eas. » Quia videlicet non ipsi, sed potius dæmonibus offerebantur. Neque enim Domino, sed suo ventri immolaverunt eas et gutturi. Omne enim studium suum in hoc habebant, ut ipsi hostias comederent, non ut per eas Domino placerent. Hæretici quoque multiplicant sibi altaria, quando veritatem deserentes, varia sibi componunt dogmata, non ad placandum Deum, sed ad irritandum. Siquidem altare sanctæ Ecclesiæ unum est, licet per diversa orbis terrarum loca multa construantur altaria, sicut una fides, unam et baptisma secundum Pauli apostoli dogma. Quod dum hæretici deserunt, gravis delictum incurrunt. Unde et leges Dei non merentur accipere, quia eas quas acceperant ante, contempserunt, qui unam et veram Christi corporis hostiam deserentes, varias immolant victimas, pro libito suo comedentes et consecrantes mysteria Christi. Unde quidquid fecerint, eleemosynam scilicet, humilitatem, pudicitiam, cæteraque virtutum opera exhibentes, pro nihilo a Deo ducuntur. Nec aliquid de hujusmodi sacrificiis Dominus suscipiet, quia non Dei, sed suam in his gloriam quærunt. « Nunc recordabitur iniquitates eorum, et visitabit peccata eorum. » Interest aliquid inter iniquitatem et peccatum. Iniquitas enim est quidquid ante divinam committitur cognitionem. Peccatum vero, quod post legem perpetratur, quod etiam gravius accipitur. Unde est : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. » Et qui in delictis permanent, iniquitates eorum Dominus recordatur, quas ante legem commiserant, peccata autem vindicat; idcirco ergo, quia post datam legem peccaverunt isti, dicitur nunc, id est in præsenti tempore recordabitur iniquitates eorum, ad ulciscendum scilicet, et peccata pristina visitabit per flagella et tormentum miseriæ et captivitatis. « Ipsi in Ægyptum convertentur. » Tripliciter hoc intelligi potest. Conversi quippe sunt in Ægyptum, primum mente deos eorum colendo, deinde auxilium postulando, non confisi in Dei protectione, ad ultimum, cum Deus præceperit eis ne ultra redirent ad Ægyptum, contempto Deo, etiam corpore reversi sunt in Ægyptum, et habitaverunt ibi.

« Et oblitus est Israel factoris sui, et ædificavit delubra. » Israelis nomine (ut sæpe dictum est) omnis populis intelligitur decem tribuum, a majori

B parte nomen pristinum retinens. Qui oblitus cultum Dei sui, in montibus et collibus et sub umbrosis arboribus Baalim et Astaroth aliaque idola coluit, et ædificavit ibi delubra, hoc est, templa deorum construxit. « Et Judas multiplicavit urbes munitas. » Nomine Judæ duæ tribus accipiuntur, Judas scilicet ac Benjamin, cum tribu sacerdotali. Qui cum vidissent Israelem a Dei amore recessisse, et visitata eorum peccata, non sunt conversi ad Dominum, sed ædificaverunt sibi urbes munitas, quibus tuerentur; sed nihil eis profuit, quia sicut historia Regum narrat, quadragesimo anno Ezechiæ ascendit Sennacherib, et destruxit omnes civitates munitas, et cepit eas. Unde subjungitur : « Et mittam ignem in civitates ejus, et devorabit ædes ejus. » Ignis quippe

C vocatur Sennacherib, qui civitates et ædes, hoc est, domos tam publicas quam etiam privatas destruxit, et igne combussit. Qui si ad hæreticos hæc ut cætera retulerimus, et iniquitates quæ eis in baptismate fuerant dimissæ, et nova eis peccata quæ post baptismum egerunt, imputantur, et vindicta eis redditur, eo quod ad Ægyptum, hoc est ad tenebras infidelitatis, a quibus per confessionem Christi exierant, sint reversi, obliviscentes Dei sui, et varia fingentes delubra, hoc est, falsitatis dogmata. Judas quoque, id est vir ecclesiasticus, in malis operibus vel in sanctarum Scripturarum interpretatione perversa, ædificat sibi urbes munitas, non auxilio Dei, sed artificis mendacio, dum scripturam male intelligens, testimoniis divinis suos nititur confirmare errores,

D quos Dominus igne sui spiritus succendet, et ad nihilum deducet.

CAPUT IX.

« Noli lætari, Israel, noli exsultare sicut populi, quia fornicatus es a Deo tuo. » Populi nationum ignorantes Dei notitiam, et varia colentes dæmonum portenta, lætabantur ibi: quod videntes Israelitæ et ipsi quoque cœperunt gaudere in cultura deorum suorum, eo quod similes essent gentibus, putantes se pace frui, veluti cæteræ gentes. Idcirco dicitur ei : « Noli lætari, Israel, » quia recessisti a me. Non enim diu pacem (ut æstimas), habebis, propter hoc quinimo captivus duceris, ut peccata tua puniantur, qui

mihi servitutis censum impendere volens, factus es A sicut populi qui ignorant me, qui etiam in suis diis lætantur et gaudent. Noli ergo gaudere, quia fornicatus es a Deo tuo, et noli te putare talem ut sunt cæteræ gentes, quoniam aliter nesciens Deum, aliter autem punitur recedens a Deo. Servus autem qui scit voluntatem domini sui, et non facit eam, vapulabit multum. « Dilexisti mercedem super omnes areas tritici. » Per areas et triticum, abundantiam omnium rerum intelligamus, quibus idem populus fruebatur, quæ omnia putabat sibi esse data pro mercede, eo quod derelicto Deo cœperit idola colere. Omnia enim quæ a Deo perceperat, idolis deputabat, quam ob rem justo Dei judicio hæc omnia eis auferri minantur, cum subditur :

« Area et torcular non pascet eas, » id est, mit- B tam illis inopiam famis, ut in areis non inveniatur triticum, neque in torcularibus vinum. Quod factum esse constat temporibus Eliæ et Elisei, quando matres, cogente fame, filiorum suorum cadaveribus pascebantur. « Et vinum mentietur eis, » id est deficiet, nec erit in vineis aut torcularibus, sicut putabant. Dicitur et hæreticis ne gaudeant, qui putant se similes esse gentibus, dum ab unitate Ecclesiæ recedunt, quoniam qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, qui autem post Dei notitiam recesserint a recta fide, gravius punientur. Qui etiam temporalibus bonis abundantes, area et torculari (corpore scilicet et sanguine Christi) non satiantur, quia dum indigne comedunt, perpetuum luctum et æterna sibi tormenta præparant. C

« Non habitabunt in terra Domini. » Non solum penuriam famis patientur in terra, quam a Domino acceperunt, sed etiam in captivitatem ducentur, nec possunt habitare in terra, quam suis sceleribus polluerunt. « Reversus est Ephraim in Ægyptum. » Subaudis corde, vel, sicut supra dictum est, deos eorum colendo. Et in Assyriis pollutum comedit. » Sicut enim in terra sua idolothyta comedebant, ita ducti in captivitatem, in Assyriis sacrificiis dæmonum vescebantur : quæ dum idolis offerebantur, polluta fiebant.

Non libabunt Domino vinum, » sed dæmonibus, « et non placebunt ei. » Neque enim ipsi in Chaldæa positi Domino vinum libare poterant, non habentes templum vel altare, in quo hæc facerent. « Sacri- D ficia eorum quasi panis lugentium. Omnes qui comedunt eum, contaminabuntur. » Apud Judæos cum pro mortuo sacrificium offerebatur, quisquis inde comedisset, immundus fiebat et ipse, et sacrificium quod oblatum fuerat. Ipsum quippe sacrificium vocatur panis lugentium, propter hoc videlicet, quia pro mortuo erat oblatum, in cujus morte lugebant parentes. Aliter : Mos apud Judæos fuit, mortuum per septem dies deflere. Quandiu autem hoc agebatur lamentum, quidquid in domo mortui per septem dies quibus eum deflebant, fiebat, immundum erat. Et quisquis ex eadem domo comedisset, vel aliquid tangeret, immundus fiebat. Unde et aliorsum comedebant usque ad septimum diem. Prima quippe die flebant mortuum, adhuc in eadem domo jacentem. Post cujus sepulturam feretrum in medio ponebatur, et quasi præsente mortuo lamentabantur. Secundum hanc itaque consuetudinem dicit propheta : « Sacrificia eorum quasi panis lugentium, » etc. Et est sensus : Sicuti ea quæ in modo mortui erant, immunda fiebant septem diebus quibus lugebant mortuum, quisquis inde comedisset aut bibisset immundus fiebat, sic illorum sacrificia, qui idolis immolant, immunda sunt, tam ipsa quam qui ea offerunt vel comedunt. « Quia panis eorum animæ ipsorum, » subaudis præparatur, id est, ad hoc offerunt panem et cætera idolis, ut inde satientur et gaudeant in præsenti vita. Anima hic pro vita præsenti ponitur, sicut solet fieri in divino eloquio, unde est, Qui amat animam suam, perdet eam. « Non intrabit in domum Domini. » Quia videlicet non Domino offertur, sed dæmonibus. Sciendum autem quia panis pro omni cibo et sacrificio ponitur. De hæreticis facilis est intellectus, qui non habitant in domo Domini, hoc est, in Ecclesia fidelium, quæ propter soliditatem fidei sæpe terra appellatur. Hinc Joannes dicit : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. » Et revertentur in Ægyptum, opera infidelium imitantes. Unde et inter Assyrios polluta comedunt, dum in societate dæmonum voluptatibus suis satiantur, nec libant Domino vinum, quia spiritualiter non lætantur in ipso. Unde non placebunt ei, sed quæcunque fecerint, immunda reputabantur. Nec in domum Domini intrare poterunt, quia omne quod faciunt vertetur in luctum : quia ad hoc bona operantur, ut verba prædicationis, quæ panis appellantur, suis auditoribus impendant, ut in præsenti gaudeant, exspoliantes domos viduarum sua deceptione, quæ comedentes contaminantur : quia qui doctrinam hæreticorum suscipiunt, immundi fiunt. Hæreticorum enim conciliabula non domus Dei sunt, sed spelunca latronum appellantur.

« Quid facietis in die solemni, in die festivitatis Domini ? » Diem solemnem vel festivitatis Domini, debemus intelligere vel captivitatis tempus et miseriarum, quo vindictam de suis inimicis et hostibus exercuit. Licet enim omnes dies Domini sint, illa tamen proprie ejus esse dicitur, quæ vindictam reddere cogitur. Cum venerit, inquit, dies captivitatis, et sævissimus hostis ingruerit, quæ in ea solemnitas est, quam ego habeo placabilem, quia me vindicat de meis hostibus, et injuriæ ponit modum, quid facietis? Respondete. Illis tacentibus sibi ipse respondet, imo quid sint facturi, divinis oculis intuetur. Unde subjungitur : « Ecce enim profecti sunt a vastitate. » Quo in loco præteritum pro futuro ponitur usitato more sacræ Scripturæ. Profecti sunt scilicet, pro eo quod est proficiscentur, quia miseria et vastitate prementibus Assyriis atque Chaldæis, captosque ligare cupientibus, fugient ad Ægyptum, ut possint evadere manus hostium. Unde et subditur : « Ægyptus congregabit eos. Memphis sepeliet eos. » Quod de

reliquis duarum tribuum est accipiendum, quæ interfecit Godaliam cum Jeremia contra Domini præceptum, fugientes Chaldæos ingressi sunt Ægyptum, ubi postea interempti sunt a Nabuchodonosor, sicut liber ipsius prophetæ testatur. Memphis autem, cujus habitatores sepelierunt Judæos ibi interemptos, civitas erat metropolis Ægypti ante Alexandriam. «Desiderabile argentum eorum, urtica hæreditabit et lappa in tabernaculis eorum. » Hæc verba longam significant vastitatem, quia ubi erant quondam Domus pulcherrimæ, ibi ortæ sunt lappæ atque urticæ. Nam per argentum illud intelligitur, quod argento emitur, villæ videlicet atque agri, quos diuturna vastitas redegit in solitudinem. Dicitur et hæreticis : Cum venerit dies festivitatis Domini, hoc est, dies judicii, quando vitam suis redditurus est amicis, quid facietis ? Ecce enim vastati estis ab hostibus, id est dæmonibus, qui vos omnibus exspoliaverunt virtutibus, imitati estis opera infidelium, et cæteris estis nationibus similes. Propter hoc ibi sepeliet vos Memphis, quæ interpretatur ex ore, quia juxta sententias et blasphemias oris vestri damnabimini, et quod locuti estis in suppliciis sentietis. Tuncque desiderabile argenti, id est, quidquid habuistis in nitore eloquentiæ et falsis dogmatibus urtica hæreditabit, hoc est, perpetuum incendium possidebit, quod vos æterno ardore consumet. Et erit lappa in tabernaculis suis hoc est, conscientia peccatorum et pristinæ conversationis, et curæ hujusmodi vos torquebunt.

« Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis. » Visitatio in hoc loco pro afflictione et tormento ponitur. Alibi ponitur in bono, ut est : « Visitavit nos oriens ex alto . » « Venerunt (inquit) dies visitationis, » de quibus supra dixerat : « Quid facietis in die solemni et festivitatis Domini ?» Venerunt dies retributionis, ut qualia fecerunt, talia recipiant. « Scito te, Israel, stultum prophetam, insanum, virum spiritualem. » Populus Israeliticus veros Dei prophetas, insanos appellabat. Unde legimus quod dixerunt principes in Ramoth Galaad ad Hieu : « Quid dixit tibi insanus iste? » quibus ille ait : « Nostis hominem, et quid locutus sit. » Dicitur ergo :O Israel, nunc tua verba cognosce, qui prophetam tibi vera dicentem et Spiritu sancto prophetantem, stultum et insanum vocabas. Scito itaque te stultum, hoc est, sine intellectu, et eum quem vocabas prophetam insanum, qui mea verba despexisti, et putabas te esse virum spiritualem, et profutura tibi æstimabas te videre per Spiritum sanctum. Aliter : Scito te, Israel, stultum prophetam, quia tibi promittebas pacem, et non venit juxta tuam falsam æstimationem ; scito te etiam prophetam esse insanum, qui mea verba despexisti, et putabas te esse virum spiritualem, et profutura tibi ætimabas te videre per spiritum. « Propter multitudinem iniquitatis tuæ et multitudinem amentiæ. » Id est, propter innumera peccata multam etiam incurristi amentiam, ut proprium amittens intellectum, nescires quid ageres. Unde nec ea quæ tibi futura erant adversa videre potuisti, nec eos qui per Spiritum sanctum edocti erant, et tibi ea prædicabant audisti, quos insuper insanos et amentes vocasti. Dies quoque ultionis veniet reprobis, quando Domino veniente ad judicium, visitabuntur ad pœnam, et reddetur eis prout gesserant, qui dum viverent, Israelitas (hoc est, viros videntes Deum) se esse fatebantur, quod non erant, non cognoscentes suam stultitiam, dicentes Dei Filium facturam, Spiritum sanctum negantes ; et rursum, alium Deum bonum, alium mundi asserentes creatorem, quorum insania multiplex est, quia et iniquitates quamplurimæ.

« Speculator Ephraim cum Deo meo, propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus. » Vox prophetæ : Speculator Ephraim, subaudis est, cum Deo meo, id est ad hoc a Deo meo constitutus est speculator Jeroboam, qui nomine Ephraim intelligitur, ut ipse et ejus sequaces reges speculatores essent populi Dei, et eis bona providerent, ac secundum Dei voluntatem, regerent atque instruerent eos. Speculatores quippe appellabantur rectores et prophetæ ipsius populi. Unde et dicitur Ezechieli: « Speculatorem dedi te domui Israel. » Ita ergo Jeroboam quasi speculator et quasi propheta datus est populo cum sequacibus suis, ut populum corrigerent delinquentem, et ad rectum iter revocarent. Sed qui eos erudire debuerat, factus est laqueus ruinæ in omnibus suis actionibus, quia per potentiam et pravam suasionem fecit eos idola colere : et qui debuerat esse propheta ut populo Dei culturam ostenderet docuit eos idololatriam. Unde hic subditur : « Insania » hoc est, idolum « in domo Dei ejus, » id est, in Bethel, ubi antea fuerat domus Dei. Ibi quippe vitulum aureum adorandum constituit.

« Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa.» Hic reducit propheta ad memoriam scelus filiorum Israel quod quondam gestum et in Gabaa, quando uxorem Levitæ revertentis de Bethleem illicito necavere concubitu, sicque in impietatis barathrum suo tempore Israelitas dicit demersos, ut vincant scelus quod olim fuerat in Gabaa perpetratum. Possumus et dies Gabaa accipere tempus, quando pro Deo ibi elegerunt regem Saul de urbe Gabaa. Potius enim isti peccaverunt, quoniam illi tantummodo Deum reliquerunt eligendo sibi regem hominem qui eis dominaretur : isti autem et regem sibi elegerunt. Jeroboam videlicet filium Nabath contra Dei voluntatem ; insuper a Deo recesserunt, vitulos quos ipse fecerat adorando. « Recordabitur iniquitates eorum, » subaudis, quas nunc putabatur esse oblitus, « et visitabit peccata eorum, » subaudis per captivitatem in mortem. Deus enim aliquando oblivionem non patitur, sed tunc recordari dicitur, quando vindictam peccatoribus reddere cognoscitur. Possunt et hæc referri ad eos qui præpositi fuerant Ecclesiæ, id est episcopi et presbyteri. Sed ipsi perversam doctrinam docendo, facti sunt aliis laqueus perditionis.

« Quasi vias [*Al.* uvas] in deserto inveni Israel, A quasi prima poma ficulneæ » Id est, cum omnes gentes desertæ essent a Deo, cujus notitiam non habebant, inveni populum Israel, quasi viam in solitudine, et sicut avide novi fructus inventi comeduntur, sic omnibus gentibus relictis in deserto, hujusmodi elegi eos. Hoc est enim quod subjungit, « quasi prima poma ficulneæ, » subaudis quæ delectabilis est et cum amore colligitur. » In cacumine ejus vidi patres eorum. » Hoc est, in initio ipsius populi gratia misericordiæ meæ elegi Abraham, Isaac, et Jacob, quia mihi placuerunt, adhærentes fide et bonis operibus. Videre quippe Dei, misereri est. » Ipsi autem intraverunt ad Beelphegor, » id est idolum Moabitarum, « et abalienati sunt » id est, recesserunt. « In profusione, « subaudis sui, « et facti sunt abominabiles, » hoc est, abjectione digni. « Sicut ea quæ dilexerunt, » juxta illud quod scriptum est in psalmo : « Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis, » ut non solum idololatræ, sed etiam ipsa idola nuncupentur. Ut autem ad fidelem populum ista referamus, in deserto hujus sæculi, id est cum omnis mundus teneretur in peccato, et gentes ignorarent Deum, primum in apostolis et apostolicis viris invenit Dominus populum Christianum mente Deum videntem, et dulcissimis eorum satiatus est fructibus. Sed hæretici qui sibi nomen Christianitatis usurpant, intraverunt ad Beelphegor, servientes libidini. Difficile est enim, ut beatus Hieronymus dicit, hæreticum reperire, qui diligat castitatem, licet eam soleat ore præferre, quia aliud loquitur labiis, aliud servat conscientia, et implet opere. Unde et abominabiles existunt, facti immundi, sicut ea quæ dilexerunt.

« Ephraim quasi avis avolavit. » Hoc est, populus decem tribuum velociter terram propriam amittens, abiit in captivitatem. Avem autem appellavit eum propheta, ut velocem in Babylonem transitum demonstraret. « Gloria eorum a partu et ab utero et a conceptu, » subaudis avolavit. Gloriabatur populus decem tribuum in multitudine filiorum et multitudine exercituum, et in eo se majorem arbitratus est Juda fratre suo, quia ipse decem tribubus, ille duobus præfuit. Habebant ergo plurimos filios, quibus gloriabatur, qui omnes captivi ducti sunt, aut etiam interfecti, et avolavit, hoc est, subito omnis eorum gloriatio qua in filiis gloriabantur, recessit. Unde et subditur :

« Quod et si enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus, » id est, si multitudinem liberorum congregaverint, et licentiam nutriendi habuerint, nihil eis proderit, quia tradentur neci, et faciam ut non glorientur in eis, quia videbunt illos interfici, et ab hostibus captivari, cæterisque nationibus in propagine filiorum lætantibus, ipsi erunt absque liberis. » Sed et væ eis, cum recessero ab eis. » Quia enim ipsi recesserunt a me, et ego recedam ab eis, tuncque sentient væ, hoc est damnationem æternam, cum omne meum perdiderint auxilium.

Ephraim ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine. Tyrus civitas erat nobilis et multarum divitiarum, in medio maris sita, et dicebatur emporium, eo quod omnes ibi invenirentur divitiæ ad emendum, plurimisque civibus abundabat. Quapropter Ephraim, id est decem tribus superbientes in multitudine divitiarum et populorum similem se Tyro putavit, fundata in pulchritudine, id est in honore et decore multarum divitiarum. Et est sensus : Tam pulcher erat (inquit) Ephraim, qui nunc desertus est, et sic vallabatur Dei auxilio, ut Tyrus qui mari cingitur, et procellas ac turbines ventorum contemnit : et sicut Tyrus undas adversum se insurgentes non curat, sic illi Dei protecti auxilio pro nihilo ducebant omnes adversum se B insurgentes. « Ephraim adducet ad interfectorem filios suos. » Interfectorem intelligamus Azaelem regem Syriæ, qui Samariam longo tempore obsedit, quousque fame cogente ad eum exirent, arbitrantes sibi utilius cum gladio subito perire, quam longa inedia. Tropologice hæretici intelliguntur Ephraim, quæ veluti instabiles et lascivi de Ecclesia recedunt, et gloriantur in multitudine filiorum, quos per pravum dogma sibi generant, quibusque Dominus comminatur, etiamsi enutriti fuerint puniendos, quoniam ex fornicatione sunt geniti, ideo et patres absque liberis redduntur, dum simul discipuli cum pravis pereunt magistris, de quibus et subditur : « Væ eis cum recessero ab eis. » Simulque replicat qualis fuerit Ephraim, quando (inquit) erat in Ecclesia C inter sæculi hujus tentationem, quasi Tyrus tundebatur marinis fluctibus, et tamen nihil adversi poterat sustinere, quia habebat fundamentum Christum, super quod domus ædificata non potest everti. Nunc autem filios suos educit ad interfectorem, hoc est, ad diabolum, qui æternaliter animas pravas jugulat. Et pulchre dicit, « educit, » id est, de Ecclesia facit extrahi foras. Moraliter filios Ephraim possumus dicere cogitationes pessimas, et contraria dogmata veritati, quæ omnia Dominus interficit, nec peccatores tales liberos habere patitur, quas æternaliter derelinquens, cum suis pravis dogmatibus et iniquis cogitationibus punit. Unde est : In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

« Da eis, Domine. Quid dabis eis ? Da eis vulvam D sine liberis et ubera arentia. » Ne his quæ Deus pro benedictione dedit male utamur, et in contrario quæque ab eo data sunt convertamur, expedit ut auferantur a nobis. Denique cum nobis lingua data sit ad Deum laudandum, et quæ bona sunt loquenda, si quis ea abutatur in blasphemiam, contra hunc Psalmista deprecatur : « Muta fiant labia dolosa, » etc. Quia ergo Ephraim gloriabatur in utero et in conceptu et partu, et in populorum multitudine, pro quibus elatus in superbiam tumebat, cum potius deberet humiliari et Deo gratias agere, qui eos multiplicaverat, loquitur propheta ad Dominum, dicens : « Da eis, Domine, » sibique ipsi respondet. « Quid dabis eis ? » Et statim imprecando et provocando Deum

adversus illos, subinfert : Da eis vulvam sterilem et ubera arentia, ne scilicet habeant causas superbiæ, et in quo gloriari solent, in hec confundantur. Superbia enim in eis erat multitudo filiorum, ideoque ait : Da eis vulvam sterilem, ne scilicet generent filios, et da ubera arentia, ut, etiamsi genuerint, non habeant unde eos lactare possint.

« Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos. » In Galgal Saul unctus est in regem, Samuele iram Dei populo nuntiante. Ibi (inquit) exosos habui eos, quia regem hominem ibi postulantes, a meo imperio recesserunt. Aliter : Legimus in Libro Jesu Nave, quod in Galgal populus Israeliticus secundo fuerit circumcisus, ubi etiam postea quasi causa religionis primum cœperunt colere idola, in quorum cultura omnia scelera commiserunt. Verum quia Galgal revelatio, sive volutabrum interpretatur, bene nequitiæ hæreticorum in Galgal esse dicuntur, eo quod manifestanda opera eorum, ipsique sint ad inferos devolvendi. Ipsi enim veraciter odio digni sunt, quia contra Deum mendacia loquuntur.

« Propter malitiam adinventionum eorum. » Id est, propter idolorum culturam, quam ipsi malitiose adversum me invenerunt, « de domo mea ejiciam eos, » id est, de Bethel, quæ domus Dei dicitur. Sive etiam domum Domini possumus intelligere cœlum, de quo ejecti sunt; quia deficientes corpore, in anima quoque æternaliter pereunt.

« Non addam ut diligam eos. » Perspicuum est, quod non addiderit Dominus ut ultra eos diligeret, unde usque hodie in captivitate permanserunt. « Omnes principes eorum recedentes, » subaudis sunt. Principes in hoc loco debemus intelligere reges decem tribuum, qui omnes a Deo per idololatriam recesserunt, nullusque ex eis ad Deum toto corde conversus est. Possumus hæc omnia referre ad Christi tempora, et intelligere de duabus tribubus, quæ in adventu ejus ejectæ sunt de domo Dei, ne salvarentur, ut Israel, id est, ut populus Christianus salvaretur. Hinc in Evangelio legimus quod fecerit Dominus flagellum de funiculis, et ejecerit eos de templo, quia domum Patris ejus fecerunt domum negotiationis.

« Percussus est Ephraim, » a Deo, qui tradidit eos hostibus, « radix illorum exsiccata est, fructum nequaquam facient. » Metaphoram sumit ab arbore, cujus si radices aruerint, fructum ferre non poterit : et si paululum fecerit, statim in ipso flore siccabitur. Quam autem Israelitarum radicem debemus intelligere, nisi bonos patres, ex quibus illi carnis sumpserunt originem? Et tamen quia noluerunt eorum fidem tenere, atque exempla imitari, exsiccata est radix illorum per hoc, quod illis subvenire non potuerunt, ut ab imminenti malo eos liberarent : vel certe radicem Deum debemus accipere omnipotentem, in quo fuerant fundati, quique eos ut omnes populos creaverat, protegebat, et crescere faciebat. Hæc ergo radix in illis exsiccata est, quia jam non eos protegit atque defendit. Unde subditur : Fructum

A nequaquam facient, id est, filios non generabunt, vel bona opera non habebunt. « Quod et si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum. » Id est, si contigerit eos habere filios contra meam voluntatem, nihil eis proderit, quia interficiam natos eorum, quos admodum diligunt. Hoc est enim quod supra ait: Quod si enutrierint filios, absque liberis eos faciam.

« Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, et erunt vagi in nationibus. » Varias culturas per diversa loca sequendo, quia noluerunt esse solidi in unius veri veneratione Dei. Possumus hoc generaliter intelligere de omnibus Judæis, quorum quia principes a Domino recesserunt, moventes populum ut eum ad mortem expeterent, ejecit eos de domo

B sua, et non addit ut diligat eos. Quorum radix percussa exsiccata est, quia cordis intelligentiam perdiderunt, nec sano sensu Scripturam sacram intelligunt, ideoque fructum bonæ operationis non faciunt. Quod et si fecerint, id est, si visi fuerint Scripturam sanctam legemque meditari, et quasi amantissimos filios aliquid scientiæ et doctrinæ de suo protulerint, adversante Domino succidentur. Abjecit enim eos Deus omnium prophetarum, quia non audierunt eum, et vagi erant in nationibus, non habentes altare, non ædem, non civitatem propriam. Unde et David in psalmo : Non occidas eos nequando obliviscantur populi mei, disperge illos, etc.

CAPUT X.

C « Vitis frondosa Israel, » subaudis fuit in sanctis, quando abundavit bonis operibus. Unde est : Vinea Domini sabaoth domus Israel est. « Fructus adæquatus est ei. » Bonas enim propagines habens et flagella fructifera, multos botros attulit, et uvarum fecunditas ramorum magnitudinem coæquavit. Quia secundum multitudinem populorum abundavit bonis operibus, in patriarchis, prophetis et cæteris bonis viris. Alia translatio habet : Vitis aquosa Israel, quod in malam partem intelligimus, quia videlicet aquosa vitis, si a vinitore non fuerit putata, tota in frondibus crescit, et humorem quem debuerat in vina mutare, vana frondium et foliorum ambitione disperdit, et istiusmodi vitis damnosa est agricolis. Talis fuit Israel, crescens in multitudine populo-

D rum, et non reddens fructum agricolæ Deo, quia cum debuisset facere uvas, fecit labruscas. De quibus scriptum est : « Vinea Sodomorum vinea eorum. » Laborem enim suum non in bonis operibus, sed in abundantia foliorum occupaverunt. « Secundum multitudinem fructus sui multiplicavit sibi altaria. » Id est, quot fuerunt homines, tot habuerunt altaria : quæ enim prius fuerat abundans bonis operibus, postea abundantiam fructuum vertit in offensam multitudinem, ut quanto plures haberet populos, tanto plura ædificaret altaria. Unde subdit, « Juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris, » id est, secundum quod terra illorum præ omnibus terris fuit uberrima, sic præ omnibus gentibus fe-

cerunt ibi simulacra, id est imagines mortuorum hominum aut animalium, intantum ut etiam abundantiam terræ nimietas vinceret idolorum. Sic et hæretici dum essent in Ecclesia plantati, vocabantur vinea Domini, et afferebant uberrimos fructus : postea vero recedentes a bono altari, id est ab unitate fidei, plures erroris sui aras exstruxerunt, et juxta ubertatem terræ suæ, id est juxta acumen sensus et vim ardentis ingenii, exuberaverunt simulacris. Ex profundissimo enim sensu reges et populi vitulos aureos adoraverunt, et habuerunt in impietate consensum, quem prævenit captivitas. Extremus enim rex decem tribuum fuit Osee, de quo scriptum est quod fecerit quidem malum in conspectu Domini, sed non sicut reges qui fuerunt ante eum ; quia permisit eos (si vellent) ire in templum Domini, quod erat in Hierosolymis. Sed quia data sibi licentia noluerunt ire in Hierusalem, nono anno Oseæ venit Salmanasar, rex Assyriorum, et cepit populum Israel, duxitque in Assyrios, et habitare fecit juxta flumen Gozan, in civitatibus Medorum. Quæri autem potest cur sub pessimis regibus capti non fuerint, sed sub eo qui cœperat ex parte aliqua ad meliora converti ? Ad quod dicendum, quod sub aliis regibus excusabat se populus, et dicebat : Regum paremus imperiis nec possumus resistere tyrannidi, ideoque colimus vitulos quos adorare compellimur, et ad templum Domini ascendere non possumus. In diebus autem Oseæ, ab eodem rege præceptum est, ne tanto studio colerentur vituli sed qui vellet ire in Hierusalem, et in templo sacrificaret. Huic enim sententiæ contradixit populus, et hoc est quod nunc dicit :

« Divisum est cor eorum, » id est voluntas et sensus regis et populi. Ideoque nunc ait, jam nulla excusatione remanente, « nunc interibunt » et tradentur æternæ captivitati. Statim enim ut populus dissensit a rege, venit interitus et captivitas, quam Osee propheta non solum prædixit, ut dictum est, sed etiam vidit, visamque deflevit. Ideoque ait : « Nunc, » id est in præsenti tempore, « ipse confringet simulacra eorum, depopulabitur aras eorum. » De Deo hoc dicitur omnipotente, non quod ipse hoc fecerit propria manu, sed quod per Assyrios voluntas ejus impleta sit, in quibus depopulabitur, id est devastabit et destruet aras eorum. Hæreticorum sensus inter se divisus est, dum varie de Christo sentiunt, ideoque interibunt, id est perpetuo damnabuntur supplicio, dum ipse, id est Deus omnipotens, simulacra et aras, id est varia dogmata, quæ ipsi de corde suo finxerunt, depopulatus fuerit.

« Quia nunc dicent » Nunc positum est pro eo, quod est tunc, nono videlicet anno, cum captus fuerit Osee a Salmanasar, qui et ipse est Sennacherib, et positus in carcere. Et postquam confregerit Dominus simulacra Israel, dicent : « Non est rex nobis. » Qui nos videlicet defendat, quia videlicet rex et omnes principes nostri capti et interfecti sunt. Denique causam exponendo, cur rex et principes ab eis sint ablati, subjungunt dicentes : « Non enim timuimus Dominum. » Acsi dicerent : Ideo perdidimus regem hominem qui nos defendere debebat, quia non timuimus regem verum Deum. » Et rex quid faciet nobis ? » Sensus est : Si habuissemus hominem regem, quid faceret nobis ? Id est quomodo nos defendere posset, cum Deus omnipotens sit nobis offensus, cujus voluntati nemo resistere potest? Quasi dicerent : Nihil nobis prodesset si habuissemus regem.

« Loquimini verba visionis inutilis. » Vox prophetæ sermo est Dei deridentis eos qui sibi pacem et prosperitatem pollicebantur venturam. Loquimini (inquit) verba visionis inutilis, id est promittite vobis prospera, et somniate somnia diversa, quæ vobis cuncta salubria evenire pronuntient, sicut hactenus fecistis. Omnia quæ vobis prospera videbantur, in contrarium sunt versa. Unde subditur : « et ferietis fœdus, » non cum Deo, sed potius cum mendacio, dicentes : Pax erit nobis. « Et germinabit quasi amaritudo judicium, » id est ipsum mendacium in quo confiditis, non pacatissimos fructus vobis procreabit, quibus satiari possitis, sed vim amaritudinis, captivitatis scilicet, atque interfectionis. « Super sulcos agri, » id est super terrena corda vestra, de quibus malos fructus protulistis, secundum illud : « De corde exeunt cogitationes malæ. » Discipuli quoque hæreticorum, cum fuerint eorum contrita mendacia, sero dicent : Non habemus regem, id est magistros, qui nobis prius imperaverant, et quibus decipientibus, Deum non timuimus. Et rex quid faciet nobis ? Acsi dicerent. Quid nobis profuit eos sequi, quorum in necessitate non sentimus auxilium ? Hæc dicent, quærentes aliquas excusationes, ut non per se, sed per doctores suos errasse videantur. Unde et verba, et visiones hæreticorum inutiles sunt. Et ferient fœdus nequaquam cum Deo, sed cum amaritudinis judicio. De hoc judicio Dominus in Evangelio, quod quidam recipiant amplius judicium, quia cum dies judicii advenerit, qui in sulcos agri cordis seminaverint mendacium, metent damnationem; et qui seminaverint in lacrymis, in gaudio metent. Sequitur :

« Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ. » Bethaven ipsa est Bethel, et interpretatur domus idoli, in qua posuit Jeroboam vitulum aureum quem fecerat, vaccas enim ipsos vitulos vocat irrisorie. Quasi diceret : Ad tantam enim miseriam devenit Israel, ut non solum vitulos, sed etiam vaccas adoraret. Porro habitatores Samariæ, omnes intelliguntur habitatores decem tribuum, quarum metropolis erat eadem civitas. « Quia luxit super eum populus ejus. » Ut ostenderet per vaccas Bethaven, vitulum debere intelligi qui erat in Bethel; non intulit : Luxit super eos populus, sed super eo. Populus autem ejus dicitur, quia ipsum vitulum aureum colebat, qui tunc utique luxit, quando (sicut in sequentibus invenimus) in munere delatus est regi ultori. « Et æditui, » id est sacerdotes « ejus super eum exsultaverunt, » eo quod fraus ejus non est de

prehensa : qui (ut Hebræi tradunt) pro vitulis aureis fecerunt æneos et deauratos, in eodem reposuerunt loco. Cum igitur tempore necessitatis lugeret populus, eo quod etiam ipsi vituli a rege Israel Sennacherib essent direpti, exsultabant sacerdotes quod fraus illorum non posset argui et deprehendi. « In gloria ejus. » Gloria ejus, id est populi, appellatur ipse vitulus, in quo gloriabantur, eo quod aureos haberent vitulos « Quia migrabit ab eo. » Ostendit quare exsultaverint in gloria populi, quia migravit (inquit) ab eo, id est a populo : unde subditur :

« Siquidem et ipse in Assur delatus est munus regi ultori. » Sennacherib ipse est ultor, quia vindicavit Dei injuriam adversus eos qui idola colebant pro Deo. Nota quod ipse dicit miseriam, et damnationem populi exprimens, quia quod charius habere videbantur etiam in munere dederunt. « Confusio Ephraim capiet eum, et confundetur Israel in voluntate sua. » Legimus in Regum volumine Manahem regem Israel, Phul regi Assyriorum, misisse mille talenta argenti, ut esset manus ejus cum eo, id est ut ei præberet auxilium. Inter quæ nonnulli arbitrantur etiam vitulos, quos putabant aureos, esse directos. Deprehensa autem fraus deauratorum vitulorum, regi Israel litteris indicatur, et unde eum placabilem sibi reddere volebant, inde offendunt, atque adversum se concitant, quibus munera miserant, æstimantes non furto sacerdotum, sed fraude regis atque consilio hoc esse peractum. Cognoscens enim æreos esse vitulos, iratus est valde, æstimans eos sibi voluisse illudere. Quam ob causam et veniens debellavit eos Ideoque dicitur : « Confusio (id est perditio Ephraim capiet eum, et confundetur, id est erubescet, Israel in voluntate sua. » hoc est, in consilio quo auxilium petiit ab alienigena.

« Transire fecit Samaria regem suum, quasi spumam super faciem aquæ. » id est, sicut spuma et bulla aquæ cito solvitur, sic regnum decem tribuum velociter finietur. Dictum est enim supra quod Osee voluerit et jusserit, ut reverterentur ad templum Domini; sed quia eum noluerunt audire ipsi habitatores, fecerunt eum perire, sicuti transit et perit spuma aquæ tempore pluviæ vel siccitatis. « Et disperdentur excelsa idoli. » De quibus sæpe in libris Regum dicitur : Veruntamen populus immolabat in excelsis. Quid autem sint ipsa excelsa idoli, aperitur cum subditur : « Peccatum Israel, » subaudis, fuerunt excelsa eadem. Valde enim deliquerunt, quando in montibus et lucis cæterisque amœnis locis, idola coluerunt, relicto Dei templo. « Lappa et tribulus ascendet super aras eorum. » Signum est ultimæ solitudinis, dum lappa et tribulus in tabernaculis eorum ascenderunt propter longam desolationem. « Et dicent montibus : Cadite super nos : et collibus : Operite nos. » Hoc non solum ad captivitatem decem tribuum, sed etiam generaliter ad tempora Romanorum et ad totum populum Judæorum referre possumus. Quod etiam Dominus manifestat, qui ait in Evangelio : Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. Vel etiam in die judicii dicent sanctis, qui propter culmina virtutum montes dicuntur : « Cadite super nos, » id est vestris precibus operite mala nostra : etiam ad litteram designatur terror nimius peccatorum, qui imminente die judicii, si possent, optarent effugere posse Dei præsentiam et interire temporaliter quam perire æternaliter.

« Ex diebus Gabaa peccavit Israel, » id est, ex eo die quo illicito concubitu uxorem Levitæ turpiter atque crudeliter interfecit Benjamin in urbe Gabaa, peccavit mihi populus, Israel vel etiam ex eo quo Deum, ne principatum haberet super eos, expellentes, elegerunt Saul in regem. « Ibi steterunt, » id est in ipsis peccatis perseveraverunt. « Non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis, » id est non ideo perierunt in Gabaa prælio, quia consurrexerunt contra filios iniquitatis, id est contra Benjamin, et deleverunt eam, sed quia hominem sunt ulti, Dei vero injuriam non vindicaverunt, permittentes idolum in domo Michææ. Debuerant enim primum Dei exercere vindictam, subvertentes Michæam et domum ejus, et idolum ad nihilum redigentes, et postea vindicare Levitæ injuriam. Quia ergo ulti sunt hominem, non Deum, et hoc ipsum causa hominis plus fecerunt quam Dei, et insuper sacrilegium in Deum suum vindicare noluerunt, comprehendet eos prælium.

« Juxta desiderium meum corripiam eos, » id est tradam eos hostibus secundum voluntatem meam. « Et congregabuntur super eos populi, » Assyriorum videlicet multitudines. « Cum corripientur propter duas iniquitates suas. » Duas iniquitates possumus intelligere hoc, quod hominem vindicaverunt, Dei negligentes injuriam. Sive duas iniquitates fecerunt, quia primum peccaverunt in idolis Michææ, secundo in vitulis Jeroboam, vel certe duas iniquitates, duos intelligere vitulos Samariæ, unum in Dan, alterum in Bethel. Vel certe duas iniquitates perpetrarunt, quia Deum deserentes, idola coluerunt. De his duabus iniquitatibus Jeremias ait : « Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus qui continere non possunt aquas. » Hæ duæ iniquitates contra duo Decalogi erupere præcepta, in quibus dicitur : Ego sum Dominus Deus tuus : et non erunt tibi dii alieni coram me.

« Ephraim vitula docta diligere trituram. » Consuetudo hic terræ promissionis tangitur, tibi vitulæ cum cæteris animalibus fruges terere consueverunt. Cum autem gravissimo labore fatigantur, solent prodire ab area, iterum autem diligentes aream, eo quod fruges in ea comedant (unde est : « Non alligabis os bovi trituranti »), sponte ad aream redeunt. Igitur Ephraim similis est vaccæ vel vitulæ, quia didicit aream terere, et non solum didicit, verum etiam annua consuetudine cœpit amare quod docta est, licet trituratio laborem inferat : sic et populus Israeliticus, licet frequenter affligeretur, et multa

adversa pateretur propter idololatriam, tamen voluntates suas et ingluviem ventris sequi desiderans, ultro ad idola revertebatur. Moraliter hoc possumus referre ad illos qui ex sæculari habitu ad monasticam convertuntur religionem, et sponte ad exercendum terrenum laborem redeunt. Cumque diutina afflictione caloris et frigoris fatigantur, voluntarie tamen hæc omnia perferunt, quæ antea fuerant experti.

« Et ego transivi super pulchritudinem colli ejus. » Id est superbiam ejus, qua torosa cervice jugum meum non recepit, confringam. Transitus autem, maxime quando de Deo dicitur, semper plagas et adversa significat. Denique et exterminator per Ægyptum transisse memoratur. Et est sensus : Quia Ephraim non vult jugum legis recipere, ego transivi super pulchritudinem colli ejus, et tumentes cervicum toros jugo imposito perdomui, unde subditur : « Ascendam super Ephraim, id est contra eum, ut discat contentiosa vacca atque lasciviens laborare quod non vult. Vel jugum possumus intelligere damnationes omnium gentium, quoniam promittit se Dominus removere a loco ejus, ut vel sic ad eum rediret.

« Arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob. » Per Judam duas tribus accipe, quæ cum vidissent Israel captivari ab hostibus, cœperunt excolere corda sua, et semetipsos in Dei coarctare cultura. Per Jacob eos tantum, qui ex decem tribubus sunt relicti, atque ad cultum veræ religionis evocati, ablata omni duritia cordis, cœperunt fructus facere bonorum operum, de quibus in Isaia scriptum est quia misit eis Ezechias libros, et adduxit illos in Hierusalem, ut ibi adorarent Deum in templo ejus, pœnitentiam agentes pro cultu idolorum. Secundum anagogen hoc dici potest, quod Ephraim, qui eruditus erat legem Dei, ut tereret aream Scripturarum, et meditaretur in ea die ac nocte, cœpit abjicere jugum legis, et contendere contra ecclesiasticos in subversione audientium. Unde Dominus elevatam cervicem, et sibi sublimia promittentem, vel jugo premet, vel ipse transiens, calcabit pedibus suis, et ascendet super eum, ut sciat se habere Deum. Judas autem, hoc est vir ecclesiasticus, arabit terram, cœpti sui incepto opere perseverans. Jacob quoque, qui interpretatur supplantator, vitiorum sulcos confringet, id est glebas historiæ et litteræ duritiam conteret in partes, et spiritualiter dividet, ut possint fruges reddere spirituales.

« Seminate vobis in veritate justitiam. » Servat ab agricolis semel cœptam translationem. Dixit Ephraim vitulam doctam amare trituram, et se ascendere super collum ejus, ut arare Judam, ac confringere sulcos Jacob ; nunc præcipit ut seminent in justitia, id est, in observatione legalium præceptorum. « Et metite in ore misericordiæ, » id est in gratia Evangelii ; unde est : « Pœnitentiam agite, etc. » Et : « Benefacite his qui oderunt vos. » Et : « Qui te percusserit in maxillam, præbe illi et aliam. » « Innovate vobis novale, » id est novum facite cor vestrum, dicentes cum Psalmista : « Cor mumdum crea in me, Deus. » Quantum ad litteram, novale est ager, cum primum perscissus vomere fuerit. « Tempus autem requirendi Dominum, » subauditur tunc erit, cum venerit qui docebit vos justitiam, » id est, tempore Dominicæ incarnationis et passionis, quando aperte manifestabuntur omnia per quæ justificabuntur fideles. Unde est : « Quærite Dominum dum inveniri potest. » Reddit enim causas cur seminent, cur metant, cur læta novalia innovent. Tempus (inquit) requirendi Dominum est, cum venerit Christus atque Salvator, qui docebit vos justitiam, quam nunc speratis in lege. « Finis enim legis Christus est ad justitiam omni operanti bonum. » Similiter præcipitur his qui ab Ecclesia separati sunt, et falsum Christianorum nomen assumunt, ut agant pœnitentiam, et utrumque recipiant Testamentum : in Veteri justitiam seminent, in Novo misericordiam metant ; ut innovent sibi novalia bonorum operum, ac requirant Deum, qui docere eos potest veram justitiam.

« Arastis impietatem, iniquitatem messuistis. » Sensus est : Me hortante ut seminaretis in justitia, et meteretis in ore misericordiæ ut me lætificaretis ex vestris lætis novalibus, vos contra arastis impietatem, id est cogitastis iniqua consilia, ut a me recederetis. Maxima est enim iniquitas a Deo recedere, et pro Deo idola colere. Ideo iniquitatem messuistis, id est captivitatem et mortem propter peccata vestra vobis venire fecistis ; de malo semine malas fruges recipere meruistis. « Comedistis frugem mendacii, » id est retributionem mendacii suscepistis. Somniabatis vobis bona, et juste advenit vobis adversitas. Sic et hæretici impietatem arant, quando iniqua docent. Ideoque iniquitatem metent, et fructum mendacii comedent, quando pro merito suæ iniquitatis et mendacii damnabuntur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. « Quia confisus es in viis tuis, id est in idolis, in quorum cultura ambulasti. « In multitudine fortium tuorum. » In regibus scilicet, atque principibus, non in Deo habens fiduciam, sed in exercitus robore.

« Consurget tumultus in populo tuo, » id est sonitus exercitus Assyriorum superveniet, quibus clamantibus « et omnes munitiones tuæ vastabuntur, » et ea quæ munita et tuta arbitrabaris patebunt hostibus. Hinc in Isaia scriptum est, quia ascendit Sennacherib, et cepit omnes civitates Judæ munitas. « Sicut vastatus est Salmana a domo ejus, qui vindicavit Baal in die prælii, matre super filios allisa, sic fecit nobis Bethel a facie malitiæ iniquitatum vestrarum. » Judicum historia ad memoriam ducitur, ubi legimus angelum Gedeoni apparuisse, qui dixit ei : « Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian. » Prius tamen hortatus est destruere nemus et aras Baal, quam ob causam dictus est Jerobaal, eo quod ipse pater dixerit ei : « Ulciscatur se Baal de eo qui suffodit aram ejus. » Abiit

ergo ille cum trecentis viris, ferens secum lampadas A lagenarum, et interfecit exercitum Madianitarum, qui ascendebant, cum omnibus quæ habebant, et possidebat, atque devorabat cuncta quæ ad Israel pertinebant. Et est sensus : Sicut vastatus est Salmana, princeps Madianitarum, qui interfectus est a domo, id est a familia Gedeonis, qui vindicavit, id est, damnavit Baal, aram ejus destruendo in die prælii, matre super filios allisa, sic faciet vobis Bethel, in qua vitulum posuistis aureum, a facie malitiæ iniquitatum vestrarum, pro quibus hostibus traditi peribitis. Quod autem dicit : « Matre super filios allisa, » ad hoc pertinet, quod eadem historia dicit, quia postquam comprehendit Gedeon Zebee et Salmana, principes Madianitarum, ait illis : Quales fuerunt viri quos occidistis in Thabor ? Cui B Salmana respondit : Similes tui fuerunt, et unus ex illis sicut filius regis. Quibus ille ait : Si servassetis eos, non occiderem vos, etc.; quousque concludens, ait : Sicut fecit mulieres sine liberis gladius tuus, sic mater tua erit sine liberis. Percussitque eum et interfecit. Allisa est itaque mater super filios, quia nimio dolore confracta ex morte filiorum, vel certe cum ipsis est pariter interempta potuit enim fieri ut ibi esset, et cum ipsis pariter alli deretur, quia, sicut supradictum est, quod cum omnibus quæ habebant, ascendebant ad terram Israel.

CAPUT XI.

« Sicuti mane transit, pertransit rex Israel. » Diversis figuris explicat eumdem sensum, quod supra dixerat : « Transire fecit Samaria regem suum quasi C spumam super faciem aquæ. » Eamdem etenim rem sub alia ponit similitudine : sicut enim mane adveniente sole cito transit, ita pertransit rex Israel Osee, quia captus est ab hostibus. Est autem mane auroræ ortus, a fine noctis usque ad ortum solis. « Quia puer Israel, et dilexi eum. » Exponit beneficia quæ ipsi contulerat Deus. Puer (inquit) erat Israel, idola colens in Ægypto, et pueriliter sapiens, et dilexi eum in patriarchis et reliquis sanctis. « Et ex Ægypto vocavi filium meum, » subaudis per Moysen. Sic enim ipse dixit Pharaoni : Hæc dicit Dominus : Primogenitum meum dimitte ut sacrificet mihi in deserto. Et alibi, Primogenitus meus Israel. Et iterum : Filios enutrivi et exaltavi. Quod si ad Christum, qui est Filius Patris, ista referre voluerimus, ex Ægypto eum vocavit, quando (ut Matthæus D ait) ad præceptum angeli una cum matre virgine a Joseph reductus est in terram Israel. Spiritualiter autem Ægyptus, quæ tenebræ dicitur, hunc mundum significat. Tunc ergo Deus Filium suum ex Ægypto vocavit, quando per ascensionis gloriam, ab hoc mundo sublevatum in cœlo collocavit

« Vocaverunt eos. » Quia Israel licet singulariter dicatur, pluraliter intelligitur, sicut populus et plebs. Recte a singulari transit ad pluralem : « Vocaverunt eos, id est Judæos omnes, Moyses, et Aaron, et cæteri, ut sequerentur eos egredientes de terra Ægypti, et ut Dei implerent jussionem et voluntatem. « Sic abierunt a facie eorum, » id est taliter recesserunt cito ad doctrinam illorum vocati ab eis, vertentes eis terga et mentis duritiam, quando dixerunt Aaron : Fac nobis deos qui nos præcedant. Moysi enim huic nescimus quid factum sit, et procedentes clamaverunt : « Isti sunt dii tui, Israel, et cætera. » « Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant. » Non enim eis suffecerat vocantes contemnere, nisi immolarent Baal tempore Achab, qui accepit idolum a Sidoniis, eo quod Jezabel, filiam regis Sidoniorum, duxerit. Baal autem ipse est Beelphegor. Simulacris etiam sacrificabant, non solum in Dan et in Bethel idola colentes, sed etiam in montibus et lucis cæterisque locis amœnis varias imagines adorantes. De hæreticis facilis intelligentia est, quorum rex, id est diabolus, vel quilibet hæresiarches, instar diluculi transiet. Quos in infantia, quando crediderunt et erant parvuli, atque Christiano nomine censebantur, dilexit Deus, et vocavit eos de tribulatione et tenebris Ægypti Vocavit autem apostolos et doctores Ecclesiæ, a quibus vocati, recesserunt a facie eorum, et adoraverunt Beelphegor, hoc est suis vitiis et libidini servientes, immolabant simulacris quæ sibi finxerant. Singuli enim hæreticorum habebant deos suos, et quodcunque simulaverint, quasi sculptile colunt et conflatile.

« Et ego quasi nutritius Ephraim. » Narrat quo amore Israel dilexerit vocando ex Ægypto, secundum illud Deuteronomii : Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium, etc. « Portabam eos in brachiis meis, » id est in fortitudine mea, Acsi diceret : Ego qui eram pater, factus sum nutritius, et parvulum meum in ulnis meis ipse portabam, ne læderetur in solitudine, et ne vel æstu in die, vel tenebris terreretur in nocte : in die eram nubes, in nocte columna ignis. « Et nescierunt quod curarem eos, » id est cum peccassent, et fecissent sibi caput vituli, dedi eis locum pœnitentiæ, et ignoraverunt quod curare eos vellem, id est mundare ab idolis suis. « In funiculis Adam traham eos, id est in affectu dilectionis quo Adam dilexi : quia sicut eum sanctum feci, ita et illos sanctificare volui et mundos reddere. Unde et subditur : « in vinculis charitatis, » id est in summo affectu dilectionis. Unde et in alia translatione habetur : In funiculis hominum traham eos. Et est sensus : ea charitate qua dilexi et astrinxi mihi Abraham, Isaac et cæteros sanctos conjungam mihi et istos. « Et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, » id est auferam ab eis jugum legis, ut non pereant secundum gravissimum pondus ejus, quo ait : « Qui fecerit idolum, et qui immolaverit Moloch, morte moriatur » Quia enim misericordiam potius quam vindictam volo, jugum legis sublevabo, ne ponderi illius succumbant, vel jugum captivitatis et dominationis cunctarum per circuitum nationum auferam ab eis. « Et declinavi ad eum ut vesceretur, » id est dedi ei escam manna in deserto ut pasceretur. Quod enim declinavi ad eum, ita est intelligendum ; declinare

feci ad eum cibos. Possumus et hæc verba ad adventum Dominicæ incarnationis referre. Intantum (inquit) dilexi eos, et tam clemens pastor fui, ut morbidam ovem humeris meis ipse portarem. Ipsi vero ignoraverunt quod mea illos passione curarem, et quia amator sum hominum, traherem illos ad credendum vinculis charitatis, juxta illud : Nemo venit ad Patrem nisi per me. Et arbitrati sunt jugum meum leve esse gravissimum, et declinavi ad eos deserens regna cœlorum, ut cum eis versarer assumpta forma hominis; dedique eis cibum corporis mei.

« Non revertetur in terram Ægypti. » Populus Israel sub Manahen, rege decem tribuum, voluit fugere in Ægyptum a facie Sennacherib auxilium flagitans. Contra quem hic loquitur Dominus, dicens : « Non revertetur (inquit) in terram Ægypti, » ut scilicet habeant regem Pharaonem : « sed Assur ipse rex ejus est, » id est Sennacherib, ac posthac erit rex ejus, quia captus in captivitatem ducetur, et dominabitur illius jure victoris. Quare autem talia patiantur, aperitur cum subditur : « quoniam noluerunt converti » per pœnitentiam, confisi in homine potiusquam in Deo.

« Cœpit gladius in civitatibus ejus, et consumet electos ejus. » Vide quantum pondus miseriarum, ut non agri, vel possessiones, ac rura vastantur, sed medias civitates hostis introeat. Cœpit (inquit) gladius in civitatibus ejus, subaudis interficere, « et consumet electos ejus, » principes videlicet, ac robustiores exercitus ejus, « et comedet capita eorum. » Quod ipsos significat principes, qui jure capitis cæteros regunt.

« Et populus meus pendebit ad reditum meum, » id est, cum tempus venerit captivitatis, et gladius consumpserit omnes bellatores illius, nec poterit aliquod invenire præsidium, tunc plebs mea miserabilis sero pœnitentiam aget, hostibus cuncta vastantibus pendebit ad meum reditum, et suspirabit, ac converti captabit; sed non proderit, quia quondam fuit populus meus, nunc autem non. « Jugum autem imponetur ei simul, quod non auferetur. » Quia usque hodie adhuc servi permanent in montibus Persarum et Medorum. Potest hoc et ad tempora Romanorum referri, quia tunc Judæi ultima et perpetua sunt captivitate damnati.

« Quomodo dabo te, Ephraim, protegam te, Israel ? » id est non protectione dignus. More pii patris hic Dominus loquitur ad Israel. « Quomodo (inquit) dabo te ? » id est quomodo potero te dare in captivitatem sine meo dolore ? quomodo te protegam, et quid tibi faciam, et qua arte te corripiam, et quomodo te meo auxilio denudabo sine maximo cordis dolore ? Hic enim loquitur quasi pater pius. » Quomodo dabo te ? ut Adama, » subaudis, dabo te ; » ponam te sicut Seboim, » id est licet non sine dolore, tamen tradam te, et redigam te in pulverem et in solitudinem vastam, et delebo usque ad cineres et favillas, sicut delevi Adamam et Seboim, et reliquas civitates Sodomorum. Notandum quod ubi contra duas tribus Dominus loquitur per prophetas, non Adama ponitur et Seboim, sed Sodoma et Gomorrha. Unde in Isaia legimus, « Audite verbum Domini, principes Sodomorum : percipite legem Domini Dei nostri, populus Gomorrhæ. » Et Dominus in Evangelio discipulis, « Tolerabilius erit Sodomæ et Gomorrhæ quam civitati quæ non receperit vos. » Et ad Jerusalem Ezechiel. « Justificata est Sodoma ex te. » Quando autem decem loquitur tribubus, non Sodoma et Gomorrha, sed cæteræ ponuntur civitates illi subjectæ, propter hoc videlicet, quia licet decem majores essent numero, præminebant tamen duæ dignitate quadam templi et sacerdotii. Ideoque gravius peccaverunt quam decem, quæ his omnibus carebant, et insuper ab Jerusalem longe erant remoti. Similiter Sodoma et Gomorrha majores fuerunt in scelere, quia nequitia horum cæteris principabatur. Subjectæ quoque secutæ sunt, ideoque gravius erit illis. Similiter gravius erit duabus tribubus, quæ etiam in templo Domini coluerunt idola, quam decem. Servus enim qui scit voluntatem Domini et non facit, plagis vapulabit multis. Unde ecclesiastici viri, si iisdem quibus et hæretici continentur sceleribus, nequaquam Adamæ et Seboim, quæ inferiores sunt, sed Sodomæ et Gomorrhæ, quæ majorum criminum sunt, cruciatibus subjacebunt. « Conversum est in me cor meum pariter, conturbata est pœnitudo mea, » id est monstrata est mea voluntas paterno affectu, quia statim ut locutus sum adversum te malum, et crudelem protuli sententiam, tetigit me pietas vincente misericordia, veluti austeritatem judicis pietas mitigat patris. Statim ut locutus sum me Ephraim et Israel sicut Adama et Seboim positurum, mea commota sunt viscera, et pœnituit me meum quondam populum delere perpetuo. Sic enim loquitur hic Dominus : Veluti si quilibet vestrum quidam dicat : Occidam te, et statim pœnitentia ductus subjungat : Mea culpa, quia taliter locutus sum adversum te.

« Non faciam furorem iræ meæ, » id est de mea clementia non mutabor ut disperdam Ephraim, si in me pœnitentiam egerit. Unde sequitur, « Non convertar, » a mea scilicet clementia ad crudelitatem, « ut disperdam Ephraim, » id est populum decem tribuum : non enim percutio ut disperdam in perpetuum, sed ut emendem. Crudelitas quippe mea pœnitentiæ et pietatis occasio est. « Quoniam Deus ego sum, et non homo, in medio tui sanctus. » Homo ad hoc percutit ut perdat, ad hoc irascitur ut vindicet, cujus judicium supplicium est. Deus autem ad hoc corripit ut emendet, ad hoc flagellat ut corripiat. Quod vero sequitur : In medio tui sanctus, taliter est intelligendum : Si pœnitentiam agere volueris, in medio tui ero, et habitabo tecum, et salvabo te, « et non ingrediar civitatem. » Ad hoc scilicet ut puniam, sicut judices, quia non sum unus de his quæ in urbibus habitant, et humanis legibus

legibus vivunt. Judæi hanc sententiam ita intelligunt: Si pœnitentiam egeris, non ingrediar civitatem gentium, sed tecum morabor. Aliter: Duas civitates sæpe legimus, unam videlicet quam cœpit Cain, alteram Abel: una malorum est, altera justorum. Non ergo ingreditur dicens civitatem eam, quam parricida exstruxit, quæ ex scelere fabricata est, sed in civitate Abel perpetuo manet. Possumus hæc eadem ad hæreticos referre, deceptumque ab eis populum. Dicitur ergo hæreticis quod, nisi pœnitentiam egerint, ponantur sicut Adama et Seboim, ut nullam spem habeant salutis. Rursumque clementissimis Pater dicit se mutare suam sententiam, et pœnitere quod talia sit locutus, ut illos quoque ad pœnitentiam et conversionem provocet. Non faciam (inquit) in furore meo, non disperdam Ephraim, quantum, inquit, in me est, quantum ego cupio, si errorem veritate correxerit, si me magis amaverit quam principes hæreseos. Deus enim ego sum, et non homo: lapsis manum porrigam, errantes ad salutem vocabo; et quia sanctus sum propterea non ingrediar civitatum conciliabula et urbes hæreticorum: foras exeuntes de urbibus suis libenter recipio; in civitates illorum non ingrediar.

«Post Dominum ambulabunt.» Vox prophetæ, acsi diceret: Quia tanta est misericordia Domini, ut etiam peccantibus veniam polliceatur, et prospera repromittat: « post Dominum ambulabunt, » id est eum imitabuntur conversi ad illum. « Quasi leo rugiet, quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris. » Leo, quando famem patitur, magnum solet rugitum emittere; ad cujus vocem omnes bestiæ et volatilia pavent, stantque fixo gradu. Domini itaque rugitus fuit comminatio captivitatis, quando ait: « Sicut Adama ponam te et sicut Seboim.» De quo et Amos dicit: Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam. Vel etiam rugitus illius terror intelligitur gentibus incussus, ut Judæorum solveretur captivitas. Rugitus quoque illius fuit, quando præsens in carne, ait: « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. » Ad hanc enim vocem, quando verus leo infremuit, etiam falsus leo, qui est, juxta apostolum Petrum, adversarius noster, illico conticuit. Rugit etiam quando dixit: « Tunc dicet rex his qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. » Erit autem hic rugitus perfectus et apertus, quando veniente eo ad judicium, non solum homines, sed angeli etiam pavebunt. Unde subditur: « Et formidabunt filii maris, » hoc est filii hujus sæculi. Mare enim sæpe præsens sæculum significat.

« Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum: et collocabo eos in domibus suis. » Judæi hæc omnia adhuc ventura præstolantur. Nos autem quia jam transacta cognoscimus, dicamus, quia de Ægypto et de Assyriis, hoc est, ab oriente et occidente, aquilone et meridie, fideles ad fidem convolant Christi, simplicitatem et innocentiam columbæ imitantes, ut postmodum possint avolare de potestate dæmonum, ut collocentur in domibus suis, hoc est in cœlestibus mansionibus, in sinu videlicet Abrahæ, Isaac, et Jacob. Si autem ad hæreticos specialiter hoc referre volumus, audita voce leonis, judicium damnationis ejus comminantes, qui fuerant nati ex amaris aquis hæreticorum, assument pennas, et volabunt quasi avis, vel quasi columba de terra Assyriorum, id est dæmonum, vel de Ægypto, id est mœrore tribulationis, a quibus liberati, habitent in domibus suis, hoc est in fide Ecclesiæ.

« Circumdedit me in negotiatione Ephraim, et in dolo domus Israel, » id est negavit me Ephraim, hoc est, Jeroboam idola colens, et deitatis honorem mihi non reddidit. Israel quoque deludere voluit, faciens idola, quasi in ipsis esset aliquid divinitatis. « Judas autem testis descendit cum Deo et cum sanctis fidelibus.» Tradunt Hebræi: quia, cum egrederentur filii Israel de Ægypto, et esset eis ex una parte mons altissimus, et ex alia mare Rubrum, ex tertia vero hostes, et ita inclusi traderentur, cæteris tribubus dubitantibus, et in Ægyptum redire volentibus, Judas (hoc est duæ tribus qui habitant templum, legem, prophetas) testis verborum Domini, cujus præcepta servabat, descendit cum Deo, id est semetipsum humilians, Domini vestigia secutus est, et hoc cum sanctis fidelibus, hoc est cum eis qui in fine pertransierunt, vel certe cum patribus quorum opera imitabatur. Circumdant hæretici Dominum in mendacio, imo in negatione. Quidquid enim loquuntur, negant, imo mendacium est: et circumdant eum in dolis, id est in impietate domus Israel, dum universa quæ simulant, artificioso sermone componunt, et impietatem contra Deum loquuntur. Judas autem, hoc est vir ecclesiasticus, non superbit, non inflatur tumore hæretico, sed humiliatur cum Deo, et cum sanctorum choro fidelis est. Sive testis fidelis est et robustus, dum ædificat domum supra petram, quæ nulla tempestate quatiatur.

CAPUT XII.

« Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum. » Narrat historia Manahen, regem Israel, pace facta cum Assur, ab Ægyptiis auxilium postulasse. Hoc est, itaque quod hic dicitur, Ephraim pascit ventum, hoc est vana spe decipitur, fiduciam ponens in homine. Et sequitur æstum, id est pergit ad Ægyptum, quæ in meridiana parte mundi sita est. « Tota die mendacium et vastitatem multiplicat.» Tota die, id est omni tempore, mendacium, id est idola et vastitatem calamitatis videlicet, et afflictionis sibi multiplicat, et eversionem suis urbibus præparat. « Et fœdus » videlicet « cum Assyriis iniit » Manahen, sicut supradictum est, qui misit eis, id est Assyriis munera, ut sibi eos fœderarent. « Et oleum in Ægyptum ferebat.» Postquam fœdus cum Assyriis iniit, et sibi Sennacherib conjungere non potuit, sed cognovit eum adversum se venire, mi-

sit munera Pharaoni. Inter quæ etiam ei oleum direxit, quod clarissimum ac pretiosissimum nascitur in Samaria, porro in Ægypto non reperitur. Tentemus hæc eadem hæreticis coaptare. Ephraim pascit ventum, id est suis operibus lætificat dæmones. Et sequitur æstum, qui contrarius est floribus, et germinantia cuncta disperdit. Unde et Septuaginta ventum urentem ponunt. Tota die mendacium, hoc est falsam doctrinam, et vastitatem, hoc est interitum sibi suisque multiplicat, dum proprio non est errore contentus, sed multos sibi discipulos vanitatis aggregat. Fœdus quoque cum Assyriis ineunt, id est, cum dæmonibus pacem habent, quorum voluntati obsequuntur : et oleum in Ægyptum ferunt, quia cum sint in tenebris erroris, scientiam Spiritus sancti se habere mentiuntur, quem non merentur, qui extra Ecclesiam sunt.

« Judicium ergo Domini cum Juda. » Captivitatis scilicet et miseriarum, quia decem tribubus pro peccatis suis captivatis, non egit pœnitentiam, sed insuper pejus operatus est, intantum, sicut Ezechiel propheta manifestat, ut vinceret sorores suas sceleribus suis. « Et visitatio, » id est magnitudo tormentorum et flagella atque supplicia, « super Jacob, » id est, super duas tribus, quæ ex semine ejus ortæ sunt. « Juxta vias ejus, et juxta adinventiones ejus reddet ei, » id est, qualia fecit, talia recipiet. Non enim fortuitu tantum concidit, et humana concidit fragilitate, sed inquisivit, et adinvenit in quibus peccaret.

« In utero supplantavit fratrem suum. » Veteris hic recordatur historiæ, ut Dei misericordia erga Jacob, et illius duritia contra Deum cognoscatur, quoniam, cum adhuc esset in utero Rebeccæ, supplantavit fratrem suum Esau, non utique fortitudine propria, sed Dei dispositione, qui eum sibi fidelem putabat futurum patriarcham. « Et in fortitudine sua directus cum angelo. » Quando missus est a patre suo in Mesopotamiam, vel quando ad torrentem cum Jacob tota nocte angelus luctatus est, a quo benedictionem accipiens, audivit : Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis ?

« Et invaluit ad angelum : » Precibus impetrans ut sibi benedictionem daret. « Et confortatus est. » Ipsius benedictione quem vicerat, quando dictum est illi : « Non vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum. » « Flevit, et rogavit eum. » Quando dixit, « Non dimittam te nisi benedixeris mihi. » Ista enim est luctatio quam gessit cum angelo, precibus tenens illum ut sibi benediceret, non viribus operis. « In Bethel invenit eum. » Ordo præposterus est. Prius enim patris matrisque acquiescens consilio, dum fugeret a facie fratris sui, angelum in Bethel, quando submittens lapidem capiti, obdormivit; ibique angelos Dei vidit ascendentes et descendentes, et audivit Dominum subnixum scalæ, dicentem sibi : « Jacob, Jacob, noli timere, ego sum Dominus Deus patrum tuorum : descende, eroque tecum, et redu-
A cam te. » Quam ob causam vocavit nomen loci illius Bethel, id est domus Dei. « Et ibi locutus est nobiscum » in patre scilicet nostro, dicens illi : « Terram in qua dormis, tibi dabo et semini tuo. »

« Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus, » id est hoc memoriale nominis sui dedit illi ut diceretur Israel, hoc est vir videns Deum. Quod nomen usque nunc retinent filii ejus. Ipse enim suo nomine quod ab angelo ei impositum est, semper nominis Dei recordatur, a quo et ita vocatur.

« Et tu ad Dominum Deum tuum converteris. » Apostropham facit Propheta ad Judam : Cum hæc (inquit) ita se habeant, tu, o Juda, converteris ad Dominum Deum tuum, pœnitentiam agendo et in eum fideliter credendo. Quod tunc impletum est,
B quando una die crediderunt tria millia, alia quinque millia, et deinceps multa millia. « Misericordiam et judicium custodi, et spera in Domino Deo tuo semper. » Primum tibi miserere, juxta quod scriptum est : Miserere animæ tuæ placens Deo. Deinde etiam aliis misericordiam impendere stude, juxta illud : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, etc. Deinde etiam custodi judicium discretionis inter bonum et malum, Deum et diabolum : et cum utrumque feceris, spera in Domino Deo tuo, semper bonis operibus ad majora proficiendo. Possumus hæc eadem quæ de Juda dicuntur referre ad ecclesiasticum quemlibet virum, qui a Domino corripitur, quod non sit pristinorum beneficiorum ejus memor, sed quotidie peccata peccatis consociet;
C quæ sint etiam ipsa beneficia exponit : Cum te (inquit) nascentem Ecclesia parturiret, supplantasti Esau, subaudis Judæum sive gentilem populum, ejus acceptis primogenitis, et in fortitudine tua directus es contra angelum, vel vincens malignos spiritus, vel roboratus benedictionibus angeli et invaluisti contra angelum, id est precibus tibi eum esse fecisti adjutorem, prævaleres etiam contra homines. Postquam autem habuisti victoriam, flevisti et rogasti angelum Domini, et peccatorum veterum recordatus, invenisti eum in Bethel, hoc est in domo Dei quod est Ecclesia, sive, secundum Septuaginta, in domo Oven, id est doloris, et lacrymarum, ac pœnitentiæ. Et ut sciremus quis sit iste Judas, ibi inquit, hoc est in Ecclesia locutus est nobiscum,
D id est nobis Christianis. Et ex eo tempore Christi censemur nomine, et ipso dirigente corrigimur. Itaque, o vir ecclesiastice, qui appellaris Judas et confitens, convertere quotidie per pœnitentiam ad Deum tuum; et si forte peccaveris, convertere ad Deum tuum, quemadmodum agebat Propheta clamans : Laboravi in gemitu meo. Serva etiam Dei mandata; fac in aliis misericordiam, ut et ipse misericordiam consequaris. Spera quoque in Domino Deo tuo semper, sive appropinqua Deo jugiter, in omni tempore in virtute proficiens, ac propinquans Deo tuo semper.

« Chanaan, in manu ejus statera dolosa. » Monuerat Judam superius ut converteretur ad Domi-

num Deum suum, et misericordiam atque judicium servans, speraret in Domino Deo suo semper : nunc ad Ephraim, id est ad decem tribus sermo convertitur, quæ Chanaan appellantur, non per naturam, sed per imitationem, juxta illud quod loquitur Daniel ad presbyterum, qui utique de semine Judæ erat : « Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te. » Et in Ezechiele ad Hierusalem dictum legimus : « Pater tuus Amorræus, et mater tua Cethæa. » Stateram dolosam inter Ephraim, contra illud : Sit tibi æquus modius, justusque sextarius. « Calumniam dilexit, » id est non solum habuit stateram iniquam ac dolosam, sed etiam calumniam dilexit, id est oppressionem pauperum, quos per potentiam exspoliavit.

« Et dixit Ephraim : Verumtamen dives effectus sum. » Nunc manifestius ponit quis sit iste Chanaan, id est decem tribus quæ dixerunt : « Dives effectus sum, » id est omnibus temporalibus bonis abundo. Et est sensus : Non curo undecunque hæc mihi congregaverim, cum tamen habeam quod possideam. Hoc morbo laborant multi, quia divitias quas habent, pauperibus non erogant, nec pro his Deo gratias agunt, de quibus scriptum est : Divitiæ congregatæ igni comburentur. Non enim fiunt illis redemptio, cum Scriptura dicat, « Redemptio animæ viri propriæ divitiæ, » et Dominus de Evangelio : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. » « Inveni idolum mihi. » Ipsas divitias, quibus erat refectus, idolum appellat. Sicut enim gulosis Deus venter est, ita et avaris aurum idolum est. Vel certe veraciter hoc dicunt, quia idola pro Deo colebant.

« Omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem quam peccavi. » Sensus est : Quidquid peccavero, quia divitias habui, ab his' qui meo auxilio indigent, non mihi imputabitur. Quia enim bonis meis indigent, non me pro peccatis meis accusabunt, quin potius laudabor ab illis, sicut scriptum est : Et qui iniqua egerit, benedicetur. Hæc enim duo, divitiæ scilicet et famulorum ambitio, accusatione carent. Diviti enim plurimi sunt amici Hæc omnia hæreticis aptantur, in quorum manu est statera dolosa : quia quoscunque possunt, fraudulenter decipiunt. Calumniam quoque diligunt, dum innocentes persequuntur, et per potentiam opprimunt : qui postquam alios deceperint, solent dicere : Divites facti sumus multitudine discipulorum qui nos sequuntur. Invenimus idolum nobis, idcirco vel maxime hæreses componuntur, ut devorent domos viduarum, quæ semper discunt, et nunquam ad scientiam veritatis perveniunt. Et pulchre ait : « Inveni idolum mihi. » Omnia enim hæreticorum figmenta idola sunt, et ab impietate gentilium nihil differunt ; solent atque dicere : Quidquid fecero, quidquid egero mihi non poterit imputari. Habeo enim divitias meas, argumenta philosophorum, habeo multitudinem populi, quam qui aspexerit non me arbitrabitur peccare.

« Ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti. » A Sensus est : Te lætante in scelere et gloriante in multitudine divitiarum, intantum ut diceres : « Dives effectus sum, inveni idolum mihi, » licet graviter peccares, ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, quando serviebas Pharaoni, et ædificabas de luto et paleis civitates, adhuc tribuo tibi locum pœnitentiæ ; unde subditur : « Adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis. » Dies festivitatis scenopegiam vocat, quæ septimo a Pascha mense celebratur, et in memoriam suæ egressionis de terra Ægypti, in tabernaculis habitabant filii Israel. Sicut (inquit) eo tempore de Ægypto te liberavi, et in tabernaculis per quadraginta annos habitare feci, sic et nunc faciam, educens te de captivitate, ut in diebus etiam festivitatis scenopegiæ, B more patrum tuorum in tabernaculis sedeas, si tantum feceris quæ præcepi.

« Et locutus sum super prophetas, » id est per prophetas, ut per Moysen, per Isaiam, Jeremiam, et cæteros. « Et ego visionem multiplicavi. » Unde Isaias : « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. » Et Daniel : « Aspiciebam in visu noctis, et ecce Filius hominis veniebat. » « Et in manibus prophetarum assimilatus sum. » Ut Adam typum illius tenuit, qui dormiens ex suo latere formavit Evam, ut Christus Ecclesiam in cruce, sicut Jonas : unde Dominus : « Sicut fuit Jonas in ventre ceti ; » sicut David qui stravit Goliam, sicut Isaac pro quo aries immolatus est, ad eos quoque qui hæreticos sunt secuti, dicitur ut revertantur ad Deum, qui magis C vult pœnitentiam peccatoris quam mortem. Ipsum enim esse qui eos eduxerit de Ægypto, id est de tenebris et errore gentilium, credi oportet. Et ne forsitan peccati memores tardius revertantur : Adhuc (inquit) sedere vos faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis, ut quod fecit baptisma, hoc faciat et pœnitentia, et habitent in tabernaculis Salvatoris, hoc est in ecclesiis, de quibus dicitur : « Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. » Et ne putent hæresiarchas et principes erroris sui Dei locutos Spiritu : Ego sum, inquit, qui locutus sum ad prophetas, et non ad magistros vestros, et ego visiones multiplicavi, et in manu prophetarum eorum qui sunt in Ecclesia constituti, assimilatus sum.

« Si Galaad idolum, ergo frustra errant in Galgal D bubus immolantes. » Galaad et mons est, et civitas juxta eumdem montem sita trans Jordanem in tribu Gad, de qua superius legimus : « Civitas operantium idolum, supplantata sanguine. » Galgal vero in tribu Juda prope Bethel, de qua supradictum est : « Omnis nequitia eorum in Galgal. » Quia ergo et decem tribus, quæ significantur per Galaad, et duæ quæ exprimuntur per Galgal, in iisdem locis idola colebant, recte dicitur : « Si Galaad idolum, » etc., id est si decem tribus idola colunt, quæ templo, sacerdotibus, et Dei religione carent, tamen tu, o Juda, frustra Deum dereliquisti, et in Galgal idola veneraris, cum habeas templum, sacerdotium, et cætera quæ ad verum ritum pertinent. Porro boves,

vitulos appellat. « Nam et altaria eorum quasi A acervi super sulcos agri, » subauditur, remanebunt, et relinquentur absque cultura, illis in captivitatem ductis, sicuti tumuli de lapidibus et arenis congregati.

« Fugit Jacob in regionem Syriæ. » Historiam Geneseos tangere propheta videtur, loquens de fuga Jacob, qui fugit ad Laban avunculum suum in regionem Syriæ, de quo et supra dixerat : « In utero supplantavit fratrem suum, et in fortitudine sua directus est cum angelo. » « Et servivit Israel ; » hoc est ipse Jacob, « in uxore, » id est propter uxorem, Rachel scilicet, septem annis pascens oves avunculi sui. « Et in uxore servivit, » pro alia videlicet alios septem.

« In propheta autem eduxit eum Dominus de Ægypto, et in propheta servatus est. » Quia de Jacob et Israel historiam texere cœperat, conjungit patri filios, dicens : « In propheta eduxit eum Dominus de Ægypto, » in Moyse videlicet, quo monente egressi sunt de terra Ægypti. Vel certe, si altius hæc volumus intelligere, Dominus, id est Deus Pater, in propheta, id est in Christo, populum suum de tenebris infidelitatis eduxit. Porro in propheta idem populus servatus est, quando pro peccato vituli, Domini ira sæviente, prostratus coram eo dixit : « Aut dimitte eis, aut dele me de libro tuo, » etc., quousque responsum est ei : « Dimisi juxta verbum tuum. » Non errabit, qui supplantatorem Jacob et Israel videntem Deum in typo Domini dixerit præcessisse, C et Rachel primo sterilem atque formosam, quam plurimum dilexit Jacob, significare Ecclesiam : Liam autem lippientibus oculis atque fecundam, Synagogæ sacramenta monstrare, et quod ipse credentium populum eduxerit de tenebris hujus sæculi, et ad lucidissima Jordanis fluenta, id est baptismum pervenerit.

« Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis. » Sensus est : Cum ego Ephraim, id est omnes decem tribus de Ægyptia servitute liberaverim, multaque bona illi concesserim, provocavit me, qui sum natura dulcissimus, in suis amaritudinibus, id est fecit me amarum, et coegit reddere vindictam. « Et sanguis ejus super eum veniet, » id est ipse erit causa mortis ejus, id est propter peccatum suum D ducetur captivus, et interficietur ab hostibus, secundum quod David ad eum, qui se Saulem interfecisse nuntiabat, dicit : « Sanguis tuus super caput tuum. » « Et opprobrium ejus restituet ei Dominus Deus tuus, » id est vindictam blasphemiæ qua dixisti : « Isti sunt dii tui qui te eduxerunt de terra Ægypti, » faciet Dominus super te venire. Semper hæretici clementissimum Dominum ad iracundiam provocant, et qui magis vult pœnitentiam peccatoris quam mortem, duritia cordis sui punire compellunt. Et sanguis eorum, quo et suum et multorum effuderunt sanguinem, veniet super eos, et opprobria quibus Domino blasphemabant restituet eis Dominus Deus suus, non quod eorum Dominus sit, sed quod quondam Dominus eorum fuit.

CAPUT XIII.

« Loquente Ephraim, horror invasit Israel. » Loquente Ephraim, id est Jeroboam, filio Nabath, de tribu Ephraim, et præcipiente ut idola colerent, horror, id est timor nimius invasit Israel, intantum ut Deum derelinqueret, et idolis sacrificaret. Unde subditur : « Et deliquit in Baal, » idolo scilicet Sidoniorum, qui et ipse est Bel, « et mortuus est, » infidelitate perdens eum, qui dicit : « Ego sum vita. » Scriptum est enim : « Anima quæ peccaverit ipsa morietur. »

« Et nunc addiderunt ad peccandum. » Pec- B catum idololatriæ peccato copulantes, « feceruntque sibi conflatile, » id est vitulum, « de argento suo, » ut scilicet haberent ipsi quoque suos vitulos, « quasi similitudinem idolorum. » Quia enim rex habebat deos aureos, ipsi, id est populi subjecti, secundum suam possibilitatem in similitudinem illorum fecerunt sibi deos argenteos. « Factura artificum totum est, » id est opus hominis, non Dei. « His ipsi dicunt : Immolate homines, vitulos adorantes. » Sicut verbi gratia fecit Manasses et multi alii, de quibus scriptum est : Immolaverunt filios suos et filias suas dæmonibus. Acsi aperte diceret : Vos, cultores idolorum, quia hostiæ non suppetunt, filios et filias vestras idola vobiscum colentes, id est vitulis immolate. Sin autem (ut quidam volunt) dæmones loquuntur ad populum : « Immolate homines, » vitulos enim deferunt. Ostenditur ingluvies eorum qui sanguine victimarum aluntur et holocaustorum fumo, quod, deficientibus hostiis, homines cupiunt immolari, quorum non solum interitu, sed et cruore lætantur.

« Idcirco erunt quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus pertransiens : sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus fumario. » Quia (inquit) homines vitulis, imo uno vitulo immolaverunt, et adoraverunt vitulos, idcirco erunt quasi nubes, etc., quæ omnia videntur ad tempus, et cito esse desinunt. Nubes enim et ros sole adveniente fugantur et exsiccantur ; pulvis quoque de area raptus, et fumus de fumario in tenues auras dissolvuntur. Unde est : Sicut deficit fumus, deficient. Et est sensus : sicut hæ quatuor subito dilabuntur, sic illi subito ducentur in Assyrios. Unde supra dictum est : « Sicut mane pertransit, ita pertransiit rex Israel. » Nubi autem matutinæ, et rori, et pulveri hæretici comparantur, de quibus in Epistola catholica legimus : Hi sunt nubes sine aquis. Habent enim speciem prophetarum et nubium apostolicarum, ad quas Dei veritas pervenit, sed non habent aquas, id est gratiam Spiritus sancti, de quo Dominus dicit : « Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. »

« Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti. » Fui subauditur, ex quo eduxi te de Ægypto : « et Deum absque me nescies, et præter me non est sal-

vator. » Refert nunc quod præstiterit illis, educens eos de Ægypto per manum Moysi, quando ait illis : Attende, ne forte comedas et satureris, ne forte obliviscaris Dei tui, qui te eduxit de terra Ægypti, etc. Non enim alius Deus præter me, et non est qui possit salvare alius.

« Ego cognovi te, » id est dilexi. Sicut enim nescire Dei, reprobare est, sic cognoscere, diligere est, atque eligere. Unde et Moysi dicitur : Novi te ex nomine, id est specialiter præ cæteris elegi. « In deserto in terra solitudinis, » subauditur cognovi te, ubi scilicet non erant messis vel vineæ, nec etiam arbores frugiferæ, sed rerum omnium penuria.

« Juxta pascua sua adimpleti sunt, » id est licet esse ibi indigentiam omnium bonorum, dedi illis manna de cœlo, aquarum fontes produxi de petra durissima. « Et saturati elevaverunt cor suum, » id est in superbiam erexerunt se repleti manna, carnibus, et potu spirituali. « Et obliti sunt mei, » cujus beneficiorum memores esse debebant, secundum illud quod scriptum est : « Incrassatus est dilectus, et recalcitravit. » Neque enim per tantam eremi vastitatem, ubi non solum fruges, sed et arbores vineæque, sed nec herba quidem gignitur, et nullæ aquæ ardorem temperant solis, per quadraginta annos poterat Israel ad terram pervenire Jordanis, nisi Dominus omnia præstitisset. Hæreticos quoque eduxit Dominus de tenebris infidelitatis, ubi serviebant Pharaoni et ducibus ejus, præcepitque eis in Ecclesia, ut alium nescirent deum nisi eum qui est Creator omnium populorum, et novit salvare quos fecit. Ipse cognovit et pavit in terra solitudinis, ut possint dicere : Dominus pascit me, et nihil mihi deerit. Deditque eis panem de cœlo, quem in Ægypto comederant nunquam, et aquas de consequente eos petra : petra autem, juxta Apostolum, erat Christus. Impletique pane divitiarum Scripturarum et saturati, elevaverunt contra Creatorem cor suum, et alterum sibi finxerunt deum obliviscentes Dei, qui præcesserat eis ut legis verba ante oculos religarent, et in manibus haberent, ne unquam obliviscerentur Dei sui.

« Et ero eis quasi leæna, et sicut pardus in via Assyriorum. » Leæna raptis catulis ferocior est omnibus bestiis, pardus quoque varius non minoris est sævitiæ. Et est sensus : Cum traditi fuerint hostibus, et ducti in captivitatem, ego, qui semper erga illos clementissimus exstiti, ferocitatem omnium bestiarum adversus eos exeram. Unde protinus subditur :

« Occurram eis quasi ursa raptis catulis, et disrumpam interiora jecoris eorum. » Aiunt qui de bestiarum scripsere naturis inter omnes feras nihil esse ursa sævius cum perdiderit catulos, vel indiguerit cibis ; et est sensus : Quia in corde adversum me sævientes cogitaverunt blasphemias, et adversum me protulerunt, convertar eis in omnes bestias, id est in omnem ferocitatem, et disperdam et conteram per Assyrios, atque interiora cordis eorum disrumpam, id est vitalia cordis eorum auferam. « Et consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos. » Ac si diceret : Tantæ iniquitatis sunt, ut etiam positi in captivitate, sævitiam meam merito sentiant. « Consumam ergo eos ibi, » veluti leo prædam devorat, « bestia agri scindet eos, » Sennacherib scilicet, vel diabolus in deserto hujus sæculi habitans. Notandum quod qui in Evangelio credentibus loquitur : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, » etc., usque : « Onus meum leve est, » nunc per prophetam incredulis et nolentibus agere pœnitentiam, leæna, pardus, ursa et leo efficitur.

« Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum. » Id est tu ipse es causa perditionis tuæ. Pro quo alia habet translatio : Pereas, Israel, qui in tantum impietatis descendisti profundum, ut solius Dei salveris misericordia. In me est enim tantummodo auxilium tuum, si pœnitentiam egeris, non ex te.

« Ubi est rex tuus ? Maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis. » Ironice ad eos divinus sermo profertur, qui contra Dei voluntatem elegerunt sibi regem, de cujus fortitudine præsumentes, victores se fore jactabant. Ubi est, inquit, rex tuus ? Jeroboam scilicet, vel etiam Saul, de quo dicebas Samueli : Constitue nobis regem, ut judicet nos. Cumque ille contradiceret, respondebat : Nequaquam, sed erit rex nobis, et egredietur ante nos, et pugnabit pro nobis. De quo ergo promiseras tibi, quod tua bella bellaret, maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis, cum jam imminent Assyrii, etiam ab imminente necessitate subveniat. Sed non habes regem hominem, quia me, quem projecisti, non habes Deum. « Et judices tui, » id est comites et cæteri principes, « de quibus dixisti : Da mihi regem et principes, » subauditur : Ubi sunt ?

« Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea. » Dabo tibi regem, Saul videlicet, in furore meo, intantum ut in diebus messis pluviam monstrarem contra naturam terræ repromissionis, et auferam in indignatione mea Sedechiam, quem erutis oculis in Babylonem ducam. Aliter : Dabo tibi regem, id est Jeroboam, in furore meo, et auferam in indignatione mea Osee, ultimum regem decem tribuum.

« Colligata est iniquitas Ephraim, » id est, quomodo si ligetur quod in sacculo conservatur, et non perit ei qui ligatum est, sic omnis iniquitas qua in Deum peccavit Ephraim, colligata est ei, et permanet usque ad tempus captivitatis ; unde subditur : « Absconditum peccatum ejus. » Non Deo, cui nuda et aperta sunt omnia, sed ipsi, qui usque ad tempus captivitatis voluit recognoscere illud.

« Dolores parturientis venient ei. » Cum venerit scilicet dies ultionis et captivitatis, et revelabitur ejus iniquitas et omnibus manifestabitur, tunc repentinis doloribus concutietur, veluti parturiens mulier affligitur et ingemiscit. « Ipse filius non sapiens. » Filius Dei Ephraim fuit, juxta quod scriptum est : « Filius primogenitus mihi Israel, » sed non sa-

piens, quia verum non cognovit Patrem Deum, pro quo idola coluit. « Nunc enim non stabit in contritione filiorum, » id est, cum parturitionis dies et captivitatis advenerit, non poterit sustinere malum et contritionem filiorum sufferre, qui præsentibus patribus interficientur; vel non stabunt, quia captivi ducentur.

« De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. » Eis loquitur Deus omnipotens, quos sua gratia liberare dignatur. De manu, inquit, mortis liberabo, id est de opere peccati, quod ad mortem trahit : quia enim manu opus agitur, recte manus peccati ipsum opus intelligitur, quo anima interficitur. Unde scriptum est : « Mors et vita in manibus linguæ ; » vel certe manus peccati, intelligitur potestas diaboli. De morte redimam eos, id est de inferno liberabo omnes Judæos et gentiles credentes ; unde subditur : « Ero mors tua, o mors, sero morsus tuus, inferne. » Mors illius fuit, quia sua morte mortem destruxit, quæ nullum suorum ibi reliquit. Momordit autem quando partem (suos videlicet electos) liberavit, partem autem reproborum ibi dimisit. Nam ex eo quod mordemus, partem consumimus, partem relinquimus : vel mors et infernus, diabolus intelligitur, quem momordit Christus, ut potestatem amitteret, non tamen penitus esse desisteret. Inter mortem autem et inferos hoc interest : mors est qua anima separatur a corpore ; infernus locus est in quo animæ recluduntur sive ad refrigerium, sive in pœnis pro qualitate meritorum. « Consolatio abscondita est ab oculis meis. » Videns clementissimus Pater quod omnes morimur, data sententia in Adam, dicit : Consolatio abscondita est ab oculis meis, pro eo quod omne genus humanum perire conspicio. Vel etiam propheta considerans omnes mori, et in infernum descendere, seque ad eos venturum esse prænoscens, dicit : « Consolatio abscondita est ab oculis meis. » Et est sensus : Non valeo consolari : nec quidquid mente concepero dolorem meum possum mitigare, dum considero inevitabilem necessitatem mortis.

« Quia ipse inter fratres dividit. » Ipse, id est infernus, dividit inter fratres, dum unum ab hac vita subtractum recipit, alterum superstitem relinquit. Quo in loco omnem intellige deesse charitatem, quod et mater dividatur a filia, et pater a filio, et frater a fratre. Itaque quidquid fraternitatis unitatem dividit et discordiam seminat, infernus merito appellatur. Duos autem fratres inter se morte divisos, juxta historiam illius temporis, quidam intelligunt Judam et Israel, ut quod tunc figurabatur in parte, tunc sentiatur in toto. « Adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem. » Ventum urentem illum debemus intelligere de quo Habacuc dicit : Deus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan. Deus enim Pater adduxit ventum urentem, hoc est Filium suum, peccata tollentem de deserto generis humani, in quo diabolus quærens requiem, invenire non potuerit; vel de utero virginis, quæ sine humore virilis seminis concepit; unde est : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Pulchre autem tam in Isaia quam in præsenti loco, flos sive ventus ascendens dicitur, quia de humilitate carnis ad excelsa conscendit, et nos secum ad Patrem duxit, dicens in Evangelio : « Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me. » « Et siccabit venas ejus, » id est peccata mortis ejus. Venas mortis peccata recte intelligimus, quibus per Christum siccatis, mors quoque ipsa siccabitur. « Et desolabit fontem ejus, » id est diabolum, de quo ipse ait : Nunc princeps mundi ejicietur foras. « Et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis. » Quod dupliciter accipitur : vasa enim desiderabilia sunt sancti, de quibus Paulus dicit : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus : » vel certe : quos diabolus veluti vasa in æternum tenere desiderabat, ipse Christus veniens ab ejus potestate diripuit, et quasi vasa pretiosissima secum perduxit in paradisum.

CAPUT XIV.

« Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum. » Sæpe diximus decem tribus appellari Samariam, a metropoli Samaria, quæ ex nomine Augusti nunc vocatur Augusta, id est Sebastia. Cur autem Samaria dicta sit civitas in Regum volumine legimus. Loquitur itaque propheta hic non optative, sed prædicando, dicens : « Pereat Samaria, quia ad amaritudinem concitavit Deum suum, » cum esset dulcissimus colendo, et coegerit eum peccantibus reddere vindictam, « in gladio, » subaudis Assyriorum. « Pereat : parvuli ejus elidantur, » id est conterantur ad terram, « et fetæ ejus discindantur, » id est prægnantes gladio disrumpantur in mortem, quæ omnia ei accidisse credendum est tempore captivitatis et angustiæ, quando suam patriam perdiderunt, et qui evaserunt gladium in servitutem perpetuam sunt adducti.

« Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. » Hæc verba, quantum ad historiam pertinent, ad decem tribus quæ appellabantur Ephraim dicta sunt, quæ dereliquerunt Dominum Deum suum, et adoraverunt vitulos quos fabricaverat Jeroboam. Spiritualiter vero, referri possunt ad unumquemque peccatorem, qui recedens a Creatore suo, subdit se idolo, hoc est omni mendacio, et sperat salvari ab Assur, id est diabolo, qui est auctor mendacii, sicut et pater ejus. Dicamus ergo breviter utrumque, et sic historialem intelligentiam, et juxta spiritualem ad unumquemque referendo. Superius prædixit propheta decem tribubus ad quas loquebatur calamitates et ærumnas quæ sibi imminebant ; nunc alloquitur eas, hortaturque et dat consilium, qualiter deprecentur Dominum, postponendo idola, et convertendo ad Deum : « Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum, » ab iniquitate ad justitiam per confessionem peccatorum, et operationem bonorum operum, « quoniam corruisti in iniquitate tua, » fabricando idola

et adorando dæmonia. Corruisti per idololatriam, consurge per cultum et religionem Dei tui adimplendam. Sic unusquisque nostrum debet agere. Infirmati sumus, et corruimus in peccatum : consurgamus ad pœnitentiam, facientes fructus dignos pœnitentiæ, ut Joannes Baptista præcinit, et revertamur a nostris operibus pravis.

« Tollite vobiscum verba, » o populi decem tribuum, « et convertimini ad Dominum, et dicite ei. » Duo agit propheta : hortatur eos ad pœnitentiam, et de quo fundant orationes ad Dominum. Tollite, inquit, vobiscum verba, hoc est : Proferte preces et delictorum confessionem, et convertimini ad Dominum tam verbis quam operibus. Ille enim vere et veraciter convertitur a sua iniquitate ad bona opera peragenda, qui hoc quod credit et corde tenet, prædicat ore et implet opere. « Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum. » Talia debet unusquisque fidelium dicere : « Omnem aufer iniquitatem, » id est ab omnibus nos emunda peccatis, juxta illud : « Ab occultis meis munda me. » Et accipe bonum, confessionem scilicet, precesque non fictas et gratiarum actionem. Quod adjungit propheta : Reddemus vitulos labiorum nostrorum, mirabiliter loquitur. Quis unquam vitulos in labiis, nisi sumpta pars fuerit ad edendum ? Non præcipit offerre vitulos et sacrificia, victimasque quas solebant Judæi in templo offerre, sed per vitulos labiorum debemus intelligere laudes et gratiarum actiones, juxta illud Psalmistæ : Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua; et illud : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus. » Sic et unusquisque nostrum vitulos, hoc est laudes, Deo omnipotenti reddit, cum confitetur se credere in Deum, Patrem ingenitum, Filium genitum, verum Deum et hominem credens, Spiritum sanctum procedentem a Patre et Filio, Trinitatem in distantia personarum, unitatem in Deitatis potentia habere. Et hoc agens, adimplet illud Apostoli : « Corde, inquit, creditur ad justitam, ore autem confessio fit ad salutem. »

« Assur non salvabit nos, super equos non ascendemus. » Dicit beatus Hieronymus, quia traditio Judæorum est, quod temporibus Manahen, regis Israel, miserit ipse rex Manahen et populus decem tribuum mille talenta argenti Phul regi Assyriorum, ut esset manus ejus cum eis, et haberet pacem cum eis, præberetque auxilium ad resistendum Ægyptiis. Inter quæ munera etiam illos duos vitulos misisse illi, quos sacerdotes eorum fecerant ex ære, et deauraverant pro aureis quos Jeroboam fecerat, quorum aurum ipsi sacerdotes populo ignorante in suos usus transtulerunt, fabricantes æneos loco illorum; de quibus vitulis Propheta superius dixit : Et ipse (subauditur vitulus) in Assur delatus est munus regi ultori, ponens singularem numerum pro plurali; ideoque dixit Propheta, ex persona populi loquens : « Assur non salvabit nos. » Acsi diceret aliis verbis : Possumus spem nostram super Assyrios ponere, ut nos protegant, sed non sumus tuti et protecti ab eis. Nunc ergo jam non habemus fiduciam in homine, sed in te, qui es Deus noster, quia maledictus homo qui confidit in homine, et a Domino recedit cor ejus; et quod addit : « Super equos non ascendemus, » demonstrat quia confisi super Ægyptios sunt, qui velocissimos equos habebant. Et est sensus : Super equos non ascendemus, hoc est non habemus ultra spem in Ægyptiis, sed in te erit refugium nostrum. Allegorice si volumus istud intelligere, per Assur possumus accipere diabolum, per equum vero superbiam illius. Si quis ergo nostrum fiduciam habuerit in Assur, placans eum muneribus, pessimis scilicet operibus, quibus ipse delectatur, ut ascendat equum, hoc est super arrogantiam illius, eveniet ei hoc quod Dominus in Evangelio dicit : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur. » « Nec dicemus ultra, dii nostri opera manuum nostrarum, » id est vitulos aureos, quos nos ipsi fecimus, ultra deos non æstimabimus, nec auxilium ab eis postulabimus. « Quia ejus qui in te est misereberis populi. » Hoc est populi Israel, de quo dixeras : Filius primogenitus meus Israel. Ejus, inquit, populi qui in te est per fidem et pœnitentiam, quoque quondam peccando a te recesserat, postquam per pœnitentiam fuerit reversus, misereberis ejus.

« Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee. » Quia dixerant per pœnitentiam ad Deum conversi : Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum; recognoscentes patrem quem reliquerant, respondit Dominus : Sanabo contritiones eorum, id est dimittam eis peccata, quibus graviter fuerant confracti et vulnerati. Diligam eos spontanee, hoc est, voluntarie. « Quia aversus est furor meus ab eis, » pœnitentiam illis agentibus.

« Ero quasi ros, et Israel germinabit quasi lilium. » Qui enim propter peccata irascebar eis, nunc propter meam clementiam miserebor. Et ero eis quasi ros, quia æstum æstuantis incendii et libidinis misericordia mea auferam ab eis; ipsique germinabunt ut lilium, quia abundabunt et crescent decore virtutum, et odore bonæ operationis. Unde Paulus : « Christi bonus odor sumus Deo. » Germinant enim, imo florent electi ut lilium, Dominum Deum suum imitantes, qui dicit in Canticis canticorum : « Ego flos campi, et lilium convallium. » « Et erumpet radix ejus ut Libani, » id est voluntas bona ad effectum bonæ operationis ducetur. Libanus mons est, cujus arbores excellentissimæ, quantum ad auras extendunt verticem, tantum radicem in ima demergunt, ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant.

« Ibunt rami ejus, » id est proficiunt de virtute in virtutem, « et erit quasi oliva gloria ejus. » Quia dixerunt : Et erumpet radix ejus quasi Libanus; ne putaremus eumdem eum loqui ex infructuosis arboribus sanctum virum, et conversum ad Dominum, olivæ fructiferæ comparat. Oleum autem misericordiam significat, quæ per charitatem operatur, et

omnibus bonis operibus. Ait ergo : « Erit quasi oliva gloria ejus. » id est operibus misericordiæ impinguabitur, ut accenso lumine in tenebris luceat, et aliis exemplum bonæ operationis tribuat.

« Et odor ejus ut Libani. » Libanus apud Græcos et Hebræos et mons dicitur et thus. Hic autem pro thure ponitur : Sicut enim odore thuris, sic delectamur et fama justi hominis.

« Convertentur sedentes in umbra ejus. » Illi scilicet, qui a Deo Patre peccando recesserant, convertentur ad eum, et postquam conversi fuerint, accipient conversionis suæ præmium, ut sedeant sub umbra, id est sub protectione illius habitent, et possint dicere cum Ecclesia : Sub umbra illius quam desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.

« Vivent tritico, et germinabunt quasi vinea. » Cum, inquit, sederint sub umbra illius, qui mortui fuerant vivent tritico, id est bonis operibus abundabunt, vel corpore et sanguine Domini, vel certe tritico vivent, quia per Christum, qui est verum frumentum, de morte ad vitam resurgent. Unde est : Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Ipse quoque vinea est, qui in se credentes vino spirituali debriat. Unde Psalmista : Visitasti terram et inebriasti eam. Et ipse Dominus discipulis : Comedite, amici, bibite et inebriamini, charissimi. Quasi vinea ergo electi germinabunt, quia Dominum suum bonis operibus imitabuntur, juxta quod ipse Dominus dicit : « Qui mihi ministrat, me sequatur. » « Memoriale ejus sicut vinum Libani. » Vinum Libani possumus dicere mistum, et diversis pigmentis conditum, ut odorem habeat suavissimum. Et est sensus : sicut vinum pigmentatum suave fragrat hominibus, sic memoria justi hominis Domini opera imitantis, suavis est et dulcis. Possumus et vinum Libani illud intelligere, quod Domino offerebatur in templo, de quo ait Zacharias : « Aperi, Libane, portas tuas, » etc. Sicut enim delectabatur Deus omnipotens in vino quod ei offerebatur, sic gaudet et lætatur ex odore fidelium, fidei, et bonorum operum de se reddentium famam.

« Ephraim, quid mihi ultra idola? » Subauditur opponis. Et est sensus : Cum tanta bona percepturus

A sis, quia pœnitentiam agens meus esse cœpisti, quid ultra vis colere idola? « Ego exaudiam et dirigam eum pœnitentiam agentem, et ad me clamantem. » Dirigam eum, id est per rectam viam incedere faciam ; via autem Christus, per quem fit accessus ad Patrem. « Ego ut abietem virentem, » subauditur dedi eum, ut haberet viriditatem fidei et operationis, et semper cœlestia mentis intuitu peteret. « Ex me fructus ejus inventus est, » id est omnis illius operatio, et Veteris et Novi Testamenti observatio ex meo præcessit dono, sine quo nihil potestis facere. Sciendum autem quod sæpe jam diximus, salutis Israelis et reversionis ad Deum et de captivitate redemptionem, non carnaliter accipi, ut Judæi somniant, sed spiritualiter et verissime compleatur.

B « Quis sapiens et intelliget ista ; intelligens et sciet hæc? » In his verbis, Propheta obscuritatem voluminis, et difficultatem ostendit explanationis. Quis nisi Christo docente cognoscere, quid significet Jezrael, quid soror ejus non misericordiam consecuta, quid tertius frater ejus non populus, quid meretrix Oseæ conjuncta, et cætera quæ narrantur in capite, vel quid ventus urens, etc., in fine? Harum itaque obscuritatem rerum considerans, ait : Quis sapiens et intelliget ista ? Si autem ipse qui scripsit vel difficile vel impossibile confitetur, quid nos facere possumus, qui, lippientibus oculis et peccatorum sordibus obscuratis, clarissimum jubar solis non possumus intueri? tum si dicerem illud quod scriptum est : O profundum divitiarum sapientiæ et

C scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus. « Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis. » Viæ Domini mandata intelliguntur Veteris ac novi Testamenti, in quibus justi ambulant, dum ea opere complent, dicentes ad Deum cum Psalmista : « Perfice gressus meos in semitis tuis. » « Prævaricatores vero corruent in eis. » Prævaricatores, Judæi intelliguntur, hæretici, falsique Christiani, qui mandata Domini transgrediuntur. Qui in eis corruent, quoniam qui in lege peccaverant, per legem judicabuntur. Et servus qui scit voluntatem domini, et non facit, plagis vapulavit multis.

IN JOEL PROPHETAM.

Joel interpretatur incipiens. Iste ad Judæam et Hierusalem vaticinium proferens, in principio sui voluminis post luctuosa convivia ad luctum provocat Hierusalem, excidiumque ejus prænuntiat. Prophetat quoque vocationem gentium, et super congregatos credentes superventurum Spiritum sanctum.

CAPUT PRIMUM.

« Verbum Domini quod factum est ad Joel filium Phatuel. » Joel interpretatur fortis Dei. Phatuel, adapertio vel sermo Domini. Verbum Dei, quod semper fuit apud Patrem, ad Joel factum est.

D « Audite hoc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ. » Senes non ætate, sed merito; habitatores vero terræ, qui terrenis operibus deprimuntur. Inter audire vero, et auribus percipere, magna distantia est. Presbyteri, hoc est spirituales, sacratius audiunt ; qui vero terram inhabitant, auribus percipiunt, sed humilius. « Si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum, super hoc filiis vestris narrate : et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alteræ. » Quod dicturus sum, novit memoria : nova res novos auditores desiderat. Vinum enim novum in utres novos mittitur.

In hac brevi sententia omne genus humanum contexuit.

« Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. » Quid enim per erucam, quæ toto corpore in terram repit, nisi luxuria designatur ? quid per locustam, quæ saltibus evolat, nisi inanis gloria exprimitur ? quid per bruchum, cujus pene totum corpus in ventre colligitur, nisi edendi ingluvies figuratur ? quid per rubiginem, quæ dum tangit incendit, nisi ira innuitur ? Residuum ergo erucæ locusta comedit, quia sæpe, cum luxuriæ vitium a mente recesserit, inanis gloria succedit, cum se quasi sanctum ex castitate gloriatur. Dum ergo vitia vitiis succedunt, agrum mentis alia pestis devorat, dum alia relinquit. Item aliter : Assyrii sub Salmanasar, Babylonii Judæam sub Nabuchodonosor, Antiochus Syriæ, et Vespasianus imperator Romanorum vastaverunt. Item aliter : Quatuor hæ pestes quatuor significant genera vitiorum, quibus humanæ animæ pervertuntur ; nam hi metuunt, cupiuntque, dolentque, gaudentque.

« Expergiscimini, ebrii, et flete, et ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro. » Ebrii vocati sunt qui, mundi hujus amore confisi, mala non sentiunt quæ patiuntur. Quid est ergo dicere : Expergiscimini, ebrii, et flete, nisi : Somnium vestræ insensibilitatis excutite, et in devastatione cordis tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obviate?

« Gens enim ascendit super terram meam fortis et innumerabilis ; dentes ejus ut dentes leonis, et molares ejus ut catuli leonis. » Gens enim fortis et innumerabilis dæmones significat, quæ non super cœlum, hoc est spirituales, sed super terram, hoc est super carnales ascendit.

« Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit : nudans spoliavit eam et projecit, albi facti sunt rami ejus. » Vinea populus Domini nuncupatur, ficus vero Israeliticam plebem significat. Ficum diabolus decorticavit, quia eamdem plebem Judaicam ab omni gloria nudavit. Rami ejus albi facti sunt, quia sacerdotes illius atque doctores forinsecus albi videntur per hypocrisim.

« Plange quasi virgo accincta sacco, super virum pubertatis tuæ. » O infelix plebs, vel anima, quæ sponso, id est Christo, velut sponso copulata fueras conjugio, et stuprata a dæmonibus, , adultera effecta es, plange quasi virgo, hoc est age pœnitentiam.

« Periit sacrificium et libatio de domo Domini ; luxerunt sacerdotes ministri Domini. » Domum Domini plebem dicit Judaicam, sive animam, quæ, exspoliata ab adversariis potestatibus, nudata fit ab omni sacrificio justitiæ.

« Depopulata est regio, luxit humus, quoniam devastatum est triticum, confusum est vinum, et elanguit oleum. » Hoc est quod ait David : « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Triticum, vinum, et oleum, charismatum significant dona, quæ in populum Judæorum, vel in cæteris animabus per degenerem vitam a diabolo dissipata sunt.

« Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super frumento, vino, et hordeo, quia periit messis agri. » Agricolæ vel vinitores angeli sunt, sive magistri atque doctores, qui, videntes animas sibi creditas carnalibus passionibus deservire, nunc plangunt. Messis humanum genus significat.

« Vinea confusa est, et ficus elanguit : malogranatum, et palma, et malum, et omnia ligna agri aruerunt, quia confusum est gaudium a filiis hominum. » Vinea vel ficus id ipsum quod superius plebs Judaica. Malogranatum et cætera ligna diversa significant charismatum dona, quæ humano generi ab adversariis potestatibus per vitia auferuntur.

« Accingite vos, et plangite, sacerdotes ; ululate, ministri altaris. Ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei, quoniam interiit de domo Dei nostri sacrificium et libatio. » Exhortatio ad præpositos Ecclesiæ, ut per eruditionem populi sibi crediti, velut propria deplorent. Domum Dei Ecclesiam dicit, vel animam ex qua munera Dei per vitæ incuriam perierunt.

« Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei nostri, et clamate ad Dominum : Ah ah ah diei ! quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet. » Hoc est : jejunium vestrum cæteris virtutibus adjunctum sanctificate. Senes et habitatores terræ, doctores et auditores dicit in Ecclesiam congregandos per fidem ; dies Domini dicitur dies judicii.

« Nunquid non coram oculis vestris alimenta perierunt, de domo Dei vestri lætitia et exsultatio? » Crescentibus enim vitiis atque peccatis, luctus succedit lætitiæ ; domus Dei Ecclesia intelligitur, vel anima.

« Computruerunt jumenta in stercore suo. » Jumenta in stercore suo putrescere est, homines carnales in fetore luxuriæ vitam finire. « Demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ, quoniam confusum est triticum. » Horrea vel apothecæ mentes significat fidelium, in quibus frumentum justitiæ et vinum prudentiæ recondi solitum erat.

« Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia non est pascuum eis, sed et greges pecorum disperierunt. » Quod animal et armenta dixit, homines doctos doctrinam Dei ignorantes insinuavit, pecora vero gentes significant. Pascua defecerunt, quia ariditas verbi Dei cuncta possidet, et cessantibus pluviis ejus, omnia aruerunt. Greges disperierunt, quia pastores tales non sunt qui doceant sanitatem.

« Ad te, Domine, clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis, sed et bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te, quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, et ignis devoravit speciosa deserti. » Ignis, diabolus, desertum, mundus iste, speciosa deserti, homines sive gloria hujus sæculi ; ligna regionis, gentes quæ a diabolo consumptæ sunt ; be-

stiæ agri gentes dicuntur, quæ post mala opera ad A Deum conversæ, ejus misericordiam implorant. Fontes aquarum scientiam significant legis, quæ in populo Judæorum per infidelitatem exsiccata est.

CAPUT II.

« Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis. » Clara vox Evangelica prædicatio. Sion vero Ecclesia vel anima; habitatores terræ, homines dicit esse carnales, quos omnes terret, et ad pœnitentiam provocat; dies judicii talis erit his qui passuri sunt pœnas, quam diei tenebrarum et caliginis ob damnationem repro- B borum comparavit. At vero, quia cuncta retroacta tunc judicii justitiæ patefacta erunt, ideo eam solis lumini comparavit. « Quasi mane expansum super montes populus multus et fortis, similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis. » Populus multus et fortis, dæmonum multitudinem et impiorum significat, quæ a principio, hoc est ab Adam usque in finem sæculi cum in judicio fuerit exstincta, in æternum non erit, quia post eumdem diem judicii, ascensus atque descensus (sicut dicere voluit Origenes) non erit.

« Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma. » Ubicunque enim ille ingressus fuerit, exercitus dæmonum statim desertum facit, et omnium C virtutum exurit flores. « Quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum. » Priusquam homo delinquat per ejus suasionem, et est sine peccato, fit quasi hortus paradisi: cum autem eum semel ceperit et duxerit in peccatum, facit eum solitudinem et desertum, ita ut non sit, aut raro sit, qui ejus possit effugere decipulam.

« Quasi aspectus equorum aspectus eorum, et quasi equites sic current. » Equus homo, eques diabolus. Quasi aspectus equorum, aspectus impiorum, per quos diabolus persequitur justos. Quadriga diaboli quatuor sunt passiones, quas sub nomine pestium in capite hujus libri describit.

« Sicut sonitus quadrigarum super capita montium D exsilient, sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium. » Stipula, leves et infructuosi homines, igne diaboli consumpti.

« A facie ejus cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam. » Cum populi cœperint cum ipso in pœnam trahi, et eos cœperit habere diabolus in propria potestate.

« Sicut fortes current, quasi viri bellatores ascendent murum. » Infelix illa civitas, hoc est anima, quæ a tali hoste capitur. In qua cum quisque ingressus fuerit, super murum virtutum currens libenter insultat; atque domum conscientiæ cum intraverit, si quid boni in ea invenerit, cuncta deperdat.

« Vir in viis suis gradietur, et non declinabit a semitis suis. Unusquisque fratrem suum non coarctabit. Singuli in calle suo ambulabunt. Sed et per fenestras cadent, et non demolientur. Urbem ingredientur, in muro current, domos conscendent. » In quibus enim diabolus juste acceperit potestatem, in his per sensus carnis velut per fenestras ingrediens, amota quæ intrinsecus reperit, deprædatur. Si quis vero eum introire prohibeat, ejus ædificium boni operis demoliri non permittitur. « Per fenestras intrabunt quasi fur, » id est per sensus nostros occulte dæmones velut fures ingredientur.

« A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli, sol et luna contenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. » A facie hujus populi diabolici, vel etiam Antichristi contremuit terra, hoc est peccatores, moti sunt cœli, id est spirituales. Sol et luna obtenebrati sunt, quia fides Christi et Ecclesiæ in quorumdam corda sub Antichristo deficiet.

« Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia et facientia verbum ejus. » Quia divina prædicatio præibit Antichristi adventum. Castra dæmonum ideo castra Domini dicuntur, quia in omni necessitate tam ad probationem justorum, quam ad damnationem reproborum ejus juri deserviunt. « Magnus enim dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit eum? » *Quis*, semper in Scripturis dupliciter intelligitur, id est aut nullus, aut rarus.

« Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu et planctu. » Exhortatio Domini humanum genus ad pœnitentiam provocans, in jejunio primo, quia fundamentum pœnitentiæ jejunium est. Comes autem jejunii, fletus et planctus.

« Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, præstabilis super malitia. » Hoc adversum eos loquitur pœnitentes, qui habitu pœnitentiam pollicentur, et corde non exhibent. Ne desperet peccator magnitudine vitiorum, benignitas et misericordia Domini illi pollicetur, quia peccantes non punit statim, sed pœnitentiæ dat locum.

« Quis scit si convertatur, et ignoscat, et relinquat post se benedictionem? Sacrificium et libamen Domino Deo nostro. » In uniuscujusque peccatum dubie veniam repromittit, ne negligentiorem faciat pœnitentem, et relinquat post se benedictionem. Primo benedictionem, quæ expellit maledictionem, deinde sacrificium et libamen, hoc est opera bona quæ placeant Deo.

« Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum: sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos et sugentes ubera. » Iterum eadem repetit, ut vel doctrinæ frequentis auditu convertantur ad Deum. Congregatio populi collectio est in Ecclesia fidelium per Christum; ætatum diversitas discretio est merito-

rum. « Egrediatur sponsus de cubili suo et sponsa de thalamo suo. Intra vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, et dicent. » Sponsus Christus de cubili suo, hoc est de sinu Patris, ad publicum humani generis egressus. Sponsa caro ejusdem Christi ex utero Mariæ virginis velut de thalamo suo prodiens. Sponsus sermo divinus, sponsa anima fidelis. Sacerdotes ministri Domini, apostoli sunt, pro delictis populi intervenientes. « Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. » Hoc est: ut mitteret qui eam liberaret, et misit et pepercit populo suo ; id est, in adventu Christi, remissionem largitus est peccatorum, ut non dominentur eis nationes, id est dæmones. « Quare dicunt in populis : Ubi est Deus eorum ? Zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo. » Zelare ideo dicitur, quia ubicunque zelus est, amoris indicium est. Responsio Domini, pollicitatio ejus per libros legis prophetarum. « Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum et replebimini in eis, et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus. » Frumentum, Christus, qui in Zacharia frumentum dicitur electorum ; vinum, gratia Spiritus sancti ; oleum, charismata, quæ a Christo per donum Spiritus sancti in corda electorum diffunduntur, hoc est : benedictione mea veterem maledictionem abstergam.

« Et eum qui ab aquilone est, procul abjiciam a vobis, et expellam eum in terram inviam et desertam. » Aquilonem diabolum dicit: terram inviam et desertam, reprobos omnes in quibus regnat appellat. « Faciem ejus contra mare orientale, et extremum ejus ad mare novissimum. » Diabolus non habens faciem ad solem justitiæ, sed quocunque respexerit, semper mare istius sæculi respicit. Orientale autem et novissimum, principium ruinæ ejus intelligitur. « Et ascendet fetor ejus, et ascendet putredo ejus, quia superbe egit. » Cum idem diabolus jugulatus in fine mundi fuerit tunc fetor ejus, hoc est qualis sit, omnibus apparebit.

« Noli timere, terra, exsulta et lætare, quia magnificavit Dominus ut faceret : nolite timere animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti. » Hoc est cogitationem suam, quam pro salute humani generis disposuit, ut de eorum substantia Filius Dei carnem assumeret. Eam quam supra dixerat maledictam, nunc dicit benedictione Dei restaurari. Animalia regionis, gentes quibus verba virtutem, id est Christus, per Virginem germinavit. « Quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam. Et filii Sion, exsultate et lætamini in Domino Deo vestro, qui dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum. « Lignum, Christus. ficus vero in persona accipitur Spiritus sancti ; vinea idem Christus in plebe fidelium ; filii Sion, filii dicuntur Ecclesiæ in speculatione fidei constituti ; doctor justitiæ, Christus, Ecclesiæ suæ a Deo Patre electus ; imbrem matutinum et serotinum, utriusque Testamenti benedictionem divinitus in Christo collatam dicit.

« Et implebuntur areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo, » id est in Christo, vel in principio regni spiritualis, areæ Ecclesiæ a credentibus populis repletæ, sive corda electorum variis virtutibus per imbrem gratiæ Spiritus sancti redundantia.

« Et reddam vobis annos quos comedit locusta, et bruchus, et rubigo, et eruca. Fortitudo mea magna, quam misi in vos. » Quatuor hæ pestes quatuor perturbationes, per quas diabolus humanum genus devorat, significant, hoc est : cupiditatem et metum, lætitiam atque tristitiam.

« Et comedetis vescentes, et saturabimini, et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia. » Omnes enim qui legunt Scripturas carnaliter, sicut Judæi, et ad intelligentiam non perveniunt spiritualem, isti sunt vescentes, et nunquam ad saturitatem pervenientes. Et laudabitis nomen Domini Dei vestri, hoc est : si misericordiam Dei per intelligentiam spiritualem fueritis consecuti. « Et non confundetur populus meus in sempiternum, et scietis, quia in medio Israel ego sum, » id est in medio videntium Deum ex fide. » Et ego Dominus Deus vester, et non est amplius, et non confundetur populus meus in æternum. » Ego sum Christus, et ego Dominus vester, idem ipse Christus, et amplius præter Christum.

« Et erit post hæc, et effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt, et juvenes visiones videbunt. » Senes, prophetas, juvenes, apostolos appellat.

« Sed et super servos meos et ancillas meas in diebus illis effundam spiritum meum. » Hoc secundum historiam manifestissime dictum et impletum est Servos meos, viros spirituales atque doctores : ancillas vero, ecclesias, vel animas credentium dicit.

« Et dabo prodigia in cœlo et in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. » Prodigia in cœlo, hoc est in sanctis ; et in terra, hoc est in peccatoribus se Dominus dare pollicetur. Et quid prodigia, nisi signa et perditionem peccatorum, quæ in adventu Spiritus sancti patefactæ sunt ? In sanguine interfectio animarum ; in igne calorem corporis, sive iracundiam cordis ; in vapore fumi, cogitationes noxiæ, quæ in corde hominum æstuant, significantur. Secundum historiam et prophetiam, in tempore passionis Christi omnia hæc completa sunt.

« Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. » Hoc est : splendor quorumdam fidelium, ultima tribulatione deficiens obscurabitur, et Ecclesia martyrum sanguine cruentabitur.

« Et erit, omnis quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit » Invocare et dicere Dominum, non tantum voce, sed opere comprobandum est et effe-

ctu. « Quia in monte Sion et in Hierusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, et in residuis quos Dominus vocaverit. » Montem Sion et Hierusalem, Ecclesiam intelligimus, in qua erit salvatio, sicut dixit.

CAPUT III.

« Quia ecce in diebus illis et in tempore illo cum convertero captivitatem Juda et Hierusalem, » quæ antea non erat. Primi sunt sancti apostoli, vel cæteri ex circumcisione credentes, residui vero, ex gentibus venientes.

« Congregabo omnes gentes, et deducam eas in valle Josaphat, et disceptabo cum eis ibi. » Josaphat interpretatur *Domini judicium*. Hoc ergo est quod dicit : Quando misertus fuero eorum qui per confessionem nominis mei censentur, tunc omnes adversarios meos deducam in vallem judicii. Omnes gentes, aut omnes designat nationes incredulas, aut omnes dæmones dicit. « Super populo meo et hæreditate mea Israel, quod disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt. » Hoc est, non eos opprimam in die judicii, aut auctoritatem potentiæ meæ sentiant, sed ratione justitiæ, aut etiam sua confessione dignos se suppliciis esse cognoscant.

« Et super populum meum miserunt sortem. » Hoc est, quod certatim in singulis regnare voluerunt. « Et posuerunt puerum in prostibulo, et puellam vendiderunt pro vino ut biberent. » Hoc loco queritur de sortibus eorum, quod etiam robustissimum sexum, ætatem quæ poterat ad virtutes crescere, suis injustitiis effeminaverunt, et anima quæ erat fortissima, libidini et voluptatibus subjugata est.

« Verum quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon, et omnes terminos Palæstinorum ? nunquid ultionem redditis mihi ? » Tyrus tribulatio sive angustia, Sidon vero venatio, hoc est dæmones : Palæstini, cadentes potione. Quæ omnia de hæreticis recte sentienda sunt, per quos diabolus populum Dei de Ecclesia separavit, atque per eloquentiam suam quasi aurum et argentum, simplices quosque de Ecclesia educentes, filiis Græcorum, hoc est gentilium, sub peccato venundant. « Et si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. Argentum enim meum et aurum tulistis, et desiderabilia mea et pulcherrima mea intulistis in delubra vestra, et filios Juda et filios Hierusalem vendiderunt filiis Græciæ, ut longe faceretis eos de finibus suis, » id est sub peccato, « ut longe eos facerent ab Ecclesiæ fide. »

« Ecce ego suscitabo illos de loco in quo vendidistis eos, et convertam retributionem vestram in caput vestrum. » Suscitabo quasi jacentes, qui de fundamento Ecclesiæ evulsi sunt, in pristinum statum fidei restaurabo, atque in caput vestrum, hoc est hæreticorum qui eos seduxistis, ultionem restituam.

« Et vendam filios vestros et filias vestras in manibus filiorum Juda, » id est eos quos de Ecclesia possidebitis, in contrarios vobis suscitabo, et filios ac filias, hoc est discipulos vestros per Ecclesiæ prædicatores in eorum subjectionem reducam. « Et venundabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus locutus est. » Saba interpretatur *conversio*, Juda vero *confessio*. Sabæi ideo gens longinqua dicitur, quia sancti qui hæreticis dominantur, in æternum vivent.

« Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos. » O vos principes, id est doctores, clamate, qui vobis subjecti sunt, quia veniet dies judicii. « Accedant et ascendant omnes viri bellatores. » Accedant pedites, ascendant equites. Equi enim homines impii, equites vero diabolus vel dæmones. Hi enim dicuntur viri bellatores, qui humanum genus solent per vitia debellare.

« Concidite aratra vestra in gladios, et ligones vestros in lanceas, infirmus dicat, Quia fortis ego sum. » Amovete (inquit Dominus), o vos dæmones, universam pacem in seditionem, et in bellum cuncti consurgite. « Infirmus dicat quia fortis ego sum. » Dicere in Scripturis, facto opere consummare est. Et cum omnia mala hæc feceritis, et omni virtute ad pugnandum contra electos meos veneritis, tunc in die judicii omnem virtutem vestram prosternam.

« Erumpite et venite, omnes gentes ; de circuitu congregamini. Ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. » Hoc declarat quod cum dies Domini adveniat, et finis mundi appropinquet, Satan omnem virtutem suam Antichristi temporibus effundat et ad tentandas et subvertendas animas vehementius pugnet.

« Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat. » Isti autem non judicantur in montibus, non in campestribus, sed in profundum et deorsum, ut statim judicii locus ipse pro pœna sit. « Quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu. » Sedere Dei est habitum et potestatem judicandi ostendere.

« Mittite falces, quoniam maturavit messis. » Hoc loquitur ad angelos : messores enim angeli sunt, messis vero populi sunt. Quodammodo angeli de sua sublimitate descendunt, quando suscipiunt officia tortorum. « Venite et descendite, quia plenum est torcular : exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum. » Jam redundat mundus vel torcular iniquitatibus, jam ultra capere non potest malitiam humani generis.

« Populi, populi in valle concisionis, quia juxta est dies Domini in valle concisionis. » Nequaquam dixit judicium, ne vel dubiam sententiam facere videretur, sed concisionem posuit, cui remanere nihil possit.

« Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. » Sol, Christus ; luna, Ecclesia. Stellæ vero Christi retraxerunt splendorem suum his qui cruciabuntur. Neque enim merebuntur, qui in pœna erunt, lumen justitiæ videre.

« Et Dominus de Sion rugiet, et de Hierusalem dabit vocem suam, et movebuntur cœlum et terra, »

id est de Ecclesia sanctorum, sive de Hierusalem cœlesti. Quia enim rugitu leonis animalia cuncta terrentur, sic et vocem ejus omnes pavebunt. « Et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel. Et scietis quia ego Dominus Deus vester, » hoc est credentium et fide Deum videntium. « Habitans in Sion in monte sancto meo. » Mons sanctus aut Hierusalem cœlestis intelligitur, aut certe ipse Filius. « Et erit Hierusalem sancta, et alieni non transibunt per eam amplius. » Sive Hierusalem cœlestis, sive Ecclesia, jam in ea non habent amplius potestatem. Ipsi enim intelliguntur alieni.

« Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ. » Montes et colles pro diversitate meritorum sanctos appellat, dulcedinem vero eloquia Scripturarum, rivos corda electorum. Aqua vero gratiam significat Spiritus sancti. « Et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. » Fons, divinitas Filii Dei patens, sive Spiritus sanctus: torrens spinarum, peccata humani generis, quæ per gratiam eorum aduruntur, in futurum purgata.

A « Ægyptus in desolatione erit, et Idumæa in desertum perditionis, pro eo quod inique egerint in filios Juda, et effuderint sanguinem innocentem in terra sua. » Ægyptus interpretatur *tenebræ*, hoc est dæmones vel peccata. Idumæa *sanguinea*, sive *terrena*, id est omnia terrena ad voluptatem carnis et sanguinis pertinentia, quæ in die judicii desolabuntur, eo quod per infinitam malitiam suam filios Ecclesiæ in hoc sæculo deceperunt.

« Et Judæa in æternum habitabitur, et Hierusalem in generationem et generationem. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram, et Dominus commorabitur in Sion. » Judæa, hoc est domus confessionis, habitabitur in perpetuum. Sed quia non B est innoxia in hac vita, sed aliquantis, licet levibus, peccatis contaminata est, ego cuncta mundabo per multitudinem misericordiæ meæ, quæ ipsi propriis virtutibus non mundaverunt. Sion interpretatur specula. Ergo in sublime commorabitur Dominus, hoc est in Ecclesia, in qua et regnat in sæcula.

IN AMOS PROPHETAM

Amos, qui interpretatur *bonus*, vaticinavit in Samaria et Hierusalem, tria et quatuor scelera gentium sub totius mundi imagine describens. Hic adventum Christi sub Dominica voce ita prædicat: « Ego firmans tonitruum, et creans Spiritum, et annuntians in hominibus Christum. » Reliqua autem quæ de Amasia et Hieroboam, sive Israel loquitur, tropologice ad hæreticos referenda sunt.

CAPUT PRIMUM.

« Verba Amos, qui fuit in pastoralibus de Thecua, quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Juda, et in diebus Hieroboam, filii Joas regis Israel, ante duos annos terræmotus. » Amos interpretatur *populus avulsus*, Ozias vero *imperium*, vel *fortitudo Domini*, Hieroboam autem *indicatio*, vel *causa populi*, sive *divisio populi*, Joas *Domini memoria*, sive *temporalitas*. Thecue vero, quæ interpretatur *tuba*, vaticinia significat prophetarum.

« Et dixit, Dominus de Sion rugiet, et de Hierusalem dabit vocem suam. Et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli. » De Hierusalem, ubi erat templum et Dei religio, unde Christus ortus velut leo per Evangelicam prædicationem dedit vocem. Speciosa pastorum, populus Judæorum, vertex Carmeli, templum seu regnum, vel sacerdotium Judæorum.

« Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum, eo quod contriverit in plaustris ferreis Galaad. Et mittam ignem in domo Chazael, et devorabit Dominus Benadab. » Tria et quatuor scelera gentium, quæ series replicat, hæc sunt: Primum itaque scelus est, quia omnes in Adam moriuntur. Secundum pro eo quod insita naturæ lege immemores rationis non intellexerunt. Tertium quoque eorum, qui datæ legi non obediunt. Quartum inexpugnabile eorum qui C in Christum non crediderunt. Post scelera vero gentium, septimo in loco Juda de prævaricatione legis, et octavo Israel de impietate, quam in Christo exercuerunt, redarguit. Vel certe tria et quatuor scelera sunt cogitare, consentire, facere, et non pœnitere: aut certe cogitare, loqui, agere, et peccatum suum defendere. Primum peccatum est cogitasse quod malum est, secundo cogitationibus acquievisse, tertio opere perpetrasse: quartum, post peccatum suum pœnitentiam non egisse. Chazael interpretatur *factura Dei*.

« Et conteram vectem Damasci, et disperdam habitatorem de campo idoli, et tenentem sceptrum de domo voluptatis, et transferetur populus Syriæ in D Cirenem, dicit Dominus. » Damascus interpretatur *sanguinem bibens*, vel *sanguinem probans*, *figura hujus mundi*.

« Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum, eo quod transtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæam, et mittam ignem in murum Gazæ, et devorabit ædes ejus, et disperdam habitatorem de Azoto, et tenentem sceptrum de Ascalone. Et convertam manum meam super Accaron, et peribunt reliqui Philistinorum, dicit Dominus Deus. » Gaza interpretatur *fortitudo ejus*. « Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Tyri et super quatuor non convertam eum, eo quod concluserint captivitatem perfectam in Idumæa, et non sint recordati fœderis

fratrum. » Tyrus interpretatur *tribulatio* sive *coangustans*. Significat perversæ doctrinæ hæreticorum dogmata, quæ capere nititur veritatem, et concludere eam in terrenis sensibus.

« Et mittam ignem in murum Tyri, et devorabit ædes ejus. » Ignem hæreticorum impietatem significare videtur, quæ eorum significat congregationes, velut murum sive ædes. id est conscientias eorum devorat. Potest et futuram significare damnationem.

« Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non convertam eum, eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et violaverit misericordiam ejus, et tenuerit ultra furorem suum, et indignationem suam servaverit usque in finem. » Edom, qui interpretatur *sanguineus* sive *terrenus*, significat populum Judæorum et hæreticos persequentes fratrem suum, hoc est Christum in membris suis.

« Mittam ignem in Theman, et devorabit ædes, Bosræ. » Mittet Dominus ignem in Theman, hoc est in deserta siccaque Judæa, ut omni sensu litteræ concidente, superædificetur Ecclesia Christi Domini fundamentis.

« Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus filiorum Ammon, et super quatuor non convertam eum, eo quod dissecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum. Et succendam ignem in murum Rabah, et devorabit ædes ejus in ululatu in die belli, et in turbine in die commotionis. Et ibit Melchom in captivitatem, ipse et principes ejus simul, dicit Dominus. » Galaad namque *acervus testimonii* interpretatur. Et quia cuncta simul congregatio Ecclesiæ per confessionem servit testimonio veritatis, non incongrue per Galaad Ecclesia exprimitur, quæ opere cunctorum fidelium de Deo quæ sunt vera testantur. Prægnantes autem vocantur animæ quæ intellectum Verbi ex divino amore concipiunt, si ad perfectum tempus veniant, conceptam intelligentiam operis ostensione pariturae. Secuerunt ergo prægnantes Galaad hæretici ad dilatandum terminum suum, quia nimirum mentes fidelium, quæ jam aliquid de veritatis intellectu percipiunt, perversa prædicatione perimunt, et scientiæ sibi nomen extendunt, dum parvulorum corda jam de Verbi conceptione gravida, erroris gladio scindunt, et quasi doctrinæ sibi opinionem faciunt.

CAPUT II.

« Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non convertam eum, eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad cineres, et mittam ignem in Moab, et devorabit ædes Carioth, et morietur in sonitu Moab in clangore tubæ, et disperdam judicem de medio ejus, et omnes principes ejus interficiam cum eo, dicit Dominus. » Moab, qui interpretatur *ex patre*, hoc est, diabolo, *Carioth* vel *Cariathiarim*, vertitur in lingua nostra, villa sylvarum, quia Judæi vel hæretici, quorum figuram Moab iste gestavit, ossa regis Idumææ, hoc est Christi electos, sive sensus spirituales in divinis libris per carnalem intellectum comminuunt, atque in favillam redigunt.

« Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non convertam eum, eo quod abjecerint legem Domini, et mandata ejus non custodierint. Deceperunt enim eos idola sua, postquam abierunt patres eorum. Et mittam ignem in Judam et devorabit ædes Hierusalem. » Quod de Juda dicitur, refertur ad Ecclesiam, quæ est vera confessio. Et in eo arguitur quod legem Domini contempserit, et ejus mandata non fecerit.

« Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum, oe quod vendiderit pro argento justum, et pauperem
B pro calceamentis ; qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium declinant. » Hoc de Christo, quem Judæi vendiderunt argento, recte intelligendum est. Capita pauperum Judæi et hæretici super pulverem terræ convertunt, quia sensus humilium fidelium in terreno intellectu comminuunt, et viam humilium illam, quam dixit : « Ego sum via et veritas et vita, » declinant, quia per eam ambulare contemnunt. « Et filius ac pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum. » Pater, populus Judæorum ; filius vero populus est Christianus. Ille autem cum patre ad puellam ingreditur, qui veniens ad Ecclesiam, legem cum Evangelio servare vult, ac per hoc committit stuprum, et violat nomen Dei.

C « Et super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare, et vinum bibebant damnatorum in domo Dei sui. » Tantus enim apud sacerdotes Judæorum erat contemptus in Deum, ut vestimenta sua, in quibus dormierant, vel in quibus fornicabantur, juxta altare funibus terræ tenderent et facerent velamina, post quæ fornicantes in templo nullus posset aspicere.

« Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum, cujus altitudo cedrorum, altitudo ejus, et fortis ipse quasi quercus, et contrivi fructum ejus desuper, et radices ejus subter. Ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti, et eduxi vos in deserto quadraginta annis, ut possideretis terram Amor-
D rhæi, et suscitavi de filiis vestris in prophetas, et de juvenibus vestris Nazarenos. Nunquid non ita est filii Israel, dicit Dominus ? Et propinabatis Nazaræis vinum, et prophetis mandabatis dicentes : Ne prophetetis. » Hoc secundum historiam tempore illo impletum est, quando extirpatis septem gentibus de terra Chananæorum, populus Judæorum sedibus potiti sunt.

« Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum feno. » Quia enim fenum est vita carnalium, sicut scriptum est : « Omnis caro fenum, » in eo quod Dominus viam carnalium tolerat, more plaustri fenum se portare testatur. Cui sub feni onere stridere, est pondera et iniquitates peccantium conqueri.

« Et peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam, et tenens arcum non stabit, et velox pedibus non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam, et robustus corde inter fortes nudus fugiet in die illa, dicit Dominus. » Hoc secundum historiæ fidem tunc impletum est, quando ob meritum peccatorum Assyriis vel cæteris gentibus in direptionem sunt traditi. Generaliter vero super omnes delinquentes hoc quod minatur, in die judicii venturum est.

CAPUT III.

« Audite verbum quod locutus est Dominus super vos, filii Israel, super omni cognatione, quam eduxit de terra Ægypti, dicens, tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. » Hoc non solum de Judæis, sed de omnibus electis, quos Deus omnipotens, velut pater filios, in hac vita flagellat, sentiendum est.

« Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit illis? » Isti igitur duo qui sibi consentiunt, et in via Christi pariter ambulant, uterque populus, hoc est, ex circumcisione et præputio intelligendi sunt.

« Nunquid rugiet leo in saltu nisi habuerit prædam? Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid comprehenderit? » Leo, diabolus; catulus leonis, multitudo immundorum spirituum capientes prædam, animas videlicet reproborum, quæ unitatem fidei per discordiam amittunt, ac secum eas in barathrum damnationis trahunt.

« Nunquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? nunquid aufertur laqueus de terra antequam quid ceperit? » Laqueus terræ seu aucupis, diabolus intelligendus est, qui in terrenis actibus seu per discordiam unitatis, electos velut aves capit.

« Si clanget tuba in civitate, et populus non expavescet? Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecit? » Quidquid enim in Scripturis sanctis, tuba comminans: malum autem quod Dominus facit in civitate, non contrarium est virtuti, afflictionem autem et cruciatus hominum significat.

« Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum, ad servos suos prophetas. » Non quod omnia revelet Deus prophetis, quæ in cœlo facturus est, vel ante jam fecit, sed ea tantum quæ facturus sit in terris revelavit.

« Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? » Scio quemdam in suis scriptum commentariis reliquisse, leonem rugientem diabolum intelligendum, et rugientem his qui perituri sunt Deum autem qui loquitur per prophetas, referendum esse ad Deum salvatorem, ut quomodo illi in malam partem audiunt leonis rugitum, et capiuntur in mortem, sic sancti in bonam partem Deum præcipientem audiant et salventur.

« Auditum facite in ædibus Azoti, et in ædibus terræ Ægypti, et dicite: Congregamini super montes A Samariæ et videte insanias multas in medio ejus, et calumniam patientes in penetralibus ejus, et nescierunt facere rectum, dicit Dominus Deus, thesaurizantes iniquitatem et rapinas in ædibus suis. » Azotus interpretatur *ignis*, populum gentium exhortatur ut congregetur super populum Judæorum, ut videat mala quæ ipse fecit, ut ipse populus Judæorum justas querimonias adversus Deum se habere non putet, pro eo quod illos tradidit in direptionem. Calumniam quoque patiuntur in penetralibus ejus, sive opprimuntur simplices quique credentium, dum nomine veritatis hæretici volunt mendacium, et omnino rectum facere nesciunt, quia perdiderunt tramitem veritatis, nec credent in eum qui dicit: « Ego sum veritas. »

B « Propterea hæc dicit Dominus Deus: Tribulabitur et circuietur terra, et detrahetur ex se fortitudo tua et diripientur ædes tuæ. » Hæretici quoque terrena sapientes, aut tribulabuntur in die judicii, et omnis eorum fortitudo tenuabitur, et diripientur quæ habuerant de rapinis, ut liberentur populi quos deceperant. Aut certe per viros ecclesiasticos quotidie tribulabuntur testimoniis Scripturarum, et detrahetur ex eis fortitudo syllogismorum et verborum acutorum, quibus suum dogma firmaverant, ut qui rapti fuerant de Ecclesia, ad Ecclesiam revertantur.

« Hæc dicit Dominus, quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel qui habitant in Samaria in plaga lectuli, et in Damasci grabato. » Hoc secundum hi-
C storiam in Judæis temporibus vastationis eorum impletum fuisse non dubium est: secundum vero tropologiam, de vocatione gentium sentiendum est, quas « pastor bonus; qui animam suam pro ovibus suis ponit, » de ore leonis (hoc est diaboli) eruit: in crura, doctores: in extremum vero auriculæ, auditores significat.

« Audite et contestamini in domo Jacob, dicit Dominus exercituum, quia in die cum visitare cœpero prævaricationes Israel super eum, visitabo et super altaria Bethel, et amputabuntur cornua altaris, et cadent in terram, et percutiam domum hiemalem cum domo æstiva, et peribunt domus eburneæ, et dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominns. » Secundum historiam in Judæis impletum esse credimus,
D secundum anagogen vero de hæreticis sentiendum est, qui prætermisso altari Domini, quod est unitas fidei, plurima altaria sibi, non Deo construunt. Domum vero hiemalem aut æstivam, atque Israel et Judam, aut certe populum Judæorum et hæreticos præfigurat.

CAPUT IV.

« Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris: Afferte, et bibemus. Juravit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventi

bus. » Vaccas pingues, principes Judæorum sive divites hujus mundi dicit. Spiritualiter vero Samaria, quæ interpretatur *custodia*, superbiam significat hæreticorum, qui se custodes præceptorum Dei esse mentiuntur. Quod vero ait, « Levabunt vos in contis, historialiter principibus Judæorum accidit. Tropice vero, hæreticos conjunctos viris ecclesiasticis per divinas sententias figurat, aut certe futuram damnationem insinuat.

« Et per aperturas exibitis, altera contra alteram, et projiciemini in Armon, dicit Dominus. » Secundum historiam in Judæis tunc adimpletum est, quando in captivitatem divisi abducti sunt. Spiritualiter vero, hæretici ab unitate fidei recedentes, atque in varias sectas adversum se divisi, per superbiam in perditionem projecti.

« Venite ad Bethel, et impie agite ad Galgalam, et multiplicate prævaricationem : et offerte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras, et sacrificate de fermentato laudem, et vocate voluntarias oblationes, et annuntiate. Sic enim voluistis, filii Israel, dicit Dominus. » Secundum historiam ironice loquens contra Judæos, ne ipsi scelera perpetrent, sed secundum eorum prævaricationem peccatis peccata cumulent, pro quibus atrocius puniantur. Hæretici vero ad Bethel, hoc est ad domum Dei venientes impie agunt, dum sacrificium quod soli Deo debetur, diabolo immolant, atque cæteros ad impietatem suam annuntiando provocant, dum de fermento falsorum dogmatum favores hominem quærunt.

« Unde et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris, et non estis reversi ad me, dicit Dominus : » Si quis enim comederit uvam acerbam, quod significat iniquitatem, stupebunt dentes ejus, ut non bene Scripturarum sanctarum testimoniis abutatur, comedens eam immaturam et absque dulcedine.

« Ego quoque prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem, et plui super civitatem unam, et super civitatem alteram non plui. Pars una compluta est, et pars supra quam non plui, aruit. Et venerunt duæ et tres civitates ad civitatem unam ut biberent aquam, et non sunt satiatæ, et non redistis ad me, dicit Dominus. » Prohibet quoque Dominus a Judæis et ab hæreticis pluvias spirituales, et omnem rorem divinæ scientiæ, et cognitionem sanctæ Trinitatis. Pluit autem Dominus super civitatem unam veræ confessionis Ecclesiam, et super alteram non pluit, quæ est in hæreticorum conciliabulis. Duæ et tres civitates ad unam pergunt civitatem, in qua aquæ sunt abundanter spei, fidei et charitatis : sed ideo non satiantur, quia ad divinam gratiam requirendam non voluntate, sed necessitate veniunt.

« Percussi vos in vento urente, et in aurugine multitudinem hortorum vestrorum et vinearum vestrarum. Oliveta vestra et ficeta vestra comedet

A eruca, et non redistis ad me, dicit Dominus. » Habent hæretici hortos et vineas, vel oliveta seu ficeta, hoc est falsas virtutes, quas tamen eruca vel cæteræ pestes diaboli absque dubio abrodunt atque consumunt.

« Misi in vos mortem in terra Ægypti, percussi in gladio juvenes vestros, usque ad captivitatem equorum vestrorum, et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras, et non redistis ad me, dicit Dominus. » Mittit ergo Dominus mortem in Jacob ut mortificemus membra nostra super terram. Equos quoque tradidit in captivitatem, ne in præcipitia labantur inferni, ut sua peccata cognoscant, et putere sentiant atque peccare desistant.

B « Subverti vos sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham, et facti estis quasi torris raptus de incendio, et non redistis ad me, dicit Dominus. » Igitur Israel et cuncti hæretici, qui habent opera Sodomæ et Gomorrhæ, subvertuntur, et quasi torris raptus de incendio liberantur per gratiam Dei.

« Quapropter hæc faciam tibi, Israel. Postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Domini Dei tui Israel, quia ecce ego formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ, Dominus exercituum nomen ejus. » Postquam autem (ait) fecero tibi quæ me facturum esse contestor, præparare ad invocandum Dominum Deum tuum, seu præparare in occursum Dei tui.

C Spiritum vero quem hoc in loco dicit, non Spiritum sanctum, ut hæretici suspicantur, sed ventum intelligimus seu spiritum hominis. Postquam Christus fuerit nuntiatus, tunc nobis lumen veritatis aperitur, non tamen ad perfectum, quia nunc ex parte videmus, et ex parte cognoscimus. Montes vero sive excelsa terræ apostolos dicit, vel omnes viros spirituales, sub quibus Dominus graditur. Matutinam vero nebulam, aut incarnationem suam dicit, aut certe Evangelicam prædicationem, quæ ab infidelibus dum non creditur, minime videtur.

CAPUT V.

« Audite verbum istud, quod ego levo super vos

D planctum : domus Israel cecidit, non adjiciet ut resurgat. Virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam. » Quantum ad ordinem litteræ pertinet, decem tribus quæ appellabantur Israel, ductæ in captivitatem, nequaquam ad terram suam postea sunt reversæ. Figuraliter vero tam ipsos Judæos, quam etiam quosdam peccatores Ecclesiæ redarguit, qui post perpetratam malitiam ad pœnitentiam redire nolunt.

« Quia hæc dicit Dominus : Urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum : et de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel. » Hoc est quod ait Isaias : Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ convertentur ex eis.

« Quia hæc dicit Dominus domui Israel : Quærite me, et vivetis, et nolite quærere Bethel, et in Galgala nolite intrare, et in Bersabee non transibitis, quia Galgala captiva ducetur, et Bethel inutilis erit. » Nolite quærere (inquit) Bethel, in qua erat vitulus aureus, et in Galgala idololatriæ dedita nolite intrare, et in Bersabee, hoc est ad puteum juramenti non transibitis : ubi si quando errabat tribus Juda, idola adorare consueverat.

« Quærite Dominum, et vivite, ne forte comburatur ut ignis domus Joseph, et devorabitur, et non erit qui exstinguat. Bethel, qui convertitis in absynthium judicium, et justitiam in terra relinquitis. » Iste est ignis, qui succenditur non ab alio aliquo, sed ab ipsis peccatoribus, de quo alibi Dominus dicit : « Ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma quam succendistis. »

« Facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mane tenebras, et diem in noctem mutantem, qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen est ejus. » Secundum historiæ veritatem Dominus, qui Creator est omnium, comminatur captivitatem futuram super Samariam, et depopulationem super potens regnum affert. Arcturum vero et Orionem, Ecclesiam intellige, sive omnes sanctos. In mane Dominus tenebras convertit, cum populum gentium de infidelitatis errore ad fidei lucem perduxit. Diem quoque in noctem mutavit, quia populum Judæorum de propria justitia præsumentem, in cæcitate cordis sui dereliquit.

« Qui subridet vastitatem super robustum, et depopulationem super potentem affert. » Subridentem Deum, irascentem significat. quia et nos quando irascimur, interdum subridemus.

« Odio habuerunt in porta corripientem, et loquentem perfecte abominati sunt. » Quæ est porta, in qua propheta redarguit delinquentes, nisi janua vitiorum. Aut certe ipse propheta stat in porta, in initiisque virtutum, et odio habetur ab his quos corripit. Qui enim non recipit prophetam, non recipit qui misit illum. Loquentem vero perfecte, Christum Dominum accipi non dubium est.

« Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem et prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis et non habitabitis in eis ; vineas amantissimas plantabitis, et non bibetis vinum earum, quia cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra. » Pauperem, Christum intelligi in membris suis non absurdum est : hunc hæretici per occultas insidias deprædari conantur. « Hostes justi accipientes munus, et pauperes in porta deprimentes. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. » Hostes justi, omnes inimici Christi intelliguntur. Deteriores vero omnium hæretici comprobantur, qui in portis fidei humiles Ecclesiæ deprimere conantur.

« Quærite bonum, et non malum, ut vivatis, et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis. Odite malum, et diligite bonum, et constituite in porta judicium, si forte misereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Joseph. » Si enim quæsieritis bonum, statim repellitis malum. Bonum vero ipse Dominus est. Judicium vero in porta constituere est iniquitate repulsa veritatem recipere. Vel certe in portis judicium constituere est præsules ecclesiarum intra sanctam Ecclesiam, quæ est porta regni cœlorum, vera discretione boni ac mali populum docere.

« Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator : In omnibus plateis planctus, et in cunctis quæ foris sunt, dicetur, Væ, væ : et vocabunt agricolam ad luctum, et ad planctum eos qui sciunt plangere, et in omnibus viis erit planctus, quia pertransibo in medio tui dicit Dominus. » Vastationem Judæorum non solum in habitationibus eorum, sed et in cunctis quæ foris erant ventura, prophetavit. Qui enim in Ecclesia fuerint, non audient væ, sed pœnarum est ultimum, sed si forte peccaverint, assumetur super eos lamentum. Agricolæ, et qui norunt plangere, ecclesiastici viri sunt, qui ante venturum judicium peccatores ad pœnitentiam vocant.

« Væ desiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis ? Dies Domini ista, tenebræ et non lux. » Judæi ut hæretici, sive plerique de Ecclesia, de justitia fidentes, diem Domini, hoc est diem judicii, quasi securi facinorum, desiderare profitentur quem timere debuerant.

« Quomodo si fugiat homo a facie leonis, et occurrat ei ursus, et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber. » Leo, vel ursus, seu coluber, hoc in loco diabolus intelligendus est. Domus quoque unicuique delinquenti propria conscientia est, in qua illi non est bene.

« Nunquid non tenebræ dies Domini, et non lux : et caligo, et non splendor in ea ? Odi et projeci festivitates vestras, et non capiam odorem cœtuum vestrorum : quod si obtuleritis mihi holocaustomata et munera, non suscipiam, et vota pinguium vestrorum non suscipiam. Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam, et revelabitur quasi aqua judicium, et justitia quasi torrens fortis. » De Judæorum victimis et hæreticorum sacrificiis, quæ a Deo non approbantur, dicit. Necnon et cantica Levitarum, quibus laudabant Deum, tumultum vocat, sonitumque confusum, similiter et hæreticorum. Judicium Dei atque justitiam, quam de populo suo judicabit, patebit omnibus, et instar torrentis fortissimi, quidquid arripuerit, secum trahit, et si obstiterit, non patitur.

« Nunquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israel ? et portastis tabernacula Moloch idolo vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis. Et migrare vos faciam trans Damascum, dixit Dominus Deus exercituum nomen ejus. » Populus Israeliticus idololatriæ cultura illecebratus, et hoc

quod Deo offerebant, quia non sponte, sed pœnarum metu coacti faciebant, pro non factis reputabantur. Sidus vero stellam dicit, quæ a Saracenis infidelibus olim colebatur.

CAPUT VI.

« Væ qui opulenti estis in Sion et confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. » Opulentos in Sion, principes Judæorum dicit, sive hæreticorum magistros, de propria justitia præsumentes, quasi in monte Samariæ fidentes. Hi sunt enim secundum aliam editionem, qui spernunt Sion, hoc est Ecclesiam Dei, dicit Dominus.

« Transite in Chalane, et videte, et ite inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum. » Historialiter principes Judæorum, sive Ecclesiæ divites increpat, qui dissolute viventes, latiores vias hujus mundi, per quas infideles ambulant, qui hoc quod David in cultu Dei fecit, ipsi ad voluntatem et luxuriam faciunt. Ipsi enim separati sunt in diis Moloch, hoc est in die judicii, a societate sanctorum. « Si latior est terminus eorum termino vestro, qui separati estis in diem malum, et appropinquastis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum, de grege, et vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem psalterii. Sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph. » Secundum tropologiam contra hæreticos sermo propheticus dirigitur, qui separati sunt in die malo, hoc est præsenti in tempore, sive in die judicii, a consortio Ecclesiæ, qui cantica sua, hoc est falsa prædicamenta Christi prædicationem opinantur. Hos enim exhortatur sermo divinus, ut mente tractent universarum gentium philosophias, et reperiant angustiores terminos eorum sanctarum Scripturarum terminis.

« Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium, et auferetur factio lascivientium. Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum. Detestor ego superbiam Jacob, et domus ejus odi. » Secundum historiæ veritatem de Judæis dicit, qui in captivitatem transmigrati sunt. « Et tradam civitatem cum habitatoribus suis. Quod si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur, et tollet eum propinquus suus, et comburet eum ut efferat ossa de domo, et dicet ei, qui in penetralibus domus est : Nunquid adhuc est apud te? et respondebit, finis est. » Secundum historiæ fidem eo tempore in populo Judæorum impletum esse comperimus, quando Hierusalem a Romanis vastata est. Tropologice vero de hæreticis intelligendum est, in quorum conciliabulis si reliqui fuerint decem viri, omnes morientur ea morte quæ ducit ad tartarum. Justorum ossa sepelient propinqui et domestici eorum, de quibus dicitur : Sine mortuos ut sepeliant mortuos suos. Et ille qui foris est, et domum non ingreditur, sed magis mortuos foras ejicit, imperat ei qui comburit mortuos, et dissolvit in cineres, et eorum ossa comminuit, ut taceat, et purissimum Dei nomen mortuo ore non maculet, « et dicet ei : Tace, et non recorderis nominis Domini, quia ecce Dominus mandavit, et percutiet domum majorem in ruinis, et domum minorem in scissionibus. » Domum magnam, et domum minorem, Judaicum populum significare putant, et Ecclesiam ex gentibus congregatam. Quæ Ecclesia si quando peccaverit, et percutitur scissionibus hæreticorum, sicut populus Judæorum convulsus est in ruinam.

« Nunquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis? Quoniam convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absynthium? » Cum enim silvestres boves sunt indomiti propter feritatem, et nolunt terram vomere scindere, vos autem superbi atque elati, cum equi et bubali naturam suam mutare non possint, mutastis Dei culturam, ut dulce amarum faceretis.

« Qui lætamini in nihilo, qui dicitis. nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? Ecce enim suscitabo super vos, domus Israel (dicit Dominus Deus exercituum) gentem, et conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti. »

CAPUT VII.

« Hæc ostendit mihi Dominus Deus. » Hæc vox omnium superborum est, qui in fortitudine sua fisi, temporalem potentiam, quam nonnisi a Deo accepissent, habere poterant, suæ virtuti magis quam Deo ascribunt. « Et ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, et ecce serotinus post tonsorem gregis. Et factum est cum consummasset comedere herbam terræ, et dixi : Domine Deus, propitius esto, obsecro. Quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? » Fictor locustæ et creator Deus est. Hæ veniunt in principio imbris serotini, hoc est verno tempore quando cuncta virent. Has autem locustas innumerabilis bruchus sequebatur, qui veniebat post imbrem serotinum, et appellabatur tonsor vel tonsura gregis. qui duos reges Assyriorum atque exercitum Chaldæorum, qui Judæorum gentem depopulati sunt, significasse non dubium est. Aliter : Gog rex locustarum, qui secundum Septuaginta interpretes positus est, interpretatur *tectum*, superba quædam et arrogans fortitudo Antichristi significatur, qui in fine mundi cum innumerabili infidelium multitudine veniens, velut in serotino, cunctam herbam terræ, hoc est omnia infirma et tenera humani generis consumptura est. Unde et propheta pro populo Israel, quia parvulus est sensu, Deum interpellat, ut, mutata sententia, saltem reliquiæ ex eis salventur.

« Misertus est autem Dominus super hoc. Non erit, dixit Dominus. Hæc ostendit mihi Dominus Deus, et ecce vocabit judicium ad ignem Dominus

Deus, et devorabit abyssum multam, et comedit simul partem, et dixi : Domine Deus, quiesce, obsecro. Quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? Misertus est Dominus super hoc. Sed et istud non erit, dixit Dominus Deus. Hæc ostendit mihi Dominus Deus. » Judicium quippe ad ignem vocatur, cum justitiæ sententia ad pœnam æternæ concremationis ostenditur, et multam abyssum devorat, quia iniquas atque incomprehensibiles hominum mentes concremat, quæ nunc coram hominibus etiam superborum operum miraculis coruscant. Pars autem domus comeditur, quia illos quoque gehenna devorat, qui nunc se quasi in sanctis actibus de electorum numero esse gloriantur.

« Et ecce Dominus stans super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentarii. Et dixit Dominus ad me : Quid tu vides, Amos? Et dixi : Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus : Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel, non adjiciam ultra superinducere eum, et demolientur excelsa idoli, et sanctificationes Israel desolabuntur, et consurgam super domum Jeroboam in gladio. » Trulla cæmentarii significat Domini protectionem, quam populo suo Israel, quasi a priori ædificio abstulit. Adamas vero lapis durissimus et indomabilis atque indecorus, præfigurat Dominum atque Salvatorem nostrum, « qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens. » Hic stat super murum adamantinum, hoc est super incorruptum Ecclesiæ ædificium.

« Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Jeroboam regem Israel, dicens : Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel, non poterit terra sustinere universos sermones ejus. Hæc enim dicit Amos : In gladio morietur Jeroboam, et Israel captivus migrabit de terra sua. Et dixit Amasias ad Amos : Qui vides, gradere, fuge in terram Juda, et comede ibi panem, et ibi prophetabis, et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes, quia sanctificatio regis est, et domus regni est. » Omnia quæ de Amasia et Jeroboam et Israel in hac prophetia continentur, tropologice ad hæreticos transferenda sunt, quorum sacerdos Amasias solet aliquando mittere ad Jeroboam regem hæreticorum atque patronum, et sanctos viros ac præcones fidei accusare apud eum, et jubere doctoribus ne prædicent in Israel, ne contra regis faciant voluntatem : quia Bethel, hoc est domus Dei, et falsa Ecclesia sanctificatio regis sit et domus regni. Solent enim dicere : Imperator nobis communicat, et si quis ei restiterit, statim calumniatur. Ergo tu contra imperatorem facis, Augusti mandata contemnis.

« Et respondit Amos, et dixit ad Amasiam : Non sum propheta, et non sum filius prophetæ, sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros, et tulit me Dominus cum sequerer gregem, et dixit ad me : Vade, propheta ad populum meum Israel. » Sycomoros quidam ita disserunt, ut sycamina velint appellare, genus arborum quæ in Palæstina nascuntur in campestribus, et agrestes afferunt fructus : quæsi non vellicentur, amarissimas cariculas faciunt, et aquicelus corrumpitur. Nobis autem, quia solitudo in quam morabatur Amos nullam hujuscemodi gignit arborum, magis videtur rubos dicere, qui ferunt mora et pastorum famem ac penuriam consolantur. Sunt et alii qui sycomoros omnes fructuosas arbores significasse astruunt.

« Et nunc audi verbum Domini : Tu dicis, non prophetabis super Israel, et non stillabis super domum idoli ; propter hoc hæc dicit Dominus Deus : Uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui et filiæ tuæ in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur, et tu in terra polluta morieris, et Israel captivus migrabit de terra sua. » Hoc est quod apostolos Scriptura fecisse commemorat ; quando denuntiaverunt eis scribæ et Pharisæi, ne docerent in nomine Jesu, et illi responderunt dicentes. « Obedire oportet Deo magis quam hominibus. » quod etiam prophetam Amos fecisse cognoscimus. Amasias quoque, qui nunc gloriatur in sacerdotii potestate, moriatur in terra quæ polluta est idolis, et non ante moriatur nisi populum quem deceperat servientem videat atque captivum. Amasias, qui interpretatur *robustus* ac *rigidus*, eo quod rebellis sit et ferox, et ecclesiasticum virum et vere prophetam vetet Dei proferre sermonem, et errantem populum corrigere, arrogantiam hæreticorum prætendisse non dubium est. Horum hæreticorum uxor, hoc est falsa Ecclesia, patebit omnibus fidelibus esse plebs adultera, et filii ejus ac filiæ quas male genuerunt in errorem, Domini indignatione vel certe propria impietate feriantur Humus quoque illius et universa possessio erit pars dæmonum, et ipsi morientur in terra polluta, quæ habitatorem Deum non habet.

CAPUT VIII.

« Hæc ostendit mihi Dominus Deus, et ecce uncinus pomorum. Et dixit Dominus, Quid tu vides, Amos? et dixi, Uncinum pomorum. »

(*Hoc in loco exemplaria omnia, quorum nobis quidem copia fuit, desiderant verba Haymonis, in capp.* VIII *et* IX.)

IN ABDIAM PROPHETAM.

Abdiam prophetam esse aiunt Hebræi, qui sub rege Samariæ Achab et impiissima regina Jezabel, pavit centum prophetas in specubus, qui non curvaverunt genua Baal, et de septem millibus erant quos Elias arguitur ignorasse, sepulcrumque ejus usque hodie cum mausoleo Elisei prophetæ et Joannis Ba

ptistæ in Sebaste, quæ olim Samaria dicebatur, cum magna veneratione habetur. Legitur quia centum prophetas paverat, accepit spiritum prophetiæ, et de duce exercitus fit dux Ecclesiæ, et impletum est in illo quod Dominus ait : « Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. » Tunc in Samaria parvum gregem paverat, nunc in toto orbe Christi pascit Ecclesiam.

CAPUT PRIMUM.

« Visio Abdiæ. » Potest quæri cur dicatur visio Abdiæ, cum non legamus in sequentibus quod aliquid viderit, sed audierit. Sciendum autem visionem hic pro intellectu poni, quia quod audivit, vidit, hoc est intellexit more prophetarum. Sunt autem tria genera visionum : una est corporalis, sicut in lapidibus ; spiritualis, sicut in somnis videmus equos currere, homines bellare ; intellectualis, qua locuti sunt sancti prophetæ. Intelligebant enim spiritualiter quidquid loquebantur. « Hæc dicit Dominus Deus ad Edom. » Edom ipse est Esau et Seir, similiter regio illius tribus nominibus nuncupatur. Dictus est enim Esau, ab esu lentis, quia propter rufum lenticulæ cibum vendidit primogenita. Nam Edom, *rufus* interpretatur. Dicitur et Seir, id est pilosus, quia hispidus erat. Regio quoque illius dicta est Idumæa, et Seir, et Teman. Hinc per Amos dicitur, « Super tribus sceleribus filiorum Edom, et super quatuor non convertam eum ; » et per Isaiam, « Ad me clamat Seir, custos quid de nocte ? » et per Jeremiam, « Nunquid non est ultra sapientia in Teman, » et reliqua usque in finem prophetiæ. Contra filios itaque Edom inimici erant filii Israel, sicut olim fuerat pater illorum fratri suo Jacob. Loquitur Propheta : « Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit. » Jungit se cæteris prophetis, qui spiritualiter divinam sententiam enuntiant contra Idumeam. Hebraice enim Edom, Græce Idumæa dicitur. Auditum, inquit, audivimus a Domino, ego scilicet et cæteri prophetæ similes mei, qui contra Edom scripserant. Et legatum ad gentes missum, id est Filium suum, qui utique est Verbum Patris Dei, direxit ad Nabuchodonosor et exercitum ejus, ut venirent adversum Idumæos, et disperderet eos. De hoc legato Dominus per Aggæum loquitur. « Movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus. » « Surgite, et consurgamus adversus eum in prælium. » Legatus qui ad gentes missus est, hæc loquitur : Surgite (inquit) qui dormitis, et nolite gravem atque insolitam æstimare pugnam. Me enim habebitis primum in acie. Et ego princeps vester, qui Jesu Filio Nave gladium tenens apparui, ideoque consurgamus adversus eum in prælium, quia facilis erit victoria. Similiter et Jeremias in visione contra Edom loquitur, « Auditum (inquit) audivi a Domino, et legatus missus est ad gentes, » etc.

« Ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde. » Similiter et Jeremias, « Ecce parvulum dedi te, contemptibilem inter homines. » Comparatione enim cæterarum gentium in circuitu suo habitantium parvulus erat, sed in superbiam elevabatur, cum esset contemptibilis, id est valde despicabilis. O Edom, inquit, cum minimus sis inter omnes in circuitu nationes, et ad comparationem gentium cæterarum parvus in numero, ultra vires erigeris in superbiam. Unde sequitur :

« Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petræ, exaltantem solium tuum : qui dicis in corde tuo » Terra Idumæorum in australi parte erat sita, ideoque ob nimium solis calorem, in cavernis terræ aut petræ habitabant. Et est sensus : Cum habites in speluncis, aut in cavernis petrarum humilis atque pauperrimus, et excelsa ædificiorum tecta non possides, ob nimiam chordis duritiam, vel superbiam, solium tuum vel regnum tuum, quasi omnipotens sis, exaltare niteris, et dicis in corde tuo : « Quis detrahet me in terram ? » id est nullus. *Quis* enim aliquando pro raro, aliquando pro nullo ponitur, sicut hic, et sicut in psalmo : « Deus, quis similis erit tibi? »

« Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera ponis nidum tuum : inde detraham te, dicit Dominus. » Tu (inquit) superbia intumescis, et ut aquila, quæ sublimius cæteris avibus volat in altum, sustolleris, ita ut etiam ultra naturam possis altitudinem penetrare, et ut etiam (plus dicam) inter sidera posueris nidum tuum, id est habitaculum, inde te ad terram detraham, ut illa se subito sæpe in fundum maris dejicit de magna nubium altitudine. Aquilam enim cunctis avibus altius volare, etiam hi qui de natura avium disputant, memoriæ prodiderunt, tantique intuitus esse dicitur, et cum super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos videat natare, et cum juxta littus fuerint, tormenti instar descendere, raptamque prædam pennis ad littus detrahere. Hæc quæ adversus Edom proferuntur, spiritualiter ad hæreticos referri possunt, qui, cum sint parvuli et contemptibiles, in superbiam contra Ecclesiam extolluntur, confidentes in mysteriorum secretis, quibus Dominus minatur, quia si exaltati fuerint elatione mentis ad cœlum, inde detrahat eos.

« Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses ? » Quod dicit, hoc est : Si fures et latrones, qui de nocte domos suffodere consueverunt, et rapere quæ in domibus sunt, introissent ad te et absconditi tenebris circuissent domus tuæ angulos, quomodo tunc conticuisses, sic subauditur tacebis, cum venerit Nabuchodonosor cum Chaldæis, et Assyriis, et reliquis gentibus, non audens illis resistere. Comparatio est dissimilium rerum. « Nonne furati essent sufficientiam sibi ? » id est nonne abstulissent quidquid putabant sibi posse sufficere ? « Si vindemiatores introissent ad te, nunquid saltem racemum reliquissent tibi ? » id est, si vindemiatores introissent vineam tuam, et eam hostiliter vastare cuperent, nunquid saltem racemum reliquissent tibi? Quasi diceret : Procul dubio face-

rent, quia quamvis diligens eorum fuisset operatio, tamen racemos vitibus foliisque celatos inter palmites reliquissent. Isti autem vindemiatores Babylonii intelliguntur cum duce suo, qui, Domino jubente, eamdem plebem vindemiantes interfecerunt, et spoliaverunt, nihilque fuit absconditum, quod eos latere potuisset.

Unde et admirando propheta subjungit : « Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus? » Universa enim secreta illius et cavernas ac foramina speluncarum in quibus habitabant, Chaldæi lustraverunt, nihilque eis abscondere potuerunt. Quod mirum valde est, cum omnis australis illa regio Idumæorum in specubus habitatiunculas habeat, et propter nimios calores solis, quia meridiana provincia est, subterraneis tuguriis utatur.

« Usque ad terminum emiserunt te. » Id est non aliqua solummodo pars regionis tuæ captivata est adveniente Nabuchodonosor, sed usque ad terminos regni tui pervenientes, ejecerunt te extra solium tuum. « Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi : invaluerunt adversum te viri pacis tuæ. » De Moabitis ac Madianitis, cæterisque ejus vicinis loquitur, qui ante erant cum eodem fœderati, sed postea cum Assyriis juncti illuserunt eos, quibus quondam fuerant fœderati, et invaluerunt adversus eos, in captivitatem ducentes, quibus olim fuerant pacifici in præsidio urbium suarum. « Qui comedunt tecum, ponent insidias super te. » Id est qui nunc tecum tanta potiuntur pace et amicitia ut tecum panem comedant, advenientibus hostibus copulati, ponent super te insidias custodientes ne quis eorum qui ad te pertinet, possit effugere. « Non est prudentia in eo. » Talis scilicet qualis esse debuerat, dum sperat in his qui adversarii ejus futuri sunt. In hoc enim nullam Edom inesse dixit prudentiam, quia nescivit illos hostes sibi prævidere futuros, cum quibus pacem habebat.

« Nunquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau? » Id est, cum hostes fines tuos possidebunt, et omnes viri fœderis tui illuserint tibi, et prævaluerint contra te, perdam sapientes philosophos de Idumæa. Edom enim Hebraice, Græce Idumæa appellatur. Prudentiam quoque de monte Esau auferam, ut calliditas stultitiæ ejus demonstretur, possintque nullum invenire consilium, quo superveniens possint effugere malum. Bene autem de monte prudentiam se tunc dicit ablaturum, vel quia urbs Idumæa in monte sita est, vel quia omnis illa regio ad austrum vergens præruptis montibus edita sit.

« Et timebunt fortes tui a meridie, ut intereat vir de monte Esau. » Alia translatio habet, « pavebunt pugnatores tui de Teman. » Teman enim *meridies* interpretatur. Quomodo Esau tribus nominibus legimus appellatum, ita et plaga regionis illius, quæ ad austrum vergit, tribus nominibus dicitur vocata, Darom, Teman, Negeb. Quæ nomina (juxta Ezechie-

A lem) austrum africum, meridiemque significant. Et est sensus : Postquam supervenientes audire cœperis hostes, et cœperint tibi illudere, in quorum nunc pace confidis, pavebunt fortes regni tui, qui habitant in meridie, ut intereat vir de monte Esau, qui et pugnare pro civitate, et prudenter consilium dare ante consueverat.

« Propter interfectionem et iniquitatem in fratrem tuum Jacob. » Causam exponit, quare sapientes sint perituri de Idumæa, et prudentes de monte Esau, propter interfectionem scilicet et impietatem, quia interfecit, et inique egit contra fratrem suum Jacob, quando, Babyloniis vastantibus Hierusalem, ipse socius eorum erat. Odium enim quod tenuit Esau contra Jacob propter benedictionem, quam

B subripuit ei, tenuerunt et isti cum filiis suis in sempiternum. Dolebant enim se perdidisse bona quæ Judæi perceperant. Quam ob causam, quando Nabuchodonosor primum venit in Hierusalem, Chaldæis Babyloniisque eam vastantibus, junxerunt se illis, et eum eis pariter interfecerunt Judæos : propter quod peccatum loquitur ad eos Dominus, dicens : « Operiet te confusio, et peribis in æternum. » Confusi quippe sunt postea quam capti sunt ab hostibus, et perierunt in æternum, quia perpetua sunt captivitate damnati.

« In die cum stares adversus eum. » Id est manifesta captivitate, quando Joachim captus est et Daniel, cæterique pueri in captivitatem ducti sunt, primo scilicet

C adventu Nabuchodonosor in Hierusalem, cum stares adversus germanum tuum. « Quando capiebant alieni » a Deo et a progenie Judæorum, « exercitum ejus, et extranei ingrediebantur portas ejus, » id est civitatis Hierusalem. « Et super Hierusalem, » id est super prædam illius, « miserunt sortem » ut ejus spolia sibi dividerent, quærentes quid quis caperet? « Tu quoque eras quasi unus ex eis. » Ideoque ista tibi evenient; quoniam, qui debueras esse tutor eorum atque auxiliator, factus es interfector.

« Et non despicies in die fratris tui, in die peregrinationis ejus : et non lætaberis super filios Juda in die perditionis eorum. » Minatur jam aperte sermo propheticus Edom, quia cum interierit vir de monte Esau, et operuerit eum æterna confusio,

D propter interfectionem et impietatem fratris ejus, nequaquam faciet quæ fecit ante contra germanum suum, ac si diceret : Cum venerit secunda et tertia captivitas Judæorum, non despicies eos, neque lætaberis in die perditionis eorum, ut hactenus, quia jam teneris captivus ab hostibus. Primum enim (sicut dictum est) venit Nabuchodonosor in Hierusalem sub Joachim, quando Ezechiel cum eodem rege ductus est Babylonem ; tertio sub Sedecia, quem erutis oculis in caveam captivum duxit : in secunda ergo vel tertia captivitate Israelitarum non sunt lætati Idumæi, quia jam tenebantur captivi. Unde sequitur : « et non magnificabis os tuum in die angustiæ. » Dicens : « Exinanite, exinanite, usque ad fundamentum in ea, » sicut primum fecisti. Unde Psal.

mista imprecantis voce loquitur dicens : « Memor esto, Domine, filiorum Edom in die Hierusalem. » Duabus enim tribubus, quæ regnabant in Hierusalem, et appellabantur Juda, a Chaldæis secunda vel tertia vice captis, non magnificaverunt Idumæi os suum, quasi socii essent victorum in fratris angustia.

« Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum : neque despicies et tu in malis ejus in die vastitatis illius. » Id est nequaquam per portam Hierusalem gloriabundus incedes in die vastitatis et ruinæ populi mei, quia tu, manibus eorum traditus, similia patieris. « Et non emitteris adversus exercitum ejus in die vastitatis illius, » ut olim exercitum adversus eum misisti.

« Neque stabis in exitibus, » id est in viis, « ut interficias eos qui fugerint : et non concludes reliquos ejus » in carcerem, ac tradas eos dominis suis, « in die tribulationis, » id est cum cœperint fugere per notas sibi vias et diverticula ad solitudinem, non stabis in bivio, nec venientes exspectabis in compitis, ut interficias eos qui fuerint liberati, aliosque comprehensos reducas, et vel ipse capias, vel captivitati hostium serves.

« Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes, » id est dies vindictæ Domini super omnes gentes veniet, et est sensus . Cum omnes gentes vindictam iræ Dei senserint, et calicem ejus furoris biberint, nunquid tu quasi innocens relinqueris? Quasi diceret : Non eris innocens, sed multo magis bibes ex hac vindicta omnium gentium ; et Jeremias loquitur sub metaphora calicis cunctis gentibus propinati : « Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnes gentes. » Universas quippe gentes, Herodoto teste, usque ad Propontidem, Scythicumque mare et Donicum vel Ægæum, Assyrii Babyloniique sibi subjugaverunt. « Sicut fecisti, fiet tibi. » Id est sicut interfecisti Judæos hostis factus, sic et tu interficieris ab hostibus. Unde subditur : « retributionem tuam convertet in caput tuum. » Qualia fecisti, talia recipies. Sub hoc sensu et contra Babylonem Propheta imprecatur : « Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. »

« Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum Sion, bibent omnes gentes jugiter, » id est quomodo cum Assyriis et Babyloniis lætatus es super montem sanctum meum, ubi erat templum meum et altare holocaustorum, si bibent, id est lætabuntur omnes gentes super te, quas tecum habes Babyloniis in præsidio : « et bibent, et absorbebunt, et erunt quasi non sint. » Id est non solum lætabuntur in tua perditione, sed etiam ita te interficiendo absorbebunt, ut sint Idumæi quasi non sint. Vel certe quod dicit, erunt quasi non sint, ad omnes gentes refertur, de quibus supradictum est, Dies Domini super omnes gentes. Quicunque ei non adhærent, qui est, Ego sum, sic sunt, quasi non sint. Unde et in Esther legimus : « Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt. » Vel certe ideo omnes gentes nihil esse dicit, quia ab invicem vastatæ sunt atque absorptæ. Tali enim circulo vindicta processit, quoniam sicut Idumæi interfecerunt Judæos, ita ipsi interfecti sunt ab Assyriis et Chaldæis, ipsi a Medis et Persis, Perses ipsi a Macedonibus, Macedones a Romanis, quorum regnum destructum est imperio Christi.

« In monte autem Sion erit salvatio, et erit sanctus. » Completa sunt verba prophetiæ hujus, quando post septuaginta annos sub Zorobabel, et Esdra, atque Nehemia, quæ tribus reversæ sunt in Judæam, fuitque illis salvatio libertatis, et mons templi Domini fuit sanctus propter sacerdotes, sacrificia, oblationes, et reliqua, quibus populus Dei cultu sanctificabatur. « Et possedit domus Jacob eos qui se possederant. » Idumæa subversa, et ab inimicis gentibus (cum quibus fœdus contra Jacob prius inierat) devorata, in monte Sion erit salvatio, et erunt reliquiæ, et domus Jacob reversa de captivitate, possidebit eos qui se hæreditate possederant. Illis enim revertentibus, multi ex Medis et Persis eos sunt secuti, quos possederant in religione et fidei societate.

« Et erit domus Jacob, » id est duæ tribus cum tribu Levitica, « ignis, et domus Joseph, » id est decem tribus, « flamma, et domus Esau stipula : » sensus est, sicut ignis et flamma devorat stipulam, sic duo regna duarum et decem videlicet tribuum, in unius sibi virgæ juxta Ezechiel copulam fœderatæ, vastabunt Idumæam, et devorabunt eam. Nam per Joseph decem tribus designantur, propter Josue et Hieroboam. Cum duabus enim tribubus multi quoque decem tribuum sunt reversi, qui pari certamine dimicarent contra Idumæos. Unde subditur : « et succendentur in eis, et devorabunt eos : et non erunt reliquiæ domus Esau. » Nec unus solummodo de populo remanebit, qui adversariorum eversionem vicinis gentibus possit nuntiare. Unde et Septuaginta dicunt : Non erit frumentarius domus Esau. Eos enim quos nunc veredarios appellant, veteres frumentarios dixerunt. Quare autem hæc omnia fierent, manifestatur, cum subditur : « quia Dominus locutus est, » cujus dixisse, fecisse est, appositum ad exercitum Babylonium. Cuncta autem hæc quæ diximus, et quæ dicturi sumus, Judæi falsa sibi somniantes, ad tempora referunt Antichristi : et quidquid contra Idumæam interpretati sumus, illi adversus Romanum imperium somniant ; quod tamen nos dicimus aut juxta historiam sub Zorobabel esse factum, aut certe quotidie in Ecclesia mystice impleri. Quando autem factum vel faciendum sit, ipse novit, qui per prophetas hæc mandavit.

« Et hæreditabunt hi qui ad austrum sunt, montem Esau : et qui in campestribus, Philisthiim. » Reverso in regnum suum Juda, hi qui ad austrum sunt, id est duæ tribus quæ in australi parte terræ repromissionis habitabant juxta divisionem Jesu filii Nave, hæreditabunt montem Esau, ut non arceantur etiam angustis terminis, sed etiam montana possi-

deant, quæ Edom ante possederat : et qui in campestribus ex ipsis duabus tribubus habitabant, in Liade videlicet et monte Diospoli, atque Nicopoli possidebunt quinque urbes Philisthiim, Gazam videlicet, Ascalonam, Azotum, Accaron, et Geth, et omnem illam plagam quæ, juxta Actus apostolorum, Saronas vocatur, ut scilicet usque ad maritima perveniant, et Philisthiim suo imperio subjugent, quos prius non habuerant subjugatos. « Et possidebunt regionem Ephraim et regionem Samariæ. » Quia intantum dilatabitur terminus filiorum Israel, ut usque ad Ephraim perveniatur, non solum regnum aliarum gentium, sed etiam regnum decem tribuum, cujus caput Samaria, possideant hostes eorum.

« Et Benjamin possidebit Galaad. » Galaad civitas erat, vel mons in tribu Gad. Per hanc autem civitatem, vel montem, tota designatur Arabia, quæ prius vocabatur Galaad, et nunc Jerasa nuncupatur, quam totam possedit Benjamin, cujus statim ab Hierusalem contra septentrionem termini dilatantur, hoc utrum factum sit, Deus viderit. Potest enim ex parte per annos quingentos usque ad adventum Christi esse completum, quod quotidie in Ecclesia completur et confirmatur, dum hi qui habitant in vero lumine, campestria atque humilia inhabitent, discipuli videlicet ejus qui dicit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. » Possident montem Esau et Philisthiim, per quos possumus gentium philosophos accipere, propter altitudinem eloquentiæ; regionem quoque Ephraim et Samariæ possidebunt, per quem (ut in Osee sæpe legimus) hæretici figurantur. Porro Benjamin, id est filius dexteræ, populus videlicet Christianus, possidebit Galaad, qui interpretatur *acervus tetismonii*. Id est Judæos credentes, a quibus testimonia legis accepimus et prophetarum.

« Et transmigratio exercitus hujus filiorum Israel, omnia Chananæorum usque ad Sareptam, » id est illi qui reversi fuerint ex decem tribubus de captivitate, omnia, subaudis loca, Chananæorum possidebunt usque ad Sereptam, id est, non solummodo possidebunt quæ ad meridiem sunt, et ad occidentem, et ad septentrionem, Idumæos Ciliciæ, et Palæstinos, et montem Esau, et Samariam, sed etiam contra orientem cunctis quæ terræ Chananæorum sunt. imperabunt usque ad Sareptam Sidoniorum, ubi quondam Eliam pavit vidua. « Et transmigratio Hierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates austri. » In Bosphoro autem dicit, in terminis vel in finibus. Unde et Septuaginta Sapharad ponunt, quod *terminus* vel *locus* interpretatur, id est sensus : Hi qui de ipsa Hierosolymorum metropoli civitate translati, in Saphara habitabant, id est in finibus Babyloniorum, reversi possidebunt civitates austri, quæ sunt in tribu Juda. Habitantes enim in urbe sua, ea quæ urbi vicina sunt obtinebunt.

« Et ascendent salvatores in montem Sion. » Sicut fuit Zorobabel et cæteri, ut quondam fuit Othoniel, et cæteri liberatores, quos misit Dominus, usque ad Saul, indeque usque ad Sedeciam, « judicare montem Esau. » Ascendent enim de captivitate, ut judicent atque discernant, quasi subjectum et servientem sibi montem Esau, id est Idumæos pariter cum terra sua : « et erit Domino regnum, » subjugatis, scilicet omnibus, Domino erit regnum, quia ipse suos faciet regnare in diversis locis.

IN JONAM PROPHETAM.

Jonam tradunt Hebræi filium esse Sareptanæ viduæ, quem mortuum suscitavit Elias, quem cum matri reddidisset, adoravit illa, et dixit : Nunc in isto cognovi, quoniam vir Domini es, et verbum Domini in ore tuo verum est, et ob hanc causam vocatum filium Amathi. Amathi interpretatur *veritas*, et ex eo quod Elias verum dixit, vocatus est filius veritatis; cujus sepulcrum dicunt esse in Geth, quæ est in Ophir. Alii dicunt eum in Lidda, id est Diospoli et natum et conditum. Meminit hujus prophetæ liber Tobiæ, ubi moriturus pater filio loquebatur. Prope est interitus Ninivæ, non enim excidit verbum Domini. Primum enim ad prædicationem Jonæ intelligimus Ninivitas conversos pœnitentiam egisse, et a Domino veniam consecutos, postea vero ad mala pristina relapsos, juxta quod prædictum fuerat, fuisse subversos, regnante apud Hebræos Josia, apud Medos Astyage.

CAPUT PRIMUM.

Et factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens : Surge et vade in Niniven civitatem grandem, et prædica in ea : quia ascendit malitia ejus coram me. » Quod dicit : « ascendit malitia ejus coram me, » vel secundum septuaginta, clamor malitiæ ejus coram me ostenditur, quia impudenter et sine ulla reverentia vel timore peccabant. Tale est quod de Sodomitis dicitur : « Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum venit ad me. » Peccatum cum voce est peccatum occultum, peccatum cum clamore manifestum et publicum. Mystice : Jonas, qui interpretatur *columba*, significat Christum simplicem et mansuetum, super quem Spiritus sanctus in columba apparuit. Jonas etiam interpretatur *dolens*, quia doluit super perituram Hierusalem. Quod autem Christum designet, ipse Dominus in Evangelio testatur, dicens : « Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. » Ipse est filius Amathi, id est Dei, quia Deus veritas est. Mittitur ad Niniven, quæ *pulchra* interpretatur, mun-

dum designat, quo nihil pulchrius oculis carnalibus aspicimus. Unde et Græce ab ornatu nomen accepit. Cosmus enim mundus dicitur. Quia ergo Judæi Dei præcepta contempserant, mittitur Jonas, id est Christus ad Niniven, id est ad gentes, ut totus mundus credens in eum salvetur. Malitia Ninive quæ ad Dominum ascendit, voluntas est prona semper ad malum, et maxime cultus idolorum quibus, relicto Creatore, mundus studiosissime serviebat.

« Et surrexit Jonas ut fugeret in Tharsis a facie Domini. » Non invidens saluti Ninivitarum fugit, sed nolens perire Judæos gentem suam. Sciebat enim quia pœnitentia gentium ruina esset Judæorum. Præterea videbat alios prophetas missos ad oves perditas domus Israel, ut ad pœnitentiam populum provocarent, et ideo dolet se electum, ut mitteretur ad Assyrios inimicos Israelis. Noverat etiam prophetico spiritu, quod, cum gentes cognitionem Dei reciperent, reprobaretur Israel. Quod ergo sciebat aliquando futurum, verebatur ne suo tempore fieret, atque ideo fugere voluit in Tharsis, sicut et Caïn fugit a facie Domini. Josephus Tharsis putat esse Tharsum Ciliciæ civitatem, de qua fuit Paulus apostolus, unde et Tharsensis dictus est. Hebræi autem Tharsis mare dicunt generaliter. Non ergo ad certum aliquem locum fugere volebat propheta, sed ascensa navi quocunque posset festinare, non curans quo eum sors duceret. Fugitivus enim non eligit locum quo fugiat, et quia legitur in psalmo : « Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus, » putabat se posse Deum fugere, qui tantum in Judæa notus erat. Postquam vero per tempestatem Deum illic etiam maris agnovit, confitetur et dicit : « Hebræus ego sum, et Deum cœli ego timeo, qui fecit mare et aridam. » Mystice : Jonas noster, id est Christus, fugit in Tharsis, quia patriam suam, id est cœlum, dimisit ; et, assumpta carne, venit in mare hujus sæculi, et intantum dilexit populum de quo carnem assumpsit, ut non recusaret passionem, ne salvata Ninive, id est gentili populo, Synagoga periret. Unde et ad Patrem dicebat : « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste ; » et in cruce positus, pro his qui clamaverant : « Crucifige, crucifige, » orabat dicens : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt. »

« Et descendit in Joppen, et invenit navem euntem in Tharsis. » Joppe portus est Judææ, ad quem Hiram, rex Tyri, in ratibus ligna de Libano transferebat, a quo ad Hierusalem terreno itinere perducebantur. Jonas ergo de montanis Judææ veniens ad maritima et plana loca, recte dicitur descendisse. « Et dedit naulum eis, et descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini, » id est mercedem subvectionis. Descendisse autem dicitur in navem, ut ostendatur, quia sicut fugitivus ad interiora navis penetrat, latebras quærens. Interpretatur Tharsis *contemplatio gaudii*, Joppe *speciosa*. Mystice autem Jonas (id est, Christus), relictis montanis, descendit in Joppen, quia cum eum persequerentur in Judæa, sicut in Evangelio legimus, transibat in partes Tyri et Sidonis, quæ sunt gentilium urbes. Quæ, quia in sortem Israel distributæ fuerant, recte per Joppen, (id est, speciosa) designantur. Venit ergo Dominus ad Tharsis, id est gaudii contemplatione, quia mundi contemplabatur salutem, quam ante sæcula prædestinaverat. Salus autem mundi gaudium ejus est. Descendit autem in Joppen, quia, vicina passione, salutem speciosæ gentilitatis operabatur. Sed quia venit ad oves perditas domus Israel, non vult dare panem filiorum canibus. Dat ergo naulum vectoribus, quos gentiles putamus significare, id est pignus sperandæ salutis, quatenus primum salvet Judæos ad quos venerat, deinde salvet gentes quasi maris accolas. Unde et ad interiora descendisse et dormisse dicitur, sæviente pelago, quasi negligens eos, quia videbatur negligere gentes, quorum tamen salutem dormiens in cruce, et ad infernum quasi ad navis infima descendens, perficiebat.

« Dominus autem misit ventum magnum in mare : et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. » Putaverat Jonas prodesse sibi si navem conscenderet et fugeret : sed econtra et ipse, et navis propter eum periclitabatur ut contereretur. Quæ enim, nolente Deo, putantur prospera, vertuntur in perniciem, et nihil adversante Deo securum. Mystice : tempestas illa furorem significat Judæorum, qui eum exspectabant ad mortem, clamantes : « Crucifige, crucifige. »

« Et timuerunt nautæ, et clamaverunt viri ad Deum suum : et miserunt vasa quæ erant in navi in mare, ut alleviaretur ab eis. Nautæ, ignorantes unum et verum Deum, invocabant deos, scientes nihil fieri sine Dei providentia. Ex quo intelligimus ab omni homine timeri et sentiri, licet falsis religionibus ab uno et vero ad multos deos abducantur. Projiciunt vasa in mare : quod fit in summo periculo, ut levior facta navis, facilius fluctibus superferatur.

« Et Jonas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi. » Nautis turbatis, et suos deos invocantibus, Jonas securus et mente quieta persistebat, adeo ut dormiret. In quo patientiam viri fortis et inter prospera, et inter adversa inconcusse stantis ostendit. Potest et hoc dici quod sciens se fugere, non audet videre fluctus vindices fugæ suæ. Sive tædio affectus dormiebat, sicut et apostolos in passione Domini præ tristitia somno oppressos legimus.

« Et accessit ad eum gubernator, et dixit ei : Quid tu sopore deprimeris ? Surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus. » Naturale est unumquemque in periculis de alio plus sperare. Unde gubernator, qui alios consolari debuerat, excitat dormientem Jonam, ut invocaret Deum : et quorum erat commune periculum, communis esset oratio. Tropologice significat, antequam Christus pateretur, multos deos adoratos a

gentibus, sed postquam Christus mortuus et tempestas mundi sedata est, unus jam adoratur Deus, et ei spirituales victimæ offeruntur.

« Et dixit vir ad collegam suum : Venite et mittamus sortes. » Quia majorem solito videbant tempestatem, intelligebant non naturaliter ea contigisse: neque enim poterant ignorare rationes ventorum et fluctuum, qui tanto tempore navigabant, et ideo missa sorte, quærebant auctorem naufragii Quod autem dicunt : « ut sciamus quare hoc malum sit nobis, » malum pro afflictione et calamitate debemus accipere, secundum quod in Evangelio dicitur: « Sufficit diei malitia sua ; » et per Prophetam dicitur : « Si est malum in civitate quod Dominus non fecit. » Aliter enim malum dicitur virtuti contrarium. « Et miserunt sortes : et cecidit sors super Jonam. Et dixerunt ad eum : Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis : quod est opus tuum ? quæ terra tua et quo vadis ? vel ex quo populo es tu ? » Quem sors prodiderat, cogunt voce sua profiteri Interrogatur persona, regio, iter, civitas, ut ex his cognoscatur causa discriminis.

« Et dixit ad eos : Hebræus ego sum, et Dominum Deum cœli ego timeo. » Hebræus transitor interpretatur. Nec dicit, Judæus, quo nomine vocari cœperunt ex quo decem tribus a duabus divisæ sunt, sed Hebræus sum, peregrinus et advena, juxta Psalmistam, qui de eodem populo dicit : « Transierunt de gente in gentem. » Deum (inquit) cœli timeo, non deos quos vos invocatis, qui salvare non possunt. « Qui fecit mare, » in quo fugio ; « et aridam, » de qua fugio, id est eum timeo qui est factor universitatis. Timebat autem Deum timore servili, a quo fugere volebat. Potest etiam timor hic pro cultu accipi. Deum (inquit) cœli timeo, id est colo.

« Et timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum : Quid hoc fecisti ? cognoverant enim viri, quod a facie Domini fugeret, quia indicaverat eis Jonas. » Si times Deum, cur fugis, cum scias te ejus non posse effugere potentiam ? Nec objurgant, sed interrogant, quia audierant Hebræum esse, et Deum cœli colere, et ideo ab eo quasi a sancto viro requirunt tanti mali remedium.

« Et dixerunt ad eum : Quid faciemus tibi, et cessabit mare a nobis ? quia mare ibat, et intumescebat. » Propter te, inquiunt, mare contra nos insurgit, quia te fugientem suscepimus. Quid ergo faciemus tibi ? an te interfeciemus ? Sed cultorem Dei malum est occidere. Quid ergo jubes fieri ? Impera tu quid agamus, quo nobis Deum propitiemus, cujus iram per tempestatem cognoscimus. Mare, inquit, ibat ad vindictam, persequens fugitivum prophetam. Intumescebat, hoc est, in majores undas suscitabatur, tanquam non differens Creatoris ultionem.

« Et dixit ad eos : Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis : scio enim ego quod propter me tempestas grandis hæc venit super vos. » Contra me (inquit) tempestas exsurgit, mittite me in mare, ut mea morte vivatis. Et advertenda est fugitivi magnanimitas : non dissimulat, non negat, sed confessus pœnam amplectitur, ne cæteri perirent propter se. Hæc omnia referamus mystice ad Dominum Christum, contra quem Judaica tempestas consurgebat in passione. Nautæ qui eum quid facerent interrogabant, apostoli sunt, qui eum in passione deserentes, quodammodo in fluctibus dimiserunt, et quasi loquitur Dominus, quia videt me mundus vobiscum navigare in Tharsis, hoc est ad contemplationem gaudii, ut vos ad gaudium ubi ego sum perducam. Idcirco sævit et cupit me mors devorare, et nescit quia, sicut piscis in hamo capitur, ita mea morte moriatur. Tollite ergo me, et mittite in mare. Vos mittite. Non enim nos ipsi nobis mortem debemus inferre, sed ab aliis illatam libenter sustinere.

« Et remigabant viri ut reverterentur ad aridam, et non valebant : quia mare ibat, et intumescebat super eos. » Etiam propheta jubente ut eum in mare mitterent, non audebant in cultorem Dei manus immittere. Sed et mystice Judæis, qui Dei populus fuerant, Christi mortem expetentibus, gentes etiam eum mori nolebant. Quasi enim aridam remigare volebant, putantes sine sacramento passionis mundum salvari posse, cum Jonæ submersio, hoc est Christi passio, navis (id est mundi) liberatio fuerit.

« Et clamaverunt ad Dominum, et dixerunt : Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem innocentem, quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti. » Tanquam dicerent : Nolumus, Domine, interficere prophetam tuum, sed tu, Domine, sicut voluisti, fecisti. Voluntas tua per manus nostras impletur. Non ergo des super nos sanguinem innocentem. Nautarum ista vox Pilati videtur esse confessio, qui accepta aqua lavit manus suas, et dixit : Innocens ego sum a sanguine hujus. Hæc omnia voluntate Patris fiebant, sicut in psalmo dictum est : « Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui. »

« Et tulerunt Jonam, et miserunt in mare. » Tulerunt, inquit, id est quasi cum quodam obsequio et honore portantes, non præcipitantes, miserunt in mare. « Et stetit mare a fervore suo. » Quasi invento eo quem quærebat, veluti cum quis fugitivum velocissimo cursu insequens, cum eum fuerit consecutus, stat ac tenet quem apprehenderit. Sed et mystice : ante Domini passionem, mundus diversorum fluctibus errorum periclitabatur ; at post ejus mortem, tranquilla omnia cernimus, et secura unitate fidei et agnitione veritatis totus orbis exsultat, et quasi Jona in mare misso, stat mare a fervore suo.

« Et timuerunt viri timore magno Dominum, et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota. » Ante passionem Domini clamabant homines ad deos suos, post passionem timent Dominum, et venerantur non parvo, sed magno timore, juxta quod in lege præcipitur, ut ex toto corde, et ex tota anima timeatur, et diligatur. Immolaverunt autem hostias, non pecudum, quas juxta litteram in fluctibus non

habebant, sed hostias spirituales, id est gratiarum actiones et laudes. Immola (inquit Psalmista) Deo sacrificium laudis, et propheta : Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum.

CAPUT II.

« Et præparavit Dominus piscem grandem ut deglutiret Jonam » Pro pisce grandi, Dominus in Evangelio cetum dixit, ipsam rem brevius explicans. Quod vero præparavit, vel ab initio cum eum conderet, Psalmista dicente : Draco iste quem formasti ; vel præparavit, id est juxta navim fecit venire, ut in suos sinus præcipitem Jonam susciperet. Sed et Dominus Deus Pater præcepit inferno, qui est draco immanissimus, ut Jonam, id est Christum, susciperet, ignorans latentem in esca carnis hamum divinitatis, atque ideo quantum exsultavit in devoratione, tantum luxit in vomitu, juxta Osee prophetiam : « Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne. » « Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus. » Hoc et in se impletum ipse Dominus exposuit. Illud quæri potest quomodo tribus diebus et tribus noctibus dicatur fuisse in corde terræ. Sed hoc synecdochicos accipere debemus, id est a parte totum, qui tropus usitatissimus est in divinis Scripturis. Siquidem Dominus parasceve hora sexta crucifixus est, hora nona emisit spiritum, jam vero sero depositum est corpus ejus de cruce, et collocatum in monumento. Ibi jacuit nocte illa cum sequenti die sabbati, et alia nocte sequentis diei Dominici, sicque mane prima sabbati surrexit, ut Marcus testatur. Triginta sex ergo horis jacuit in sepulcro. Tres autem dies complent horas septuaginta duas. Verum si computes parasceven, hoc est sextam feriam, qua mortuus est, pro una die ac nocte sabbatum cum sua nocte, itemque noctem quæ diei dominicæ mancipatur, referamus ad exordium dominici diei, quodammodo tres dies esse videntur. Sed non absque magno mysterio hoc esse credendum est. Siquidem triginta sex ad septuaginta duo simplum est ad duplum. Et nostra quidem mors dupla est, quia in anima morimur per peccatum, et in corpore per pœnam. Christi autem mors simpla tantum fuit, quia in corpore tantum mori potuit, in anima vero nunquam mortem admisit, quia nunquam peccavit.

Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, et dixit : « Receptus propheta in utero ceti, postquam se incolumem sensit, de Dei misericordia non desperans, totum se ad obsecrandum convertit, sciens Dominum maxime in tribulationibus adfuturum, sicut ipse viro justo promittit. « Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum. » Et idem Propheta dicit :

« Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me. » Quod de præterito dicit : « Clamavi, » hoc est : cum enim videret cetum et tantam molem corporis ejus, clamavit aquis cedentibus, et voci locum dantibus. Vel clamavit toto cordis af-

A fectu, secundum Apostolum qui dicit : « Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater. » Ventrem autem inferi, alvum ceti dixit, quæ tantæ fuit magnitudinis, ut instar obtumesceret inferni. Possunt hæc referri allegorice ad Christum, qui per David dicit : Liberasti animam meam ex inferno inferiori. Ipse enim fuit in inferno vivens, inter mortuos liber. « De ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam ; et projecisti me in profundum, in corde maris, et flumen circumdedit me. » Patet juxta litteram, quod clausus ventre ceti in medio maris fuerit, et fluminibus vallatus sit. Mystico vero sensu hoc dicit, quod per Psalmistam prædictum est : « Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. » Ad compa-
B rationem enim cœlestis habitationis in qua summa pax regnat, de qua dicitur : Factus est in pace locus ejus, omnis terrena habitatio plena fluctibus est et tempestatibus. Cor autem maris infernum designat, pro quo Dominus dicit : « Cor terræ, » quia, sicut in medio est animalis, ita infernus in terræ medio esse perhibetur. Sive in corde maris Dominus se queritur projectum, id est in mediis tentationibus, sed non sensit amaras aquas ; quia, ut Apostolus dicit : Tentatus est per omnia pro similitudine absque peccato. Nam non se aqua maris, sed flumine circumdatum dicit, hoc est, dulci aqua : quia tentari foris potuit, sed mentem ejus delectatio peccati non momordit. Projectum autem se dicit, sicut et in psalmo percussum, et Apostolus
C a Patre traditum asserit. « Omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt. » Gurgites et fluctus, tentationes et percussiones sunt, quæ nunquam sine Dei permissione et voluntate contingunt. Sed hi gurgites et fluctus non oppresserunt Christum, sed super eum transierunt. Ipse vero omnes turbines, quibus vexabatur genus humanum, sustinuit et fregit, ut nos post eum securi navigaremus.

« Et ego dixi : Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum. » Christus hoc dicit ex persona humanitatis. Qui enim formam servi susceperat, ejus etiam voce utitur, abjectum se dicens ab oculis Patris. Ac si diceret : Quando eram tecum, o Pater, et in tuo lumine eram lumen, tunc non causabar
D me abjectum. Postquam autem veni in profundum, et carne circumdatus sum, humanos patior affectus, et abjectum me dico, ut homines juste abjectos ad te reducam, quatenus ubi ego sum et ipsi sint mecum. « Verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. » Juxta litteram hoc Jonas vel optando dicit, vel cum quadam fiducia repromittit sibi, quod iterum Jerusalem sit reversurus, et templum Domini visurus, juxta tropologiam Dei Filius in passionis ignominiam positus, repromittit sibi gloriam, quam semper in Patre et apud Patrem habuit. Unde et in Evangelio Patri dicebat, « Clarifica me, Pater, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te. » Sive etiam cohabitationem Patris

exoptat, quia sicut Pater templum est Filii, ita Filius templum est Patris. Ipse enim dicit : « Ego in Patre, et Pater in me est. » Et alibi : « Ego a Patre exivi et veni. » Et quia ipse Deus est et homo, postulat ex forma servi, pollicetur ex forma Dei.

« Circumdederunt me aquæ usque ad animam meam : abyssus vallavit me, pelagus cooperuit caput meum. » Abyssum dicit contrarias fortitudines, quæ profundissimis inferni locis, id est tartaro, mancipatæ sunt, ad quæ loca timebant ire dæmones, rogantes in Evangelio Dominum ne mitterentur in abyssum. Abyssus itaque Christum vallavit, cum inferorum principes eum se in morte comprehendisse crediderunt.

« Ad extrema montium descendi : terræ vectes concluserunt me in æternum. » Extrema montium, juxta litteram, profunda terrarum dicit, quibus quasi vectibus terræ globus Dei voluntate sustentatur, sicut in psalmo dicitur : « Ego confirmavi columnas ejus. » Mystice : caput Domini anima est quæ principatur corpori. Caput ergo ejus pelagus cooperuit, quando animam quam pro nostra salute suscepit, pondus tribulationis et mortis prægravavit. Extrema enim montium, principes dicit inferorum, qui de cœlis a libertate projecti, operiebantur, fluctibus suppliciorum, et abysso vallabantur, ad quæ loca Redemptoris anima descendit, non ut ibi teneretur, sed ut suos inde eriperet. Ipsi sunt et vectes terræ, quasi quædam seræ extremi carceris et pœnarum, volentes semper retinere animas quas semel accepissent. His vectibus conclusus est Dominus ; sed, sicut per Isaiam prædixerat, et portas æreas contrivit, et vectes ferreos confregit. Quod autem sequitur : « et sublevabis de corruptione vitam meam. » Ad Jonam ita refertur, qui cum debuerit in ventre ceti corrumpi et digeri, et per venas piscis artusque diffundi, sospes et integer exierit. Unde et blandientis affectu dicit : « Domine Deus meus, » communem omnium Deum, suum et proprium vocans, quem tanti beneficii magnitudine specialiter Deum et Dominum senserat. Sed et mystice : anima Christi de corruptione sublevatur, quia caro ejus non vidit corruptionem, id est non est resoluta tabo in sepulcro, juxta quod per Psalmistam prædixerat, « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. » Quod beatus Petrus de Christo interpretatur in Actibus apostolorum, « Qui non vidit corruptionem, » citissima resurrectione glorificatus. Sed quæri potest quod alibi dicit : Quæ utilitas in carne mea, dum descendo in corruptionem ? Sed hic corruptio pro vulneribus et plagis ponitur, quibus caro Christi effecta est : ac si diceret : Quid prodest dum clavis affligor, dum vulneror, si Judæi non salvantur ? Hic vero corruptio pro putrefactione et resolutione ponitur.

« Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum. » Cum, inquit, ullum aliud sperarem auxilium, recordatio Domini mihi saluti fuit.

A Sic et Psalmista : « Memor fui Dei, et delectatus sum. » Ex quo discimus, cum deficit anima nostra constituta in aliqua tribulatione, vel cum a corporis compage divellitur, debere nos Deum in memoria habere, et ad eum omnem cogitationem vertere, qui corporis et animæ est Deus. « Ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. » Idcirco, inquit, Domini recordatus sum, ut oratio mea de extremis montium ascendat ad templum sanctum tuum, id est ad cœlum, quia licet ubique sit Deus, ibi tamen assistentibus sibi angelis æterna fruitur beatitudine. Loquitur vero ut pontifex, qui petit ut preces populi per eum ad templum Dei ascendant. Sed et Redemptor noster in passione sua rogabat,
B « Pater, si possibile est, dicens, transeat a me calix iste. » Et in cruce positus, « Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. »

« Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam tuam derelinquent. » Mira prophetæ magnanimitas in ventre tantæ bestiæ de humana fragilitate disputat. Deus quippe natura misericors, paratus est misereri omnibus. Nos autem nostro vitio ultro se offerentem perdimus clementiam. Et attendendum quod non dixit, qui faciunt vanitates, nemo enim est qui non faciat vana, id est non peccet, quoniam universa vanitas omnis homo vivens : sed dicit « custodiunt, » id est diligunt, et in affectum cordis sui transeunt. Hi tales misericordiam suam, id est Deum, derelinquunt, de quo dicitur : « Miserator et misericors Dominus ; » et alibi : « Deus meus,
C misericordia mea. » Nec dicit, misericordia sua derelinquuntur, sed ipsi paratam et ultro se offerentem relinquunt misericordiam. Quod specialiter de Judæis dicitur, qui servantes vanitates, id est vanissima Pharisæorum præcepta, Deum, qui semper eis misertus est, dereliquerunt.

« Ego autem in voce laudis immolabo tibi : quæcunque vovi, reddam pro salute mea Domino. » Spe bona animatus propheta, et jam de sua liberatione securus, promittit se gratiarum actiones immolaturum, et vota omnia redditurum. Sed et Christus Dominus pro vita nostra mortuus, certus quod eum Deus velocius suscitaret, promittit exsultanter in voce confessionis, seipsum Patri sacrificaturum.
D Pascha nostrum, inquit Apostolus, immolatus est Christus. Ipse pontifex, ipse ovis immolatur pro omnibus, ut omne quod dedit ei Pater non pereat in æternum.

« Et dixit Dominus pisci : et evomuit Jonam in aridam. » Præcipitur a Deo Patre magno ceto inferno, ut restituat Salvatorem terræ, id est solidæ et immortali vitæ, quia : « resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. » Quod autem dicitur « evomuit, » ostendit quod ex profundis mortis recessibus, tanquam ex intimis ceti vitalibus, Christus vivens processerit.

CAPUT III.

« Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo,

dicens : Surge, vade ad Niniven civitatem magnam. et prædica in ea prædicationem quam ego loquor ad te. » Non increpatur, nec dicitur ei, Cur non fecisti quod præcepi? Suffecerat enim durissima naufragii et devorationis correctio. Neque enim servo post plagas imputatur quod fecit. Sed et mystice Dominus noster, qui missus fuerat ad salvandam Niniven, id est gentilitatem, et quodammodo fugere volebat, recusans passionem, et dicens : « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. » Nunc postquam illi, propter quos pati nolebat, clamaverunt, « Crucifige, crucifige, » et, « Non habemus regem nisi Cæsarem, » redditus de ventre ceti, id est, resuscitatus a mortuis, iterato dirigitur ad Niniven, ut prædicet post resurrectionem, quod ei a Patre fuerat imperatum ante passionem. Totum autem hoc quod ei præcipitur, quod obedit, quod non vult, et iterum velle cogitur, ad formam servi referendum est.

« Et surrexit Jonas, et abiit in Niniven juxta verbum Domini. » Surrexit, inquit, nullam fecit moram, sed continuo se ad obediendum accinxit. « Et Ninive erat civitas magna itinere dierum trium. » Ninive civitas a Nino Beli filio, primo rege Assyriorum, condita est, quam ferunt tanti esse ambitus, ut trium dierum possit itinere circuiri. Sed Jonas jam correctus, et naufragii quod pertulerat memor, iter trium dierum unius diei festinatione complevit. Sunt qui putant quod in tertia tantum parte civitatis prædicaverit, et sic ad omnes prædicationis sermo pervenerit. Et Dei Filius surrexit a mortuis, et in apostolis perrexit ad Niniven, hoc est, in omnes mundi terminos itinere dierum trium, quia præcepit ut baptisarent gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Sed hoc iter trium dierum una via est, quia unus est Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus. Unde non in nominibus, sed in nomine Trinitatis, quæ unus est Deus, sacramentum baptismi peragitur, non tam ab apostolis quam a Domino, quem Jonas præfigurabat. Et notandum quod, tribus diebus commemoratis, noctis nulla fit mentio, quia in sancta Trinitate nihil est obscurum, nihil tenebrosum.

« Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius, et clamavit, et dixit : Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. » Quadragenarius numerus peccatoribus convenit in jejunio et in afflictione : unde et Moyses et Elias tot diebus jejunaverunt, ipse Dominus verus Jonas in mundum ad prædicandum missus hoc nobis jejunium consecravit. Attendendum quod dictum est, « clamavit. » Tale et de Domino legimus, quia stans in templo clamavit : « Si quis sitit, veniat et bibat. » Magnus clamor est omnis sermo Christi, quia magna annuntiat.

« Et crediderunt viri Ninivitæ in Domino, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. » Major æstas credidit in Dominum, prædicantes jejunium, et sacco vestiuntur. Ante quod est occultum, id est, jejunium, post illud

A quod est palam, id est saccus. Talis victus, et talis habitus pœnitentibus convenit, et digne satis, ut qui Deum luxu et ambitione pretiosarum vestium offenderant, nunc jejunio et cilicio eum placent. Et major ætas incipit, sequitur minor, quia nullus est absque peccato, nec infans unius diei cujus vita est super terram.

« Et pervenit verbum ad regem Ninive, et surrexit de solio suo, et abjecit vestimenta sua a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere, et clamavit, et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens : Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant; et operiantur saccis homines, et jumenta clament ad Deum in fortitudine, et convertatur vir a via sua
B mala, et ab iniquitate quæ est in manibus eorum. Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus ? » Regem Ninive philosophos gentilium debemus accipere, Platonem, Aristotelem, cæterosque, qui quasi reges sunt hominum, et eorum præcepta sic observant, quasi oracula divina. Ad hos novissime pervenit verbum, quia novissimi et difficilius crediderunt. Stultum enim putabant Deum hominem potuisse fieri, et mori. Verum et isti, licet tarde fidem Domini susceperunt, tamen depositis ornamentis verborum, et pompis dogmatum sæcularium, simplicem et rusticam piscatorum doctrinam sequi cœperunt. Homines autem et jumenta intelliguntur tam rationabiles quam irrationabiles, quia omne genus ho-
C minum tam ratione utentium, quam et eorum qui more brutorum vivebant animalium, ad pœnitentiam et ad fidem Christi conversum est. Vel induti sunt sacco, id est, luctu et mœrore, quem sumebant dolentes damna vitæ præteritæ. Quod saccus pro luctu ponatur, ostendit Psalmista dicens : « Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia. » Sane juxta litteram, quod dubitantes dicunt, Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, ideo ambigue proferunt, ut dubii de salute fortius agant pœnitentiam, et magis provocent Deum ad misericordiam.

« Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit. » Sicut tunc Assyriæ urbi, id est Ninive, sic quo-
D tidie Deus omni mundo minatur interitum ad hoc, ut agant pœnitentiam. Si enim convertatur mundus, convertitur Dominus : et peccatoribus mutantibus vitam, mutabit sententiam. Malitiam sane hic, sicut et superius, pro afflictione et suppliciis debemus accipere.

CAPUT IV.

« Et afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est. » Videns subintrare plenitudinem gentium, et impleri quod in Deuteronomio prædictum fuerat, « Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et ego provocabo eos in eo qui non est populus, » desperat de salute Israelis, ideo dolet, et ideo tristatur,

non quod invideret saluti gentium, sed quod pereat Israel. Sed et Dominus noster flevit super pereuntem Hierusalem, et non vult dare panem filiorum canibus, et apostolis præcipitur primum ut prædicent Israeli. Tristatur ergo ad mortem, dolens perire populum pro quo passus est.

« Et oravit ad Dominum, et dixit : Obsecro, Domine, nunquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, « et ignoscens super malitiam. » Partim orat Jonas, partim conqueritur, dicens se fugere noluisse. Sed ab obsecratione incipiens, temperat querelam suam. Obsecro (inquit), Domine, nunquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea ? Sciebam (inquit) misericordem, nolebam te truculentum et crudelem nuntiare, et idcirco volui fugere. Sed et Dominus Christus cum videret obstinatos Judæos in suam ipsorum perditionem, quasi dicebat ad Deum Patrem : Nunquid non sciebam futurum, videlicet ut periret Israel, cum adhuc tecum essem Pater? et per Isaiam dixeram, In vacuum laboravi sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi.

« Et nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam a me, quia melius est mihi mors quam vita. » Quia unam gentem Israel salvare non potui, moriar, et totus mundus salvabitur.

« Et dixit Dominus : Putasne bene irasceris tu? » Iratus fuerat Jonas, vel quia videbatur apud Ninivitas fuisse mentitus, vel quia intelligebat periturum Israel. Nec dicit Dominus, male iratus es, ne videretur reprehendere contristatum ; nec rursum dicit, bene iratus es, ne suæ sententiæ contrarius sit. Interrogat ergo ipsum causas mœroris sui ut respondeat, aut si tacuerit, Dei judicium suo silentio comprobet.

« Et egressus est Jonas de civitate, et sedit contra orientem civitatis, et fecit sibi umbraculum, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati. » Civitas quando in malo ponitur, fiduciam terrenæ spei et cupiditatis mundanæ designat. Nam Cain, qui mundum fratricidio cruentavit, primus legitur ædificasse civitatem. Jonas ergo egreditur de civitate, qui columba vel dolens dicitur, quia omnis simplex et dolens pro peccatis suis, alienum se facit a sæculi cupiditatibus, nullam in vanitatibus sæculi spem ponit, sed habitat contra orientem, veri solis ortum et respectum exspectans. Et habitat in umbraculo, hoc est in mentis suæ custodia, quasi in tabernaculo requiescit, quid civitati Ninive contingat (hoc est quid mundo futurum sit) contemplando præstolans. De hac civitate Dominus per Osee dicit : In medio tui sum sanctus, et non ingrediar civitatem. Et in Deuteronomio una fugitivorum civitas Ramoth dicitur, quæ interpretatur visio mortis. Qui enim de Hierusalem ejicitur, quæ est visio pacis, habitat in Ramoth, id est in visione mortis. Sed et mystice antequam sol oriretur, exsiccareturque hedera, hoc est antequam coruscante Evangelio mundus redimeretur, et plebs Judaica reprobaretur, Jonas noster, id est Christus, sub umbra erat, quia necdum veritas apparebat, sed in typo et figuris fiebant omnia. Sedebat autem dicitur in habitu judicis, quia sedere judicantis, vel quia se humiliaverat, et divinitatis majestatem in quamdam contraxerat brevitatem. Qui enim sedet, videtur stante brevior. Quod autem ait ut videret, ad hominis effectum referamus. Nam ille omnia videt antequam fiant.

« Et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, et protegeret eum, laboraverat enim. Et lætatus est Jonas super hedera lætitia magna. » Hederæ natura est, ut per terram errabundo flexu repat, et sine adminiculis vel ferculis ad altiora non conscendat. Per hederam vero infirmam, et suis viribus nihil valentem, plebs Judaica potest signari, cito crescens, et omnia se facturam promittens quæ Deus præcepit, sed citius languescens, et præcepta non implens. Hæc quondam Jonam, id est Christum protegebat spe suæ salvationis, et non parvam ei lætitiam faciebat, sed cito percussa aruit, quia radicem firmam fidei non habebat, et quasi tabernaculum tecti, præferens imaginem domorum non habens fundamentum, de quo Isaias ait : Relinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, quam bene locustæ in Evangelio designasse creduntur, animal parvum, de terra quidem exsiliendo consurgens, sed altius non valens volare, quia et Judæi audientes legem, dixerunt : Omnia quæ præceperit nobis Dominus Deus, faciemus, et obedientes ei erimus. Sed mox conversi sunt in arcum pravum, et non custodierunt testamentum Dei.

« Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, et percussit hederam, et exaruit. » In psalmo qui inscribitur, « pro assumptione matutina, » se Dominus vermem appellat, dicens : « Ego autem sum vermis et non homo. » Vermis namque sine semine de terra oritur ; repit humilis, movetur sine sonitu, et Christus de virgine terra natus est, humilis inter probra, non reclamans in passione. Itaque antequam oriretur sol, id est antequam resurgeret Christus, virebat hedera, florebat Judæa. Postquam vero ille surrexit, et Ninive, id est mundus erroris umbram repulit, veritatis lumen recepit, paratus vermis percussit hederam Judaicæ plebis, et exaruit Dei auxilio destituta. Hoc autem factum est in ascensione diluculi, quia Christus mane prima sabbati surrexit.

« Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti, et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat. » Id est, etiam post Christi resurrectionem et Judæorum reprobationem, adhuc mens Domini salvatoris desiderio salutis illius æstuabat, præcipiens apostolis et dicens : « Eritis mihi testes in Hierusalem et in omni Judæa et Samaria. » Unde et ab Hierusalem prædicationis initium præcepit fieri, dicens : « Oportebat pati Christum et resur-

gere, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. » « Et petivit » Jonas « animæ suæ ut moreretur, et dixit : Melius est mihi mori quam vivere. » In baptismate cum Israel, ut in lavacro reciperent humorem, quem negando Christum perdiderant. Unde et Petrus interrogantibus quid agerent, dicebat : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. » Quod vero diximus, in baptismo eum mori velle, Apostoli est sententia, qui dicit : « Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. » Quidam vermem et urentem ventum, Romanos intelligunt, qui, post Christi resurrectionem et ascensionem, Israelem penitus deleverunt.

« Et dixit Dominus ad Jonam, Putasne bene irasceris te super hederam ? Et dixit, Bene irascor ego usque ad mortem. » Superius jam salvato per pœnitentiam Ninivitarum populo, iisdem verbis interrogatus Jonas nihil respondit, licet videret non esse factum quod prædixerat, sed Domini interrogationem suo silentio comprobavit. Sciebat enim Dominum clementissimum esse et multæ miserationis. Nunc autem cum in siccatione hederæ intellexit Israelis reprobationem, audacissime respondit : Bene irascor ego usque ad mortem. Non enim Ninivitas sic salvare volui, ut Judæi perirent, nec sic volui lucrari alienos, ut perderem proprios. Juxta cœptam allegoriam in Jona intelligimus Christum, qui plangit pereuntem Hierusalem, et plangit usque ad mortem non suam, sed Judæorum, qui excæcati sunt, ut gentium oculi viderent, mortui ut gentes viverent, credentes in Filium Dei.

« Et dixit Dominus : Tu doles super hederam, in quam non laborasti, neque fecisti ut cresceret, quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit. » Non laboravit Jonas in hedera, nec Salvator tantum laboravit in Judæis, quam in gentibus. Mox enim educti de Ægypto, projecerunt idola, et pro parte servierunt Domino. At in gentium populo multum laboravit : pro eis homo factus est, cum esset Deus : pro eis alapas, sputa, spineam coronam mortemque sustinuit : ad inferos descendit, ut illi cœlum conscenderent. Unde fratre prodigo ad patrem reverso, indignatur frater major, et querebatur patri dicens : Ecce tot annis servio tibi, et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer. Graviter enim ferebat Israel quod gentes, dissipata substantia cum

A meretricibus, pristinam reciperent gratiam. Quod autem ait Deus, « hedera sub una nocte nata est, » nox tempus significat ante adventum Christi. Quod vero subditur, « et sub una nocte periit, » nox iterum designat tempus in quo Christum negaverunt, quando eis verus Sol justitiæ occubuit.

« Et ego, inquit, non parcam Ninive civitati magnæ. » Ninive civitas magna Ecclesia est, ex universitate gentium congregata. Revera magna, quia multo major est multitudo fidelium ex omnibus gentibus, quam duodecim tribus Israel. Quod autem dicit, « in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam, et jumenta multa, juxta litteram
B innocentem et simplicem parvulorum et lactentium monstrat ætatem, ut hinc colligatur quantus fuerit numerus majoris ætatis, si tantus fuerit parvulorum. Vel certe in ea civitate erat immensa multitudo, quæ ante pœnitentiam ignorabat quid esset inter bonum et malum. Boni enim per dexteram, mali accipiuntur per sinistram. Sed in Ecclesia sicut in magna domo sunt vasa et in honorem sunt, et in contumeliam, sunt carnales, sunt et spiritales, estque ibi infinitus jumentorum numerus, hoc est, irrationabilium et ventri servientium, qui prospectant terram, nunquid cœlum respiciunt ? De qualibus dicit Psalmista, « Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. » Nec prætereundum quod in Ninive plus quam centum viginti millia hominum fuisse dicuntur; qui numerus magnum in se
C continet mysterium : nam centum viginti fiunt, si ab uno incipiens usque ad quindecim sequentes naturaliter numeros sibi semper adjicies, uni enim adde duos, fiunt tres : adde tres, fiunt sex : adde quatuor, fiunt decem. Hoc si usque ad quindecim, servata naturalis numeri serie, fiat, centum viginti reperientur. Super tot credentes venit Spiritus sanctus in die Pentecostes. Quindenarius autem numerus ex septenario et octonario constat. Septem enim et octo, quindecim sunt, tot erant gradus in templo Domini, tot etiam sunt psalmi quibus exstat titulus, « Canticum graduum. » Tot diebus Paulus cum apostolis fuisse, et cum eis Evangelium contulisse legitur.
D Bene ergo multitudo Ecclesiæ tali præfulget numero, in quo Novi ac Veteris Testamenti mysteria et centenaria quadrata, ac millenarii cubita, id est solida perfectio declaratur.

IN MICHÆAM PROPHETAM.

CAPUT PRIMUM.

« Verbum Domini quod factum est ad Michæam Morasthitem, in diebus Joatham, Achaz, et Ezechiæ regum Juda, quod vidit super Samariam et Hierusalem. » Michæas propheta, qui interpretatur Quidquid, vel Quis, quasi sive Humilitas, sextus est in ordine duodecim prophetarum, atque ideo profunda ejus exspectemus mysteria, qui in meditullio et velut in corde prophetici ordinis positus est. Fuit autem de Morasthi, qui est viculus Palæstinæ. Interpretatur autem Morasthi, hæres. Et pulchre Michæas, qui humilitas interpretatur, de spe hæreditatis nascitur, qui enim humilitatis virtutem pro Deo tenere studuerit, hæres Dei et cohæres Christi esse merebitur,

qui seipsum pro nobis humiliavit, quique ad imitandam formam suæ humilitatis invitat nos, dicens : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » Hic propheta comminatur Samariæ iram Dei et captivitatem, interitumque populo Israel venturum denuntiat, quia, relicto Deo, serviant idolis. Locum etiam nativitatis Christi aperte denuntiat. Notum est quod regnante Ezechia filio Achaz, decem tribus ab Assyriis ductæ sunt in captivitatem, postea regnante Sedechia, duæ quæ appellantur Juda, cum suo rege captæ, et Hierusalem subversa est. Ergo secundum ordinem captivitatis prophetæ titulus ponitur : Primum (ut dictum est) capta est Samaria metropolis decem tribuum, postea Hierusalem metropolis Judæ. Ponitur autem Samaria in typo hæreticorum, Hierusalem in figura Ecclesiæ.

« Audite, populi omnes, et attendat terra et plenitudo ejus, et sit Dominus Deus vobis intestem, Dominus de templo sancto suo. » Notandum quod populi audire, terra jubetur attendere. In populo, viros ecclesiasticos : in terra, hæreticos, quorum est terrena doctrina. Nam et Apostolus hæreses inter carnis opera commemorat. Et hi ergo qui in Ecclesia sunt, si audierint, et illi qui foris sunt, si attenderint, poterunt effugere quod sermo propheticus comminatur. Optat ergo propheta, ut sit eis Deus in testimonium, non aliunde quæ de templo sancto suo, hoc est, Ecclesia, per quam Deus testimonium perhibet veritati, sive templum Dei, ipse Filius est in quo habitat Pater, et cujus ore loquitur.

« Quia ecce Dominus egredietur de loco suo, et descendet, et calcabit super excelsa terræ, et consumentur montes subtus eum, et valles scindentur sicut cera a facie ignis, sicut aquæ quæ decurrunt in præceps. In scelere Jacob omne istud, et in peccatis domus Israel. Quod scelus Jacob? nonne Samaria? et quæ excelsa Juda ? nonne Jerusalem? » Locus Dei misericordia est, quia naturaliter clemens et pius est. Sed qui mitis est et misericors nobis peccantibus, cogitur quodammodo mutare naturam suam. Egreditur de loco suo, assumit personam crudelitatis, quam per naturam non habet. Descensus ejus est majestatis ejus ad inferiora decursus. Super excelsa terræ calcare, est potentes terræ conterere. « Et consumentur montes subtus eum, et valles scindentur. » In montibus principes, in vallibus subjectos populos intelligimus. Sicut (inquit) cera vicino igne tabescit, et sicut aquæ prono cursu feruntur in præceps, sic omnis impiorum superbia, veniente Domino, solvetur et deficiet. Hoc autem fiet propter scelera decem tribuum, quas vocat Jacob vel Samariam et Israel, et propter prævaricationem Juda. In decem enim tribubus metropolis erat Samaria, quæ nunc Sebaste dicitur, et in Juda principabatur Jerusalem. Tropologice locus Dei sancti sunt, de quibus dicit : « Inhabitabo in illis et inambulabo. » Ab his ergo sanctis egreditur Dominus, non eos relinquens, sed per eos prædicans et annuntians reproborum supplicia, justorum præmia. Legimus enim quia

A egressus est sermo a Domino. Descendit ergo et calcat, non super humilem terram, id est, non super eos qui deorsum sunt, sed super excelsa terræ, id est sanctos, qui intelligunt venientis majestatem, quique licet sancti sint commovebuntur tamen, id est, timebunt ejus præsentiam. Valles autem, id est, peccatores et quæ sunt Dei non quærentes, non poterunt ejus ferre præsentiam, sed scindetur quidquid in eis durum est, et instar aquæ defluet. Et hoc erit propter impietatem Jacob, id est hæreticorum, et propter peccatum Juda, id est, eorum qui in Ecclesia positi, confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Juxta alium intellectum, egressus est Dominus de loco suo, dereliquit Judæos, in quibus quondam habitaverat, propter peccatum quod in Christum

B commiserunt, sicut eis ipse minatur. « Relinquetur vobis domus vestra deserta. » Calcavit super excelsa terræ, venit ad gentes, quæ per ejus gratiam excelsæ factæ sunt, et a terrenis sublevari meruerunt. Commoti sunt montes, id est, philosophorum dogmata, et regum potentia perturbata, et consumpta in eis omni impietate crevit justitia : destructa superbia, erecta est humilitas

« Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea, et detraham in vallem lapides ejus, et fundamenta ejus revelabo. Et omnia sculptilia ejus concidentur, et omnes mercedes ejus comburentur igne, et omnia idola ejus ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt. » Quia primum peccavit Samaria, id est,

C decem tribus, et relicto templo Dei fecit sibi vitulos aureos, ideo ipsa prima destructa est venientibus Assyriis. Ponam (inquit) Samariam quasi acervum lapidum. Quia civitas Samaria in monte sita est, pulchre in cumulos lapidum ponenda dicitur, ut non tantum parietes et ædificia, sed ipsa quoque fundamenta usque ad extremum lapidem subruantur. Sculptilia quoque et idola quæ coluerant, et operum diversorum congeries, prædicantur igne comburenda. Quod vero dicit, « et usque ad mercedem meretricis revertentur, » hoc est, ut quomodo in terra sua fornicati sunt cum idolis quæ fecerunt, sic vadant ad aliam fornicationis terram, id est, ad Assyrios, et ibi similiter idola adorent.

D « Super hoc plangam et ululabo, vadam spoliatus et nudus. Faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum, quia desperata est plaga ejus, quia venit usque ad Judam ; tetigit portam populi mei usque ad Hierusalem. » Huc usque de Samaria, nunc prædicit mala Judæ, quæ simili errore peccaverat. Assumit ergo propheta plangentis affectum. Faciam planctum quasi draconum, ut supra. Sicut dracones cum ab elephantis vincuntur, terribili sibilo personant ; et sicut struthionum aves, quæ ob brevitatem pennarum longius volare non possunt, quando ova sua immemores relinquunt in arenis calcanda pedibus bestiarum, etsi non perierint, pro cantibus luctum faciunt, sic et ego (inquit propheta) amissis filiis et in captivitatem ductis, vadam

spoliatus et nudus. « Quia desperata est plaga ejus, » id est Samariæ, et idem peccatum atque eadem pœna qua subverterat Samariam, tetigit Judam, et pervenit usque ad portam Hierusalem. Sicut enim Samaria subversa est ab Assyriis, ita Hierusalem subvertenda est a Chaldæis. Hæc omnia mystice referenda sunt ad hæreticos, quibus minatur Deus subversionem utilem, ut cum destructa fuerint per diversa eorum dogmata, et illo igne succensa de quo Dominus dicit: « Ignem veni mittere in terram, » plangent errores suos, resolvant de pedibus calceamenta, hoc est, mortuorum opera abjiciant. Maxime autem propterea plangunt, quia errorem suum etiam ad Judæam (hoc est, ad viros catholicos) voluerunt introducere, sed non potuerunt. Pervenit enim ad portas (id est, aures) populi Dei, sed civitatem non potuit penetrare, hoc est, mentem in fide solidatam non valuit decipere.

« In Geth nolite annuntiare : lacrymis ne ploretis; in domo pulveris pulvere vos conspergite. » Geth una est ex quinque civitatibus Philistinorum, de qua fuit Goliath Gethæus, Scimus autem quia Philisthæi inimici semper erant Judæis. Dicit ergo propheta : Nolite annuntiare in Geth malum quod prædico venturum ne lætentur inimici vestri. « Lacrymis ne ploretis, » licet pectus dolorem habeat, dissimulate fletum ne gaudeant inimici vestri. « In domo pulveris, » hoc est, quæ ruitura est, et in pulverem redigenda. Ibi vos pulvere conspergite, non in plateis, ne hostes vestri videant et lætentur.

« Et transite vobis habitatio pulchra, confusa et ignominia. » Pro pulchra, Septuaginta ipsum verbum Hebraicum posuerunt, *scaphir*. Tam enim Syra quam Hebraica lingua scaphir pulchra dicitur, quo nomine Samaria vocatur, quia in pulcherrimo et uberrimo loco sita erat. Dicitur ergo ad eam : O Samaria pulchra et fertilis, quia confusa es ignominia, sic transi, et sic perge in captivitatem, ut si potest fieri, nec inimicus allophylus sentiat. « Non est egressa quæ habitat in exitu. » Et hic similiter ipsum verbum Hebraicum, id est, *senna*. Senna enim interpretatur exitus, per quod significat captivitatem jam in egressu et in foribus esse. Quod autem dicit, « Non est egressa, » significat quod non sua sponte vel voluntate, sed coacta et nolens ducta est in captivitatem. « Planctum domus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet. » Et hic ipsum verbum habetur Hebræum in Septuaginta, id est *Azel*. Ordo est : Domus Azel accipiet ex vobis planctum. Azel interpretatur vicina, sive ex latere. Domum ergo Azel, domum Juda dicit, quæ vicina erat Samariæ, et quasi ex latere, quæ planctum accepit audita clade Samariæ, quæ, subaudis domus Azel, stetit sibimet, id est, captivata Samaria, permansit in statu regni sui, protecta a Deo propter Ezechiam.

« Quia infirmata est in bonum, » subaudis suum, id est, quia humiliata est ad profectum suum, quando Rhapsaces blasphemavit Deum viventem. « Quæ habitat in Ramoth, » id est in amaritudinibus. Hoc A enim interpretatur Ramoth. In amaritudine enim et tristitia populus cum rege Ezechia morabatur, Sennacherib eos obsidente. « Quia descendit malum a Domino in portam Jerusalem. » Nam rex Assyriorum, vastata Samaria, venit contra Hierusalem, quando et Rhapsaces missus de Lachis ad Ezechiam, ut se traderet Assyriis, insultans Domino et dicens : Quid si posset liberare populum suum de manu Assyriorum?

« Tumultus quadrigæ, stupore habitanti Lachis. » Lachis civitas est Judæ, quæ prima a decem tribubus accepit idola, et per eam pervenit idololatria usque ad Hierusalem. Et est sensus : O Lachis, et ad te perveniet equitatus et tumultus Assyriorum, qui te vertet in stuporem. « Principium peccati est B filiæ Sion, quia, « subaudis in te, » inventa sunt scelera Israel » et per te quasi per portam impietas decem tribuum migravit ad Hierusalem.

« Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth : domus mendacii in deceptionem regibus Israel. » Non solum (inquit) super Lachis quadrigæ venient et tumultus, sed et super Geth, quæ est metropolis Palæstinæ. Emissarios autem vocat latrunculos, quos rex Assyriorum mittebat in Geth, quæ erat domus idololatriæ, urbsque mendacii, quæque in deceptionem fuerat regibus Israel.

« Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in « Maresa, » id est in hæreditate. Hæredem autem vocat adventum hostium. Dicit ergo Deus per prophetam, quod ipse adducat Assyrios qui hæreditate C possideant Geth, eo quod fuerit in deceptionem regibus Israel. « Usque ad Odollam veniet gloria Israel. » Odolla nobilissima erat civitas inter urbes Judæorum, ad quam etiam dicit perventuram hostilitatem Assyriorum. Quidam codices habent, « Gloria Israel, » ut sit sensus : Veniet illa captivitas de Geth usque Odollam, quæ subaudis est civitas gloriæ Israel. Vel certe per ironiam accipiendum est, ut sit sensus, Illud malum de Lachis et de Maresa et de Geth perveniet Odollam. Hic distinguendum, et sic ironice parum pressa voce inferendum, « Gloria est, » id est ignominia et dedecus est populi Israelitici. Hæc juxta litteram, videamus breviter quid mysterii contineant : Geth interpretatur torcular. Si-D gnificat hæreticos, qui se extollebant, dicentes se habere vinum Soreth, id est spiritualis et divinæ scientiæ, cum e contra vinum eorum (id est doctrina) esset de vinea Sodomorum, et de suburbanis Gomorrhæ. Ipsi sunt et domus pulveris, quia terrena sapiunt, et cibus sunt serpentis, id est diaboli, cui dictum est, Terram comedes omnibus diebus. Hos hortatur propheta, ne se extollant, sed agant pœnitentiam dicens, « In domo pulveris, pulvere vos aspergite, » ne cum tempus ultionis advenerit, et domus quæ vobis pulchra videbatur ceciderit, simul pereatis, et cassus labor vester risum videntibus præbeat. « Non est egressa quia habitat in exitu, » id est Ecclesia quæ habitat in exitu, in spe percipiendi regni cœlestis, non est egressa finem

divinarum Scripturarum, nec transgressa Patrum statuta. «Planctus domus vicinæ accipiet ex vobis.» Vicina domus est Ecclesia, in qua domo non sunt hæretici, sed vicini ei sunt. «Ex nobis (inquit Apostolus) exierunt, sed non erant ex nobis.» Vicina est ergo domus hæreticorum Ecclesiæ fidelium, sed super arenam posita, non habet fundamentum Et est sensus : O hæretici, qui tantum vicini estis Ecclesiæ, sed contra eam semper erigimini, plangite vosmetipsos, quia ex vobis accipiet inimicus et ultor diabolus planctum, hoc est, vos eritis causa vestræ perditionis, et ex vobis diabolus, cui traditi estis, materiem accipiet puniendi. Quæ stetit sibimet, quia infirmata est in bonum suum, ad superiora jungendum est, ubi dicitur, «Non est egressa quæ habitat in exitu, quæ stetit sibimet.» Ecclesia stetit sibimet, quia in veritate stabilis permansit. Infirmata est, id est afflicta diversis tribulationibus, sed hoc illi in bonum fuit, quia quo magis infirmabatur, eo amplius in fide roborabatur, secundum Apostolum qui dicit, Quando infirmor, tunc fortior sum. Hinc Psalmista de eadem Ecclesia dicit, Infirmata est, tu vero perfecisti eam. Hæc ipsa Ecclesia habitat in Ramoth, id est in amaritudinibus, quia pressa persecutionis pondere, nil dulce habet in præsenti. Descendit autem malum a Domino in portam Hierusalem, id est insidiæ hæreticorum usque ad auditum Ecclesiæ. Sed Ecclesiam penetrare non possunt, quia intrinsecus se continet in custodia mentis, et non egreditur foras ne violetur, sicut quondam Dina, de qua dicitur quia egressa est ut videret mulieres regionis illius. A Domino autem descendere malum dicitur, quia nil fit, nisi permittente Domino qui ad hoc in Ecclesia sinit esse hæreticos, ut vel probent, vel exerceant. Sequitur, «Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis,» etc. Lachis, quæ interpretatur deambulatio, ipsos signat hæreticos vagos, et per diversa errorum dogmata discursantes, quique circumfertur omni vento doctrinæ, de quibus dicitur, Hi in curribus et hi in equis, etc.» Ibi ergo principes exstiterunt peccati filiæ Sion, quæ specula interpretatur, quia omnis Ecclesiæ calamitas, omnis error et peccatum ab hæreticis processit. » Propterea dabo emissarios super hæreditatem Geth.» Emissarii dæmones, vel visibiles inimici sunt, qui justo Dei judicio mittuntur super Geth, quæ torcular interpretatur, id est super hæreticos, qui se putant habere vinum purissimæ veritatis, sed sunt domus mendacii, et decipiunt quoscunque possunt. Quod autem sequitur, «Adhuc hæredes adducet tibi, qui habitent in Maresa,» Maresa, Latine hæreditatem sonat, significans eos qui ex hæreditate Christi (hoc est, de societate Ecclesiæ) traducti fuerant ad hæreticos. Promittitur ergo eis, quod si converti voluerint, adducat eis Dominus hæredes, sanctos doctores, qui eos ab erroribus separatos, ad hæreditatem Domini et Ecclesiæ perducant societatem. «Usque ad Odollam veniet gloria Israel.» Odolla interpretatur testimonium haustus vel exhaustionis. Non (inquit) glorientur hæretici, veniet gloria Israel, jactantia hæreticorum usque Odollam, id est usque ad testimonium exhaustionis suæ, id est usque ad judicium, quando exhaurient atque ebibent mensuram operum suorum.

«Decalvare et tondere super filios deliciarum tuarum, dilata calvitium tuum sicut aquila, quoniam captivi ducti sunt ex te.» Hoc et specialiter ad Samariam, id est decem tribus, et generaliter ad omnem populum Israel dicitur, qui captivus ductus est. Jubetur ergo ut decalvetur, sicut mos erat in luctu facere, et tondeantur, ac plorent filios suos. Et quomodo aquila certo tempore amittit plumas suas, et nuda atque implumis remanet, sic Israel deponat omnem gloriam, qua ante circumdabatur, et plangat filios suos captos ab hostibus. Sed et hoc tempore videmus plebem Judaicam decalvatam, et omnem gratiam qua ante floruerat, penitus ab ea recessisse. Mystice dicitur animæ peccatrici : O anima, quæ quondam fruebaris paradiso, et volabas ut aquila contemplando cœlestia, assume habitum pœnitentis, et plange filios tuos, id est opera quæ gessisti, quia captivata sunt sub lege peccati.

CAPUT II.

«Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum.» Væ populo Judæorum, væ etiam omnibus qui cogitant inutile, hoc est, meditantur quomodo Deum offendant, et operantur malum in cubilibus, id est disponunt male facere. Diffinitio autem voluntatis pro effectu accipitur operis. Quidquid mali vero nocte tractaverint, quasi differre non liceat, mox ut lux matutina claruerit, festinant opere adimplere, nec considerant qui contra Dominum est manus eorum, eique repugnant. Sequitur propheta, exponens quæ sint illa quæ cogitant et agunt, et dicit :

«Et concupierunt agros, et violenter tulerunt, et domos rapuerunt : et calumniabantur virum et domum ejus : virum et hæreditatem ejus.» Hæc et tunc fiebant, et modo (quod est dolendum) a multis aguntur. Unde mox juxta subsequitur ultio.

«Idcirco hæc dicit Dominus : Ecce ego cogito super familiam istam malum : unde non auferetis colla vestra, et non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est.» Quia (inquit) vos cogitastis inutile, et ego cogito super vos malum, non quod flagellum Dei malum sit, sed quia sustinentibus malum videtur. Et tale erit malum, ut non possitis levare colla pressa pondere captivitatis.

«In die illa sumetur super vos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate, dicentium : Depopulatione devastati sumus.» Hoc quasi canticum frequentabitur, et loco proverbii assumetur. Quod autem sequitur : «pars populi mei commutata est,» templum significat, quod inter omnes gentes sanctius erat, quod mutatum est in ruina. «Quomodo recedat a me,» subaudis Assyrius, «cum revertatur

qui regiones nostras dividat? » Hæc quasi verba sunt metuentis populi. Sennacherib enim rex Assyriorum cum veniret adversum Hierusalem, audivit de Tharacha rege Æthiopiæ dicentes : « Egressus est ut pugnet contra te. » Tunc recessit ab Hierusalem, ita tamen, quasi post victoriam reversurus. Populus ergo qui eum recessisse cognoverat, dicebat : Quomodo dicitis, recedet a nobis Assyrius, qui mox revertetur ut agros nostros sorte distribuatur?

« Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis in cœtu Domini. » Quia (inquit) hæc fecisti quæ supradicta sunt, o familia Israel, supra quam ego malum cogito, non habebis partem in cœtu Domini, hoc est, in hæreditate justorum. Potest hoc et ad extremam captivitatem, quæ a Tito facta est, referri, quod ideo hæc omnia passi sunt, quia contra Deum superbierunt, et Christum cruci adjudicaverunt. Possunt hæc moraliter referri ad animam peccantem, quæ in secreto cordis cogitat malum, et opere perficit. Idcirco Dominus cogitat super nos malum, de quo non possumus levare cervices, et recti incedere, unde mittuntur apostoli qui cum Jeremia plangant nos, et assumant super nos parabolam, et cum Apostolo lugeant multos ex his qui peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam. Pars etiam populi Domini divisa est funiculo, cum animæ recedentes per diversa vitia a dæmonibus dividuntur, et alius funiculum avaritiæ, alius luxuriæ lineam extendit in hæreditatem Domini et agri sanctitatis, fragrantis virtutum odoribus, secundum quod Isaac dixit : Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, traditi sunt regi Assyriorum et Babyloniorum, id est diabolo.

O Israel, « ne loquamini loquentes : Non stillabit super istos, non comprehendet confusio, dicit domus Jacob. Nunquid abbreviatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes ejus? » O domus Jacob, nolite vos decipere, præsumentes nimium de misericordia Dei, et nolite dicere quod adhuc multi dicunt, Deus bonus est et misericors, non veniet super nos malum captivitatis, quod timemus. Qui enim omnibus copiosus est in misericordia, nobis etiam clemens erit, nec propter nos solos abbreviabitur bonitas ejus. Non enim tales sunt cogitationes ejus, quales sunt hominum, ut sicut homo subito concitetur in furorem. Hæc quasi verba sunt illorum, quibus dicitur, Ne loquamini loquentes.

« Nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte graditur? Et e contrario populus meus in adversarium consurrexit. » Introducit respondentem Dominum et dicentem : Bonus sum, ut dicitis, et verba mea clementiam sonant, sed ad eos qui recte una gradiuntur. Sed vos non solum recte non agitis, sed e contra contra me insurgitis, et tyrannico spiritu mihi adversamini. Deinde commemorat ea quæ faciebant, « desuper tunica pallium sustulistis, » id est spoliastis vestimento vel divino auxilio, « et eos qui simpliciter transibant » et innocue « convertistis in bellum. » Sive eos qui aliorum acquiescebant auctoritati, convertistis in bellum, ut non reciperent edicta magistrorum, ne suis doctoribus crederent. Sed et nobis moraliter præcipitur ne nos in hoc putemus placere Deo, si verba ejus in scriptis legamus. Tunc enim bona sunt verba Domini et prosunt legentibus, si opere impleantur, si cor et labia consentiant. Tunica et pallium indumenta sunt fidei et virtutum, dicente Apostolo : Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, humilitatem, etc., vel etiam auxilium et protectio divina. Quæ omnia hæretici vel sacerdotes pravi a populo sibi credito, male vivendo tollunt.

« Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum : a parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum. » Non solum (inquit) ea fecistis quæ dixi, sed etiam matronas quondam delicatas, fecistis ire captivas : vel etiam urbes desolastis, fugatis vel interfectis habitatoribus, quas per metaphoram mulieres vel filias appellat. Desolatis ergo urbibus nullus remansit, nec saltem parvulus remansit, qui psalmos et laudes Dei canerent.

« Surgite » ergo « et ite, » subaudis in captivitatem, « quia » subaudis in hac terra, « non habetis requiem : propter immunditiam ejus, » id est propter scelera et impietates, « corrumpetur, » subaudis terra vestra, « putredine pessima. » Non (inquit) brevis erit vestra captivitas, sed longo durabit tempore, et corrumpetur putredine pessima, id est Babylonica vel Romana captivitate. Sed et moraliter mali principes Ecclesiæ, mulieres (id est, animas simplices et per se infirmas) malis suis exemplis de domibus suis (id est de Ecclesia ejiciunt, et mittunt in tenebras exteriores. Et idcirco ipsis quoque dicitur, ut surgant et eant, quia corrupti sunt putredine, pessima, id est longa peccandi consuetudine, a corruptione animæ et corporis.

« Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer : stillabo tibi in vinum et in ebrietatem : et erit super quem stillatur populus iste. » O popule Judaice, ad quos repromissiones factæ sunt, et ex quibus secundum carnem natus est Christus, non me putetis volentem loqui, aut sponte mea hæc vobis mala prædicere. Utinam non essem vir habens Spiritum sanctum, sed potius dæmoniaco spiritu loquerer, et inter pseudoprophetas reputarer, et non essent vera quæ dico, et non venirent mala quæ prænuntio. Sed quia propheta sum, et Spiritu sancto loquor, stillabo tibi in vinum, ut quasi vino meracissimo inebrieris sermonibus meis, et corruas. Me autem stillante, suscipiet populus iste guttas prophetiæ meæ, et velit nolit, sustinebit quod dico. Sed ne putetis me tantum adversa prophetare, nuntiabo vobis prospera. Introducit ergo ipsum Dominum loquentem, et bona promittentem.

« Congregatione congregabo Jacob. » Veniam (inquit) per me, nascar de Virgine, et congregabo Jacob, hoc est, credentes ex Judæis colligam ad fidem meam. Sive alio sensu : Quia in humilitate

carnis mihi credere noluistis, veniam in consummatione sæculi in majestate, et tunc stillabo tibi, id est propinabo vinum Spiritus sancti, vinum divini sermonis quo apostoli die Pentecostes inebriati sunt, et de quo per Psalmistam dicitur : Potasti nos vino compunctionis. « Totum te in unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum, » hoc est, credentes ex utroque populo pariter in ovili quietis æternæ copulabo. « Tumultuabuntur a multitudine hominum. » Jam aperte ostendit de quibus ovibus vel gregibus dixerit. Tumultuabuntur, id est, vociferabuntur, bonum pastorem laudantes, qui eos præcedet, et iter pandet ante eos. Ipse eos per se ducet ad se. Unde sequitur :

« Ascendet enim pandens iter ante eos ; divident et transibunt portam, et egredientur per eam : et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum, » subaudis princeps et præmonstrator cœlestium pascuarum.

CAPUT III.

« Et dixi, Audite, principes Jacob, et duces domus Israel : Nunquid non vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum et diligitis malum ? qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum, qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollæ. Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos, et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis. » Sub metaphora leonum vel latronum describitur crudelitas principum Judæorum, qui spoliabant pauperes et interficiebant, et quasi feræ bestiæ carnes et ossa eorum conterebant : et velut in olla carnes coquuntur, sic in urbe Hierusalem innumeram plebem affligebant. Unde minatur eis malum captivitatis, vel Chaldaicæ vel Romanæ, et licet clament ad eum, non eos exaudiet, sed restituet eis, sicut ipsi nequiter egerunt in adinventionibus suis, hoc est, in sceleribus, quæ nova semper inveniebant.

« Hæc dicit Dominus ad prophetas qui seducunt populum meum, » qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium. Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ pro divinatione, et occumbet super prophetas, et obtenebrabitur super eos dies, et confundentur qui vident visiones, et confundentur divini, « et operient vultus suos omnes, quia non est responsum Dei. » Erant illo tempore pseudoprophetæ in populo Israel, qui ut ab eis dona acciperent, prædicabant pacem, quæ eis data non erat. Hoc est enim quod dicit : « mordent dentibus, » ut aviditatem accipientium ostendat. Si quis vero nihil eis dedisset, quamvis esset sanctus, prænuntiabant iram Dei illi esse venturam. Unde dicit, quod sermo eorum non sit prophetia, sed

A divinatio, nec habeat lumen, sed tenebras et errorem. Et cum non venerint quæ promiserant, tunc occumbat eis sol, et operiantur confusione, quia scietur quod non sit responsum Dei, sed fraus dæmonum homines decipere volentium.

« Verumtamen ego repletus sum fortitudine Spiritus Domini, judicio et virtute ; ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum. » De se nunc dicit propheta quia pseudoprophetis falsa vaticinantibus et opertis confusione, ipse sancti Spiritus instinctu loquatur, et annuntiet judicium Domini et veritatem, nec pacem sicut illi prædicet, ut mordeat aliquid, sed annuntiet Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum, quia idola pro Deo coluerunt, et quia
B Christum crucifixerunt. Possunt hæc referri ad doctores pessimos, qui Dei populum adulando supplantant, dicentes : Habe fidem, illa te salvabit ; non necesse est ut continenter vivas. Et hoc faciunt, ut accipiant commoda terrena, et ut eos devorent, sive accipiendo bona illorum, sive spiritualiter interimendo animas eorum. Super hujuscemodi prophetas occidet Sol justitiæ, et tunc confundentur, et operientur vultus eorum confusione.

« Audite hæc, principes domus Jacob, et judices domus Israel, qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Hierusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant, et super Dominum requiescebant, dicentes : Nunquid
C non Dominus in medio nostrum ? Non veniet super nos mala. » Quia superius adversum judices et pseudoprophetas comminatio processerat, nunc generaliter ad ipsos, et ad sacerdotes, et ad omnes qui sibi de Dei notitia blandiebantur, sermo dirigitur, et arguuntur quia non solum non faciunt, verum etiam abominentur judicium, et recta pervertant, quod domos suas ædificent in sanguinibus, et civitatem Hierusalem in iniquitate et rapinis videlicet pauperum, cædibus insontium, atque interfectione sanctorum : præterea quia principes acceptis muneribus judicent, et prophetæ pro muneribus vaticinentur, et gratiam Dei vendant, et cum hæc omnia facerent, requiescebant super Dominum, dicentes : Populus
D Dei sumus, Dominus in medio nostrum est, non venient super nos mala. Pro his omnibus minatur eis propheta, imo Dominus per prophetam, et dicit :

« Propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, et Hierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum. » Docet quia templum Dei, quod prius auro et lapidibus pretiosis fulgebat, in ruinas extremas deducendum sit. Hæc omnia contigerunt Judæis, propter ea quæ supra dicta sunt, et maxime propter effusionem Dominici sanguinis. Possunt hæc moraliter referri ad Ecclesiam. Ipsa est enim domus Jacob et domus Israel. Dicit ergo de perversis doctoribus et principibus seu judicibus Ecclesiæ, qui cum ipsi mala quæ possint faciant, requiescunt super Dominum, et vana spe

prospera sibi de ejus clementia pollicentur, dicentes: « Non venient super nos mala. »

CAPUT IV.

« Et erit : in novissimo dierum erit mons domus Domini, præparatus in vertice montium, et sublimis super colles, et fluent ad eum populi, et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite. » Quia principes Judæorum abominati sunt judicium, et ædificaverunt Sion in sanguinibus, idcirco pro monte Sion elevatus est mons Domini, id est Christus. Hic mons ostensus est in novissimis diebus, hoc est, in fine sæculorum, quando in novissima sæculi ætate per hostiam salutarem Salvator apparuit, qui tulit peccata mundi. Præparatus (inquit) erit, id est manifestus, qui ante per tot millia annorum occultus erat. Non solum autem in montibus, sed et super vertices montium præparatus erit. Montes quippe sunt prophetæ sancti, qui licet omnia sancta et ad humanam salutem pertinentia conscripserint, tam ad comparationem hujus prophetiæ, in qua de Salvatoris adventu prophetaverunt, humilia sunt cætera, et usque ad vertices montium non pertingentia. Super colles exaltatus est mons iste, quia omnium sanctorum gratiam, omne meritum supergressus est homo a verbo Dei assumptus. Quia enim se humiliavit usque ad mortem, exaltavit eum Deus Pater, et donavit illi nomen quod est super omne nomen. Ad hunc montem congregabuntur, vel (ut Septuaginta dicunt) fluent omnes gentes, et in morem fluviorum innumerabiles populi convenient credentes. Videmus jam ex omnibus gentibus, quas Romanorum novit imperium, in Christum credidissse, et per fidem ad hunc montem confluxisse. Sed quid venientes dicunt? « Ascendamus ad montem Domini. » Opus est ascensione, si volumus ad Christum venire, « et ad domum Dei Jacob, » id est, Ecclesiam, quæ est domus Dei, secundum Apostolum, columna et firmamentum veritatis, Deum autem Jacob Christum dicit. Quare veniant, addunt : « et docebit nos vias suas, » per doctores et pastores, qui præsident Ecclesiæ, quos in Apocalypsi Joannes angelos vocat, sive per Scripturas, quæ ostendunt viam Domini, id est Christum, qui dicit : « Ego sum via. » « Et ambulabimus in semitis ejus, » id est, sequemur et imitabimur apostolos ejus, qui sunt semitæ illius, per quos credimus in eum. » Quia de Sion, » hoc est, de primitiva Ecclesia, « exibit lex » spiritualis, hoc est, evangelica prædicatio ad gentes. « Et verbum Domini, » id est, Filius Dei Patris, qui est Verbum ejus, « de Hierusalem, » hoc est, de Judæa, de qua carnem assumpsit.

« Et judicabit inter populos multos. » Quia « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. » « Et corripiet gentes fortes usque in longinquum, » hoc est, sapientes et philosophos sæculi, quos comprehendit in astutia eorum. Judicat autem populos, discernendo qui sint salute digni, qui indigni. « Et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones. Non sumet gens adversum gentem gladium, et non discent ultra belligerare. Et sedebit vir subtus vineam suam, et subtus ficum suam, et non erit qui deterreat. » Omne (inquit) studium belligerandi eo veniente cessabit, et transferetur ad pacem, tantaque erit requies, ut non solum in urbibus, sed et in villis et agris sit summa securitas, ita ut sedeat unusquisque sub vite sua, ut supra. « Quia os Domini exercituum locutum est. » Legamus historias, et inveniemus quia ante adventum Christi totus contra se pugnabat orbis ; fervebant omnia tam externis quam civilibus bellis, nec quisquam impune de gente in gentem transire poterat. Postquam vero in adventu suo Christus Romanum imperium prædicando Evangelium præparavit apostolicæ prædicationi, pervius factus est orbis. Tropologice concisio gladiorum et lancearum, finis est iræ et persecutionis, qua prius increduli contra sanctos prædicatores sæviebant. Quæ conversa sunt in ruralia instrumenta, ut conflatis contumeliarum jaculis, fructus spiritales succrescerent. Hæc autem fient, quia Dominus locutus est, cujus omnia verba sunt vera, et cujus dixisse, fecisse est. « Quia omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Dei sui, nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum et ultra. » Cæteris (inquit) gentibus cunctis post errorem suum, nos qui ascendimus ad montem Domini ambulabimus in nomine Domini Dei nostri Jesu Christi, quia ipse verus est mons et Deus, et ex ejus nomine Christiani vocamur.

« In die illa, » hoc est, cum verus sol splenduerit, « dicit Dominus, congregabo claudicantem, et quam ejeceram colligam, et quam afflixeram consolabor, et ponam claudicantem in reliquias, et eam quæ laboraverat, in gentem robustam. » Hoc est, plebem Judaicam contritam, et recto gressu incedere non valentem, et ejectam ac reprobatam. Congregabitur autem ad hoc, ut suscipiatur et ponatur in reliquias et in gentem robustam. Hoc est quod Isaias dicit, nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et sicut Gomorrha similes essemus. Hoc factum est prædicantibus apostolis, quando in Actibus apostorum legitur : Una die crediderunt tria millia, altera die quinque millia, et deinceps multa millia. Plenius autem in fine sæculi implebitur, quia cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit. « Et regnabit Dominus super eos, » id est super congregatos, « in monte Sion, » id est in Ecclesia, quæ est in contemplatione vitæ spiritualis. « Ex hoc nunc et usque in æternum, » id est a sæculo præsenti usque in futurum.

« Et tu, turris gregis nebulosa, filia Sion, usque ad te veniet, et veniet potestas prima, regnum filiæ Hierusalem. » Turrem gregis nebulosam, locum dicit, qui ob conventum pastorum, *adher* (id est, turris gregis) dicitur. Distat autem uno milliario a Bethlehem ad orientem. In hoc loco tribus pastoribus

angelus apparuit, et natum Deum nuntiavit, quique ibidem venerabiliter conditi requiescunt. Turrim autem nebulosam dicit, propter obscuritatem mysteriorum cœlestium, quæ ibi revelata sunt. Potestas autem prima, virtutes sunt angelicæ, quæ « Gloria in excelsis Deo, » exsultando concinebant, et ipsa est regnum filiæ Hierusalem, id est, supernæ civitatis, ubi angelicæ virtutes Deum sabaoth speculantur. Allegorice turris nebulosa, plebs est Israelitica sive templum Dei a Salomone constructum in Hierusalem. De hac turre dicit Isaias : Et ædificavit turrim in medio ejus, id est, vineæ. Hæc turris, id est plebs Judaica, quandiu habuit maceriam, id est angelorum præsidia, et torcular, id est altare, nec diabolo pervia erat, nec nebulosa, sed civitas Dei, quæ in monte (hoc est in celsitudine virtutum) sita latere non poterat. At postquam se sanguine Domini fœdavit, nebulosa ac squalida appellatur. Ad hanc pervenit potestas prima, id est, videlicet Filius, qui loquitur in Apocalypsi, « Ego sum α et ω, initium et finis, » et qui ex persona assumpti hominis dicit, « Dominus possedit me initio viarum suarum. » Quæ potestas est regnum filiæ Hierusalem. Venit ergo in hunc mundum potestas prima, ut faceret secundam potestatem. Non enim potest dici prima, nisi sit secunda. Fecit ergo secundam potestatem in apostolos, ut sicut appellantur a luce Christo lux, et a pane vivo Christo vocentur panis, Paulo dicente : « Unus panis multi sumus in Christo, » ita a prima potestate potestas et regnum vocentur.

« Nunc quare mœrore contraheris? Cum (inquit) ad te ventura sit prima potestas, quare mœrore contraheris et humiliaris? Nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem ? » Interrogando confirmat juste eam dolere et mœrere, quia rex ejus Christus, qui et consiliarius et angelus magni consilii, periit ei, hoc est, crucifixus est, ab illis, et quantum in ipsis fuit, periit, et qui juxta Evangelicam parabolam hæredem ejectum extra vineam occiderunt, ipsi quoque ab exercitu Romano vastati sunt. Et sicut parturiens dolorem non potest effugere, sic ille populus imminens periculum et vastationem non potuit declinare.

« Dole et satage, filia Sion, quasi parturiens, quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem : ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum. » Præcipitur filiæ Sion, id est, sæpe dictæ plebi, ut doleat et egrediatur de civitate, et habitet in regione, quia Dei est sententia ut pergat in captivitatem, nec potest mutari judicium ejus. Monetur ergo ut patienter sustineat, et usque ad Babylonem veniat, sciens quia si fortiter flagellum sustinuerit, cito redimenda sit de manu inimicorum, ut cum fuerit liberata, possit dicere : « Ne læteris inimica mea super me quia cecidi, consurgam » : et cum Psalmista : « Non in perpetuum irascetur Dominus, neque in æternum comminabitur. » Patet autem juxta litteram, quod ille populus ductus in captivitatem, post septuaginta annos sub Jesu et Zorobabel et Esdra liberatus est et reversus. Moraliter anima propter peccatum de civitate, (id est Ecclesia) pulsa, tradita inimico in interitum carnis, jubetur venire ad Babylonem, id est, ad confusionem vitiorum et dejectionis suæ, ut postquam dignam egerit pœnitentiam, liberetur a captivitate peccati, et reversa ad paternam domum, mereatur recipi a clementissimo Patre. Sed et secundum beatum Gregorium sæpe contingit ut anima, quæ filia Sion vocatur, quæ Deum debuerat contemplari, aliquo spirituali et occulto vitio (verbi gratia, superbiæ, invidiæ) devastetur. Quam misericors Deus nonnunquam permittit cadere in apertum carnis peccatum, et quasi ad Babylonem, id est ad confusionem venire, ut confusa fœditate aperti criminis, liberetur a captivitate vitii latentis.

« Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt : Lapidetur, et aspiciat in Sion oculus noster. » Vox prophetæ : O Hierusalem, cui prædico imminentem captivitatem, interim donec illa veniat, jam congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ quasi de adultera muliere loquuntur et dicunt : Lapidetur, et aspiciat oculus noster in Sion, hoc est, contra Sion, ut insultemus et gaudeamus in malis ejus. Et hæc dicunt :

« Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini, et non intellexerunt consilium ejus, quia congregavit eos quasi fenum areæ. » Qui ideo fecit illas congregari, ut tu illas conteras quasi fenum et stipulam areæ.

« Surge » igitur « et tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas, » hoc est, insuperabilem fortitudinem. « Et » sic « comminues populos multos, et interficies Domino rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universæ terræ, » ut consecrentur Domino Deo tuo. Tali enim sacrificio delectatur Dominus : quod autem cornu dicit et ungulas, metaphoricos accipiendum est, ab hostibus triturantibus. Moraliter congregantur adversus Ecclesiam Dei, multitudines spiritualium nequitiarum, et insultant atque exprobrant neces filiorum ejus, nescientes consilium Domini nec cogitationes ejus, quia ad hoc permittit eis prævalere ad tempus, ut et illorum patientia remuneretur, et horum malitia puniatur. Congregat eos Dominus, ut conterantur, et eorum justa damnatio proficiat in laudem Creatoris, et rapinæ ac fortitudo eorum in sacrificium Domino convertantur.

CAPUT V.

« Nunc vastaberis, filia latronis : obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam judicis Israel. » Promiseram tibi (inquit propheta) quod triturares et comminueres omnes gentes, quæ adversum te congregatæ erant, et offerres rapinas eorum Domino Deo tuo. Sed quia hoc non modo fiet, sed cum plenitudo gentium intrabit in fine sæculi, interim vastaris pro meritis tuis. Unde jam

non te voco filiam meam, sed latronis, id est, diaboli, qui semper est paratus ad prædandum. « Obsidionem posuerunt super nos. » Vox est Dei Patris loquentis ad Filium et Spiritum sanctum, et manifeste ostenditur Trinitas personarum. Obsidionem posuerunt super Filium Dei Judæi, quando insidiabantur ei dicentes : Magister, scimus quia verax es. Quasi enim obsidebant, qui capere cogitabant. Sed quia injuria Filii injuria est Patris et Spiritus sancti, idcirco pluraliter dicitur « super nos. » Quod vero sequitur : « In virga percutient maxillam judicis Israel, » hoc ostendit, quod arundine percutiebant milites caput Domini, quæ Filii contumelia redundabat in totam Trinitatem. Propter hæc ergo scelera non differam amplius ultionem, et nunc et in præsenti vastaberis ab Assyriis vel Romanis.

« Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel. » Loquitur propheta ex persona Patris Dei, promittentis incarnationem Filii sui, et designantis locum nativitatis ejus. Et tu, Bethlehem, quæ ante vocabaris Ephrata, et intantum es minima, ut comparata millibus Juda, vix parvus viculus habearis, ex hoc parvo oppidulo egredietur Christus, qui sit dominator in Israel. Ac ne putetis eum tantum esse de genere David, quoniam quidem ut verus homo cernitur, « et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. » Ante sæcula ex mea substantia genitus est, quia « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Bethlehem interpretatur domus panis, quia ibi natus est panis qui de cœlo descendit. Ephrata vertitur in furorem, quod pertinet ad Herodem, qui cognito quod illusus esset a magis, iratus est valde.

« Propter hoc dabit » Dominus « eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet, et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel. » Ideo (inquit) dabit eos, id est, Judæos, et permittet suum tenere dominium usque ad tempus quo virgo pariens novo ordine pariet. Postquam autem pepererit, et natus parvulus susceptæ dispensationis munus impleverit, populo Judæorum captivo vel interfecto, reliquiæ fratrum ejus, id est apostoli, qui sunt fratres Domini, convertentur ad patriarcharum et prophetarum fidem. Potest et sic intelligi : Dabit eos, id est, Judæos permittet umbram suæ legis observare usque ad tempus parientis, id est, donec Ecclesia mater gentilem populum spiritualiter ad fidem generet, et donec sterilis pariat plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmetur ; et subintrante plenitudine gentium, tandem omnis Israel salvus fiet, tunc reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel, et prædicante Elia, convertentur corda patrum ad filios, et corda filiorum ad patres eorum, et novissimus populus jungetur priori : et tunc erunt vere filii Abrahæ, credendo in eum quem vidit Abraham et lætatus est.

« Et stabit, et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui. Et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ » Cum, inquit, pepererit pariens, et sol justitiæ Christus totum mundum impleverit, tunc ipse Dominus, qui prius ut homo ambulavit, stabit, cum jam Deus ab omnibus credetur et adorabitur ; et pascet eos, id est credentes, « in fortitudine Domini, hoc est, in divinitatis potentia ; quique dicere poterunt : Dominus pascit me, et nihil mihi deerit. Pascet etiam in sublimitate nominis Domini, juxta hoc quod vicinus passioni Deum Patrem oravit : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo. » Et convertentur ab amore quo Christum carnaliter diligebant, et incipient eum sicut Deum diligere. Sive convertentur, id est, spiritualia et æterna incipient petere, qui antea terrena et temporalia quærebant. Quia magnificatus est Christus usque ad extremum terræ, et jam sonus ejus exivit in fines orbis terræ.

« Et erit iste pax, Assyrius cum venerit in terram nostram, et quando calcaverit in domibus nostris. » Cum venerit Assyrius, id est, diabolus super terram Ecclesiæ, et religionem eorum quos pascit Dominus, voluerit devastare, et calcaverit domos nostras, id est, corpora animarum habitacula ascenderit et depresserit, tunc ipse, id est, Christus erit pax in nobis, quia nulla tribulatio, nulla angustia poterit electos separare a charitate ejus. Exempli causa : Venerat Assyrius super terram Pauli, et calcavit domum ejus, cum esset in laboribus plurimis, in mortibus, et cæteris quæ ipse commemorat. Sed quia in his omnibus superabat per eum qui dilexerat eum, et qui erat pax ejus [a]. « Et suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines. » Introducitur enim Deus Pater loquens et bona promittens. « Suscitabimus (inquit) ego et Filius et Spiritus sanctus super eum, » id est Assyrium, septem pastores, id est, patriarchas et prophetas, qui septenarium legis, id est, sabbatum servaverunt ; » et octo primates, » id est, observatores Novi Testamenti, qui ab apostolis usque ad hanc ætatem suscitantur a Domino in Ecclesia. Septenarius numerus pertinet ad Vetus Testamentum propter sabbatum, octonarius ad gratiam Novi Testamenti propter Dominicam resurrectionem, quæ octava die facta et impleta est. Unde et Salomon ait : « Da partes septem necnon et octo. »

« Et pascent terram Assur in gladio, » subauditur sermonis Dei, de quo Apostolus : « Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus. » Hic gladius missus est ab eo, qui venit separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et reliqua. Pascent etiam « terram Nemrod in lanceis ejus, et liberabit ab Assur, cum venerit in terram nostram, et cum calcaverit in terminis nostris, » id est, terram Assur, in qua regnavit Nemrod robustus venator coram Domino

[a] Videtur aliquid deesse.

Nemrod interpretatur tentatio descendens, et designat diabolum, qui de cœlo per superbiam cecidit. Istius terram, id est, homines quos possederat, pascent illi pastores et optimates, id est, prophetæ et apostoli. In lanceis, subaudis divinæ prædicationis. Superato itaque atque confosso Assyrio, et redacta terra Nemrod in nihilum, liberabit nos Dominus Christus de manu Assur, qui venerat calcare terram nostram.

« Et reliquiæ erunt Jacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam. » Liberatis nobis ab Assur, qui dirigens interpretatur, id est, a diabolo, qui omnes sequaces suos dirigit ad perditionem, erunt reliquiæ Jacob, id est, apostoli, sive omnes primitivæ Ecclesiæ in medio populorum quasi ros a Domino cadens, et refrigerans ardorem vitiorum, quo omnes gentes exurebantur, et exstinguens ignita jacula diaboli. Nam et camino ardenti, in quo tres pueri missi fuerant, dicitur descendisse angelus, et fecisse medium fornacis quasi ventum roris flantem. Hoc ergo dicit, quia doctrina apostolorum erit in medio omnium gentium, quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam. Stillis enim quæ de tectis cadunt, comparatur prædicatio cœlestis. Quod autem dicitur, « quæ non exspectat virum, et non præstolatur filios hominum, » significat quod gentes nullum exspectabant doctorem vel prædicatorem, qui eos infunderet rore prædicationis, et excoleret vomere doctrinæ spiritualis.

« Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, et quasi catulus leonis rugiens in gregibus pecorum, qui cum transierit et conculcaverit et ceperit, non est qui eruat. Et exaltabitur manus tua super hostes tuos. » Leo Christus est, ut in Apocalypsi dicitur : « Vicit leo de tribu Juda. » Ipse est et catulus leonis, de quo in Genesi sub persona Judæ dicitur : « Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti. » Ipse ergo qui est leo, dedit apostolis, ut et ipsi sint leones, quando dixit eis : « Ite, docete omnes gentes, » etc. Et quomodo nemo potest resistere leoni, ita illi liberati de manu Assyriorum, acceperunt potestatem ut peterent jumenta, hoc est, homines irrationabiles, verbi Dei ratione carentes. « Homo cum in honore esset, non intellexit, » etc. Rapient autem eos, non ut dilanient, sed ut separent (hoc est, dividant) ab infidelibus : et nullus erit persecutor qui eis possit resistere, et exaltabitur manus Domini super eos, qui vel ipsum Dominum vel apostolos ejus afflixerant. « Et omnes inimici tui interibunt, » non ut pereant, sed ut ex inimicis et infidelibus fiant amici et fideles.

« Et erit in die illa, » quando exaltata fuerit manus tua, o Israel, super hostes tuos, « auferam equos tuos de medio tui, » id est, omnes lascivientes impetus animi, de quibus dicitur : « Nolite fieri sicut equus et mulus. » « Et quadrigas tuas disperdam, et perdam civitates terræ tuæ, et destruam omnes munitiones tuas. » Auferam etiam currus tuos et quadrigas, id est, scelera, in quibus quasi triumphans gloriabaris. Et disperdam civitates terræ tuæ, id est, confidentiam, quam in terrenis opibus habebas, et cum Cain qui primus ædificavit civitatem in terra, spem tuam ponebas. Et auferam omnes munitiones tuas, devia scilicet et pompas sæculi, rhetorum facundiam, dialecticorum sophismata ; et auferam maleficia de manu tua, et divinationes, » subaudis dæmoniacæ, quibus decepta eras, et alios decipiebas. « Non erunt in te ; » sive divinationem vocat imperitorum doctrinas, qui volunt docere quæ nesciunt, et quasi ea quæ sunt incerta divinant et docent pro certis.

« Et perire faciam sculptilia tua, » id est, omnes falsas præsumptiones et perversa dogmata. « Et statuas tuas de medio tui, et non adorabis ultra opera manuum tuarum, et evellam lucos tuos de medio tui, et conteram civitates tuas, » id est, falsæ religionis et observationis superstitionem. Unde et in lege prohibetur plantari lucus in templo Domini. Et civitates male constructas, quas paulo ante civitates terræ dixerat, minatur quod conterat atque consumat.

« Et faciam in furore et in indignatione ultionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt. » Quia rorem sermonis mei recipere noluerunt, faciam in furore et ira ultionem in gentibus, quæ audire, id est, obedire voluerunt.

CAPUT VI.

« Audite quæ Dominus loquitur : Surge, contende judicio adversus montes, et audiant colles vocem tuam, audiant montes judicium Domini. » Propheta loquitur, et imperat ut audiamus quæ Dominus loquitur. Montes per metaphoram potentes et divites ; colles vero, subjectos et minus potentes appellat. Deinde ipse Dominus loquitur ad prophetam : « Surge, contende judicio adversum montes, et audiant colles vocem tuam. » Rursum propheta, sicut fuerat ei imperatum, loquitur ad montes etiam, « et fortia fundamenta terræ, » causamque reddit, quare eos compellat audire, « quia judicium Domini cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur. » Possunt per montes et colles angeli significari, quibus rerum humanarum commissa est procuratio. Nam Apostolus angelos dicit administratorios spiritus, in ministerium missos propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Contende (inquit) judicio cum montibus, id est, angelis, ut si reperti fuerint non digne homines procurasse, tollatur culpa a populo, et referatur ad principes, vel ad me, qui tales hominibus præposui. In Apocalypsi legimus quod angeli, id est præpositi Ecclesiarum, vel laudantur, vel vituperantur ex vita eorum quibus præsunt. Deus ergo qui poterat, utpote Deus, pro sceleribus peccatoris populi supplicia inferre, non vult exercere potentiam, sed justitiam, et cogit populum Israel præsentibus angelis et omni creatura, ut dicat si quid habeat, ut secundum Psalmistam justificetur Deus in sermonibus suis, et vincat cum judicatur.

« Popule meus, quid feci tibi, et quid molestus tibi fui, responde mihi, quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te, et misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam. » Loquitur Deus ad Israel, et eum ad judicium provocat, et dat licentiam adversum se disceptandi. Quid (inquit) feci quod non debui, vel quid molestus fui, laboribus te opprimendo? An beneficia mea contumelias esse arbitrabaris, dolens quod amiseris pepones et ollas Ægyptias? Ego te in manu forti eduxi de domo servitutis, dedi tibi doctores, per quos cognosceres voluntatem meam. Et ne ista parva videantur.

« Popule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balach rex Moab, et quid responderit ei Balaam filius Beor de Setim, usque ad Galgalam, ut cognosceres justitias Domini. » Setim locus est in eremo, dictus ab arboribus quæ ibi plurimæ proveniunt. Sunt autem similes arbori quam spinam albam vocamus. Galgala autem est locus in quo post mortem Moysi circumcisus est populus a Josue. Unde locus idem vocatus est Galgala, id est, collis præputiorum. Per cuncta (inquit) loca eremi vobiscum jam ambulavi, mutans castra, et vos semper videns. De Setim, ubi fornicatus est Israel cum Madianitis, usque ad Galgala, id est, donec regem habuistis Saulem, qui prius in Galgalis unctus est, per totum hoc iter, et per omne tempus non vos reliqui, Et cum vos me semper blasphemaretis, ego non permisi ut vobis malediceret Balaam, imo feci ut vos e contrario benediceret. Hæc juxta litteram, quæ etiam possunt moraliter ad nos referri, qui sumus in Ecclesia. Disputat ergo contra nos Dominus, et arguit nos tradendo pro nobis Filium suum in mortem. Et misit ante faciem nostram Moysen, id est legem, et misit Aaron, qui interpretatur mons fortitudinis, id est Christum, qui est magnus sacerdos sacerdotum. Misit et Mariam, id est, vaticinia prophetarum, quando etiam Balach, qui interpretatur eligens, id est diabolus, qui omnes quærit devorare, et est rex Moab, qui interpretatur ex patre omnium, scilicet quibus dicitur : « Vox ex patre diabolo estis. » Quando, inquam, Balach voluit vos decipere per Balaam, qui interpretatur vanus populus, et est filius Beor, qui potest interpretari in pelle, eos designans qui mortuis carnis operibus dediti sunt, non eum permisit Deus nocere nobis, insuper maledictionem Balaam, id est, vani populi, convertit in benedictionem. Vanus est enim populus gentilium, natus de eo qui in pelle est, hoc est, qui semper in suis voluptatibus permanent. Quorum maledicta et opprobria in benedictionem versa sunt, quia nunc glorificant quos persequebantur et occidebant.

« Quid dignum offeram Domino? Curvem genu Deo excelso? Nunquid offeram ei holocautomata et vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium?» Deus populum provocaverat ad judicium, sed ille sciens se peccasse, non vult intrare cum Deo in judicium, sed totum se convertit in preces ; sed nec in ipsis precibus habet fiduciam, quia nihil est quod digne Deo pro peccatis possit offerri. Impossibile est enim sanguine hircorum et vitulorum auferri peccata. « Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo? » Quod legitur in Regum libro fecisse Moab, qui cum obsideretur a Judæis, ascendens murum immolavit in omnium oculis filium suum. « Fructum ventris mei pro peccato animæ meæ. » Et sicut Jephthe offerens filiam pro temerario voto. Sed et nos agentes pœnitentiam, sciamus nihil nos dignum dare posse ad placandum Deum, sed solummodo in sanguine immaculati et singularis Agni nos posse salvari, si tamen imitemur ejus passionem, ut pro illo mori parati simus. Nam et Psalmista cum interrogasset : « Quid retribuam Domino? » ipse sibi respondit » : Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. » Si enim ille qui Deus est, pro nobis sine peccato mortuus est, et nos qui homines et peccatores sumus, debemus parati semper esse ut pro illo moriamur.

« Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te. Utique facere judicium, et diligere misericordiam. » Hoc non tantum ad unius gentis populum, sed generaliter ad omnes homines dicitur : Quia dubitas, humanum genus, quod pro peccatis tuis possis placare Deum, dicam tibi quid quærat Deus, utique facere judicium, etc. Tale quid et Moyses in Deuteronomio dixit : Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus quærit a te, nisi ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, etc. Deus quærit a nobis nostram ipsorum salutem facere judicium, ut nihil absque consilio et ratione faciamus, diligere misericordiam, ut non quasi ex necessitate aut compulsi faciamus misericordiam, sed volenti animo, quia hilarem datorem diligit Deus. « Et sollicitum ambulare cum Deo, » ut nunquam securi simus, sed semper exspectemus adventum patrisfamilias, vel certe non declinare a mandatis ejus, sed studiose sectari vestigia ejus. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare.

« Vox Domini ad civitatem clamat, et salus erit timentibus nomen tuum. » Juxta historiam vox, id est verba Michææ, propheta vaticinante. Ut sit sensus : Comminatio Domini contra Samariam est, ut audiens populus Juda istorum supplicia, timeant, et adipiscantur salutem. Sed et peccatores quique timentes supplicia quæ vident alios pati, illorum exemplo corriguntur, et impletur in illis quod scriptum est : Pestilente flagellato, sapientior erit stultus. « Audite, tribus, et quis approbabit illud? Adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. » O decem tribus, quæ vocamini Samaria, audite quæ Dominus contestatur. Et quis approbavit illud, id est rarus, qui secundum ea quæ Dominus præcipit, velit agere. Adhuc ignis, id est iniquitas in domo impii est, et thesauri impietatis sunt in domo regia. Deinde exsequitur per singula,

quibus malis illa vastaretur. Mensura minor, id est, A injustitia, iræ plena, id est iram Dei provocans. Statera iniqua et diversa pondera, ut in alio pondere vendant mercimonia, in alio emant, quodque est gravius, hoc non pauperes necessitate, sed divites agunt, plus pleni iniquitate quam rebus. Unde sequitur :

« Nunquid justificabo stateram impiam et sacelli pondera dolosa? in quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium. » A divitiis subjungitur mendacium, quia manus assueta congregare divitias, fraudulentam possidet linguam. Cum hæc et alia facerent principes vestri, nolui vos statim delere, sed exspectavi adhuc, et paulatim cœpi percutere plagis, quasi monens ut vos corrigeretis. Misi in vos famem, sitim, morbos, vastitatem hostilem segetum, et vinearum sterilitatem. B Vos autem semper servitis idololatriæ, et custodistis cæremonias quas constituit Amri rex impiissimus, et omne opus domus Achab et Jezabel, et idcirco compulsus ut darem vos in sibilum, et portaretis opprobrium populi mei, dum hostes insultarent, quod Dei populus captus et superatus esset ab hostibus : nomen enim meum per vos blasphematur.

« Et lingua eorum fraudulenta in ore ipsorum. Et ego ergo cœpi te percutere perditione super peccatis tuis. Tu comedes, et non saturaberis, et humiliatio tua in medio tui, et apprehendes, et non salvabis, et quos salvaveris in gladio dabo. Tu seminabis, et non metes ; tu calcabis olivam, et non ungeris oleo, et mustum et non bibes vinum. Et custodisti præcepta Amri, et omne opus domus Achab, et ambulasti in C voluptatibus eorum, ut darem te in perditionem, et omnes habitantes in ea in sibilum, et opprobrium populi mei portabitis. »

CAPUT VII.

« Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea. » Nunc prædicit captivitatem et Judæ et Israel, id est decem tribuum et duarum, et plangit quod nullus sit justus in populo isto, qui possit resistere iræ Dei. Frustra (inquit) locutus sum, prædicens mala imminentia, frustra volui ex perdita civitate aliquos convertere, et quasi remanentes racemos jam vindemiatæ D vineæ colligere. Et cum racemos non invenirem, volui saltem immaturas ficus, id est grossos ficorum, comedere, quia bonas maturas non inveniebam. Quod tale est, veluti si quis dicat, quia panes non inveni, volui quisquilias et furfures manducare præ famis magnitudine. Quam similitudinem ipse propheta exponit, dicens :

« Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est. Omnes in sanguine insidiantur : vir fratrem suum venatur ad mortem, malum manuum suarum dicunt bonum. » Non solum faciunt hæc mala, verum etiam defendunt, et ordine perverso quod bonum est dicunt malum, et quod est malum, dicunt bonum.

« Princeps postulat, et judex in reddendo est. » Quia non a sponte offerentibus accipiunt munera, sed cogunt dare subjectos. Judex ergo in reddendo est, quia sic alium judicat quomodo ipse ab alio judicatur, ut mutuo favore tueantur. « Et magnus locutus est desiderium animæ suæ. » Qui inter eos magnus est, et in lege doctissimus, non Dei, sed suam loquitur voluntatem. « Et conturbaverunt eam, » id est urbem vel terram, de qua dixit : Periit sanctus de terra.

« Qui optimus in eis est quasi paliurus, » pungens et vulnerans appropinquantem sibi. « Et qui rectus, quasi spina de sepe, » ut ibi sentiatur dolor, ubi putabatur auxilium. « Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit, nunc erit vastitas eorum. Nolite credere amico. » Diem speculationis, vastationem dicit Samariæ vel Hierusalem, quam prædicit futuram. Ipsam vastationem vocat visitationem. Nunc erit vastitas eorum, id est habitatorum ; ergo nullius prophetæ vocibus credatis, nec accommodetis aurem blanditiis decipientium. Si enim in amicis et consanguineis rara est fides, quanto magis in his qui adulantes mentiuntur ut aliquid acquirant? Nolite ergo credere amico, quia Achitophel mentitus est amico suo David, et Judas tradidit Christum. « Et nolite confidere in duce, » sicut Sichimitæ in Abimelech, quem ipsi fecerunt regem, et ab eo interfecti sunt.

« Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui, » ne patiaris quod Samson a Dalila. « Quia filius contumeliam facit patri, » sicut Absalom David, concubinas patris incestans. « Filia consurgit adversus matrem suam, » cujus rei quotidiana exempla sunt. « Nurus contra socrum suam, » ut uxor Esau contra Rebeccam. « Inimici hominis domestici » et familiares « ejus. » Cum hæc ita sint, nolite credere, o cives Samariæ vel Hierusalem, falsis prophetis.

« Ego autem » non habeo fiduciam in illorum falsis promissionibus, sed « ad Dominum aspiciam » et ejus misericordiam. « Exspectabo Deum salvatorem meum, » et certus sum quia « audiet me Dominus Deus meus. Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi, consurgam. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec judicet causam meam, et faciat judicium meum. Educet me in lucem, videbo justitiam ejus, et aspiciet me inimica mea, et operietur confusione, quæ dicit ad me : Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam, nunc erit in conculcatione ut lutum platearum. » Vox Hierusalem contra Babylonem et cæteras gentes, quæ exsultaverunt in ruina ejus : O Babylon inimica mea, ne læteris, ne gaudeas super me, quia cecidi merito meo. Postquam enim iram Domini portavero, consurgam, quia ille est lumen meum in tenebris tribulationum. Novi quod me sit ducturus de angustia Deus meus, et oculi mei videbunt justitiam ejus, id est ultionem quam facturus est non longo post tempore, sed nunc et in præsentia eorum erunt in conculcationem, et devastabuntur a Medis et Persis. Huc usque vox Hierusalem

sive prophetæ, ex persona populi : nunc sermo dirigitur ad ipsam Hierusalem :

O Hierusalem, venerunt « dies, » id est tempus « ut ædificentur maceriæ tuæ, » quæ fuerant destructæ a Chaldæis.

« In die illa, » id est in tempore, « longe fiet lex, » id est præceptum illorum, quo imperabant tibi ut servires eis, et nequaquam Babyloniorum imperio subjacebis, « In die illa, » hoc est, in tempore quo ædificabuntur maceriæ tuæ, « usque ad te veniet Assur, et usque ad civitates munitas, et a civitatibus munitis usque ad flumen, et ad mare de mari, et ad montem de monte, et erit terra in desolationem propter habitatores suos. Id est, Assyrii fugientes venient etiam de civitatibus munitis quas deseruerant, usque ad flumen, id est usque ad Jordanem et ad mare Mortuum, quod tibi vicinum est, de mari Rubro ad montem Sion, de monte, id est, de montanis Persarum et Medorum, ad quos prius Israel translatus fuerat. Et erit terra Chaldæorum desolata a suis habitatoribus, « et propter fructum cogitationum eorum, » id est mala opera, quæ fructus sunt malarum cogitationum. Possunt hæc moraliter referri ad animam fidelem, quæ est Hierusalem, et in qua est templum Dei, vel quæ est templum Dei, quæ cum pro peccatis suis vel a diabolo tentari permittitur, vel diversis tribulationibus atteritur, non debet desperare de misericordia, sed magis se contra inimicos, id est dæmones erigere, qui nostris insultant casibus, et dicere : « Consurgam, quia Dominus lux mea est; ipse me ducet de tenebris in lucem. » Omnis enim tribulatio in præsenti videtur non esse gaudii, sed postea fructum pacatissimum exercitatis reddet justitiæ. Cum ergo Dominus hoc fecerit, et nos e multis tribulationibus eruerit, videbunt inimici animæ mali spiritus Babylonis, id est confusionis satellites, et erubescent, et erunt in conculcationem et in contemptum, gaudentibus sanctis et exsultantibus in sua liberatione et illorum justa damnatione.

« Pasce populum tuum in virga tua gregem hæreditatis tuæ. » Vox Dei Patris loquentis ad Filium Dominum nostrum Jesum Christum, qui est pastor bonus, præcipiturque ei ut pascat populum in virga, et gregem hæreditatis suæ. Distincte loquens ostendit aliud esse populum, aliud gregem, quod et Psalmista facit, dicens : « Nos autem populus tuus et oves pascuæ tuæ. » Et populus appellantur ii qui ratione utuntur et norunt discernere veritatem a falsitate, oves vero simplices, qui necesse habent regi a doctoribus Cum ergo dicit : « Pasce populum et gregem hæreditatis tuæ, » ostendit et populum et oves indigere virga, ut regantur a Domino, sicut et Moysi cum mitteretur ad Pharaonem, dictum est : Virgam Dei tolles in manu tua.

Habitantes solos in saltu. « Propterea pascendi sunt et regendi in virga, quia habitant soli in saltu ubi intelligimus eos qui separant se ab Ecclesia, et habitant in saltu gentilium, et fruuntur amicitiis illorum. Sive illos qui ob tumorem sequestrant se a societate cæterorum hominum, ut sanctiores appareant Quod legimus plurimos fecisse gentilium, qui detestantes communionem humani generis, habitabant in saltu vitiorum, et conculcabantur a bestiis, id est dæmonibus. Cæterum sancti eremitæ soli erant, sed non habitabant in saltu, sed in amœnitate virtutum. Ergo hi qui soli sunt et in saltu vitiorum habitant, pascendi sunt et regendi in virga. Non enim tales bonus pastor deserit, sed revocat et emendat. Unde sequitur :

« In medio Carmeli pascentur Basan et Galaad juxta dies antiquos, secundum diem egressionis tuæ de terra Ægypti, ostendam ei mirabilia. Videbunt gentes, et confundentur super omni fortitudine sua. » Carmelus mons est fertilissimus, et Carmelus dicitur Græce et Latine, Chermel Hebraice. Interpretatur Carmelus cognitio circumcisionis, Basan confusio, Galaad migratio testimonii. Ita populi gentilium, qui antea sine pastore erant, et vagabantur in saltu erroris, transferentur ad Carmelum, id est ad cognitionem veræ circumcisionis, et servient Domino in spiritu ; et intelligentes errorem suum confundentur confusione utili, quæ adducit gloriam, quod sonat Basan. Cumque ita confusi fuerint pro peccatis suis, tunc pascentur in Gaalad, quod interpretatur transmigratio testimonii, id est revertentur ad Ecclesiam ad quam legis veteris testimonia transmigraverunt. Hoc autem fiet secundum dies antiquos, de quibus et Moyses dicit : « Memento dierum antiquorum, » etc. Illi autem recordabuntur dierum antiquorum, qui non aspiciunt præsentia, sed quæ sursum sunt, ubi Christus est sedens in dextera Dei. Ostendet quoque eis mirabilia, « quæ oculus non vidit, et auris non audivit. » Tunc videbunt omnes gentes, quæ quondam afflixerant populum Dei et confundentur super omni fortitudine sua, qua prævaluerunt adversus sanctos Dei. Sed hanc confusionem habebunt boni, quia intelligent peccata sua. « Ponent manus super os, » nec ullam loquendi habebunt libertatem. Manus autem dicuntur super os ponere, quia manus pro opere ponitur, et pro suis malis operibus confusi tacebunt. E contra justi manu os aperiunt, quia ex bonis operibus accipiunt facultatem loquendi cum Domino. « Aures » quoque « eorum surdæ erunt, » quia noluerunt audire vocem Christi, sed surdæ aspides obturaverunt aures, ne audirent vocem incantantis, id est sapienter prædicantis Christi, de quibus adhuc dicitur :

« Lingent pulverem sicut serpentes, velut reptilia terræ perturbabuntur de ædibus suis. » Serpentes super ventrem gradiuntur, et terram gradientes trahunt, ipsamque terram comedunt. Tales sunt reprobi, terrena opera facientes, et terram comedunt, quia terrenis pascuntur illecebris. Super ventrem gradiuntur, quia ventri et gulæ serviunt, eorumque venter Deus est. Et trahunt se ad diem ultionis justi judicii Dei. Et tunc turbabuntur de ædibus, vel in conclusionibus, cum se conclusos et coarctatos vide-

rint et formidabunt non Dominum Deum suum, sed nostrum, quia necdum eum merentur habere Deum. « Dominum Deum nostrum desiderabunt, et timebunt te. » Cum de tertia persona loqueretur, subito per apostropham convertit se ad Christum, et dicit: « Timebunt te, » idcirco obmutescent, et cætera patientur quæ dicta sunt, ut timeant te, o Christe, quia initium sapientiæ timor Domini.

« Quis, Deus, similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? » Intelligens propheta adhoc Dominum irasci gentibus, ut eas turbaret et confunderet, et ut turbatis et confusis parceret, et peccata auferret, donaretque salutem, admiratur et laudat bonitatem Dei, dicens: « Quis, Deus, similis tui? » subaudis nullus. « Qui aufers iniquitatem et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? » Sicut quondam in Ægypto exterminator angelus videns sanguinem in foribus Israelitarum, pertransivit, et non eis nocuit.

« Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur et miserebitur nostri. Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. » id est non in perpetuum irascetur, sed aliquando miserebitur Judaico populo, sicut gentibus misertus est. Deus enim volens misericordiam, quia misericors est, et ideo revertetur miserendo eis quos abjecerat. Et projicit in profundum maris peccata nostra, ut jam non appareant.

« Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis. » Illam, inquit, veritatem, quam promisisti Jacob servo tuo, et misericordiam quam pollicitus es dilecto tuo Abraham, dabis credentibus in te ex utroque populo. Nam per Jacob, qui supplantator dicitur, antiquus Judæorum populus intelligitur, qui in Christum credens supplantavit infidelitatem. Illis ergo dabit veritatem præmiorum, quæ eis pollicitus est: per Abraham, qui pater multarum, subaudis gentium, interpretatur, multitudo gentium designatur, quæ credendo in Christum factæ sunt filii Abraham, quibus dabit misericordiam gratissime, et suo merito eas justificando a peccatis. Quæ omnia jurasti, hoc est immutabiliter promisisti patribus veræ fidei, quod videlicet ex tota hominum multitudine alios veritate, alios misericordia salvares. « Universæ enim viæ Domini, misericordia et veritas. »

IN NAHUM PROPHETAM.

Nahum propheta, sicut et Jonas, interitum Ninivæ civitatis magnæ vaticinatus est, et secundum suum vocabulum, quia Nahum consolator interpretatur, consolatur captivitatem decem tribuum, quas jam transtulerant Assyrii in Niniven, regnante in Judæa Ezechia rege. Non enim erat parva consolatio tam his qui jam Assyriis serviebant, quam illis qui in Judæa sub Ezechia obsidebantur, ut audirent Assyrios inimicos suos a Chaldæis capiendos.

CAPUT PRIMUM.

« Onus Ninivæ. Liber visionis Nahum Helchesæi. » Onus apud prophetas grave pondus miseriarum, ubicunque ponitur, designat quod eum contra quem dicitur premat, nec sinat elevare cervicem. Quod autem dicitur, Nahum Helchesæi, viculus est in Galilæa, jam funditus dirutus, et vix ædificiorum demonstrans vestigia. Quod enim quidam dicunt, eum Helchesæum habuisse patrem, falsum est. Liber visionis de eo dicitur, quia non in extasi loquebatur, ut hæretici dixerunt, tanquam nesciens quid diceret more energumenorum, sed videbat, id est intelligebat cuncta quæ loquebatur. Moraliter loquitur propheta in consolatione sanctorum de interitu et fine mundi, quem designat Ninive, quæ interpretatur pulchra vel speciosa. Et nihil videmus pulchrius mundo, quatenu somnia caduca et mundana contemnant, et ad diem judicii se parent.

« Deus æmulator, et ulciscens Dominus. » Laudat propheta Dominum, quod ultor sit populi sui de Assyriis; sive, altiori sensu, quod audiat gemitum sanctorum, quodque in fine sæculi digna adversariis inferat supplicia. Æmulator vocatur zelans. Zelus autem aliquando in bonam partem ponitur, dicente Paulo: Æmulamini charismata meliora; et ipse Dominus in psalmo: « Zelus domus tuæ comedit me. » Zelatur enim Deus in salutem quos dignos habet, ut quos non servat clementia, corrigat castigatio. Hinc ad Hierusalem, quæ obstinata intentione in peccatis permanebat, iratus Dominus loquitur per Ezechielem: « Zelus meus recessit a te, non irascar tibi ultra. » Sequitur: « Ulciscens Dominus et habens furorem, ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis. » Dominus nullum motum animi, nullum potest recipere furorem, qui in summa tranquillitate mitis est et serenus. Sed metaphorice dicitur habere furorem, cum mala ulciscitur, quia sic sustinentibus videtur. Irascitur ergo Dominus, ut tollat a nobis quod sibi contrarium est, et sublatis his quæ sibi displicent, in antiquum statum correcti homines redeant. Nam scriptum est: « Flagellat omnem filium quem recipit. »

« Dominus patiens et magnus fortitudine. » Quem supra zelantem et habere furorem dixerat, nunc patientem vocat: diu enim Assyriorum sustinuit peccata, et sua longanimitate provocavit eos ad pœnitentiam. Sed quia contempserunt bonitatem Dei, nequaquam quasi innocentes inultos habere patitur. Hoc et de nobis dicere juxta moralem intellectum possumus, quos benignitas Dei ad pœnitentiam exspectat.

Non ergo contemnamus divitias bonitatis ejus et longanimitatis ejus, ne (quod absit) thesaurizemus nobis iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. « Et mundans non faciet innocentem. » Sic enim a peccatis clementer emundat, ut juste quod male gesserunt puniat. Nam sicut nihil boni deserit quod non remuneret, ita nihil peccati relinquit quod non damnet. Mundans ergo facit innocentem, quia per flagella mundat, ne se arbitretur innocentem ille quem mundat. « Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. » Miraculorum, quibus corda hominum veluti turbinis terrore quatiebantur, Septuaginta signatius, « commotionem » pro « turbine » posuerunt, ut ostenderent commotas fuisse mentes hominum ad insolita et inaudita miracula. In pedibus Domini, adventus ejus ad judicium: nebulæ et pulvis, occulta et inscrutabilia sunt Dei judicia, quibus orbem judicaturus est. Nebulæ ergo pulvis sunt pedum Domini, quia quæ nunc occulta et densissima involuta sunt, tunc fatiscent et resolventur in pulverem, ut pateant omnibus.

« Increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens. » Juxta litteram describitur potentia Dei, et ostenditur quia non pro magno sit illi Assyrios delere, qui potest et elementa mutare. Potest et ad mundi finem referri, quia cum venerit Dominus ad judicium, siccabit mare et flumina, juxta illud : « Et mare jam non erit. » Altiori sensu, increpat Dominus mare, et exsiccat illud, vel omnem amaritudinem et salsuginem infidelitatis sua commutatione destruxit. Exsiccat flumina, id est falsi nominis scientiam, extollentem se contra veritatem, ad nihilum redigit « Infirmatus est Basan et Carmelus, et flos Libani elanguit. » Metaphorice, per infirmitatem Basan et Carmeli, quæ sunt regiones uberrimæ, et per Libanum montem, cedros, altissimas arbores, ferentem, demonstratur quod gens Assyriorum, quondam potentissima, et plurimis nationibus imperans, Deo irascente, populanda sit. Ad diem quoque novissimum ista possunt referri, quando potentes et nobiles et divitiis abundantes infirmabuntur et peribunt. Interpretatur autem Basan *confusio* sive *ignominia*, Carmelus *cognitio circumcisionis*. Innuit ergo quod omnia quæ confusione et ignominia digna sunt, in die judicii infirmentur. Illi etiam qui videntur habere notitiam veræ circumcisionis, et præsumunt de scientia Dei legis, jactant quoque se dealbatos sanctitate et florentes virtutibus, quos designat Libanus, qui interpretatur *dealbatio*, trepidabunt et languescent, veniente Domino ad judicium

« Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt Et contremuit terra a facie ejus, et orbis, et omnes habitantes in eo. » Potest simpliciter accipi quod in consummatione mundi et montes et colles, veniente Domino, commoveantur. Si enim in passione ejus sol obscuratus est et terra tremuit, multo magis cum in sua majestate venerit, turbabuntur et commovebuntur omnia. Figurate vero, denuntiat quod omnis potentatus aut sublimitates montium, id est

A hominum, aut hic per pœnitentiam, aut in judicio per districtam severitatem prosternatur.

« Ante faciem indignationis ejus quis stabit? et quis resistet iræ furoris ejus ? » Subaudis aut rarus, aut nullus. Nulla enim erit anima, quæ non paveat in judicio Dei, cum astra quoque non sint munda in conspectu ejus : « Indignatio ejus effusa est ut ignis, et petræ dissolutæ sunt ab eo. » Ad hoc effusa est indignatio ejus, ut petræ (hoc est, dura corda hominum) contererentur, et solverentur ad pœnitentiam, et inciperent habere cor contritum et humilitatum, et efficerentur Dei sacrificium, quia sacrificium Deo est spiritus contribulatus.

« Bonus Dominus et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. » Hoc ultimus ἀπὸ κοινοῦ, B id est communi, etiam ad superiora jungitur. Bonus est Dominus sperantibus, confortans sperantes in se, et sciens sperantes in se. Cum enim cœperit irasci gentibus, et potentissima regna vastare, sciet eos qui sui sunt, hoc est miserebitur illis. Scire enim Dei, eligere vel misereri est. Diem vero tribulationis, diem dicit judicii.

« Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus, et inimicos ejus persequentur tenebræ. » Deus natura bonus et ipsa est bonitas, nec in finem, irascetur ; sed etsi hominum malitia creverit, et omnis caro corruperit viam suam, inducet diluvium, id est flagellum, non quod permaneat, sed quod pertranseat. Et ipse faciet consummationem et C finem loci ejus, id est diluvii, ut pertranseat ira Domini, et sola appareat clementia. Potest hoc specialiter referri ad Israel, quem cum hostes vastaverint, et totam terram quasi diluvio inundaverint, finem facturus sit captivitatis, et eum ad sedes proprias reducturus, Assyrios vero inimicos sit afflicturus tenebris. Hoc ipsum et de sanctis, et de eorum persecutoribus sciendum est, quod videlicet Deus postquam sanctos in præsenti afflixerit, misereatur illorum in futuro, persecutores vero apprehendant tenebræ, quas elegerunt, ubi perpetuus « erit fletus et stridor dentium. »

« Quid cogitatis contra Dominum ? Consummationem ipse faciet. Non consurget duplex tribulatio. » Hebræi juxta litteram hunc locum exponunt : O Judæi, D quid cogitatis malum, quasi sic capiendæ sint duæ tribus, sicut captæ sunt decem. Non consurget duplex tribulatio, ut sic capiantur isti quomodo illi : quia Assyrii, qui modo quasi spinæ se complectuntur, percutientur ab angelo Domini. Hoc factum est quando una nocte percussit ex eis angelus centum octoginta quinque millia Quod autem sequitur : « Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam, » de Rapsace volunt intelligi, quem misit rex Assyriorum ad blasphemandum Deum viventem. Sane hoc quod in Hebraica veritate habetur: « Non consurget duplex tribulatio, » Septuaginta apertius quasi exponentes dixerunt : « Non judicabit Dominus bis in idipsum. » et sic usitatum versatur per ora omnium. Ait ergo propheta: « Quid cogitatis contra Dominum? » Marcion hæreticus

duos deos adinvenit, unum Veteris Testamenti malum, crudelem, et qui pœnis hominum delectetur : alium bonum Novi Testamenti, quem dicant consummationem mundi facturum. Contra hos dicit propheta : « Quid cogitatis contra Dominum ? » Ipse qui creavit mundum, ejus quoque faciet consummationem. Verumtamen scitote quia non consurget duplex tribulatio, nec bis judicabuntur, quia in illis quos præsens tribulatio affligit, futuram damnationem consurgere non sinit. Et peccatoribus idcirco Deus ad præsens infert supplicia, ne in æternum pereant.

« Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium. Consumentur quasi stipula ariditate plena. » De hæreticis specialiter loquitur, quorum convivium, id est societas et necessitudines amicitiæ sic sunt, quasi spinæ se invicem complectentes. Vel convivium eorum altare dicit et mensam Domini, quam ille se habere jactant, sed eorum sacramenta animam lacerant, sicut spinæ corpora. Cum enim contra Dominum loquuntur, et vino erroris se inebriant, utique pariter potant, et idcirco consumuntur æterno igni gehennæ, quasi stipula ariditate plena.

« Et ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem. » Apertissime omnes hæretici contra Dominum malitiam cogitant, cum Arius dicit Filium Dei creaturam esse, non genitum ex substantia Patris, sed factum. Sabellius dicit unam in Trinitate personam ; Manichæus Christum non verum, sed phantasticum corpus habuisse delirat.

« Hæc dicit Dominus : Si perfecti fuerint, et ita plures, sic quoque attondentur, et pertransibit. » De Assyriis juxta litteram dicit : Quod si perfecti et robusti fuerint, augeantur numero sanctarum gentium, sic quoque vastante angelo Domini attondeantur, id est minuantur, veluti capilli forcipe facillime præciduntur. Et pertransibit, subaudis Assur, hoc est, esse desinet, vel vastato suo exercitu revertetur in terram suam. « Afflixi te, et non affligam te ultra. » Subauditur hoc tempore per hos hostes, a quibus nunc obsideris. Nam sæpissime per alios postmodum afflicti sunt. Unde adhuc additur :

« Et tunc conteram virgam ejus de dorso tuo, et vincula tua disrumpam. » id est omnem potestatem quam habet, et in qua gloriatur, sive vincula quæ præparabat, ut captos ligaret. Altiore sensu, si perfecti fuerint impii in malitia, et plures in numero, attondentur per mortem, et pertransibunt atque deficient, ita ut non sint. Quod vero sequitur : Afflixi te, ad Ecclesiam dicitur, promittitque ei quod post afflictionem præsentis vitæ sequatur consolatio sempiternæ felicitatis. « Et præcipiet super te Dominus, et non seminabitur ex nomine tuo amplius. » O Assur, ne putes fortuitu evenire quod passurus es, præcipiet Dominus contra te, quia ipso jubente sustinebis mala quæ prædicta sunt. « Non seminabitur ex nomine tuo, » id est nullus nascetur ex te, qui ex tuo vocetur nomine, et hæres ejus appelletur. Ut enim

A liber Isaiæ declarat, statim ut Sennacherib reversus est Niniven, fugiens plagam quam angelus Domini circa eum fecerat, interfectus est a filiis suis, cum adoraret in templo Nesroth deum suum. Et hoc est quod sequitur : « de domo Dei tui interficiam, » ut ibi puniaris unde sperabas auxilium. « Sculptile et conflatile ponam sepulcrum tuum, quia inhonoratus es, » ut inter aras et idola ac pulvinaria, nefarius sanguis tuus effundatur. Referamus hæc moraliter ad hæreticos, quibus prædicitur, quod cum ea passi fuerint quæ dicta sunt, nequaquam animæ deceptorum ex eorum erroribus accipient nomina amplius, nec spargant ultra semina falsitatis. Et de domo Dei tui, id est ecclesiis malignantium interficiam sculptile et conflatile, id est omnem pravi dogmatis idolola-
B triam. Si enim avaro pecunia deus est, et guloso deus venter est, ergo et hæreticis ipse suus error, quem confinxerunt de cordibus suis, idolum et sculptile potest dici.

« Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem : Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua, quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te, Belial universus interiit. »

CAPUT II.

« Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem. » Legimus in libro Paralipomenon quod, obsidente Sennacherib Hierusalem, non potuerunt Hierosolymitæ primo mense (id est Aprili) Pascha facere. Cæso autem exercitu ejus per angelum, et morte Sennacherib nuntiata, secundo mense, id est
C Maio, fecerunt phase in lætitia. Ait ergo propheta : O Juda, ne sis sollicitus, et ne timeas, quia interfectus est hostis tuus. Ecce venit tibi nuntius, montes et colles velocissimæ transcurrunt, et annuntiant tibi pacem et liberationem urbis de imperio Sennacherib. Ergo celebra festivitates, redde vota gaudens, quia salvavit te Dominus, et Belial totus interiit, id est omnis exercitus cum rege suo. Interpretatur autem Belial, absque jugo. Mystice præcipitur Ecclesiæ, quam diabolus gravissimo jugo idololatriæ premebat, ut liberata per Domini passionem, celebret festivitates, et reddat Domino vota laudationum cum angelis interempto Belial ; « quæ enim communicatio Christi ad Belial ? » Hoc ipsum dicendum
D est, si quando Ecclesiam a persecutoribus et adversariis liberat, ut celebret spiritualis lætitiæ festa, et votum gratiarum reddat Domino. « Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde, quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sic superbiam Israel, quia vastatores dissipaverunt eos, et propagines eorum corruperunt. » Ad Niniven rursum prophetæ sermo dirigitur, et dicitur ei : Absque dubio veniet Nabuchodonosor, qui te destruat, o Ninive, et agros tuos devastet. Quia igitur inevitabile tibi imminet bellum, prædico tibi, contemplare diligenter viam et iter per quod venturus est tortor, et accinge lumbos, robora et exhortare virtutem exercitus tui, quia sicut ultus est Dominus

Judam, id est duas tribus de superbia Sennacherib, A sic ulciscetur Israel, id est decem tribus, quæ in Ninive captivæ tenentur. Hoc est enim quod dicit: Sicut reddidit Dominus superbiam Jacob, id est superbiam quam exercuerant Assyrii contra Jacob, id est Judam, sic reddet superbiam Israel, id est quam fecerunt ipsi Assyrii contra Israel, id est decem tribus. Mystico sensu, præcipitur nobis ut contemplemur viam per quam ambulaturi sumus, hoc est ut oculum mentis dirigamus in viam fidelem, per quam veniamus ad eum qui dicit: « Ego sum via. » Deinde videbimur [*f.* jubemur] tenere lumbos, ut mortificemus in nobis omnes illicitos appetitus carnis. Tertio præcipitur ut roboremus virtutem, quo possimus pugnare adversus diabolum.

« Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus ejus in coccineis, igneæ habenæ currus in die præparationis ejus, et agitatores consopiti sunt, in itineribus conturbati sunt. » Secundum historiam conscribitur exercitus Chaldæorum, veniens contra Niniven, et narratur pompa præparantium se in bellum. « Clypeus (inquit) fortium ignitus, » id est vibrans et quasi fulgurans. « Viri in coccineis, » id est vestibus coloris coccinei, ut ipsa vestium similitudo terrorem ignis et sanguinis speciem præsentaret. « Igneæ habenæ, » ob nimiam festinationem præparantium se in prælium. « Agitatores consopiti sunt. » Non est (inquit) mirum, si tam velociter veniunt, cum agitatores, id est rectores vel Israel vel Assyriorum consopiti sunt. Mistim enim sermo contexitur: et nunc dicitur quod Israel passus sit, nunc quid Assyrii fecerint, nunc quid Babylonii contra Assyrios velint agere. « Quadrigæ ejus collisæ sunt in plateis. » Tanta (inquit) est multitudo commisti agminis, ut quadrigæ in plateis, dum viam nequeunt præ multitudine reperire, inter se collidantur. « Aspectus eorum, » id est Babyloniorum, « quasi lampades, quasi fulgura discurrentia » ut ante solo visu adversarios terreant quam mucrone feriant.

« Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis. Velociter ascendent muros ejus, et præparabitur umbraculum. » Tunc (inquit) recordabitur populus Assyriorum fortium suorum, et quæret eos qui jam in itineribus corruerunt. Velociter ascendent murum Ninivæ ad defendendum, et propter longam obsidionem præparabunt sibi umbraculum ad æstus pellendos.

« Portæ fluviorum apertæ sunt, et templum ad solum dirutum, et miles captivus abductus est, et ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis. » Quid (inquit propheta) fuit, quia hæc fecerunt, cum nullus possit Dei resistere dispositioni? Nam capta Ninive, apertæ sunt portæ fluviorum, id est multorum populorum, quia illa civitas instar fluminum habebat civium multitudinem. Templum, regnum dicit, quod destruendum est. Miles captivus, omnes generaliter qui in Babylonem abducti sunt, ancillas, minores urbes vel castella et viculos, sive mulieres, quæ captivæ ducebantur. Quod vero dicit: « Gementes ut columbæ, » ostendit quod tantus erat terror, ut ne quidem in singultus vel gemitus prorumperet dolor, sed inter se tacite plangerent, imitantes gemitum columbarum. Possunt hæc omnia ad finem mundi referri, quando interibit omnis armatura diaboli. Tunc allidentur currus in plateis, hoc est in latis sæculi itineribus coarctati augustia temporis et instantis judicii. Aperientur portæ quæ clausæ erant, id est revelabuntur omnia quæ latuerant. Tunc miles, id est diabolus princeps mundi hujus, cum ancillis, id est cum animabus sibi per peccatum subditis, ad infernum captivus impelletur. Possunt quoque per ancillas in bonam partem accipi simpli- B ces animæ et fideles, quæ ducentur gaudentes, et columbino murmure confessionis Deum laudantes.

« Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus, ipsi vero fugerunt. State, state, et non est qui revertatur. » Ostendit quod captis minoribus civitatibus, quas supra filias vocaverat, ipsa Ninive metropolis quæ tantos habebat populos, ut aquis piscinæ possint comparari, remansit expugnanda, et sine utilitate tantam habuerit multitudinem, dum nullus esset qui hostibus resisteret. Et clamante ipsa civitate, « State, state, » portas claudite, murum conscendite, nullus esset qui audiret, sed omnes terga verterent, et urbem ad prædandam dimitterent. Dicitur ergo ad Babylonios, quia illi fugerunt, vos « Diripite argentum, diripite aurum, et non est C finis divitiarum » et opum « ex omnibus vasis desiderabilibus, » quæ tanto tempore congregatæ sunt, nec tantum illi sufficiebant prædari, quantum præda se diripientibus offerebat. Mystice Ninive mundum diximus figurari, cujus aquæ non maris, non fluminum, non fontium, sed aquis piscinæ similes esse dicuntur, quæ non habent aquas jugiter manantes, sed pluviales, et brevi fine conclusas, quia hæreticorum dogmata quasi de cœlo lapsa, et extra fontem Ecclesiæ sunt, quamvis magna et cœlestia videantur promittere. Ipsi fugerunt recedentes a Domino, nec per pœnitentiam redire volentes, licet eos hortetur Dominus ad pœnitentiam, et dicat: « Revertimini, filii, revertentes, et sanabo contritiones vestras. » Horum divitiæ, hoc est scientiæ gloriatio D diripietur et ad nihilum redigetur.

« Dissipata et scissa et dilacerata est, et cor tabescens, et dissolutio geniculorum, et defectio in cunctis renibus, et facies omnium sicut nigredo ollæ. » Sub figura mulieris dissipatæ et dilaceratæ, describitur qualis fuerit Ninive tempore captivitatis, tabescens corde, dissolutis genibus, et præ terroris magnitudine facies eorum pallore deformes, ollæ combustæ similitudinem videbantur habere. Quæ omnia juxta litteram licet in Ninive sint completa, quando a Nabuchodonosor capta est, tamen in futuro judicio super impios ventura creduntur.

« Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum? » Habitaculum leonum, Niniven di-

cit, quondam aulam regiam, et in qua leones, id est potentissimi et crudelissimi morati fuerant. « Ad quam ivit leo, ut ingrederetur illuc catulus leonis. » Rex Babylonis Nabuchodonosor le·, et catulus leonis subregulus ejus. « Et non est qui exterreat, » qui ei resistat.

« Leo cepit sufficienter catulis suis, » id est Nabuchodonosor victor jure cuncta possedit. « Et necavit leænis suis, » id est urbibus suis, vel certe uxoribus captivas in servitutem tradidit. « Et implevit præda speluncas suas, et cubile suum rapina, » id est civitates et castella sua sive scrinia, auro, argento, omnique pretiosa supellectile complevit. Juxta tropologiam, cum Ninive vastata fuerit, hoc est cum mundus qui in maligno positus est, pertransierit, dicent sancti exsultantes : Ubi est habitaculum leonum, id est dæmonum, et ubi pascua catulorum malignorum spirituum, qui rugientes ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi ? Ad quam Niniven ivit leo, id est diabolus, et catulus leonis Antichristus, de quo Apostolus : « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, » etc. Hunc leonem ante adventum Christi non fuit qui exterreret, donec supervenit fortior illo, et alligavit fortem, et speluncas ejus, (id est abdita inferorum) scrutatus est, et rapinas ejus (id est homines quos tenebat) ab ejus potestate eripuit.

« Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et succendam usque ad fumum quadrigas tuas et leunculos tuos comedet gladius, et exterminabo de terra prædam tuam, et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum. » O Ninive, hæc omnia quæ prædicta sunt, non alio, sed me agente, patieris. « Ecce ego ad te, » qui actor sum horum omnium, succendam usque ad fumum, id est usque ad consummationem : nam deficiente igne et ligno consumpto, fumus remanet. Et catulos tuos, id est nobiles et subregulos tuos, devorabit gladius. Exterminabo de terra prædam tuam, ut non ultra eam devastes, nec tributa exigas. Hæc omnia quæ ad Niniven dicuntur, in judicio super diabolum et ejus complices ventura sunt.

CAPUT III.

« Væ, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena, non recedet a te rapina. » Describitur potentia Ninive civitatis, et sub quadam lamentatione crudelitas ejus arguitur. Væ (inquit) civitas sanguinum et homicidiorum, in qua nulla est veritas, sed omne mendacium, plena rapina laceratione prædarum, a qua nunquam rapina recessit.

« Vox flagelli, et vox impetus rotæ, et equi frementis, et quadrigæ ferventis, et equitis ascendentis, et micantis gladii, et fulgurantis hastæ, et multitudinis interfectæ, et gravis ruinæ. » Vocem pro sonitu posuit. Pulcherrima descriptio exercitus ad prælium se præparantis. « Nec est finis cadaverum » eorum, quia in civitate prostrati erunt. « Et corruent in corporibus suis. » Vel in sua multitudine, dum inter se nimium constipantur, vel in cadaveribus interfectorum. « Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ et gratæ et habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis » Meretricem Niniven, vel propter idololatriam, vel quia omnium gentium erat emporium, et negotiationes vel merces earum suscipiebant : et idcirco cum omnibus gentibus fornicabantur, et omnium gentium idolis serviebant. Et idcirco vocatur meretrix speciosa et grata et habens maleficia. Studebant magicis artibus, et multas gentes sub sua ditione tenebant. Altiori sensu, Ninive mundum designat, in quo plurimus justorum funditur sanguis in quo hæretici gladio linguæ suæ homines interficiunt. Audiuntur in eo voces flagellorum, quia multæ tribulationes justorum. Ergo cadent in corporibus suis, cum per nimiam libidinem suam debilitant corpora, vel etiam in suis cadunt corporibus, quia, ut ait Apostolus : « Qui fornicantur, in corpus suum peccant. » Ibi cadunt, ibi damnationem æternæ mortis acquirunt.

« Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum, et revelabo pudenda tua in facie tua, et ostendam gentibus nuditatem tuam, et regibus ignominiam tuam, et projiciam super te abominationes, et contumeliis te afficiam, et ponam te in exemplum. » Adhuc Ninive comminatur Deus, quod ostendat gentibus ignominiam ejus, ut illi qui cum ea fornicati sunt, ipsi eam despiciant et contumeliis afficiant, sitque omnibus in exemplum. Est autem metaphora mulieris adulteræ, quæ cum fuerit deprehensa, producitur in medium, et ante omnium oculos damnatur, et fit exemplum cæteris mulieribus. Hæc autem et ad mundum tropologice referri possunt, cujus pudenda in faciem Dominus revelabit, cum eum faciet videre errores suos. Ostendet etiam nuditatem ejus gentibus, ut intelligant quod condemnandus sit mundus iste, qui dum putatur teneri, fugit : et nulli amatorum fidem servat, sed cum miseros homines deceperit, tradit eos æternæ perditioni.

« Et erit omnis qui viderit te, resiliet a te, et dicet : Vastata est Ninive, » Quicunque (inquit) viderit vastatam Niniven, et in exemplum omnibus positam, resiliet ab ea, timens involvi in simili pœna, et miserans eam dicet : « Quis commovebit super te caput ? unde quæram consolatorem tibi ? » Quis tuus erit consolator, quæ dum in tua fuisti prosperitate, nulli miserebaris, nec parabas tibi socium in luctu, tanquam semper felix, semper posses esse domina ? Sed et nos cum consideramus naturam mundi labilem, et omnem ejus gloriam velocissimo cursu transire, tunc resilimus ab eo, hoc est subtrahimus nos ab amore ejus, odio habemus concupiscentias ejus, quæ mergunt in interitum, et ea quæ sunt æterna incipimus desiderare.

« Nunquid melior es ab Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus ? Aquæ in circuitu ejus, cujus divitiæ mare. Aquæ muri ejus. » Ammon in·

terpretatur *populus Alexandriæ*, describiturque situs ipsius Alexandriæ. Hebraice enim Noma Alexandria dicitur. Loquitur ergo propheta ad Niniven : Nunquid melior es aut potentior es populis Alexandriæ, quæ super Nilum et mare posita, hinc inde fluminibus ambitur? « Aquæ in circuitu ejus. » Ex una enim parte Nilo, ex alia lacu Mareotico, ex tertia mari cingitur.

« Æthiopia fortitudo ejus, et Ægyptus, et non est finis. Africa et Libyes fuerunt in auxilio tuo, sed et ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem. » Quid Æthiopia et Ægyptus ut cæteræ, quæ describit, nationes in præsidio fuerint Alexandriæ, ipse situs provinciarum ostendit. Sed et ipsa (inquit) in transmigrationem ducetur. « Parvuli ejus elisi sunt in capite omnium viarum, et super inclytos ejus miserunt sortem, et omnes optimates ejus confixi sunt in compedibus. Et tu ergo inebriaberis, et eris despecta, et tu quæres auxilium ab inimico. » Hæc describit propheta, ostendens quæ et quam crudelia victores victis faciant mala : nulli ætati, nulli sexui, nulli parcant conditioni. Cum ergo hæc passura sit Alexandria potentissima civitas, quid miraris, o Ninive, si etiam tibi hæc ipsa evenerint? Et tu ergo bibes de eodem calice, et ad tantam venies ignominiam et necessitatem, ut etiam ab hostibus tuis postules auxilium.

« Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis, si concussæ fuerint, cadent in os comedentis. » Omnia (inquit) firmamenta muri tui, videlicet bellatores tui, sic erunt sicut ficus primitivæ, quas grossos vulgo dicunt, quæ concussa leviter ab arbore defluunt, et cadunt in os comedentis, pari modo et tu facillime capieris, nec multus in capiendo labor erit militibus. Hæc juxta litteram. Secundum allegoriam, quia Ammon populi interpretantur, talis potest esse sensus : Considerate populos Ecclesiæ, qui siti sunt super amnes propheticos, et habent in circuitu flumina doctorum. Cujus initium a mari est, id est a lege Veteris Testamenti amara, et quam nemo sine lege Christi potuit adimplere. Habet in defensione Æthiopiam : « Æthiopia præveniet manus ejus Deo (*Psal.* LXVII) : » quæ etiam per Ægyptum figuratur, quoniam in tenebris ante Christi scientiam versabatur. Habet et populos Libyæ arenosæ et sterilis, ac solis ardore perustæ, id est eosdem gentiles, qui primo sine humore spiritualis gratiæ et lavacro baptismatis squalebant. Cum hæc omnia habeat, nisi tamen custodierit omni diligentia suum cor, ipsa quoque captiva ducetur, et parvuli ejus rudes in fide elidentur, et præcipitabuntur in peccatum, et hostes, id est spirituales adversarii, præclaras ejus virtutes annihilabunt.

« Ecce populus tuus mulieres in medio tui. Inimicis tuis ad apertionem pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos. Aquam propter obsidionem hauri tibi, exstrue munitiones tuas, intra in lutum et calca, subigens tene laterem. Ibi comedet te ignis, peribis gladio, devorabit te ut bruchus:

A congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta. Plures fecisti negotiationes tuas, quam stellæ sunt cœli. Bruchus expansus est, et avolavit; custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ consident in sepibus in die frigoris. Sed ortus est, et avolaverunt, et non est cognitus locus earum ubi fuerint. » Adhuc ad Niniven sermo dirigitur. Non (inquit) mirum, si tam facilis est subversio tua, sicut excussio primitivarum ficorum, cum omnis populus tuus effeminatus sit, et nequeat resistere. Pandentur ergo portæ, non amicis, sed inimicis. Vectes quibus claudebantur, ignis absumet. Quia ergo longa erit obsidio, hauri tibi aquam, et cura ne potus desit obsessis. Muni turres tuas, intra in lutum, subaudis nudis pedibus, et calca, subaudis illud, subi-

B gens, hoc est macerans et compingens : et cum inde feceris lateres, tene illos, et obstrue interrupta murorum. Prope est enim obsidio. Sed cum hæc omnia feceris, gaude operibus, et tam velociter, veluti bruchus devorat herbam terræ. Sed et cum immensam bellatorum multitudinem congregaveris, ita ut brucho densissimo et locustis comparari possit, et cum in unum congesseris omnes thesauros et divitias, qui non possunt numerari, sicut nec astra cœli, sic in momento temporis amittes hæc omnia, sicut locusta et bruchus vel attelebos, sole incalescente avolant, nec reperiuntur. Tres enim sunt species locustarum, locusta major et volans, bruchus locusta sine alis, attelebos minimum genus et stridulum, inter locustam et bruchum, modicis pen-

C nis reptans potius quam volans. Natura est omnium locustarum ut frigore torpeant, volitent calore. Tropologice populus Ninive, sæculares homines sunt, ita carnis passionibus et illecebris evirati, ut mulieribus comparentur, et nihil virile possideant. Quapropter aperientur portæ eorum, id est sensus corporis inimicis, id est dæmonibus. Habent vero quasi fortissimos vectes rationem et intellectum, quibus poterant oppilare sensum suum. Sed hos vectes consumet ignis, quia superantur ignitis diaboli jaculis. Unde præcipitur talibus, ut aquam sermonis divini hauriant. Aquam enim profundam dicit Salomon ex ore viri, et ibi invenient aliquod salutis remedium. Jubetur quoque sumere lutum et subigere, et lateres conficere, ut meminerit se de

D luto confictum, mortalem sumpsisse conditionem. Sed ipsum lutum aqua sermonis Dei temperet, ut lateres conficiat quibus munitio construatur, ne iterum hostis per portas possit ingredi, hoc est exemplis Scripturarum instruatur, ut sciat diaboli resistere tentationibus. Deinde jubetur ut multiplicetur sicut bruchus, hoc est crescat et augeatur numero virtutum, ut sicut ante multiplicabat mundanas negotiationes, ita multitudinem peccatorum exæquet multitudine virtutum.

« Dormitaverunt pastores tui, rex Assur, sepelientur principes tui. Latitavit populus tuus in montibus, et non est qui congreget. » Cum (inquit) populus tuus effeminatus, et quasi fragilis ut mulieres

fuerint, non mirum si dormierint pastores tui, id est principes et subreguli tui. Et si edomiti sunt vel interfecti, qui primi in acie stare debuerant, dispersus est populus tuus ob timorem venientis Nabuchodonosor: interfectis enim principibus, reliqua multitudo imbellis dispersa est in montibus, et non est qui congreget fugientes, et ad resistendum cogat exercitum.

« Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua, » id est non parva, et quæ possit latere, quæ a nullo medicorum possit curari. « Omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te. » Manifestum est quia quicunque audierint subversam Niniven, et regem quondam potentissimum prostratum, stupebunt attoniti tantæ rei magnitudine, et compriment manus, ut solent facere stupentes, vel certe præ gaudio insultantes ruinæ tuæ, plaudent manibus. Cur autem hoc, ostendit subdens : « Quia super quem non transiit malitia tua semper? » Idcirco (inquit) nullus potest super te dolere, et vulneri tuo dare lacrymas, quia nullus est super quem malitia tua non transierit. Nec dicit, steterit, sed « transierit, » quia malitia Assyriorum et superbia eorum transitoria et caduca erat, nec semper poterat permanere. Tropologice hæc verba ad mundi principem referri possunt. Qui quondam gloriabatur : « In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, » cui etiam exprobrans propheta, dicit : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? » Dicitur ergo ei per apostropham : O Assur, dormierunt pastores tui in adventu Christi Domini, quia pascebant homines non in salutem, sed ut saginatos omni immunditia et iniquitate, avidius eos devorarent. Populus tuus, qui te quondam colebat, discessit a te, et confugit ad montes, ad apostolorum et doctorum præsidia. Et nunc omnes insultant tibi, qui a te decepti fuerant, quia aut nullus aut rarus est, quem non aliquando deceperis, et super quem non transierit malitia tua. Super quem enim stat malitia, non potest insultare ei. Cum vero transierit malitia, et successerit bonitas, tunc insultabunt diabolo, et bonis operibus quasi complosis manibus super eum concrepabunt.

IN HABACUC PROPHETAM

Habacuc propheta, qui apud Hebræos Chabacuk dicitur, prophetavit jam Juda, id est duabus tribubus a Nabuchodonosor in captivitatem ductis. Quod scire possumus ex libro Danielis, qui fuit unus ex captivitate Judæ, ad quem cum in lacu positus esset, hic propheta cum prandio de Judæa per angelum deportatus est. Interpretatur autem Chabacuk *amplexans*, sive *amplexatio*, quia amabilis Domini fuerit, vel quia luctatus est cum Domino, et quasi quodam certamine eum amplexus sit. Nullus enim prophetarum tam audacter ad disceptationem præsumpsit Dominum provocare et dicere : « Usquequo, Domine, clamabo. etc. »

CAPUT PRIMUM.

« Onus quod vidit Habacuc propheta. » Ubicunque in prophetis onus ponitur, pondus miseriarum et afflictio designatur. Attendendum autem quod sequitur : Quod vidit Habacuc propheta. Videbat, id est intelligebat quæ dicebat, non sicut Montanus hæreticus insanit, dicens ignorasse prophetas quæ loquebantur, et more insanientium dedisse eos, sine mente sonum.

« Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies ? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis ? » Loquitur propheta plenus dolore, et causatur contra Dominum, cur templum sibi consecratum et civitatem Hierusalem, quæ quondam specialiter civitas Dei appellabatur, a Chaldæis permiserit destrui, cur etiam populum ad se clamantem non exaudiat, et vociferantem propter vim hostium non salvet.

« Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre prædam et injustitiam contra me? » Cur (inquit) vixi, et ad hoc tempus perductus sum, ut iniquitatem videam et laborem, id est afflictionem, quam ab hostibus sustineo? Hoc dicebat propheta præ angustia mentis turbatus, et quasi dubitans nihil fieri sine Dei providentia, veluti ignorans sanctos tribulationibus probari et proficere, sicut aurum in igne proficit ad claritatem. Sed et hoc potest dici, quia non ex persona sua, sed ex imperfectorum talia propheta dicat, qui ignorantes occulta Dei judicia, cum viderint malos extolli, bonos premi, audent causari contra Dominum, qui scit quid, cui, vel quando conveniat. Tale quid et Psalmista deplorat, dicens : Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo, etc. Job quoque enumeratis felicitatibus, quibus reprobi stipantur in mundo, ita conclusit : Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. « Et factum est judicium et contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium, quia impius prævalet adversus justum, propterea egredietur judicium perversum. » Dolet propheta sive populus, ex cujus persona loquitur, quia non veritate, sed potentia adversum se judicatum sit, et nihil ex lege, sed per vim omnia sustinuerint, unde ipsum judicium nullum finem habuerit. Finis enim judicii est, judicare juste. Quare autem ista dixerit, ostendit subdens : Quia impius, id est Nabuchodonosor, prævalet adversus justum, id est Judam. Nechao impius rex Ægypti, adversus sanctum Josiam. Daniel et tres pueri martyres serviunt regi iniquissimo Nabuchodonosor. Potest hoc et ad sanctos referri, qui queruntur cum contra eos persecutores prævaleant, cur judex impiissimus, acceptis muneribus, innoxium damnet, et reum absolvat.

« Aspicite in gentibus, et videte, et admiramini, et obstupescite. quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum enarrabitur. » Vox Domini respondentis contra hoc, quod propheta causatus fuerat innocentem populum ab impiis superatum. Hanc (inquit) iniquitatem, quam vos putatis in solo Israel factam, cernite in aliis fieri gentibus. Non enim Judas tantum et Hierusalem Chaldæis traditi sunt, sed omnes per circuitum nationes. Dicit etiam Nabuchodonosor tantam potestatem et virtutem habiturum, ut si quis dixerit, præ rei magnitudine videatur incredibile. Quod vero illud opus sit, ostendit cum dicit :

« Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua.

« Horribilis et terribilis est : » Chaldæorum gentem fuisse pugnacissimam et robustissimam testes sunt Trogus et Pompeius [a], et cæteri qui barbaras historias conscripserunt. Nec contenta suis finibus, huc illucque discurrens, vagabatur super altitudinem terræ, rapto vivens et gladio, et possidens urbes non suas. « Ex semetipsa judicium et onus ejus egredietur. Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis, et diffundentur equites ejus. Equites namque ejus de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. Omnes ad prædam venient. » Hoc est, ex sua genta principes et judices constituet, nec habebit satellites aliarum gentium. Vel certe ex ipsa judicium ejus egredietur, ut, sicut fecit, sic recipiat, et sicut vastavit alios, sic ipsa vastetur. Leviores, id est velociores pardis equi ejus, quod est animal velocissimum, et pulchra varietate distinctum. Lupis quoque vespertinis eorum equos comparat, quia sæviores dicuntur nocte esse vicina, diurna fame in rabiem concitati. Comparantur quoque aquilæ, quæ velocissime festinat ad devorandum. Sequitur : « Facies eorum ventus urens, et congregabit quasi arenam captivitatem, et ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi ejus erunt. Ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam. Tunc mutabitur spiritus, et pertransibit. et corruet. » Quomodo ad flatum urentis venti cuncta marcescunt virentia, ita ad aspectum illorum omnia vastabuntur, tantusque erit numerus prædæ et captivorum, ut arenæ maris possit æquari, quod tamen per hyperbolen accipiendum est. Ipse quoque, id est Nabuchodonosor, de regibus subaudis aliarum gentium triumphabit. « Et tyranni ridiculi ejus erunt, » quos triumphans ante suum currum præcedere faciet, tantæque erit superbiæ, ut naturam superare contendat. Denique Nabuchodonosor, volens capere Tyrum civitatem in maris medio sitam, jactis in mare immensis molibus, tantum comportavit aggerem, ut pene ipsum mare insulam faceret, ut in aquis pedestre iter statuerit. Ridebit (ait) super omnem munitionem, quasi facillime capi possit, et compor-

A tabit aggerem ex lapidibus et terra, capiet eam, subaudis munitionem. « Tunc mutabitur spiritus, » subaudis ejus, hoc est in superbiam erigetur, credens se esse Deum. Unde et statuam auream erexit sibi, eamque omnes gentes adorare præcepit. Et cum hoc fecerit, pertransibit, id est sensum humanum amittet, et ejicietur ab hominibus, et post hæc corruet, id est esse desinet. « Hæc est fortitudo ejus dei sui. » Hoc per ironiam legendum est, ut sit sensus. Hæc est fortitudo quam dedit ei Bel deus suus. Talis enim fuit ejus fortitudo, qualis et Belis dei sui. Tropologice, Chaldæi (qui *dæmones* interpretantur) malos designant alios, per quos vindictam Deus exercet. Immittit enim Deus indignationem et iram et tribulationem per angelos malos. Ipsi sunt gens

B amara, quia nulli parcunt. Velox spiritualis naturæ subtilitate, ambulans super latitudinem terræ, hoc est per spatiosas sæculi vias. Ex semetipso judicium ejus egredietur, quia ad pœnam secundum sua facta tradetur, et illius potestati permittuntur impii, sicut Philetus et Hermogenes, quos Apostolus tradidit Satanæ, ut discerent non blasphemare. « Nunquid non tu a principio, Domine Deus meus, sancte meus, et non moriemur? » Intelligens propheta ex verbis respondentis Domini, idcirco Nabuchodonosor contra Judam, vel diabolum contra justos accepisse potestatem justo judicio : quod vero vivimus et ab eo interfecti non sumus, tuæ clementiæ est. « Domine, in judicium posuisti eum » id est Nabuchodonosor, et per ejus potentiam juste judices, et corrigas pec-

C cantes. Hoc est enim quod sequitur, « et fortem, ut corriperes, fundasti eum » id est ad hoc tantam et tam solidam ei dedisti fortitudinem, ut per eum corriperes delinquentes. Hæc autem, quæ ad litteram de Chaldæis et rege eorum dicuntur, possunt etiam ad diabolum referri, quem Deus in judicio posuit, et quasi carnificem fortissimum, ut per eum malos suppliciis afficiat, bonos autem afflictos probet.

« Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris. » Scio (inquit), Domine, quod malum et injustum non libenter aspicias, nec potest quisquam dubitare de justitia tua. Verumtamen cur permittis Babylonios tanta agere, et ab impio Nabuchodonosor justum opprimi Israel,

« Quare non respicis super inique agentes, et taces

D devorante impio justiorem se? » Justum autem dicimus Israel, non quod perfecte justus sit, sed quod in comparatione opprimentis impii justus videatur.

« Et facies hominis quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. » Sicut (inquit) pisces maris et irrationabilia jumenta et reptilia sine principe sunt, et infirmiora devorantur a fortioribus, et qui jus habet virium, dominatur in alterum, sic inter homines nihil valet ratio, sed fortitudine, cuncta fiunt. Et cum tua providentia regantur omnia, non possum scire cur impius vincat, justus vincatur. Hoc autem dicit, non quod sic sentiat, sed humanæ impatientiæ suscipit formam.

[a] Ex uno et eodem duos inducit scriptores.

« Lotum in hamo sublevabit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur et exsultabit, propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars ejus. » Quia dixerat: Erunt homines sicut pisces maris, servat metaphoram piscium. Sicut (inquit) piscator mittit hamum, rete et sagenam, ut quod hamo capere non potuerit, reti comprehendat: quod autem rete evaserit, sagenis latioribus circumdetur; ita rex Babylonis cum cuncta vastaverit, et omnes gentes bello et quasi dolis ceperit, gaudebit et sacrificabit sagenæ suæ et reti suo, idolo videlicet Belis, sive statuæ aureæ, quam statuit in campo Duran, provinciæ Babylonis. Cui quasi pinguissimas immolabit victimas, omnes videlicet nationes quas vicerat, cogens ad cultum ejus. In ipsis enim idolis incrassata est pars ejus, et per ea credidit se omnes habere divitias. « Et cibus ejus electus, propter hoc ergo expandit sagenam suam, et semper interficere gentes non cessat, » id est principes et reges, quos veluti magnos pisces cepit, et suo subjugavit imperio, et propterea non cessat impugnare et jugulare omnes gentes. Juxta tropologiam, diabolus quem rex Babylonis significat, misit hamum, primumque hominem traxit de paradiso, et circumdedit eum sagenis et multiplicibus fallaciis, et per eum omnes homines constituit peccatores. « Et cibus ejus electus, » quia dedignatur quosque viles et sæculares tentare, sanctos quoque et perfectos aggreditur, et nunquam genus humanum persequi et decipere cessat.

CAPUT II.

« Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. » Conquestus fuerat primo propheta, et responderat ei Dominus dicens: « Aspicite in gentibus, » etc. Ad quam Domini responsionem temperavit quæstionem, tanquam superioris dicti agens pœnitentiam, et blandiendo dicit: « Deus meus sancte meus, non moriemur, » nihilominus tamen idipsum, licet cum veneratione quadam, sciscitatus est. » Mundi sunt oculi tui, ut non videant malum. Quare non respicis super inique agentes, etc. Nunc vero dicit exspectare se quid Dominus respondeat, ut quod dictum fuerat, omnibus dicatur. « Super custodiam meam stabo, » hoc est, in sublimitate et celsitudine prophetæ meæ, ut videam post eversionem templi et civitatis, ac populi captivitatem, quid sequatur.

« Et respondit mihi Dominus, et dixit: Scribe visum, et explana eum per tabulas, ut percurrat qui legerit eum, quia adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur. » Secundum quod Dominus per Isaiam dixerat: « Adhuc te loquente, dicam ecce adsum, » nunc Dominus respondit, et præcipit prophetæ ut scribat visum, id est prophetiam, et explanet eum, id est diligenter et manifeste scribat in tabulis cordis, juxta Apostolum, qui loquitur ad Corinthios: « Epistola nostra vos estis scripta in

A cordibus nostris. » Et hoc ideo, quia adhuc visio procul est, in tempore constituto, et cum finis rerum advenerit, probabitur vera fuisse visio. Manifeste autem prophetia hæc de adventu Christi est, et quæstio illa soluta est quam propheta fecerat, cur mali dominarentur, quia videlicet iniquitas tam diu regnatura esse in mundo, et spiritualis Nabuchodonosor homines quasi pisces capturus, donec ille per incarnationem veniat. « Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit. » Si (inquit) pro ardore implendæ visionis moram tibi facere visus fuerit ille qui veniet, noli desperare, sed exspecta patienter, quia veniens veniet, et non tardabit. « Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso. Justus autem in fide sua vivet. »

B Si quis incredulus est hujus promissionis, et fluctuat, dubitans venturum hoc quod videt morari, non erit recta anima ejus, sed infidelitatis fortitudine depravabitur. Alia translatio dicit: Non placebit animæ meæ, id est displicebit mihi. Si autem ille displicet, qui non credit, ergo justus qui crediderit meæ promissioni, vivet in fide sua.

« Et quomodo vinum decipit potantem, sic erit vir superbus, et non decorabitur, qui dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors non adimpletur. Et congregabit ad se omnes gentes, et coacervabit ad se omnes populos. Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam ænigmatum ejus? Et dicetur, væ ei qui multiplicat non sua. » Hic jam manifeste Nabuchodonosor pronun-

C tiatur interitus. Sicut (inquit) vinum potantem inebriat, ut neque pes, neque mens suum teneat officium, sic vir superbus, vel generaliter omnes, vel specialiter Nabuchodonosor non decorabitur, nec voluntatem suam perducet ad effectum. Quasi mors enim et inferus non satiatur occisis, et omnia rapiens, nullum suæ avaritiæ finem ponit. « Usquequo et aggravat contra se densum lutum? » Et specialiter contra Nabuchodonosor, et generaliter contra omnes avaros sermo dirigitur. Omnis avarus non sua multiplicat, quia divitiæ quas per fas et nefas coadunat, cum eo perseverare non possunt, sed ad alios possessores transeunt. Pulchre autem nimias divitias densum lutum appellavit, quia animæ sinceritatem confundunt, et gravissimo iniquitatis pondere men-

D tem premunt.

« Nunquid non repente consurgent qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis et iniquitatem terræ, civitatis et omnium habitantium in ea. » Medos et Persas insinuat, qui, contra Babyloniorum regnum consurgentes, primo momorderunt, detrahentes luxuriæ eorum, postea laceraverunt et discerpserunt, interfecto Balthasar et omnibus regni principibus dispersis. Tunc fuit eis in rapinam vastator totius orbis, et spoliatus est ab omnibus populis, qui ejus crudelitatem evadere potuerunt. Hoc autem veniet, ait, propter sanguinem

hominis, id est Judæ, et iniquitatem terræ, subaudis Israel civitatis, id est Hierusalem, et omnes habitantes in ea, omnem populum designans. Illud autem quod supra positum est, « usquequo, » vel increpantis est vox, vel ad prophetæ affectum respicit, desiderantis ruinam malitiæ et superbiæ interitum.

« Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali. » Adhuc contra impium regem loquitur, qui congregat avaritiam malam domui suæ, nec intelligit divitias ex malo quæsitas, causam sibi esse ruinæ; simulque arguitur superbiæ, quod ad avium similitudinem in excelso posuerit nidum suum, arbitrans posse se liberari de manu mali, id est nunquam se venturum in hostium potestatem. Malam autem dicit avaritiam pecuniæ et divitiarum, quia est et bona avaritia, id est cupiditas spiritualium divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, licet aut raro, aut nunquam nomen avaritiæ in bono positum legatur.

« Cogitasti confusionem domui tuæ. » Dum (inquit) ponis in excelso nidum tuum, nihil aliud egisti, nisi cogitasti confusionem tibi et posteris tuis, quia hæc sollicitudo finem habebit ignominiam. « Concidisti populos multos, et peccavit, anima tua. Quia lapis de pariete clamavit, et lignum quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit. » In hoc (inquit) quod plurimos occidisti, in tuam ipsius animam desævisti, et in tantam crudelitatem exarsisti, ut lapides destructarum civitatum et ligna eversorum ac combustorum parietum, contra tuam crudelitatem clamarent. Lignum autem quod inter juncturas est, illud historialiter designat lignum, quod ad continendos parietes, in medio structuræ poni solet. Notandum quod in LXX Interpretibus habetur, Scarabæus de ligno clamabit, muscam juxta litteram designans, quæ solet in juncturis parietum in hieme vel in tempestate latere ; ut sit sensus : Etiam muscæ in foraminibus lignorum absconditæ, contra tuam superbiam et avaritiam clamabunt.

« Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate. » Adhuc contra Nabuchodonosor sermo contexitur, eique dicitur : Væ quod ædicaverit Babylonem in sanguinibus et mortibus, et mœnia illius in iniquitate construxerit.

« Nunquid non hæc, » subaudis quæ dicuntur, « a Domino sunt exercituum ? » Non (inquit) attendatur persona loquentis, ne ex utilitate personæ putentur contemnenda esse quæ dicuntur. Domini enim sunt verba quæ a prophetis dicuntur. « Laborabunt enim populi in multo igni, et gentes in vacuum, et deficient. » Incensa Babylone, frustra laborabunt ut exstinguant ignem, et nitentur in nihilum. Deficient enim populi Chaldaici, et lassabuntur, nec poterunt semel accensum ignem exstinguere.

Quia replebitur terra ut cognoscat gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare. » Cum Babylon fuerit eversa, manifesta fiet omnibus potentia Dei, et sicut aquæ fundum maris contegunt, sic universa terra gloria Domini replebitur. In quibusdam codicibus legitur negative. Non sunt hæc a Domino exercituum ; et est sensus : Talis ædificatio, quæ fit in sanguinibus et iniquitate, non est a Domino.

« Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum et inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus. » Tradunt Hebræi hoc loco rem fabulosam magis quam veram : Sedecias (inquiunt) rex captus est a Nabuchodonosor in Reblatha, quæ est Antiochia, et erutis oculis ductus est in Babylonem : ubi cum quadam die convivium regifico luxu celebraret, jussit ibi Sedeciæ dari poculum, quo venter potantis solveretur in fluxum, sicque introductum, ante ora potantium compulsum, in ventris stercore fuisse pollutum ; et hoc est quod dicitur : « Væ qui potum dat amico, » etc. quod videlicet rex potentissimus quondam, ad tantum dedecus sit adductus. Unde minatur ei Deus, quod ipse quoque bibiturus sit hujuscemodi potionem. Sed melius hoc non de cathartica potione, verum de malis quæ passurus erat Nabuchodonosor, intelligimus. Calix enim vel potio in Scripturis passionem vel afflictionem solet designare. Invehitur ergo propheta contra regem impium, quod oblitus suæ conditionis, et quasi ipse non esset homo, nec posset pati quæ aliis inferebat, inebriaret omnes homines felle et amaritudine malorum, ut eorum nuditatem (hoc est, ignominiam) aspiceret, ut ex illorum miseria suam exaggeraret potentiam. Est autem metaphora ebrii hominis, quod sicut ille nudatur, ejusque ignominia conspicitur, ita Nabuchodonosor inebriaverit omnes calice furoris, cunctosque spoliatos dimiserit, et quondam gloriosos ad ultimam redegerit servitutem. Hoc est enim « repletus est, » subaudis amicus.

« Ignominia pro gloria. Bibe tu quoque et consopire, circumdabit te calix dexteræ Domini, et vomitus ignominiæ super gloriam tuam. » Quia (inquit) plurimos inebriasti, bibe tu quoque de calice Domini. Inebriaberis calice, id est suppliciis dexteræ Domini, et omnia quæ absorbueras egeres, et de sublimi gloria ad extrema venies mala.

« Quia iniquitas Libani operiet te. » Libanus pro templo ponitur, quod de lignis Libani ædificatum est. Hinc alius propheta dicit : « Aperi, Libane, portas tuas. » Dicit ergo quod iniquitas Libani, id est eversio templi et vastatio sanctuarii, eum depopulabitur et vastabit. Servat autem metaphoram, quia Libanum pro templo dixerat, ponit animalia pro sacrificiis et hostiis, dicens : « Et vastitas animalium, » id est devastatio sacrificiorum quæ in templo offerebantur, « deterrebit eos, » id est Babylonios, quia injuria templi et sacrificiorum, quæ jam cessaverant offerri, deterruit eos et perdidit. « De sanguinibus hominum, » id est propter interfectionem hominum « et » propter « iniquitatem terræ » repromissionis « et civitatis » Hierusalem. « Et omnium habitantium in ea. » Juxta tropologiam increpabantur hæretici, quod omnes inebrient amaris et perversis dogmatibus, dantes amico, id est socio in fine, po-

tum non de fonte Siloa, id est missi, Christi videlicet, quem Deus Pater in mundum misit sed de rivo Ægypti tenebrarum et mœroris. Unde et ipse rivus recte Sior, id est turbidus et cœnosus vocatur. Dicitur ergo illis, quod ipsi quoque pro gloria replendi sint ignominia, cum eorum perversa doctrina fuerit revelata, et Ecclesiastica censura damnata. Operiet autem eos vastitas Libani. Libanus quippe græce thus dicitur. Thure vero munditia orationis exprimitur. Vastitas ergo Libani eos operiet quia eorum oratio, quod est speciale Dei sacrificium, vertetur illis in damnationem, juxta quod Psalmista de Juda dixit : « Oratio ejus fiat in peccatum. »

« Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, et imaginem falsam, quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulacra muta? » Miratur propheta regis Nabuchodonosor stultitiam, qui jusserat fieri statuam auream habens fiduciam in simulacro quod finxerat, cum utique nihil ei prodesse posset. Inter sculptile et conflatile hoc distat, quia sculptile est ligni vel marmoris, conflatile vero metallorum, quæ possunt solvi igne et conflari, quod non solum de idololatris, sed et de hæreticis accipi potest, quorum sculptilia sunt prava dogmata, quæ ipsi confingunt, et pro veritate venerantur et adorant falsitatem.

« Væ qui dicit ligno : Expergiscere ; Surge, lapidi tacenti. Nunquid ipse docere poterit? » Hoc generaliter adversus omnes dicitur qui idola venerantur. Væ enim æternum erit ei qui materiem ligni vel lapidis, sive cujuscunque metalli pro deo colit, et invocans dicit : « Expergiscere, » cum forma tantum sit inanimata. Nam eidos Græce vel idea, forma dicitur : inde diminutive idolum, formula vocatur. Nunquid ipse lapis quem invocas, docere te poterit et prædicere ventura ? « Ecce iste coopertus est auro et argento. » Quasi ostendentis est : Ecce iste lapis quem adoras, o idololatra, coopertus est et oblitus auro. « Et omnis spiritus, » id est flatus vitalis, « non est in visceribus ejus, » id est idoli vel lapidis.

« Dominus autem, » quem veri adoratores adoramus, « in templo sancto suo. Sileat a facie ejus omnis terra. » Non in manufacto subaudis templo, sed vel in cœlis, vel in unoquoque sanctorum, juxta Apostolum dicentem : « An nescitis quoniam templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ? » Sive « Dominus in templo sancto suo, » hoc est, Filius in Patre : vel « in templo suo, » in universitate mundi continens et regens omnia. « In ipso enim vivimus, movemur, et sumus. » Est ergo Deus in mundo, non loco inclusus, sed sua majestate illocaliter implens omnia, currens per omnia, circumplectens omnia.

« Oratio Habacuc prophetæ pro ignorantiis. » Quia supra temere causatus fuerat cum Domino, dicens : « Usquequo, Domine, clamabo et non exaudies, » et post pauca, « Quare non respicis supra iniqua agentes ; » audierat quoque Dominum respondentem, et didicerat Nabuchodonosor vel etiam diabolum ad hoc A positos, et forte fundatos, ut per eos judicentur et puniantur peccatores, nunc agit pœnitentiam, et plangit quod temere sit locutus, poscitque veniam ignorantiæ, et hoc est quod scribitur in titulo, « Pro ignorantiis » Nam et David rogat Dominum, « Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris. » Quidam putant hoc quod dicitur, « Pro ignorantiis, » hoc ostendere quod propheta oret Deum pro humanis erroribus et ignorantia, ut sublata erroris caligine, lux vera patescat.

CAPUT III.

« Domine, audivi auditionem tuam, et timui. » Auditionem dicit vocem quam intrinsecus in mente audiebat. Tale est illud Isaiæ : « Domine, quis credidit auditui nostro ? » et alibi, « Dominus Deus B aperuit mihi aurem. » « Domine, audivi auditionem tuam. » Audivi (inquit) aure mentis pœnas, quas Nabuchodonosor vel diabolo, ejusque membris præparasti, et quinquies væ illis æternum comminatus es. « Et timui, » secretissima judicia tua.

« Domine, opus tuum, » subaudis audivi ; id est mysterium incarnationis tuæ. Opus enim Dei est, ut beatus Augustinus dicit : Verbum caro factum. Quod etiam de resurrectione ejus potest accipi. Audivi (inquit) opus tuum, ut qui mori dignatus es pro nobis, resurgas a mortuis. « In medio annorum vivifica illud, » hoc est, in plenitudine temporis imple quod pollicitus es. Tu enim dixisti : Adhuc visus procul, et apparebit in finem. Ergo cum tempus illud quod constitutum est a te, venerit, vivifica C illud opus tuum, ut non moriatur sermo tuus, sed opere impleatur. « In medio annorum notum facies. » Cum venerit tempus, et opera promissa compleveris, tunc monstrabis vera esse quæ pollicitus es. « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, » non quod Deus more humano in ira obliviscatur, et post iram misericordiæ recordetur, sed quod nobis in afflictione positis, videtur oblivisci, cum non cito laborantibus succurrit, sicut Psalmista in tribulatione dicit : « Usquequo, Domine, oblivisceris in finem ? » Simulque consideranda est Dei clementia. Non dicit, Postquam pœnas irrogaveris, sed « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. » Non enim semper percutit, qui irascitur, sed tantummodo comminatur. Tale est et illud Apostoli : « Revelatur ira Dei super D omnem impietatem hominum. » Revelatur dixit, non infertur : sed revelatur ut terreat, et correctis parcat. Alia translatio dicit : In medio duorum animalium cognosceris. Quæ duo animalia, Filium Dei et Spiritum sanctum cognoscimus. Quæ etiam animalia putant esse duo cherubin, qui mutuo se respiciunt, et in medio sui habent oraculum sive propitiatorium. Quidam duo animalia putant esse duos latrones, in quorum medio crucifixus et agnitus est Dominus. Nonnulli duo animalia dicunt esse duo Testamenta, Vetus et Novum, quæ animata et visa sunt, et in quorum medio Christus agnoscitur. Plures Moysen et Eliam intelligunt, inter quos Dominus in monte transfiguratus apparuit.

« Deus ab austro veniet. » Sunt qui hoc quod dicitur. « Deus ab austro veniet, » Bethlehem velint intelligi, quæ in australi parte sita est, et in qua civitate natus est Christus. « Et sanctus de monte Pharan. » Pharan autem mons est vicinus monti Sinai, in quo lex data est. Inde dicitur venire Sanctus, quia per legem est cognitio Dei. Hoc juxta litteram. Vel « Deus ab austro veniet, » id est a meridie, ab illis videlicet qui sunt filii lucis et diei. A meridie ergo veniet Dominus, et exspectandus est iis qui sunt in fervore dilectionis et fidei. Unde et in Canticis canticorum sponsa interrogat : Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. « Et sanctus de monte Pharan. » Pharan interpretatur *os videntis*, et revera de ore, id est sermone eruditi viri et videntis, id est intelligentis, quique plenus luce scientiæ, venit notitia Dei. (*Diapsalma.*) « Operuit cœlos gloria ejus. » In nativitate enim Domini gloria repletum et quasi opertum est cœlum, angelis protestantibus, « Gloria in excelsis Deo. » « Et laudis ejus plena est terra, » quia pacem adventus ejus terris refudit, concinentibus angelis, « Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. » Notandum vero quia cum dicitur. « Operuit cœlos gloria ejus, » ostenditur minus esse quod operitur, eo quod operit. Ergo major est gloria quam cœli qui operiuntur. Possumus quoque cœlos intelligere sanctos, qui portant imaginem supercœlestis, et enarrant gloriam Dei. Hos ergo cœlos operit, hoc est, illustrat gloria et majestas Dei. Laudis ejus plena est terra, quia juxta vocem Psalmistæ : « Admirabile est nomen ejus in universa terra. »

« Splendor ejus ut lux erit » quia claritas miraculorum ejus manifesta luce radiavit. Nec nos moveat diversitas temporis ; præterito enim tempore dicit : « Operuit cœlos gloria ejus, præsenti, « Laudis ejus plena est terra ; » futuro vero, « Splendor ejus ut lux erit. » Divina quippe Scriptura nulla temporis lege stringitur, quæ supergreditur omne tempus. « Cornua in manibus ejus, » hoc est vexilla et tropæa crucis. Et notandum quod cum manu Domini in cornibus crucis affixæ sint, non dicit : Manus Domini in cornibus, sed « Cornua in manibus ejus. » Ipsam enim crucem, imo ipsam mortem in potestate habuit, sicut ipse dicit : « Potestatem habeo ponendi animam meam. »

« Ibi abscondita est fortitudo ejus. » Ibi, hoc est in cornibus, abscondita est fortitudo ejus, et potentia divinitatis ejus, quia cum esset in forma Dei æqualis Deo, exinanivit seipsum, formam servi accipiens, et humilians se Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. In cruce ergo abscondita est fortitudo ejus, quando dicebat : « Tristis est anima mea usque ad mortem. » Possumus quoque per cornua regiam potestatem accipere. Mos enim Scripturarum est cornu pro fortitudine et potestate ponere, ut Psalmista : In te inimicos nostros ventilabimus cornu. Et mater sancti Samuelis : Dabit (inquit) imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui.

A Cornua ergo in manibus erant, quia licet pateretur pro nobis, potestatem regiam non amisit, imo per crucem suum dilatavit imperium. « Ante faciem ejus ibit mors » Mors, diabolus auctor mortis, de quo Joannes : Et nomen illi mors. Ivit ergo mors ante pedes ejus quia mox eo baptizato in Jordane, occurrit illi, tentans illum post jejunium quadraginta dierum, antequam aut prædicaret aut miraculis se Deum proderet. Unde adhuc sequitur : « Egredietur diabolus ante pedes ejus, » quia exeunti de aquis obvius fuit. Alia translatio dicit : Egredietur Rescheph ante pedes ejus. Tradunt Hebræi Rescheph nomen esse dæmonis, qui principatum inter reliquos teneat, sicut et Beelzebub. Hunc dicunt in paradiso serpentem intrasse, et per eum primum hominem B decepisse. Unde et ex maledictione, qua a Domino condemnatus est, nomen accepit. Rescheph enim interpretatur *reptans ventre*. Dictum enim fuerat serpenti, imo diabolo qui erat in serpente : Supra pectus tuum gradieris. Egressus est ergo diabolus ante pedes Domini, quia mox ut baptizatus est, et ad descensum columbæ vox Patris super eum intonuit, commotus his diabolus, adfuit ut eum tentaret, volens probare utrum esset Dei Filius.

« Stetit, et mensus est terram. » Stare, divinitatis est, sicut transire humanitatis. Stans ergo Dominus mensus est terram, quia potentia divinitatis cuncta disponens, terram, id est corda terrenorum hominum mensus est, discernens et prævidens qui digni essent eligi, qui justo judicio reprobari. « Aspe- C xit, et dissolvit gentes. » Aspectus Domini est vis divinæ majestatis, qua cuncta prævidet, locis ac temporibus singula disponens. Aspexit ergo et dissolvit gentes, hoc est dissipavit ut non jam essent gentes, sed renati per fidem et baptismum efficerentur filii Dei. « Et contriti sunt montes sæculi. » Dissolutis gentibus sæculi, montes contriti sunt, id est omnis dæmonum fracta potestas, quos montes sæculi vocat ob tumorem elationis. Sive montes sæculi, principes et potentes hujus mundi dicit, qui contriti sunt a duritia superbiæ suæ, visa claritate miraculorum Christi. Montes autem sæculi dicit, quia sunt alii montes, qui non sunt sæculi, sancti videlicet apostoli et viri apostolici, de quibus Psalmista : « Levavi oculos meos in montes, etc. » Hi non sunt montes D sæculi, sed montes Dei, montes incaseati, hoc est gratia spirituali repleti.

« Incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. » Qui sunt montes, ipsi sunt et colles, potentes videlicet, et eorum suppares, quorumque superbiam ante adventum Christi nemo poterat humiliare. Contriti vero et incurvati sunt ab itineribus æternitatis ejus, id est Dei, quia æternitas divinitatis ejus ad nos venire dignata est. Itinera autem ejus sunt, de cœlo in uterum virginis, de utero in præsepe, de præsepi ad baptismum, de baptismo ad crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro iterum in cœlum. Possunt etiam et per montes fortiores dæmones intelligi, qui in hæreticis et

apostatis sunt, et elevant se contra scientiam Dei : colles vero, minoris potentiæ dæmones, qui sunt in hominibus sæcularibus, de divitiis, fortitudine, formositate, nobilitate, cæterisque corporis bonis gloriantibus. Hi montes et colles in adventu Christi contriti et incurvati sunt, quia conversis talibus, et exemplum humilitatis Christi suscipientibus, confusi sunt dæmones, qui in eis erant, et contraria eorum fortitudo ad nihilum redacta est.

« Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ. » Æthiopes teterrimi sunt homines, qui feruntur draconum vesci carnibus, ideoque significant dæmones tetros malitia, quorum sunt potus dulcissimus, homines serpentium animum habentes, et ad nocendam semper parati. Æthiopum tabernacula sunt ipsi homines, qui laborando pro acquirendis divitiis, efficiuntur tabernacula eorum ; quod propheta uno verbo iniquitatis expressit sic : Omnis enim dives aut ipse iniquus est, aut hæres iniqui. Ait ergo propheta, Vidi, subaudis homines factos tentoria Æthiopiæ pro iniquitate, id est cupiditate, qua nunquam cessant congregare divitias ; quas cum adepti fuerint, tradunt se luxuriæ et voluptatibus, atque omni iniquitati, sicque efficiuntur hospitium dæmonum, qui debuerant esse templum Dei. « Turbabuntur pelles terræ Madian. » Quod dixit supra tentoria, nunc dicit pelles ; et quod Æthiopes, hoc terram Madian. Madian enim regio est vicina Æthiopiæ. Interpretatur Madian *ex judicio*, subaudis in condemnationem. Turbabuntur ergo pelles terræ Madian, id est homines qui se fecerunt habitacula dæmonum, per injustitiam et iniquitatem divitias et sæculi dignitates requirendo. Turbabuntur enim, quia conscientia peccatorum territi, et metu æternarum pœnarum exagitati, semper erunt in formidine, et severos post mortem cruciatus quotidiano pavore superstites sustinebunt.

« Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua ? » Interrogat propheta Dominum, et quasi dubitans loquitur : O Domine, quando Jordanem fluvium retro converti fecisti, et quando mare divisisti, ut viam faceres populo tuo, nunquid in fluminibus iratus es, aut in mari fuit indignatio tua ? Non enim insensibilia elementa quidquam offenderant ut tuam mererentur indignationem. Sicut ergo tunc fecisti dimicans pro populo tuo, ita nunc ascendens equos tuos, et corripiens arcum, salutem dabis populo tuo. Sciendum autem bona flumina esse et mala, mare quoque esse bonum et dulce, esse et pessimum et amarum. In bona significatione ponitur fluvius, cum dicit Psalmista : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei ; » in mala vero, ut apud Ezechielem Pharao loquitur : « Mea sunt flumina, et ego feci illa. » Mare quoque in bonam partem ponitur, ubi in psalmo dicitur : « Domini est terra et orbis terrarum. Ipse super maria fundavit eum. » Mala ergo flumina sunt dogmata hæreticorum, quæ velut flumina currunt spumanti eloquentia, et fluunt contra veritatem. His irascitur Dominus, et est in illis furor ejus. Mare vero sunt animæ eorum qui circumferuntur omni vento doctrinæ, et semper in imo sunt. In talibus est indignatio Domini, quod faveant perversis doctoribus, nondum tamen exardescit in illis furor, sed exspectantur ut resipiscant ab erroribus suis. « Qui ascendens super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio. » Equi Dei sunt sanctorum animæ, super quas ascendit Dominus ut eas possideat, et ab errorum deviis ad veritatis tramitem dirigat. Ex his equis erat ille qui dicebat : « Ut jumentum factus sum apud te. » His equis et curribus vallatur Eliseus propheta, quos etiam metuenti puero suo ostendit. Ait enim Scriptura libri Regum : « Quia aspexit, et ecce mons plenus equis igneis, et quadrigæ igneæ in circuitu Elisei. » Et hoc notandum quod in tantis millibus equorum et curruum, nullus ascensor eorum cernitur. Ille enim erat auriga et rector, cui Psalmista canit : « Qui sedes super cherubin, manifestare. » Super hujuscemodi equos ascendit Deus, et quadrigæ ejus salvatio ; vel, ut alia translatio dicit, Equitatus tuus sanitas. Equitatus Dei justorum omnium est multitudo, totius humani generis salvatio, quia in sanctis equitans, totum lustravit et salvavit orbem.

« Suscitans suscitabis arcum tuum ; » id est, quod promisisti in Veteri Testamento, implebis in Novo. Nam per arcum, qui duobus cornibus tendit, duo Testamenta intelliguntur. Unde sequitur et ostendit quid sit arcus : « Juramenta tribubus quæ locutus es. » Suscitabis (inquit) arcum, impleta juramenta, quæ locutus es tribubus Israel de adventu Filii tui.

(*Diapsalma*). « Fluvios scindes terræ ; viderunt te et doluerunt montes. » Fluvii terræ sunt corda terrenorum hominum, qui prædicantibus apostolis scissa sunt et aperta per pœnitentiam, ut semen verbi Dei reciperent. Nam et in passione Domini petræ scissæ sunt, ut dura gentium corda signarentur esse scindenda per fidem. Viderunt hoc montes, id est contrariæ fortitudines, et doluerunt invidentes gentium saluti. Sive montes sunt excelsa regna terrarum, et sublimes sæculi potestates. Viderunt crescere et propagari fidem Christi, et doluerunt, atque gravissimam contra sanctos persecutionem excitaverunt. Unde sequitur : « gurges aquarum transiit. » Gurges aquarum valida tempestas persecutionis, transiit, id est conquievit, postquam montes, id est sæculi potestates Christum agnoverunt. Sive alio sensu : gurges aquarum, id est prædicatio apostolorum, transiit, nuntiata per omnes mundi terminos. « Dedit abyssus vocem suam : » id est, profunda apostolorum prædicatio per orbem insonuit. « Altitudo manus suas levabit ; » id est virtus divina miraculorum se operibus declaravit ; manus namque levare mira operari est. Aliter : « Dedit abysssus vocem suam ; » id est inferus a Christo superatus, triumphatorem mortis laudavit. « Altitudo manum suam levavit ; » id est celsitudo ange-

lica quasi quodam plausu manum tripudians. Christum laudavit.

« Sol et luna steterunt in habitaculo suo. » Juxta litteram, ut Isidorus dicit, post diem judicii non occidet sol et luna infra terras descendendo, sed semper super terras parebunt ; sol quidem in oriente, luna in occidente omni mundo conspicua, nec sub terras descendent, ne inferis lumen suum ostendant. Altiore sensu : « sol et luna steterunt in habitaculo suo, » quia Christus qui verus est sol, resurgens a mortuis, habitaculum cœli conscendit ; luna vero, id est Ecclesia, in fide quam percepit, devote et inconcusse permansit. Quod apertius alia translatio dicit : Elevatus sol in ortu suo, et luna stetit in ordine suo. « In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ. » Ordo verborum est : Sagittæ tuæ et hastæ tuæ in luce et in splendore fulgurantis ibunt. Sagittæ et hastæ Dei, apostoli sunt, quia sicut sagittæ et hastæ refulgent et vulnerant, sic apostoli refulgebant miraculis, vulnerabant prædicamentis, denuntiantes peccatoribus æterna supplicia. Aliter : « Sol et luna steterunt in habitaculo suo » O Deus ! sol et luna, et omnis splendor signorum, quo prius illustrabas populum tuum, jam malorum pondere et quodam tenebrarum horrore cooperta erant ; te autem apparente, steterunt in habitaculo suo, hoc est, receperunt splendorem et virtutem suam. Ibunt itaque haud dubium populi fideles in luce sagittarum tuarum, et in splendore fulgurantis hastæ tuæ ; hoc est, ambulabunt per iter hujus vitæ in luce præceptorum tuorum, quæ velut sagittæ aut hastæ vulnerant ad salutem, ad hoc terrent, ut emendent.

« In fremitu conculcabis terram. » In terribili prædicatione apostolorum conculcabis terram, id est, conteres corda terrenorum hominum. » Et in furore, » id est judicii comminatione.

« Obstupefacies gentes » regna terrena et omnem mundi potestatem mirari facies. Quia « egressus es, » o Deus Pater, « in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo, » id est cum Filio tuo, quem præ omnibus sanctis singularis gratiæ chrismate unxisti. Ut enim Apostolus ait : « Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. » « Percussisti caput de domo impii. » Caput, principem hujus mundi : domum ipsius, mundum sive animam peccatoris, in qua velut in suo requiescit hospitio. Percutitur ergo caput de domo impii, ut illo percusso, fiat domus Dei et habitatio justitiæ. « Denudasti fundamentum usque ad collum. » Omnes astutias et secreta consilia illius impii manifestasti fidelibus usque ad collum, id est usque ad ipsum qui est caput et princeps nequitiæ spiritualis, Antichristi videlicet; quia velut collum subjungitur capiti, ita ille suppar est malitiæ diaboli, et quasi administrator deceptionis. Hinc Apostolus : Ut non circumveniamur a Satana, non enim ignoramus cogitationes ejus

(*Diapsalma.*) Maledixisti sceptris ejus.» Sceptrum gestamen est regium, et ideo per sceptrum regia potestas innuitur. Maledixit Deus sceptris ejus, id est impii, id est regno et potestati ejus. Impium autem, secundum superioris prophetiæ tractatum, id est, specialiter, juxta litteram, Nabuchodonosor, vel generaliter omnem populi Dei adversarium, seu ipsum diabolum possumus accipere. De quo adhuc sequitur : « Capiti bellatorum ejus, » subaudis maledixisti. Non solum (inquit) sceptris ejus, sed etiam ipsi capiti quod percusseras, maledixisti. Caput autem bellatorum diabolus, persecutorum Ecclesiæ, quales fuerunt Nero, Domitianus, cæterique qui publicam persecutionem Ecclesiæ indixerunt. « Venientibus, » id est qui veniebant, « ut turbo,» sicut tempestas cum terrore nimio, « ad dispergendum me, » id est unitatem sanctæ Ecclesiæ. « Exsultatio eorum, » id est persecutorum « sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito. » Quemadmodum raptor exsultat, cum pauperem nullo vidente et auxilium ferente spoliat, ita persecutores sanctorum gaudebant, tanquam Deo non vidente et nesciente quos affligerent. Potest hoc et de omni perverso dici, qui cum impune peccat exsultat, putans Deum se posse latere, et quæ agit ignorare.

« Viam fecisti in mari equis tuis. » Equi Dei sunt apostoli cæterique prædicatores, quibus Deus viam fecit in mari, hoc est in mundo, ut possent discurrere per orbem. Neque enim ipsi sua virtute ad tot et tantas sævas nationes potuissent prædicando venire, nisi ille fecisset veniam, diversitatem gentium sub uno Romanorum imperio conciliando. « In luto aquarum multarum ; » id est in idololatria multarum gentium fecisti prædicatoribus tuis viam, ut eam spernerent et quasi lutum conculcandum annuntiarent.

« Audivi » non aure corporis, sed intellectu mentis. Et quæ audivit ? Ea videlicet quæ a Patre dicta sunt Filio, de ejus nativitate et passione, qua mundum redempturus erat. « Et conturbatus est venter meus ; » id est intellectus meus, cur videlicet ausus fuerim reprehendere judicia Dei, cum etiam ipse Dei Filius, qui peccatum non habuit, tanta et tam indigna ab indignis sustinuerit. « A voce, » subaudis hujus auditionis, « contremuerunt labia mea » ut ultra jam non auderem loqui aut conqueri, quare justi affligantur in mundo. « Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat. « Certus jam propheta quod idcirco sancti adversis exerceantur in hac vita, ut ad veram requiem in alia perducantur, dicit libenter se velle pati omnia contraria ; optat se tentari et affligi corporis infirmitate, sicut Job, dicens : « Ingrediatur putredo in ossibus meis, » ut non solum caro, sed etiam medullæ ossium computrescant. « Et subter me scateat, » hoc est, bulliat multitudine vermium. Per quod ostendit paratum se esse ad omnia gravissima et postrema supplicia sustinenda. Et hoc quare ? « Ut requiescam in die tribulationis, » hoc est, in die judicii, quando erit talis tribulatio, qualis nunquam antea fuit. Et « ut ascendam ad populum accinctum nostrum. » Ordo

est. « ut ascendam ad populum accinctum nostrum, » id est expeditum et præparatum resistere spiritualibus hostibus.

« Ficus enim non florebit. » Ficus Judaicam plebem designat, ad quam venit Dominus, quærens in ea fructum justitiæ, et non reperit, statimque ei maledixit, dicens : « Nunquam ex te fructus oriatur. » Prævidens ergo propheta Judæos in sua infidelitate permansuros, dolore plenus dicit : « Ficus non florebit, » id est Synagoga infidelium Judæorum, florem fidei et fructum boni operis non afferet. Et hoc non de omnibus, sed de illis dixit qui excæcati sunt, quorum maxima pars periit. Cum plenitudo gentium introierit, tunc florebit hæc ficus, et omnis Israel salvus fiet. « Et non erit germen in vineis. » Vineam plebem illam vocari, ex multis sanctæ Scripturæ locis discimus, e quibus unus est, « Vineam de Ægypto transtulisti. » Hæc vinea plantata in patriarchis, exculta nobiliter in prophetis, acceptissimum Deo fructum attulit, sed apparente Domino degeneravit : Et cum debuisset facere uvas, fecit labruscas : id est, cum debuisset credere in Christum, qui ei promissus et missus fuerat, econtra negavit eum, et ad mortem poposcit, dicens, « Non habemus regem nisi Cæsarem, » et « Crucifige, crucifige eum. » Hoc prævidens propheta sanctus deplorat, dicens : « Non erit germen in vineis : » hoc est, radix boni operis in Judæis. « Mentietur opus olivæ. » Olivam Synagogam designare, poterit agnoscere, qui legerit Paulum apostolum, disputantem de fractis olivæ ramis, et de oleastro in bonam olivam inserto. Hujus olivæ opus fuit unctio, quia in Veteri Testamento reges et prophetæ oleo visibili ungebantur. Hanc unctionem cessaturam in adventu Christi prænuntiat propheta, quomodo et Daniel dicit : « Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio. » Vel ita : « Mentietur opus olivæ, » id est, mentietur plebs Judaica, quæ se promittebat impleturam omnia quæ Dominus præcipiebat, dicens : Omnia quæ præcipit Dominus Deus noster faciemus, et obedientes ei erimus. » Et arva non afferent cibum. » Hierusalem terrenam arvorum, id est camporum, nomine designat. Quæ enim in montibus sita erat, et de qua dictum fuerat : « Fundamenta ejus in montibus sanctis, » postquam Dei Filium recipere noluit, humilis et campestris vocatur, de virtutum prolapsa culmine. Arva ergo non afferent cibos, quia plebs Judaica nullam jam frugem fidei vel bonæ reddit

A operationis. « Abscidetur de ovili pecus ; » id est de Hierusalem, in qua velut pecus in ovili habitabat ; abscidetur promiscua plebis multitudo, deleta a Tito et Vespasiano ferro, fame et captivitate. « Et non erit armentum in præsepibus, » id est sacerdotes, scribæ et cæteri principes, qui velut tauri pingues, subjectis populis quasi gregibus præerant, et velut in plenis præsepibus deliciabantur. Non ergo erit armentum in præsepibus, quia subversa Hierusalem, omnis illa principum dignitas annullata est, et impletum quod Dominus dixerat : « Relinquetur vobis domus vestra deserta. »

« Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. » Prædicta perditione plebis et principum et totius civitatis, loquitur propheta ex sua et
B apostolorum omniumque sanctorum persona : « Ego (inquit) in Domino gaudebo. » non in divitiis, non in gloria hujus mundi, « et exsultabo in Deo Jesu salutari meo » Jesus enim *salvator*, sive *salutaris* interpretatur, sed interpres maluit ipsum Hebraicum verbum ponere, quia dulce et plenum gaudii nomen Jesus semper delectat audire.

« Deus Dominus fortitudo mea. » Omnis mea virtus, omnis justitia Christus est, qui est Deus meus. « Et ponet pedes meos quasi cervorum. » Cervorum natura est ut plana et humilia deserant, et montium ardua conscendant, serpentes etiam de cavernis flatu extractos occidant. Sic et sancti terrena et infirma deserunt, ad cœlestia contendunt, et sua prædicatione a cordibus hominum serpentis antiqui
C malitiam depellunt. Dicit ergo propheta, Deus Dominus ponet pedes meos, id est actiones meas quasi cervorum, faciens me sua gratia caduca contemnere et æterna desiderare. « Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem. » Deducet me super excelsa mea, id est ad illam cœlestem patriam, quia mihi et omnibus sanctis ante sæcula præparata est. Ideo confidenter dico : « Super excelsa mea. » Ipse autem deducet, quia hoc non mea virtus, sed ejus est gratia. Deducet autem me canentem victori, id est Christo triumphatori mortis et diaboli. Deducet ergo me super excelsa, hoc est, ad beatam supernæ civitatis frequentiam, quæ ex angelis et sanctis hominibus constat, ut illis admixtus
D atque conjunctus, canam victori cum angelis, « Gloria in excelsis Deo. » Canam et in psalmis panegyricis, cum psalmigrapho David concinens : « Domine, in virtute tua lætabitur rex. »

IN SOPHONIAM PROPHETAM.

Sophonias propheta, qui nonus est in ordine duodecim prophetarum, interpretatur *specula*, sive *arcanum Domini*. Cernit captivitatem urbis Hierusalem, cujus jam instabat eversio regnante Josia rege justissimo, sub quo et iste prophetavit. Aliarum gentium vastationem prædicat, et diem judicii intonat.

CAPUT PRIMUM.

« Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ, in diebus Josiæ filii Ammon regis Judæ. » Tradunt Hebræi, cujuscumque pater aut avus ponitur in titulo, ipsos quoque fuisse prophetas. Ergo hic Sophonias ab avis et atavis prophetali stirpe genera-

tus est. Sophonias enim habuit patrem Chusi, A avum Godoliam, proavum Amariam, atavum Ezechiam. Interpretatur Sophonias (ut dictum est) *specula* sive *arcanum*. Prophetæ enim speculatores erant, sicut ad Ezechielem dicitur : « Speculatorem dedi te domui Israel. » Arcana quoque Domini eis revelabantur, sicut in Amos dicitur : Non faciet Dominus verbum, nisi ante revelaverit servis suis prophetis. Hic ergo speculator filius erat Chusi, qui interpretatur *humilitas*, vel *Æthiops meus*. Habebat autem avum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini; proavum Amariam, qui *sermo Domini* interpretatur; atavum Ezechiam, qui vertitur in fortitudinem Domini. Itaque de fortitudine Domini nascitur sermo Domini, de sermone Domini magnitudo Domini, de magnitudine Domini B generatur humilitas, quia quo magis aliquis ad virtutis perfectionem conscenderit, eo amplius se humiliabit, dicens cum propheta : « Humiliatus sum usquequaque, Domine, » etc. Confitebitur quoque se Dei Æthiopem, quia Chusi *Æthiops meus* interpretatur, id est, agnoscet se peccatorem, et dicet cum Joanne apostolo : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, » etc. Hic talis et tantus, bene dicitur fuisse in diebus Josiæ regis sanctissimi, qui interpretatur *elevatio Domini*. Tempore ergo elevationis exstitit filius humilitatis, quia per humilitatem elevamur ad cœlestem elevationem.

« Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus, congregans hominem et pecus, congregans volatile cœli et pisces maris. » Diu exspectaverat Dominus peccantem Judam sub malis regibus, C et quasi aliquam poterant habere excusationem, et dicere : Volumus servire Domino, sed prohibemur a regibus nostris. Unde dedit eis justissimum regem Josiam, qui eos exemplis et monitis voluit reducere ad cultum Dei, sed illi nihilominus in idololatria permanserunt. Quapropter juste prophetatur de eis eversio Hierusalem, et captivitas populi, ac victoria Nabuchodonosor. « Congregans congregabo omnia. » Non (inquit) ultra ad pœnitentiam exspectabo, sed omnia congregans consumam. Non homo, non pecus, non volatilia aut pisces remanebunt, iram meam etiam bruta sentient animalia ; quia enim propter hominem creata sunt omnia, jure interfectis hominibus sequitur solitudo et raritas bestiarum. « Et ruinæ D impiorum erunt. » Ad primum quoque Domini adventum hæc ipsa prophetia referri potest, quando ex Judæis et gentibus per fidem congregati sunt, quidam velut homines ratione utentes, alii quasi pecus simplices et ineruditi, leves ut aves, curiosi veluti pisces, qui maris profunda rimantur. « Et ruinæ impiorum erunt. » Non tantum in ultimo judicio erunt ruinæ impiorum, cum audierint, « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, » sed et in primo jam adventu hoc factum est, quando venit Dominus in ruinam, ut ruerent qui male stabant, et qui vivebant peccato, morerentur et inciperent vivere justitiæ. Sive simpliciter in adventu Christi primo fuerunt ruinæ impiorum negantium Christum et nolentium recipere fidem ejus. « Et disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus, et extendam manum meam super Judam et super omnes habitatores Hierusalem. » Extensio manuum gestum percutientis ostendit. « Et disperdam de loco hoc reliquias Baal, » id est cultores ejus, qui pauci remanserant in Juda de cæde hostium. Ad tantam namque impietatem venerant, ut in templo Dei statuam Baal ponerent, quam imaginem Ezechiel vocat idolum zeli, et in eodem sanctuario Deum et idola venerarentur. « Et nomina æedituorum cum sacerdotibus. » Æditui sunt janitores, id est ædium custodes, ipsi sunt Hebraice Nathinei. Hic autem despective sacerdotes vocat æedituos, quos a fano, id est templo fanaticos dicimus. Et æedituos ergo et sacerdotes quondam Dei minatur se disperdere.

« Et eos qui adorant super tecta militiam cœli, et adorant et jurant in Domino, et jurant in Melchon. » Super tecta enim, id est in domatibus stantes, solem et lunam et cætera sidera adorabant, et pariter in nomine Domini, et in nomine Melcho, qui interpretatur *rex*, jurabant.

« Et qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum, » subaudis disperdam ; illos videlicet, qui declinantes a cultura Domini, adorant militiam cœli, et jurant per nomina idolorum, et adorant Baal et idolum Sidoniorum. Tropologice Hierusalem Ecclesiam significat Domini, de qua in adventu suo disperdet omnem idololatriam et reliquias Baalim, quod interpretatur *in sublimioribus*, id est vanam gloriam et pompam falsæ admirationis ; necnon etiam eos, qui jurant in Domino, et in Melcho, id est illos qui Deo et sæculo se putant posse servire, cum econtra Dominus : « Nemo potest duobus dominis servire. » Et quia vertuntur de post tergum Domini, id est qui ad mala opera declinantes, relinquunt iter quo Dominum sequi debuerunt. Potest etiam per tergum Domini, corporeus adventus ejus intelligi, quo visibilis fuit, sicut per ejus faciem divinitas quæ a nulla creatura, ut est, videri potest. Unde et ad Moysen dictum est : « Est locus apud me, et stabis supra petram. Cumque transierit gloria mea, tollam manum meam, et videbis posteriora mea. » De post tergum Domini recedunt, qui aut eum incarnatum non credunt, aut ejus præcepta contemnunt.

« Silete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini. » Sileat, revereatur, intremiscat. Diem Domini, juxta litteram, intelligimus tempus captivitatis et ultionis in populum Judæorum. Vel spiritualiter diem extremi judicii, non est absurdum intelligere. « Quia præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos. » Hostiam præparatam, populum dicit, qui in tempore vindictæ velut hostia mactandus erat. « Sanctificavit vocatos suos, » quasi ad celebre convivium invitatos. Solebant enim epulum habentes sanctificari, id est ablui, et cultioribus

vestibus indui. Vocatos ergo Nabuchodonosor et Chaldæos debemus accipere, quos ipse vocabat ad puniendos peccatores: nam et per Jeremiam servum suum dicit: « Vocavit (inquiens) Nabuchodonosor servum meum. » Quidam diem Domini, quando præparavit hostiam suam, de primo adventu ejus accipiunt, quando singularis hostia, id est verus agnus Christus immolatus est. Vocatos et sanctificatos, apostolos et eos qui per eos ad fidem venerunt, intelligunt.

« Et erit in die hostiæ Domini, visitabo super principes et super filios regis. » Dies hostiæ Domini, tempus est Judaicæ captivitatis, quando omnis populus erat immolandus ab hostibus; tunc visitavit Dominus super principes et super filios regis Josiæ, quod omnes vel captos constat fuisse, vel occisos. Sive generaliter filios regis, stirpem regiam dicit. « Et super omnes qui induti sunt veste peregrina, » id est exotica et pretiosa, sive super eos, qui pro Dei cultu idola venerabantur.

« Et visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa; » id est, qui quondam fastu et dignitatis supercilio, gradus sive limen templi conscendunt. In Hebraica veritate habetur: « Qui transibunt limen: » quod faciunt cultores veste dæmonis, qui limen templi illius non calcant, sed pertransibunt. « Qui complent domum Domini Dei sui iniquitate et dolo; » id est divitiis iniquitate paratis. Tropologice hæretici peregrinis vestibus induuntur, qui relicta veste Christi, quam accepimus in baptismo, assumunt impietatem pro pietate, pro veritate mendacium. Ipsi quoque super limen arroganter ingrediuntur, quia spreta simplicitate fidei, Ecclesiam per erroris sui prædicationem iniquitate et dolo complent.

« Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris a porta piscium, et ululatus a secunda, et contritio magna a collibus. » Portam piscium eam portam secundum litteram dicit, quæ vicinior erat mari, et ducebat Diospolim et Joppen. Quodque sequitur, « Ululatus a secunda, » portam dicit secundi muri in eadem maris via. Secundam autem Hierusalem, etiam in libro Regum legimus: « Misit ad Oldam propheten uxorem Sellum, qui habitabat in Hierusalem in secunda. » Contritionem a collibus, perturbationem designat de monte Sion, et excelsiore scilicet urbis parte, qua capta, facilior erat ad prona descensus. Tropologice per portam piscium, sensus oculorum exprimitur; per secundam, sensus aurium. Per hos quippe duos sensus, videlicet audiendi et videndi, maxime peccatores judicandi sunt, per quos peccati delectatio ad sensus reliquos emanat. Erit enim contritio magna a collibus, quia conteretur quidquid fuerat excelsum. Vox enim Domini super omnem superbum et arrogantem, et humiliabitur. Sunt qui duas portas, baptismum intelligunt et pœnitentiam, et a prima porta vox clamoris illorum erit, qui non servaverunt quod in baptismo promiserunt. Ululatus a secunda, eorum qui non egerunt pœnitentiam de his quæ post baptismum commiserunt.

« Ululate, habitatores Pilæ, conticuit omnis populus Chanaan. » Pilam hoc loco vas debemus accipere, in quo frumenta pinsuntur, id est tunduntur, et est producta *pi* syllaba. Nam aliud est pila *pi* correpta, sphæra videlicet pilorum, qua pueri ludunt. Pilam ergo appellat Hierusalem, quasi enim vi et impetu frumenta feriente desuper pilo tunditur, ita de porta piscium et de secunda atque de collibus proruens, decurret Chaldæorum vel Romanorum exercitus, et comminuet omnia. Populum autem Chanaan, populum Judæorum appellat, quia impietates Chananæorum agebant: nam et Daniel impudicum senem semen Chanaan vocat. Venientibus itaque hostibus, conticescent nimio metu, et suorum scelerum conscientia exagitati, nec saltem Deum quem offenderunt, invocare audebunt. « Disperierunt omnes involuti argento: » illi videlicet qui divitiis confidebant, et se quasi involutos et circumseptos nimiis opibus æstimabant, et idcirco pauperes despiciebant. Et notandum quod non futuro tempore dixit: Conticescet Chanaan, aut disperibunt, sed de præterito, « conticuit » et « disperierunt; » quia quod certissime venturum erat, quasi jam venisse prævidebat. Non autem soli peribunt, qui in suis divitiis gloriantur, sed etiam qui inflantur de dignitatibus sæculi, tument vana nobilitate, pulchritudine vel robore corporis, cæterisque mundi vanitatibus extolluntur.

« Et erit in tempore illo scrutabor Hierusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in fæcibus suis. » Cum (inquit) Chaldæi vel Romani venerint ceperintque Hierusalem, tunc scrutabor cum lucerna omnia loca civitatis, in quibus abscondi poterunt, etiam cloacas et obscuras speluncas, ut nullus possit effugere. Hoc, qui subversionem a Romanis factam legerit, ita gestum inveniet. Visitabit etiam super viros defixos in fæcibus suis, hoc est, qui in corporibus confidunt. Despective enim fortitudinem corporis fæces vocat. Sive defixos in fæcibus vocat peccatores, qui consuetudine peccandi, defixi sunt in suis illecebris, nec ab eis pœnitendo ablui volunt. Hi tales, « qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, et non faciet male, » id est, nec bonis bona retribuet, nec malis mala rependet. Tropologice autem in die illa, id est in consummatione mundi, scrutabitur Deus Hierusalem, id est Ecclesiam in lucerna, hoc est in judicio Christi, qui ex humanitate constat et divinitate, sicut lucerna ex testa et lumine, per quem Deus Pater omne faciet judicium; et visitabit super viros defixos in fæcibus suis, hoc est, ulciscetur in eis, quibus sua peccata placuerunt, cum defenderent mala sua, blasphemantes Deum, tanquam tales eos fecisset, et tollentes providentiam Dei, ut nec bene facere prodesset, nec obesset male facere. In lucerna ergo Dominus Hierusalem scrutabitur, id est proferet omnia abscondita in lucem. Neque tantum de operibus, sed etiam de otiosis sermonibus et de subtilissimis cogitationibus ratio fiet et vindicta.

« Et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum in desertum, et ædificabunt domos, et non habitabunt : et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum. » Manifeste de Judæis dicitur, quorum fortitudo et omnis exercitus captivitatis tempore in direptionem data est, et domus destructæ, et agri et vineæ vastatæ. Nec prolongata est ultio, nec ultra exspectavit patientia Dei, sed velociter restituit eis quod merebantur. Sed et juxta tropologiam in die judicii omnis malorum fortitudo dabitur in direptionem. Qui ædificaverunt domos non super petram, sed super arenam, nec plantaverunt vineam electam, sed vineam Sodomorum et Gomorrhæ. Talis ergo plantatio peribit.

« Juxta est dies Domini magnus, juxta et velox nimis. Vox diei Donini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ. » Juxta litteram omnia hæc vel de Babylonica, vel de Romana captivitate dicuntur. Tunc enim experti sunt diem amaram, qui Deum ad amaritudinem provocaverant. Tribulati sunt ibi fortes et potentes, fuit dies illa dies iræ, quia sæpe quidem antea sustinuerant iram Dei, sed non in consummatione. Hæc autem ira finis eorum fuit, quia perdiderunt locum, regnum, et gentem, et in omnes mundi terminos dispersi sunt. Possunt hæc tropologice referri ad consummationem sæculi, quando erit vox amara, quæ dirigetur ad eos qui in sinistris erunt. « Ite in ignem æternum. » etc. Tribulabitur ibi fortis, quia etiam sancti pavore solventur, et virtutes cœlorum movebuntur. Erit quoque dies iræ, tribulationis et angustiæ, quando plangent omnes gentes, et nullus erit effugii locus, nullus alteri auxiliabitur. Erit « dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, » quod necesse est ut eos persequantur tenebræ, qui dum male agerent, odio habebant lucem.

Erit « dies tubæ et clangoris, » quod (ut Apostolus ait) fiet judicium in momento, in ictu oculi, in novissima tuba. » Hæc autem omnia erunt « super civitates munitas, » id est super omnem mundi confidentiam et præsumptionem. « Et super angelos excelsos, » opera videlicet perversa, et rectam Domini viam declinantia.

« Et tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt, et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpus, sicut stercora, sed et argentum eorum et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ furoris Domini. In igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. » Manifestum est quod idcirco hæc omnia Hierusalem sustinuerit, quia peccaverunt Domino Christo, tradendo eum morti. Tunc ambulaverunt, ut cæci, ignorantes quid agerent; et quia fuderant sanguinem prophetarum, et sanguinem ejus qui est Dominus prophetarum, idcirco effusus est sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum jacuerunt insepulta velut stercora. Divitiæ quoque eorum iniquitate et nimia sollicitudine quæsitæ, non poterunt liberare dominos et possessores suos, quia ignis iræ Domini devorabit eos et omnem terram regni illorum Faciet autem Dominus consummationem cum festinatione. Nam quadragesimo secundo anno post passionem Domini possessa est Hierusalem a Romanis, et consummatio facta est cum festinatione. Sed et in mundi fine tribulabuntur impii homines, id est carnales et qui secundum hominem vixerunt, et ambulabunt ut cæci, quia verum lumen perdiderunt. Quod vero sequitur : « Effundetur sanguis eorum sicut humus. » in die judicii non poterit effundi sanguis, cum jam erunt immortalia corpora. Ergo nomine sauguinis illud debemus accipere, quo vegetatur et vivit anima, fidem videlicet, spem, et charitatem, cæterasque virtutes, in quibus est vita animæ. Qui ergo hunc animæ sanguinem fuderit, id est qui hominem malo exemplo vel perversa doctrina necaverit fundetur in die judicii sanguis ejus, id est si quid vitale in bonis operibus videbatur habere, cogetur amittere.

CAPUT II.

« Convenite, congregamini, gens non amabilis. » Post prædicta mala quæ passuri erant provocat propheta populum ad pœnitentiam. Convenite, congregamini in unionem charitatis, qui eratis dispersi peccatis « Gens non amabilis, » id est indigna amore Dei.

« Priusquam pariat visio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, » id est antequam impleantur quæ prædicta sunt, quæ ita facile venient, nisi pœnitendo præveneritis, sicut levissime rapitur pulvis a vento. In quo considerandum quanta sit Dei clementia. Provocat ad misericordiam, ne faciat quod minatus est. Tropologice generalis est ad omnes exhortatio, ut congregentur in societatem Ecclesiæ, et præveniant iram Dei per pœnitentiam, ne eos dies judicii imparatos inveniat.

« Quærite Dominum, omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati.» Vox prophetæ ad sanctos dirigitur : O sancti et electi, qui præcepta Domini adimpletis, et in terra positi audistis vocem dicentis : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, » et imitati estis ejus mansuetudinem, et justitiam operati estis, quærite Dominum amando et colendo illum. Et quasi interrogaretur, quis est iste Dominus, respondetur :

« Quærite justum, quærite mansuetum, si quomodo abscondamini in die furoris Domini, » id est Christum, cui omne judicium dedit Pater. Jubetur ergo mansuetis ut quærant mansuetum, ut quod minus est in illis, ab illo qui est virtutum omnium finis, perficiatur. Sed et hoc dicendum, quod justis et mansuetis loquens, quasi dubitative dicit : Si forte abscondamini in die furoris Domini, quid fiet de peccatoribus ?

« Quia Gaza destructa erit, et Ascalon in deser-

tam. Azotum in meridie ejicient, et Acaron eradicabitur. » Tanta, inquit, erit fortitudo Chaldaici exercitus, ut etiam potentissimas urbes Philistinorum, quæ nobis semper æquo certamine restiterant, eadem captivitas apprehendat. Mystice Gaza, quæ interpretatur fortitudo ejus, eos designat qui in robore corporis confidunt, et in sæculari potentia. Hi ergo destruentur et ad nihilum redigentur. Ascalon interpretatur ponderata, vel ignis homicida, peccatores insinuat, qui juxta mensuram criminum judicabuntur, et eadem mensura qua mensi sunt remetietur eis, et qui arserunt desiderio effundendi sanguinis, et studio scandalizandi et necandi animas. Hi in desertum deducentur, ignibus gehennæ traditi. Azotus, quæ interpretatur ignis generationis, eos designat qui libero in his incendio ardent. Hos ergo in meridie, id est aperta et clara luce ejicient in tenebras exteriores, quando sancti plenam recipient charitatem. Acaron, quæ dicitur sterilitas vel eradicatio, eos typice designat qui nullos boni operis fructus habentes, et multos perversa doctrina avellunt ab amore Dei. Hi quoque eradicabuntur de terra viventium.

« Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum. » Quatuor magnis urbibus Palæstinæ nominatis, nunc ad totam provinciam propheticus sermo dirigitur, et prædicitur quod et ipsi qui juxta mare habitabant vastandi sint. Quid vero sequitur, « Verbum Domini super vos, Chanaan, terra Philistinorum, et disperdam te ita, ut non sit inhabitator, » ostendit Philisthæos Chananæos esse, minaturque eis propheta quod ad tantam venturi sint vastitatem, ut urbes munitissimæ in ovilia pastorum vertantur:

« Et erit funiculus maris requies pastorum et caulæ pecorum, et erit funiculus ejus qui remanserint de domo Juda, » id est Chanaan vel Philisthiim « Ibi pascentur in domibus Ascalonis, ad vesperam requiescent. » Cumque filii Juda reversi fuerint de captivitate sub Zorobabel et Jesu et Nehemia, omnis terra Philistinorum, qui in captivitate tenebantur, erit eorum possessio, et sic erit deserta, ut pastores de reliquiis Judæorum in Ascalone nobilissima quondam urbe greges suos post meridiem faciant accumbere. Hoc autem fiet, « quia visitabit eos Dominus Deus eorum, et avertet captivitatem eorum. » Hoc juxta historiam : spirituali vero sensu, civitates Philistinorum quarum prænuntiatur interitus, superbiam gentilium designant, juxta præpositam nominum interpretationem. Hi sunt habitantes in funiculo maris, quia diversis fluctibus errorum tunduntur. Destructa ergo eorum superbia, domus Juda hoc est vera Ecclesiæ confessio in eorum loca incipit habitare, dum pro impietate succedit pietas, injustitiam extrudit justitia, superbiam humilitas sibi substernit.

« Audivi opprobrium Moab et blasphemias filiorum Amen, quæ exprobraverunt populo meo. » Prædicta clade Palæstinorum, et exterminio civitatum illius terræ, nunc contra Moab et filios Amon propheta convertitur, et eis prænuntiat mala ventura eo quod Babyloniis auxilium præbuerint contra populum Dei, et cum eis civitatem templumque subruerint, et insultantes captis Judæis Deum blasphemaverunt. Audivi opprobrium Moab. Hæc civitas est Arabiæ, et nunc Areopolis, id est Martis civitas dicitur. Et blasphemias filiorum Amon, quæ et ipsa civitas Arabiæ, nunc Philadelphia vocatur. Uno autem nomine et regio et civitas nuncupatur. « Et magnificati sunt super terminos eorum » qui, ejectis illis, dilataverunt in terra eorum fines suos.

« Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit, et filii Amon quasi Gomorrha. » Hoc quomodo juxta litteram factum sit, exponi non potest. Neque enim hæ urbes sunt subversæ sicut Sodoma et Gomorrha, neque terra eorum sulphuris nubibus exusta, et in cineres favillasque conversa est, sed adhuc urbes inhabitantur, licet permutatis vocabulis, et regio excolitur. Ergo ad spiritualem sensum confugiendum est. Moab et Amon filii fuerunt Lot, de incestis nuptiis generati. Lot interpretatur declinans, Moab ex patre, Amon populus meus. Per hos ergo designantur hæretici, et omnes gravi dogmatis repertores, qui declinantes a vero Patre Deo, facti sunt filii diaboli, et audiunt a Domino : « Vos ex patre diabolo estis, » et nec jam populus sunt Dei, nati in tenebrosa spelunca. Hi ergo insultant simplicitati Ecclesiæ, et magnificant se super terminos ejus, facientes contra hoc quod Salomon dicit : « Ne transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui. » His ergo sub quadam contestatione minatur, quod sicut illæ civitates subversæ sunt corporaliter, sic isti sunt subvertendi æterna damnatione, et ignis, sulphur, ac spiritus procellarum, sit pars calicis eorum. Siccitas spinarum et acervi salis, et desertum usque in æternum. » Recte hæretici siccitas spinarum vocantur, quia velut spinæ lacerant semper et discindunt unitatem Ecclesiæ, arescentes per impietatem suam, et ad nihil aliud apti quam ut in ignem mittantur æternum. Ipsi quoque sunt acervi salis, quia velut sal infatuatum projiciuntur de Ecclesia, et ab omnibus conculcantur. Hos ergo « reliquiæ populi mei diripient illos, et residui gentis meæ possidebunt eos, hoc eis eveniet pro superbia sua, quia blasphemaverunt et magnificati sunt super populum Domini exercituum. Horribilis Dominus super eos et attenuabit omnes deos terræ, et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ, gentium. » Hoc est doctores et prædicatores veritatis, qui et falsam hæreticorum scientiam destruunt, et impia dogmata diripiunt.

« Sed et vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis, et extendet manum suam super aquilonem, et perdet Assur : et ponet speciosam in solitudinem et in invium, et quasi desertum, et accubabunt in medio ejus greges, omnes bestiæ gentium, et onocrotalus et ericius in liminibus ejus morabuntur. » Hæc omnia quæ de Philisthiim et Moab et filiis Amon dicuntur,

Judæi ad Christi sui adventum referunt, quem putant venturum in sæculi consummatione, et rursum exstructurum Hierusalem, et liberaturum Judæos de potestate omnium gentium, eumque adorandum ab omnibus, juxta quod supra dictum : « Et adorabunt. eum viri de loco suo, et omnes insulæ gentium. » Nec solum supra dictas gentes vicinas Judæis, sed etiam Æthiopes et Assyrios superandos ab illo, ipsam Ninivem in solitudinem redigendam, ita ut fiat habitatio bestiarum. Hoc est enim quod dicitur. Speciosa redigetur in solitudinem, quia Ninivem Babylonem intelligit, maxime propter similitudinem monstrorum onocrotali et ericii, quæ Isaias propheta in Babylonia fuisse describit post ejus vastationem. Sciendum vero onocrotalorum duo esse genera, unum aquatile, aliud solitudinis. Dictus autem onocrotalus, quia crotalon Græci cymbalum vocant, et hæc avis, quia voce caret, rostrum in modum cymbalorum repercutiens, vocis similitudinem reddit. Et quod dicitur, « vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari » vel dæmones volunt intelligi, vel variarum voces volucrum, quæ solent in desertis urbibus morari, sicut ululæ, bubones, et stryges, cæteraque perplura, quæ omnia indicia sunt solitudinis.

« Quoniam attenuabo robur ejus, » id est Ninive vel Babylonis imminuam fortitudinem. « Hæc est civitas gloriosa. » Vox prophetæ quasi insultantis ei post ruinam, et dicentis : « Hæc est civitas gloriosa, » « habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo : Ego sum, et extra me non est alia amplius. » Quod non solum ore locuta est, verum et in corde sic esse putavit. « Quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? Omnis qui transit per eam sibilabit, et movebit manum suam. » Quod ergo in deserta civitate monstruosæ bestiæ dicuntur habitasse, aut ita fuit juxta litteram, aut sub figura bestiarum mutari varietates nationum indicatur. Tropologice Æthiopes sunt infideles, qui nondum horrorem veteris hominis tanquam nigredinem deposuerunt. Comminatur ergo his qui nolunt ad meliora converti, et abluere nigredinem peccatorum, quod ejus gladio interficiendi sint, gladio videlicet verbi Dei acutissimo, ut agentes pœnitentiam sicut Ninivitæ, moriatur in eis peccatum, et vivat justitia. Et hoc quidem ipse Dominus minatus est, nunc vero propheta loquitur de Deo per tertiam personam « Et extendet manum suam super aquilonem, et perdet Assur. » Aquilo ventus est frigidissimus, qui et dexter vocatur. Significat autem diabolum, qui in eorum cordibus requiescit in quibus refrixit charitas, quem et sponsa vult ab Ecclesiæ horto recedere, dicens : « Surge, aquilo, et veni, Auster. » Dexter autem ab illis vocatur, qui ejus frigore delectantur, cæterum opere sinister est. Postquam vero extenderit manum suam super aquilonem, perdet Assur, qui dirigens, vel magis coarguens interpretatur, eumdem designans diabolum, qui omnes sequaces suos ad mortem dirigit, quique illos quibus peccata suggerit, postea coarguit, et ab eis pœnas exigit. Hunc ergo Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui. Tunc speciosa Ninive, id est mundus cum principe suo peribit, ita ut nullus ejus misereatur. Nec abhorret si speciosam dicamus Ecclesiam, quæ in fine mundi sub Antichristi persecutione, cum abundaverit iniquitas, et refrixerit charitas, ponetur in solitudinem, paucissimis remanentibus, qui se vere et non simulate fateantur esse Christianos. Et tradetur bestiis, et implebitur monstris vitiorum. Onocrotalus enim, qui amat solitudinem, eos designat, qui se ab Ecclesia scindunt, et sua illi conventicula præferunt, et stridorem sive fragorem falsorum dogmatum magis quam vocem edunt. Septuaginta pro onocrotalo « chamæleontem » posuerunt, quod est animal diversos mutans per momenta colores, eos designans qui per diversa vitia, nunc libidine, nunc avaritia, nunc crudelitate, modo tristitia, modo inutili exsultatione mutantur. Ericius vero spinosum animal et timidum, et in sphæram se colligens ne deprehendi possit, eos innuit qui obsessi sunt sensibus peccatorum, et ipsa peccata defendunt, nec uni quidem sua scelera confiteri volunt. Corvus immunda avis et lanians, designat eos qui cum sint immundi vitiis, aliis detrahunt, et loquuntur pacem cum proximo, mala autem sunt in cordibus eorum.

CAPUT III.

« Væ, provocatrix et redempta civitas, columba non audivit vocem, et non suscepit disciplinam. In Domino non est confisa, ad Deum suum non appropiavit. » Post prædictam diversarum gentium captivitatem, revertitur propheta ad Judæos, et omnis ejus sermo contra Hierusalem est. Væ (inquit), o civitas, quondam columba, per legem ad servandam innocentiam generata, sæpe peccans, captivata et rursum redempta. Væ, civitas provocatrix, id est ad amaritudinem suis sceleribus perducens Deum, sive provocatrix, quia post acceptam pietatis notitiam ad impietatem conversa est. Provocare enim Deum est sciendo peccare, Non audivit præceptum Domini, et correpta noluit recipere disciplinam, neque, cum malis premeretur, confisa est in Domino. Et cum Dominus dicat : « Ego sum Deus appropinquans, et non Deus de longe, » ipsa tamen noluit ei appropinquare.

« Principes ejus, in medio ejus quasi leones rugientes. » Describit propheta quales principes et judices sive sacerdotes habuerint. Principes (inquit) ejus quasi leones semper versabantur in prædam, et proni erant ad effundendum sanguinem subjectorum. « Judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane, » non dimittentes aliis quod rapere possint.

Prophetæ ejus vesani, » id est insanientes. « Viri infideles, » quia loquebantur quasi ex ore Domini, sed omnia fatua et falsa proferebant : « sacerdotes ejus polluerunt sanctum, injuste egerunt contra legem » committentes sacrilegium in loco sanctuarii, dicentes secundum legem facere, cum omnia agerent contra legem. Quia ergo illi egerunt injuste.

« Dominus justus in medio ejus, non faciet iniquitatem, » A sed restituet illi quod meretur. « Mane, mane », id est manifeste, « judicium suum dabit in lucem, et non abscondetur. Nescivit autem iniquus confusionem. » Et hæc fecit ut correpta civitas converteretur ad melius, sed Israel nescivit confusionem.

« Disperdidi gentes, et dissipati sunt anguli earum. Desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat. Desolatæ sunt civitates eorum, non remanente viro, neque ullo habitatore. Dixi : Attamen timebis me, suscipies disciplinam, et non peribit habitaculum ejus, propter omnia in quibus visitavi eam. Verumtamen diluculo surgentes, corruperunt omnes cogitationes suas. » Quia (inquit) per plagas non potui illos corrigere volui saltem ut per benefi- B cia converterentur, et agerent pœnitentiam. Disperdidi ergo gentes tibi, o Juda, contrarias, desolavi civitates propter te, et vias earum feci invias, ut nullus per eas transiret. Et post hæc misi prophetas qui monerent, et ad pœnitentiam te provocarent. Feci hæc omnia ut timeres me et susciperes disciplinam. Quod si fecisses, non periret habitaculum tuum, id est templum propter scelera quæ gesseras. Hæc Domino faciente, illi quasi de industria et ex contentione mane surrexerunt, ut implerent cogitationes suas, qui festinare debuerant ut redirent ad Deum, e contra festinaverunt ut malum quod mente conceperant, opere agerent. Possunt hæc tropologice referri ad Ecclesiam, quæ recte vocatur columba, C quia simplices et sine malitia habet fideles. Sed quia intra eam sunt, qui confitentur nosse se Deum, factis autem negant, quales sunt hæretici et mali Christiani, ideo dicitur : « Hæc non audivit vocem Domini » Cujus mali principes et judices, hoc est doctores et magistri, assimilantur leonibus et lupis vespertinis. Horum vias, id est pravas actiones dissipat Dominus, et urbes, id est confidentiam quam in pravis dogmatibus habent, destruet. Dabit etiam judicium suum in lucem, finita nocte hujus sæculi. Et non abscondetur cum exigere cœperit a servis commissam pecuniam, et tunc dissipabuntur anguli eorum, id est pravæ voluptates, a recto itinere declinantes. Sed licet hæc faciant, tamen non recedit Dominus ab ea, sed admonet ut timeant eum et susci- D piant disciplinam. Verum quia justus est, non parcit peccantibus, sed restituit quod merentur.

« Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum ut congregem gentes, et colligam regna. » Judæi et nostri judaizantes ad tempora Antichristi hoc referunt. Putant enim ab illo coadunanda esse omnia mundi regna, sed uno ejus imperio, et tunc una, id est Hebræa lingua omnes homines locuturos, sicut ante diluvium fuit. Nos vero, beatum Hieronymum sequentes, ad tempora ista referamus Ecclesiæ. « Exspecta me (inquit) in die resurrectionis meæ, » id est præpara te ad tempus resurrectionis meæ. Cum enim post peccata et vitia, quæ sunt mors animæ, ad bonam vitam præparamur, resurgit in nobis Christus. Quia enim ipse caput, et omnes electi membra ejus sunt, recte et commori et conresurgere dicitur membris suis, sicut et consedere ei in throno ejus, juxta quod in Apocalypsi promisit : « Qui vicerit, faciam illum sedere in throno meo. » Et Apostolus : « Convivificavit et consedere nos fecit in cœlestibus. » Potest et sic accipi. « Exspecta me in die resurrectionis meæ, » hoc est, in tempore novissimi judicii, quando omnes resurgent, et ego cum membris meis resurgentibus resurgam, et tunc congregabuntur gentes, et colligentur regna, id est potestates sæculi, vel magistri perversorum dogmatum.

« Et effundam super eas indignationem meam, et omnem iram furoris mei. » Super eos qui minus peccaverunt, effunditur indignatio Domini, qui designantur per gentes. Qui vero potentes sunt in malo et hæresiarchæ, super eos effunditur omnis ira furoris Domini. « In igne enim zeli mei devorabitur omnis terra, » id est quidquid terrenum est, et ad carnis opera pertinet. Ergo quod superius minatus est, non est crudelitatis, sed misericordiæ, cum ad hoc indignatio et furor effunditur, ut terra, id est peccatorum rubigo exuratur.

« Quia tunc reddam populis labium electum, ut vocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno. » Tum, inquit, id est cum deposuerint errores suos, reddam illis labium electum, id est antiquum confessionis meæ eloquium. Hoc autem erit, cum secundum Apostolum in nomine Jesu omne genu flectetur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus est in gloria Dei Patris : hoc est enim : « Serviant ei humero uno, » id est pari devotione jugum dominationis ejus suave, et onus ejus leve suscipientes.

« Ultra flumina Æthiopiæ inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus mihi. » Ordo verborum est : O filia dispersorum meorum, ultra flumina Æthiopiæ deferent munus. Filiam dispersorum vocat Synagogam, quondam filiam, quam jam pene in toto orbe disperserat. Est autem sensus : O Israel, o Synagoga quondam filia, nunc dispersa et captivata, licet æmulatione crucieris, et invideas saluti gentium, tamen te nolente de Æthiopia (hoc est, de gentilitate peccatis nigra et infidelitate tenebrosa) deferent mihi munera. Et nunc regina Saba, id est gentium Ecclesia, veniet audire sapientiam veri Salomonis. Hinc et Psalmista : « Æthiopia præveniet manus ejus Deo. » Flumina Æthiopiæ juxta litteram Nilum dicit, qui in septem flumina deducitur. Spiritualiter flumina Æthiopiæ populi sunt gentium, qui Domino victimas gratiarum et sacrificia fidei ac devoti pectoris detulerunt.

« In die », inquit, « illa, » id est in tempore, cum gentium crediderit multitudo, « non confunderis » tu, o filia dispersorum meorum. « Super cunctis adinventionibus tuis, quibus prævaricata es in me, » eligendo Barabbam, et Dei Filium crucifigendo :

« Quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, » id est Pharisæos et scribas, sive sacerdotes, magna contra Dominum loquentes. « Et non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo, » id est in Ecclesia fidelium, jactando te de generis nobilitate et electione patrum. Hoc autem factum est quando post resurrectionem Domini prædicantibus apostolis una die crediderunt tria millia, alia die quinque millia, et deinceps multa millia, multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.

« Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum, et sperabunt in nomine Domini reliquiæ Israel. » Cum abstulerit Dominus magniloquos superbiæ de manu populi sui, derelinquentur pauperes et egeni, apostoli videlicet illitterati homines, et nullis mundi opibus fulti, et ipsi sperabunt in nomine Domini. Ipsi enim sunt reliquiæ Israel, de quibus Isaias : « Reliquiæ salvæ fient : » Hæ reliquiæ « non facient iniquitatem, nec loquentur » contra Dominum « mendacium, et non invenietur in ore eorum lingua dolosa, » ut aliud verbis promant, aliud corde machinentur : « quoniam ipsi pascentur » divini verbi pabulo, et poterunt dicere cum Psalmista : « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit. » « Et accubabunt » secure, requiescent in pascuis Ecclesiæ: « et non erit quæ exterreat » : fide credentium superante omnem persecutorum sævitiam. Possunt hæc et ad secundum referri Domini adventum, cum jam evacuaverit omnem principatum et potestatem, et cum novissime destructa fuerit inimica mors, quando electi liberi ab omni corruptione et metu mortis, accubabunt securi in pascuis beatæ visionis Dei.

« Lauda, filia Sion, jubila » tu, « Israel. Lætare et exsulta in omni corde, filia Hierusalem : » Filia Sion, sancta est electorum Ecclesia, quæ in specula, hoc est, in contemplatione Domini consistit. Hanc alloquitur Spiritus sanctus, ut laudet et gratias agat regi Israel Christo Domino, qui eam redemit, quique factus est ei a Deo justitia et sanctificatio et redemptio. Ipsa etiam est filia Hierusalem, quæ videt veram pacem, quia Hierusalem visio pacis interpretatur. Et præsens Ecclesia filia est illius, quæ sursum est Hierusalem, quæ est mater nostra. Monet ergo eam ut exsultet, non qualicunque exsultatione, sed in omni corde. Et causa subditur quare lætari debeat et exsultare :

« Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos rex Israel. » Hoc est damnationem, quando remisit iniquitatem plebis suæ, cum eam redemit pretioso sanguine suo. Plenius vero ablaturus est in sæculi consummatione judicium ejus, cum eam redimet de interitu, et corroborabit in misericordia. Avertet quoque inimicos, id est omnes persecutores, sive etiam turbas dæmonum, omniaque paci æternæ quietis contraria. « Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. » Ipse enim dixit, « Inhabitabo in illis, et inter illos ambulabo. » Et ipse Filius promittit, dicens : Veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Illo ergo nobiscum et in

A medio nostrum habitante, non timebimus malum ultra.

« In die illa dicetur Hierusalem : Noli timere. » In die illa, hoc est in fine sæculi, dicetur ad Hierusalem liberam sanctorum matrem, vel ab angelis vel a Spiritu sancto, « Noli timere. » Dicetur et ad « Sion, » id est ipsam Ecclesiam, Deum feliciter speculantem : « Non dissolvantur manus tuæ, » quia nequaquam operaberis ultra quod te fecisse pœniteat. Et unde ei tanta securitas, ostendit subdens :

« Dominus Deus tuus in medio tui, fortis ipse salvabit » te. « Gaudebit super te in lætitia, » et « silebit » non reputans tibi peccata tua. « In dilectione tua, » id est, in charitate, qua te gratis B dilexit. « Et exsultabit super te in laude, » vel qua te laude dignam fecit, vel qua tu eum exsultando laudabis.

« Nugas qui a lege recesserant congregabo, » hoc est, inutiles et leves, qui legem prævaricando a sinu tuo recesserant, congregabo. « Quia ex te erant, ut ultra non habeas super eis opprobrium, » et secundum Apostolum non repulit Deus plebem suam quam præscivit. Hos ergo congregabo et reducam ad te, liberans eos de potestate dæmonum, ut non amplius de eorum perditione sustineas opprobrium. Sciendum nugas Hebræum esse verbum, apud Latinos usitatum. Unde scire possumus Hebræam linguam matrem esse omnium linguarum.

C « Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo, et salvabo claudicantem, et eam quæ ejecta fuerat, congregabo. » Aperta Spiritus sancti consolatio ad Ecclesiam generaliter, vel specialiter ad unam quamque fidelem animam. Multi enim sunt qui vel totam Ecclesiam, vel sanctam quamque animam improperantes et irridentes, cum vident aliquem virum sanctum quæ mundi sunt spernere et cœlestia appetere. Solent enim dicere : Insanus est, non sic vivit ut nos, conventus hominum fugit, delicias mundi spernit, et cætera hujusmodi. Qui vero infideles sunt exprobrant illi crucem Christi, et si in aliqua eum viderint tentatione, dicitur quod et Tobiæ sancto propinqui dicebant : « Ubi sunt justitiæ et eleemosynæ quas faciebas ? » Pollicetur ergo Dominus de talibus se facturum vindictam : « Ecce, in- D quiens, interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo, et salvabo claudicantem, » sive afflictam Ecclesiam, vel fidelem animam, quæ in præsenti vita diaboli vel membrorum ejus persecutione pressa, nutat inter procellas sæculi, cum tamen fixo gradu et solido gressu fidei ambulet. Hanc ergo claudicantem et afflictam salvabit, et abjectam congregabit. Abjecta quippe et Ecclesia, abjecta omnis fidelis anima apud sæculi amatores, ut sæpissime in psalmis sancti queruntur et dicunt : Nunc autem repulisti et confudisti nos. Nec mirum, cum ipse quoque Dei Filius ex parte humanitatis dicat Patri : Tu vero repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum. « Et ponam eos in laudem, et in nomen in

omni terra confusionis eorum, in tempore illo quo adducam vos, et in tempore quo congregabo vos. Dabo enim vos in nomen et in laudem omnibus populis terræ, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus. » Quos ponet in laudem et nomen, nisi filios abjectæ et claudicantis : Petrum videlicet, Paulum, et reliquos sanctos, quorum nomina cum gloria magnificantur per ecclesias toto orbe diffusas. Hoc autem fiet, cum adducet et suscipiet filios afflictæ, cum fuerint positi in gloriam, et cum de eorum victoria et triumphis fuerit gloriatus Dominus, sicut et de patientia Job gloriabatur contra diabolum. Tunc videbunt esse felices, quos in præsenti putabant miseros. Tunc cernent captivitatem eorum reduci in cœlestem Hierusalem in gloriam æternam, se autem resurgere in confusionem æternam.

IN AGGÆUM PROPHETAM.

Aggæus propheta, festivus vel solemnis interpretatur: vaticinatus est restaurationem templi Domini, et contritionem gentium, et mundi commotionem, et sub figura Zorobabel, Christi prædicit adventum. Fuit autem unus ex illis qui nuper reversi fuerant de captivitate Babylonis sub Zorobabel et Jesu sacerdote et Esdra, nondum reædificata Hierusalem nec templo Domini. Habitabat autem populus in domibus concavis et humilibus, quapropter ad eos non fit sermo Domini. Indigni enim erant ut ad eos fieret, qui nullam habebant curam templi reædificandi, humili et campestri habitatione contenti, et erant sub Dario Persarum rege, qui interpretatur generatio non facta, sive, qui fuerint, eos designans qui carnis operibus et libidini serviunt. Talem regem merebatur habere populus qui sine templo Dei erat. et non in monte Sion, sed deorsum habitabat.

CAPUT PRIMUM.

« In anno secundo Darii, regis » Persarum « in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ. » Binarius numerus frequentissime in malam ponitur significationem. Dividit enim primam unitatem, et idcirco copulam conjugalem sive discordiam designat. In Genesi quoque cum in aliorum omnium dierum consummatione dicatur : Vidit Deus quod esset bonum in secundi diei fine non habetur. In sexto quoque mense nulla est legalis solemnitas, sicut in aliis, quoniam servitutis opera et labores designat. Recte ergo et in anno secundo Darii, et in sexto mense fit sermo Dei ad Aggæum, propter supra dictas causas, quoniam templum non habebant, et in concavis habitabant, et quia sub Dario carnis operibus serviebant. Quia vero jam altare ædificatum erat, et fundamenta templi jactata, idcirco in una die mensis, factum est verbum Domini, ut illi relinquentes secundum annum Darii, reverterentur ad unitatem Dei. Quod vero dicitur, « Factum est verbum Domini in manu Aggæi, » ostendit eum bona habuisse opera, atque in eis factis requievisse verbum Dei. Aggæus interpretatur festivus. Ex quo innuitur quia qui solemnitates Domini non in fermento malitiæ et nequitiæ sed in azymis sinceritatis et veritatis studet celebrare, hic talis potest sermonem Dei recipere. « Ad Zorobabel filium Salathiel ducem Juda, et ad Jesum filium Josedech sacerdotem magnum, dicens. » Salathiel iste cujus filius dicitur fuisse Zorobabel, filius fuit Jechoniæ regis, qui in Babylonem ductus est. Interpretatur autem Zorobabel fluxus adjacens, sive expositus, vel ortus in Babylone, sive princeps in Babylone. Significat Christum Jesum, qui ædificavit templum Deo Patri, de vivis lapidibus, hoc est utriusque testamenti fidelibus. Ipse quasi largissimæ fluxus venæ expositus est nobis ad bibendum. Sed ut hunc possimus bibere, a Deo debemus petere, quod innuit Salathiel pater ejus, qui interpretatur petitio Dei. Hic natus est in Babylone, et Christus Dei Filius in confusione hujus mundi incarnatus apparuit, ut nos qui in captivitate peccati tenebamur eriperet, et ad promissionis terram reduceret. Factus est sermo Domini ad Zorobabel, factus est et ad Jesum sacerdotem magnum. Historialiter vero duo fuerunt homines, unus de tribu Juda et de stirpe regia, alter de tribu sacerdotali. Mystice vero unum eumdemque designavit Christum, qui est verus rex et magnus sacerdos, cujus typum secundum quod rex est, gerebat Zorobabel : secundum quod sacerdos, typum ejus portabat Jesus, qui erat filius Josedech, id est, Dominus justus. Deus enim Pater justus et sanctus est, cujus est Filius Jesus Christus, Dominus et Salvator noster.

« Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Populus iste dicit : Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. » Non hoc Zorobabel, nec Jesus sacerdos magnus dicebat, sed populus qui de captivitate reversus, adhuc sub Dario erat. Sic spiritualiter omnis qui servit voluptatibus carnis, non vult ultra intra sedem pectoris sui ædificare templum Domino pudicitiæ. Potest hoc et ad Judæos hujus temporis referri, qui pro Christo Antichristum exspectant, et dicunt nondum esse tempus Ecclesiæ, quia nondum venit Christus.

« Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens : Nunquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta? » Contra hoc quod populus dicebat, nondum venit tempus domus Domini ædificandæ, profertur responsio Domini. Ergo neque tempus est ut vos habitetis in compositis et ornatis domibus, quæ non solum ad usum sunt, sed ad delicias. Et dicitis nondum esse tempus ut mea domus ædificetur, in qua

fuerunt sancta sanctorum et Cherubin, quæ nunc squalet solitudine, torretur æstu, perfunditur pluviis.

« Et nunc, hæc dicit Dominus exercituum : ponite corda vestra super vias vestras. » Quia (inquit) dicitis : Nondum est tempus ædificandæ domus Domini ; considerate quæ fecistis, et quæ passi estis. Omnis enim labor vester nullum potuit habere proventum.

« Seminastis multum, et intulistis parum, » et multum minus quam severatis, collegistis. Non tamen potestis dicere : Ideo famem secutam, quod in exercenda terra agricola cessaverit. « Comedistis, et non estis satiati ; bibistis, et non estis inebriati ; operuistis vos, et non estis calefacti. Et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. » Non tamen potestis dicere voluntarium fuisse jejunium, sed quia parvos fructus congregaveratis in horrea. Vinum bibistis, sed non tantum quod sufficeret ad exhilaranda corda potantium. Ipsum quoque vestimentum non potuit frigus pellere aut calefacere. Si quis autem mercedes congregaverat, sive in negotiatione, seu mercenaria manu, frustra laboravit, quia omnes pecuniæ defluxerunt, veluti in pertusum sacculum missæ. Spiritualiter illi corda super vias suas ponunt, qui absque judicio discretionis nihil faciunt, qui ante mentis oculos lucernam verbi Dei semper habent. Multum autem seminat, sed parum colligit, qui in prædicationis opere assidue laborat ; sed minimum ex auditorum fide et operatione fructum percipit, dum eos verbo et exemplo scandalizatos ostendit. Comedit, et non saturatur ; bibit, et non inebriatur, qui recta quæ novit, non operatur. Hinc Salomon dicit : Justus comedit, et replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis. Congregatas vero mercedes in pertusum sacculum mittit, qui virtutum opera propter ostentationem vanæ gloriæ peragit, vel qui de rapinis eleemosynam indigentibus tribuit. Operitur autem, et ex calore non fovetur, qui divinam sapientiam, qua ornetur et a malitiæ frigore defendatur, accipit, sed tepide et desidiose eam exsequendo, caloris illius gratia privatur.

« Hæc dicit Dominus exercituum : Ponite corda vestra super vias vestras. Ascendite in montem, portate lignum, et ædificate domum. » Considerate (inquit) cuncta quæ geritis, et relicta cura vestrarum domuum, ascendite in montem Libanum, præcidite ligna, et ædificate domum meam. » Et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus. » Quid autem ligna tantum, non lapides jubet afferri, illud est quod Hebræi dicunt, quia post incensum templum parietes remanserant, et idcirco ligna tantum ad contignanda necessaria erant : Mystice, in montem ascendere, est altitudinem divinæ contemplationis virtutum profectibus scandere, ac testimonia Scripturarum quærendo incidere, ut inde ædificetur templum acceptabile Domino.

« Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus, et intulistis in domum, et exsufflavi illud. » Dicam (inquit) aliud, quod vobis accidit. Cum jam metendi tempus instaret, et frumenta vos in manibus tenere putaretis, messuistis vacuos culmos, et inanes stipulas sine granis congregastis. Sed et hoc quod de magnis acervis modicum fuerat electum, cum intulissetis in domos vestras, efflavi illud, et ex mea virtute dispersum et ad nihilum redactum est. Spiritualiter illi ad amplius respiciunt, et minora recipiunt, qui de suis operibus gloriantes, æternam mercedem sibi falso a Domino pollicentur. « Quam ob causam dicit Dominus exercituum, quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam. » Mystice illi in domum suam deserta domo Dei festinant, qui mundanis cupiditatibus capti, et terrenis actibus occupati, templum Dei construere negligunt.

« Propter hoc, super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen suum. » Non solum (inquit) cœli pluviam non dederunt, sed nec rorem quidem matutinum, ut arentes agri modico saltem humore temperarentur. Typice, cœli sunt apostoli, rorem et pluviam doctrinæ cœlestis, terræ, id est auditorum cordibus infundentes. Prohibiti sunt cœli ne darent rorem, quando perfidis Judæis verbum salutis spernentibus præceptum est apostolis, ut, euntes in mundum universum, prædicarent gentibus.

« Et vocavi siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vinum, et super oleum, et quæcunque profert humus, et super homines, et super jumenta, et super omnem laborem manuum. » Vocatur siccitas primo super terram, deinde super omnia quæ profert humus, ad ultimum super homines et super jumenta, quia, præcedente fame, profecto super homines et jumenta mors venit, sicque idem gladius quæcunque manus hominum laboraverat, consumit.

« Et audivit Zorobabel, filius Salathiel, et Jesus, filius Josedech, sacerdos magnus, et omnes reliquiæ populi vocem Domini Dei sui, et verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad ipsos, et timuit populus a facie Domini. » Diligenter attendendum, quod non Zorobabel nec Jesus sacerdos timuisse dicuntur, sed populus timuit a facie Domini, uterque enim Christum significat, qui est rex et sacerdos in duabus naturis Dei et hominis et una persona. Audientibus ergo Zorobabel et Jesu magno sacerdote verba Domini, timuit sola multitudo, quæ necdum in virum perfectum evaserat, a facie Domini, id est indignatione ejus, quoniam vultus Domini super facientes mala.

« Et dixit Aggæus, nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens. » Ex hoc loco quidam sumpserunt errorem, putantes Aggæum angelum natura fuisse, et quadam divina dispensatione humanum corpus assumpsisse, propter hoc quod dicitur : Dixit Aggæus, nuntius Domini. Hoc idem et de Malachia, et de Joanne Baptista opinantur. Sed sciendum, na-

tura eos homines fuisse, officio vero angelos, id est nuntios, qui populis Dei voluntatem annuntiabant. Hic ergo propheta nuntius dicitur, id est angelus, quoniam typum gestabat Domini Salvatoris, qui et ipse magni consilii angelus dicitur. Quod autem dicit : « Nuntius Domini de nuntiis Domini, » tale est ac si diceret, propheta de prophetis « Ego vobiscum, dicit Dominus. » Non hoc ad Zorobabel nec ad Jesum dicit, sed ad populum qui timuerat a facie Domini. Illi enim in persona Christi accipiuntur, ut dictum est, et cum eis atque in eis semper erat Dominus. Confortat ergo Dominus populum, dicens : « Ego vobiscum sum, ego ero vester adjutor. »

« Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel, filii Salathiel, ducis Juda, et spiritum Jesu, filii Josedech sacerdotis magni, et spiritum reliquorum de omni populo. » Suscitatur spiritus Zorobabel et spiritus Jesu, ut regnum et sacerdotium ædificarent templum. Suscitatur spiritus reliqui populi, id est devotio animi et voluntas, ut faceret quæ præceperat Dominus. « Et ingressi sunt, et faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui. » Ingressi sunt, quoniam foras exierant, id est suimet obliti erant, sicut prodigus filius, de quo dicitur quod in se reversus est, quando decrevit ad patrem redire.

CAPUT II.

« In die vicesima et quarta mensis in sexto mense in anno secundo Darii regis. » Cœperunt ædificare eodem anno, qui supra positus est, et in eodem mense, sed non in eadem die. Supra enim unus mensis, id est primus ponitur, hic vero vicesimus quartus. Ex quo intelligimus inter primum diem, quo Dominus locutus est per Aggæum, et vicesimum quartum quo operari cœperunt, fuisse medios viginti duos dies. Apud Hebræos viginti duæ litteræ sunt. Per hoc ostenditur quoniam populus necesse habebat doceri et discere elementa sermonis Dei. Mystice, quandiu in hac vita sumus, quasi sub Dario vivimus, quia caro repugnat spiritui, et spiritus carni, et in sexto mense, in quo numero perfecte Deus omnia, et in secundo anno, in quo numero constat sobolis reparatio. Necesse est ergo ut timeamus a facie Domini, et ingrediamur, et faciamus opera Domini, id est ex virtutibus Domino in nobis templum ædificemus. Vicesimus quartus dies, qui numerum duplicatum habet duodenarium, designat ex utroque populo Judaico et gentili congregandos fideles, et spirituale templum ædificaturos. Hoc quoque dicendum, quod triplicatus octonarius viginti quatuor perficit : quia vero circumcisio, quæ octava die fiebat, et spiritualis templi ædificatio, in fide constat sanctæ Trinitatis.

« In septimo mense, vicesima prima » die « mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens : Loquere ad Zorobabel, filium Salathiel, ducem Juda, et Jesum, filium Josedech, sacerdotem magnum, et ad reliquos populi, dicens. » Eodem quidam anno, quo et supra, id est secundo Darii, sed

A etiam mense septimo et vicesima prima die mensis, iterum factum est verbum Domini in manu Aggæi. Mensis septimus totus festivus erat atque solemnis. Jure itaque fit sermo Domini ad Aggæum, id est festivum, in septimo (id est festivo) mense, et in vicesima prima die mensis, impletis scilicet tribus hebdomadibus, et completo mysterio Trinitatis. Ter enim septem, viginti unum sunt.

« Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima ? Et quid vos videtis hanc nunc ? Nunquid non ita est quasi non sit in oculis vestris ; et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus, et confortare, Jesu, filii Josedech, sacerdos magne, et confortare, omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum, et facite quoniam ego vobiscum sum, B dicit Dominus exercituum, verbum quod placui vobiscum, cum egrederemini de terra Ægypti. » Clementissime consolatur Dominus populum, qui priorem domum in sua gloria viderant, in cujus comparatione hæc videbatur quasi non esse. Nolite (inquiens) desperare, nolite manus submittere, ego enim sum vobiscum, ego omnipotens locutus sum, cujus dixisse fecisse est, et illa implebo quæ vobiscum pepigi, cum vos de Ægypto eduxi. « Et spiritus meus, » id est divinitas majestatis meæ, sive Spiritus sanctus, cujus est omnis consolatio, unde et paracletus appellatur, « erit in medio vestrum. » Est autem hic tota commemorata Trinitas. Pater est qui dicit : Ego sum vobiscum : Filius, verbum quod placui vobiscum ; Spiritus sanctus : Et spiritus (in- C quit) meus erit in medio vestrum. « Nolite timere, quia hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram et mare et aridam, et movebo omnes gentes. » Quando primum in monte Sina Testamentum dabatur, movi cœlum, quando vobis de cœlo locutus sum, movi terram, quando meam præsentiam caligo et tenebræ et turbo cernebant, et ut Psalmista ait : « Deus : cum egredereris in conspectu populi tui, » et reliqua, movi mare Rubrum, quando divisi illud, et viam præbui populo transeunti. Movi et aridam, quando circumduxi populum quadraginta annis per viam inviam et incultam atque aridam solitudinem. Ego itaque qui tunc illa feci, adhuc movebo ipsa elementa, quod utique factum est in adventu Domini. D Nam tempore passionis illius, motum est cœlum, quando sol obscuratus est, et tenebræ factæ sunt ab hora sexta usque ad horam nonam ; terra mota est cum saxa finderentur, sepulcra patescerent, ipsa quoque terra tremeret, motum est mare præsentis sæculi, flatibus dæmonum in seditionem concitatum, quando et draco interfectus est, id est diabolus superatus, qui cubabat in mari hujus sæculi. Movit et aridam, squalida et infructuosa corda gentilium. Omni ergo universitate commota, motæ sunt omnes gentes prædicantibus apostolis, quoniam in omnem terram exivit sonus eorum. « Et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. » Manifestum est adventum

Christi prænuntiari, qui desiderabatur et exspectabatur, ut redimeret gentes, de quo Apostolus : « In quem desiderant angeli prospicere. » Postquam ergo ille venit, impleta est gloria domus Domini, id est Ecclesia, quæ est domus Dei de vivis lapidibus ædificata. Si enim gloriosa fuit domus, quæ ædificata est a servo, quantum distat servus a Domino, tanto melior est domus, cui præest Dominus, ab illa cui præfuit servus.

« Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum. » Ac si diceret : Nolite dubitare quod possim implere quod promitto. Ego enim sum qui condidi omnia, in manu mea est argentum et aurum atque omnes opes, ego omnia quæ necessaria sunt in ædificando vel ornando templum dabo. Juxta sensum mysticum, aurum est sensus et intellectus spiritualis, qui in Scripturis latet, de quo Salomon ait : « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. » Argentum vero clara eloquia Scripturarum, unde Psalmista : « Eloquia Domini eloquia casta, argentum, » et reliqua. His metallis ornatur Ecclesia, et fit illustrior quam quondam fuerit Synagoga. « Et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. » Quia ad domum inclytam ædificandam nihil magis scimus prodesse quam pacem, ideo ipsam repromittit. Illa enim concessa, facilius cætera bona sequuntur. Sed allegorico sensu dat Dominus pacem in Ecclesia præsenti, compressis maligni hostis insidiis, et mitigatis vitiorum bellis, in futuro vero dabit pacem veram et æternam.

« In vicesima et quarta noni mensis in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Interroga sacerdotes legem, dicens : Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus panem aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, nunquid sanctificabitur? » Notandum quod supra semper dictum est : Factum est verbum Domini in manu Aggæi, » hic vero : « Factum est verbum Domini ad Aggæum. » Supra enim quia munda habebat opera, sed in corde nondum plenam perceperat sapientiam, et erant inter eos qui nolebant ædificare templum Domino, ideo in manu ejus factum dicitur verbum Domini. Nunc quia fundamenta jam templi jacta sunt, et jam populus cum principibus facit opera templi Domini, propterea ad Aggæum fit sermo Domini. Nono autem mense fit sermo, quia de immunditia populi peccatoris locuturus est. Nunquam enim nonus numerus in bonam partem ponitur in Scripturis divinis. Sed quoniam adhuc dabatur eis tempus agendæ pœnitentiæ, ideo vicesima quarta die ejusdem mensis fit sermo Domini ad prophetam, in quo numero duplicatur duodenarius, ubique sacratus numerus. « Interroga sacerdotes legem, » Eorum enim est scire legem, et ipsi interrogati debent respondere de lege. Interrogat ergo eos Aggæus propheta ex persona Domini, dicens : « Si tulerit homo carnem sanctificatam. » Caro sanctificata dicebatur, caro hostiæ, quæ immolabatur in altari, licet inter ipsas sanctificatas carnes esset magna diversitas, quod in Levitico pleniter dicitur. Immundus autem in anima dicebatur, qui mortuum tangebat. Quandiu enim anima in corpore est, non est immundum humanum corpus, qui habet animam ad imaginem et similitudinem Dei factam. Statim vero ut anima corpus deseruerit, efficitur corpus immundum, utpote terrenum et ex carnis voluptate concretum. Hoc dicimus quantum ad naturam ; cæterum sanctorum corpora, quorum mors est pretiosa, sancta sunt ex merito inhabitatricis sanctæ animæ. Interrogat vero propheta, si homo quicunque tulerit carnem sanctificatam, et ligaverit eam in summitate vestimenti sui, et ipsa summitas vestimenti tetigerit panem, aut quemlibet alium cibum, nunquid poterit sanctificari tactu vestimenti, in quo sancta caro ligata est? « Respondentes autem sacerdotes, dixerunt : Non. » Rursum ponitur alia quæstio, et interrogat propheta.

« Et dixit Aggæus, si tetigerit pollutus in anima, » hoc est qui contactu mortui hominis immundus factus est. « Ex omnibus bonis nunquid contaminabitur? et responderunt sacerdotes, et dixerunt : « Contaminabitur. » Et respondit Aggæus, et dixit : « Sic populus iste, et sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, et sic omne opus manuum eorum, et omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. » De priori interrogatione tacens propheta, de secunda respondet, ostendens cur ista proposuerit. Qui enim immundus est in anima, et morticinum tetigerit, omne quod tetigerit vel obtulerit, immundum erit. Est autem sensus : O popule, qui altari tantum structo, et adhuc domo mea diruta hostias offers in altari, et putas te his carnibus sanctificari, scito non tantum te sanctificari ex hostiis quas in templo meo diruto offers, quam contaminari omnia quæ agis, propter hoc quod negligis domum meam, et tuas domus diligenter exstruis.

« Et nunc, ponite corda vestra a die hac et supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini, cum accederetis ad acervum viginti modiorum, et fierent decem, intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, et fiebant viginti. » O popule Israel, respice ad præteritos dies, et ab hac vicesima quarta die noni mensis secundi anni Darii, quidquid retro gestum est, considera et perpende quanta retro sustinueris, cum nondum ædificaretur templum, et quanta tibi evenerint prospera ex quo cœpit construi. Quæ vero sint illa, ipse specialiter enumerat. Antequam cœpissetis ædificare templum Domini, et accederetis ad acervum hordei vel frumenti, in quo putatis vos posse habere viginti modios, vix mediam partem inveniebatis. Pari modo cum veniretis ad torcular, et quinquaginta amphoras vos exinde habituros æstimaretis, vix viginti amphoras reperiebatis. Cur hæc evenerint, ostendit.

« Percussi, vos vento urente et aurugine et gran-

dine, omnia opera manuum vestrarum, et non fuit in vobis qui reverteretur ad me, dicit Dominus. » Est autem vitium frugum ab aureo colore dictum. Hæc, inquit, feci, ut saltem afflicti ad me rediretis, sed nec sit fuit ex vobis qui ad me reverteretur. Ergo quandiu templum Domini destructum fuit, et ejus ædificatio differebatur, omnia eis evenere contraria. At postquam templum rææedificare cœperunt, prospera fluxerunt omnia. Ex quo datur intelligi, frustra quemlibet Domino offerre munera, et eleemosynis vel oblationibus velle Deum placare, quandiu non exstruit in se templum Domino. Prius enim semetipsum debet aliquis facere templum Dei proficiendo, et sic in altare fidei accepta Deo dona valebit offerre.

« Ponite corda vestra ex die ista et in futurum a die vicesima et quarta noni mensis, a die qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum. Nunquid jam semen in germine est. et adhuc vinea et ficus et malogranatum et lignum olivæ non floruit ? » Nonus mensis apud nos est November, qui a Martio annum incipimus; apud Hebræos autem, quorum primus, mensis est, Nisan, id est Aprilis, December nonus habetur, quo mense semina latent in terra, nec potest conjectari utrum sterilitas an fecunditas sequatur. Quia ergo nonus mensis erat, interrogat propheta : « Nunquid jam semen in germine est ? » vel, ut alia translatio apertius dicit, in folliculo, hoc est in testa frumenti. Aut nunquid et ficus cæteraque dederunt florem, ut ex flore ubertas possit agnosci? Ast ergo non alia quam florum conjectura, sed prophetico spiritu prædico vobis futuram rerum omnium copiam, quia cœpistis ædificare templum Domini. Mystice vicesima quarta dies noni mensis finem designat malorum operum. Nonus enim numerus, ut supra dictum est, semper in malo ponitur, quoniam deest illi unitas, quæ adjecta implet denariam perfectionem. Qui vero mala in se finiens, quasi in fine noni mensis domum Domini ædificare (hoc est seipsum cultui divino dedicare) cœperit, abundavit fructibus vineæ, ficus, et olivæ, id est replebitur gratia et benedictione Patris et Filii et Spiritus sancti, spiritualem lætitiam, refectionem, atque illuminationem sanctæ Trinitatis consecutus. Sed hæc, id est vinea, ficus et oliva, ibi invenientur, ubi fuerat malogranatum, dicta sic arbor, quoniam pomum ejus multitudine granorum plenum est, in compositis membranulis diversas habens mansiunculas, quæ uno puniceo cortice continentur, unde et malum Punicum dicitur, et ideo designat innumeram sanctorum populorum multitudinem sub unius fidei societate, quasi intra unius corticis gremium adunatam. « Et die ista benedicam. »

« Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vicesimo et quarto mensis, dicens. » Notandum diligentissime quod factus dicitur sermo Domini secundo, in eadem die qua et superius, id est vicesima quarta, non tamen nominatur nonus mensis, quoniam de adventu Christi et regno ejus omnia prospera et gaudii plena dicturus est propheta. Neque etiam dicit : « In manu Aggæi, » sicut primo; nec « Ad Aggæum prophetam, » sicut in quarta visione, sed tamen, « Ad Aggæum, » id est ad festa celebrantem, qui jam non prænuntiat venturum, sed venientem demonstrat ut videat.

« Loquere ad Zorobabel, ducem Juda. » Ad solum Zorobabel jubetur propheta loqui, qui typum Christi gerebat, quia typicum est quod dicitur, et ad mundi pertinet consummationem. Quæ sint illa, consequenter ostenditur in ordine historiæ : « Ego movebo cœlum pariter et terram. » Soli Zorobabel, quem diximus gestare personam Christi, secundum assumptum hominem dicuntur quæ futura sunt. Movebo (inquit) cœlum et terram, id est mutabo in melius, ut sit cœlum novum et terra nova. Sic enim præterit figura hujus mundi manente substantia. Deinde sequitur :

« Et subvertam solium regnorum, et conteram fortitudinem regni gentium, » id est destruam omnem principatum et potestatem et virtutem, sive contrarias fortitudines nequitiæ spiritualis, ut regni eorum destructio prosit non solum gentibus, verum etiam regibus qui eis imperabant. « Et subvertam quadrigam et ascensorem ejus, et descendent equi et ascensores eorum, » id est omne studium belligerandi, quo sublato sequitur pax. Hoc in Christo impletum Zacharias propheta manifeste ostendit, dicens de Christo : « Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, ipse pauper, ascendens super pullum asinæ ; » statimque subjunxit : « Et disperdet currum de Ephraim, et equum de Hierusalem. » Consurget « vir in gladio fratris sui. » Apostolus dicit : « Galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. » Gladius est igitur sermo doctrinæ cœlestis, resecans et concidens omnia perversa dogmata. Hoc gladio separantur vir a fratre, filius a patre, filia a matre, nurus a socru, et inimici hominis domestici ejus.

« In die illa dicit Dominus exercituum, Assumam te, Zorobabel, fili, Salathiel serve meus, dicit Dominus, et ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum. » Supra dictum est, Zorobabel typum tenere Christi. Servum eum vocat Pater, propter assumptam formam servi. Et Apostolus de eodem : Quia cum Deus Pater Filio subjecerit omnia, tunc ipse Filius subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia. In subjectis enim ei omnibus videbitur et ipse subjectus. Cum ergo hoc fuerit impletum, assumet eum Deus Pater, et ponet eum quasi signaculum in manu sua. Ipse est enim imago Dei invisibilis et forma substantiæ ejus. Hinc ipse Filius de se dicit : Hunc enim Pater signavit Deus. Ea quippe signamus, quæ singulariter dilecta, salva esse volumus. Hunc ergo Pater signavit specialiter, hoc est elegit et singulari gratia donavit, secundum humanitatem, ut sicut erat verus homo, verus esset et Deus. Hoc signaculo sive annulo signat, quicunque in eum credit, et per bona opera illi placere contendit. Amen.

IN ZACHARIAM PROPHETAM.

Zacharias, filius Barachiæ, filius Addo, pene ultimus duodecim prophetarum, synchronos, (id est contemporalis) fuit Aggæi, prophetæ. Simul enim sub Dario secundo ejus regni anno prophetaverunt. Sed Zacharias in mense octavo, qui est apud Hebræos November, Aggæus vero sexto mense, qui nihilominus apud illos habetur September, prima die mensis prophetare cœpit, ac propterea decimus ille jure loco, iste vero undecimus constitutus est. Hic autem Darius filius fuit Hydaspis, quarto loco post Cyrum Persis et Medis imperans. Siquidem Cyrus Chaldæorum destruxit imperium, et in Medos et Persas transtulit. Hic primo anno regni sui, secundum quod Isaias prædixerat, quinquaginta ferme millia captivorum de Babylone remisit in Judæam. Vasa quoque templi Domini, quæ Nabuchodonosor tulerat, reddidit, et templum reædificari jussit in Hierusalem, sub Zorobabel et Jesu sacerdote magno. Hunc Cyrum Thomyris, regina Massagetarum, interfecit, ejusque caput in utrem plenum sanguine projecit, dicens : Bibe sanguinem, quem semper sitisti ! Huic successit in regnum Filius ejus Cambyses, cui successerunt duo fratres magi : quibus interfectis, Darius iste Hydaspis filius, rex Persarum constitutus est. Cujus secundo anno Zacharias exorsus est prophetare. Itaque a primo anno Cyri regis usque ad secundum annum Darii, computantur anni quadraginta, in quibus altare tantum exstructum fuerat, et jacta templi fundamenta, vicinis nationibus ex præcepto Cambysæ regis eos prohibentibus, ne templum vel civitatem ædificarent.

CAPUT PRIMUM.

« In mense octavo in anno secundo Darii regis factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ filium Addo, prophetam. » Nota quod et Barachiæ et Addo filius dicatur Zacharias. Constat autem hunc Addo illum esse qui (ut Regum liber indicat) missus ad Hieroboam regem pessimum, quando et altare dirutum est, et manus regis aruit, rursusque, orante viro Dei, restituta est. Juxta sensum allegoricum octavus mensis, qui est apud Hebræos November, initium est hiemis, et nullam habet solemnitatem. Quia enim populus adhuc non perfecte de captivitate reductus erat, necdumque ædificatum erat templum Dei, idcirco propheta in mense qui nullam habet solemnitatem, nullam lætitiam, dicitur prophetasse. Verumtamen recordabantur Domini, et habebant memoriam prioris templi et religionis, quod ostendit Zacharias, qui interpretatur memoria Domini. Ideo digni erant benedictione Domini, quod est Barachias, qui benedictio Domini interpretatur, habentes testimonium devotionis suæ, ipsum, cui nuda et aperta sunt omnia Domini, quod demonstratur in Addo, qui testimonium Domini interpretatur. Sed et omnis qui studet memor esse Domini, recte filius dicitur Barachiæ, id est benedictionis Domini. Et filius Addo, id est testimonii Domini, quoniam qui Christum confessus fuerit coram hominibus, confitebitur eum ipse coram Deo Patre, qui est in cœlis.

« Iratus est Dominus super patres vestros iracundia magna, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus exercituum : Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum, ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes. » Quod iratus dicitur, non est putandum quod in eum ulla mentis perturbatio cadat, sed per hoc innuitur dignos esse ira atque vindicta eos quibus hoc dicitur. Nec iratus ulciscitur, qui ad hoc corripit ut emendet. Unde et sequitur, « Convertimini. » Nam si iratus est, cur eos monet ut convertantur? Præcepit ergo eis qui de Babylone redierant, ut convertantur, ne sustineant filii quod sustinuerant patres. Dominus autem exercituum, quod Hebraice dicitur sabaoth, vocatur quod sub se habet cœlestis militiæ exercitus. Tam autem Aggæus quam et Zacharias frequentissime Dominum exercituum appellant, ut eis darent fiduciam, qui contra regis Persarum imperium, et contra Cyrum frementes, templum Domini ædificabant. « Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis, et non audierunt neque attenderunt ad me, dicit Dominus. Patres vestri ubi sunt et prophetæ ? nunquid in sempiternum vivent? verumtamen verba mea et legitima mea quæ mandavi servis meis prophetis, nunquid non comprehenderunt patres vestros? Et conversi sunt, et dixerunt : Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras et secundum adinventiones nostras, fecit nobis. » Hæc ex superiori pendent capitulo, ubi dicitur : « Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes : Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini a viis vestris, » etc. Ergo non Zacharias hoc ex sua persona dicit, sed ex præcedentium prophetarum, qui clamabant ex voce Domini dicentes : « Convertimini, » etc. Hoc clamavit Isaias, Osee, Jeremias, cæterique per ordinem, ut a malis operibus converterentur et pessimis cogitationibus, sed indurati quasi desperantes non audierunt ; juxta quod et sanctus Daniel idipsum confitetur, orans Dominum pro liberatione populi sui.

« In die vicesima quarta undecimi mensis Sabat, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filium Addo, prophetam. » Mensis undecimus Sabat apud nos Februarius dicitur. Interpretatur autem Sabat virga propter austeritatem et rigorem hiemalis temporis.

Vicesima quarta die, quando jam luna sublustris est et prope deficiens. Quia igitur propheta Zacharias populo adhuc ex majori parte apud Assyrios exsulanti loquebatur, recte in secundo anno et undecimo mense atque in vicesima quarta die mensis, jam deficiente luna, et tenebrarum horrore crescente, dicitur vaticinari ea quæ sequuntur.

« Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo, et post eum equi rufi, varii et albi. » Per noctem se vidisse dicit, non in die, sicut Moyses, cum loquebatur Deus facie ad faciem, et sicut Isaias qui dicit : « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, » quia adhuc populus in angustia servitutis quasi nocte tenebatur, et idcirco propheta ea quæ pro eis videt, in nocte se vidisse dicit. Spiritualiter nox in qua cernitur visio, obscuritatem designat mysticæ visionis. Hinc Psalmista, « Posuit (haud dubium Deus) tenebras latibulum suum. « Et ecce vir ascendens super equum rufum et ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo. » Equi ascensorem rufi Hebræi ad litteram Michaelem archangelum intelligunt. Rufus erat, quoniam ipse est ultor iniquitatum illius populi, cui specialiter præest. « Myrteta quæ erant in profundo, » prophetas dicunt et sanctos, qui in medio captivi populi versabantur. « Equi vero rufi, varii, et albi, » qui virum, id est, Michaelem sequebantur, designant regna, sive angelos qui regnis ipsis præsident, tamen ordine permutato. Et albi quidem designant Medos et Persas, qui benigni fuerunt erga Judæos, et sub ipsis dimissa captivitas, et templum instauratum est. Equi varii, Macedones, quorum alii pii erga Judæos exstiterunt, alii persecutores eorum fuerunt. Equi rufi regnum significant Romanorum, crudele et sanguinarium, quod subvertit templum et gentem delevit. Quidam eo ordine quo hic dicuntur, quatuor simul regna intelligunt : et equum quidem rufum, super quem vir sedebat, atque equos rufos qui eum sequebantur, dicunt Assyrios et Chaldæos, sanguinarios et crudeles, quorum Assyrii decem tribus sub Salmanasar duxere captivas, Chaldæi vero duas tribus sub Nabuchodonosor incensa Hierusalem, temploque subverso. Tertium et quartum varios et albos, Medos putant et Persas, quorum alii clementes fuerunt, ut Cyrus et Darius atque Assuerus, alii crudeles, ut Cambyses.

« Et dixi, Quid sunt isti, Domine mi? et dixit ad me angelus qui loquebatur in me : Ego ostendam tibi quid sint hæc. Et respondit vir qui stabat inter myrteta, et dixit. » Equos videns diversi coloris, interrogat quid sint. Sciebat enim in equorum specie aliud designari. Tunc angelus qui in eo loquebatur, promisit se dicturum. Sed illo reticente, vir qui stabat inter myrteta, quod ille interrogaverat exposuit : « Isti sunt quos misit Dominus ut perambulent terram, » et suæ eam subjiciant potestati.

« Et responderunt angelo Domini, qui stabat inter myrteta. » Deinde angeli qui regnis singulis præsidebant, non ad alium veniunt nisi ad virum qui stabat inter myrteta, sive ad angelum. « Et dixerunt : Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur et quiescit. » Ac si diceret : Omnia regna tua sunt et pacata, nec ulla premuntur angustia.

« Et respondit angelus Domini, et dixit : Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Hierusalem et urbium Juda, quibus iratus es ? Iste jam septuagesimus annus est. » Ex qua responsione ille angelus qui interpellabat pro Israel, occasione accepta deprecandi Dominum pro populo, dixit : O Domine, cum omnis terra secura habitetur, cur non misereris Hierusalem et urbium Juda, maxime cum secundum tua promissa tempus captivitatis expletum sit?

« Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me, verba bona, » de futurorum promissione ; « verba consolatoria, » de præsentium necessitate. Hoc juxta litteram. Allegorice, vir qui ascendit super equum rufum, Dominus et Salvator est. Equus rufus mortalitatem nostræ carnis designat, quam pro nobis assumpsit, cui per Isaiam dicitur : « Quare rubrum est indumentum tuum ? » Notandum vero quod qui hic in equo rufo sedere describitur, in Apocalypsi Joannis in veste candida super equum candidum sedens apparuit. Qui enim rufus exstitit in passione, candidus fuit in resurrectione. Hinc Ecclesia in Canticis canticorum dicit, « Dilectus meus candidus et rubicundus. » Myrteta quæ erant in profundo, inter quæ vir stare describitur, angelicæ potestates, quæ ei etiam in carne posito assistebant eique ministrabant. Per equos rufos, varios et albos, apostolos et apostolicos viros debemus accipere, qui totum orbem prædicando peragraverunt. Quorum alii rufi, quia martyrio coronati : alii varii, quoniam doctrina et opere ac diversa signorum varietate distincti : alii albi, quia virginitatis candore et integritate fidei, ac mundi cordis puritate præclari. Ili missi sunt a Domino, ut totum mundum evangelica prædicatione complerent. Unde et ad Job Dominus dicit, « Nunquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi, Adsumus? » Stabat vir inter myrteta, vel ut alia translatio dicit, inter montes, id est Christus discernibat inter utriusque vocationis populos, salvandorum et damnandorum. Unde Apostolus : « Christi bonus odor sumus Deo in his qui pereunt, et in his qui salvi fiunt. » Quod vero angelus rogat ut misereatur Deus populo, quia jam septuagesimus annus erat, significat quia Jerusalem, id est Ecclesia nequaquam perfectam consequetur libertatem, priusquam verum sabbatum, id est requies impleatur, quod septuagesimus annus designat, qui numerus denario per septenarium multiplicato perficitur ; quæ pax in præsenti inchoat, cum a bellis vitiorum quiescimus : perficietur autem in futuro, cum ad visionem Creatoris pervenerimus.

« Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me : Clama dicens . Hæc dicit Dominus exercituum : Zelatus sum Hierusalem et Sion zelo magno, et ira

magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi vero adjuverunt in malum. » Quæ fuerunt verba bona et consolatoria, quæ Dominus supra respondit, hic jubetur propheta clamare, Zelatus sum Hierusalem non parvo, sed magno zelo. Zelus hic pro furore et indignatione accipitur. Et quia magna peccata commiserat Jerusalem et Sion, quia unum sunt, ideo magnam iram Dei incurrerant. Sed nunc (inquit) irascar ira magna super gentes opulentas, quæ in longa pace quiescunt, et bonis affluunt omnibus, quas supra equi rufi, varii, et albi designabant. Causam quoque tantæ iræ exponit, dicens : « Quia ego iratus sum parum, illi vero adjuverunt in malum. » Deus enim tradidit Judæos gentibus ad corripiendum, quasi filium pædagogo, illi nullam eis fecerunt misericordiam, sed omni in eos crudelitate sævierunt.

« Propterea hæc dicit Dominus : Revertar ad Hierusalem in misericordiis, et domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum. » Sub Zorobabel et Jesu. « Et perpendiculum, » id est linea cæmentariorum, « extendetur super Hierusalem. » Spiritualiter Hierusalem est Ecclesia, pacem et concordiam videns ; ipsa est et Sion, quod in speculam vertitur, nec humilia vel terrena, sed cœlestia contemplans. Quæ si peccaverit, vel si ea charitas refrixerit, tradit eam Dominus persecutoribus ad purgandum, velut aurum aut argentum in conflatorio. Adversarii vero, quibus ad probandum tradita est, addunt in malum, quia pro disciplina utuntur crudelitate. Unde illis iram minatur, Ecclesiæ autem suæ pacem et misericordiam repromittit, et perpendiculum sive funiculum dicit extendendum in ea, id est mensuras et ordines singulorum qui sunt in Ecclesia, suis locis et temporibus pro meritorum qualitatibus distribuit.

« Adhuc clama dicens : Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc affluent civitates meæ bonis, et consolabitur adhuc Dominus Sion, et eliget adhuc Hierusalem. » Jubetur propheta clamare non strepitu vocis, sed intentione mentis. Civitates, inquit, meæ, quas nunc videtis igne Chaldæorum exustas, adhuc abundabunt omnibus bonis, ut præsenti felicitate præterita miseria consolentur. Sed et mystice promittuntur Ecclesiæ bona illa, de quibus Psalmista dicit : « Credo videre bona Domini in terra viventium. »

« Et levavi oculos meos et vidi, et ecce quatuor cornua. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me. Quid sunt hæc ? Et dixit ad me. Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam et Israel et Hierusalem. » Quatuor cornua, quæ ventilaverunt Judam et Israel et Hierusalem, quatuor gentes esse ipse Dominus exponit, dicens : « Hæc sunt cornua, » etc. Daniel quoque sub figura leænæ et pardi, ursi et alterius bestiæ quam nominatim non exprimit, manifeste quatuor regna describit, id est Babyloniorum, Medorum, ac Persarum, quorum unum fuit regnum Ma-

A cedonum, Romanorum. Cornua autem regni potentiam significare, usitatissimum est in sancta Scriptura, ut illud, « Sublimabit cornu Christu sui. » Item, « Erexit cornu salutis nobis. » Hæc vero ventilaverunt sive disperserunt Judam, etc. Multa enim mala ab his nationibus Judæi passi sunt, maxime ab Antiocho, cognomento Epiphane, id est super apparente, quoniam deum se voluit appellari. Ad ultimum Romani tanta eos clade vastaverant, ut pene per singulos viros eos disperderent, adeo ut nemo eorum levaret caput, gravi malorum pondere pressus.

« Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros, et dixi : Quid isti veniunt facere ? Qui ait dicens : Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, et nemo eorum levavit caput suum, et venerunt
B isti deterere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super terram Juda, ut dispergerent eam. » Quid sint fabri, et quid veniant facere, ipse Dominus exponit, quos non ipse propheta vidit, sed ei Dominus ostendit, hos fabros intelligimus angelos obedientes præcepto Dei, et ad hoc venientes, ut quod gentes destruxerant, isti ædificarent. Angeli vero venerunt deterere ea, id est obtundere cornua et hebetare, ne possint amplius ventilare Judam. Quidam codices habent, « deterrere ea, » id est in pavorem mittere cornua, ut, deposita crudelitate, Christo colla submittant. Et hoc attendendum quod singulariter dicit « Levaverunt cornu, » cum quatuor dixerit cornua, quia licet reges quatuor regnorum non simul regnaverint, sed sibi vicissim
C successerint, unum tamen cornu levaverunt contra populum Dei. Sane quod supra dixit propheta, levasse se oculos ut videret quæ ei ostendebantur, indicat spiritualiter quæ dicuntur intelligenda, juxta quod Dominus in Evangelio : « Levate oculos vestros, » et videte quis creavit hæc. Cornua quatuor nequitiæ sunt spirituales, et contrariæ fortitudines, quæ contra Ecclesiam cornu gravissimæ persecutionis levant. De quibus Apostolus, « Non est (inquit) nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, » etc. Hæc cornua quatuor sub bestiarum nominibus Psalmista describit, ita sanctum virum alloquens : « Super aspidem et
D basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem » Diabolus enim dum contra electos sævit, aspis est, quoniam occulte percutit : basiliscus, quoniam aliquando aperta venena invidiæ diffundit : leo, quoniam persequitur innocentes : draco, quoniam quos potest impia voracitate deglutit. Possunt per quatuor cornua, quatuor animi perturbationes intelligi, duæ ab opinatis bonis, et duæ ab opinatis malis, gaudium scilicet et spes, metus et dolor. Contra quas passiones sunt quatuor virtutes boni artifices, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. Hi fabri boni reædificant, quidquid illa cornua destruunt. Sed et sancti, qui has virtutes possident, fabri spirituales sunt. Apostolus enim de se dicit, « Ut sapiens architectus fundamentum posui, » et

ipse Dominus creator omnium, filius fabri dictus est.

CAPUT II.

« Et levavi oculos meos, et vidi, et ecce vir et in manu ejus funiculus mensorum et dixi : Quo tu vadis ? et dixit ad me : Ut metiar Hierusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus. » Semper Scriptura prophetica post tristia læta subjungit. Nam qui prius levavit oculos ut videret tristia in cornibus, nunc iterum levat oculos, ut videat virum metientem Hierusalem. Hic est ille vir, de quo scriptum est : « Ecce vir oriens nomen ejus ; » et in Ezechielis libro describitur. Habens funiculum et calamum in manu, ut metiretur civitatem Dei Hierusalem, cujus artifex et conditor est Deus. Hæc est sancta Ecclesia mater sanctorum, quæ ædificari cœpit in passione, et in resurrectione Domini, et quotidie ædificatur ut crescat in augmentum fidei. Qui habet funiculum et calamum mensuræ, quoniam ipse dispensat mensuras et merita singulorum. Videt etiam quanta sit latitudo charitatis in singulis, quanta longitudo spei et longanimitatis.

« Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, et alius angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum. Curre, loquere ad puerum istum, dicens : Absque muro habitabitur Hierusalem præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus. » Angelum qui loquebatur in propheta, Hebræi Michaelem ad litteram intelligunt, ut supra dictum est : angelum qui venit in occursum ejus, Gabrielem autumant, qui lætabundus dicit illi, ut currat et loquatur prophetæ, quantam rerum omnium abundantiam habitura sit Hierusalem, quæ tunc videbatur ad cineres usque destructa, quodque absque muro futura sit præ multitudine hominum et jumentorum, et pacis multitudine. Quare autem absque muro, paulo post ostendit, dicens :

« Et ego ero eis, ait Dominus, murus ignis in circuitu; et in gloria ero in medio ejus. » Hæc et de Ecclesia spiritualiter dici possunt, quæ est civitas Dei de qua Psalmista. « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. » Hæc absque muro habitatur, non indigens mortali præsidio, quoniam Dominus murus est ignis in circuitu ejus, et ipse in medio ejus est in gloria. Hæc civitas habet homines, habet et jumenta, id est utrumque populum. Nam per homines plebs Judaica designatur, qui in lege conversabantur, et quasi ratione utebantur habentes notitiam Dei. Gentiles vero qui Deum ignorabant, merito jumenta vocantur. Nonnulli per homines, prudentes quosque et eruditos intelligunt : jumenta vero, simplices qui sunt in Ecclesia, de quibus Psalmista. « Homines et jumenta salvabis, Domine. » Dominus ergo murus ignis est in circuitu Ecclesiæ, ut eam charitatis igne calefaciat, et Spiritu ferventem faciat, et ipse est in medio ejus gloria, sua illam præsentia glorificans, qui in circuitu ab adversariis quasi murus ignis eam defendit. « O, o fugite de terra aquilonis, dicit Dominus, quoniam in quatuor ventis cœli dispersi vos, dicit Dominus. O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Babylonis. » Assyrii et Chaldæi qui populum Dei captivaverant, in aquilonali climate sunt, et Jeremias propheta cum describeret ollam succensam a facie aquilonis, statim subjunxit : Ab aquilone pandetur malum super universam terræ faciem. Hortatur ergo propheta, et non semel, sed crebrius monet, clamans ut fugiant de terra aquilonis, ubi ex magna parte adhuc remanserant, et redeant ad sedes proprias. Spiritualiter præcipitur nobis, ut qui habitavimus in aquilone, vento frigidissimo, hoc est qui in tempore infidelitatis fuimus, non habentes fervorem divini caloris, quique in confusione vitiorum versati sumus, ut fugiamus ad Sion, id est Ecclesiam Domini, et relinquentes terrena et humilia, ad celsitudinem contemplationis conscendamus, et in sublimitate spiritualium dogmatum consistamus.

« Quia hæc dicit Dominus exercituum, post gloriam misit me ad gentes, quæ exspoliaverunt vos. » Vox Domini est salvatoris, et dicit se a Deo Patre missum, non per id quod omnipotens est et æqualis Patri, sed per id quod homo est, minor Patre. Unde et post gloriam se missum dicit, quam habuit cum apud Patrem esset, licet nunquam deseruerit Patrem. Hinc ipse Patri dicit. « Glorifica me, tu Pater, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te. » Et Apostolus : Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est ut esset æqualis Deo. Missus est ergo Dei Filius post gloriam divinæ majestatis ad gentes, quæ spoliaverunt populum Dei, ut essent eis prædæ, a quibus ante fuerant prædati. « Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. » Tactum pro vexatione et injuria debemus accipere, juxta illud. « Nolite tangere christos meos. » Sancti enim quasi oculi sunt Dei, quibus dicitur. « Vos lux estis mundi. » Quos qui lædit, sic est quasi pupillam Dei tangat, et clara luce velit illum privare.

« Quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt prædæ his qui serviebant sibi, et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. » Et levavit Dominus manum suam tunc, ut percuteret gentes, et reduceret in Sion populum suum. Levat quotidie potentiam, ut populum suum (hoc est Christianum) revocet per pœnitentiam in Ecclesiam, percussis adversariis, id est spiritualibus hostibus, qui illum impugnare non cessant.

« Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio et habitabo in medio tui, dicit Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui, et scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata, et eliget adhuc Hierusalem. » Adhuc ipse Dominus loquitur, et hortatur populum de captivitate liberatum, ut gaudeat et exsultet. Sed et Ecclesiæ præcipitur, quæ est filia Sion, id est supernæ illius civitatis, quæ ex angelis et sanctis constat hominibus, ut liberati de servitute diaboli, gaudeant,

quorum Dominus in medio ejus habitet, et multæ gentes in eum crediture, juxta quod relicturus corporaliter apostolos, dixit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. » Pollicetur quoque quod ipse possideat Judam, id est populum se confitentem, et ipse pars ejus in terra sanctificata, hoc est in Ecclesia, et eligat adhuc Hierusalem, quos videbatur in persecutionibus abjecisse.

« Sileat omnis caro a facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo. » Ergo quia Dominus possessurus est Judam partem suam, et electurus Hierusalem, omnis caro, id est omne genus humanum sileat, formidet, et præ pavore adventus ejus conticescat, quoniam consurrexit ad vindictam, ut unicuique pro suis meritis reddat. Consurgere enim dicitur Deus, quando ad vindictam excitatur. Omnis autem caro, omnis tantum homo, non muta animantia accipienda sunt, juxta illud : Ad te omnis caro veniet. id est omnis homo.

CAPUT III.

« Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum, stantem coram angelo Domini, et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. » Hebræi juxta litteram hoc loco Jesum sacerdotem magnum filium Josedech intelligunt. Ad cujus dexteram stabat Satan, id est adversarius ejus diabolus. Satan Hebraice adversarius dicitur. Stabat autem a dextris ejus ut adversaretur ei, id est ut accusaret illum. A dextris vero stabat, quoniam justam accusationem habebat, eo quod ipse, sicut cæteri, alienigenam duxisset uxorem.

« Et dixit Dominus ad Satan : Increpet Dominus in te Satan, et increpet Dominus in te, qui elegit Hierusalem. » Bis dicit Dominus, ut Patrem et Filium insinuet, sicut alibi. « Pluit Dominus a Domino ignem et sulphur super Sodomam. » « Nunquid non iste torris est erutus de igne. » Sensus est, cum Dominus elegerit Hierusalem de cunctis urbibus Juda, non ei imputet peccata quæ fecit, cur tu Jesum conaris accusando obruere, qui de Babylonica captivitate quasi torris semiustus evasit. Torris autem semiustum est lignum, quem vulgo titionem dicunt.

« Et Jesus erat indutus vestibus sordidis, et stabat ante faciem angeli. » Triplicem ob causam sordidis vestibus indutus fuisse dicitur, sive quia alienigenam uxorem duxerat, sive propter populi peccata, cui sacerdos præerat, seu propter squalorem captivitatis.

« Quæ respondit et ait ad eos qui stabant coram se. » Angelus ante quem stabat Jesus, præcipit cæteris angelis ex persona Domini, dicens : « Auferte vestimenta sordida ab eo. » Cumque illi quod imperatum fuerat, opere complessent, « et angelus dixit ad eum : Ecce abstuli a te iniquitatem tuam. » Hic ostendit quæ fuerunt vestimenta sordida, » et indui te mutatoriis, » id est Israelitam tibi uxorem conjunxi. Septuaginta pro mutatoriis, « poderem, » id est talarem tunicam transtulerunt.

« Et dixit, » subaudis angelus : « Ponite cidarim sive mitram mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, et induerunt eum vestibus. » Per cidarim, id est pileum sacerdotalem, dignitas intelligitur sacerdotii, ut, ablatis sordibus peccatorum, mundum haberet sacerdotium. Mystice Jesus sacerdos magnus ille est, cui dicitur : « Tu es sacerdos in æternum. » Quem Dominus ostendit prophetæ, quoniam per se videri non potest. Stabat coram angelo Domini, hoc est ipse Dei et hominum mediator, Deus et homo Christus. Ipse astat ante angelum, et ipse stabat ante se. In Christo diversæ sunt substantiæ Dei et hominis in una persona. Indutus erat vestibus sordidis, quoniam peccata nostra portavit. Stabat Satanas a dextris ejus, quia volens tentatus est a diabolo, qui volebat probare utrum esset Dei Filius, quem videbat post jejunium esurire. Quod vero sequitur : « Increpet Dominus in te, Satan, » Filius Dominus dicit de Domino Patre, non quod ipse non posset eum increpare, qui omnia operatur sicut et Pater, sed propter naturæ unitatem, ut cum unus increpat, intelligatur aliud increpare. Deus enim Pater et Filius idem sunt in substantia, et tamen alter est Pater, et alter Filius in persona. Ipse elegit Hierusalem, id est Ecclesiam. Torris autem erutus de igne, ipse Christus est per humanitatem, qui in Babylone, id est in mundi confusione non est adustus flamma alicujus peccati, quoniam peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, sicut quondam rubrus in mediis ignibus non comburebatur. Erat autem Jesus indutus vestibus sordidis, quia qui peccatum non fecit, pro nobis peccatum factus est, id est sacrificium pro peccato, et ipse infirmitates nostras tulit Hæc sordida vestimenta ablata sunt ab eo, cum nostra peccata delevit. Idcirco enim sordidis indutus est vestibus, ut nos holosericam mundam in baptismo reciperemus, et dicatur nobis jam mundatis : Omni tempore sint vestimenta tua candida. Cidaris munda super caput ejus, splendorem designat divinæ majestatis ejus. « Caput enim Christi Deus. » Ipse enim Deus, ipse est et homo, ut in veste humanitas, in cidari divinæ majestatis intelligatur claritas. « Et angelus Domini stabat, et contestabatur angelus Domini Jesum, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris, tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea. » Juxta traditionem Hebræorum ad litteram, angelus ante quem stabat Jesus, qui loquitur ad eum postquam exutus est sordidis vestibus, et indutus est mutatoriis. Quæ per se satis aperta sunt, nec egent expositione. Juxta spiritualem vero sensum difficilis est interpretatio, si hoc quod dicitur ad Jesum filium Josedech, « Si in viis meis ambulaveritis, et custodiam meam custodieritis, » etc. Notum est autem quoniam Christus et Ecclesia sunt caput et membra. Ergo accipiamus hoc ex parte membrorum, nam quod illi dicitur, membris ejus utique dicitur. Itaque membris ejus promittitur, quod si ambulant in viis

Domini, et custodiunt custodias, id est præcepta ejus, judicent domum ejus quæ est Ecclesia, de qua Apostolus, Christus autem filius sicut in domo sua, quæ domus sumus nos. Idem quoque ad Timotheum, Ut scias quomodo debeas in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna et firmamentum veritatis. Judicat ergo Jesus domum Dei pro meritis et verbis singulorum, alium constituens super decem civitates, alium super quinque, faciens alios doctores, alios pastores : aliis dans potestatem faciendorum signorum, alios faciens in corpore suo oculos, alios manus, alios pedes. « Et dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic assistunt. » Dedit Dominus Deo Filio suo de angelorum numero ministros, quoniam sanctos suos adhuc in carne positos, similes fecit angelis ; unde Apostolus dicebat : Municipatus noster in cœlo est. Nam virginibus societas promittitur angelorum, Domino dicente : « Non nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo. » De assistentibus ergo dicit se ei daturum, quoniam illi qui non fluctuant, sed stabiles et constantes sunt in Ecclesia Dei, quales erant apostoli, qui cum Domino stante perseverabant, merentur angelicæ dignitatis socii fieri.

« Audi, Jesus sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam servum meum orientem. » Hoc loco Jesum eum tantum juxta litteram accipimus, qui filius fuit Josedech, cui promittitur adventus Filii Dei. Cum enim superius hunc Jesum sacerdotem typum Christi dixerimus habere, nunc tantum eum juxta litteram accipimus, videamus nunc quid angelus in persona Dei loquens, huic Jesu dicat : « Audi, Jesu sacerdos magne, tu et amici tui, » id est prophetæ cæteri. Nam et Jesus propheta erat, quia Christum non verbis, sed nomine præsignabat et operibus. Propheta enim dicitur, non solum qui de Christo vaticinatur verbis, sed etiam ille qui eum figuris et symbolis designat. Jubetur ergo Jesus audire, jubentur etiam audire amici ejus, id est cæteri prophetæ, quod dicitur : « Ecce enim ego adducam servum meum orientem. »

« Quia ecce lapis, quem dedi coram Jesu, super lapidem unum septem oculi sunt. » Hæc jubentur audire, quoniam viri portendentes sunt hoc est, in signum positum futurorum. Portendentes enim dicuntur, qui futura portendunt, hoc est longe ante pronuntiant. « Ecce (inquit ego adducam servum meum orientem, » id est illum de quo dicitur : « Ecce vir oriens nomen ejus ; » et alibi : « Vos timentibus nomen meum orietur sol justitiæ. » In Evangelio quoque : « Visitavit nos oriens ex alto illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent. » Servum autem meum dicit propheta, assumptam servi formam, ut illud : Ecce servus meus, suscipiam eum. Ipse et lapis datus coram Jesu, id est pronuntiatus et promissus prophetis. Hic est lapis angularis, qui duos in se conjunxit parietes ex diverso venientes, ab hominibus quidem reprobatus, a Deo autem electus et honorificatus. Super hunc lapidem septem oculi sunt, quoniam super Christum septem dona Spiritus sancti requiescunt, quæ enumerans propheta Isaias dicit : « Requiescit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectu, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replevit eum spiritus timoris Domini » « Ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum, et auferam iniquitatem terræ illius in die una. » Quia supra dixerat lapidem, servat metaphoram et dicit : « Ecce ego cælabo sculpturam ejus, » id est lapidis. Manifestum est enim de Domini passione prophetari. Sculpturam lapidis vulnera dicit, quæ accepit in cruce. « Cælabo, inquit, sculpturam ejus, » id est faciam illum vulnerari clavis et lancea. Hoc enim Deus Pater fecit, qui pro nobis omnibus tradidit illum ad mortem. Tunc dimittetur iniquitas terræ illius. In passione enim dimissa est iniquitas, et redonata justitia in die una, de qua Psalmista : « Hæc est dies quam fecit Dominus. »

« In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vineam et subter ficum. » A tempore enim passionis Christi cœpit annuntiari Evangelium, vir apostolicus et perfectus, et qui potest jam ad altiora conscendere, vocat amicum suum, id est credentes, vel certe gentilem populum subter vineam, id est Christum qui loquitur in Evangelio : Ego sum vitis vera, cujus fructus lætificat cor hominis. Et subter ficum, id est ad gloriam Spiritus sancti, cujus sunt poma dulcissima, ut sub tali umbraculo æterna pace quiescant. Hoc ipsum et Michæas propheta pene ipsis verbis prædixit : « In die illa (inquiens) vocabit unusquisque proximum suum et fratrem subter ficum et vineam, et non erit qui exterreat. »

CAPUT IV.

« Et reversus est angelus qui loquebatur in me, et suscitavit me quasi virum qui suscitatur de somno suo. » Quid est quod dicit : « Reversus est angelus ? » Quo enim abierat qui in propheta loquebatur ? Sed sciendum quod quando humana fragilitas suæ relinquitur imbecillitati, Deus angelorum auxilio abest ab homine. Propheta itaque magnæ visionis stupore attonitus, torpebat, et velut mente sopitus, verum lumen videre non poterat. Quapropter angelus qui eum parumper sibi dimiserat, et quasi ab eo recesserat, reversus suscitavit eum, ut videret quod antea clausis cordis oculis videre non poterat. Possumus quoque somnium prophetæ in bonam partem accipere, juxta quod Salomon ait : « Si dormieris, non timebis : quiescet, et suavis erit somnus tuus. Qui ergo a sæculi curis et perturbationibus dormit, et potest dicere cum sponso : « Ego dormio, et cor meum vigilat, » meretur ab angelo suscitari, et angelica visione atque allocutione perfrui.

« Et dixit ad me : Quid tu vides ? et dixi : Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus su-

per caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud, A et septem infusoria lucernis, quæ erant super caput illius, et duæ olivæ super illud, una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus. Et respondi, et aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens : Quid sunt hæc, domine mi ? Et respondit angelus qui loquebatur in me, et dixit ad me : Nunquid nescis quid sunt hæc? Et dixi : Non, domine mi. Et respondit et ait ad me, dicens : » In hoc loco Hebræorum traditio talis est : Candelabrum totum solidum ex auro, legem dicunt ; lampadem vero, id est flammam in vertice candelabri lucentem. Christum qui est caput legis, quique omnem mundum illuminat : septem lucernæ super candelabrum, septem dona Spiritus sancti superius enumerata. Hæ lucernæ super candelabrum sunt, quia lex Spiritu sancto dictante con- B scripta est ; septem autem infusoria, id est vascula in quibus oleum est quod infunditur in lucernas, quæ lucent super candelabrum, hoc significare dicunt, quod istæ septem gratiæ ad homines de cœlo per legem descendant, duas vero olivas quæ erant super candelabrum a dextris et a sinistris, inter quas lucebat media lampas, legem et prophetiam intelligunt. Cum ergo propheta quærenti angelo quid videret, narrasset visionem, interrogat ipsum angelum quid significaret ipsa visio. Rursus angelus interrogat eum : Nunquid ignoras quid sunt hæc ? quo respondente, Nescio, respondit jam angelus edocens visionem : « Hoc est verbum Domini ad Zorobabel dicens : Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu C meo, dicit Dominus exercituum, » reductum esse populum de captivitate, et plenius reducendum, et adversarios eorum vastandos.

« Quis tu, mons magne, coram Zorobabel in planum ? » et populo Judæorum, nolens eos prosperari et templum reædificari. In planum scilicet sternere, et a tua superbia dejicere, humiliatus sub pedibus Israel. « Et educet lapidem primarium, » id est Christum, qui semper auxilio fuit populo Israel a sæculis. « Et exæquabit gratiam gratiæ ejus, » id est lapis. Quod est aperte dicere : Gratiam ejus eduxit de captivitate, et exæquabit hanc illi gratiæ, quam exercuit erga patres eorum, similem istis misericordiam impendendo : hæc est Hæbræorum traditio. Doctores vero ecclesiastici hunc locum ita exponunt : D Candelabrum totum aureum sancta est Ecclesia, quæ in divinis Scripturis sensum magis quam verba requirit. Lampas super candelabrum Dominum designat Christum, qui illuminat Ecclesiam, quique de se dicit : « Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, » id est sub mensura legis, « sed super candelabrum, » id est in Evangelii libertate, quo Ecclesia illustratur. Lucernæ septem et infusoria eorum, gratia est Spiritus sancti, per quam oleum misericordiæ divinæ cunctarumque virtutum Ecclesia suscipit. Duæ olivæ, Moyses et Elias, qui in monte cum Domino transfigurato apparuerunt, et loquebantur ea quæ passurus erat in Hierusalem. Nonnulli duas olivas a dextris et a sinistris, Evangelium et legem, accipiunt, ut in dextra oliva Evangelium, in sinistra oliva lex intelligatur. Magnus mons coram Zorobabel, diabolus vel Antichristus, qui se erigebat contra Zorobabel, de quo nasciturus erat Christus. Ipsi quoque Christo in Evangelio ostensis mundi regnis et honoribus, ausus est dicere : « Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. » Et ipse Dominus in Evangelio diabolum montem vocat, dicens : « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, transi hinc, et transibit. » Sed hujus superbia complananda erat, et usque ad pulverem humilianda. Lapis primarius ille est, de quo Joannes : « In principio erat Verbum. » Quod vero sequitur, « exæquabit gratiam gratiæ ejus, » illud est quod Apostolus ait : Nos omnes de plenitudine ejus accepimus gratiam pro gratia, gratiam Evangelii pro gratia legis, ut parem et æqualem gloriam accipiant et ex Israel credentes, et ex gentibus ad fidem venientes. Hinc per Joannem dicitur : Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.

« Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam, et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. » Hoc qui Esdram prophetam legerit, inveniet quod scilicet templum a Zorobabel fundatum sit, et usque ad summa fastigia perductum.

« Quis enim despexit dies parvos ? » *Quis* hic pro raro accipitur. Hoc autem referendum est ad regiam potestatem, quam tunc temporis in Zorobabel adversarii despiciebant, et pro nihilo ducebant. Monet ergo Zorobabel et Jesum atque omnem populum ædificantem, ut non timeant adversarios, qui eos ædificare prohibeant, sed potius audiant Dominum cohortantem, et suum illis auxilium promittentem. Sequitur enim : « Et lætabuntur, » id est paucorum dierum despectu, majori gaudio replebuntur. Potest ita intelligi : Rarus est, qui parvos dies hujus sæculi despiciat, quoniam nimirum multi sunt, qui hoc sæculo delectantur adeo, ut si possent, semper hic vivere vellent. Cum ergo viderimus hujus sæculi amatores fulgere auro, purpura, gemmisque rutilare, stipari officiis ministrorum, possumus hoc assumere et dicere : Quis enim despexit dies parvos? Parvi enim sunt omnes dies præsentis vitæ, quantumvis longissimo temporum spatio tendantur. Unde et Jacob dicebat : « Dies mei parvi et mali. » « Et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi Domini, qui discurrunt in universa terra, » id est auxilium Salvatoris, qui de Zorobabel stirpe nascitur. Lapis autem vocatur ob fortitudinem insuperabilem. Quare autem lapis stanneus ? Stanni naturam dicunt, ut alia metalla defendat ab igne. Cum enim sint duriora per naturam æs, ferrum, cæteraque, si absque stanno fornaci fuerint tradita, uruntur. Sic et angelorum et hominum fortitudo, si non habuerit divinum auxilium, fragilis et imbecillis est. Lapis ergo stanneus vocatur Christus, quia sicut stannum metalla mixta et adulterata dissociat,

ita et Dominus Salvator, de quo propheta dicit, Sedebit conflans et emundans argentum bonorum operum, argentum et aurum ab ære plumboque vitiorum secernit, ut purum aurum argentumque remaneant.

« Et respondi, et dixi ad eum : Quid sunt duæ olivæ istæ ad dexteram candelabri et ad sinistram ejus ? et respondi secundo, et dixi ad eum : Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffossoria ex auro ? et ait ad me dicens : Nunquid nescis quid sunt hæc? et dixi, Non, domine mi. Et dixit » ad me : « Isti sunt duo filii olei, » splendoris, « qui assistunt dominatori universæ terræ. » Interrogat propheta quid significent duæ olivæ ad dexteram et sinistram candelabri. Sed angelus qui in persona Domini loquebatur, noluit ei respondere, sive quoniam de duabus olivis supra audierat, ideo nunc non meretur audire responsum angeli, quia prius audita non retinet, sive etiam quia majora se scire volebat, confutatur silentio angeli, vel ut Hebræi dicunt, non respondit ei, quia non bene interrogaverat, nec totum quæsivit, quod scire debebat : nam de olivis interrogans, nihil de spicis olivarum, nil de rostris aureis, aut de infusoriis quæsierat. Spicas autem olivarum, ipsas dicit arbores, translato sermone, quod in modum spicarum rectæ sint, et sicut spicæ vallantur aristis, sic istæ quasi quodam vallo ramorum et foliorum recte in altum surgant. Quidam duas spicas olivarum, duo Testamenta intelligunt Evangelium et legem, et hos esse filios splendoris, qui assistunt dominatori universæ carnis, alii sacerdotium et legem, nonnulli Eliam et Enoch, quorum alter in præputio, alter in circumcisione placuit Deo.

CAPUT V.

« Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi, et ecce volumen volans. Et dixit ad me, quid tu vides? Et dixi : Ecce ego video volumen volans. Longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum. Et dixit ad me : Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ. » Conversus est propheta ab alia visione ad aliam, et a lætis et prosperis ad tristia mentis oculos extulit. Ne enim elevaretur cor ejus, quoniam omnia felicia et plena gaudii nuntiabat, videt et ea quæ sunt tristia. Videt ergo volumen volans, in quo facta omnium descripta erant, hoc volumen utriusque testamenti naturam designat. Per viginti cubitos longitudinis, Evangelium : per decem autem latitudinis, decalogus legis accipitur. Viginti autem ad decem, duplum sunt ad simplum, quoniam in decalogis peccata operum prohibentur, in Evangelio autem cogitationum peccata resecantur. Verbi gratia : lex prohibet homicidium, Evangelium iram; adulterium damnatur in lege, in Evangelio concupiscentia punitur : quia qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, etc. In lege reum facit rapina, in Evangelio flammis gehennæ subdit tenacia. Septuaginta translatores pro volumine « falcem » dixerunt, habentem ejusdem mensuræ longitudinem et latitudinem. Falx ista divini judicii severitatem designat : sicut enim falx cuncta suo circuitu ambit exterius, interius incidit, ita divinæ animadversionis potentia universa forinsecus complectitur, intrinsecus dirimit et discernit, dijudicans opera et cogitationes. « Quia omnis fur sicut ibi scriptum est judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, et commorabitur in medio domus ejus, et consumet eam et ligna ejus et lapides ejus. » Multi sunt qui furtum et perjurium aut parva aut nulla putant esse crimina, nec attendunt quod maledictio hujus voluminis venire dicatur ad domum furis et mendaciter jurantis in nomine Domini, et consumere et ligna et lapides ejus, id est dura et gravia peccata illius. Quid de gravioribus ergo peccatis erit, qualia sunt homicidia, adulteria, cæteraque carnis opera, si furtum et perjurium tali pœna plectuntur ?

« Et egressus est angelus qui loquebatur in me, et dixit ad me : Leva oculos tuos, et vide, quid est hoc quod egreditur? Et dixi : Quidnam est ? Et ait : Hæc est amphora egrediens ; et dixit. » Angelus qui loquebatur in propheta, egressus ideo est, ut aliam visionem ei ostenderet. Præcepit ergo ut levet oculos ad magna contemplanda, et videat amphoram, id est mensuram peccatorum populi Israel consummatam atque plenam. Amphora enim, quæ Hebraice dicitur *epha* vel *ephi*, plenitudinem designat peccatorum. Ipsi quoque amphoræ nomen imponit angelus dicens : « Hic [hæc] est oculus eorum in universa terra, » id est ostensio omnium peccatorum. Impleta enim peccatorum mensura, juxta quod Dominus ad Judæos dicit : Implete mensuram patrum vestrorum, et in Genesi : Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum, restat ut sit oculus, id est ostensio et vindicta superveniente justa ira Dei. Sic et delicta illius populi latuerant, cum nondum impleta essent. Jam vero adimpleta pandebantur omnibus et monstrabantur cunctis gentibus quales fuissent in terra sua.

« Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Et dixit : Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os ejus. » Ut autem ipse angelus exponit, vocabatur impietas, id est idololatria et negatio Dei. Talentum plumbi massam dicit. Portabatur autem vel suo impetu per aerem, vel jussione Dei. Talentum illud vel massa plumbi signat gravissimum pondus peccatorum, quo populus ille premebatur. Angelus ergo Domini arreptam mulierem projecit in medium amphoræ, ut in plenitudine peccatorum portaretur in Babylonem, ubi, sicut in sequentibus legitur, portabatur, ibique captivitatis pondere premeretur ; et quoniam in suo scelere gloriabatur, talentum vel massam plumbi misit angelus in os ejus, id est amphoræ, ut impieta

tem clauderet, et obturato ore nequaquam se ultra jactaret in suo scelere, sed æterno silentio conticesceret.

« Et levavi oculos meos et vidi, et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum. » Duæ mulieres sunt decem tribus, quæ dicuntur Israel, et duæ quæ vocantur Juda. Decem tribus captæ sunt ab Assyriis, et duæ a Chaldæis. Spiritus in alis earum, potestates diaboli, qui vocatur in Evangelio immundus spiritus, et de quo Salomon : Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Hoc ergo spiritu, quasi flatu venti raptatæ istæ mulieres, volatu celeri ad omne nefas ferebantur. « Et habebant alas quasi alas milvi, » quæ est avis rapacissima, et domesticis avibus semper insidians. Bene ergo hæc avis convenit istis mulieribus Judæ et Israeli, quæ propter nimia peccata traditæ sunt potestati dæmonum, et ab eis in captivitatem ductæ. « Et levaverunt amphoram, » in qua erat impietas, et massa plumbi inclusa. « Inter terram et cœlum, et dixi ad angelum qui loquebatur in me. » Propheta vero jam non interrogat quæ essent mulieres : sciebat enim prophetico spiritu, nec quid portent, quia angelo docente cognoverat, sed quo portent, inquiens : « Quo istæ deferunt amphoram ? et dixit ad me. » Respondit angelus : « Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, et stabiliatur, et ponatur ibi super basim suam. » Sennaar campus est Chaldæorum, in quo post diluvium filii Adam turrim superbiæ ædificare conati sunt, sed a Domino confusa est lingua quæ omnibus una erat. Unde et ipsa civitas Babylon, id est confusio, dicta est. Amphora ergo cum impietate deferebatur in Babylonem, ut ibi super basim, id est super sedem stabilem ponatur, ibique æterna statione ponatur. Sennaar interpretatur dentium excussio, vel fetor eorum. Amphora itaque cum impietate ad terram Sennaar defertur, et ibi ei locus stationis paratur, quia diabolus auctor impietatis in cordibus reproborum, quos impietas vel fetor libidinis possidet, requiescit. Quod vero Sennaar excussio dentium dicitur, significat quia reprobi excussos et perditos habent dentes, quibus verba Dei molere, hoc est, meditari debuerant, et ideo pereunt, quia cibum divini eloquii in ventrem memoriæ non transmittunt. Juxta spiritualem sensum, hæ duæ mulieres hæreticos et Judæos designant, qui egrediuntur a facie Domini, et feruntur incerto erroris spiritu, delectantur jurgiis et contentionibus. Hi etiam super se levant pondus impietatis, et in Babylone (id est in confusione) ædificant sibi domum.

CAPUT VI.

« Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi, et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, et montes, montes ærei. In quadriga prima equi rufi, et in quadriga secunda equi nigri, et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii, fortes. Et respondi, et dixi ad angelum, qui loquebatur in me : Quid sunt hæc, domine mi ? Et respondit angelus, et ait ad me. » Transit propheta ad aliam visionem, et oculos cordis altius porrigit ac videt quatuor quadrigas egredientes de medio duorum montium, qui erant ærei et fortissimi, et qui nulla possunt vetustate consumi. « In quadriga secunda equi nigri, » reges Persarum et Medorum mortiferi propter Assuerum, quo regnante, ad petitionem Aman hostis Judæorum, idem rex omnem gentem Judæorum edicto publico morti adjudicavit. « In quadriga tertia equi albi. » Macedones, sub quorum rege Antiocho describitur Machabæorum victoria. « In quadriga quarta equi varii fortes. » Ideo varii, quia Romanorum reges alii clementes fuerunt erga Judæos, ut C. Claudius, alii persecutores eorum exstiterunt, ut C. Caligula, Nero et Vespasianus. Quærente itaque propheta, quid significarent quæ cernebat, angelus respondit : « Isti sunt quatuor venti cœli, » id est climata sive plagæ, « qui egrediuntur ut stent coram dominatore omnis terræ. » Nil enim regna terræ absque Dei permissu et voluntate facere possunt.

« In qua » quadriga « erant equi nigri, egrediebantur in terram aquilonis, et albi egressi sunt post eos et varii egressi sunt ad terram austri. Qui autem erant robustissimi, exierunt et quærebant ire et discurrere per omnem terram. Et dixit : Ite et perambulate terram. Et perambulaverunt terram. Et vocavit me, et locutus est ad me dicens. » Proinde prætermittit propheta de quadriga prima, in qua erant equi rufi, jam enim defecerat omne regnum Babyloniorum, et Medi ac Persæ omnem Asiam tenebant, sub quorum rege Dario hæc omnia Zacharias contemplatus est. Quadriga itaque, in qua erant equi nigri, egrediebantur ad aquilonem, ut ibi jubente Domino Chaldæorum destrueretur imperium. Albi quoque post eos egressi sunt, id est, Macedones secuti Medorum vestigia, ut regna Chaldæorum suo subderent imperio. Quarti, id est varii et fortes Romani, exibant ad terram austri, et jubentur ire et perambulare omnem terram. Romanorum enim potentia in quatuor mundi partibus suum dilatavit imperium. Deinde ad prophetam conversus angelus, dixit : « Ecce qui egrediuntur in terram aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra aquilonis. » De tertia quadriga dicit, in qua erant equi albi, per quos figurabantur Macedones, qui et ipsi post nigros ad terram aquilonis egrediebantur. Hi ergo requiescere fecerunt spiritum Domini in terra aquilonis, quia vindictam Dei impleverunt subverso Medorum imperio. Nam Alexander, rex Macedonum, Darium Persarum et Medorum regem interfecit, et ejus regnum in Macedones transtulit. Hi ergo requiescere fecerunt spiritum prophetalem, Dei spiritum in terra aquilonis, quia vindictam exercuerunt populi Dei, et voluntatem ejus in illorum interitu compleverunt. Grandis enim est consolatio eorum qui opprimuntur, si hostes suos cito cognoverint perituros. Quidam spiritualiter per quatuor quadrigas quatuor

intelligunt Evangelia : per equos, electos Dei, in diversitate colorum diversas gratias possidentes Quorum alii sunt rufi martyrio, alii nigri, squalore pœnitentiæ fuscati, sive illi qui obscura Christi mysteria penetrant Scriptum est enim : « Posuit tenebras latibulum suum. » Alii albi, virginitatis candore fulgentes, sive in baptismo mundati. Nonnulli varii fortes diversarum curationum et virtutum gratiam habentes. Hoc autem quod dicitur, « Hi qui egrediuntur in terram aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra aquilonis, » significat quia ad prædicationem evangelicam gentes quæ erant in aquilone, hoc est, in frigore infidelitatis, et sub potestate diaboli, qui dixit, « Ponam sedem meam ad aquilonem, » crediderunt, et in eis spiritus Domini requievit.

« Et factum est verbum Domini ad me dicens : Sume a transmigratione ab Holdai et a Tobia et ab Idaia, et venies tu in die illa, et intrabis in domum Josiæ filii Sophoniæ, qui venerunt de Babylone, et sumes aurum et argentum, et facies coronas, et pones in capite Jesu filii Josedech sacerdotis magni, et loqueris ad eum dicens : Hæc ait Dominus exercituum dicens : Ecce vir oriens nomen ejus, et subter eum orietur, et ædificabit templum Domino. » Ordo verborum confusus est. Est autem talis conjunctio : Sume tibi ab Holdai et a Tobia et ab Idaia, qui venerunt de Babylone, et sumes subaudis ab eis munera quæ afferuntur, aurum et argentum, et intrabis in domum Josiæ filii Sophoniæ, et facies ibi coronas auro argentoque distinctas, et unam ex eis pones super Jesum filium Josedech sacerdotem magnum, et loqueris ad eum : « Ecce vir oriens nomen ejus, et subter eum orietur, » id est repente succrescet ex radice sua, et in similitudinem germinis pullulabit Significat autem Zorobabel, qui ex humili et captivo in ducem populi surrexit, et ædificavit templum Domino Hoc est enim quod dicit : Et ædificabit templum Domino.

« Et ipse exstruet templum Domino, et ipse portabit gloriam, » id est alteram coronam. « Et sedebit et dominabitur super solio suo. Et erit sacerdos super solio suo, et consilium pacis erit inter illos duos. Et coronæ erunt Helen et Tobiæ et Idaiæ et Hen. » Hucusque de Zorobabel : nunc iterum repetit de Jesu sacerdote, de quo prius dixerat. Sed et pontifex (inquit) Jesus sedebit in solio suo, hoc est, in throno sacerdotali, et erit pax inter duos illos, hoc est, inter Zorobabel, qui de stirpe regia erat, et Jesum qui de Levitica tribu descenderat, ut sacerdotium et regnum pariter Dei populum regant, ipsasque coronas postquam impositæ fuerint capiti Jesu filii Josedech, et capiti Zorobabel filii Salathiel, consecrabis in templo nominibus eorum, a quibus oblatæ sunt, id est Helem et Tobiæ et Idaiæ et Hen. « Filio Sophoniæ memoriale in templo Domini Et qui procul sunt, venient et ædificabunt in templo Domini, et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri. » Repositis autem coronis in templo Domini, et in æternam memoriam consecratis, venient de toto orbe gentes, et ædificabunt in templo, et scietis quoniam Dominus misit me ad vos. Videndum quod cum superius tres posuerit viros, Holdai et Tobia et Idaia, nunc primum nomen mutatum est : pro Holdai enim positum est Helem. Quartum est additum, quod prius non fuerat dictum, id est, Hen. Holdai interpretatur deprecatio Domini, Tobias bonus Domini, Idaia notus Domini, Hen gratia. Helem vero, quod pro Holdaia positum est, interpretatur somnium. Tradunt Hebræi, istos tres, id est Holdai, Tobia, et Idaia, esse tres pueros, Ananiam, Azariam, Misaelem, qui venerunt de captivitate, et hæc munera aurum et argentum in templo Domini obtulerunt : quartum vero, quod supra non est, id est Hen, Danielem dicunt esse, et ipsum venisse cum munere ; idcirco autem Helem positum esse pro Holdai, quod Helem somnium interpretetur, ut ex interpretatione ostendatur Daniel, et tres pueri qui in Babylone regalis somnii mysteria cognoverant. Josias autem iste, ad quem intrare propheta jubetur, et in cujus gratiam a Septuaginta translatoribus dicuntur esse coronæ, eo quod apud illum servarentur, æditaus, id est custos Domini templi erat Hæc juxta litteram, sicut se habet Hebræorum traditio. Spiritualiter jubetur propheta sumere a transmigratione aurum et argentum. Transmigratio populi Judæorum, id est populi Deum confitentis, sunt vitia et peccata, quæ cum quis cœpit relinquere et agere pœnitentiam, et desiderare patriam, id est Hierusalem cœlestem, offert in templo Domini aurum et argentum, intellectu et sermone Dominum confitendo. Ex hoc auro et argento fiunt coronæ in templo Josiæ, qui interpretatur salvatus, et filius est salvationis Domini. Domus Ecclesia est, in qua est populus salvatus a Domino, qui est filius visitationis Domini. Visitavit enim Dominus eos qui male ægrotabant, peccatorum languore decubantes. Imponuntur hæ coronæ Jesu filio Josedech sacerdoti magno, quod nobis a captivitate diaboli liberatis, et proficientibus per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, imo in nobis coronas ipse accipit. Recte autem filius dicitur Josedech, qui interpretatur Dominus justitiæ, quod Deus Pater Domini Salvatoris juste singulis pro suis meritis restituet. Unde confidenter dicebat Apostolus : « Reposita est mihi corona justitiæ » etc. Præcipitur itaque prophetæ, ut postquam imposuerit coronas super caput Jesu filii Josedech sacerdotis magni, dicat ad eum : « Ecce vir oriens nomen ejus. » Christus qui Jesus dicitur, qui salvavit mundum, nunc oriens vocatur, quia in diebus ejus orta est justitia. « Et subter eum orietur, » subaudis multitudo credentium. « Et ædificabit templum Domino, » id est Ecclesiam « Et dominabitur super solio suo, » quia cum venerit ad judicium, sedebit super sedem majestatis suæ. « Et erit sacerdos super solio suo, » quia ipse est rex, ipse pontifex, et ipse sedebit tam in regali quam in sacerdotali throno

« Et consilium pacis erit inter duos illos, » ut nec regale fastigium sacerdotalem deprimat dignitatem, nec sacerdotii dignitas regale fastigium, sed consentiat utrumque in unius Domini Jesu gloriam.

CAPUT VII.

« Et factum est in anno quarto Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam in quarta noni mensis, qui est Casleu. Et miserunt ad domum Dei Sarasar et Rogommelech, et viri qui erant cum eo ad deprecandam faciem Domini, ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum et prophetis loquentes. » Mensis nonus, qui apud Hebræos dicitur Casleu, apud nos vocatur December. In cujus mensis quarta die miserunt ad templum Domini, quod jam instauratum erat, ad Zorobabel et Jesum Sarasar et Rogommelech, qui (ut Hebræi autumant) principes erant Persarum Dominum timentes, ut quia audierant instauratum templum, quærerent a sacerdotibus et prophetis, utrum secundum consuetudinem pristinam flere deberent et jejunare, an luctum in lætitiam et gaudium convertere. « Nunquid flendum mihi est in mense quinto? » Quinto mense, qui apud Romanos vocatur Augustus subversa est Hierusalem a Nabuchodonosor. Ob quam causam usque ad illud tempus jejunaverant, desolationem templi luctu et mœrore consolantes. Nunc vero quoniam templum restructum videbant, et causam non superesse tristitiæ, interrogant utrum hoc nunc facere debeant. Et hoc est quod dicit, « Nunquid sanctificare me debeo, sicut feci jam annis multis? » Jejunium vocant enim sanctificationem, quia in jejunio ab omnibus voluptatibus abstinebant, et bonis operibus atque eleemosynis vacabant. Unde et propheta dicit, « Sanctificate jejunium. » Jejunium sanctificare est adjunctis aliis bonis, a vitiis abstinere. Postquam ergo interrogaverunt Persarum principes per legatos quos miserant, fit sermo Domini ad prophetam, imperans ut loquatur ad omnem populum. Loquebatur etiam ad sacerdotes, quid debeant respondere.

« Et factum est verbum Domini exercituum ad me dicens : Loquere ad omnem populum terræ et ad sacerdotes dicens, Cum jejunaretis et plangeretis in quinto et in septimo mense per hos septuaginta annos, nunquid jejunium jejunastis mihi? » In quinto mense jejunabant, quia in illo subversa est Hierusalem a Chaldæis, septimo autem, quia tunc occisus est Godolias, quem præfecerat rex Babylonis terræ, et reliquiæ populi dispersæ sunt. Dicit ergo Dominus : Quid mihi proderat quod jejunabatis et plangebatis per septuaginta annos desolationis Hierusalem, cum non mihi, sed vobis jejunaretis?

Et contra, « Et cum comedistis et bibistis » in festivitatibus vestris, « nunquid non vobis comedistis, et vobismetipsis bibistis? » Non enim his rebus placatur Deus, sed bonis operibus, in judicio et justitia et veritate. Esca autem nos non commendat Deo.

« Nunquid hæc sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Hie-A rusalem habitaretur, et essent opulenta, et ipsa et urbes in circuitu ejus, et ad austrum et in campestribus habitaretur? » Cum (inquit) adhuc staret Hierusalem, et bonis omnibus ubique abundaret, et summa pace frueretur, hæc ipsa quæ ego nunc dico, loquebantur ad vos priores prophetæ. Quæ autem essent illa, in sequentibus manifestatur.

« Et factum est verbum Domini ad Zachariam dicens, Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. Viduam et pupillum et advenam et pauperem nolite calumniari, et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Et noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentes, et aures suas aggravaverunt ne audirent, et cor B suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem et verba, quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum, et facta est indignatio magna a Domino exercituum. Et factum est sicut locutus est, et non audierunt, sic clamabunt et non exaudiam, dicit Dominus exercituum. Et dispersi eos per omnia regna quæ nesciunt, et terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens et revertens, et posuerunt terram desiderabilem in desertum. » Hæc sunt (inquit) quæ mihi plus placent quam jejunium quinti et septimi mensis, quæ quia non fecistis, traditi estis captivitati et opprobrio. « Facite (inquit) misericordiam et miserationem. » Misericordiam facere est, eleemosynam pauperi dare : miserationes vero, debitoribus indulgere, quæ C duo in propheta Isaia ita dicuntur, « Frange esurienti panem tuum. » Ecce misericordiam. Et paulo supra, « Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes : » ecce miserationes. Ordo autem rectissimus est, ut judicium sequatur misericordia, maxime in fratres quos vel sanguinis vel ejusdem fidei nobis jungit affinitas. Nam quod in lege dicitur, « Non misereberis in judicio, » in ipso judicio non est illi miserendum, sed convicto et reatum suum confitenti misericordia impendenda est. De viduis quoque et pupillis Dominus præcepit : Esto pupillis pater et pro viro mater eorum. Advenæ quoque et pauperi præcipit calumniam non inferendam, quia alterum peregrinatio humiliat, alterum egestas. Cum hæc et alia præceperit Dominus, D illi econtra facerunt, et verterunt ad eum dorsa, et recedentem, id est avertentem se scapulam, et aures aggravaverunt, sicut surdæ aspides. Quapropter ad magna peccata facta est magna Dei indignatio, et dispersi sunt per regna, quæ antea nescierunt, Assyriorum, Medorum et Persarum, et terra quæ fluebat lacte et melle, versa est in solitudinem. Possunt et hæc referri ad eos qui in Ecclesia positi de virtutum copia superbiunt, nec Deo doctori gratias agunt, idcirco justo Dei judicio permittuntur tentari a diabolo, et captivantur sub lege peccati, et desolatur terra eorum, id est, anima quondam Trinitatis hospitium, et vertitur in desertum, derelicta a Deo inhabitatore.

CAPUT VIII.

« Et factum est verbum Domini exercituum ad me dicens : Hæc dicit Dominus exercituum » Loquere de Hierusalem quasi vir de adultera uxore. Deus enim dilexit plebem Israeliticam, eamque sibi casto amore dote fidei sociavit, sicut Ezechiel propheta plenissime declarat, quæ postea relicto Deo, fornicata est cum idolis diversarum gentium, propter quod tradita in captivitatem, egit pœnitentiam dicens : Revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis quam nunc. Quam misericors Deus suscipiens, et non imputans peccata sua dicit : « Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam Hæc dicit Dominus exercituum : Reversus sum ad Sion, et habitabo in medio Hierusalem, et vocabitur Hierusalem civitas veritatis, et mons Domini exercituum, mons sanctificatus. » Quia (inquit) reliquit me Sion, quæ est Hierusalem, et secuta est amatores plurimos, et ab aliis deturpata est, zelatus sum zelo magno secundum criminum magnitudinem, quia ad me reversa est, agens pœnitentiam, et ego reversus sum ad eam majore clementia. Ædifica mihi templum, et habitabo in medio tui, et vocabitur civitas veritatis, quæ quondam vocabatur civitas mendacii. Vocabatur quoque mons sanctificatus et mons Domini. Spiritualiter possunt hæc referri ad animam, quæ debuerat esse Hierusalem, id est visio pacis, et Sion, id est specula Deum contemplando, quæ cum peccaverit, traditur in potestatem diaboli, et subditur captivitati vitiorum ; si vero pœnituerit, et offensum Deum sibi propitiari studuerit, revertetur ad eam Deus, et erit mons sanctus et civitas Dei, et habitabit in medio ejus, diceturque ad eam : « Magnus Dominus et laudabilis, » etc.

« Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc habitabunt senes et anus in plateis Hierusalem, et viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum, et plateæ civitatis complebuntur infantibus et puellis ludentibus in plateis ejus. » Me (inquit) habitante Hierusalem, tanta erit prosperitas et abundantia pacis, et nullo hoste remanente usque ad ultimam senectutem vivant homines in utroque sexu, et trementes artus baculo sustentent præ dierum multitudine, plateæ quoque ejus impleantur ludentibus pueris et puellis. Spiritualiter plateæ, quæ a latitudine dicuntur, sunt virtutes, in quibus sancti spatiantur et fiducialiter agunt. Nam Psalmista latum appellat mandatum Dei. In his plateis sedent senes et anus, id est perfecti quique et emeriti in virtutibus. Senectus enim venerabilis est et reliqua. Replebuntur pueris et puellis, id est qui rudimenta sermonis Dei percipiunt, qualibus dicit Joannes : Scribo vobis pueri, quia dimittuntur vobis peccata vestra per nomen ejus, et sic implebitur quod Psalmista dicit, « Juvenes et virgines, » etc.

« Hæc dicit Dominus exercituum : Si difficile videbitur in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, nunquid in oculis meis difficile erit, dicit Domi-
A nus exercituum. » Quia magna et pene incredibilia promittebantur Israeli, dubitare fortassis poterant pro rerum magnitudine, idcirco nunc loquitur propheta ex persona Domini. Si vobis, o reliquiæ populi mei, difficile videtur esse quod spondeo, nunquid mihi difficile erit qui omnipotens sum? Pari modo impossibile videbatur sanctis, quando temporibus persecutionis diversis modis affligebatur Ecclesia, ut aliquando pax illis daretur. Sed nunc reges mundi et principes Christo colla submiserunt, et ad tumulum piscatoris flectuntur genua imperatoris.

« Hæc dicit Dominus exercituum : Ecce ego salvabo populum meum de terra orientis et de terra occasus solis, et adducam eos, et habitabunt in
B medio Hierusalem, et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum in veritate et in justitia. » Hæc tunc impleta sunt ex parte sub Zorobabel et Jesu, quando Dei populus reversus est de captivitate, et habitavit in Hierusalem, et vocatus est Dominus Deus eorum, et nunc plenius implentur sub Domino salvatore in Ecclesia, quæ est vera Hierusalem, cum ex omnibus mundi partibus veniunt ad fidem, sicut et Dominus in Evangelio dicit : « Multi enim venient ab Oriente et Occidente, » etc. Quod vero dicit, « In veritate et justitia, » hoc designat, quod transeunte umbra et figura legis, succedat veritas Evangelii.

« Hæc dicit Dominus exercituum : Confortentur manus vestræ, qui auditis in diebus his sermones
C istos per os prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur. » Quia jam videbant templum exstructum secundum quod id prophetæ, id est Aggæus et Zacharias, prædixerant, nunc hortatur Dominus populum, ut priorum promissionum veritate, accommodent fidem his quæ in futurum promittuntur, et confortentur manus, non timentes eos qui illos ab ædificatione impedire volebant.

« Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces jumentorum, neque introeunti neque exeunti erat pax præ tribulatione, et dimisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum. » Antequam fundaretur et ædificaretur templum Domini, omnis labor eorum irritus fuit, et
D tam homines quam jumenta in agricultura et in diversis operibus casso conatu frustrabantur, nec erat pax introeunti et egredienti, cum intus seditio, foris adversarii, eos conturbarent. Sic et in Ecclesia factum est, quia priusquam templum Domini spiritualiter fundaretur in hominibus, et antequam diceretur eis : « Vos estis templum Dei vivi, » nulla erat merces hominum, id est eorum qui rationales sunt, et jumentorum irrationalium apud Deum. Postquam vero conversi sunt, et Deus in illis habitare cœpit, audiunt ab Apostolo : Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.

« Nunc autem non juxta dies priores ego faciam reliquiis populi hujus, dicit Dominus exercituum, sed

semen pacis erit. Vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et cœli dabunt rorem suum, et possidere faciam reliquias populi hujus universa hæc. » Quia ut templum fundatum est, nequaquam faciam sicut prius feci huic populo affligendo illum, sed dabo illis pacem, et famem pristini temporis futura abundantia compensabo. Sic et modo hæreticorum virgines, philosophorum abstinentia, Judæorum observatio, nullam habent mercedem, quia quidquid boni faciunt, non in nomine Domini faciunt, nec in seipsis domum construunt Domini. Postquam vero conversi fuerint ad Deum, et eruti de captivitate diaboli templum Domini in se ædificare cœperint, orietur in eis multitudo pacis, vinea quæ loquitur in Evangelio, « Ego sum vitis vera, » dabit fructum suum, terra quoque bona dabit fructum suum centesimum, sexagesimum, trigesimum : cœli etiam dabunt rorem prædicationis, de quibus scriptum est : « Cœli enarrant gloriam Dei. »

« Et erit, sicut eratis maledictio in gentibus domus Juda et domus Israel, sic salvabo vos et eritis benedictio. Nolite timere. Confortentur manus vestræ, quia hæc dicit Dominus exercituum : Sicut cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam me provocassent patres vestri, et non sum misertus, sic conversus cogitavi in diebus istis, ut bene faciam Hierusalem et domui Juda. » Apertæ promissiones et consolationes sunt Domini confortantis populum suum. Domum Juda, duas tribus dicit, Judam et Benjamin; domum autem Israel, decem alias tribus, quibus omnibus misericordiam promittit se præstiturum. Quæ consolatio potest ad Ecclesiam persecutionibus afflictam referri quod quicunque pro suis peccatis et ejiciuntur de Ecclesia, et captivantur a diabolo traditi Satanæ in interitum carnis, si egerint pœnitentiam, revertuntur in pristinum statum, et videbunt pacem Domini, et confessionis suæ gloriam possidebunt. « Nolite timere. Hæc sunt ergo verba quæ facietis. Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. Veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris, et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris. » Quia (inquit) bona vobis promisi, ut mea permaneat promissio, facite quæ præcipio, loquimini veritatem cum proximo. Proximum, omnem hominem accipiamus, quia ex uno parente omnes generati sumus. Si enim solis carne proximis veritatem loqui præcipimur, ergo peregrinis et alienis licet mentiri? Veritatem et judicium judicate in portis vestris, ut in judicio primo sit veritas et justitia, deinde sequatur misericordia. Judicium enim pacis est, ut is qui judex est, propositum habeat pacificare discordiam. Quod vero sequitur, « In portis, » consuetudinis illorum fuit, ut in portis civitatis judices sederent, et causas singulorum discernerent. Unde Psalmista dicit de sancto viro : « Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta ; » et propheta : « Oderunt corripientem in porta. » Ideo autem in porta hoc faciebant, ne cogerentur agricolæ intrare urbem, et per hoc aliquod dispendium sustinerent, et tam urbani quam rustici in introitu civitatis responsa judicum audirent, et sic ad propria redirent. Quod vero dicit : « Unusquisque malum, » duplici modo hic malum accipi potest, pro afflictione et pro peccato. Ille ergo qui sanctus est, nec cogitet ut aliquem affligat, nec ut eum peccare faciat. « Et juramentum mendax ne diligatis. » Cum dicit juramentum mendax, non prohibet verum jurare. In Evangelio autem penitus tollitur juramentum Domino dicente : Ego dico vobis non jurare omnino. Qui enim non jurat, nunquam pejerat. « Omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus. Et factum est verbum Domini exercituum ad me dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi, erit domui Judæ in gaudium et in lætitiam et in solemnitates præclaras. Veritatem tantum et pacem diligite. » Ad ea quæ superius principes Persarum per legatos interrogaverant, utrum mense quinto et septimo jejunare deberent, an post templi ædificationem finire jejunium et deponere luctum propheta multis in medio positis, quæ sequi et prosperare deberent, respondet ex persona Christi. Jejunium quarti, subaudis mensis, et quinti et septimi, subaudis ἀπὸ κοινοῦ, id est a communi mensis. Quartus mensis apud Hebræos, apud nos dicitur Julius, in quo mense descendens Moyses de monte, cum videret populum ludentem ante vitulum aureum quem fecerant, projecit tabulas testamenti, quas a Deo acceperat, et confregit ad radices montis, et idololatrarum viginti tria millia prostrata sunt. Hoc ipso mense (ut in Jeremia legimus) muri civitatis Hierusalem rupti sunt a Chaldæis. Propter hoc jejunaverunt Judæi semper mense quarto. Quintus mensis illorum apud nos vocatur Augustus. In hoc mense multa passi sunt Judæi adversa. Nam cum essent in deserto, hoc mense orta est seditio propter exploratores, qui reversi murmurare fecerunt populum. Propter hoc iratus Dominus, prohibuit ne statim ingrederentur terram repromissionis, sed per quadraginta annos vagarentur in deserto, donec morerentur omnes qui a viginti annis et supra, egressi sunt de Ægypto, præter Caleph et Josue. In hoc ipso mense a Nabuchodonosor primo, et post multa sæcula a Romanis templum dirutum et incensum est, propter quas causas gravissimum sibi singulis annis indixere jejunium. Septimus mensis Hebræorum a nobis appellatur October, quo mense occisus est Godolias ab Ismael ut supra memoratum est, et reliquiæ Judæorum dispersæ sunt. Hæc est causa jejunii septimi mensis. Mensis decimus illorum apud Romanos vocatur Januarius, quo mense Ezechiel propheta et cunctus populus captivorum qui erant in Babylone, audierunt quinto mense templum esse subversum. Idcirco in hoc mense annis singulis jejunabant. Sensus ergo talis est : Dies jejuniorum quos hactenus habuistis, his temporibus in luctu, sciatis convertendos esse vobis in gaudium, me vobis prospera

concedente, ita duntaxat, si veritatem diligatis et pacem.

« Hæc dicit Dominus exercituum : Usquequo veniant populi et habitent in civitatibus multis, et vadant habitatores unus ad alterum dicentes : Eamus et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum exercituum. » Jejunia (inquit) prædicta quarti et quinti mensis vertentur in solemnitates præclaras, in tantum ut civitates Judææ, quæ prius desertæ fuerant, multitudine civium repleantur, et una civitas pergat ad alteram, et se mutuo cohortabuntur, quia per hos septuaginta annos nullus fuit qui veniret ad templum Domini, eo quod viæ Sion in luctu et solitudine essent, nunc pace reddita pergamus Hierusalem, ut celebremus solemnitates, quæ in lege præcipiuntur in anno fieri, et dicente una civitate, respondebit altera : « Vadam etiam ego, » quo tempore:

« Et venient populi multi et gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Hierusalem, et deprecandam faciem Domini, » et ut sacrificent Domino Deo, et deprecentur faciem ejus. Sed altiore sensu facies Domini, Filius est Dei Patris, per illum enim quasi per faciem Pater Deus agnoscitur, sicut ipse Filius dicit : « Manifestavi nomen tuum hominibus. » Omnes ergo credentium populi confluunt ad Ecclesiam, et ibi deprecantur Filium Dei, laudis victimas Deo immolant.

« Hæc dicit Dominus exercituum in diebus illis in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes : Ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam Deus vobiscum est. » Quamvis Judæi hoc ad ultima Antichristi tempora referant, nos dicimus in adventu Domini ista fuisse, quando ex Maria virgine natus est. Decem enim isti homines Ecclesiæ sunt per orbem diffusæ. Nam denarius perfectus est numerus, finis tesseræ numerorum. Iota quoque littera apud Græcos, a quo nomen Jesu inchoat, denarium exprimit. Hos decem viros requisivit Dominus ab Abraham, si invenero ibi decem, non delebo urbem propter decem. Has Ecclesias quæ hic denario figurantur, Joannes in Apocalypsi septenario numero ostendit, dicens vidisse Filium hominis in medio candelabrorum, id est Ecclesiarum, quas mystice sub nominibus civitatum describit. In Isaia quoque dicitur : Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa. Apostolus quoque Paulus ad septem tantum scribit Ecclesias, ad Romanos videlicet, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses. Ecclesias ergo, quas illi septenario numero signaverunt, propter dona septiformis Spiritus, hic propheta Zacharias denario exprimit numero propter denariam perfectionem. Et apprehendent decem homines, id est Ecclesiæ in virum perfectum provectæ, et rationem spiritualis intellectus habentes, apprehendent fimbrias viri Judæi, hoc est Domini Salvatoris, de quo scriptum est : « Juda, te laudabunt fratres tui ; » et in psalmo : « Juda rex meus. » Hujus Judæi fimbriam apprehendent Ecclesiæ, id est credent incarnationis ejus mysterium. Per fimbriam, quæ est minima pars vestis, humilitas incarnationis ejus innuitur. Hanc tetigit mulier hæmorrousa, et sanata est. Hunc itaque apprehendent, cupientes ejus inhærere vestigiis. Omnes ergo qui censentur nomine Christiano, et in mensuram (ut dictum est) viri perfecti venerunt, comprehenduntur in decem hominibus, et hi apprehendent fimbriam viri Judæi, id est imitatores student esse Christi credendo fideliter incarnationem illius. Possumus quoque per fimbriam viri Judæi Paulum apostolum specialiter accipere : nam fimbria minima pars est vestis, et ipse de se dicit : « Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus. » Fimbria itaque viri Judæi Paulus est apostolus Domini nostri. Hanc fimbriam apprehendunt decem homines, id est, doctrinam ejus sequuntur omnes in Christum credentes, juxta quod ipse dicit : « Imitatores mei estote. »

CAPUT IX.

« Onus verbi Domini in terra Hadrach et Damasci requiei ejus. » Hæc prophetia de constructione sanctæ Ecclesiæ est, quæ tam ex Judæis quam ex gentibus constat. Est autem ordo verborum : Onus enim pondus verbi Domini, acuti et mollis, acuti videlicet contra peccatores, mollis erga justos. Had enim Hebraice acutum, rach molle dicitur, ergo pondus verbi Domini peccatoribus gravissimum, molle justis. In terra Hadrach, Judæos intelligamus : per Damascum, gentes. Fit ergo opus verbi Domini in terra Hadrach, id est populo Judæorum, super quem et severitatem Dominus exercuit et clementiam, severitatem in illos qui credere noluerunt, clementiam vero in eos qui ab infidelitate ad fidem conversi sunt. Damascus autem requies Domini dicitur, quia in gentilitatis fide et devotione Dominus requievit, juxta quod per Isaiam prædictum fuerat de Christo : Antequam sciat puer vocare patrem aut matrem suam, accipiet virtutem Damasci et spolia Samariæ. Recte autem Damascus sanguinem bibens, vel sanguis cilicii interpretatur, quia gentilitas primo per idololatriam cruentata, sanguine peccatorum sauciabatur, postea sanguinem malitiæ cilicio pœnitentiæ studuit detergere. « Quia Dominus est oculus hominis et omnium tribuum Israel. » Idcirco (inquit) domus Domini, id est Ecclesia de utroque populo et de terra Hadrach et de Damasco construitur, quoniam Domini est quicunque vel de gentibus, vel de Judæis respicit eum, credendo et sperando in illum. Oculus enim aspectus est contemplationis.

« Emath quoque in terminis ejus, et Tyrus et Sidon, assumpserunt quippe sibi sapientiam valde. Et ædificavit Tyrus munitionem suam, et coacervavit argentum quasi humum, et aurum ut lutum platearum. Ecce Dominus possidebit eam, et percutiet in mari fortitudinem ejus, et hæc igni devorabitur. » Emath civitas est Syriæ Cœles, quia ab Antiocho Epiphane reædificata Epiphania est nuncupata. Interpretatur

enim Emath indignatio. Et hæc igitur et Tyrus et Sidon erunt in terminis ejus, id est Damasci, sive in terminis terræ Hadrach, ut et ipsæ cum illis credant in Dominum Salvatorem, cui dicit propheta in psalmo : « Postula a me et dabo tibi gentes, » etc. Emath quæ indignatio, et Tyrus quæ angustia, et Sidon quæ venatio inutilis interpretatur, gentium populos designant, quæ primo ad prædicationem nominis Christi indignatæ sunt, et in angustia peccatorum erant, et venabantur a diabolo, in cujus typum præcesserat Nemroth robustus venator coram Domino. Quod vero hæ civitates vel magis gentes, quas significabant, promptissimæ fuerint ad credendum, Dominus ostendit in Evangelio dicens : « Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ in te factæ sunt, olim pœnitentiam egissent. » Assumpserunt itaque sapientiam valde, id est sophismata et calliditates artis dialecticæ. Tyrus quoque ædificavit munitiones suas, id est fortia argumenta, quibus quasi muro quondam munita gentilitas, a nullo posset veritatis doctore superari. Coacervavit argentum, id est rhetoricæ facundiæ, et aurum sensuum moralium et allegoriarum. Verum quam sint hæc vilia et contemnenda ostendit, cum argentum et aurum istud comparat luto platearum. Hæc autem congregabant, ut munirent regnum idololatriæ, et insuperabile facerent. Dominus ergo possedit Tyrum et Sidonem, cum earum percusserit fortitudinem, quam habent in turbulento mari hujus sæculi, et destruxerit omnem sapientiam sæcularem, et aurum atque argentum earum excoxerit et purgaverit illo igne, de quo ipse in Evangelio dicit : « Ignem veni mittere in terram, » etc.

« Videbit Ascalon et timebit, et Gaza, et dolebit nimis, et Accaron, quoniam confusa est spes ejus. Et peribit rex de Gaza, et Ascalon non habitabitur. Et sedebit separator in Azoto. » Cum (inquit) viderit Ascalon, et Gaza, et Accaron, quæ sunt civitates Philistinorum, quod Emath sit in terminis Damasci, et Tyrus et Sidon ad eam transierint, easque viderint possessas a Domino, dolebunt ac timore replebuntur, quia videbunt spem quam in idolis posuerunt, esse confusam. Ascalon interpretatur ignis ignobilis, sive ponderata ; Gaza, fortis aut imperium, Accaron autem, sterilis, sive eradicata ; Azotus, ignis generans, vel ignis patrui, vel ignis mamillæ. Jebusæus conculcatus, significat animas eo modo a diabolo deceptas. Nam Ascalon, in qua antea fuerat diabolus, qui est ignis ignobilis, et ad mensuram vel pondus pervenerat peccatorum, videlicet gentium populus, timuit tali pavore perterrita. Gaza, quæ fortis fuerat, et sibi imperium idololatriæ promittebat, doluit nimis, agens pœnitentiam priorum scelerum. Accaron quoque sterilis, et absque Dei notitia, non habens spirituales filios, eradicata est ab errore, quo quasi firma radice tenebatur. Cum ergo hæ civitates fuerint perterritæ, quas diximus figurare gentes, et doluerint eo quod spes earum fru-

A strata sit, tunc sedebit separator in Azoto, id est, Dominus Salvator, qui separat frumentum a paleis, malos pisces a bonis, quique in judicio separabit oves ab hædis. Sedebit autem in Azoto, ubi ignis spiritus Dei generat filios adoptionis, ubi est ignis patruelis, id est ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui ex nobis carnem assumere dignatus est, et de quo Isaias : Cantabo, inquit, dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ meæ. Ibi quoque ignis mamillæ, hoc est, desiderium et ardor sugendi lac doctrinæ spiritualis. Nam duo ubera Ecclesiæ, duo sunt Testamenta, sicut sponsa indicat in Canticis canticorum : « Botrus Cypri dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. » « Et disperdam superbiam Philistinorum, et auferam sanguinem ejus de ore ejus, et

B abominationes ejus de medio dentium ejus. Et relinquetur etiam ipse Deo nostro, et erit quasi dux in Juda. » Philistiim, qui interpretantur cadentes poculo, eo quod de calice dæmoniorum inebriati corruerunt. Hi ergo interpretantur evocationes gentium, hoc est, blasphemiæ, sive esus eorum quæ idolis sunt immolata, ut his ablatis relinquatur ipsa Deo nostro, et spreta multorum cura, unum tantum Deum incipiat adorare, sitque dux in Juda, ut prior populus, qui hic per Judam signatur, vertatur in caudam, et novissimus qui erat cauda, transeat in caput. « Et Accaron » quondam sterilis et eradicata, id est gentilitas sit. « Quasi Jebusæus, » id est, quasi Hierusalem, quæ civitas tribus nominibus diversis temporibus appellata est. Primo dicta est Salem, deinde a

C Jebusæis possessa, vocata est Jebus sicque conjunctis duobus nominibus Jebus et Salem, dicta est Hierusalem. Accaron erit quasi Jebusæus, quia gentes accipient gratiam, quam aliquando Hierosolymitæ habuerunt credentes in Deum. « Et circumdabo domum meam, » id est Ecclesiam. « Ex his qui militant mihi euntes et revertentes, » id est angeli qui mihi deserviunt in diversis ministeriis, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, quorum præsidio vallatur Ecclesia, dicente Psalmista : « Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum. » « Et non transibit ultra super eos exactor, » id est diabolus, de quo Isaias : « Quomodo quievit exactor, cessavit tributum? » « Quia nunc vidi in oculis meis, » id est, videre feci prophetas meos. Ipsi enim sunt oculi Do-

D mini, per quos vidit, id est annuntiavit vocationem gentium et Ecclesiæ securitatem.

« Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Hierusalem. Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinum et super pullum filium asinæ. Hæc prophetia, ut Matthæus evangelista exponit, impleta est in Salvatore, quando venit Hierusalem, sedens super pullum asinæ, exceptus est a turbis cum ramis palmarum, divinas sibi laudes acclamantibus. Dicitur ergo : « Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Hierusalem, » quæ una est civitas. « Ecce rex tuus, » omnium vocibus prophetarum promissus, « venit tibi, » id est propter te, ut te liberet, « justus et salvator, » qui Hebraice dicitur Jesus, quo-

niam ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Ipse pauper, qui cum dives esset, pro nobis pauper fieri dignatus est. « Ascendit super asinam et pullum filium asinæ, » super utrumque videlicet populum. Nam per asinam synagoga intelligitur, quæ gravissimum jugum legis sustinuerat. Pullus autem lascivus et liber gentium designat populum, non habentem rectorem dominum, nec frenum legis. Super utrumque populum sedens Dominus ingreditur Hierusalem, et de præsenti Ecclesia gubernat illos ad veræ pacis visionem.

« Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Hierusalem, et dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ. » Vox Dei Patris, qui exsultare jusserat filiam Sion, et jubilare filiam Hierusalem, adhuc loquitur dicens quid facturus sit. « Disperdam (inquit) quadrigam, » id est nulla erunt prælia omni mundo, in adventu Christi pacificato. Allegorice Ephraim, qui interpretatur ubertas, hæreticos designat, qui gloriabantur in curribus, hoc est, in superbia scientiæ suæ. De quibus Psalmista : « Hi in curribus et hi in equis, » etc. Et alibi : « Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum. » Disperdet quoque equum de Hierusalem, id est omnem carnis superbiam et voluptatem, quæ designatur per equum. Unde Psalmista : « Nolite fieri sicut equus et mulus. » Tunc quoque dissipabitur arcus belli, id est omnia præliorum instrumenta cessabunt, pace in toto mundo florente. Vel dissipabitur arcus belli, ut jam non emittantur ignita jacula, quæ carnalium possint corda vulnerare. Loquetur pacem gentibus, de quibus dictum est : « Ipse erit exspectatio gentium. » His gentibus loquetur pacem factam inter Deum et homines per sanguinem suum. « Et potestas ejus a mari usque ad mare. » Per totum enim mundum potestas ejus est, et ubique Christus adoratur et colitur. Hinc Psalmista : « Dominabitur a mari, » subaudis Indico, « usque ad mare, » subaudis Oceanum, « et a flumine » Jordane, in quo baptizatus est, cœpit prædicare « usque ad terminos orbis terræ. »

« Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. » Nunc facit propheta apostropham imo Deus loquitur ipse ad Christum Filium suum, et dicit : Tu quoque eduxisti vinctos tuos, id est sanctos, qui in vinculis tenebantur, de lacu in quo non est aqua, hoc est, liberasti eos de inferno, in quo nulla est misericordia. Denique in resurrectione Domini, multi sanctorum qui in inferno vinculis originalis peccati tenebantur, surrexerunt cum eo, et venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. De hoc sanguine testamenti ipse in cœna dixit apostolis : « Hic est calix Novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis fundetur. »

« Convertimini ad munitionem, vincti spei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi. » Rursum conversio fit sermonis ad nos, qui vincti eramus, et Dei misericordia liberandi. Vos (inquit) qui nunc vincti estis in terribili carcere inferni, et solutionem inferni in adventu Christi speratis, convertimini ad munitionem, id est ad fiduciam divinæ protectionis, et dicite cum Psalmista : « Esto mihi in Deum protectorem. » Sive, convertimini ad munitionem, id est, recordamini paradisi quem nunc in spe habetis, sed ex hoc tempore in re illum possidebitis, ibi erit vobis munitio et secura tranquillitas, quando jam nullius hostis imperium formidabitis. Hodie quoque annnntians duplicia reddam tibi, id est ex hoc tempore quod ista annuntio, reddam tibi duplicia, ut pro brevi tribulatione æterna recipiatis præmia. Namque, ut Apostolus dicit, « omne quod in mundo est, momentaneum est et tribulationis breve, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ videntur temporalia sunt : quæ autem non videntur æterna. »

« Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum, implevi terram Ephraim, » Judas Christus est Dominus, qui de regali tribu natus est. Hunc Deus Pater sibi quasi arcum extendit, quando illum carnem ex virgine sumere voluit. Ipse est enim arcus, ipse sagitta, ipse et τοξότης, id est sagittarius. Arcus quidem sicut hic, « extendi (inquit) mihi Judam quasi arcum ; » sagitta vero, sicut ipse per Jeremiam de Deo Patre loquitur : « Posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me : » sagittarius vero, sicut in Psalmo ei per David dicitur, « Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent. » Hac sagitta impletus est Ephraim, id est hæreticorum cœtus armatus contra Dominum, et paratus ad bellum, ut ipse quoque sagittis Domini vulneretur ad salutem, et dicat cum Ecclesia : « Vulnerata charitate ego sum. »

« Et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia, et ponam te quasi gladium fortium. » Si per Ephraim intelliguntur hæretici, jure per filios Græciæ magistri mundanæ philosophiæ accipiuntur. Implevit ergo Dominus Ephraim sagittis, et suscitavit filios Sion, id est filios Ecclesiæ super filios Græcorum, id est philosophorum, quia prædicantibus apostolis, omnes perversi dogmatis principes, omnis philosophorum assertio, qui maxime apud Athenas viguerunt, gladio suo verbi Dei destructa est, imo per ipsum Christum qui est gladius fortium, de quo Psalmista : « Accingere gladio tuo, » et alius propheta : « Et vos Æthiopes, interfecti gladio meo eritis ; » Et Apostolus : « Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. »

« Et Dominus Deus super eos videbitur, et exibit ut fulgur jaculum ejus. Et Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine austri. » Cum (inquit) arcu et gladio Domini hæretici et gentium sapientes a filiis Sion interfecti fuerint, apparebit super eos gloria Domini ; hoc est enim quod dicit : Dominus Deus super eos videbitur, et egredietur ut fulgur jaculum prædicationis ejus, coruscans splendore

miraculorum. Hinc alius propheta dicit : « In luce A sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ. » Qui splendor et fulgura appellantur, et tuba sive clangor, ut quos splendor illustraverit, clangor tubæ excitet ad audiendum, et talis possit dicere cum propheta : « Dominus Deus aperuit mihi aurem. » Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. Videt etiam Dominus in turbine austri, id est in motu comminationis, qui idcirco nominatur supplicia, ut misereatur. Unde sequitur :

« Dominus exercituum proteget eos, » quos sua comminatione terruerat. « Et devorabunt, et subjicient lapidibus fundæ, » filii Sion protecti a Domino, hoc est viri Ecclesiastici, devorabunt, subaudis adversarios, qui intelliguntur per filios Græciæ, « et subjicient lapidibus fundæ, » comminationibus B Scripturarum illos sibi subjicientes, et rotatu fundæ, id est testimoniis et exemplis divinorum eloquiorum, et inebriabuntur quasi vino plenissima Scripturarum scientia, ad quam ebrietatem invitat nos Sapientia : « Comedite, amici, bibite et inebriamini, charissimi. » Sicque placebit Deo eorum ebrietas, quasi libatio sacrificii, et sicut cornua altaris, id est quatuor angeli, quos semel in anno pontifex ingressus in Sancta sanctorum cum sanguine digito in sanguine intincto tangebat. « Et bibentes inebriabuntur quasi a vino, et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris ; et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa ut gregem populi sui, quia lapides sancti elevantur super terram ejus. » Quia sancti lapides, id est electi quoque elevabuntur super terram ejus, C leves et nullum penitus peccati pondus habentes, nec exspectabunt ut ab ædificantibus subleventur, sed ipsi elevabuntur, et festinabunt imponi in fundamento Christi, et contineri angulari lapide. De his lapidibus loquitur Petrus : « Ad quem accedentes lapidem vivum, et ipsa tanquam lapides vivi superædificamini. »

« Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ? » Frumentum electorum et vinum germinans virgines, secundum sacratiorem sensum, Dominus et Salvator est, qui de se dicit : « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. » De hoc frumento mola passionis confracto et igne mortis decocto, factus est nobis D panis qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. Ipse quoque qui est panis, est et vinum quod lætificat cor hominis. Hoc vinum bibitur ab illis virginibus, quæ secundum Apostolum sunt sanctæ corpore et spiritu, et inebriatæ dicunt cum sponsa : « Introduxit me rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem. » Hoc vinum germinat virgines, quia quos amor Christi inebriat, omnia mundi oblectamenta spernunt, et quasi ebrii et insensibiles mundo fiunt, solum Christum diligunt et dicunt cum Apostolo : « Itaque ex hoc jam neminem novimus super terram. »

CAPUT X.

« Petite a Domino pluviam in tempore serotino, et Dominus faciet nives et pluviam imbris. Dabit eis singulis herbam in agro. » Hortatur Dominus credentes in Christum ut petant serotinam pluviam, hoc est plenitudinem gratiæ spiritualis in sæculi consummationem. Tunc enim dabit Dominus nives et pluviam imbris, quia quo magis affligetur Ecclesia, eo majori spe et constantia roboratur, et tunc singulis in agro pectoris virens herba virtutum succrescat, ut possint dicere cum Psalmista : « Dominus regit me, » etc.

« Quia simulacra locuta sunt inutile, et divini viderunt mendacium, et somniatores frustra locuti sunt, vane consolabantur. Idcirco adducti sunt quasi grex, affligentur, quia non est eis pastor. » Hoc de hæreticis dicitur, qui maxime in mundi termino abundabunt. Hi enim sub nomine Christiano decipiunt homines, attendentes spiritibus erroris et dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, quique vane consolantur, quia sunt falsa quæ sibi suisque promittunt ; et quia hæc faciunt, adducti et captivati sunt a diabolo, traditi Satanæ in interitum carnis, et affliguntur, quoniam non habent pastorem Christum, quem falso habent, promittunt. Hæc omnia absque eo loco ubi dicitur : « Extendi mihi Judam quasi arcum ; implevi terram Ephraim, » Hebræi ad tempora Machabæorum ducum referunt, qui vicerunt Macedones, et templum ab ethnicis sordidatum, post trium et semis annorum spatium mundaverunt. Quod vero dicitur : « Inebriabuntur quasi a vino, et replebuntur ut phialæ, » ita exponunt : Hi qui cum Juda Machabæo erant, sic cum desperatione pugnabant, veluti ebrii obliti suæ salutis, nec de vita ullam curam habentes, sed de sola victoria. Illud quoque quod dicitur : « Quid bonum est, quid pulchrum, nisi frumentum electorum et vinum, germinans virgines, » sic accipiunt : Idcirco Machabæi tanta faciebant, et mortem libentissime suscipiebant, ut superatis hostibus mundaretur templum, legis præcepta iterum servarentur, et eruditio Scripturarum germinaret virgines, id est populos credentium in unum Deum, et haberent rursus eruditos viros, qui frumentum divinæ legis comedere deberent, et idcirco peterent a Domino pluviam serotinam, ut quia jam defecerunt prophetæ, et mundus tendebat ad finem, tandem Christus qui missus est, veniret et tribueret illis nives et pluvias imbris, id est, impleret manifeste quæ a prophetis prædicta sunt.

« Super pastores iratus est furor meus, et super hircos visitabo, quia visitavit Dominus exercituum gregem suum domum Juda, et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello. » Sæpe contingit ut pro peccatis pastorum populus affligatur et tradatur adversariis. Nam David peccante, multa millia Judaici populi pestilentia deleta sunt. Itaque propheta dicit Dominum iratum super pastores, sed iratus pastoribus visitat super hircos, id est super populum, quia ipsi magistros in culpa sequuntur, et tamen postea

cum peccatis ultionem fecerit, visitabit in bono gregem suum, domum Juda, id est eos qui Deum voce et moribus confitentur. Et ponet eos quasi equum gloriæ, quia præsidebit eis, et reget illos, et in illis mirabilis apparebit. De his equis propheta dixit : Qui ascendit super equos tuos, et equitatus tuus sanitas.

« Ex ipso, » id est qui ponet eos quasi equum gloriæ suæ, erit « angelus, » id est perfectus aliquis qui velut lapis angularis continebit et confortabit constitutos in certamine. Et « ex ipso » erit « paxillus » humilis aliquis in Ecclesia, et tamen sua patientia reliquos quasi extensum sustinens tabernaculum. Et « ex ipso arcus prælii, » id est prædicator, jacula comminationis peccatoribus immittens. « Et ex ipso egredietur omnis exactor simul, » qui quasi cogat nolentes, et exigat ut Christo subdantur, perterriti formidine judicii, cum audiunt quanta infidelibus sint supplicia præparata.

« Et erunt quasi fortes, conculcantes lutum viarum in prælio, et bellabunt, quia Dominus cum eis. » Cum fuerint pro Christo martyrio coronati, et dixerint cum Psalmista : Si consistant adversum me castra, etc. Sed hoc loco Hebræi exponunt, quod illa persecutio quæ Judæis contigit sub Antiocho, per culpam contigerit magistrorum, et ideo visitaverit super hircos, id est populum, et tradiderit eos gentibus, postea visitaverit gregem suum domum Juda, suscitando illis Judam Machabæum et cæteros qui quasi equus gloriæ fuerunt. Quod vero dicitur : Ex ipso angelus et ex ipso paxillus, angulum interpretantur regiam potestatem, quod duos parietes contineat ; paxillum vero, sacerdotium. Ex ipso exactor, id est omnes aliæ minores dignitates, ut sit sensus : Nulla erit dignitas, quæ non illius, id est Judæ Machabæi disponatur arbitrio.

« Et confundentur ascensores equorum et confortabo domum Juda, et domum Joseph salvabo. Et convertam eos, quia miserebor eorum, et erunt sicuti fuerunt quando non projeceram eos. Ego enim Dominus Deus eorum exaudiam eos. » Hæc quoque juxta superiorem accipienda sunt intellectum, quando et persecutionibus confortabit Dominus martyres suos, et desperatis præstabit auxilium, tunc confundentur ascensores equorum, id est superbi persecutores. Tunc confortabit domum Juda, id est confitentes Dominum, et domum Joseph, qui auctus sive beatus interpretatur.

« Et erunt quasi fortes Ephraim, et lætabitur cor eorum quasi a vino, et filii eorum videbunt et lætabuntur, et exsultabit cor eorum in Domino. » Ephraim, qui interpretatur ubertas, ut sint eo digni nomine. Et lætabuntur cum biberint vinum vitis veræ, id est cum socii fuerunt passionum Christi. Filii quoque eorum, quibus loquitur Apostolus : « Filioli mei, quos iterum parturio, » etc., et quibus Psalmista dicit : « Venite, filii, audite me. » Lætabuntur, et cor eorum gaudebit in Domino, dicentes cum Apostolo : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis, » etc. Nihilominus hæc ab Hebræis ad Machabæos referuntur, quod superatis hostibus domus Juda, id est duæ tribus, et domus Joseph, id est decem tribus salvabuntur, et sic gaudebunt quasi ebrii vino. Tunc quoque sociabuntur duæ et decem tribus, quæ sub Hieroboam ab invicem separatæ fuerant, et tunc erunt sicut fuerunt antequam eos Dominus projecisset. Filii quoque eorum videntes triumphos parentum, lætabuntur in Domino.

« Sibilabo eis, et congregabo illos, quia redemi eos, et multiplicabo eos sicut antea fuerant multiplicati, et seminabo eos in populis. » Sacratiore sensu sibilabit Dominus, id est signum faciet his qui peccatis fuerant dispersi, ut ad ipsum redeant. Et loquitur in Evangelio : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis. » Congregantur autem, quia Dominus redemit eos pretioso sanguine suo. Multiplicantur, quia sicut antea fuerant multiplicati, id est secundum quod ad Abraham dictum est : « In semine tuo benedicentur omnes gentes. » Et Apostolus : « Quotquot ex fide sunt Abrahæ, hi filii sunt Abrahæ. » Seminantur quoque in populis, ut in omnibus gentibus Christum annuntient, sicut ipse præcepit : « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. »

« Et de longe recordabuntur mei. » Quibus verbis gentes innuuntur, quæ longe erant præ infidelitate a Deo ; de quibus Psalmista : « Reminiscentur et convertentur ad Dominum, » et qui mortui erant peccatis. « Et vivent cum filiis suis, » illis videlicet quos prædicando genuerunt Christo. Talibus dicit Apostolus : « Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. »

« Et revertentur, et reducam eos de terra Ægypti, » id est de tenebris ignorantiæ, in quibus diabolus regnat. « Et de Assyriis congregabo eos » de superbo sensu pravi dogmatis hæreticorum. « Et ad terram Galaad et Libani adducam eos, et non invenietur eis locus. » Galaad interpretatur testimonium transmigrationis, Libanus dealbatio. Reducuntur ergo ad terram Galaad, qui de carnalibus transeunt ad spiritualia, et de terrenis ad cœlestia. Adducuntur ad terram Libani, qui deposita nigredine peccatorum, dealbantur baptismate, postea educti de corpore, dealbabuntur, accipientes immortalitatis candidam stolam.

« Et transibunt in maris freto, et percutiet in mari fluctus, et confundentur omnia profunda fluminis. Et humiliabitur superbia Assur, et sceptrum Ægypti recedet. Confortabo eos in Domino, et in nomine ejus ambulabunt, dicit Dominus. » Juxta litteram traditio Hæbræorum est, quod populus Judæorum captus ab Assyriis et a Chaldæis, non solum in Medos et Persas, sive in Babylonem traditus est, sed etiam in septentrionalem plagam et in Bosphorum, et postea ex parte inde vocatus, Dei eos respiciente clementia. Et hoc est quod hic dicitur : « Transibunt in maris freto, » id est in augusto mari Propontidis, ubi angustissimum fretum Chalcedonem

et Byzantium dividit, et percutiet Dominus in mari A fluctus, videns ante populum suum, et confundentur profunda fluviorum, ut quondam factum est, cum mare Rubrum divisum est, et Jordanis siccatus est. Tunc humiliabitur superbia Assyriorum, et sceptrum Ægypti tolletur ab eis, liberato Dei populo, et confortabuntur in Domino, et in nomine ejus ambulabunt, revertentes in terram suam. Hæc juxta traditionem Hebræorum dicta sint. Juxta sensum mysticum, transimus et nos in angustum mare hujus sæculi, quod sanctis angustissimum et periculorum est plenum : amatoribus autem hujus sæculi latissimum est, quia lata via est quæ ducit ad mortem, arcta autem est quæ ducit ad vitam. In mari hoc hujus sæculi angusto et turbulento, primus transivit Redemptor noster, deinde secuti sunt eum apostoli, B de quibus dicitur : Qui descendunt mare in navibus, ipsi viderunt opera Domini. Tunc humiliabitur superbia Assur, id est diaboli, et imperium Ægypti, id est tenebrarum et aeriarum potestatum, recedet, cum novissima mors destruetur, et ille qui habebat mortis imperium, claudetur in gehennæ carcerem. Sancti vero confortabuntur in Domino, et dicent : « Fortitudo mea et laus mea. » Et ambulabunt in nomine ejus, id est in nomine Christi, a quo Christiani vocantur, et sub dignitate hujus tituli ambulabunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion.

CAPUT XI.

« Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis ce- C dros tuas. » Libanus mons est Phœnicis, ubi terminus Judææ contra septentrionem est. Sed hoc loco templum vocat Libanum, quod de lignis Libani constructum erat. Prædixit ergo propheta quod templum, quod noviter fuerat ædificatum a Zorobabel et Jesu, destruendum esset a Vespasiano et Tito principibus Romanorum. « Aperi (inquit), Libane, portas tuas, » ut suscipias ingredientes hostes. Et quod dixerat Libanum, servat metaphoram, subdens, et devoret ignis cedros tuas. Per cedros et abietes et quercus Basan et saltum nemorosum, principes et sacerdotes et populum significat Judæorum. « Comedat (inquit) ignis cedros tuas, » ut cuncta vel incendio vel hostili imperio vastentur, et tam duces quam populi consumantur. D

« Ulula, abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: ulutate, quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus. » Mutua (inquit) lamentatione sacerdotes et principes ac populus, vestrum plangite interitum, et quasi quæreres quid significent cedri, quidve abietes et quercus, respondet, ostendens de hominibus se dicere, quoniam magnifici vastati sunt. Basan confusio dicitur, quercus vero Basan, homines dicit confusionis et ignominiæ, quoniam succisus est saltus munitus. Saltum munitum sive nemorosum, ipsum templum dicit, quod inexpugnabili firmitate constructum fuerat a diversis regibus, et ad ultimum ab Herode. Quod dicit metaphorice succidendum, id est Romanis pugnantibus devastandum.

« Vox ulutatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum. » Quos supra cedros vel abietes sive quercus dixerat, nunc quasi exponens quid dixerit, per aliam metaphoram vocat pastores, id est sacerdotes et principes eorum. Jam dicit audiri ululatum, quoniam magnificentia et decus illorum, templum videlicet in quo maxime gloriabantur, incensum et destructum sit.

« Vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Jordanis. » Quos superius arbores vel pastores dixerat, nunc vocat leones, et sicut superius altitudinem templi comparavit celsitudini montis Libani, quo nihil excelsius, nihilque condensius est in terra repromissionis, sic nunc rugitum leonum et superbiam Jordanis jungit, qui in illa regione omnium fluminum maximus est Jordanis, juxta quem morantur leones, sive ut ardorem sitis aqua fluminis relevent, sive quia vicinum est desertum et vasta solitudo. Ait ergo propheta : « Vox rugitus leonum, » id est optimatum et principum, subaudis audita est. « Quia vastata est superbia Jordanis, » hoc est, dignitas templi deleta est, unde auxilium sperabatur.

« Hæc dicit Dominus Deus meus : Pasce pecora occisionis, quæ si possidebant, occidebant, et non dolebant, et vendebant ea. » Vox Domini ad prophetam. Nunc (inquit) interim nutriatur grex et crescat, qui postea ab hostibus capiatur. Quæ pecora Romani qui possidebant jure victorum, occidebant, et non dolebant, nec miserebantur, quæ servabant ad vitam, vendebant, et lætabantur, « dicentes : Benedictus Dominus, divites facti sumus. » Hæc ita gesta esse qui historiam legerit, inveniet. Tropologice possunt hæc referri ad episcopos et presbyteros Christianorum. Pascunt enim pecus occisionis mali pastores, quorum negligentia perit grex Domini, dum subjectos vident ire per abrupta vitiorum, et non corrigunt, nec emendant, dum metuunt amittere commoda temporalia, quæ diligunt, sicque pascunt eos non ad vitam, sed ad occisionem, neque possunt dicere cum Apostolo : « Quis scandalizatur, et ego non uror ? » Vendunt quoque submissos populos, cum ex illorum interitu sibi divitias parant, favent peccantibus, laudantes eos prædas qui agunt de miseris, et iniquos benedicentes.

« Et pastores eorum non parcebant eis, et ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus. » Quia (inquit) pastores non parcebant gregi, sed ipsi primi devoraverunt populum meum, idcirco et ego non parcam ultra super habitantes terram, subaudis Judæam. Hoc enim juxta litteram de terra Judæorum, et non de omni orbe dicitur. Non (inquit) parcam ultra, sed continuo ulciscar, et tradam illos hostibus. Quod impletum est quadragesimo secundo anno post Dominicam passionem, quod tempus datum fuerat illis ad agendam pœnitentiam.

« Ecce ego tradam homines, unumquemque in

manu proximi sui, et in manu regis sui, et concident terram, et non eruam de manu eorum, et depascam pecus occisionis, propter hoc, o pauperes gregis. » Dimittam (inquit) homines, ut mutua se cæde interficiant. Legamus Josephum, et inveniemus quod in ipsa obsidione Hierusalem tanta inter Judæos erat discordia et seditio, ut in tres partes populus divideretur, et invicem contra se pugnarent. Et concident (inquit) terram Romani. Quod vero dicit, « regis sui, » tunc quidem Judæi regem non habebant, sed regem pro protectore et principe posuit. Ostendit autem quid sit illa desolatio æterna, cum dicit : « Non eruam de manibus eorum, » id est Romanorum, propterea quia Dei est sententia ut ita fiat. O pauperes gregis, justi de Israel, qui in Dominum Deum credidistis, subaudis audite et intelligite quæ dicuntur.

« Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, et alteram vocavi funiculum, et pavi gregem. » Creator et pastor Dominus Deus duas sibi assumpsit virgas, id est duos populos. Primam virgam habuit, omne simul hominum genus sub Noe, quam vocavit decorem, quia nuper instaurato post diluvium mundo, necdum homines sceleribus sorduerant, et nihil justius quam universitatis creatorem omnes æqualiter vocare, quos generavit æquali conditione; alteram vocavit funiculum, eligendo plebem Israeliticam sub Abraham. « Quando enim dividebat Altissimus gentes, » etc. « Et pavi (inquit) gregem » sive Israel, sive omne genus hominum.

« Et succidi pastores tres in mense uno, et contracta est anima mea in eis, siquidem anima eorum variavit in me, et dixi. » Tres pastores, Moysen, et Aaron, Mariamque sororem eorum debemus accipere, quorum Maria primo mense, qui apud illos vocatur Nisan, apud Romanos Aprilis, mortua est in deserto Sin. In eodem mense, atque in eodem loco, Moyses et Aaron condemnati sunt, ne intrarent in terram repromissionis, quia non sanctificaverunt Dominum ad Aquas contradictionis. Sicque succisi sunt tres pastores uno mense. Maria præsenti morte, Moyses et Aaron sententia futuræ mortis. « Et contracta est anima mea in eis, » id est indignatione quadam tædiata est super tres illos pastores, quos præposueram gregi meo. Siquidem anima illorum variavit in me dubitando, quia non glorificaverunt me coram filiis Israel ad aquas contradictionis. Si vero ad populum hoc referre voluerimus, erit sensus : Idcirco indignatus sum, quia anima eorum, id est populi, variavit in me, fluctuando inter me et idola, et diversis pugnando contra me modis. Quamobrem indignatus dixi : « Non pascam vos : » et ad Moysen dixit : « Dimitte me ut deleam eos. » Iratus quidem erat, sed adhuc exspectabat, nam cum dicit, « dimitte me, » provocat illum ad se rogandum, et ostendit se posse teneri. « Quod moritur, moriatur : et quod succiditur, » per mortem, « succidatur, et reliqui devorent, unusquisque carnem proximi sui. » Omnium (inquit) corpora prosternantur in deserto, et reliqui vorent, unusquisque carnem proximi sui. Vertantur (inquit) in seditionem, et instar bestiarum mutuis morsibus lacerabuntur, nullusque terram eorum repromissionis introeat.

« Et tuli virgam meam quæ vocabatur decus, et abscidi eam. » Post assumptionem Israelis, hæc enim est secunda virga, quæ appellabatur funiculus, tulit Dominus primam virgam quæ vocabatur decora, nationes scilicet totius orbis, quia relicto Deo secutæ sunt idola, et ut Psalmista dicit : « Omnes declinaverunt, » et quasi exponens quæ esset hæc virga, adjunxit : « Ut irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis, et in irritum deductum est in die illa, et cognoverunt sic pauperes gregis qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est. » Mox enim ut Israel assumptus est, projecta est multitudo gentium, et irritum factum est fœdus quod inieram cum omnibus nationibus, et cognoverunt sic pauperes gregis, id est fideles ex Israel, qui mea mandata custodiunt. Quia verbum Domini est, hoc est voluntas ejus ut gentes abjiciantur et Israel in Abraham eligatur.

« Et dixi ad eos : Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam : et si non, quiescite. » Dixi (inquit) ad eos, id est ad pauperes gregis Israelitici, postquam cognoverunt verbum esse Domini, quod videlicet voluntas esset Domini, ut omnibus gentibus abjectis, et suis promissis erroribus, eligeretur natio Israel. « Si bonum est in oculis vestris, » id est, si vobis placet, liberum enim habet arbitrium eligendi quod voluerit, pro hac assumptione qua abjectæ omnes gentes, et vos in peculiarem mihi elegi populum, reddite mihi mercedem meam, id est mea præcepta servate. Sin autem non vultis meo censeri nomine, neque facere quæ præcepi, facite manifeste quæ vultis. At illi tunc quidem cum eis ista dicerentur, responderunt Moysi : « Omnia quæ præcepit nobis Dominus Deus noster, faciemus. » In fine autem temporum pro omnibus quæ eis feci, liberans eos de servitute Ægyptiaca, et mihi eos in peculiarem assumens populum.

« Et appenderunt mercedem meam, » dantes pro meo sanguine Judæ traditori « triginta argenteos, et dixit Dominus ad me, » Salvator, cujus sunt verba superiora, « projice illud ad statuarium, » id est fictorem, vel figulum, quem Deum omnium fictorem et plasmatorem accipimus, ut istius fictoris judicio merces reddita penderetur. Deinde cernens tam vili pretio triginta argenteorum mundi Creatorem et Dominum appretiatum, per ironiam dixit : « Decorum pretium quo appretiatus sum ab eis. » Ac si cum quadam indignantis irrisione diceret : Ecce quo pretio populus meus specialiter a me dilectus, quemque in filios adoptaveram, me vendendum judicaverunt, « et tuli, » Propheta inquit, « triginta argenteos, » et non deposui eos, « sed projeci eos in domum Domini ad statuarium » hoc est, feci illud pretium a proditore deportare in domum Domini, et reddi sacerdotibus,

confitente ipso, « peccavi tradens sanguinem justum. » At illi noluerunt illud mittere in corbonam, hoc est in gazophylacium, sed emerunt ex eo agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Nos enim signabamur in hoc facto, qui peregrini eramus a testamento Dei, sed redempti pretioso Filii ejus sanguine in domo figuli creatoris et factoris omnium, in pretio sanguinis Christi requiescimus.

« Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Judam et Israel. » Postquam Dominus triginta argenteis appretiatus est, et pretium in sepulturam peregrinorum, hoc est, gentium quæ alienæ erant a Deo, perfecit, præcidi (inquit Dominus) virgam secundam, id est plebem illam mihi dilectam repuli, ut dissolverem germanitatem inter Judam et Israel, id est rex illo populo separarem credentes a non credentibus, apostolos videlicet, et eos qui pœnitentiam egerant, quos vocant Judam, separarem eos ab illis qui clamaverunt, « crucifige. » et « non habemus regem nisi Cæsarem, » quique in sua infidelitate permanere elegerunt. Et hoc est quod dicit : « Nolite arbitrari quia veni pacem mittere in terram, etc. »

« Et dixit Dominus ad me : Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti, quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, et contritum non sanabit, et id quod stat non enutriet, et carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvet. » Pastor stultus et imperitus Antichristus est, qui in consummatione sæculi dicitur esse venturus. Vasa pastoris stulti habitum et cætera ejus insignia dicit, peram, baculum, fistulam et sibilum, sicut Isaias, ut captivitatem futuram suo habitu ostenderet ambulavit nudus et discalceatus, sic Zacharias habitum stulti pastoris jubetur assumere, ut eum quem venturum nuntiabat, quasi venturus esset ostenderet. Nam quia superius iratus bonus pastor dixerat, « non pascam vos, » ideo prædicitur pastor stultus esse venturus, qui stultitiæ tantæ sit, ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, quique non venit ut sanet, sed ut perdat gregem Israel. Hunc stultum pastorem suscipient Judæi justo Dei judicio, ut quia noluerunt credere veritati, credant mendacio. Qualis autem futurus sit apertissime propheta describit, ostendens eum per omnia contraria Christo agere.

O pastor et idolum derelinquens gregem, gladius super brachium ejus, et super oculum dextrum ejus. Brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur. » Descripto stulto et pessimo pastore, fit apostropha ad ipsum, diciturque : « O pastor et idolum. » Tam enim sceleratum eum ostendit, ut non cultorem eum idolorum, sed ipsum idolum eum vocet, dum se vult ut Deum ab omnibus adorari, qui derelinquit gregem devorandum a bestiis, quem Dominus tanto tempore custodierat. Gladius super brachium ejus, id est manifesta ultio, ut omne robur et fortitudo illius arescat, et super oculum ejus dextrum, ut omnis ejus scientia et intellectus, de quo jactabat se, æternis tenebris obscuretur. Potest quoque gladius ille accipi, de quo alibi dicitur : « Inebriatus est in cœlo gladius meus. » Hic gladius, verbum scilicet Dei, penetrans omnia, fortitudinem Antichristi marcescere faciet, et oculum ejus, id est aciem ejus mentis, qua se acutissime putabat videre sacramenta Dei, perpetua cæcitate damnabit.

CAPUT XII.

« Onus verbi Domini super Israel. Dixit Dominus extendens cœlum, et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo. Ecce ego ponam Hierusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu, sed et Juda erit in obsidione contra Hierusalem. Et erit in die illa, ponam Hierusalem lapidem oneris cunctis populis ; omnes qui levabunt eum, concisione lacerabuntur, et colligentur adversum eam omnia regna terræ. » Extendit Dominus cœlum velut tabernaculum, et secundum Psalmistam sicut pellem. Sicut enim pellis corpus animalis undique circumdat, sic cœlum suo ambitu continet. Fundavit terram, quæ media et ima est omnium elementorum, quia immobilem eam et in sua mole stantem constituit. Finxit spiritum hominis in eo, id est animam in corpore hominis posuit, et ex duabus substantiis animæ et corporis, unum animal compegit. Spiritus enim hic pro anima ponitur. Iste itaque universitatis Creator et Dominus dicit, juxta litteram positurum se Hierusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu, ut qui limen ejus attigerit, inebrietur et corruat, vel etiam ipsum superliminare corruat in eum, qui eum attigerit. Sed et Judas captus ab hostibus, et in illorum transiens societatem, obsessa Hierusalem civitate sua, cogetur obsidere ipsam suam civitatem. Ponet quoque Dominus ipsam Hierusalem lapidem oneris cunctis populis, quam qui levare voluerit, concisione lacerabitur. Mos est urbium Palæstinæ (ut dicit beatus Hieronymus) ut in castellis et vicis ponantur rotundi lapides gravissimi ponderis, ad quos juvenes exerceri solent, et eos pro suarum virium levare qualitate, aliusque ad genua, alii ad umbilicum, quibusdam usque ad humeros et caput, nonnulli super verticem erectis junctisque manibus extollere, magnitudinem suarum virium hoc modo probantes. Est ergo sensus : Ponam Hierusalem quasi gravissimum lapidem cunctis gentibus, ut quasi ad ludum sublevandi lapidis, sic ad capiendam eam congregentur, et suam virtutem ostendant. Sed necesse erit ut dum levatur lapis, id est dum oppugnatur Hierusalem, ipso nisu et elevatione scissuram vel rasuram aliquam in levantium corporibus derelinquat.

« In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem, et ascensorem ejus in amentiam, et super domum Juda aperiam oculos meos, et omnem equum populorum percutiam cæcitate. » In die illa, hoc est in tempore quo obsessa fuerit

Hierusalem, ita ut Judas quoque obsidere eam cogatur, percutiet Dominus omnes equos adversariorum. « In stuporem, » id est, ut stupeant omnes qui eos viderint esse percussos ; sive, « percutiet in stuporem, » ut quasi stupidi et absque sensu efficiantur, et ascensores eorum in amentia, hoc est tanta magnitudine formidinis premantur, ut vertantur in amentiam. Super domum Juda, qui contra suam civitatem facere cogebant, aperiet Dominus oculos, id est respectum miserationis, ut eos dignos faciat suo aspectu, et oculorum suorum illustret lumine. Spiritualiter equi, quando in malam partem accipiuntur, luxuriosos atque superbos designant. Horum ascensores sunt dæmones, vel falsorum dogmatum magistri, qui omnes vertentur in stuporem et amentiam, ut convincantur nullam habuisse scientiam, et oppriment eos palpabiles tenebræ, sicut quondam Ægyptum. Super domum autem Juda, id est confitentes Dominum, aperiet Dominus oculos suos, id est miserebitur illi clamanti ad se : Respice in me et miserere mei.

« Et dicent duces Juda in corde suo : Confortentur mihi habitatores Hierusalem in Domino exercituum Deo eorum » Cum (inquit) aperuerit Dominus super Judam oculos suos, et misertus fuerit eorum, tunc duces Juda qui erant in obsidione contra Hierusalem, coacti ab hostibus, facient vota in cordibus, quia loqui libere non audebunt, ut super Hierusalem, quam obsident, et ipse Judas vincat cum civibus suis. Tropologice duces Juda sunt apostoli, viri apostolici, cæterique doctores, qui præsunt exercitibus Christi. Hi nolunt habere alios auxiliatores, nisi habitatores Hierusalem, id est orthodoxos et catholicos viros, eosque optant confortari in Domino Deo suo. De his ducibus unus fuit Petrus, qui invenit Marcum habitatorem Hierusalem : Paulus quoque et ipse dux egregius habuit Timotheum, Titum, Lucam, veros Hierosolymitas, et cum eis orbem terrarum subdidit Christo.

« In die illo ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis, et sicut facem ignis in feno, et devorabunt ad dexteram et ad sinistram omnes populos in circuitu, et habitabitur Hierusalem rursum in loco suo in Hierusalem, et salvabit Dominus tabernacula Juda, sicut in principio, ut non magnifice glorietur domus David, et gloria habitantium Hierusalem contra Judam. » Cum, inquit, duces in Juda, qui necessitate cum hostibus erant contra Hierusalem, hæc vota fecerunt, tunc ego Dominus tantam eis dabo fortitudinem, ut quasi ignis ligna, et sicut fax fenum, sic devorent omnes adversarios in circuitu, ut peracta victoria habitetur rursus Hierusalem, et instaurentur tabernacula Juda, id est castella, vici et oppida quæ vastata fuerant, ut domus Juda (id est familia regia, quæ de David descendunt) et inclyti ac potentes de Hierusalem non glorientur contra Judam, tanquam suo imperio et consiliis regatur, sed sciant quia Dominus sit rex eorum atque victoria. Juxta allegoriam, cum Dominus de- A derit pacem Ecclesiæ, et hostes ejus in stuporem et in amentiam verterit, erunt duces Ecclesiæ sicut ignis in lignis, et sicut faces in feno excoquentes omne vitium, et ligna infructuosa, id est omnia perversa dogmata consumentur, et devorabunt a dextris et a sinistris eos qui noluerunt medium virtutis iter tenere. Omnis enim virtus in meditullio est. A dextris autem et sinistris sunt, qui aut plus sapiunt, aut minus quam oportet. Tunc Ecclesia receptura est pristinam gloriam, et tabernacula, id est conventus fidelium, per totum orbem instaurabuntur, nec sibi tribuent magistri hanc gloriam, tanquam per eos pax hæc Ecclesiæ venerit, sed Domino assignabitur omne gaudium et prosperitas fidelium.

« In die illa proteget Dominus habitatores Hieru- B salem, et erit qui offenderit ex eis in die illa quasi David, et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu ejus [eorum]. » In illo (inquit) tempore, cum Domino auxiliante Juda victoriam obtinuerit, proteget Dominus habitatores Hierusalem, qui obsidebantur et sic omnia mutabuntur in melius, ut qui offenderit ex eis Deum, et putatur vilissimus, sit quasi David, id est quasi familia regia, et qui de domo est regia, sit quasi de domo Dei, id est sicut nuntius Domini in conspectu eorum qui eos illo tempore videbunt. Altiori sensu, cum Dominus Ecclesiam suam de persecutorum manibus liberaverit, hi qui in persecutione constantes exstiterunt, tam gloriosi apud omnes erunt, ut qui minimus fuerit, et sicut homo qui verbo vel facto Deum of- C fenderit, sit in ordine magistrorum : magistri vero sint quasi domus Dei, et sicut angelus transformatus in evangelicam dignitatem.

« Et erit, in die illa quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Hierusalem. » Quod dicit, quærere se conterere omnes gentes, in bonam partem accipiendum est. Conterit enim Dominus non ad perditionem, sed ad emendationem, ut desistant persequi Hierusalem, et ex hostibus efficiantur oves.

« Et effundam super domum David, et super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ et precum. » Per effusionis largitatem dantis ostendit, quia Deus gratiam Spiritus sancti tribuit, de qua Paulus dicit : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. » Et D per alium prophetam dicitur : « Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. » Et bene, cum dixisset « spiritum gratiæ, » addidit « precum, » quia quos Spiritus sanctus repleverit, eos statim ad adorandum accendit. Hæc et in Christi resurrectione impleta sunt, et quotidie implentur in Ecclesia. « Et aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. » Introducit propheta ipsum Dei Filium manifestissime de se loquentem : « Aspicient ad me quem confixerunt. » Hoc autem et ad tempus Dominicæ passionis, et ad diem novissimi judicii potest referri. Domino enim in cruce posito, nulli dubium

quin pii quoque et fideles eum aspiciebant, et maximo super eum movebantur viscerabiliter dolore; sed non in judicio aspicient ad eum in majestatis suæ gloria venientem, quem confixerunt in cruce clavis, et plangent ac dolebunt maximo planctu et dolore, sicuti in morte unigeniti, cujus acerbo funeri ingens a parentibus luctus impenditur. Plangent itaque Judæi quasi super unigenito, vel, ut Septuaginta transtulerunt, « primogenito. » Christus enim unigenitus est secundum proprietatem naturæ: per divinitatem unicus Patris, per humanitatem unicus matris. Est et primogenitus, quia, ut Joannes dicit: « Primogenitus est ex mortuis, et princeps regum terræ. »

« In die illa magnus erit planctus in Hierusalem, sicut planctus Hadremmon, in campo Mageddom, et plangent terræ familiæ, et familiæ seorsum : familiæ domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum : familiæ domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum : familiæ domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum: familiæ Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum. » Hadremmon urbs est juxta Jezrael, quæ nunc Maximianopolis dicitur, sita in campo Mageddo, in quo occisus est Josias rex justissimus a Pharaone Nechao, super quo Jeremias luctum maximum fecit, cujus etiam meminit in libro Lamentationum, dicens: « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus : Sub umbra tua vivemus in gentibus, » licet hoc, juxta spiritualem sensum, referatur ad Dominum salvatorem. Sicut igitur tunc magnus fuit planctus in urbe Hadremmon, ita magnus planctus revocabitur, occiso Salvatore, in Hierusalem. Quod vero sequitur: « plangent familiæ et familiæ seorsum, » hoc innuit quod in tempore tribulationis non debent, qui uxores habent, operi nuptiarum servire. Nam et in Genesi legitur, quia impendente diluvio dicitur ad Noe : Ingredere in arcam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum ; primum ponens patrem cum filiis, deinde separatim uxorem patris et uxores filiorum. Et nunc igitur separantur ab uxoribus familia David, et familia domus Nathan, et familia domus Levi, et familia domus Semei, ut plangant unigenitum Christum, contra quem clamaverunt. « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. » In David quidem domus regia, hoc est tribus Juda, accipitur; in Nathan prophetia; in Levi ordo sacerdotalis, quia de Levi stirpe ortum est sacerdotium illorum, in Semei doctores designantur; quia tribus de qua fuit Semei doctrinæ et magisterii privilegium tenuit. Quod vero sequitur :

« Omnes familiæ, reliquæ familiæ, et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum, » omnes reliquas familias συνωνύμως comprehendit, quæ nullum habent privilegium dignitatis. Hæc dicta sunt secundum quod ab Hebræis exponuntur. Dicendum nunc quomodo a doctoribus Ecclesiæ ad diem judicii referantur. In die (inquit) illa, hoc est in tempore judicii, cum Jesus Christus in majestate sua venerit, et stigmata passionis in corpore suo omnibus ostenderit, ipsam quoque crucem manibus angelicis deportatam ab omni mundo videri fecerit, erit planctus incomparabilis, plangentibus omnibus quod Dominus et Creator suus tanta et tam indigna pro indignis et peccatoribus sustinuerit. Erunt itaque ibi quatuor ordines plangentium : per familiam domus David, designatur ordo regalis et omnium sæculi dignitatum ; in hoc ordine quidam erunt justi et electi, qui populum sibi commissum, secundum Dei voluntatem, bene regere studuerunt, qui designantur per viros: per familiam domus Nathan, indicant ordo doctorum Ecclesiæ. Nathan quippe propheta temporibus David, et idcirco per eum doctores intelliguntur, quos apostolus Paulus prophetas vocat : in hoc quoque ordine alii sunt quasi viri, verbum Dei sincere prædicantes; hi accipiuntur per viros, alii ex sua prædicatione laudem vel muneris mercedem ab hominibus, non a Deo quærentes, qui signantur per mulieres : per familiam domus Levi, innuitur ordo sacerdotalis, et omnis ecclesiasticorum graduum dignitas. Inter hos quoque similiter alii sunt Deo placentes, et viriliter in lucrandis animabus invigilantes, alii quasi feminæ enerviter viventes, et perditionem animarum minime curantes ; per familiam domus Semei, designatur ordo laicalis ; Semei quoque in medio populi habitabat, et domus suæ tamen curam gerebat, ideo per hunc illi signantur qui sæculari degunt conversatione ; sed in hoc ordine sunt boni qui appellantur viri ; sunt et reprobi qui mulieres dicuntur : sic tunc in judicio singuli pro meritorum qualitate distinctis stationibus, alii ad dexteram collocabuntur coronandi, alii statuentur ad sinistram damnandi. Omnes itaque plangent, sed justorum planctus vertetur in æternam exsultationem, reproborum autem in nunquam finiendam plorationem.

CAPUT XIII.

« In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. » Fons iste patens domui David, secundum beatum Hieronymum, scientia est Scripturarum, qui fons patet domui David, omni Ecclesiæ. Ipsa est enim domus David, quia in ea habitat manu fortis et visu desiderabilis. Hic est fons quem Ezechiel propheta se vidisse dicit egredientem de templo, qui crevit in magnum fluvium, et perrexit ad solitudinem gentium, ut illam irrigaret divinæ scientiæ fluentis. Hic fons patet in ablutionem peccatoris et menstruatæ, ut, percepta fide, renascamur in Christo, et in aquam baptismi nostra abluantur delicta. Secundum beatum Gregorium, fons iste largissima est Dei misericordia, patens domui David, id est universæ Ecclesiæ ; in ablutionem menstruatæ, et ejus qui jam concupitum scelus opere perpetravit, quem vocat peccatorem, et eum qui malum opus in animo ex deliberatione concepit, sed

necdum ad effectum perduxit, quam vocavit menstruatam. Menstruata etenim et alterius carne non tangitur, et sua carne inquinatur. Talis est anima passionibus vitiorum et voluntatis malæ sordibus fœdata. Omnibus ergo patet misericordia Dei.

« Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum : Disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra, et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terra. » In die illa, cum Christus Ecclesiam suam salvaverit, disperdet nomina idolorum de terra, sive quæ manu artificis sculpta sunt, sive idola pravorum dogmatum, quæ ab hæreticis conficta sunt. Sicut enim fiunt idola manu artificis, ita hæreticorum perversa doctrina in idolum vertitur, qui pro Christo adorant Antichristum. Auferet quoque prophetas falsos, id est idolorum sacerdotes, quos ethnici prophetas vel vates appellant. Auferet et spiritum immundum, qui in immundorum cordibus requiescit ut jam neminem per fanaticos et divinos valeant decipere.

« Et erit, cum prophetaverit quispiam ultra : dicent ei pater ejus et mater ejus, qui genuerunt eum: Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini : et configent eum pater ejus et mater ejus, genitores ejus, cum prophetaverit. » Cum hæc quæ supra dicta sunt impleta fuerint, et nomina eorum dispersa, falsi quoque prophetæ et immundi spiritus, qui per eos loquebantur, fuerint sublati, si quis ultra ex persona Domini prophetare tentaverit, continuo pater et mater obliti paterni et materni affectus, ut Dei impleant voluntatem, proferent contra filium mortis sententiam, nec exspectabitur publicum judicium, sed ipsorum propinquorum judicio damnabitur, qui ausus fuerit prophetare.

« Et erit : In die illa confundentur prophetæ, unusquisque ex visione sua cum prophetaverit : nec operientur pallio saccino, ut mentiantur. » Cum (inquit) convictus fuerit ille talis propheta quod falsum locutus est in nomine Domini, rerum contrario exitu, confundetur ex falsa sua visione, nec operietur pallio saccino. Hic enim erat habitus prophetarum : vestiebantur cilicio, cum populo pœnitentiam annuntiabant, sicut legimus fecisse Isaiam prophetam. Ergo pseudopropheta hunc habitum non audebit assumere, et simulare se esse prophetam.

« Sed dicet » quod sequitur : « Non sum propheta, homo agricola ego sum : quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. Et dicetur ei. » Homo (inquit) sum agricola, terram scindens vomere, et illi subjaceo sententiæ, quæ emissa est in Adam peccantem, quando ei dixit Dominus, « In sudore vultus tui, » etc. Cum se professus fuerit prophetam non esse, sed agricolam, interrogabit eum aliquis, et dicet : « Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? » Cur (inquit) confixus es clavis? Nam supra dicitur, quod genitores sui eum confixerant cum prophetaret. Si ergo (ait) non es propheta, quod peccasti tu ut huic pœnæ subjaceres? Propter hoc fortassis Christum Dominum Judæi adjudicaverunt cruci, velut pseudoprophetam, et hoc est quod dixerunt : « Nos legem habemus, et secundum legem debet mori. » Lex enim non tantum illi quinque libri Moysi, sed et prophetæ et psalmi lex dicuntur : unde Dominus in Evangelio : « Nonne (inquit) scriptum est in lege vestra: Ego dixi, Dii estis, » cum hoc in psalmis scriptum sit? Respondebit ille : « et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. » Qua responsione tantam illo tempore ostendit veritatis futuram custodiam, ut nec ille qui suo vitio damnatus fuerat, audeat mentiri, sed recte se perpessum omnia fateatur. Hæc (inquit) vulnera vel cicatrices in domo parentum accepi, qui me diligebant; condemnatus non odientium, sed amantium me judicio.

« Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum : percute pastorem, et dispergentur oves : et convertam manum meam ad parvulos. » Framea, rhomphæa, id est gladius bis acutus, quamvis quidam lanceam velint accipere. Imperat ergo Dominus frameæ, ut suscitetur super pastorem, quem nullus dubitat esse Christum. Deus enim Pater propter nimiam charitatem qua genus humanum dilexit, præordinavit ante sæcula per Filii mortem mundum redimere, etiam in plenitudine temporum opus suæ misericordiæ accelerat adimplere. Præcipit itaque frameæ sive gladio, quem vel passionis dolorem, vel mortem, vel certe ipsam Judæorum malitiam possumus accipere, de qua ipse ad Patrem loquitur: « Erue a framea animam meam. » Suscitatur hæc framea super pastorem Christum præcepto Patris, ad quem dicitur: Quem tu percussisti, persecuti sunt. Suscitatur et super virum cohærentem illi, id est Deo Patri : filius enim semper cohæret Patri, sicut ipse dicit : « Ego in Patre, et Pater in me est. » Cohæret autem illi, non per conjunctionem, sed per ejusdem substantiæ unitatem. Et notandum quod hic Pater introducitur præcipiens, in Evangelio vero Dominus ipse loquens inducitur; « Percutiam pastorem, et dispergentur oves. » Postquam ergo bonus pastor percussus est, et vir cohærens Deo in cruce suspensus est, dispersæ sunt oves apostoli, et si qui erant credentium, tunc vertit manum ad parvulos, quibus dixerat : « Nolite timere, pusillus grex, » etc. Parvuli erant apostoli, cæterique Domini sectatores, qui simplices et innocentes et malitia parvuli, vel qui adhuc ad comparationem infidelium, qui innumerabiles erant, paucissimi videbantur. Ad hos manum, id est operationem convertit, ut illos salvaret, et in illis passionis suæ utilitatem fructumque perficeret. Unde sequitur :

« Et erunt in omni terra, dicit Dominus : partes duæ in ea disperdentur et deficient, et tertia pars relinquetur in ea. » Duæ partes sunt Judæorum et gentilium, quæ pariter perierunt et defecerunt, et impletum est quod in psalmis dictum est : « Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus. » Tertia autem pars est hæc credentium tam ex Ju-

dæis quam ex gentibus populis relictus vitæ et saluti.

« Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum : et probabo eos sicut probatur aurum. » Ipsa (inquit) tertia pars, quæ relinquetur in terra, ducetur per ignem tribulationis, et tentabitur, atque affligetur; non ut consumantur, sed ut probentur ut aurum et argentum, et possint dicere cum Psalmista : « Probasti nos, Deus, » etc. Sive ducentur per ignem illum quem Dominus misit in terram, et de quo dicitur : « Ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igne. » Ducentur itaque per ignem Spiritus sancti, ut quidquid in eis fragile est et fluidum arescat et solidetur, ut nullis possit adversitatibus superari. « Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam : Populus meus es ; et ipse dicet : Dominus Deus meus. » Cum (inquit) probati fuerint parvuli, ad quos convertit manum suam Dominus, et per eos omnis nationum turba crediderit, tunc in se credentium populus vocabit, hoc est invocabit Christum nomine suo, quod est Jesus, id est Salvator, quod sanctum nomen, quod vocatur Jesus, salvator sit omnium sæculorum. Ipse etiam Deus ostendens placitam sibi eorum fidem et devotionem, dicet : Tu es populus meus, quem novi ex nomine, populusque respondebit : Dominus Deus meus.

CAPUT XIV.

« Ecce dies venient Domini, et dividentur spolia tua in medio tui ; et congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium, et capietur civitas, et vastabuntur domus, et mulieres violabuntur; et egredietur media pars civitatis in captivitatem, et reliquum populi non auferetur ex urbe. » Postquam propheta de passione Domini introduxit loquentem Deum Patrem, consequenter et de excidio Hierusalem ex voce ejusdem Domini loqui incipit, ut ostendat subversionem illam propter Dominicam necem evenisse. Dies autem quos venturos comminatur, tempus illud est de quo Isaias dicit : Dies Domini indignatione plenus, et iræ furorisque ad ponendas gentes in solitudinem, apertissime tempus dicens ultimæ captivitatis. Quod autem dicit : Dividentur spolia in medio urbis captæ, non solum capietur Hierusalem, sed et cuncta nefaria in ea perpetrabuntur. Vastabuntur domus habitatorum, et mulieres violabuntur, ad majorem dolorem maritorum, qui suis uxoribus subvenire non potuerunt, quo nihil crudelius hostilis immanitas agere potest.

« Et egredietur Dominus, et præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis : et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Hierusalem ad orientem. » Cum audimus egredi vel stare Deum, sive aliquid tale, non debemus in eo corpus aut aliquem motum corporalem cogitare. Deus enim incorporeus est, de quo Apostolus : Regi autem sæculorum, etc. Et in Evangelio Dominus : « Deus (inquit) spiritus est. » Cum ergo Dominus in Scripturis stare vel ambulare, vel cum membra humana habere describitur, pro causarum varietate accipi debet. Egredi enim dicitur vel exsurgere, vel cum sanctos in tribulatione positos liberat, vel cum persecutores illorum justa ultione condemnat. Ait ergo Propheta, « Egredietur Dominus, » hoc est clementiam suam et mansuetudinem, quam per naturam habet, dimittendo peccata manifestabit. Cum enim ipse naturaliter dulcis sit, nostro vitio fit amarus, quia nobis mala pro peccatis patientibus amarus esse videtur. Dominus qui semper idem est, qui loquitur per Prophetam : « Ego sum Deus, et non mutor, » nunc dicitur egredi et præliari sicut in die certaminis, quando pro populo Israel dimicavit, et Pharaonem submersit. « Et stabunt pedes ejus. » Stare pugnantis et adjuvantis est. Stabunt itaque pedes Domini, illis et pro illis pro quibus pugnabat; ambulat quoque et movetur, quibus iratus est, sicut de Adam legimus, post cujus peccatum deambulabat Dominus ad auram post meridiem. Stabat autem non in valle, sed super montem Olivarum, qui luminis, pacis, et misericordiæ locus est, unde et a misericordia nomen accepit. Ipse quoque mons est contra Hierusalem ad orientem, unde nobis oritur sol justitiæ. Hinc propheta : « Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. » Iste mons Olivarum Christus est consitus illis olivis, de quibus in psalmo dicitur : « Filii tui sicut novellæ olivarum. » Ipse oriens splendor Patris. Sicut enim ipse est janua, et ipse janitor, ipse via per quam venimus ad ipsum, sic ipse qui stat, ipse mons super quem stat. « Et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad orientem et ad occidentem, prærupto grandi valle, et separabitur medium montis ad aquilonem, et medium ejus ad meridiem. » Mons Oliveti, quem diximus Christum significare, cum unus idemque semper sit, scindetur, hoc est divisionem faciet duorum populorum per media ; pars quæ scindetur ad orientem Ecclesiam designat, in quam plantatæ sunt olivæ de gentibus, quarum una loquitur : « Ego autem sicut oliva, etc. ; » alia pars media, quæ scindetur ad occidentem, prærupta grandi valle, circumcisionis est populus, occidentem sequens litteram. Et non dicit simpliciter « scindetur, » sed additur : « prærupta grandi valle, » hoc est magna perditionis voragine : de quo Michæas propheta : « Detraham in vallem lapides ejus, » id est Hierusalem, « et fundamenta ejus revelabo. » Et separabitur medium montis ad aquilonem, et medium ejus ad meridiem. Cum mons Oliveti grandi voragine præruptus fuerit, ita ut una pars voraginis ad aquilonem, altera ad austrum respiciat, repente in ipsa voragine et prærupto, alia vorago rumpetur, et unam partem separabit ad aquilonem, aliam ad austrum, et fiet præruptum quadrangulum, ut quadrifaria in quatuor mundi plagas vorago illa tendatur.

« Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum. » Duo erant montes, videlicet mons templi, et mons Sion, qui Dei montes vocabantur. Hoc est quod dicit : « Fugietis ad vallem montium eorum. » Quod

autem sequitur : « Quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum, » ostendit quomodo vallis, quæ præruptis hinc inde montibus scinditur, usque ad montem templi, qui sanctus est, suam voraginem trahet. « Et fugietis sicut fugistis a facie terræmotus in diebus Oziæ regis Juda. » Tangit historiam illius temporis, quando Ozias, rex Juda, qui alio nomine dictus est Azarias, illicitum sacerdotium sibi vindicare conatus est, et ob hoc lepra percussus, et de templo a sacerdotibus ejectus est : ob quam impietatem terræmotus factus est. Meminit hujus terræmotus Amos propheta in principio sui voluminis, dicens : « Verba Amos qui fuit in pastoralibus Thecuæ, quæ vidit super Israel, in diebus Oziæ, regis Juda, ante duos annos terræmotus » Hæc juxta Hebræorum traditionem ad litteram, quæ omnia illi putant in adventu Christi implenda. Videndum nunc quid spiritualis doctorum Ecclesiæ intelligentia contineat : montem Oliveti diximus significare Dominum Christum : cum ergo mons iste divisus fuerit in orientem et occidentem, hoc est cum gentes (quæ per orientem designantur) electæ, et Judæi (qui per occidentem intelliguntur) fuerint reprobati, rursus alia scissura fiet aquilonis partis et australis, et aquilo jungetur occidenti, auster orientali plagæ sociabitur, et ad sinistram stabit circumcisio, ad dexteram populus Christianus. Nam per sinistram, aquilonem frigidissimum et glacialem ventum, diabolus intelligitur, caput omnium reproborum, qui ad sinistram collocandi sunt in judicio. Per austrum vero dextrum, solis semper luce et calore illustratum, sancti figurantur charitate ferventes, et veri solis gratia refulgentes, qui ad dexteram judicis statuendi sunt. Hinc sponsa in Canticis canticorum dicit : « Surge, aquilo, et veni, auster, » desiderans aquilonem frigidum, id est diabolum recedere, et austrum, id est fervorem dilectionis, venire ; et per Habacuc dicitur : « Deus ab austro veniet. » Cum ergo tanta fuerit divisio duorum populorum, et alii ad orientem et austrum, alii ad aquilonem et occidentem fuerint separati, jubemur fugere ad vallem montium Dei, hoc est ad duo Testamenta, quoniam vallis, id est vorago quæ prima facta est utriusque montis, jungetur ad proximum, sive, ut Septuaginta transtulerunt, ad domum Dei, paradisum videlicet, et cœlestem Hierusalem. Quod vero supra positum est : « Usque ad proximum, » significat juncta sibi esse duo Testamenta, sed non ita ut unum sint per omnia, sed magis vicina. Multum enim ex veteri lege amisimus, nec observamus in Novo, et sicut terræmotus sub Ozia rege mortalium corda perterruit, ita separatio duorum, orientis et occidentis, gentium et Judæorum, et rursum credentium in vana fide societas, quam designavit orientis et australis divisionis conjunctio, in stuporem metumque convertet animos, inscrutabilem abyssum judiciorum Dei admirantium. Cum autem hoc factum fuerit, et Judæi gentesque in unum fuerint sociati, tunc « et veniet Dominus Deus meus » ad judicium « omnesque sancti cum eo. Et erit in die illa, non erit lux, sed frigus et gelu, et erit dies una quæ nota est Domino, non dies neque nox, et in tempore vesperi erit lux. » Cum Dominus venerit ad judicium, ut Joannes in Apocalypsi dicit : Ecce veniet cum nubibus, id est cum angelis ministris suis, et apostolis, et prophetis, in illa die adventus ejus non erit lux, sed frigus et gelu, refrigescente in omnibus charitate et calore fidei intepescente. Postquam omnes reprobi damnati frigus suum in inferno geluque portaverint, erit una dies perpetua sanctorum, non dies neque nox, nequaquam sibi vicissim nocte et die succedentibus. Quæ dies nota est Domino, quia Dominus dies omnium electorum, de quo Isaias dicit : « Non erit sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed Deus tuus erit tibi in lucem sempiternam. » Et Psalmista : « Melior est dies una, etc. » « Et in tempore vesperi erit lux : » cum omnes reprobos vesper et tenebræ obscuraverint, erit lux sanctis electis Dei. Illa ergo dies nota est Domino : non ergo potest ignorare quod ipse creavit. Cum autem dicit : « Nota est Domino, » ostendit ignota esse hominibus ipsisque angelis, dicente Domino : « De illa die nemo novit, neque angeli. »

« Et erit in die illa : Exibunt aquæ vivæ de Hierusalem ; medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum, in æstate et in hyeme erunt. Et erit Dominus rex super omnem terram. » Mare orientale, juxta litteram, mare Mortuum dicit, quod Græce λίμνη ἀσφάλτου, id est lacus bituminis dicitur, a nobis Mortuum mare vocatur, quod nihil in eo possit vivere. Mare autem novissimum, mare dicitur Tyrrhenum, quod ducit ad Ægyptum, et facit littora Palæstinæ. Hoc est quod dicit : Aquæ quæ egredientur vivæ de Hierusalem, media pars earum ibit contra orientem, et cadet in mare Mortuum, in quod Jordanis influit ; media alia pars decurret in mare occidentale, quod vocat novissimum, quia ibi finis est Judææ. In æstate et hyeme erunt, ut nec gelu hyemis constringantur, nec æstatis nimio fervore siccentur, sed semper pleno alveo fluant. Cumque hoc factum fuerit, erit Dominus rex super omnem terram. Juxta sensum mysticum aquæ quæ egrediuntur de Hierusalem, hoc est de Ecclesia, doctrina est Salvatoris ; dicit enim Propheta : « De Sion exibit lex, » etc. Harum media pars ibit ad mare orientale, id est ad populum Judæorum, qui primus lumen divinæ cognitionis, quasi ortum accepit in apostolis, et per eos ductus est ad fidem ; medium autem earum ibit ad mare novissimum, id est occidentale, hoc est ad gentium nationes. Per has autem plagas orientis et occidentis, omnes mundi partes debemus accipere, in quibus aquæ divinæ scientiæ derivatæ sunt. Unde Dominus : « Multi, inquit, ab oriente et ab occidente venient, et recumbent cum Abraham, » etc. Possumus quoque per mare orientale et mare novissimum, utrumque Testamentum legis et Evangelii accipere, quod necesse est ut Salvatoris flumine, id est spiri-

tuali sensu, dulcescant, et amaritudinem deponant occidentis litteræ. Hæ aquæ in æstate et hyeme erunt, quia nec in prosperitate, quæ per æstatem, neque in adversitate persecutionis, quæ per hyemem designatur, doctrina cœlestis manare desistit. Notandum quod in Septuaginta non habetur in hyeme, « sed in vere et in æstate erunt, » et idcirco aquas vivas quidam ad baptismum referunt, quod in vere et in æstate, id est in Pascha et in Pentecoste generaliter ab omni Ecclesia celebratur. « In die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum : et revertetur omnis terra usque ad desertum, de colle Rhemmon ad austrum Hierusalem : et exaltabitur, et habitabit in loco suo a porta Benjamin usque ad locum portæ prioris, et usque ad portam angulorum : et a turre Ananehel usque ad torcularia regis. Et habitabunt in ea, et anathema non erit amplius, sed sedebit Hierusalem secura. » Hæc omnia de exstructione Hierusalem terrenæ, et de aquarum egressione, quæ ad utrumque defluant mare, Judæi et hæretici judaizantes, quos Chiliastas vocant, a numero mille annorum, quibus se putant cum Christo suo feliciter regnaturos in fine sæculi sibi repromittunt. Dicit enim quod cum Christo in Hierusalem aurea et gemmata regnaverint, jam non sint idola, nec diversa cultura, sed erit Dominus unus, et ipse solus nominabitur, et omnis terra revertetur ad antiquum statum, quando omnis terra inculta et deserta erit. Ponunturque vocabula locorum, a quo loco usque ad locum Hierusalem ædificanda sit, videlicet de colle Rhemmon usque ad austrum Hierusalem, et exaltabitur in pristino a porta Benjamin usque ad portam angulorum, et a turre Ananehel usque ad torcularia regis. « Et anathema non erit, » id est nullus metus, nullus hostium impetus, sed sedebit secura et otiosa Hierusalem in pace. Anathema autem Græcum est verbum, Latine alienatio dici potest. Tractus autem sermo a rebus, quas homines vota facientes templis affigebant, et a se aliena faciebant, videlicet ἀπὸ τοῦ ἀνατιθέναι, id est a sursum ponendo, vel suspendendo. Hæc illi ad litteram futura suspicantur, nos sensum mysticum perscrutemur, et quæ illi de terrena Hierusalem confingunt, interpretemur de superna et cœlesti. Cum enim fuerit Dominus Jesus rex super omnem terram, et nomen ejus unum, ut ipse solus invocetur et colatur Deus, omni falsa religione sublata, impletumque fuerit quod Psalmista ad Dominum dicit : « Domine Dominus noster, etc., » tunc revertetur omnis terra ad desertum, id est gens Judæorum incredula erit, sicut quondam fuerant gentes quæ vocantur desertum, et notitiam Dei non habent. Gentes vero credentes in Christum locum illum habebunt apud Deum, quem quondam habuerunt Judæi. Hinc per Isaiam dicitur : « Convertetur Libanus in Chermel, et Chermel in saltum reputabitur. » Revertetur autem de colle Rhemmon ad austrum Hierusalem. Rhemmon interpretatur excelsum, vel malogranatum, per quod significatur quod Ecclesia,

A quæ est Hierusalem, de deserto consurget ad colles, et de collibus ad excelsa proficiendo de virtute in virtutem, nec hoc fine contenta, perveniet ad australem plagam, ubi fervor dilectionis et splendoris æterni, divinæ scilicet visionis societas, de qua Psalmista : « Satiabor cum manifestabitur gloria tua. » Rhemmon quoque interpretatur malogranatum quæ est arbor, cujus pomum pulcherrimum, plenum granis quæ continentur diversis cellulis, quibusdam membranulis cortice puniceo. Fertur autem fervores stomachi sanare, et corruptum ventrem purgare, omnibusque visceribus prodesse. Hæc speciositas pomi convenit Ecclesiæ in rubore verecundæ pudicitiæ in granorum ordine, gradus et membra totius ecclesiastici corporis per singula officia distributa. De
B colle autem Rhemmon incipiunt fines Ecclesiæ, quia ab humilitate et a minoribus inchoat, ut ordo ecclesiasticus quibusdam profectibus construatur. Exaltabitur autem incipiens a collibus, et habitabit in loco suo in statione perfectionis. De hoc loco Psalmista dicit : « In loco (inquit) pascuæ ibi me collocavit. » Sequitur : « a porta Benjamin usque ad locum portæ prioris. » Benjamin interpretatur filius dextræ, quia sancta Ecclesia a virtute incipit, quam significat dextera, et pervenit ad portam priorem, id est fidem, ut per eam ingrediamur ad reliquas virtutes. Statim occurrit porta angulorum, id est Christus lapis angularis, continens et conjun-
C gens sibi duos parietes. Super hunc lapidem ædificantur alii angulares lapides, apostoli videlicet et apostolici viri, continentes reliquos angulos Ecclesiæ, quibus loquitur Paulus : « Estis cives sanctorum et domestici Dei, etc. » Ædificatur quoque Ecclesia a turre Ananehel, qui interpretatur gratissimus Dei, firmamentum videlicet fidei, spei, et charitatis, ad quod se pervenisse gratulabatur Psalmista, dicens : « Deduxisti me quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici. » Qua turre nihil Deo gratius. Hinc pervenit ædificatio ad torcularia regis, in quibus exprimitur vindemia Christi, quæ ipse primus calcavit. Unde et per Isaiam dicitur : « Torcular calcavi solus, » etc. In his torcularibus calcantur botri martyrum, qui vestigia passionis Christi sequuntur, et sicut ille pro eis animam posuit, sic
D ipsi pro ejus dilectione mortem subire non metuunt. Cum ergo civitas Dei ædificata pervenerit ad regis Christi torcularia, jam non erit anathema, id est maledictio vel alienatio, sed erit Hierusalem secura atque confidens : « Benedictus enim vir qui confidit in Domino. »

« Et hæc erit plaga qua percutiet Dominus omnes gentes quæ pugnaverunt contra Hierusalem ; tabescet caro uniuscujusque stantis super pedes suos, et oculi ejus contabescent in foraminibuus suis, et lingua eorum contabescet in ore ipsorum. » Hic perspicue ostenditur vana esse omnia quæ Judæi de terrena Hierusalem opinantur. Nam Romani novissime pugnaverunt adversum Hierusalem eamque funditus deleverunt, nec quidquam tale passi sunt.

Cæterum de persecutoribus Ecclesiæ, qui omni instantia adversus eam pugnaverunt, dicere possumus, quia in eis etiam corporaliter hæc sæpissime impleta sunt : nam, ut taceamus de cruciatibus quos in inferno post mortem sustinuerunt, etiam in hac vita multorum carnes computruerunt, oculi contabuerunt in suis foraminibus, lingua in putorem et saniem dissoluta est. Spiritualiter, qui stat super pedes suos, et dicit cum Psalmista :« Statuit Dominus supra petram pedes meos, » defluunt in eo carnalia vitia, ut oriantur spirituales virtutes. Oculi, qui male per concupiscentias versabantur, cadunt ut meliores ponantur, et dicat : « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. » Lingua blasphema in Deum deficiet, ut renascatur quæ glorificet Deum. Ita probantur flagella Dei non esse crudelitatis, sed misericordiæ, ut, exstirpatis malis, succrescant bona.

«In die illa erit tumultus Domini magnus in eis: et apprehendet vir manum proximi sui, et conseretur manus ejus super manum proximi sui. » Hæc quæ Judæi et judaizantes hæretici ad litteram accipiunt, transeuntes referamus spiritualiter ad felicitatem Ecclesiæ, quod cum illi fuerint hostes subjecti, suscepta fide Christi, fiat tumultus et miratio omnium in tam subita rerum mutatione Et tunc apprehendet vir manum proximi sui, conseretur manus cum manu illius, ut dexteras mutuæ societatis sibi dent in fide Christi, et quasi tirones jurent permansuros se in ejus cultu et religione. Quod autem sequitur :

« Sed et Judas pugnabit contra Hierusalem :»significat quia multi ex his qui antea confitebantur nomen Christi, necessitate persecutionis coacti, facient contra Ecclesiam, quamvis in Septuaginta interpretibus non sit :« Pugnabit contra Hierusalem, sed, præparabitur in Hierusalem, » ut sit sensus : quia confitentes Dominum præparabuntur in Ecclesia, ut contra adversarios ejus dimicent Tunc « et congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuitu, » subaudis in Ecclesia, « aurum, » hoc est sensus, « et argentum, » id est sermonis ; « et vestes multæ satis, » diversitas virtutum quibus decoratur Ecclesia.

«Et sic erit ruina equi, et muli, et cameli, et asini, et omnium jumentorum, quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc. « Omnia mala quæ prius contra Ecclesiam dimicabant, prædicuntur corruere, ut bona repente consurgant. Qui prius fuerat equus impatiens ad libidinem, corruit in eo luxuria, et surgit in eo castitas, et incipit habere sessorem Dominum : qui prius erant muli steriles, et filios bonorum operum non habentes, evertuntur, et progenerant spiritualem sobolem, et dicitur eis :« Filii tui sicut novellæ olivarum. » Cameli, qui gravi gibbo premuntur, ruminant quidem, sed ungulam non findunt, significant eos quos gravia peccata deprimunt. Legunt Scripturas, sed quæ ibi scripta sunt negligunt; designant et Judæos, qui legem Dei ruminant, hoc est meditantur, sed ungulam non dividunt, quia in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non credunt. Asini sunt immundi, non resistentes passionibus carnis suæ. His omnibus utile est ut corruat in eis quod male stabat, quatenus surgentes mansuetum in se suscipiant Deum, a quo inducantur iu cœlestem Hierusalem.

« Et omnes, qui reliqui fuerint de universis gentibus quæ venerunt contra Hierusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem Dominum exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum. » Festivitas tabernaculorum, quæ Græce scenopegia dicitur, agebatur in mense septimo, quinta decima die mensis, in memoriam illius temporis quando in deserto, ubi non erant domus, in tabernaculis hospitabantur per quadraginta annos. Et nos mystice : quandiu sumus in certamine, et novimus nos esse peregrinos et hospites super terram, habitamus in tabernaculis, confitentes quia « non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, » et ad eam toto corde suspiramus, dicentes cum Psalmista : « Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est, » Cum vero pervenerimus ad patriam, et poterimus dicere :« Beati qui habitant in domo tua,» et : « Unam petii a Domino, hanc requiram, etc., » tunc celebrare conveniet festivitatem tabernaculorum, hoc est in memoria semper habere tempus liberationis nostræ, et æternæ illius quietis, quæ post sæculi ætates nobis septima tanquam in uno sabbato repromittitur, sumentes nobis ramos ligni pulcherrimi, id est sapientiæ, in marcescibilem virorem, in cujus laude dicitur. « Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam. » Ramos quoque palmarum, in quibus signum victoriæ et præmium continetur. Ramos etiam arboris densarum frondium, quem myrtum Judæi putant, ut mortificemus in nobis incentiva vitiorum, quod etiam signatur per salices de torrente, quas similiter præcipimur sumere. Nam fertur a medicis quod si quis florem salicis cum aqua mistum biberit, omnis in eo genuinus refrigescat calor, et venena libidinis siccentur, ut ultra non generet. Qui vero festivitatem tabernaculorum vult celebrare, de hujusmodi arboribus sibi umbracula faciat.

« Et erit : qui non ascenderit de familiis terræ ad Hierusalem, ut adoret regem Dominum exercituum, non erit super eos imber. » Hierusalem cœlestis civitas est regis Domini nostri Jesu Christi, de qua Apostolus : Illa (inquit) quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Ad hanc quicunque vult venire, necesse est ascendere. Non enim in humili loco, sed in excelso monte sita est. De qua Dominus. « Non potest civitas abscondi supra montem posita.» Cives itaque Hierusalem ascendunt ut adorent regem Dominum exercituum : qui vero non sunt cives, sed de familiis et tribubus, quales sunt Judæi et hæretici, isti non ascenderunt, et idcirco non venit super eos imber prædicationis apostolicæ; de quibus dictum est : « Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. »

« Quod et si familia Ægypti non ascenderit, et non

venerit : nec super eos erit, sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. » Ægyptus, tenebræ, vel mœror interpretatur. Qui ergo Ægyptus est, hoc est in tenebris ignorantiæ Dei vel scelerum constitutus, non potest ascendere ad Hierusalem, non habens lumen prævium, quod dicit : « Ambulate dum lucem habetis. » Non potest habere gaudium de spe futurorum. Ideo non veniet super eum imber cœlestis benedictionis.

« Hoc erit peccatum Ægypti, et hoc peccatum omnium gentium qui non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. » Ammonitarum, scilicet et Moabitarum, Assyriorum, Chaldæorum, cœterarumque gentium, per quas designantur qui eligunt permanere in erroribus, et nolunt egredi de terra sua, ut veniant ad societatem Ecclesiæ, et efficiantur Israelitæ, et cives cœlestis Hierusalem.

« In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domino. » Hebræi more suo juxta litteram dicunt, quod postquam cum æquitate rex eorum venerit, et regnaverit in aurea Hierusalem, pace cuncta obtinente, non erit opus equis aut equitatu, sed frena et ornatus phalerarum ad cultum Domini transferentur ; et in eo quod dicitur : « super frenum equi, » omnem bellicum ornatum intelligamus. Secundum sensum mysticum, frenum disciplina cœlestis est magisterii, qua insaniens libido et petulans lascivia refrenatur; de qua Psalmista : « In chamo et freno maxillas eorum constringe. » Hoc frenum in ore equi ponitur, ut, relictis errori anfractibus, recta gradiatur vita, et mollia ad sedendum terga præbeat Salvatori. Talia ornamenta et tale frenum, auro et argento, id est sensu et eloquio decorata, sancta sunt Domino, et ejus cultui proprie consecrata. Sane quod in libello inventionis sanctæ crucis legitur, hoc tunc impletum fuisse, quando Helena Augusta, mater Constantini imperatoris, clavos Dominicæ crucis fieri salivares in freno equi regis jussit; beatus Hieronymus pio quidem sensu, sed ridiculo dicit esse confictum.

Et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari. Et erit omnis lebes in Hierusalem et in Juda sanctificatus Domino exercituum. » Lebetes, id est ollæ æreæ, in quibus coquebantur carnes victimarum : erunt autem ita sanctæ et veneratione dignissimæ, sicut phialæ aureæ, in quibus libationes et aromata Domino offerebantur. Per quod ostenditur quod omnis carnalis traditio et observatio Judæorum convertenda sit in spiritualem, et virulentiæ carnium succedant aromata spiritualis intelligentiæ. De his phialis dicit Joannes vidisse se viginti quatuor seniores habentes citharas et phialas plenas odoramentorum, quæ sunt (inquit) orationes sanctorum, et in Canticis canticorum secundum Septuaginta : Dilectus meus descendit in hortum suum ad phialas aromatum, ut pascatur in hortis et lilia colligat. Phialæ namque aromatum receptacula sunt sanctarum animarum, plena virtutum et mundarum orationum aromatibus, de quibus quotidie Domino bonus odor diffunditur. Cum ergo lebetes conversæ fuerint in phialas, et carnalia spiritualibus permutata, tunc omnis lebes consecratus erit Domino in Hierusalem et in Juda, hoc est in Ecclesia, quæ est visio pacis, et ubi sunt confitentes, hoc est laudantes Dominum. « Et venient omnes immolantes, et sument ex eis, et coquent in eis : et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo. » Cum (inquit) lebetes versi fuerint in phialas, et carnalis sensus in spiritualis intelligentiæ subtilitatem transierit, tunc venient omnes immolantes Domino, hoc est seipsos holocaustum acceptabile facientes, Et sument et coquent in eis carnes victimarum, ut quidquid in eis carneum et fluxum est, excoquatur igne sancti Spiritus. Nam et in lege perhibemur carnes agni paschalis crudas comedere, hoc est Pascha cum Judæis carnaliter celebrare. Tunc tanta ex phialis exhibetur boni odoris fragrantia, ut nullus sit qui mercimonia in domo Domini audeat exercere, et vendere ibi boves et oves et columbas : timebunt enim ne sicut tunc fecit flagellum de resticulis, et omnes ejecit de templo, sic nunc spiritualiter veniens nefarios mercatores excludat a templo supernæ Hierusalem.

IN MALACHIAM PROPHETAM.

Malachiam prophetam ultimum duodecim prophetarum, Hebræi putant esse Esdram prophetam et sacerdotem. Hic prophetavit eodem tempore quo et Aggæus et Zacharias. Unde nec tempus ponitur in titulo. Interpretatur angelus Domini, sive angelus meus, quia tantæ fuit auctoritatis, ut quidquid dixisset, ita crederetur velut ab angelo Domini dictum fuisset. Unde nonnulli putaverunt eum natura angelum de cœlo descendisse carne indutum, ad commonefaciendum populum, qui nuper de captivitate reversus erat.

CAPUT PRIMUM.

« Onus verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ » prophetæ. Sicut jam in præcedentibus dictum est, ubicunque onus ponitur in prophetis, pondus comminationis sive adversitatis alicujus peccantibus indicit. Ergo et hic onus verbi Domini dicitur, quod grave quidem sit eis ad quos dicitur : habet tamen aliquid consolationis, quia non dicitur contra Israel, sed « ad Israel, » ut ad ea quæ sequuntur, non contra populum Israel ventura dicantur, sed ad illum, id est ut ea præscire posset quæ nuntiabantur ventura. Hic autem Israel duas tribus Judam et Benjamin debemus accipere, ex quo enim decem tribus in captivitatem ductæ sunt, quo Israel vocabantur, reliquæ duæ tribus indifferenter Israel ap-

pellari cœperunt. Quod vero dicitur: « In manu Malachiæ, » manum posuit, quia bonis operibus donum prophetiæ promerebatur. Qui enim lavat inter innocentes, et excutit manus ab omni munere, meretur spiritum accipere prophetiæ. At illi quibus dicitur: « Manus vestræ sanguine plenæ sunt, » in his, vel ad hos non fit sermo Domini.

« Dilexi vos, dicit Dominus, et dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, et dilexi Jacob, Esau autem odio habui? Et posui Seir montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti. Quod si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt: Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, et ego destruam et vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum. Et oculi vestri videbunt, et vos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israel. » Quia præmiserat onus suppliciorum, quod portare cogebantur, subjungit quare ista non merentur: dici, dilexi (inquit) vos, et subaudis nequaquam vicem mihi dilectionis mutuæ rependistis. Ut enim se habet proverbium: Amantem non redamare, amoris est impendia perdere; quia diligentem se Dominum non dilexerant, minatur illis pœnam, ut sentiant per tormenta quæ noluerunt sentire per beneficia. Sane cum dicit præterito tempore « dilexi, » negat se diligere in præsenti, dum præteritam confitetur dilectionem. Cum ergo Dominus dixisset, « Dilexi vos, » illi, ea temeritate qua peccabant, responderunt: In quo dilexisti nos? tanquam obliti beneficiorum quæ innumera illis præstiterat. Quibus Dominus respondit: « Nonne frater erat Esau Jacob? » Ut (inquit) taceam cætera, quomodo vos nuperrime de Babylonis captivitate liberavi, ut hæc et alia prætermittam, altius repetam, et ab ipsa conceptione vestra ostendam, quomodo vos dilexerim? Antequam Rebecca Jacob et Esau pareret, in Jacob vos dilexi, in Esau autem Idumæos odio habui. et posui (inquit) montes ejus, id est regionem Seir, in solitudinem, et urbes ejus desertas ab hominibus feci a draconibus et bestiis possideri. Si autem dixerit Edom, qui est Esau: Destructi sumus, sed iterum revertentes ædificabimus urbes nostras, illi quidem ædificabunt, sed ego destruam. Odium et dilectio Dei non sunt humano more cogitanda carnaliter. Sicut enim Deus omnes creavit, ita et diligit: miseretur enim hominum, et nihil odit eorum quæ fecit. Ergo odium Dei aut ex præscientia nascitur futurorum, aut ex operibus. Eos enim diligit Deus quos videt repugnaturos vitiis, et obedituros divinis præceptis. Illos vero dicitur odisse quos videt servire peccatis et destructa jam vitia iterum velle restruere. Hæc secundum historiam ab Hebræis dicuntur, qui etiam per Idumæos Romanos volunt intelligi, crudeles et sanguinarios, quia Edom rubeus vel sanguineus interpretatur, quorum imperium in mundi termino sit destruendum, et ab ipsis totius orbis potestas transitura. Allegorico sensu, Esau et Jacob fratres de una stirpe generati, vitiorum atque virtutum figuram prætendunt. Quæ duo licet sint contraria, ex uno cordis fonte procedunt. Nam quia liberi sumus arbitrii, pro nostra voluntate, aut ad vitia deflectimus, aut ad virtutes. Primo genitus est Esau, quia priora sunt vitia per infantiam, adolescentiam et juventutem. Post nascitur Jacob, qui supplantator interpretatur, qui errores fragilioris ætatis ætas firmior succedens corrigit et supplantat. Unde bene major frater, hispidus et agrestis, venationis et silvis assuetus fuisse dicitur; minor, lenis et simplex, habitasse domi perhibetur. Itaque sub nomine Esau Deus vitia odisse se asserit, non naturam, quam bonam fecit, et propterea fines ejus ponit in solitudinem, ut omne malum exstirpetur, et vitia non succrescant. Quod si impudens malitia ea quæ sunt destructa rursus ædificare conetur, Dominus iterum se ea destructurum profitetur. Quod fit duobus modis, sive cum corriguntur peccatores, sive cum pertinaciter peccantes justa ultione damnantur.

« Filius honorat patrem, et servus dominum suum. Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum? » Ac si diceret: Licet priusquam renasceremini quasi filios vos in Jacob dilexerim; tamen eligite quo nomine me velitis appellare, id est aut Patrem, aut Dominum. Si ergo Pater sum, cur non detis debitum Patri honorem? Si Dominus, quare me contemnitis? cur non sicut Dominum timetis? Hoc ad illos dicit qui, de captivitate nuper reversi, necdum ædificato templo vel civitate, in peccatis tamen pristinis permanebant, Deum nec timore, nec amore venerantes. Spiritualiter, vult Deus primo ut simus filii ejus, voluntarie illi obsecundantes, et non timore, sed amore illi servientes. Quod si hoc esse nolumus, vult ut saltem simus servi, timore suppliciorum recedentes a malo, et bona facientes. Ergo a filiis quærit Dominus honorem, a servis autem expetit timorem. « Principium enim sapientiæ timor Domini, ut timore incipientes, ad filiorum transeamus amorem. « Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis: In quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum, et dicitis, In quo polluimus te? In eo quod dicitis, mensa Domini despecta est. » Ad vos (inquit) o sacerdotes, specialiter meus sermo dirigitur, qui nomen meum despicitis, dum meis sacrificiis derogatis, et cum reversi de Babylone, debuissetis tota mente converti a præteritis criminibus, jungitis contemptum sacrificiorum meorum. Sed illi quasi nescientes hæc, sciscitantur adhuc ab eo qui cuncta novit, In quo despicimus te? Respondit Dominus: Offertis super altare meum panem pollutum, panes scilicet propositionis quos, juxta traditiones Hebræorum ipsi sacerdotes serere, ipsi metere, ipsi molere et coquere debent. Quod spernentes agere, sumebant qualescunque panes, et super mensam Domini sabbato ponebant: ibique usque ad aliud sabbatum

servabantur, et dicebatur panis sanctus, de quo non licebat edere nisi sacerdotibus. Ait ergo : « Offertis super altare meum panem pollutum, » et dum mea sacrificia male tractatis, me, cujus sunt sacramenta, violatis. Quod vero sequitur : « In eo quod dicitis : Mensa Domini despecta est, » potest sic exponi, quod illud altare quod fecerant reversi de captivitate, non erat ejus gloriæ, cujus fuerat antiquum, ideoque dicebant despectam esse mensam Domini, tanquam religioni deesset sanctitas, qui deerat ambitio, cum econtra Deus non altaris ornatum, sed offerentis devorationem requirat. Sed et altiori sensu, increpat divinus sermo sacerdotes et ministros Ecclesiæ, quod negligenter tractent divina mysteria, et offerant super altare Domini panem pollutum, cum videlicet indigni ad altare accedunt, et polluta conscientia mundum sanguinem bibunt, et sacrosanctum panem inquinato ore percipiunt ; sicque fit, ut despiciatur mensa Domini, quæ per se sancta est, pro ministrorum vilitate. Sed alio intellectu, quando prædicator, qui spiritualem panem, id est doctrinam populis dividere deberet, blanditur potentibus et divitibus hujus sæculi, eaque loquitur quæ illis placeant, nec peccantes justa asperitate corripit, panem utique doctrinæ polluit, et ipsi Domino contumeliam facit, dum mensam Scripturarum divinarum sæculari doctrinæ, quæ est mensa idolorum, putat esse similem.

« Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est ? et si offeratis claudum et languidum, nonne malum est ? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. Et nunc deprecamini vultum Dei ut misereatur vestri De manu enim vestra factum est hoc, si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum. » Reversi de Babylone sacerdotes cæterique ministri templi Domini offerebant in Domini sacrificio illicitas victimas, cæca quoque et clauda et varia debilitate confecta, conquerentes se de penuria et necessitate offerre hæc. Dicit ergo : Si hujusmodi munera offerres duci tuo, nunquid non respueret illa? Utique diceret factam sibi injuriam. Qua igitur ratione offertis Domino quod dare hominibus non audetis ? Allegorice victima Dei est bonum aliquod opus, oratio, eleemosyna, cæteraque Deo sunt grata sacrificia. Verum si cæca est victima, si animus offerentis non illustratus luce veritatis, id est, si non simplex est ejus intentio qui offert, clauda est orationis victima, quæ duplici mente accedit ad precandum Deum, debilisque Christum non habet, qui est virtus et sapientia. Istiusmodi victimæ si offerantur, minime Deo placere possunt, quin potius reum faciunt offerentem. « Et nunc deprecamini vultum Domini, ut misereatur vestri, » ut supra.

« Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito ? » Sensus talis est : Nullus est in vobis qui gratuito, id est sine mercede, mihi serviat, non pontifex, non sacerdos, sed neque janitor, et is qui ignem supponit altari ad cremanda holocausta. Recipitis enim a populo decimas omnium frugum, et cætera quæ ex sacrificiis hostiarum vobis lege decreta sunt. Proinde quia Deum in sacrificiis offenditis debilia quæque offerendo, agite pœnitentiam, et deprecamini vultum Domini, si quomodo misereatur vestri. Ex hoc loco colligimus gratiorem esse Deo servitutem quæ impræsentiarum mercedem non recipit. Unde Apostolus gratis prædicabat Evangelium, nocte et die laborans operando victum manibus, ut nulli esset oneri. « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. » Manifestissima est prophetia, nec eget profundiori expositione : loquitur autem ad sacerdotes proprie, qui illicitas victimas offerebant, atque ideo voluntas Dei quem exacerbabant, non erat in eis, simul etiam docet carnalibus illorum victimis spirituales victimas successuras, nec in una tantum provincia Judæorum, sed omni loco offerri Deo mundam oblationem, hoc est, sacrificium quod nunc frequentat Ecclesia.

« Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum, et vos polluistis illud in eo quod dicitis : Mensa Domini contaminata est, et quod superponitur contemptibile est cum igni qui devorat illud. » Sicut jam supra breviter dictum est, populus qui de captivitate reversus fuerat, tantum altare fortuitis et impolitis lapidibus ædificaverat, sed quia templi ornamenta deerant, putabant minorem esse in eo cultum religionis. Loquitur ergo ad eos Dominus per prophetam : Pollutum putatis esse altare et holocausta ac victimas quæ superponuntur, nec cognoscitis Dominum non auri vel argenti ornatum quærere, neque multitudinem victimarum, sed mundam offerentium voluntatem. Sane mensam hic non eam debemus putare super quam panes propositionis ponebantur, sed altare in quo sacrificia incendebantur, quod innuitur manifeste, cum dicitur : « Cum igni qui illud devorat. » Neque enim panes illos ignis assumebat, sed a sacerdotibus comedebantur. Vel certe ita potest accipi quod dicitur : « Mensa Domini contaminata est, » et quod supra ponitur contemptibile, cum igne qui illud devorat ; quid (inquiunt) prodest, si optima offeramus ? Qualiacunque enim fuerint, igne consumenda sunt.

« Et dixistis : Ecce de labore, et exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum. Et intulistis de rapinis claudum et languidum, et intulistis munus. Nunquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus exercituum ? » Populus de Babylone reversus, cum hostias Domino offerret, coacti et tristes dicebant : Ecce de labore nostro illud offerimus, prædæ sumus hostium, et quidquid habere potuimus, in longo itinere consumpsimus, qualiacunque habemus offerimus. Hæc dicentes, exsufflabant sua sacrificia, id est exsufflatione digna faciebant. Quidam codices habent, « exsufflastis me, » ut sit sensus : Non sa-

crificio, sed mihi cui sacrificabatis, fecistis injuriam. Quamobrem non suscipiam illud.

« Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino, quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus. » Suggillat eos aperte, qui dixerunt : « Ecce de labore, » et ostendit eos dolose obtendere paupertatem, cum haberent optima, et vota facientes offerunt vilia. Hæc ipsa quoque non de suo grege, sed de rapinis et fletibus miserorum.

CAPUT II.

« Et nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes. Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem. » Fecistis, inquit, quod impium est, sed quia malo pœnitentiam quam mortem peccatoris, si nolueritis me audire, ut detis gloriam nomini meo, quod est et horribile et tremendum in gentibus, videlicet ut pœniteat vos talia egisse, mittam in vos veram egestatem, ut jam non mentiendo, sed coacti penuria, dicatis : « Ecce de labore. » « Et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis, quoniam non posuistis super cor. » His videlicet bonis quæ nunc per meam benedictionem possidetis, quoniam non posuistis super cor, hoc est noluistis audire et agere quæ vobis dicta sunt. Possumus tropologice maledictum dolosum interpretari populum Judæorum, qui cum haberent egregium masculum et immaculatum agnum Dominum Salvatorem, et omnium prophetarum vocibus essent præmoniti, ut illum susciperent, et immolarent, credendo venisse eum Dei Filium pro salute omnium, hoc facere noluerunt, sed, reprobato Christo, elegerunt debile pecus et morbidum Barabban, qui typum præfigurabat Antichristi. Sed licet illi hoc fecerint, nomen tamen Christi horribile et venerandum est in gentibus.

« Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assumet vos secum. » Ad sacerdotes comminatio ista dirigitur, qui male utebantur ceremoniis legalibus. Stercus autem solemnitatum despective sanctiora dicit, quæ pro munere secundum legem accipiebant, armum scilicet dextrum, et pectusculum, linguam et ventriculum, cæteraque quæ in Levitico jubentur accipere sacerdotes ex hostiis populi, quæ nunc se abjicere, et in vultus eorum se mittere contestatur, ut ostendat eos tales esse qualia sunt et illa quæ offerunt. Et assumet vos secum, subaudis stercus vestrarum solemnitatum, ut facies vestræ putida stercoris commistione turpentur.

« Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum : pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis. » Ideo (inquit) ista vobis faciam, ut sciatis me esse qui quondam elegi Levi patrem vestrum, et in Levi Aaron, ut esset pactum meum cum Levi et posteris ejus, ut æterno sacerdotio mihi ministrarent. Tropologice, omnes quidem homines, sed præcipue sacerdotes Deus sanctos esse voluit, et nullam habere maculam ; præcepit eos habere brachium, sive armum dextrum, id est ornatum bonorum operum. Pectusculum bonæ et innocentis conscientiæ, linguam sanctæ confessionis, ventriculum quoque jubentur accipere, ut nihil intra se mortiferum, nihil venenatum contineant. Nam stomacho coquuntur cibi, et eorum succo corpus irrigatur. Idcirco per ventriculum signatur coagulum charitatis, qua se invicem membra omnia fovent, non quærendo quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Si ergo contra fecerint sacerdotes, minatur Deus quod hæc omnia vertantur in stercus, et assumat eos stercus illud, et deturpet vultum animæ, ut non possit se vultus extollere et dicere : « Vultum tuum, Domine, requiram, » etc. « Et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus. In pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. » Ex persona Levi ore divino laudati, describitur officium sacerdotis, et qualis esse debeat. Pactum enim fuit Dei cum Levi patriarcha, ex Levi pervenit ad Aaron et posteros ejus. Pactum autem vitæ non est jus, quod vobis et cunctis animantibus commune est, sed illius qui dicit : « Ego sum via, veritas, et vita, » et de qua Apostolus : « Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. » Ipse etiam pax nostra est, secundum Apostolum, « qui fecit utraque unum. » Dedi ei (inquit) timorem, qui est initium sapientiæ, et a facie nominis mei pavebat, mentis habitum tremore exagitati corporis ostendens, juxta illud quod scriptum est : Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos? Lex veritatis fuit in ore ejus, hoc est, doctrina simplex, et nulla mendacii macula fuscata, et iniquitas non est inventa in eo, quia illum unicum pontificem imitabatur, de quo veraciter dictum est : « Peccatum non fecit, » etc. « In pace et in æquitate ambulavit mecum, » quo et ipse pacem haberet, et cæteros pacificaret, ac nullius in judicio personam acciperet, et multos avertit ab iniquitate. Qui enim sacerdos est, et non corripit delinquentes, perdit officium sacerdotis.

« Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. » Non dixit proferent aut loquentur, sed « custodient, » ut impleant opere, et sic cæteris quæ agere debeant, verbo et exemplo proponant; « et legem requirent ex ore ejus, » id est sacerdotis. Hoc et in Aggæo legimus : « Interroga sacerdotes legem. » Ad sacerdotes disciplina pertinet, ut interrogatus de lege respondeat. Hinc Paulus ad Titum formam describens sacerdotis, « ut potens sit (inquit) exhortari in doctrina sana et contradicentes redarguere. » Interpretatur Malachias angelus Domini, et omnis sacerdos angelus Domini est, seque-

ster inter Deum et homines, Deique voluntatem populis annuntiat.

« Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege. Irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. Propter quod et ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege. » Ac si aperte diceret : Ego volui ut tales essetis, qualem descripsi fuisse patrem generis vestri Levi : vos autem econtra recessistis sive declinastis de via quam ostendi vobis, et de qua alibi dicitur : Hæc est via, ambulate in ea neque ad dexteram neque ad sinistram. Scandalizant autem plurimos in lege, qui eos quos verbo instruunt, et exemplo malæ conversationis errare faciunt. « Irritum fecistis pactum meum cum Levi, » negligenter agendo quæ ad officium pertinent sacerdotis. Quamobrem « et ego dedi vos contemptibiles, » ut pro honore et reverentia quam vobis debebant, tanquam despectos vos abjectosque calcarent. Ut enim beatus Gregorius dicit, cujus vita despicitur, restat ut et prædicatio contemnatur. Illud tanquam gravissimum ultimum ponit, quod personas accipiunt, justos pauperes despiciendo, superbos divites suscipiendo. « Nunquid non pater unus omnium nostrum ? Nunquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque vestrum fratrem suum, violans pactum patrum vestrorum ? » Sicut in Esdræ libro legitur, reversi de Babylonica captivitate, tam principes quam etiam multi ex sacerdotibus et Levitis abjecerunt uxores Israelitici generis, quæ senio vel paupertate seu labore longioris viæ, et sexus fragilitate confectæ erant, debilitatemque et deformitatem contraxerant, et copulaverunt sibi juvenculas florentes formositate corporum, vel nobilitate et divitiis excellentes. Hos corripit propheta, provocat ut abjectis illis, quas sibi illicito matrimonio junxerant, illas quas male abjecerant recipiant. Dicit ergo : Nunquid non pater unus omnium nostrum ?

« Transgressus est Juda, et abominatio facta est in Israel et in Hierusalem, quia contaminavit Judas sanctificationem Domini quam dilexit, et habuit filiam dei alieni. » Judam et Israel sive Hierusalem, duas hic tantum tribus Judæ et Benjamin debemus accipere cum sacerdotali, id est Levitica tribu. Hæ enim tantum reversæ fuerant de captivitate. Nam decem tribus adhuc ab Assyriis in captivitate tenebantur. « Judas ergo contaminavit sanctificationem, » semen electum a Deo, miscendo se alienigenis, et iniquorum filias assumendo in conjugium. Hoc quod sequitur : « Et habuit filiam dei alieni, » accipiendo scilicet uxorem quæ idola colebat, contra præceptum Dei, quo dicitur : « Non accipies filiam de stirpe Chanaan uxorem filio tuo. »

« Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob, et offerentem munus Domino exercituum. » Nota quod non dicit : Qui fecit, sed futuri temporis : « Qui fecerit. » Non enim tollit veniam peracti sceleris,

A sed in futurum minatur maledictionem. Illos autem qui prolapsi fuerant provocat ad pœnitentiam, nec ullam facit exceptionem, sed sive doctor, sive discipulus, sive popularis, sive offerens munus, id est sacerdos, una maledicti sententia feriuntur, ut nulla sit in eis diversitas, in quibus par est culpa.

« Et hoc rursum fecistis : Operiebatis lacrymis altare Domini, fletu et mugitu, ita ut ultra non respiciam ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra ; et dixistis : » Derelictæ uxores a viris Israeliticæ, et in virorum suorum toris alienas conjuges contemplantes, confugiebant ad Dei solius auxilium, prostratæ cum lacrymis et gemitu ante ejus altare, tanquam causantes, quod talia Deus fieri permitteret, cum ejus omnia regantur provi-

B dentia. Dicit ergo quod sacrificium sacerdotum, qui ista commiserunt, non possit respicere, nec aliquid de manu eorum accipere, impeditus et velut obrutus fletibus miserorum. Sed illi superbe et tanquam nihil mali se scirent fecisse, interrogant, « quam ob causam » sacrificium de eorum manibus non posset accipere; quibus respondetur : « Quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti, et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui. Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus est? Et quid unus quærit, nisi semen Dei ? » Dicens : « quamobrem dimittet homo patrem vel matrem suam, et adhærebit uxori suæ. » Tali modo est particeps tua et uxor fœderis tui, quæ de costa viri formata est, et « residuum spiritus ejus » est, id est viri, quod tanta

C inter virum et uxorem conjunctio, ut una anima videatur esse in duobus corporibus. « Et quid unus, » subaudis Deus, « quærit nisi semen Dei ? » Deus (inquit) qui tanta illos affectus necessitudine conjunxit, semen Dei quærit, ut filii Israeliticæ stirpis ex illis generentur. Cum ergo propter creationem filiorum nuptiæ sunt institutæ, et habeatis fecundas conjuges, et possitis ex illis suscipere gaudium filiorum, cur uxores pulchras quæritis, et legitimas uxores abjicitis ? Hortatur itaque nos ad pœnitentiam, dicens : « Custodite ergo spiritum vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. » Quæ primum tibi virginali matrimonio juncta est, sed perseverat tecum usque ad senectutem.

« Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus

D Israel. Operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum. » Hoc ex persona sacerdotum et Levitarum cæterorumque, qui nolebant rumpere illicita matrimonia, accipiendum est. Qui cum a propheta reprehenderentur cur hoc fecissent, respondebant : Deus præcepit in lege. Si odio habueris uxorem tuam, dimitte eam. Cur autem hoc Dominus permiserit, Salvator exponit in Evangelio interrogantibus apostolis : « Si licet homini dimittere uxorem suam? » Cum hoc doctor bonus manifeste ostendisset non debere dimitti, interrogaverunt denuo : Quid (inquiunt) Moyses præcepit ut daretur libellus repudii? Respondit Dominus : Ad duritiam cordis vestri hoc præceptum, vel permissum est

minus malum, ne majus peccatum, id est homicidium veniret. « Si quis (inquit) legitimam dimiserit uxorem, et aliam duxerit, excepta causa fornicationis, mœchatur. » Et operiet iniquitas vestimentum ejus, id est carnem, qua anima induitur sicut vestimento corpus, ut in quo peccavit, in ipso puniatur. « Custodite spiritum vestrum, et nolite despicere. » Quia (inquit) uxores non potestis sine magno peccato dimittere, custodite animas vestras, et nolite despicere uxores, si pauperes, vel si aliqua sunt fœditate deformes.

« Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis : In quo eum fecimus laborare ? In eo cum diceretis : Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent. Aut certe ubi est Deus judicii ? » Reversus populus de captivitate, cum videret cunctas per circuitum nationes, quæ idolis serviebant, ipsosque hostes et prædatores suos Chaldæos divitiis et prosperis gaudere successibus, omniaque quæ bona putantur in sæculo possidere : se vero qui veri Dei cultores erant, egestate et servitute opprimi, scandalizabatur, et dicebat non esse Dei providentiam, sed casu omnia fieri : quodque pejus est, malos dicebant placere Deo, bonos displicere. Hoc David propheta plenius exsequitur, dicens se prope dubitasse, et prolapsum fuisse, cum videret pacem peccatorum, tandemque adjecit : « Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas. » Quo morbo genus humanum laborat, et hujusmodi deplorat querimoniam.

CAPUT III.

« Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. » Hanc prophetiam de Joanne Baptista præmissam esse ipse Dominus in Evangelio exponit, dicens : « Hic est de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, et præparabit viam tuam ante te. » Sed in Evangelio Dei Patris vox est ad Filium loquentis : hic vero Christus loquitur de Joanne : Ecce ego (inquit) mittam angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam. Præmisit enim Salvator Joannem ante se in deserto prædicare baptismum pœnitentiæ. Quod vero sequitur : « Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis et angelus testamenti quem vos vultis. » Ita de se Christus Dominus, quasi de alio loqui incipit, consueto more Scripturarum. Ipse est enim dominator, qui dominatur omni creaturæ, ipse angelus Testamenti Novi, ipse quærendus et desiderandus ab omnibus, qui ab antiquis patribus semper exspectabatur. Præparante ergo Joanne in cordibus hominum viam Domino, statim venit ad templum suum, id est ad Ecclesiam suam dominator Dominus, sive ad singulorum corda fidelium, quibus loquitur Apostolus : « Templum Dei sanctum est quod estis vos. » Hebræi hoc quod dicitur : « Mitto angelum meum, » ad Eliam referunt. Quod vero sequitur : « Statim veniet ad templum dominator, » Antichristo coaptant, quem pro Christo in fine mundi sunt suscepturi. « Ecce venit, dicit Dominus exercituum, et quis poterit cogitare diem adventus ejus ? Et quis stabit ad videndum eum ? » Ille de quo supra dixit : « Statim veniet ad templum suum dominator, et angelus testamenti. » Ecce venit, nullamque faciet moram, et quis poterit cogitare cum quanta gloria et majestate venturus sit ? Si nemo potest cogitare, quis poterit ferre ? « Ipse enim quasi ignis conflans, » exurens peccatores. Ignis enim in conspectu ejus ardebit, etc. Hoc igne consumentur ligna, fenum, stipula. Nec solum erit quasi ignis, sed etiam, « et quasi herba fullonum, » quæ Hebraice dicitur borith, qua vestes nimium sordibus infectæ lavantur. Illis enim qui graviter peccaverunt, erit ignis conflans et exurens : illis vero qui levia peccata commiserunt, erit herba fullonum. Hinc per Isaiam dicitur : « Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus spiritu judicii et spiritu ardoris. » Qui enim habent sordes levium peccatorum, spiritu judicii purgabuntur; qui vero sanguine, hoc est, gravibus criminibus infecti sunt, spiritu ardoris exurentur ut purgentur.

« Et sedebit conflans et emundans argentum, » hoc est, intellectum et eloquium, ut quidquid mistum est stanno vel plumbo, camino Domini exuratur, et purum aurum argentumque remaneat. « Et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. » In filiis Levi omnes sacerdotalem intelligimus ordinem, a quibus judicium incipiet, quia scriptum est : « Tempus est ut incipiat judicium de domo Domini ; » et alibi : « A sanctuario meo incipite. » Si autem sacer ordo flammis purgandus est et colandus, quid de cæteris dicendum est, quos nullius commendat privilegium sanctitatis ?

« Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui. » Cum (inquit) filii Levi purgati fuerint, tunc placebit Domino sacrificium quod offertur pro Juda et Hierusalem, id est pro his qui Dominum confitentur factis et verbis, quique pacem ejus mente contemplantur. Quod autem sequitur : « Sicut dies sæculi et sicut anni antiqui, » hoc significat quod sicut in principio placuerunt Domino, sic post peccatum per pœnitentiam purgati placere incipiant.

« Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. » Terribile valde est, « accedam ad vos in judicio, et ero testis velox. » Ipse qui judex est, erit et testis, quia judicabit facta operum exterius; ipse testis erit latentis conscientiæ maleficis, adulteris et perjuris. Hæc crimina occulte patrata proferentur in medium. Sequuntur et illa quæ manifesta sunt : qui calumniantur mercedem mercenarii, cum dicat Dominus : « Merces mercenarii apud te omnino non maneat; » sed viduas et pupillos

calumniantur, cum dicat propheta : « Non despiciet A Dominus clamorem pupilli et viduam, cum effuderit loquelam gemitus, » etc. ; et opprimunt peregrinum, cum Dominus specialiter præcipiat : « Peregrinum et advenam non contristabis. » Altiore quoque sensu, peregrinum dicit catechumenum, qui necdum civis effectus est supernæ Hierusalem per baptismum. Nemo ergo putet levia peccata perjurium vel fraudem, aut calumniari viduam et pupillum et opprimere peregrinum, cum hoc Dominus maleficiis et adulterio conjungat, et similes se judicaturum.

« Ego enim Dominus, et non mutor. » Ne putaremus ejus mutari naturam, dum judicat, et aliquam iræ vel furoris in se suscipere passionem, cum dixisset : « Accedam in judicio, » consequenter addidit : « Et non mutor. » Ipsi enim verissime di- B ctum est : « Tu autem, Domine sabaoth, cum tranquillitate judicas. » « Et vos, filii Jacob, et non estis consumpti. A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, et non custodistis. » Vos (inquit Dominus), o filii Levi, per maleficia et adulteria cæteraque mala sæpe mutamini : ego vero, qui judex justus sum et cum tranquillitate judico omnia, nulla personarum varietate permutor. Cum ergo me severum et justum judicem fatear, vos tamen, o filii Levi, non estis consumpti, licet sitis conflati igne tribulationum, nec per flagella a malis vestris emundati. Tale est et illud quod per Jeremiam dicitur : « Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. » Nec hoc novum est aut semel a vobis commissum, ut aliquam C mereamini veniam, hæreditariam habetis impietatem a diebus patrum vestrorum, recedendo a legitimis et non custodiendo quæ præcepi. Hoc et de his qui sunt in Ecclesia constituti dici potest : et sunt filii Jacob supplantantis vitia, id est doctorum et magistrorum Ecclesiæ discipuli, qui nomine tenus in Ecclesia, sed non recedunt a vitiis, nec custodiunt præcepta Dei, falso nomen sibi Christianæ religionis assumunt. « Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. » Magna Dei clementia hortatur contemptores ut ad se redeant, et se ad illos promittit reversurum. Sed illi non intelligentes peccando se a Domino recessisse, impudenter interrogant : « In quo revertemur ? » qui nun- D quam recessimus a te. Quibus Dominus respondit :

« Si affliget homo Deum, quia vos configitis me et dixistis : In quo configimus te ? In decimis et in primitiis et in penuria, vos maledicti estis, et vos configitis me gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea, et probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cœli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, et increpabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum, et beatos vos dicent omnes gentes. Eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. » Temporibus Malachiæ (qui et Esdras esse creditur) ac Nehemiæ, fames facta est gravissima, ob quam pauperes qui erant in populo, compulsi sunt vendere filios suos et filias, sed et possessiones suas omnemque substantiam : denique dicebant, sicut in libro Esdræ legitur : « Filii et filiæ nobis multi sunt nimis, et accipiamus in pretio eorum frumentum, et comedamus et vivamus. » Alii dicebant : « Agros nostros et vineas et domos opponamus, et accipiamus frumentum in fame. » Illi vero qui habebant in horreis frumenta, nolebant Levitis reddere decimas, qui nullas habebant hæreditates, sed primitiæ et decimæ erant hæreditas eorum. Si (inquit) homo potest affigere Deum, id est fraudare, vos me fraudastis, quia ministris meis decimas et primitias non reddetis. Ego fraudem sustineo, cujus ministri Levitæ coacti penuria templum deseruerunt. Sic autem dicit se fraudari in his qui sibi serviunt, sicut se dicit visitari in his qui sunt in carcere, accipere cibum et potum in esurientibus, cæteraque quæ memorantur in sex operibus misericordiæ. Quod autem dicitur : « Si affigit homo Deum suum, » quamvis simpliciter pro defraudat vel supplantat accipi possit, tamen occultiore intellectu ad Domini passionem referri potest, ut sit sensus : Non mirum si me modo in ministris meis affigitis, et quantum in vobis est suspenditis, quia aliquando me in memetipso clavis affigetis in cruce. Quia ergo non reddetis decimas, quas per Moysen sacerdotibus et Levitis jussi dare, idcirco vos maledicti estis in fame et penuria, et propter hoc fames ista vobis superinducta est. Vos enim me, et non ministros meos, configitis gens tota ; et ut sciatis me irato vobis hoc evenisse, hortor et commoneo ut inferatis decimas in horrea templi mei, unde ministri cibum habeant. Et probate me super hoc, si non aperuero vobis cataractas cœli, hoc est, si non tantam copiam pluviarum vobis effundo, ut credantur fenestræ cœli apertæ, et effundam super vos benedictionem usque ad abundantiam. Verbo effusionis nimiam largitatem ostendit, et increpabo pro vobis devorantem, id est locustam, erucam, vel rubiginem, cæteraque quæ noxia sunt laboribus hominum, increpando, id est, nutu majestatis meæ prohibebo a vobis, et non corrumpet fructus terræ vestræ tantaque erit vestra felicitas, ut cunctæ per circuitum nationes mirentur terræ vestræ fertilitatem, et eritis terra desiderabilis, quia omnes desiderabunt in ea habitare. Quod autem de illorum decimis, hoc de Ecclesiæ populis dicere possumus, quibus præcipitur non solum ut decimas dent, sed ut etiam sua omnia pauperibus et Ecclesiæ ministris largiantur. Sed si hoc facere noluerint, saltem sicut Judæi aliquam partem sacerdotibus et pauperibus tribuant, ne iratum Deum sentiant, sed potius experiantur ejus benignissimam largitatem.

« Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus, et dixistis : Quid locuti sumus contra te ? Dixistis, Vanus est qui servit Domino, et quod emo-

lumentum, quia custodivimus præcepta ejus ? » Ut jam superius prælibatum est, populus qui reversus fuerat de captivitate, et habebat legem Dei in notitia, et videbatur observare legem, et reddere decimas, et cætera quæ in lege jubentur implere, videns cunctas per circuitum nationes rebus omnibus abundare, se vero penuria et egestate tabescere, dicebat : Quid mihi prodest quod verum Deum colo, ejus mandata custodio ? Unde Dominus per prophetam dicit : « Invaluerunt, » id est ingravata sunt « verba vestra super me. » Sed illi, non intelligentes gravissime se peccare in verbis blasphemiæ quæ contra Dominum proferebant, interrogant : « Quid locuti sumus contra te ? » Quibus respondet Dominus : « Dixistis, Vanus est quæ servit Deo, et quod emolumentum, » id est quæ utilitas, qui fructus, quæ remuneratio, quia custodimus præcepta ejus ? Hæc loquebantur, quia in præsenti tantum mercedem pro Dei volebant servitute, et idcirco nec in futuro eam merebantur invenire, nec dicebant quod ait sanctus Tobias : « Filii sanctorum sumus, et aliam vitam exspectamus. » Addunt adhuc : « Et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum ? » Est enim tristitia religionis, cum simplex quis et humilis incedit, sicut est confusio laudabilis, de qua dicitur : « Et confusio adducens gloriam. » De tali tristitia dicit Psalmista : « Tota die contristatus ingrediebar. »

« Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, » id est superbos, qui contra Deum hujuscemodi blasphemias jaculari non timent. Cur autem eos beatos vocaverit, ostendit subdens : « Siquidem ædificati sunt facientes impietatem, » id est in sæculi gloria, et post scelera prosperis omnibus perfruuntur. « Et tentaverunt Deum, » sive restiterunt Deo, præceptis ejus contraria facientes. « Et salvi facti sunt » dum suam tantum salutem putant esse felicitatem præsentis sæculi. Hæc quæ juxta litteram de Judæis dicuntur, possunt et de hæreticis et de omnibus, qui de præsentis vitæ prosperitate superbiunt, non incongrue accipi, qui in sua impietate proficiunt, et multos sui sceleris participes asciscunt.

« Tunc locuti sunt timentes Dominum, unusquisque cum proximo suo. » Sensus ille est : Blasphemantibus, et judicia Dei (quæ nonnunquam occulta, semper autem justa sunt) reprehendentibus, tunc timentes Deum ad invicem locuti sunt, subaudiendum quod retributio bonorum et malorum non semper in præsenti fiat sæculo, sed reservetur in futuro, quod homo non possit scire inscrutabilia judicia Dei, nec debeat de illius æquitate et justitia disputare. Hæc enim et hujusmodi sanctis convenit ut loquantur. Unde non dixit quid sint locuti timentes Deum, ut subintelligeremus ea locutos quæ Scripturarum vocibus continentur. Si vero secundum Septuaginta interpretes legerimus : « Hæc locuti sunt qui timent, » ironicos accipiendum, et pressa voce annuntiandum, « hæc quæ diximus locuti sunt timentes, » id est non timentes Deum, qui ne cogitare qui-
A dem talia, nedum loqui debuissent. « Et attendit Dominus, et audivit, et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum et cogitantibus nomen ejus. » Hæc justis et timentibus Dominum inter se conferentibus, attendit Dominus, et audivit, cujus auditus æterna cognitio est, cui non est aliud audire quam videre. Totus est enim auris, totus est oculus, et de toto se videt, de toto audit. Audivit ergo, id est præscivit, et ante omnia sæcula præordinavit. « Et scriptus est liber monumenti, » id est memoriæ coram eo. Liber iste æterna memoria, in qua apud Deum sancti omnes attitulati atque prædestinati sunt. De hoc libro in Apocalypsi dicitur : Libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ. Libri aperti duo sunt Testamenta, per quæ singuli
B judicandi sunt. Liber vero apertus, est memoria eorum quæ singuli gesserunt. Unde et bene in quibusdam codicibus habetur : Qui est vitæ uniuscujusque. Hic ergo liber monumenti scriptus est timentibus Deum, ut noverint quia cum dies judicii advenerit, reddendæ sunt blasphemis et impiis pœnæ et timentibus Deum præmia. De hoc libro et Dominus in Evangelio ait : « Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. » Quid quasi exponens Psalmista dicit : « In memoria æterna erit justus. »

« Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio in peculium, et parcam eis sicut parcit vir filio suo servienti sibi. Et convertemini, et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei. » Erunt (inquit)
C mihi in peculium, quia eligam eos non solum generali vocatione, qua omnes Christiani vocantur, sed etiam peculiari et propria, qua soli electi vocantur, de qua Apostolus : « Quos autem vocavit, hos et justificavit. » Qua etiam se vocatum asserit dicens : « Paulus servus Christi Jesu, vocatus apostolus. » Et parcam eis sicut pater homo filio servienti sibi, in quo duplex est affectus, pietatis in filium, servitutis in famulum. Tunc vos qui nunc blasphemantes, dicitis : « Quod emolumentum quia custodimus præcepta ejus ? » et illorum electione, et vestra repulsione cognoscetis quid inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem.

D

CAPUT IV.

« Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum. » Dies hæc, tempus judicii universalis est, quæ sanctis erit lux, peccatoribus autem tenebræ, quæ dies erit succensa quasi caminus, ut omnes impii vertantur in stipulam, et æternis dici crementur ardoribus. Cumque eos inflammaverit atque combusserit, « quæ non derelinquet eis germen et radicem. » Hoc de impiis dicitur, quid passuri sint in die judicii. Sequitur, et dicit, quid econtrario timentibus nomen Domini venturum sit.

« Et orietur vobis timentibus nomen meum sol

justitiæ, et sanitas in pennis ejus, et egrediemini, A et salietis sicut vituli de armento, et calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.» Sol justitiæ Christus, cui Deus Pater dedit judicium, quique juste omnia judicabit, et nec vitia neque virtutes latere patietur. Orietur timentibus Deum, occidet autem et obscurabitur contemnentibus et blasphemantibus eum ; unde et damnati dicent, quod scriptum est in libro Sapientiæ : « Lumen justitiæ non luxit nobis, et sol non ortus est nobis. » In hujus solis alis sanitas est, ut sanatos per pœnitentiam protegat, et ad caulas gregis sui reportet, juxta quod in Deuteronomio scriptum est : « Expandit alas suas, » etc. Tunc egredientur qui in sæculi hujus carcere clausi tenebantur, et salient quasi B vituli de armento, placentes Deo victimæ, renovati et nitidi, squalore mortalitatis abjecto. Vel, sicut alia editio dicit, vituli soluti a vinculis, a quibus liberari cupiebat Apostolus, dicens : « Cupio dissolvi et esse cum Christo. » Nec tali jucunditate contenti, calcabunt impios cum fuerint cinis sub planta pedum eorum, juxta quod Apostolus precatur : « Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. » Calcabunt autem non insultando perditioni eorum, sed justo Dei judicio concordando, et nulla ad eos compassione animum flectendo. Nam sancti in comparatione divinæ majestatis, se cinerem recognoscunt. Unde Abraham : « Loquar (inquit) ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. » At superbi, quorum princeps dicebat : « Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo, » detrahentur in lacum inferni, et erunt vere cinis sub sanctorum pedibus.

« Mementote legis Moysi servi mei, quia mandavi ei in Horeb ad omnem Israel præcepta et judicia. » Horeb mons est in Sina, ubi Moyses accepit legem digito Dei scriptam in tabulis lapideis. Cum (inquit) sciatis pro certo venturum diem judicii, quando superborum radicem et germen flamma comburet, timentibus autem orietur sol justitiæ, oportet ut recordemini legis, quam per Moysen vobis dedi, et ea quæ ibi percipiuntur opere impleatis. Sed et nobis præcipitur ut recordemur spiritualis et divinæ legis, eaque non carnaliter, sed spiritualiter impleamus. Apostolus enim dicit quia lex spiritualis est. Psalmista quoque spiritualem ostendit esse legem, dicens : « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. » Hanc spiritualem legem dedit Dominus in Horeb, qui mons interpretatur siccitas, quia lex spiritualiter intellecta omnem vitiorum excoquit humorem. Locutus est autem ad Israel præcepta et judicia, quia illis committenda sunt mysteria Scripturarum, qui mundi cordis oculis Deum videre merentur.

« Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam et percutiam terram anathemate.» Præmonito ut meminerit legis Moysi, dicit se missurum Eliam, quia in Moyse lex, in Elia significatur prophetia. Unde et transfigurato in monte Domino apparuerunt Moyses et Elias cum eo loquentes, quia tam lex quam omnis prophetarum chorus, Christi prænuntiaverunt adventum. Igitur antequam dies judicii veniat, mittet Dominus Eliam, qui interpretatur Deus meus Dominus, et est Thesbites de oppido Thesbi, quod interpretatur : conversio. Quorum? Videlicet prophetarum, qui nos quotidie ad conversionem et pœnitentiam hortantur, ut convertatur cor patrum ad filios, id est fidem quam habuit Abraham, Isaac et Jacob, et cæteri patriarchæ inspirent, et insinuent filiis propheticis lectionibus, quatenus quod illi crediderunt de Christo implendum, hi credant impletum. Sive « cor patrum, » id est mentem Dei dicit, quæ fuit in patribus, transfundat in filios adoptionis, et cor filiorum convertat ad patres, ut ex gentibus et Judæis credentes Patri, in Christo fide et religione consentiant. Nisi enim C spiritualis prophetiæ intelligentia cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum tali modo converterit, veniens Dominus percutiet terram anathemate, hoc est, æternæ maledictionis alienatione, qua dicturus est his quæ a sinistris erunt : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. » Non solum autem cœlum se dicit anathemate percussurum, id est, eos qui cœlestem habent conversationem, sed terram, id est terrena sapientes, et terrenis operibus inhiantes. Hæc de Elia diximus, secuti doctores, quanquam multi sint etiam nostrorum qui credunt eum ad litteram venturum, et restiturum omnia, ac mortis debitum persoluturum. Cæterum Dominus interrogatus de adventu Eliæ ab apostolis, respondit : D « Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum quæcunque voluerunt. » Joannem in Elia volens intelligi, unde subsecutus adjunxit : Si vultis recipere, Joannes ipse est Elias qui venturus est.

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

COMMENTARIUM IN CANTINA CANTICORUM

(Ex editione Coloniensi anni 1529.)

Salomon, inspiratus divino Spiritu, composuit hunc libellum de nuptiis Christi et Ecclesiæ, et quodammodo epithalamium fecit Christi et Ecclesiæ, id est canticum super thalamos. Unde et Cantica canticorum vocavit hunc libellum, quia omnia cantica superexcellit. Sicut enim dicitur rex regum, et Dominus dominantium, et solemnitas solemnitatum, sic dicuntur Cantica canticorum ob excellentiam et dignitatem. Est autem in hoc obscurissimus iste liber, quia nullæ ibi personæ commemorantur, et quasi comico stylo compositus est.

CAPUT PRIMUM.

« Osculetur me osculo oris sui. » Desiderantis vox est Synagogæ adventum Christi. Quasi diceret : Toties mihi adventum suum promisit per prophetas, veniat ergo jam, et osculetur me osculo oris sui, id est per se ipsum mihi loquatur. « Quia meliora sunt ubera tua vino. » Repente ad ipsum, cujus desiderio flagrabat, verba convertens, subdit : « Quia meliora sunt ubera tua, » etc. Per ubera Christi, dulcedo Evangelii intelligitur, quia eo veluti lacte nutritur infantia credentium. Vinum autem austeritatem legis significat ; sed ubera Christi meliora sunt vino, quia dulcedo Evangelii melior est austeritate legis. In lege enim nulla reservatur pœnitentia, sed præcipitur ut qui peccat occidatur : Evangelium autem dicit : « Nolo mortem peccatoris, » etc.

« Fragrantia unguentis optimis. Unguenta sunt dona Spiritus sancti, vel etiam opiniones virtutum, de quibus Apostolus : « Christi bonus odor sumus. » « Oleum effusum nomen tuum. » Nomen tuum, o Christe, effusum est. Chrisma Græce, Latine unctio, unde Christus : nomen Christi ab unctione vocatum est. Solet enim Spiritus sanctus olei nomine appellari, juxta quod Psalmista ait : « Unxit te Deus tuus oleo, » id est Spiritu sancto. Hoc oleum effusum est, quando hæc gratia, quam Christus singulariter habuit, data est omnibus electis : unde et a Christo Christiani dicuntur, participio nominis Christi. Et bene non stillatum, sed effusum oleum dicitur, quia abundanter hæc gratia omnibus data est fidem Christi recolentibus. « Ideo adolescentulæ dilexerunt te. » Adolescentulæ dicuntur animæ electorum, quia in baptismo reliquerunt sordes veteris hominis, et renovatæ sunt in Christo. Bene autem feminino genere dicuntur, quia animæ sanctorum quo majoris fragi-
A litatis sibi consciæ sunt, eo amplius Christum diligunt. Vox Ecclesiæ :

« Trahe me post te, curremus. » Hic est permutatio personæ. Nam hactenus locuta est Synagoga, hic incipit loqui Ecclesia de gentibus : « Trahe me post te, curremus. » Quia (inquit) meam infirmitatem cognosco, et video me nihil meis viribus boni posse agere, tua gratia trahe me ad tui imitationem, vel etiam, cum cœlum ascenderis, trahe me post te. « Introduxit me rex in cellaria sua. » Hic loquitur de Christo sponso suo ad animas fideles. Cellaria Dei sunt æterna beatitudo, et supernæ patriæ gaudia, in qua introducta est jam Ecclesia per fidem et spem, quandoque introducetur per rem. « Exsultabimus et lætabimur in te. » De donis (inquit) tuis exsultabimus
B et lætabimur. Sed quia scimus hoc non nostri esse meriti, in te, non in nobis exsultabimus : hoc est quod Apostolus ait : « Qui gloriatur, in Domino glorietur. » « Memores uberum tuorum super vinum, » id est, memores gratiæ tuæ et misericordiæ tuæ, qua salvati sumus. Ubera enim sunt ipsa gratia, qua salvati sumus. Recordantes etiam quia tu austeritatem legis uberibus doctrinæ evangelicæ temperare dignatus es. « Recti diligunt te. « Illi (inquit) qui recti corde sunt, diligunt te, id est, illi qui nihil suis meritis tribuunt, sed omnia tuæ gratiæ deputant. Nullus enim te diligit nisi rectus, et nullus est rectus nisi qui te diligit. Ecclesia de suis pressuris :

« Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem. » Hic
C rursus loquitur Ecclesia ad sanctas animas : Nigra sum, quia persecutiones patior, sed formosa sum virtutibus, o filiæ Hierusalem, id est animæ fideles. Nigra sum, id est, deformis persecutionibus et ærumnis quas sustineo, sed formosa sum decore virtutum. Quomodo autem nigra sit, et quomodo formosa, ostendit cum subdit : « Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. » Ita enim distinguitur : Nigra sum sicut tabernacula Cedar, formosa sicut pelles Salomonis. Cedar filius Ismaelis fuit, qui interpretatur tenebræ. Ismaelitæ vero semper in tabernaculis habitare soliti sunt, et non habent domos. Dicit ergo Ecclesia se nigram esse sicut tabernacula Cedar, propter persecutiones quas patiebatur a filiis tenebrarum, quod interpretatur Cedar. Hinc Psalmista dicit : « Habitavi cum habitantibus Cedar, » id est,
D conversatus sum inter persecutores et peccatores infidelitate nigros. Formosam vero dicit se sicut pelles,

id est tabernacula Salomonis, qui pacificus interpretatur, quoniam digna erat visitatione et consolatione sponsi sui Christi inter angustias. Et sicut tabernacula ex pellibus mortuorum fiunt animalium, ita Ecclesia, tabernaculum videlicet Dei, ex his construitur qui seipsos cum vitiis et concupiscentiis mortificant.

« Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. » O animæ fideles et devotæ Deo, « nolite me considerare quod fusca sim, » id est quod tribulationibus afficiar, quod persecutionibus opprimar, « quia decoloravit me sol, » id est persecutionis fervor meum splendorem quodammodo obfuscavit. Ac si diceret : Interiorem pulchritudinem meam cogitate, et illam attendite, non illam quam foris pati videor. Tale est quod et Apostolus dicit : Nolite deficere in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. Non enim sunt condignæ passiones, etc. Sol autem in Scripturis multos habet sensus. Aliquando significat ipsum Dei mediatorem et hominum unde scriptum est : « Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ, » id est Christus. Significat Ecclesiam sicut David dixit : « Fulgebunt justi sicut sol. » Aliquando fervorem persecutionis, sicut hic, et in Evangelio, ubi dicitur de semine quod æcidit supra petram, et orto sole exæstuavit. Quod ipse Dominus aperit exponens. Facta autem persecutione propter verbum, scandalizantur. « Filii matris meæ pugnaverunt contra me, etc., *usque*, « Non custodivi. » Unde cœperit hæc persecutio, ostendit cum subdit : « Filii matris meæ pugnaverunt, » etc. Vox est primitivæ Ecclesiæ. Synagoga mater est, cui per Prophetam dicitur : « Et vocaberis civitas fidelis et mater civitatum, filia Sion. » Hujus filii sunt Judæi, qui pugnaverunt contra Ecclesiam primitivam, quando excitaverunt persecutionem contra credentes, et omnes dispersi sunt per regiones Samariæ. « Posuerunt me custodem in vineis. » Vinea una fuit primum Ecclesia Hierosolymis, sed ob Judaicam persecutionem dispersis credentibus omnibus, multæ vineæ factæ sunt, id est multæ Ecclesiæ constructæ per universum mundum. Dicit ergo Ecclesia primitiva : « Posuerunt me (scilicet apostoli et doctores) custodem, » id est ut essem custos ecclesiarum. Unde et in Græco bene dicitur : « Disseminati sunt, » ubi nos legimus, « dispersi sunt. » Ad hoc enim divinitus dispersi sunt, ut plures Ecclesiæ fierent per universum mundum. « Vineam meam, id est unam illam Ecclesiam quæ in Hierosolymis fuit, non custodivi. Hoc non ad votum neque ad mentem est referendum, sed ad locum. « Non custodivi, » subaudis ut esset ibi ubi cœpit.

« Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. » Vox Ecclesiæ est ad sponsum suum Christum : O sponse, quem diligit anima mea, id est quem tota mentis intentione diligo, indica mihi ubi pascas, id est ubi oves tuas pascere facias ; ipse est enim pastor bonus, sicut ipse dicit in Evangelio. « Indica mihi ubi pascas et ubi cubes, » id est requiescas, et hoc in meridie, id est in fervore persecutionis vel tentationis. Laborans enim Ecclesia in A persecutionibus, obsecrat sponsum suum ut ei dicat in quorum mentibus requiescat. Nam cubare sponsi, requiescere est, sicut ipse dicit : « Super quem requiescit spiritus meus, » etc. Ne enim sancti æstu tentationis arescant, ipse in eorum cordibus cubat et requiescit atque ab omni fervore tentationum et persecutionum protegit. Quare hoc ? « Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. » Greges sodalium appellat conventicula hæreticorum, qui sodales Christi sunt, quia et ipsi greges suos pascunt. Id est sensus : O sponse, indica mihi sanctos et electos tuos, ne forte offendam et incurram in hæreticos, putans te me ibi posse invenire. Hunc versum male hæretici distinguebant, tanquam sponsa interrogaret : Ubi pascas, ubi cubes ? et ipse responderet : B In meridie cubo et in australi parte.

« Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum. » Vox sponsi ad sponsam suam Ecclesiam : Ac si diceret : Tu quereris te quasi a me derelictam, et persecutionum fervoribus denigratam, nec consideras quod pulchra sis inter mulieres, id est non attendis virtutum spiritualium pulchritudinem, qua præ cæteris decoraris, licet tentationibus denigreris. Si ignoras ergo te, id est si hanc dignitatem et formositatem tuam non recognoscis, egredere de meo consortio, et abi post vestigia gregum ; hoc est, sequere et imitare doctrinam errantium hæreticorum, qui contempto vero pastore unius gregis, multos sibi coacervaverunt greges. « Et C pasce hædos tuos, » id est peccatores et erroneos auditores juxta tabernacula pastorum, id est secundum dogmata hæreticorum. Unus enim pastor est Christus, qui unum habet gregem, id est unitatem catholicæ Ecclesiæ. Pastores vero multi sunt hæretici, qui gregem deceptorum hominum sibi aggregant quos diabolo pascunt : de quibus et Psalmista : « Sicut oves in inferno positi sunt. » Oves vocantur in hoc loco mali, non propter simplicitatem vel innocentiam, sed propter hebetudinem, quia nesciunt resistere pravæ doctrinæ, sed omnia quæ sibi imponuntur a pravis doctoribus, sustinent non bona patientia.

« Equitatui meo assimilavi te, amica mea, in cur- D ribus Pharaonis. » Equitatum suum appellat exercitum filiorum Israel, videlicet sexcenta millia, qui egressi sunt de Ægypto, et transierunt mare Rubrum. Equitatum autem suum illam multitudinem dicit, quia sicut auriga currui præest, ita Deus plebi præerat, protegens illam et defendens, et ad terram repromissionis introducens. Huic summo equitatui assimilavit amicam suam, quoniam sicut ille populus per mare Rubrum salvatus est Pharaone demerso, ita Ecclesia gentium per baptismum de diaboli servitio liberata, et ad veram repromissionis terram et evangelicam libertatem introducta est, sicque quæ erat ancilla vitiorum facta est amica Christi, emundata et abluta per baptismum a sordibus peccatorum.

« Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. » Turturis

natura est, ut si casu conjugem perdiderit, alium ultra non requirat. Turturi ergo assimilatur Ecclesia, quia ex quo Christus mundum præsentia corporali deseruit, et cœlos petiit, Ecclesia in ejus amore tenacissime perseverat, nec recipit ullum adulterinum amatorem, quia contemnit mundum, et solius sponsi sui pulchritudinem mente contemplatur. Genis autem turturis genas Ecclesiæ comparat, quia in genis maxillæ verecundia apparet; et per hoc pudor et verecundia Ecclesiæ ostenditur, quia erubescit aliquid fœdum et quod sponso suo displiceat perpetrare. Et est sensus : Noli timere ne vageris per greges sodalium meorum, quia tanto te amoris mei pudore, et tanta verecundia donavi, ut certus sim te me non posse deserere, vel ad alienos deflectere. « Collum tuum sicut monilia. » Per collum Ecclesiæ doctores sancti designantur, nam per collum cibi reficiendo corpori ministrantur. Sermones etiam, quibus arcana mentium designantur, per colli fistulam egrediuntur. Sic doctores sancti et cibum nobis salutaris doctrinæ ministrant, et etiam secreta Scripturarum nobis manifestant. Hoc ergo collum Ecclesiæ quasi monile est, quia castæ doctrinæ gemmis et virtutum ornamentis sancti doctores decorant. Monile enim ornamentum est virginum vel matronarum.

« Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. » Murenulæ juxta litteram ornamentum sunt colli virginalis et puellaris, videlicet virgulæ auri perplexæ, intermixtis nonnunquam pulchra varietate subtilissimis argenti filis, et hoc est quod dicit, « vermiculatas argento, » id est in modum vermium terrenorum, quos lumbricos dicunt, distinctas. Murenulæ autem dicuntur a similitudine piscis marini, qui murena vocatur. Mystice, murenulæ sunt perplexa Scripturarum dogmata, et diversis sanctorum Patrum sententiis inter se conjuncta. Aurum quippe claritatem significat sensus spiritalis, argentum vero nitorem eloquii designat. Murenulas ergo aureas sponsus sponsæ suæ facit, cum Christus Ecclesiam suam doctrinis sanctorum Patrum sensu et eloquio fulgentibus instruit, atque ad illorum fidem et virtutem imitandam accendit. Notandum quod pluraliter dicit :« Faciemus tibi, » quasi enim Christus se personis doctorum conjungit, per quos ipsæ murenulæ concatenantur, ut illius Ecclesia exornetur.

« Dum esset rex in accubitu suo. » Vox sponsæ regem sponsum suum Christum dicit, qui per divinitatem suam omnia regit, et etiam secundum humanitatem de regia Davidis stirpe natus est. Accubitus regis fuit incarnatio ejus. Accumbere enim est recubare vel rediscumbere. Et tunc Christus accubuit, quando pro nostra redemptione se usque ad suscipiendam naturam nostram inclinavit. Et tunc, « nardus mea odorem suum dedit, » quia virtus Ecclesiæ magis enituit. Cum enim considerat Deum pro se hominem factum, amplius ad spiritualium virtutum studium et amorem sui Conditoris accenditur. Nardus enim fragrantiam virtutum spiritualium designat. Erant quidam ante incarnationem sancti Dei. Sed sicut dictum est, sanctitas magis a tempore incarnationis Christi excrevit, et tunc quodammodo nardus Ecclesiæ, id est odor virtutum fortius dedit odorem suum. Juxta litteram, nardus herba est aromatica, crassa et fragili radice, folioque parvo et denso, cujus cacumina in aristas se spargunt. Hoc unguento Maria Magdalene pedes et caput Domini perunxisse in Evangelio legitur in domo Simonis.

« Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi : » Myrrha species est aromatica, qua mortuorum corpora condiuntur. Hoc loco passio Christi et sepultura designantur : nam depositum corpus Domini de cruce a Nicodemo et Joseph, myrrha et aloe conditum est, et involutum linteis cum aromatibus, ac sepulturæ traditum. Dicit ergo Ecclesia sponsa ejus :« Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi » factus est, quia propter me mortuus est et sepultus est. « Inter ubera mea commorabitur. » Nemo dubitat locum cordis inter ubera esse. Dicit ergo : « Inter ubera mea commorabitur. » Id est cordis mei memoria æternaliter habebitur, et nunquam tantorum ejus beneficiorum obliviscar sed sive in prosperis sive in adversis, recordabor ejus qui me dilexit, et mortuus est.

« Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. « Cyprus insula est ubi vites nobiles esse feruntur, maximos botros procreantes. Engaddi locus similiter esse fertur, habens arbusculas liquorem balsami desudantes. Loquitur ergo sponsa de resurrectione Christi sui sponsi :« Botrus Cypri dilectus meus mihi. » Ac si diceret : Sponsus meus, qui mortis amaritudinem pro me gustavit, et fasciculus mihi quasi myrrhæ fuit, in resurrectione sua factus est mihi botrus Cypri quando me gaudio suæ resurrectionis lætificavit. Vinum enim lætificat cor hominis ; et hoc in vineis Engaddi, quia ex sua resurrectione quasi suavissimo balsami odore per universum mundum redoluit, et fragrantiam suæ fidei late dispersit. Engaddi autem fons hædi interpretatur, per quod significatur baptisma, et sacrificium in quo peccata omnia abluuntur ; hædus namque peccatores significat. Baptismus ergo fons est hædi, quia peccatores suscepit sed immaculatos et mundatos ab omnibus peccatis reddit.

« Ecce tu pulchra es, amica mea. » Vox sponsi Christi ad sponsam suam Ecclesiam. Ecce tu pulchra es : » Bis eam repetit esse pulchram propter perfectionem operis et munditiam mentis. « Ecce tu pulchra es, » id est in bonis operibus perfecta es, sancte et pie et juste vivendo, secundum Apostolum. « Ecce tu pulchra es, » mundum et simplicem cordis habens intentionem, quia non propter terrena commoda vel mundi gloriam, solummodo Ecclesiis Dei placens bona operaris. « Oculi tui columbarum : » Columba simplicissima avis est, et per hanc, simplicitas atque innocentia Ecclesiæ figuratur : quasi enim oculos columbarum habet, quia ab omni fictione et simulatione se immunem custodit. Vel etiam oculos columbarum habet, quia scientiam divi-

narum Scripturarum casto et simplici intuitu intelligit, spirituales et divinos sensus in ea requirens: nam quoniam Spiritus sanctus in specie columbæ apparuit, recte doctrina cœlestis in oculis columbæ intelligitur.

« Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. » Ac si diceret: Tu quidem me pulchram in opere et cogitatione esse dicis, sed ego omnem hanc pulchritudinem a te me credo habere et cognosco. Tu enim es pulcher et decorus, tu es fons totius boni, et quidquid boni habeo, tua gratia habeo. Pulcher autem et decorus dicitur, quia et divinitatis perpetuitate, et etiam susceptæ humanitatis dignitate mirabilis est. « Lectulus noster floridus. » Lectulus est qualiscunque tranquillitas, vel requies præsentis vitæ. Nam quasi in bello est Ecclesia, dum pro Christo diversa tolerat certamina, quasi vero in lectulo requiescit, cum aliquantula pace sibi concessa fruitur. Sed hic lectulus floridus est, hoc est, varietate virtutum quasi vernantibus floribus distincta est requies Ecclesiæ. Tunc enim liberius contemplationi divinæ insistit, tunc jejunia, vigilias et cætera bonorum operum liberius exsequitur.

« Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina. » Domus Ecclesiæ sunt conventicula per totum orbem diffusa. Tigna vero et laquearia sunt ipsæ personæ fidelium, ex quibus Ecclesia constat. Sed attendendum quod tigna ad munimentum sunt domus, laquearia ad ornatum. Ideoque per tigna designantur doctores, quorum doctrina fulcitur et sustentatur Ecclesia: per laquearia vero, sancti simplicitate gaudentes, qui suis virtutibus exornant Ecclesiam, non autem doctrina muniunt. Et hoc attendendum quod laquearia tignis affixa sunt, sic et vita fidelium in Ecclesia e doctoribus pendet, quia illorum doctrina instruitur et roboratur. Bene autem tigna cedrina et laquearia cypressina dicuntur. Nam utræque arbores imputribilis naturæ sunt, sanctos designantes, qui immarcescibili desiderio flagrant amore sui Conditoris, et contemptis transitoriis ad æterna festinant. Cedrus etiam serpentes odore suo fugat, sic sancti doctores dæmones vel hæreticos fragrantia doctrinæ suæ repellunt.

CAPUT II.

« Ego flos campi et lilium convallium. » Postquam sponsa qualem domum ipsa et sponsus ejus habeant ostendit, ipse quoque sponsus de se qualis sit ostendit dicens: « Ego flos campi, » etc., videlicet quia odorem meæ virtutis per latitudinem totius mundi diffundo. Ego flos, id est Deus mundi. Sicut enim campus floribus adornatur et vernat, ita totus mundus Christi fide et notitia decoratur. Sum etiam lilium convallium, quia illis mentibus præcipue meam gratiam tribuo, quæ nullam in se spem habentes, mihi se humili devotione submittunt. Convalles significant mentes humiles, quarum lilium Christus est, quia pulchritudo humilium mentium ipse est qui dixit: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. » Potest et hoc quod dicit, « Ego sum flos campi, » ad incarnationem referri. Campus enim non aratur, non scinditur, non ullo vomere prosulcatur. Dicit ergo: « Ego sum flos campi: » id est filius virginis. Non ergo ruris, sed campi florem se vocat, quia virgineæ carnis fructus est, secundum vaticinium Isaiæ: « Egredietur Virga de radice Jesse. » Lilium convallium est idem Christus, hoc est, filius humilium parentum. Convalles enim humiles et parentes ejus significant. Veniens enim Dei Filius in mundum, non solum homo fieri dignatus est, sed etiam pauper homo pro nobis: nec divites, sed pauperes elegit habere parentes, ut particeps factus paupertatis nostræ, divitiarum et gloriæ suæ nos participes faceret.

« Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. » Videns sponsam suam ad requiem festinare, et labores fugere, ac per quietem præsentis temporis ad æternam beatitudinem tendere, se per pressuras et labores hujus sæculi illuc pervenire debere: « Sicut (inquit) lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. » Spinæ, quæ pungunt et lacerant, significant perversos quosque vel intra Ecclesiam, vel extra Ecclesiam. Et est sensus: Sic tibi vivendum est, et sic parata esse debes contra omnia adversa, sicut lilium inter spinas est et tamen florere et gratum odorem ex se emittere non cessat, sic amica mea inter filias; quia non solum ab his qui extra Ecclesiam sunt, mala pateris, verum etiam ab illis qui regenerati per baptismum in filiationem Dei venisse videntur. Et nota quod se superius sponsus lilium appellavit convallium, nunc sponsam suam dicit quasi lilium inter spinas, quia ipse qui vere est lilium, per gratiam facit Ecclesiam suam esse lilium, candidam videlicet virtutibus, vel ab omni vitiorum labe immunem.

« Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. » Nunc sponsa laudata a sponso, vicem ei reddit, et dicit qualis quoque ipse sit. « Sicut malus, » inquit, etc. Sicut malus pulchritudinem habet pomorum, et gratum odorem inter agrestia ligna silvarum, ita et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus speciali refulget gratia inter filios, id est inter electos. Ipse enim Dei Filius per naturam, reliqui electi per gratiam potestate ab unico Filio Dei ut sint filii Dei. Hinc Joannes: « Vidimus gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti a Patre. » Non qualemcunque, sed quasi Unigeniti a Patre. « Sub umbra illius quem desiderabam sedi; » quia in ejus protectione confido, et ab eo inter adversa gubernari spero. Umbra enim Christi protectio est divinitatis, quia electos tuetur et defendit. « Et fructus ejus dulcis gutturi meo; id est divinitatis contemplatio, qua me satiari confido: hoc est enim sanctorum exspectatio, hoc præmium et satietas, visio Conditoris sui. Desiderat ergo umbram Conditoris sui Ecclesia, quia protectionem illius exoptat inter præsentis vitæ adversa. « Fructus illius dulcis gutturi meo est, »

quia exspecto perfrui specie visionis illius, et satiari dulcedine charitatis illius.

« Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. » Cella vinaria est Ecclesia, in qua est vinum evangelicæ doctrinæ. In hanc ergo cellam amica sponsi introducitur, quando ex omnibus gentibus in unam Ecclesiam fideles adunantur. Ordinavit (inquit) in me charitatem. Inter omnes primatum tenet charitas, quia in ipsa subsistit Ecclesia. Charitas ergo in Ecclesia ordinatur, quia non temere nec confuse, sed ordinate tenenda est. Deus enim diligendus est super omnia toto corde, tota anima, totis viribus, omni mente. Proximus diligendus est denique sicut se unusquisque diligit. Nam confundere vult charitatem, quæ proximi charitatem Dei dilectioni præponit. De quibus Dominus in Evangelio : « Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. » Vel etiam « ordinavit in me charitatem, » id est, ipse prior me dilexit, deinde qualiter eum diligere deberem docuit. Unde ipse dicit : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. » Et Joannes dicit : « Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. »

« Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » Postquam Ecclesia vel anima Deo dilecta in se charitatem ordinatam dixit, qualiter velit requiescere, vel in quo lecto cum dilecto sponso suo pausare, ostendit dicens : « Fulcite me floribus » etc. Alloquitur animas jam perfecte divino amori inhærentes. Per flores, initia sanctæ conversationis intelliguntur : per mala vero, perfecta bonorum operum exempla. Et est sensus : O sanctæ animæ, quæ dilectioni Conditoris vestri inhæretis fulcite me bonorum operum exemplis, et qualiter in exordio virtutum vel in profectu, vel in perfectione bonorum operum vixeritis ostendite, quia amore langueo. Tunc enim anima amore Dei languet, quando ejus dilectioni nihil præponit, imo quasi ad sæcularia opera languida et imbecillis efficitur, nihilque eam delectat nisi meditatio cœlestium et contemplatio Conditoris sui.

« Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. » Cum (inquit) in tali lecto jacuero, læva ejus, id est sponsi, erit sub capite meo. Per lævam, præsentis temporis prosperitas, vel etiam dona Dei intelliguntur, quæ sanctis in præsenti conferuntur : per dexteram vero, cœlestis patriæ beatitudo accipitur. Læva ergo sponsi sub capite sponsæ, quia hæc omnia dona ad hoc percipit Ecclesia, ut per hæc discat suspirare ad æterna. Dextera vero sponsi eam amplexatur, quia tota intentio Ecclesiæ vel animæ fidelis hæc est, ut ad æternam beatitudinem quandoque perveniat, et spe sui Conditoris gaudeat. Et bene læva prius sub capite, post sponsi dextera eam amplectitur, quia ad amplexus æternæ beatitudinis non poterit pervenire, nisi hic mysteriorum cœlestium et donorum divinorum studeat esse particeps.

« Adjuro vos, filiæ Hierusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. » Vox sponsi adjurantis filias Hierusalem, id est amicas æternis desideriis intentas, et visionem pacis requirentes, ne quiescentem suam animam suscitent et inquietent. « Adjuro vos, » etc. ; hoc est, animam divinæ contemplationi deditam, orationibus vel lectionibus divinis occupatam, inquietare et ad exteriora opera suscitare ne velitis ; « donec ipsa velit, » hoc est donec, expleto contemplationis tempore, admonente corporis fragilitate, ipsa velit suscitari a somno internæ quietis et ad temporalia agenda procedere. Videamus autem per quid adjuret filias Hierusalem, per capreas videlicet cervosque camporum. Capreæ et cervi munda animalia sunt, serpentibus et venenis inimica. Significant virtutes sanctorum, quæ munditia spirituali refulgent, et venena fraudis diabolicæ non solum cavent, sed etiam insectantur, et ad nihilum redigunt. Et est sensus : Adjuro vos, filiæ Hierusalem, per virtutes vestras, quas divina gratia vobis collatas gaudetis, ut animam contemplationi meæ deditam non inquietetis, donec contemplationis hora finita, ipsa aliud quid agere velit.

« Vox dilecti mei, » vox Ecclesiæ. « Vox dilecti mei, » subaudis hæc est. Lætabunda enim Ecclesia quod tantum diligatur a sponso, ut etiam filias Hierusalem pro illa adjuret, ut non eam requiescentem inquietent, dicit : Hæc est vox dilecti mei pro me loquentis. Quem desiderans videre dilectum, sed non valens, annectit : « Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. » Montes et colles intelliguntur perfecti quique sanctæ conversationis, sublimiter a terrenis sublevati, et quasi camporum planitiem melioris vitæ meritis excedentes. De his montibus Isaias dicit : « Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et elevabitur super colles. » Loquitur ergo sponsa de dilecto suo : « Ecce iste venit saliens in montibus, et transiliens colles ; » hoc est, etiam secundum humanitatem omnium sanctorum excellentiam, omnem contemplationis divinæ puritatem excedens. Nec stare in montibus, sed transilire dicitur, quia etsi ad horam per internam inspirationem cor sanctorum visitat, subito tamen recedit, ut eos in sui dilectionem accendat. Potest etiam ad incarnationem Christi referri, qui veniens quosdam saltus dedit, quia de cœlo venit in uterum Virginis, de utero Virginis in præsepe, de præsepi in baptismum, de baptismo in crucem, de cruce ad sepulcrum, de sepulcro ad cœlum. Hinc Psalmista : « Exsultavit ut gigas ad currendum, » etc.

« Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum. » Capreæ et cervi, quamvis in sua natura multa habeant quæ allegoricis sensibus conveniant, hoc habent tamen singulare, quod in planioribus non morantur, sed in arduis et excelsis locis quosdam saltus dare solent. Recte ergo his assimilatur Christus, propter subtilem contemplationem, et quia nullo intellectu divinitatis ejus majestas comprehendi potest. Non autem cervis, sed capreis assimilatur, mi-

noribus videlicet animantibus, propter humilitatem incarnationis suæ, quia non solum homo fieri, sed humilis homo fieri dignatus est. Hinnulo autem cervorum similis dicitur, quia secundum humanitatem de cervis, hoc est, de patriarchis duxit originem; vel etiam propter varietatem virtutum et innocentiam, hinnulo cervorum comparatur. « En ipse stat post parietem nostrum.» Paries, mortalis nostra conditio appellatur, quia quodammodo inter nos et Deum quasi crassus quidam paries constitutus, non permittit nos ejus contemplatione perfrui. Namque primus homo ita conditus est, ut visione et alloquio Dei frueretur; sed postquam peccavit, appositus est quidam paries, ipsa videlicet mortalitas, qua prægravamur. Nam (ut Sapiens dicit) « corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. » Sponsum ergo suum, quem superius capreis vel hinnulis cervorum comparavit, nunc dicit post suum parietem stare, quia Christus aliquando vicinus fit, cum se quantum humana mens capere potest, contemplari permittit; aliquando vero elongatur, et quasi caprea vel cervus quibusdam saltibus effugit. Quia ergo paries oppositus erat inter nos et ipsum, nec videre illum poteramus, dignatus est in ipso pariete facere fenestras et cancellos, per quos utcunque sentiri utcunque perspici possit. Unde et sequitur: « respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. » Quasi enim fenestræ et cancelli in pariete fiunt, cum ipse sua gratia se contemplari permittit, licet in speculo et ænigmate. Potest et hoc quod dicit, « Ipse stat post parietem nostrum, » ad humanitatem ejus referri; quasi enim post parietem nostrum stetit, cum carnem nostram sibi apposuit, in qua divinitas ejus latuit. Quod vero sequitur: « respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, » hoc ad divinitatem ejus refertur. Ille enim qui per fenestras vel cancellos intuetur, cuncta quæ foris aguntur videt, et ipse a nemine videtur, et omnia scrutatur, ipse investigari et comprehendi non potest.

« Et dilectus meus loquitur mihi, » ad prædicandum hortatur me, dicens : « Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. » Vox sponsi ad publicæ operationis studia provocantis. « Surge, propera, amica mea, » per fidem et dilectionem ; « columba mea, » per innocentiam et simplicitatem ; « formosa » per virtutum pulchritudinem, festina « et veni.» Ac si diceret : Surge de strato tuo illo dulcissimo, hoc est de quiete, in qua soli mihi placere in psalmis, hymnis et orationibus desideras, festina « et veni, » id est festina utilitatem proximorum, ut illos quoque per prædicationis officium et bonorum operum exemplo tui imitatores facias, et ad salutem perducas. Et notandum quod superius filias Hierusalem adjurabat ne excitarent neque evigilare facerent dilectam : hic vero ipse eam suscitat et surgere ad laborem hortatur, quia omnia tempus habent, et omni rei tempus est sub cœlo, tempus contemplationis, tempus etiam actionis. Alio enim tempore debent sancti prædicatores divinæ contemplationi insistere, et mentem suam cœlesti quiete oblectari ; alio vero tempore per charitatem debent curam proximorum agere, et eis bonorum operum exempla præbere, ac divinæ contemplationis doctrinam impendere.

« Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. » Hiemis et imbris nomine, asperitas infidelitatis exprimitur, quæ totum mundum tenebat usque ad adventum Christi. Dicit ergo sponsus : » Surge, amica mea, et veni, quia hiems transiit, » sole justitiæ apparente, et imber infidelitatis recessit, ac serenitas veræ fidei in mundum resplenduit. Tale est quod Apostolus ait: « Nox præcessit, dies autem appropinquavit. »

« Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit. » Finita hieme et imbre flores apparuerunt, decor videlicet virtutum et pudicitiæ, et transeunte asperitate infidelitatis, verna fidei successit temperies. « Tempus putationis venit, » hoc est purgationis sanctorum. Putatio enim vinearum sanctorum significat purgationem, quæ in Christo et per Christum est; de quo ipse : « Ego sum vitis, vos palmites. » « Vox turturis audita est in terra nostra. » Hoc est vox prædicantium apostolorum. Turtur enim avis est ; et quoniam in excelsis semper arboribus morari solet et nidificare, apostolos vel cæteros doctores significat, qui possunt dicere : « Nostra conversatio in cœlis est. » Quod etiam gemitum pro cantu habet, sanctorum ploratum significat, qui suos ad fletum et lamenta hortantur, dicentes : « Miseri estote et lugete, » vel, « luctus vester in gaudium convertetur. » Vox turturis audita est in terra nostra ; id est vox prædicantium apostolorum in terra nostra, hoc est in Ecclesia. De qua Psalmista: « Domini est terra et plenitudo ejus. »

« Ficus protulit grossos suos.» Ficus Synagogam significat, grossi autem dicuntur primitivæ et immaturæ ficus, inhabiles ad edendum, qui ad pulsum venti facile cadunt. Voce turturis insonante, ficus protulit grossos suos, quia apostolis prædicantibus emerserunt multi de Synagoga Judæorum, qui in Christum crederent, et tamen legem carnaliter observare vellent, magisque auctoritate legis delectarentur quam dulcedine Evangelii, volentes circumcisionem, sabbatum et alia legis præcepta juxta litteram observare. De quibus Apostolus dicit : Æmulantur vos non bene sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. « Vineæ florentes dederunt odorem. » Postquam vox turturis audita est, postquam ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem ; quia multitudo Ecclesiarum per latitudinem orbis diffusa est, quæ flores virtutum et odorem bonæ opinionis late de se spargerent, « Surge, propera, amica mea, speciosa mea, et veni. » Noli (inquit), sponsa mea, quam mihi per fidem et dilectionem amicam feci, otioso tempore lentescere, sed surge et veni, et exempla virtutum foris proximis ostende.

« Columba mea, in foraminibus petræ. » Si petra est Christus, juxta quod Apostolus ait, « Petra autem erat Christus, » foramina petræ sunt vulnera quæ pro salute nostra in cruce suscepit, fixuræ videlicet clavorum et lanceæ percussura. In his ergo foraminibus columba, id est Ecclesia, moratur, quia totam spem salutis suæ in passione sui Redemptoris constituit. Ibi ab insidiis malignorum spirituum quasi a raptu accipitris secura delitescit, ibi nidificat, id est fetus bonorum operum congerit. « In caverna maceriæ. » Maceriæ ex siccis lapidibus ad munimenta vinearum solent fieri, ad repellendas vulpes vel cæteras nocivas bestiolas. Per maceriam ergo significatur cœlestium custodia virtutum, angelicum videlicet præsidium, sicut Isaias de Domini vinea ait : « Et maceriam circumdedit et circumfodit vineam. » In caverna ergo maceriæ moratur, quia præsidio angelorum undique circumdatur, et a tentationibus diaboli custoditur. « Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, quia vox tua dulcis, et facies tua decora. » Tu (inquit) dilecta mea, quæ in lecto contemplationis dulcissime quiescis, veni et ostende mihi faciem tuam : id est a secreto quietis egredere ad publicam actionem, et pulchritudinem bonorum operum tuorum aliis ad exemplum demonstra. « Ostende mihi » dicit : quasi enim Deo faciem suam ostendit Ecclesia, cum proximis ad utilitatem et profectum per virtutum opera, quantam intrinsecus habeat pulchritudinem, demonstrat. Hoc est quod Dominus dicit in Evangelio, « Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. » « Sonet vox tua in auribus meis. » Vox videlicet prædicationis vel divinæ laudis, qua alios facias proficere. In auribus enim Domini vox Ecclesiæ sonat, cum per prædicationem ex multorum conversione delectatur Deus. Bene autem dicit : « Ostende mihi faciem tuam, » et vox tua non aliena; tuam videlicet faciem mihi ostende, quam in baptismo tibi dedi, quando mundavi te ab omni peccato. « Vox tua, dicit, in auribus meis sonet, » ut ex sincera intentione dilectionis meæ procedat, ut non propter aliud prædices nisi propter me.

« Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit. » Vox sponsi præcipientis sponsæ suæ et filiabus Hierusalem, sanctis videlicet doctoribus vel animabus fidelibus. « Capite (inquit) nobis vulpes parvulas. » Vulpes est dolosum animal et fraudulentum, in cavernis et specubus habitans, nec recto, sed tortuoso incedens itinere : ideoque designat hæreticos vel schismaticos, qui demoliuntur vineas, hoc est Ecclesiam Dei, plebem videlicet fidelium, lacerare et decipere non cessant. Præcipit ergo ut parvulas vulpes capiant, id est, ut hæreticam pravitatem in ipso initio debellare et destruere non cessent, ne robusta facta fortius impugnet. « Nam vinea nostra floruit, » id est Ecclesia per universum mundum flores virtutum emisit. Et nota quia cum superius vineas pluraliter dixerit, modo dicit singulariter, « vinea nostra floruit, » quia ex multis Ecclesiis una est electa Ecclesia.

« Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. » Vox sponsæ, « dilectus meus mihi, » subaudi societur vinculo charitatis et amoris, et ego illi conjungar et consocier vicissitudine mutuæ dilectionis. Et « dilectus meus, » subaudis det verba exhortationis et divinæ promissionis, « et ego, » subaudis ostendam illi faciem meam. Vel etiam dilectus meus dignetur mihi conjungi glutino charitatis, et ego illi conjungar vinculo dignæ obedientiæ, obtemperans præceptis ejus qui pascitur inter lilia, hoc est delectatur et jucundatur inter candidas et odoriferas virtutes sanctorum. Et notandum quod superius « lilium » singulariter dicitur, hic vero pluraliter « lilia, » quia multæ sunt virtutes sanctorum, una tamen fides est et una charitas, quibus præcipue Deus delectatur. Sive etiam, « pascitur inter lilia, » hoc est suavissime delectatur inter virgineos choros. Candor enim liliorum recte munditiæ virginali comparatur. « Donec aspiret dies, » hoc est donec transeant nubila præsentis vitæ, et appareat dies, hoc est veniat claritas sempiternæ beatitudinis. Et est sensus, Dilectus meus mihi præstat auxilium, et ego illi dignam præbeo obedientiam, qui virtutibus sanctorum delectatur, quousque transcursa nocte præsentis vitæ, in qua per speculum et ænigma cernitur, appareat dies supernæ claritatis, ut facie ad faciem videatur.

« Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ aut hinnulo cervorum super montes Bethel. » Vox Ecclesiæ sponsi sui speciem desiderantis. O dilecte mi, qui de lecto meo me surgere præcipis, et ut tibi faciem meam ostendam hortaris, revertere, hoc est claritatem divinitatis tuæ me speculari permitte, et hoc quod mihi perfecte promittis in alia vita, beatitudinem videlicet tuam, in hac adhuc peregrinatione me saltem in figura et ænigmate habere permitte. « Similis esto capreæ aut hinnulo cervorum super montes Bethel. » Jam dictum est superius quod capreæ campos despiciunt, et ad alta montium enituntur. Christus ergo capreis comparatur, quia secundum carnem resurgens a mortuis, cœlorum alta petiit ; hinnulus vero cervorum vocatur, hoc est filius antiquorum patrum. Cervi enim sunt patriarchæ et prophetæ, de quibus Christus carnis duxit originem. Fertur hinnulus hanc habere naturam, ut fervente sole opaca et umbrosa loca requirat, in quibus ab æstu protegatur ; sic et Christus in eorum mentibus requiescit, qui rore Spiritus sancti ab æstibus carnalium voluptatum temperantur. Ac si diceret. O dilecte, revertere, hoc est sæpius me tua visitatione illustrando lætifica, qui per carnem quam assumpsisti, jam cœlorum sublimia penetrasti. Montes autem Bethel mentes sanctorum significant, a terrenis per superna desideria elevatas. Nam Bethel domus consurgens, vel domus vigiliarum, vigiles mentes sanctorum significat, quæ ad desideranda superna consurgunt, et ad ea percipienda invigilant,

habentes in se Deum habitatorem, qui dicit per Prophetam : « Inhabitabo in illis et inambulabo. » Super ergo montes Bethel dilectus similis est capreæ vel hinnulo cervorum, quia illas visitare dignatur quæ Domus Dei esse student.

CAPUT III.

« In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi illum, et non inveni. » Vox Ecclesiæ de gentibus congregatæ In lectulo inquit) meo cum adhuc in infidelitatis et ignorantiæ tenebris posita essem, quæsivi quem diligit anima mea. Multi enim philosophorum Deum ignorantes, studio tamen summo illum requirebant, per creaturam Creatorem cognoscere volentes; sicut Pilato, qui in Timæo multa de anima disputavit, et sicut Aristoteles, Socrates et cæteri, qui omne vitæ suæ tempus in studiis exquirendæ veritatis expendebant. « Quæsivi illum, et non inveni. » Non enim per mundanam sapientiam Deus cognosci potuit.

« Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea. Quæsivi illum, et non inveni. » Exsurgam inde de strato corporis et carnalis delectationis, et circuibo civitatem hujus mundi, maria ac terras paragrando. « Per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea, » hoc est, per lata itinera gradientes hujus sæculi, et suis voluptatibus deditos aspiciam, si forte in illis dilecti mei vestigia aspiciam. Hoc cum de multis dici possit, præcipue tamen in illo eunucho impletum est qui a finibus terræ venit Deum cœli Hierosolymis adorare, quem Philippus invenit, eique Christum in prophetia Isaiæ ostendit. Hoc quoque in Cornelio adimpletum est, qui adhuc paganus et ignorans Deum, eleemosynas faciebat, et orationibus vacabat, quem Petrus cum domo sua baptizavit. Et erat adhuc difficultas inventionis, et dicit : « Quæsivi, et non inveni. »

« Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. » Vigiles sunt sancti et cæteri doctores Ecclesiæ, qui civitatem, id est sanctam Ecclesiam, custodiunt, et ab insidiis infidelium hostium defendunt. Quos interrogat. « Num quem diligit anima mea vidistis? » Quasi vigiles Ecclesia interrogat, cum intenta aure eorum prædicationem percipit.

« Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. » Pertransire vigiles est eorum dicta et doctrinam diligenter perscrutari. Solemus namque dicere : Transcurri librum legens, vel pertransivi. Cum inquit) pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea Quia cum sollicita meditatione dicta vel scripta sanctorum requirimus, statim dilectum invenimus, quia Dominum in eorum dogmate reperimus. Potest et sic intelligi : Cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, hoc est, cum intellixissem Christum omnem sublimitatem et gratiam superare, tunc inveni quem diligit anima mea, hoc est, tunc vere intellexi quantum ipse a cæterorum sanctorum meritis distet. « Tenui

A eum, nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ et in cubiculum genitricis meæ; » hoc est, ardentissima fide et devotione illi inhæsi. « Nec dimittam, » sed in ejus amore et fide perseverabo, » donec introducam eum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ ; hoc est, donec illum Synagogæ, quæ est mater mea spiritualiter, prædicem, et eam quoque ad ejus fidem perducam. Hoc fiet in die judicii, quando (ut ait Apostolus) « plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus fiet. » Tantum ergo sibi de charitate sponsi sui Ecclesia promittit, ut etiam se credat Synagogam posse convertere. Quod autem dicit, « Donec introducam illum, » non est putandum quod tunc relictura sit illum, cum in cubiculum matris
B introduxerit, sed *Donec* pro sempiterno ponitur, id est semper illi inhærebo, semper in ejus fide et dilectione perseverabo. Tale est in psalmo : Ita « oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri. » Nunquid postquam nostri misertus fuerit, non erunt oculi ad eum? Utique erunt.

« Adjuro vos, filiæ Hierusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. » Bis repetitur iste versiculus : nam jam superius dictum est, sed supra ad Ecclesiam primitivam de Judæis collectam pertinet, hic vero ad Ecclesiam de gentibus congregatam, et amoris vinculo Christo copulatam. Una enim eademque cura est Deo de sanctis, qui vel in circumcisione, vel etiam tempore baptismatis, coru-
C scante gratia Evangelii, illi placuerunt. Quia vero iste versiculus superius expositus est, jam videndum est quare veluti dormientem inducat Ecclesiam, unde et adjurat filias Hierusalem, ne eam excitent, cum paulo superius non dormientem vel quiescentem sed studio laboriosissimæ inquisitionis insistentem, quia sponsum inquirebat, introducat. Si ergo requirebat sponsum, quomodo requiescebat? Sed dulcissimus et suavissimus somnus est Christum quærere. Dormit ergo Ecclesia, et Christum quærit, dormit videlicet a desideriis terrenis, ab actibus sæculi, vigilat autem et requirit sponsum, quia ejus contemplationi inhæret, eum solum desiderat, ad illum pervenire contendit. Adjurat ergo sponsus filias Hierusalem, animas videlicet desideriis supernæ pa-
D triæ inhærentes, ne illam excitent ab hoc somno suavissimæ quietis et contemplationis donec ipsa velit somnus autem merito mors appellatur, quia sicut dormiens a visibilibus oculos claudit, et invisibilia contemplatur, ita is qui divinæ contemplationi insistit, quasi alienus est et dormit exterioribus, sola spiritualia et cœlestia videt. Nec mirum si amor somnus vocatur, cum in sequentibus mors amor appelletur : « Fortis est ut mors dilectio. » Cum autem dicit : « Donec ipsa velit, » ostendit Ecclesiam de gentibus voluntarie se præparaturam et ad labores et persecutiones pro Christo perferendas.

« Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et uni-

versi pulveris pigmentarii ? » Vox filiarum Hierusalem, id est sanctorum primitivæ Ecclesiæ admirantium pulchritudinem Ecclesiæ de gentibus congregatæ. « Quæ est (inquiunt) ista ? » Quæ, id est qualis. Quanta laude et admiratione digna, quæ non circumcisione mundata, nec adhuc baptismo sanctificata, jam currit ad Deum ? « Ascendit (inquit) per desertum. » Hoc dicitur ad imitationem priscæ plebis Judaicæ, quæ liberata de Ægyptia servitute, per desertum mari Rubro transito, venit ad terram repromissionis. Sic et Ecclesia per desertum nationum ascendebat, jam de Ægypto (hoc est, de confusione idololatriæ) liberata, et Pharaone, id est diabolo submerso, ut cœlesti manna pasceretur, et veram terram repromissionis ingrederetur. « Ascendit (inquit) » ad montes virtutum, vel etiam ad ipsum virtutibus sublevata, qui in psalmo dicit : « Levavi oculos meos in montes, » etc., et alibi : « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. » Montes ipsi sunt patriarchæ, prophetæ, apostoli et cæteri sancti Dei, qui merito virtutum appellantur montes. Primo enim ad montes, id est ad sanctos sublevat oculos Ecclesia vel anima fidelis, quia illorum doctrinam actusque considerat, illorum exemplo et intercessione muniri gaudet. Postea proficiens, ad ipsum quoque qui fecit montes, audet cordis aspectum dirigere, et dicit : « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis, » id est gratanter requiescis in sanctis. « Sicut (inquit) virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris. » Fumus ex igne nascitur, et mox altiora aeris expetit, donec aspectibus intuentium subtrahatur. Fumus igitur significat sanctum desiderium igne divini amoris perfusum. Nec absurde fumi comparantur virgulæ, quia sancta Ecclesia vel anima Deum amans, gracilis est et delicata, disciplinis Spiritus sancti attenuata, non habens grossitudinem carnalium desideriorum. Sive virgulæ fumi non sparso fumo comparantur, propter unitatem Ecclesiæ, quæ in Christo unum est. Unde vero esset ille fumus, ostendit cum subdit : « Myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii. » Myrrha condiuntur mortuorum corpora, thus vero adoletur in sacrificio Dei : ideoque per myrrham carnis mortificatio designatur, per thus munditia orationum exprimitur. Virgulæ ergo fumi, myrrhæ et thuris Ecclesia assimilatur, quia sancti mortificatione carnis suæ, et orationibus mundo ac simplici corde perfusis, Deo placere stupent. « Et universi (inquit) pulveris pigmentarii. » id est congerie omnium virtutum. Non autem integra fuisse aromata, sed in pulverem redacta dicuntur, quia sanctorum actiones magna discretione considerandæ sunt, et tanquam cribro subtilissimo considerationis eventilandæ, ne quid forte in illis aut inconveniens existat, aut per ipsas virtutes adversarius milleformis surripiat, qui callidus per bona etiam consuevit nocere.

« En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. Uniuscujusque ensis super femur suum. » Quo hæc dilecta ascenderit, ostenditur cum subditur : « En lectulum Salomonis, » etc. Lectus Salomonis, quamvis superna illius cœlestis beatitudinis requies accipi possit, in qua Deus cum suis sanctis requiescit, probabilius tamen præsens accipitur, in qua sancti Dei sopitis tumultibus vitiorum, amplexu Salomonis, id est veri pacifici delectantur. Unde et Psalmista de Christo dicit : « Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion. » Lectulum ergo Salomonis, id est Ecclesiam Christi, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Per sexaginta fortes, ordo electorum intelligitur, qui vel prædicando Ecclesiam muniunt, vel contemplando ad illam supernam beatitudinem pervenire desiderant. Sexagenarius autem numerus ex senario et denario constat. Sexies enim deni, vel decies seni, sexaginta fiunt. Senarius vero perfectionem significat operis, quia sex diebus perfecit Deus opera sua : denarius vero remunerationem et præmium, quod in fine electis dabitur. Unde et hi qui in vineam venerunt, denarium leguntur accepisse. Sexaginta ergo fortes significant (ut dictum est) sanctos doctores, fortes et animo constantes. Additur vero : « Ex fortissimis Israel. » Omnes in Christum credentes, et Christum diligentes, Israel (id est, vir videns Deum) appellantur. Fortissimi vero Israel sunt qui Ecclesiam tueri prædicando, et ab incursibus dæmonum vel impugnatione hæreticorum defendere noverunt. Hi ergo ambiunt lectulum Salomonis, quia illis commissa est Ecclesia, et ab illis vigilanti cura est custodienda. « Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi; » tenent enim gladium spiritualem verbi Dei, de quo Apostolus : « Et galeam (inquit) salutis assumite, et gladium Spiritus, quod est verbum Dei. » Ad bella vero sunt doctissimi, quia necesse est ut spiritualis prælii arte instructi sint qui adversus principatus et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus bella gerunt. Versutissimus enim ille est hostis, et tanta subtilitate spiritualis naturæ, qui etiam temporis longævitate doctissimus, contra quem sancti bella suscipiunt. « Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. » Per femur propagatio sobolis accipitur. Super femur ergo enses habent, quia timore Dei omnes comprimuntur, et coercent motus carnalis voluptatis. Et hoc « propter timores nocturnos, » id est propter occultas insidias maligni hostis, qui in nocte hujus sæculi sanctis maxime qui in Ecclesia præeminent, insidiatur, ut illis deceptis lectulum Salomonis, id est requiem sanctorum, fœdare possit. Et notandum quod superius tenere gladios dicuntur, hic vero super femur ensem habere. Gladios enim tenent, ut adversariis resistant, hæreticos et omnes sanæ fidei contradicentes confodiant. Super femur ergo enses habent, ut suimet curam gerant, ut fluxus carnalium voluptatum reprimant, ne aliis prædicantes ipsi reprobi efficiantur.

« Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. » Quod superius per lectum Salomonis, hoc

nunc designatur per ferculum, sancta videlicet Ecclesia, in qua velut in lecto requiescunt sancti Dei, et velut in lecto discumbunt ad epulas æternæ satietatis. De lignis Libani fecit Salomon ferculum. Libanus mons est Phœnicis, cujus arbores et proceritate et pulchritudine et durabilitate cæteris præeminent, ideoque significant sanctos virtutum spe fulgentes et ad æterna festinantes. Libanus enim candidatio interpretatur, ut dealbatio. Ligna ergo Libani sunt sancti candidati et dealbati in baptismo, et exornati omni virtutum pulchritudine.

« Columnas ejus fecit argenteas. » Per columnas doctores ejusdem Ecclesiæ significantur, qui eam verbo et exemplo sustinent ac roborant. Unde in Actibus apostolorum : « Jacobus, et Joannes, et Cephas, qui videbantur columnæ esse. » Hæ columnæ sunt argenteæ, quia nitore cœlestis eloquii refulgent. « Eloquia enim Domini casta, » etc. « Reclinatorium aureum, ascensum purpureum. » Per reclinatorium aureum, requies æterna accipitur, quæ sanctis in Ecclesia repromittitur, ad quam tamen ascensus est purpureus. Purpureus ascensus est passio Christi, quia purpura colorem sanguinis imitatur. Ascensu ergo purpureo ad reclinatorium pervenitur, quia illi ad æternarum epularum discubitum et ad supernæ quietis requiem veniunt, qui in præsenti passionem Redemptoris sui digne venerari et imitari satagunt. « Media charitate constravit propter filias Hierusalem. » Media charitate constravit, quia omnibus fidelibus suam charitatem Christus commendavit, patiendo pro nobis, et requiem nobis præparando, juxta quod Apostolus dicit : Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, pro nobis Filium suum in mortem tradidit. Aliter : Pro columnas argenteas, apostoli et apostolici viri designantur ; per reclinatorium aureum, doctorum ordo, qui cum ineffabilia æternæ vitæ repromittunt, utique nos suaviter requiescere faciunt. Et hoc reclinatorium bene aureum dicitur, quia ineffabile est illud præmium quod sancti exspectant. In rebus enim caducis nihil pretiosius est auro. Per ascensum vero purpureum, ordo signatur martyrum, qui passionem Christi imitati, pro illo suum sanguinem fuderunt. Sed quid nos faciemus, dicit beatus Gregorius, qui nullius meriti sumus? Non inter doctores, non inter martyres locum nos habere videmur. Sequitur : « Media charitate constravit. » Habeamus ergo charitatem, quia media hujus ferculi constrata sunt, quæ et idcirco latum mandatum vocatur, quia omnibus suis observatoribus æternam salutem parat. Hanc efficaciter teneamus, et per hanc salvabimur. Et hoc propter filias Hierusalem, hoc est, propter animas simplices, et nullius sibi virtutis conscias, quæ quanto magis fragilitatis sibi sunt consciæ, tanto amplius Salvatorem et Redemptorem suum diligere satagunt.

« Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsionis illius et in die lætitiæ cordis ejus. Vox Ecclesiæ invitantis animas fidelium ad intuendum quam mirabilis et speciosus sit sponsus ejus. Filiæ namque Sion Ecclesiæ sunt, quæ et filiæ sunt Hierusalem, sanctæ videlicet animæ supernæ illius civitatis cives, quæ et perpetua cum angelis pace fruuntur, et per contemplationem gloriam Domini speculantur. Egredimini (inquit) o filiæ Sion, hoc est exite de turbulenta hujus sæculi conversatione, ut mente expedita eum quem diligitis contemplari possitis. Et videte (inquit) regem Salomonem, hoc est, verum pacificum Christum, « in diademate quo coronavit eum mater sua. » Ac si diceret : Considerate Christum pro vobis carne indutum, quam carnem de carne Virginis matris suæ assumpsit. Diadema namque vocat carnem, quam Christus assumpsit pro nobis, in qua mortuus destruxit imperium mortis, in qua etiam resurgendi nobis spem contulit. De hoc diademate Apostolus ait : Videmus Jesum per passionem gloria et honore coronatum. Mater vero sua eum coronasse dicitur, quia virgo Maria illi de sua carnis materiem præbuit. « In die desponsionis ejus, » hoc est, in tempore incarnationis, quando sibi Ecclesiam conjunxit non habentem maculam aut rugam, vel quando Deus homini conjunctus est. « Et in die lætitiæ cordis ejus. » Lætitia enim et gaudium Christi, salus et redemptio humani generis est, juxta quod in Evangelio multos ad fidem suam cernens confluere, in illa (inquit evangelista) hora exsultavit, et dixit : « Confiteor tibi, Pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » Et in Evangelica parabola inventa ove, convocavit amicos, dicens : « Congratulamini mihi. » Potest hoc et simpliciter totum ad passionem Christi referri juxta litteram. Prævidens etiam Salomon in spiritu passionem Christi, longe ante præmonebat filiam Sion, id est plebem Israeliticam, « Egredimini, » inquiens, « et videte regem Salomonem, » id est Christum, « in diademate, » id est in spinea corona, « quo coronavit eum mater sua, » Synagoga, « in die desponsionis ejus, » quando videlicet sibi conjunxit Ecclesiam ; « et in die lætitiæ cordis ejus, » quo gaudebat per suam passionem redimi mundum de diabolica potestate. Egredimini ergo, hoc est, exite de tenebris infidelitatis, et videte, (hoc est, mente intelligite) quia ille qui ut homo patitur, verus est Deus : vel etiam egredimini extra portam civitatis vestræ, ut eum in Golgotha monte crucifixum videatis.

CAPUT IV.

« Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es et decora. » Vox Christi. Bis repetit, « quam pulchra es, » in opere videlicet et prædicatione. In opere, quia nihil fœdum nihil oculis meis indignum agis ; in prædicatione, quia ad considerandum incarnationis meæ mysterium, etiam sodales tuas Hierusalem invitare non cessas. « Oculi tui columbarum. » Per oculos intelligitur acumen sensuum spiritualium,

quibus divina et sempiterna contemplatur Ecclesia. Columbæ autem oculi Ecclesiæ comparantur propter spiritualem gratiam, quia Spiritus sanctus in specie columbæ apparuit. Sequitur : « Absque eo quod intrinsecus latet ; » id est absque supernæ illius retributionis gloria quam in fine sæculi es perceptura, quam etsi in præsenti per fidem contempleris, latet tamen intrinsecus : nec enim in præsenti videri potest, sed in futuro perficietur. « Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. » Per capillos Ecclesiæ, subtiles Ecclesiæ cogitationes accipiuntur, quibus temporalia plerumque disponuntur. Comparantur vero gregibus caprarum, quia hæc animalia munda sunt, et in rupibus sive in excelsis locis resupina pascuntur, quia cogitationes sanctorum etsi pro corporali necessitate in temporalibus fiunt, tamen ab æternorum intentione non discedunt, et in ipsa etiam cura, quam necessitati corporeæ impendunt, quasi cœlum semper intuentur. Possumus etiam per oculos, doctores Ecclesiæ et prædicatores accipere, qui in corpore, cui caput Christus est, summum locum tenent, et cœlestia ac spiritualia præ cæteris membris vident. Per capillos vero, innumeram multitudinem simplicium fidelium, in laicali ordine constitutorum, qui etsi minus vident spiritualia, sua tamen multitudine et numerositate magnum decus præstant Ecclesiæ. Et bene gregibus comparantur caprarum. Capra peccatoribus convenit, per quod plebes fidelium actionibus sæculi deditæ, quæ sine peccato agi non possunt, intelliguntur. Bene autem sequitur : « Quæ ascenderunt de monte Galaad » Galaad acervus testimonii interpretatur juxta litteram, ideo quia cum Jacob rediret de Mesopotamia, persecutus est eum Laban, et die tertia reperit eum, ibique in testimonium mutui fœderis acervum lapidum erexerunt. Mystice, acervus testimonii Christus est, in quo multitudo consistit omnium sanctorum, qui sunt lapides vivi, adhærentes illi vero lapidi de quo Petrus dicit : « Ad quem accedentes lapidem vivum, et ipse tanquam lapides vivi superædificamini. » Greges ergo caprarum de monte Galaad ascenderunt, quia sanctorum multitudines ad excelsa virtutum conscendunt, et Christi doctrinam ac præcepta in omnibus sequi satagunt.

« Dentes tui sicut greges tonsarum ovium, quæ ascenderunt de lavacro. » Sicut per capillos Ecclesiæ innumerabilis multitudo simplicium fidelium intelliguntur, ita et per dentes Ecclesiæ doctores intelliguntur : dentibus enim cibos commolimus. Et sancti doctores bene dentibus conformantur, quia spirituales cibos, quos simplices capere nequeunt, ipsi quodammodo exponendo comminuunt. Deus Ecclesiæ præcipue erat Petrus cui dictum est in visione : « Surge, occide et manduca. » Ac si diceretur : Eos quos ad fidem convertis, occide ab eo quod sunt, ut desinant eese peccatores ; et manduca, hoc est transforma in corpus Ecclesiæ. Bene autem hi dentes ovibus tonsis et lavacro lotis comparantur. Solent enim oves post tonsionem currenti aqua abluì, ne illotus sudor corpori adhærescat, et scabiem generet. Tonsi enim sunt sancti doctores et magistri Ecclesiæ, qui et lavacro baptismi abluti sunt : et vellera, id est facultates et substantias suas pro Christo amiserunt. Omnibus quidem fidelibus convenit quod dicit : « Quæ ascenderunt de lavacro, » nullus enim sine lavacro baptismi fidelis esse potest. Non autem omnibus tonsio convenit, quia non omnes ita sunt perfecti, ut sua pro Christo valeant amittere, sed illis specialiter hoc congruit qui secundum verbum Domini vendunt omnia sua, et dant pauperibus, et nudi atque expediti sequuntur Christum. Tales ergo sunt dentes Ecclesiæ sanctæ, id est prædicatores et magistri ejus, oves per innocentiam abluti baptismo, voluntaria paupertate et rerum sponsione gaudentes. Sequitur : « Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas. » Quia gemina charitate et dilectione Dei et proximi præeminent, et hanc observari docent, vel etiam quia fidem et operationem prædicant. Et sterilis non est in eis, nullus videlicet alienus bonis operibus.

« Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. » Per labia Ecclesiæ sancti prædicatores accipiuntur qui et per dentes figurantur. Coccus autem sanguinis vel ignis habet speciem. Labia ergo Ecclesiæ (id est sancti prædicatores) vittæ coccineæ comparantur, quia passionem Christi assidue prædicant, qui pro nostra redemptione sanguinem suum fudit, sive vittæ coccineæ assimilantur, quia prædicatores ardent dilectione, diligentes eos quibus verba impendunt, et etiam a quibus mala patiuntur. Ad hoc etiam pertinet, quod Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit, quia loquentes et ardentes fecit apostolos, ardentes dilectione, loquentes prædicatione. Et bene vitta coccinea dicitur. Vitta enim capillos ligat et constringit, et sancti doctores sua prædicatione ad unitatem fidei et dilectionis multitudinem fidelium in Ecclesia nectunt, et in unum decorem redigunt. Possunt etiam per capillos subtiles cogitationes mentis accipi. Vitta ergo coccinea crines ligamus, quando cogitationes nostras disciplina timoris Dei constringimus et coercemus. « Et eloquium tuum dulce. » Dulce est eloquium Ecclesiæ, cum sancti doctores vel passionem sui Redemptoris ad memoriam reducunt, et prædicant quantum Deus hominem dilexerit, vel etiam cum cœlestia præmia auditoribus annuntiant. « Sicut fragmen mali Punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. » Per genas superius diximus Ecclesiam figurari. Nam cum verecundamur, rubor sanguinis in genis effunditur. Malum autem Punicum rubicundum habet corticem, interius vero multitudine granorum plenum est : unde et malum granatum vocatur. Per fragmen ergo mali Punici, memoria ejusdem passionis Dominicæ accipitur, quæ et in cocco superius figuratur. Solet enim una res diversis exprimi figuris. Genæ ergo Ecclesiæ fragmini mali Punici comparantur, quia sancti doctores venerabiliter agunt memoriam pas-

sionis Redemptoris sui, nec erubescunt crucem ejus, imo gloriantur, dicentes cum Apostolo : « Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi ; » et alibi Apostolus ad discipulum suum scribens : « Noli (inquit) erubescere crucem Christi, neque me vinctum ejus. » Bene autem genæ non integro malo Punico, sed fragmini comparantur. Malum enim Punicum cum frangitur, exterius rubor, interius candor apparet. Sic et sancti prædicatores cum passionem Christi annuntiant, quasi rubor est exterius; cum vero quanta utilitas nostræ redemptionis inde provenerit, et quod homo per passionem Christi non solum a peccatis justificari, sed etiam quod divinum consortium meruerit demonstrant, quasi candidum est quod intrinsecus latet. Possunt etiam per genas Ecclesiæ martyres figurari, qui rubicundi sunt effusione sanguinis sui veluti malum Punicum. Sed fracto malo Punico, candor interius apparet, quia post mortem miraculis coruscant.

« Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. » Collum sanctæ Ecclesiæ prædicatores sancti et doctores ejus sunt. Iidem enim hic designantur per collum, qui superius per oculos vel per dentes ; sancti videlicet prædicatores, qui veluti colla acceptos verbi cibos nutriendo corpori transmittunt, et vocem prædicationis divinæ auditoribus proferunt. Vel etiam sancti doctores per collum signantur, quia sicut per collum caput et cætera membra corpori conjunguntur, ita sancti doctores quasi mediatores sunt inter Christum et reliquos quos instruunt fideles, et quasi Christum corpori suo, id est Ecclesiæ conjungunt. Hoc autem collum turri David comparatur. David, qui interpretatur manu fortis vel visu desiderabilis, Christum significat. Et tota quidem Ecclesia, civitas David, id est magni regis Christi est, qui est manu fortis, quoniam diabolum devicit, juxta quod Psalmista dicit : « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. » Est et visu desiderabilis, quia (ut Apostolus dicit) in eum desiderant angeli prospicere. Turris autem civitatis hujus illi sunt qui vel scientia vel operationis perfectione cæteris præeminent. « Quæ ædificata est cum propugnaculis. » Propugnacula sunt sanctarum Scripturarum divinarum sacramenta, de quibus veluti jacula procedunt, quibus adversariæ repelluntur potestates. « Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. » Mille clypei intelliguntur innumera defensionis divinæ præsidia, quibus sancta vallatur et defenditur Ecclesia. « Omnis armatura fortium, » id est instructio vel sanctæ operationis vel divinæ prædicationis. Et bene collum Ecclesiæ, hoc est, prædicatores et doctores turri David comparantur, quia semper quasi in bello sunt, pro defensione sanctæ Ecclesiæ pugnantes.

« Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli. » Duo ubera Ecclesiæ eosdem significant sanctos doctores. Nec mirum quod una eademque res diversis figuratur modis. Sancti enim doctores oculi sunt, quia vitæ vias quas ingredi debeant, subjectis demonstrant : dentes sunt, quia cibos divinarum Scripturarum molunt et comminuunt ut mandi possint ; collum sunt, quia caput et membra, hoc est Christum et Ecclesiam, conjungunt. Ipsi ergo doctores sunt et ubera Ecclesiæ, quia parvulos et simplices fideles lacte verbi Dei nutriunt, juxta quod Apostolus simplicioribus loquens, dicit : « Non potui vobis loqui tanquam spiritualibus, sed quasi carnalibus et parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. » Et bene non absolute ubera, sed cum additamento dicit, « duo ubera, » cum femina neque plus neque minus habeat quam duo ubera, quia nimirum sancti doctores parvulos ex utroque populo, Judaico videlicet et gentili, lacte verbi Dei nutriunt. Nam et Paulus de seipso dicit : « Qui operatus est Petro in apostolatu circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes. » Et apte duo ubera, sicut duo hinnuli gemelli capreæ esse dicuntur, quia videlicet fetus sunt et filii Salvatoris nostri Jesu Christi, qui superius per capreas designatus est : hæc enim animalia et acutissime vident, et nimia velocitate altiora conscendunt. Sic et Christi doctores quæ agenda sunt et ipsi vident, et aliis monstrant, et despectis terrenis ad superna nituntur. « Qui pascuntur in liliis, » hoc est, delectantur purissimis et nitidissimis sensibus Scripturarum.

« Donec aspiret dies, » hoc est, dies illa æterna veniat, quam desiderabat Psalmista, dicens : « Melior est dies una in atriis tuis super millia; » « et inclinentur umbræ, » hoc est, transeant mœrores et perturbationes hujus sæculi. « Donec aspiret dies, » id est oriatur dies. Apparebit enim dies, id est orietur, quando verus ille sol justitiæ, id est Christus, apparebit ; et tunc inclinabuntur umbræ, hoc est, omnia nubila mœroris et tenebræ præsentis sæculi pertransibunt. Sed et si ipsam litteram velimus aspicere, pulchre expressit ortum diei et noctis. Nam nox nihil est aliud nisi umbra terræ, quæ sole descendente consurgit. Sole autem iterum super terras ascendente, inclinantur umbræ, id est cadit nox. Pascuntur ergo in liliis donec aspiret dies et inclinentur umbræ, quia sanctorum doctorum in præsenti tantum vita necessaria est prædicatio et doctrina : nam in alia vita, postquam apparuerit æterna dies et finita fuerit nox præsentis sæculi, non necesse erit doceri aliquem, quia omnes, revelata facie, gloriam Domini contemplabuntur. Unde et Dominus per Prophetam dicit : Non docebit vir fratrem suum dicens, Cognosce Dominum ; omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum. « Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris. » In myrrha, carnis mortificatio, vel passionum pro Christo tolerantia : in thure vero, sanctarum orationum devotio accipitur. Mons ergo myrrhæ et collis thuris mentes sanctorum sunt, excelsæ per contemplationem. Promittit ergo sponsus se ad montem myrrhæ venturum, et ad collem thuris, quia illas mentes sua visitatione visitare dignatur, quæ membra sua cum vitiis et concupiscentiis mortificant,

quæ etiam seipsas per sanctarum orationum studia gratum Deo sacrificium faciunt.

Tota pulchra es, amica mea, et macula non es in te. » Vox sponsi ad amicam suam sponsam. « Tota pulchra es » Omni (inquit) ex parte nullam recipis maculam neque rugam. Non enim soli doctores vel perfecti quique pulchri sunt ante oculos Dei, qui summa scientia et contemplatione præeminent, sed etiam simplices quique fideles, qui recta fide et bonis operibus exornantur, pulchri in oculis sponsi habentur. Nam ut Psalmista dicit, « benedixit omnibus qui timent Dominum pusillis cum majoribus; » ideo dicit : « Tota pulchra es, » non pars tua. Hoc ideo dicimus, non quod aliquis in præsenti vita sine peccato esse possit, cum scriptum sit : « Nemo est super terram sine peccato, nec infans unius diei; » sed ideo quia fides perfecta et cœleste desiderium omnem abstergit maculam levioris peccati : non enim de gravibus nunc ratio est, quæ qui committunt, jam sponsa Christi non sunt, nec ullam habent particulam hujus sanctæ pulchritudinis. Hinc est quod Joannes dicit : Qui natus est ex Deo, non peccat, subaudis peccato ad mortem, non quod levi peccato quis careat, sine quo vita ista non ducitur. Tota ergo pulchra est Ecclesia, in quantum se castam et immunem ab omni peccato custodit. Si quando autem levi peccato fuscatur, cita pœnitudine et fide recta ad cœleste desiderium in ea prisca pulchritudo reparatur.

« Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni. » Libanus mons est Phœnicis. Interpretatur autem ex Hebræo dealbatio vel candidatio, ex Græco autem thus interpretatur. Unde et supra, ubi loquitur : « Vadam ad montem myrrhæ et ad colles thuris, » collis habetur Libani. Vocat ergo sponsus sponsam suam candidatam baptismate, dealbatam nitore omnium virtutum, flagrantem studio sanctarum orationum. Vocat eam ut veniat, id est ut in virtutibus proficiat. Non solum vocat Deus animam, quando eam a vinculis carnis exutam ad cœlestia præmia ducit, sed etiam per internam inspirationem ut in virtutibus proficiat hortatur. Quot enim in virtutibus sancti proficiunt, quasi tot passibus ad Deum tendunt, et tertio dicit, « veni, » quia vult eam perfectam esse in cogitatione, locutione et opere. Vel vocat eam primo, ut ad se veniat per fidem ; vocat secundo ut dignam cœlestium præmiorum retributionem jam liberata a corpore accipiat ; vocat tertio, ut in die generalis resurrectionis jam sumpto corpore, duplici stola perpetuo ornata gaudeat. « Coronaberis de capite Amanam, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. » Amana ipsum dicunt esse montem Ciliciæ Amanum, qui et Taurus appellatur. Sanir vero et Hermon montes sunt Judææ, in quibus leones et pardi feruntur habitare. Per hos autem montes, sæculi potestates, reges videlicet et principes, intelliguntur, qui veluti montes in superbia extolluntur, et malignis spiritibus quasi leonibus et pardis cubilia præbent.

A Maligni enim spiritus leones vocantur propter superbiam, pardi propter ferocitatem, vel etiam propter mille artes nocendi quia pardus varium animal est. De his ergo montibus coronatur Ecclesia, quando principes sæculi ad fidem Christi convertuntur, et non solum propter suas virtutes, sed etiam propter talium conversationem et salutem remuneratur Ecclesia. Potest et hoc in præsenti accipi : Nam coronatur Ecclesia de vertice horum montium, quando subjectis principibus catholicæ fidei, Ecclesia, quæ antea premebatur, coronatur et gloriatur in Christo, sicut factum est tempore Constantini, quando illo converso mirabiliter glorificata est Ecclesia. Coronatur et de cubilibus leonum, et montibus pardorum, quando superbos et quosque sævos ac dolosos B convertit, et pro illorum quoque conversione æterna præmia recipit.

« Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum. » Sponsam et sororem suam, sanctam dicit Ecclesiam, quæ et sponsa est, quia eam sibi Christus incarnatus despondit, eamque emundatam sordibus peccatorum, dote Spiritus sancti sibi conjunxit. Soror vero est, quia propter eam incarnatus, frater ejus fieri dignatus est, sicut resurgens a mortuis dixit mulieribus : « Ite, nuntiate fratribus meis. » Cum ergo dicit vulneratum se cor habere, magnitudinem amoris expressit, quo sanctam suam diligit Ecclesiam. Affirmat autem hoc iterans et inculcans, « Vulnerasti cor meum, » ut tali iteratione quantum Ecclesiam suam diligit, ostendat. Qua au-
C tem re vulneratum sit, subjungendo demonstrat : « In uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. » Per oculos Ecclesiæ, superius spirituales sensus vel doctores sanctos accipiendos esse diximus. Per crines vero, multitudines subjectarum plebium, quibus sancta decoratur Ecclesia. Et est sensus : Cum tota sis pulchra, o Ecclesia, et cum te ob multa diligam, præcipue tamen nitor spiritualium sensuum et doctorum tuorum sinceritas me delectat: simplicitas etiam subjectarum plebium, quæ pie et fideliter verbis doctorum obtemperant. Bene autem cum superius pluraliter dixit oculos et capillos, hic singulariter dicit in uno oculo et in uno crine, ut per hoc unitas sanctorum doctorum exprimatur. Unitas est enim
D cœlestis doctrinæ, quam subjectis impendunt. « Unus enim Dominus, ut Apostolus dicit, una fides, unum baptisma, » necnon et una devotio subjectorum fidelium. Potest et hoc quod dicit, « vulnerasti cor meum, » de passione Christi accipi : « Vulnerasti cor meum, id est tuo amore fecisti ut ego in cruce vulnerarer. Notandum vero quod dicit, « in uno crine colli tui : » Per collum enim diximus doctores significari, et crinis Ecclesiæ collo adhæret, quo subjectæ plebes a sanctis doctoribus nutriuntur, et eorum sanæ doctrinæ inhærent, ac secundum illorum præcepta vivere satagunt.

« Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa. » Per mammas superius eosdem doctores diximus figurari, qui et per oculos designantur, nam

sancti doctores mammæ sunt, id est simplici doctrina humiles nutriunt; oculi sunt, cum summa quæque et cœlestia prædicant. Ait ergo: « Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa: id est, quam pulchri sunt doctores tui, quoniam sermo illorum et eloquio præeminet et pondere sensuum pretiosus est. « Pulchriora sunt ubera tua vino. » Hic versiculus jam superius expositus est, ubi dicitur: « Meliora sunt ubera tua vino. » Et hoc notandum quod Ecclesia superius ubera sponsi sui laudavit dicens: « Meliora sunt ubera tua vino, » nunc vero vicissim sponsus sponsæ suæ ubera extollit, ut per hoc unitas Christi et Ecclesiæ commendetur. Christus enim caput est, et Ecclesia corpus ejus: præcellit enim initium prædicationis evangelicæ legalem sententiam. « Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. » Unguenta Ecclesiæ sunt doctrinæ cœlestis charismata, vel etiam fama virtutum, quæ de Ecclesia fragrat; aromata vero intelliguntur legales observationes. Super aromata ergo est odor unguentorum Ecclesiæ, quia fama evangelicæ perfectionis transcendit omnem laudem legalis observationis.

« Favus distillans labia tua, sponsa. » Favus est mel in cera. Mel autem in cera est spiritualis intelligentia in littera. Labia ergo Ecclesiæ favus distillans vocantur, quia sancti doctores, qui per labia designantur, spiritualia documenta proferunt instruendis fidelibus. Nec solum favus, sed etiam distillans vocantur Ecclesiæ labia. Distillat enim favus, cum mellis copia exuberans jam non potest cereis capsulis contineri. Recte ergo divina Scriptura favus distillans vocatur, quia multipliciter intelligitur et variis sensibus exponitur, nunc juxta litteram, nunc juxta allegoriam, nunc juxta moralitatem, nunc juxta anagogen, id est superiorem sensum. « Mel et lac sub lingua tua. » Lac parvulis convenit, ideoque per lac designatur simplex doctrina, qua initium credentium imbuitur; mel vero quod de rore cœli confici creditur, cœlestem et spiritualem doctrinam significat, quæ perfectis et instructis convenit. Sub lingua ergo Ecclesiæ mel et lac est, quia aliquando cœlestia mysteria perfectis, aliquando rudibus plana et simplicia annuntiant. « Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. » Vestimenta Ecclesiæ sunt bonorum operum ornamenta, juxta quod Joannes in Apocalypsi dicit: « Byssinum enim justificationes sanctorum sunt. » Et in Job dicitur: « Justitia indutus sum, et indui me sicut ornamento et diademate, judicio meo. » Thure autem diximus sanctarum orationum munditiam designari. Vestimenta ergo Ecclesiæ thuri comparantur, quia omnia opera Ecclesiæ quasi orationes sunt. In cunctis enim quæ agit semper Dominum deprecatur, et tali modo impletur illud quod Dominus dicit: « Oportet semper orare. » Nec semper ante Dominum hoc aliter impleri potest, nisi tota nostra vita et conversatio talis sit ut in conspectu Dei oratio deputetur. Thus arbor est Arabiæ, cortice et folio lauro similis, succum amygdalæ modo emittens, qui bis in anno colligitur, in autumno et vere. In autumnali collectione præparantur arbores, incisis corticibus flagrantissimo æstatis ardore, ac sic prosiliente spuma pingui, quæ concreta densatur, ubi natura loci poscat, tegete palmea excipiente. Quod in arbore hæsit, ferro depectitur, ideoque videtur corticeum esse purissimum, id est candidum thus. Secunda vindemia est vere, ad eam hieme incisis corticibus, rubrum hoc exit, nec comparandum priori. Creditur et novellæ arboris candidius esse, sed veteris odoratius. Quod ex eo rotunditate guttæ pependit, masculum vocamus: guttam concussu elisam, mannam vocamus.

« Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. » Sororem et sponsam suam Ecclesiam dicit, quam ex ancilla sororem sibi esse constituit, et dote Spiritus sancti pigneratam sibi sponsam effecit. Hæc ergo Ecclesia hortus est, quia spiritualium virtutum germina profert, quæ in consequentibus aromatum vocabulis designatur. Conclusus vero hortus est iste, quia sancta Ecclesia Redemptoris Domini sui adjutorio munita est, et præsidio angelicarum virtutum vallata, nullis malignorum spirituum patet insidiis. Hæc ipsa Ecclesia est fons signatus. Fons ideo, quia doctrinæ cœlestis fluentis manat, quibus omnes in Christo credentes a peccatis lavat, et veritatis scientia potat. Signatus vero fons est iste, quia evangelicæ veritatis signaculo munitus est, ita ut neque hæretici, neque maligni spiritus fidem catholicam violare aut irrumpere valeant. Hic hortus, vel hic fons (id est Ecclesia) primum in parvo Judææ locello plantatus vel exortus est, deinde per universum mundum disseminata prædicatione, areolas suas vel rivulos suos emisit. Unde sequitur:

« Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus. » Emissiones Ecclesiæ (ut dictum est) incrementa sunt fidei et disseminatio prædicationis. Quæ emissiones paradisus sunt. Paradisus Græce, hortus Latine, quia illa primitiva Ecclesia, quæ in Judæa quasi hortus fuit, per universum mundum multos hortos, id est Ecclesias emisit. Mala autem Punica quæ rubicundum habent corticem, eos significant qui non solum generali baptismo sanctificati sunt, verum etiam proprio sanguine in passione baptizati, martyres effecti sunt. Fructus vero pomorum opera significant virtutum, sive eos qui ipsas virtutes opere exercent. Emissiones ergo Ecclesiæ paradisus malorum Punicorum fuerunt, quia primum locum in Ecclesia post apostolos martyres obtinuerunt, qui ipsam Domini passionem patiendo imitari studuerunt, quamvis generaliter omnis multitudo paradisus malorum Punicorum possit accipi, qui mala Punica sunt, quia passionem sui Redemptoris semper in memoria retinent. Et sicut malum Punicum intra unum corticem multitudinem continet granorum, ita in Ecclesia multitudo fidelium intra fidem Dominicæ passionis continetur. Hinc

Apostolus dicit : « Quotquot baptizati estis in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati estis. »

« Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani. » Cyprus arbor est aromatica, semen simile coriandri habens, id est album et sublucidum, quod oleo coquitur, et inde exprimitur, quod cyprus vocatur, unde regium unguentum paratur. Legimus in Exodo quod manna erat quasi semen album coriandri. Cyprus ergo et mamma unam habent significationem. Significant enim gratiam cœlestem, tanquam manna de cœlestibus venientem. Cyprus ergo in horto Ecclesiæ nascitur, cum fideles quique docentur gratiam cœlestem omnibus præferre, et per illam salutem sperare. Nemo enim suis virtutibus, sed sola gratia Dei salvari potest. Nardus typus est Dominicæ passionis. Unde et Maria nardo pistica caput et pedes Jesu unxit. Nardus ergo in horto Ecclesiæ est, cum sancti quique memoriam Dominicæ passionis venerantur, eique gratias agunt, quod intantum eos dilexerit, ut pro eorum salute et liberatione mortem susciperet. « Nardus et crocus. » Crocus aurosi coloris habet florem, ideoque significat charitatem. Sicut enim aurum inter omnia metalla pretiosius est, ita charitas inter omnes virtutes primatum tenet, dicente Apostolo : « Nunc autem manent fides, spes, charitas, major autem his est charitas. » Cum nardo ergo crocus in horto Ecclesiæ nascitur, cum membra Christi, hoc est, fideles quique charitatem Dei et proximi efficaciter tenere student. Crocus autem fertur ignitas febres refrigerare, sic vera charitas ardorem concupiscentiæ sæcularis refrigerat, et dilectionem Dei et proximi in mente accendit. « Fistula et cinnamomum. » Fistula brevis est arbuscula, quæ et casia vocatur, cortice purpureo. Significat sanctos in Ecclesia, humilitate et patientia præcipuos, pauperes videlicet spiritu, quorum est regnum cœlorum. Purpureus autem cortex significat similitudinem passionis Christi, quam illi qui in vera humilitate fundantur, in corde semper retinentes imitari satagunt. Cinnamomum et ipsa brevis est arbuscula, sed miræ virtutis et odoris, ideoque profectum designant humilitatis, quæ et per fistulam designantur. Fistula ergo et cinnamomum in Ecclesia sunt, cum sancti Dei humilitatem et patientiam et in corde veraciter tenent, et foris aliis ostendunt. Quod autem fistula rubicundum habet corticem, cinnamomum vero cinereum habet colorem, significat quia sancti Dei quanto plus memores passionis Redemptoris sui, tanto in oculis suis viliores et despectiores sunt, dicentes cum Abraham : « Loquar ad Dominum meum, quamvis sim cinis et pulvis ; » et cum Job : « Idcirco me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere. » « Cum universis lignis Libani. » Ligna Libani pulchritudine et proceritate ac robore præeminent, ideoque significant doctores et perfectos quosque in Ecclesia, de quibus superius domus Ecclesiæ legitur facta, dicente eadem Ecclesia : Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina, » quia videlicet sancti doctores prædicatione sua Ecclesiam muniunt. Cum fistula ergo et cinnamomo universa ligna Libani in horto Ecclesiæ memorantur, quia sive humiles et patientes, sive perfecti quique doctores eamdem fidem habent in Ecclesia, et eamdem beatitudinem exspectant. « Myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis. » Myrrha arbor est cujus succus stacte dicitur, tantæ virtutis, ut quidquid de eo tactum fuerit, ab omni putredine et vermibus servetur illæsum. Aloe arbor est suavissimi odoris, adeo ut vice thymiamatis altaribus adoleatur. Habet vero succum amarissimum, resistentem putredini et vermibus. Hinc et in passione Domini Nicodemus detulisse dicitur mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum. Per has ergo arbores designatur carnis continentia et castimonia. Nam putredo luxuriam solet designare, juxta quod Propheta de quibusdam dicit : « Computruerunt jumenta in stercore suo. » In horto ergo Ecclesiæ sunt myrrhæ et aloe, hoc est, mentes cœlestes et omnis corruptionis immunes, audientes ab Apostolo : « Pacem sectamini cum omnibus et castimoniam, sine qua nemo videbit Deum. » « Cum omnibus primis unguentis. » Prima unguenta quid melius quam charitas intelliguntur? de qua Apostolus dicit : « Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, » ac deinde : « Si linguis (inquit) hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. » Post myrrham et aloen bene prima unguenta ponuntur, quia post carnis continentiam succedit vera charitas quæ Deus est, quia Deus super omnia diligitur. Neque enim illi qui mundana dilectione tenentur, hoc est qui voluptatibus et illecebris adhuc delectantur, hujus charitatis participes esse possunt.

« Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. » Fons hortorum ipsa est primitiva Ecclesia, quæ veritatis scientia hortos, id est Ecclesias per universum mundum disseminatas irrigat, ipsa est et puteus aquarum viventium, quia scientia veritatis, quæ est Ecclesia, in quibusdam quasi fons est ubi patet, in quibusdam quasi puteus ubi latet, et ad liquidum ubi percipi non potest. Nam inter fontem et puteum hoc distat quod fons et in imo et in superficie terræ dicitur esse, puteus vero semper est in imo. Ecclesia ergo fons est et puteus, quia mysteria Dei in quibusdam veluti fons facile capiuntur, in quibusdam vero cum difficultate tanquam aquæ puteo extrahuntur. Aquæ viventes ipsa mysteria designantur Scripturarum, quia in se cœlestem habent virtutem. At contra cisternæ vocantur, id est collectiones aquarum, documenta hæreticorum, de quibus Dominus per Prophetam : « Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas. » Hæ fluentes aquæ, fluunt impetu de Libano, hoc est, manant de Ecclesia, quæ abluta est et candidata baptismate et bonis operibus, quod Libanus interpretatur. De hoc Li-

bano (hoc est, de Ecclesia) fluunt (hoc est, emanant) aquæ doctrinarum cœlestium, et hoc cum impetu, id est cum quadam virtute, qua omnia hæreticorum figmenta destruantur et subvertantur. Hinc et Psalmista : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, » id est virtus divinorum eloquiorum.

« Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius. » Enumeratis Ecclesiæ virtutibus sub nomine aromatum, sciens Dominus, qui est sponsus et redemptor Ecclesiæ, ipsam Ecclesiam persecutionibus multiplicandam, subsequenter ipsam quodammodo jubet venire persecutionem, non præcipiendo, sed permittendo « Surge (inquit), Aquilo, et veni Auster. » Per Aquilonem et Austrum, flatus persecutionum et perturbationum intelliguntur, contra Ecclesiam sævientium. Aquilo B quidem frigidissimus ventus est, Auster calidus. Et ideo per Aquilonem terrores et minæ designantur, per Austrum blandimentorum decipulæ. Quibus duobus modis probatur Ecclesia, terroribus videlicet et blandimentis. Quod autem dicit : « Surge, Aquilo, et veni, Auster, » non imperat malis, nec cogit eos ad mala facienda, sed permittit, et facultatem illis dat, ut possint sævire contra Ecclesiam, quatenus per illorum malitiam Ecclesia probetur, et illi gravius puniantur : novit enim Dominus malis hominum bona quædam facere, sed ipsam persecutionem in potestate sua habet, ut non tantum sæviant quantum volunt. Unde scriptum est : « Qui facit ventis pondus, » quia videlicet flatibus persecutionum mo- C dum imponit quemdam, juxta quod Apostolus dicit : « Faciet cum tentatione etiam proventum ut possitis sustinere. » « Perfla (inquit) hortum meum, » hoc est, Ecclesiam meam, « et fluant aromata illius, » hoc est, fragrantia virtutum, et odor bonorum operum ex illa procedat. Quo enim acerbius Ecclesia concutitur, eo majorem virtutum odorem ex se emittit.

CAPUT V.

« Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum » Audiens Ecclesia persecutionem vocari, tanquam se præparans contra adversa, dicit : « Veniat dilectus meus in hortum suum, » hoc est, Christus sponsus meus veniat, quem toto corde diligo, ad Ecclesiam suam, ut comedat fructum pomorum suorum, hoc est, delecte- D tur atque pascatur bonis operibus fidelium suorum Nam cibus Domini bona nostra opera sunt, sicut ipse fidem Samaritanorum vel gentium intuens, dixit discipulis suis : « Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. » « Veni in hortum meum, soror mea sponsa » Desideranti Ecclesiæ ut ad se veniat sponsus, respondet se jam hoc fecisse. Ego jam veni, nam non est imperantis, « veni, » sed præteriti temporis indicativum. O soror mea sponsa, jam veni in hortum meum, jam visitavi Ecclesiam meam sed et quotidie visito, et virtutum illius pomis pascor, atque odore fruor. Venio ad eam, ut errantes corrigam, infirmantes roborem, dubios confirmem, et A perfectos quoque præmiis cœlestibus donem. « Messui myrrham meam cum aromatibus meis. » Per myrrham designantur illi qui martyrio vitam finierunt, vel etiam carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt. Aromata vero sunt opera sanctarum virtutum, bonæ opinionis odoribus fragrantia. Metit ergo Dominus myrrham cum aromatibus suis, quando sanctos martyres, vel reliquos electos bonis operibus insignes, ab hac vita falce mortis præcidit, atque ad maturitatem bonorum operum perductos, in horrea supernæ patriæ recondit. « Comedi favum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. » Per favum et vinum sancti prædicatores figurantur; per mel vero et lac, boni auditores. Favus enim sunt prædicatores, qui arcana et intima Scripturarum mysteria quasi mella de favis producunt, et prædicando aliis manifestant. Mel vero boni auditores, quia dulcedinem verbi Dei attente suscipere eaque delectabiliter pasci student. Vinum sunt ipsi prædicatores, quod et favus, quia fortia sacramenta Scripturarum annuntiant. Lac vero sunt infirmi quique auditores, quibus aperta mysteria quasi lac conveniunt. Cum ergo horum omnium bona intentione Redemptor pascitur et delectatur, et sic quasi favum cum melle comedit, et vinum cum lacte bibit. Possumus hoc etiam ad mortem electorum referre, quos Dominus comedit, cum ad æternam vitam per mortem vocat, et corpori suo (hoc est, societati electorum in illa jam cœlesti felicitate lætantium) conjungit. Quod si hoc de morte sanctorum accipimus, debemus in vino eos accipere, quorum animæ jam cœlesti felicitate gloriantur : in favo vero eos qui jam corpore et anima in illa beatitudine gaudent, quasi sunt illi qui cum Domino surrexerunt. « Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi. » Non solum Dominus profectu sanctorum gaudet, verum etiam nos hortatur ut illorum virtutibus gaudeamus et illos imitemur : « Comedite (inquiens), amici, » hoc est, fideles mei, qui amici mei estis faciendo quæ jubeo, charissimi mei estis, perfecta me animi charitate diligendo. Comedite ergo, inquit, et bibite, id est sanctorum bonis actibus congaudete, et illos vobis ad imitandum proponite. Notandum vero quod dicit, « Bibite et inebriamini ; » Ebrietas aliquando in Scripturis pro saturitate ponitur, sicut de fratribus Joseph dictum est : « Biberunt et inebriati sunt coram eo, » et Psalmista : « Visitasti terram, et inebriasti eam, » id est, satiasti et replesti. Hortatur ergo nos ut non solum comedamus et bibamus, verum etiam saturemur, quia sunt quidam qui comedunt et non saturantur, quia videlicet delectabiliter prædicationem divinam audiunt, sed negligenter obliviscuntur, nec ad effectum boni operis quod audierint perducunt. Comedunt autem et saturantur qui verba vitæ quæ audiunt, in internis sensibus recondunt, et opere implere satagunt ; de quibus Psalmista dicit : « Edent pauperes et saturabuntur. » Si vero (ut superius dictum est) de morte sanctorum hoc acceperimus,

amici et charissimi ipsi sunt angelici spiritus, quos jubet Dominus congratulari electis suis, cum ab hac vita ad æternæ beatitudinis requiem transferuntur, juxta quod in evangelica parabola legitur : « Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat. »

« Ego dormio, et cor meum vigilat. » Vox Ecclesiæ. « Ego dormio, » quia aliquantula pace largiente sponso meo requiesco, nec tales patior pressuras, quales primitiva Ecclesia : et ideo cor meum vigilat, quia securius concessa mihi pace amori sponsi mei inhæreo, et ad illum oculos cordis mei intendo. Sed quia hoc tempus non est requiei, sed potius laboris et certaminis, rursus sponsus Ecclesiam ad labores excitat, et ad prædicationis certamen hortatur. « Vox dilecti mei pulsantis. » Pulsat dilectus, cum Christus fideles suos ad profectum virtutum hortatur : sive pulsat, cum eos ut proximos prædicando lucrentur admonet. Est et tertia pulsatio, qua pulsat electos suos Dominus, cum per ægritudinis molestiam esse mortem vicinam designat. De qua pulsatione in Evangelio dicitur : Ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Sed hoc loco pulsare dicitur hoc est, Ecclesiam ad opus pulsationis instigare. « Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. » « Aperi mihi, soror mea. » Soror, quia cohæres es regni mei facta : « amica mea, » quia de jugo servitutis liberata arcana veritatis meæ cognovisti : « columba mea, » quia spiritus mei dote es sanctificata : « immaculata mea, » quia effusione mei sanguinis ab omni peccatorum macula purgata es. « Aperi mihi, » hoc est, de quiete et otio dilectæ tibi contemplationis egredere ad opus prædicationis. « Quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. » Caput Ecclesiæ (ut Apostolus dicit) Christus est, cincinni vero sunt intimæ cogitationes sanctorum, quæ non laxe et dissolute fluunt, sed vinculo timoris et amoris Dei colligantur. Ros vero et guttæ noctium hoc loco tenebrosas et infidelitate plenas, frigidasque mentes designant. Caput ergo sponsi plenum est rore, cum sæculares quique a charitate Dei torpescunt, et juxta quod Dominus dicit, abundante peccato refrigescit charitas. Et cum tales sanctos Dei cœlestia meditantes persequuntur et oderunt, quasi cincinni sponsi pleni sunt guttis noctium. Cum ergo tales multiplicantur, et gravant Ecclesiam, tunc sponsus admonet sponsam suam ut surgat et operi prædicationis insistat.

« Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? » Provocata Ecclesia a sponso suo ad officium prædicationis, respondet : « Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ? » Exui me curis et occupationibus hujus sæculi, sine quibus officium prædicationis aut vix aut nullatenus agitur : et quomodo fieri potest ut iterum ad ea quæ deserui revertar? Nam qui se ad officium prædicationis adaptat suscipiendum, debet quoque temporalia subditis providere, quæ sine magna sollicitudine agi non possunt. Quod autem tunica sollicitudines et curas significet,

A Dominus ostendit in Evangelio : « Et qui in tecto est, non descendat tollere tunicam suam. » Quod est aperte dicere : Qui in sublimi contemplationis arce consistit, non descendat ut tollat tunicam suam, id est ut iterum occupationibus sæculi implicetur. Timet ergo Ecclesia, vel anima quæque sancta, hac tunica exui, et in contemplatione sui Conditoris requiescens, iterum reindui et sæcularibus negotiis occupari. « Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ? » Lavi pedes meos, hoc est, actiones quibus nunquam pulverem tangere, hoc est, terrena agere consueveram, dignis pœnitentiæ fletibus ablui, adeo ut nihil nunc nisi divina me libeat cogitare. « Quomodo inquinabo illos ? » id est, quomodo fieri potest, ut iterum ad cogitanda caduca et terrena B redeam quæ nunc ex occupato et libero corde, divino fruor contuitu?

« Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus. » Dilectus manum per foramen mittit, et ventrem tangit, cum interna conditor inspiratione cor visitat, et ad profectum virtutum accendit, seu etiam cum nos ad memoriam operum suorum revocat, ut cogitemus quia cum Deus esset, pro nobis homo fieri dignatus est, ut terrena nostra suscipiens cœlestes nos faceret, et moriendo pro nobis, vitam æternam nobis donaret. Quod cum fit, venter intremuit, quia cum talia cogitare incipimus, cordis nostri arcana se concutiunt, dum stupere incipimus, quanta dignaC tione hæc Conditor pro nobis agere dignatus est. Nam quod venter cor significet, ostendit Propheta, dicens : « Ventrem meum, ventrem meum doleo. » Quod quid esset ostendit dicens : « Sensus cordis mei dissipati sunt. »

« Surrexi ut aperirem dilecto meo. » Aperimus dilecto, non solum cum adventum ejus suscipimus, verum etiam cum aliis prædicamus, et eos qui per malitiam pectus clauserant, nostra prædicatione conversos, facimus ut ipsi quoque januam cordis Christo aperiant. Bene autem primo dicitur, « Surrexi, » deinde, « ut aperirem dilecto. » Qui enim prædicando aliorum corda Christo vult aperire, prius debet surgere, hoc est ad studium bonorum operum erigi, et opere implere quod prædicat, ne forte aliis D prædicans ipse reprobus efficiatur. Hinc et Lucas de Domino dicit : « Quæ cœpit Jesus facere et docere. » Prius dicit « facere, deinde docere. » « Manus meæ distillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. » Per manus quibus operamur, ipsa operatio designatur ; per digitos vero discretio operationis, quia in nullo membro tantæ sunt distinctiones articulorum, quantæ in digitis. Manus Ecclesiæ myrrham stillant cum prædicatores ejus continentiæ et mortificationi carnis suæ operam dant, dicentes cum Apostolo : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. » Sive cum pro Christo mori parati sunt, sicut Joannes dicit : « Si Christus pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. » Digiti vero

sunt pleni myrrha probatissima, cum ipsum opus mortificationis subtiliter discernimus, utrum pro intuitu supernæ mercedis fiat, an pro laudibus sæculi. Qui enim pro humanis favoribus jejunat, vel abstinentiæ sive continentiæ operibus insistit, in manibus quidem myrrham habet, sed in digitis non habet, quia non discernit quare hoc faciat. De qualibus Dominus dicit. «Receperunt mercedem suam.» Sive manus sponsæ distillant myrrham, cum operibus sanctæ Ecclesiæ, castimoniæ vel sanctæ continentiæ seipsos aptant.

« Pessulum ostii mei aperui dilecto meo, at ille declinaverat atque transierat. » Pessulum ostii aperit, cum Ecclesia vel fidelis quæque anima cor advenienti Conditori pandit. « At ille declinaverat atque transierat. » Plerumque enim cum spiritualia quæque tractare volumus, quanto subtilius intendimus, tanto acies cordis reverberatur. Unde Salomon dicit : « Dixi, sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me. » Psalmista quoque dicit : « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.» Quanto enim quisque magis ad contemplationem divinam purificatione carnis cor sustollit, tanto altius quod quærebat esse invenit. Dicit ergo : « Ille declinaverat atque transierat. » quia nemo eum in præsenti vita sicuti est comprehendere potest. « Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. » Quanto (inquit) vicinius adventum sponsi mei persensi ad tactum secretæ inspirationis, tanto magis quidquid in me erat frigidum, incaluit, ita ut nihil jam libeat nisi in lacrymas resolvi. Loquitur enim sponsus, cum interna sui inspiratione Christi sanctam animam inspirat, eique cœleste desiderium suggerit, et ita eo loquente liquefit, quia quo magis cœlestibus afflatur desideriis, eo amplius terrenis emoritur, et quasi insensibilis mundo efficitur, solumque cœlesti desiderio vivit. Hoc est quod etiam per prophetam dicitur : Quis cæcus nisi servus meus? Quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? « Quæsivi, et non inveni illum. Vocavi, et non respondit mihi. » Ingeminat iterum causam doloris sui. Omnibus quidem se pie quærentibus adest Dominus semper se invocantibus respondet, id est ad salutem exaudi sed plerumque fidelem animam se desiderantem, et ad se venire cupientem non exaudit, ad hoc ut ita se ei in præsenti ostendat. sicut se in futurum ostensurum promittit, vel etiam non respondet, id est non exaudit, ad hoc ut libito suo sanctus quisque vinculis corporis exuatur, et liber amplexibus sponsi sui demulceatur. Nam quando Apostolus dicebat : « Cupio dissolvi et esse cum Christo, » quasi quærebat inhærere sponso suo, et vocabat illum desiderio mentis, sed tamen non respondebat illi, quia non statim de corpore eum liberabat, sed adhuc laboribus exerceri, et utilitatibus Ecclesiæ insudare permittebat.

« Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem, percusserunt me, et vulneraverunt me. » Vigiles qui custodiunt civitatem, sancti sunt doctores, qui civitatem Dei (id est Ecclesiam) circumeunt, pervigilem ejus curam agentes, quo illam et ab adversariis tueantur, et verbo suo vel exemplo ad cœlestia desideria accendant Inveniunt ergo sponsam dilectum quærentem, cum sancti doctores animam cœlestibus desideriis intentam, vel præsentes verbo, vel absentes Scripturis suis instituunt et informant. « Percusserunt, inquit, et vulneraverunt me. » Verbum Dei gladius est, dicente Apostolo : « Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus. » Hoc gladio sponsa percutitur et vulneratur, quando prædicatoris sermo de Deo loquitur, et auditores veluti quodam spiculo compunctionis et amoris transfodit. « Tulerunt pallium meum mihi. » Hoc hic pallium, quod superius tunica intelligitur, ubi dicitur : « Exspoliavi me tunica mea, » tegmine videlicet sæcularium desideriorum : quod custodes auferunt, quia quidquid de amore præsentis sæculi in mente alicujus remanserit, totum sancti doctores auferunt, et eam solummodo sponsum Christum diligere faciunt. Hi tales possunt dicere cum Apostolo : « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » « Custodes murorum. » Muri civitatis sunt sancti doctores Ecclesiæ. Custodes autem murorum illi sunt qui etiam eos instruunt, qui aliis quoque prædicare possunt, qualis erat Paulus, qui Timotheum, Titum, muros utique hujus civitatis, instruebat et custodiebat, hoc est exhortabatur ad perfectionem boni operis.

« Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.» Filiæ Hierusalem sunt animæ fideles, quæ vel adhuc in præsenti peregrinantur, vel etiam Christo fruuntur. Filiæ Hierusalem, id est filiæ illius supernæ civitatis in qua est summa pax et felicitas divinæ contemplationis. Sed hoc loco filias Hierusalem animas debemus accipere Deum desiderantes, sed adhuc in hac peregrinatione versantes. Adjurat ergo sponsa filias Hierusalem, ut nuntient sponso quia amore languet, cum anima fidelis fideles alios Deum desiderantes adjurat, ut Christo insinuent, eique nuntient suo illam amore teneri. Bene autem se amore languere dicit : quanto enim magis superna desiderare cœperit, tanto erga ea quæ mundi sunt, languescit. Nec mirum si tales languere dicuntur, cum apostolus eos mortuos dicat : « Mortui (inquiens) estis, et vita vestra abscondita est cum Christo. » Ita ergo adjuranti sponsæ respondent filiæ Hierusalem.

« Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? » Hoc tunc fit quando quis fidelis fratrem fidelem alloquitur, et invicem sibi cœlestium desideriorum verba suggerunt, quibus se ad supernorum amorem accendunt. Indica mihi, inquit, jam desideranti, jam ad visionem Conditoris mei pervenire cupienti, qualis est dilectus tuus, hoc

est qualiter Christus amari debeat. Jam dudum, inquit, illum timere cœpi, sed jam charitate timorem expellente, opto audire verba quibus ad amorem illius accendar. Tu ergo quæ illum jam amore quæris, ejusque amore langues, dic mihi qualis est dilectus tuus ex dilecto. Dilectus ex dilecto, Filius est ex Patre, sicut est Deus de Deo, lumen de lumine. Vel etiam « dilectus tuus ex dilecto, » Christus est ex ea parte, qua diligendus est, non ex ea qua timendus. Nam timere magis imperfectorum est, quos timor a peccatis revocat, amare vero perfectorum. Jam ergo interrogat qualis sit dilectus ex dilecto, id est qualiter Christus amari debeat, vel qualis sit erga illos qui illum tantum amore noverunt.

« Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. » Vox respondentis Ecclesiæ : « Dilectus meus candidus et rubicundus : » candidus virginitate, rubicundus passione. Candidus, quia sine peccato ; nam sine peccato est conversatus : « peccatum enim non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. » « Rubicundus, » quia « lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. « Electus ex millibus. » Singulari enim gratia homo Christus in omni humani generis massa refulsit, quia per illum proposuit Deus salvare genus humanum, et ipse est mediator Dei et hominum Jesus Christus ; de quo Psalmista : « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Et Salomon : « Virum de mille unum reperi, » id est Christum, et ipse in psalmo : « Singulariter sum ego donec transeam. » « Electus ergo ex millibus, » quia ex omni multitudine sanctorum solus dignus fuit audire : « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. »

« Caput ejus aurum optimum. » Caput sponsi Deus est, juxta quod Apostolus dicit, « Caput Christi Deus, » quod auro optimo comparatur, quia sicut aurum omnibus metallis pretiosius est, ita Deus omnipotens a se factis bonis præcellit et supereminet. Unde Dominus : « Nemo bonus nisi solus Deus. » Caput ergo sponsi aurum optimum est, quia Dei bonitas est ineffabilis, omnium rerum bonitatem transcendens, quia nihil bonum, nisi participatione hujus summi boni. » Comæ ejus sicut elatæ palmarum. » Comæ sponsi sunt multitudines fidelium, per fidem et dilectionem Deo adhærentes, quæ elatis palmarum comparantur Elatæ palmarum sunt rami productiores et excellentiores, interdum aureosi coloris, crispantes, et semper ad excelsa tendentes, et nunquam virorem suum amittentes. Tales ergo dicit comas sponsi sui Ecclesia, crispas videlicet et rutilas. Nonnulli dicunt elatas palmarum, speciem arboris esse aromaticæ, quem Latine abietem sive spatas vocant Nam Græce abies ἐλάτη dicitur. Est autem species hæc apta conficiendis unguentis. Abietem vero hic non magnam illam arborem, quæ est navigiis et domibus apta, sed (ut diximus) speciem aromaticæ arboris debemus accipere : hæc juxta litteram de elatis palmarum Comæ ergo sponsi elatis palmarum comparantur, quia fidelium multitudines et virore fidei gaudent, et ad æterna desideranda extolluntur, atque dulcedinem supernæ suavitatis degustant, quam quanto magis percipiunt, tanto magis in oculis suis peccatores sibi et contemptibiles esse videntur. Unde sequitur : « Nigræ quasi corvus. » Comæ enim sponsi nigræ sunt quasi corvus, quia fidelium multitudines suæ fragilitatis sibi consciæ sunt, et nihil se boni ex se habere noverunt. Vel etiam « elatæ palmarum » sunt in spe et victoria : « nigræ vero quasi corvus, » quasi despecti et contemptibiles sunt pressuris hujus sæculi. Elatæ palmarum sunt sancti, quia per gratiam Dei ad cœlestis victoriæ palmam tendunt ; nigræ vero quasi corvus, quia per se infirmos et peccatores se esse cognoscunt. Possunt etiam comæ sponsi angelicæ virtutes accipi, quæ Deo specialiter inhærent, sicut comæ capiti, eumque a vicino contemplantur. Quæ bene elatis comparantur, quia nunquam a status sui rectitudine inclinantur, sed in dignitate officii sui immaculate permanent, quæ quanto magis claritatem sui conditoris contemplantur, eo amplius quam utile sit omne creatum, in ejus comparatione aspiciunt, et ideo nigræ quasi corvus esse dicuntur.

« Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ. » Oculi ejus dona sunt Spiritus sancti. Quod ostendit Joannes in Apocalypsi, dicens : « Vidi agnum tanquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. » Unde et bene columbis super rivulos aquarum comparantur, quia Spiritus sanctus puris et sinceris mentibus delectatur. Non enim super stagna vel paludes, sed super rivulos aquarum columbæ resident, quia (ut dictum est) Spiritus sanctus castas et mundas mentes sibi habitaculum facit. « Quæ lacte sunt lotæ, » quia (ut dictum est) Spiritus sanctus lactis nomine, id est Dei gratia intelligitur, quæ per Spiritum sanctum Ecclesiæ tribuitur, et qua veluti lacte parvuli, ita Ecclesia nutritur. Possumus per oculos sponsi doctores accipere, qui columbis comparantur propter innocentiam et simplicitatem. Hæ columbæ super rivulos resident, ut adventum accipitris a longe prospiciant et præcaveant, sic et sancti doctores aqua baptismatis perfusi, nitore castitatis et sanctimoniæ dealbati sunt, » et resident juxta fluenta plenissima » hoc est juxta Scripturarum exuberantem scientiam. Si quid vero putamus distare inter rivulos et fluenta plenissima, dicendum est, per rivulos Veteris Testamenti Scripturas designari : per fluenta plenissima, copiosam sancti Evangelii Scripturam accipi. Istæ ergo columbæ et super rivulos aquarum sunt, et juxta fluenta plenissima resident, quia sancti doctores assidue tam Veteris Testamenti quam Novi mysteria perscrutantur.

« Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ a pigmentariis. » Genæ sponsi, modesta Christi pietas, vel severitas, sive habitus vultus illius accipitur.

Genæ enim illius erant, cum exsultaret in spiritu, ut Evangelium dicit, vel cum fleret super mortuum Lazarum, vel cum doleret super perituram Hierusalem, et plura id genus. Hæ genæ sponsi areolis aromatum comparantur, sicut enim areolæ aromatum optime compositæ et ordinatæ aspectum intuentium delectant, eisque odoris sui gratiam propinant, ita Christi mansuetudo et absentes fama, et præsentes reipsa delectabat, et ad sui dilectionem provocabat. Hæ areolæ a pigmentariis consitæ sunt. Pigmentarii sunt prophetæ vel apostoli, quorum alteri hæc omnia futura, alteri jam facta descripserunt. « Labia illius lilia distillantia myrrham primam. » Per labia sponsi, Verba Domini nostri accipiuntur, quæ liliis comparantur, quia candoris æterni præmia annuntiant : distillant myrrham primam, quia per carnis mortificationem ad hæc perveniendum docent. Vel etiam liliis labia Domini comparantur, quia castitatis illa et munditiæ opera docent. Distillant primam myrrham, quia quæcunque adversa patienter perferenda insinuant. Labia Domini lilia erant, cum docens in monte diceret : « Beati pauperes spiritu, beati mites, beati misericordes, beati mundo corde. » Distillant myrrham primam, cum post hæc subjungeret : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. ».

« Manus ejus tornatiles aureæ. » In manibus namque sponsi, digne operatio Salvatoris accipitur. Sicut enim quis torno facile operatur, nec regula ulla indiget, sic operatio Salvatoris facilis erat : quidquid enim volebat, illico perficiebat, quia « dixit et facta sunt ; » et de quo Evangelista, « Erat quasi in potestate habens sermonem. » Aureæ enim erant, quia operatio illius divinitatis peragebatur potentia: nam in auro divinitas figuratur, quia sicut aurum cætera metalla antecellit, et pretiosius est, ita divinitas suis omnibus operibus ineffabili modo præcellit. « Plenæ hyacinthis. » Hyacinthus lapis est aerii coloris. Quid ergo in hyacinthis, nisi spes et desiderium cœleste accipitur ? Et manus Domini plenæ sunt hyacinthis, quia omnis ejus operatio nos ad spem et desiderium supernorum excitat. Hyacinthus est etiam flos aromaticus, coloris purpurei bonique odoris. Manus Domini plenæ sunt hyacinthis, quia in cruce clavis perforatæ, et rubore sui sanguinis quasi colore purpureo respersæ sunt. Sed superior expositio de hyacintho lapide, melius hic convenit. In alia translatione « lapis » habetur. Dicuntur enim manus ejus tornatiles, plenæ tharsis. Tharsis lapis est quem nos chalcedonium dicimus. « Venter ejus eburneus. » In membris humani corporis nihil ventre fragilius, nihil tenerius : ideoque per ventrem fragilitas assumptæ humanitatis in Christo accipitur. Ebur autem est os elephantis, quod animal dicunt esse castissimum, et naturæ frigidissimæ : unde et a dracone, qui calidæ naturæ est, vehementer appetitur. Venter ergo sponsi eburneus est, quia assumpta humanitas Redemptoris, nullam corruptionem, nullam labem admisit. Peccatum enim non fecit, nec dolus inventus est in eo ullus. Fragilitatem quidem carnis assumpsit, sed tamen totius peccati immunis fuit, sicut serpens æneus a Moyse in deserto exaltatus, figuram quidem serpentis habuit, sed malitia veneni caruit. « Distinctus sapphiris. » Sapphirus lapis est, cœli sereni habens colorem, unde in visione Domini dicitur : « Et viderunt Deum Israel, sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphiri, et quasi cœlum cum serenum est. » Per sapphiros ergo opera divinæ majestatis intelliguntur, quæ in carne perficiuntur. Venter ergo sponsi distinctus erat sapphiris, quia humanitas Christi cœlestibus virtutibus refulgebat. Nec plenus dicitur esse sapphiris, sed « distinctus, » ita videlicet, ut inter sapphiros appareret eboris candor, quia sic Dominus operabatur ea quæ divinitatis erant, ut nihilominus perficeret ea quæ erant humanitatis, et non relinqueret ea quæ erant divinitatis. Distincta est enim operatio in Christo divinitatis et humanitatis. Nam quod esuriebat, quod sitiebat, quod flebat, quod lassabatur, quod ad ultimum crucifigi et mori poterat, humanitatis opera erant : quod vero mortuos suscitabat, quod omnibus infirmantibus succurrebat, quod seipsum a mortuis resuscitabat, evidentissima erant opera divinitatis.

« Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Crura sponsi itinera sunt Salvatoris, quibus homo fieri et ad nos venire dignatus est. Quæ recte columnis marmoreis comparantur, quia nihil marmore fortius, nihil columna rectius. Et crura sponsi columnæ marmoreæ sunt, quia omnia itinera Domini et fortia et recta sunt. De ejus fortitudine dicit Psalmista : « Exsultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus. » De rectitudine alibi : « Justus Dominus et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus ; » et, « Universæ viæ Domini misericordia et veritas. » Hæc crura super bases aureas fundata sunt, quia omnia quæ per Christum vel in Christo agenda erant, divinitatis consilio ante mundi constitutionem præordinata et præfinita sunt. Aurum enim quod (ut sæpe dictum est) splendidius et pretiosius est cæteris metallis, divini consilii sincerissimum secretum significat. De basibus enim aureis columnæ marmoreæ procedunt, quia ab initio sæculi præordinata est incarnatio, nativitas, passio, et resurrectio Salvatoris, cæteraque mysteria quibus humanum genus redimeretur. Unde et Propheta laudans Deum dicebat : Domine Deus meus, honorificabo te, laudes dicam nomini tuo qui facis mirabiles res : consilium tuum antiquum verum fiat. « Species ejus ut Libani, electus ut cedri. » Libanus Phœnicis est mons, terminus Judææ contra septentrionem, et est excelsior cæteris montibus. Arbores illius montis et proceritate et specie ac robore cæterarum sylvarum ligna præcellunt. Sicut (inquit) Libanus cæteris montibus Judææ terræ præcelsior est, ita Redemptor noster speciosior est omnibus electis, quia speciosus est forma præ filiis hominum. Et sicut pulchrior est et procerior cæteris

arboribus, ita et ille gratia divinitatis præcellit omnes ab initio sæculi sanctos.

« Guttur illius suavissimum. » Superius per labia sponsi, verba ejus intellecta sunt, nunc per guttur ipsorum verborum interior dulcedo significatur, qua intellectus noster reficitur. Unde et Psalmista : « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. » Et multi quidem verba Domini facile intelligere possunt, sed pauci sunt qui dulcedinem illorum valeant penetrare ; hoc est qui præcepta Dei ex amore et desiderio studeant adimplere. « Et totus desiderabilis. » Ac si diceret : Quid per singula membra ejus describendo immoror ? Totus est desiderabilis sponsus meus. Totus, inquit, quia perfectus Deus, perfectus homo. Totus ergo desiderabilis est, quia angelos et electos quosque ad suum accendit desiderium, juxta quod Apostolus dicit : « In quem desiderant angeli prospicere, » et quo vicinius accipitur, hoc majori desiderio ad se aspiciendum provocat intuentes. « Talis est dilectus meus, et iste est amicus meus, filiæ Hierusalem. » Dilectus, quia per fidem et charitatem illi inhæreo : amicus vero, quia me de vinculo peccati redemptam, amicam suam et secretorum suorum consciam facere dignatus est. Quem quanto plus quisque diligit, tanto amicitia ejus dignior efficitur.

« Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ? » Vox est filiarum Hierusalem, id est Ecclesiarum, sive etiam animarum sanctarum. Nam sponsa Christi Ecclesia est, filiæ Hierusalem ipsa Ecclesia est, quæ ex singulis fidelium animabus constat. Aiunt ergo : « Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ? Quo declinavit dilectus tuus ? et quæremus eum tecum. » Adjuraverat enim superius ipsa sponsa filias Hierusalem, ut nuntiarent sponso quod amore ejus langueret ; interrogaverant eædem filiæ Hierusalem qualis esset sponsus, et illa consequenter formam sponsi sui exposuerat ; nunc interrogant ipsæ filiæ Hierusalem quo abierit sponsus ille, ut quærant eum cum ea : hoc faciunt sanctæ animæ, quando ad invicem de æterna salute colloquuntur, flagrantes amore Christi, et ejus aspectum desiderantes ; sive eum diligenter investigant, in quorum maxime cordibus Christus requiescit, ut eorum exemplo et conversatione ædificentur. Notandum autem quod dicitur, Quo abiit, vel « quo declinavit dilectus tuus? » Quasi enim ad tempus declinat dum quæritur, ut majus ad se quærendum desiderium excitet. Ad hoc enim plerumque differt vota et orationes sanctorum, ut ardentius eum desiderare incipiant, sicut et quondam Mariæ se quærenti non statim se ostendit, sed in specie hortulani apparens, tandem quod ipse qui quærebatur esset, ostendit. Exaudit ergo Christus semper electos suos, sed semper quasi declinat, cum non statim postulata concedit. Bene autem dicitur, « quæremus tecum, » nam qui sine Ecclesia Christum quærit, errare et fatigari potest, proficere non potest.

CAPUT VI.

« Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatis, ut pascatur in hortis, et lilia colligat. » Jam supra docti sumus qui sit hortus Christi, sancta videlicet Ecclesia, de qua superius dictum est : « Hortus conclusus soror mea sponsa. » Descendit (inquit) Christus in hortum suum ad areolam, quem ipse præparavit et excoluit, quem virtutum germinibus consevit, quem sua gratia illustravit, quem muro suæ custodiæ ab incursu malignorum spirituum defendit. Et bene in hortum suum descendisse dicitur, nam in horto sepeliri voluit, et primum Mariæ Magdalenæ in horto apparuit, ibique quodammodo primitias Ecclesiæ consecravit. Descendisse dicitur, quando de superioribus et cœlestibus sedibus in hortum descendit, quem ipse humili loco plantavit : sed ad hoc ipse descendit, ut hortus (id est Ecclesia) ejus ad ipsum ascenderet. Unde et in sequentibus de horto, id est Ecclesia sua, dicit : « Quæ est ista quæ ascendit per desertum ? » « Ad areolam (inquit) aromatis. » Per areolam anima cujusque fidelis intelligitur, quæ disciplina cœlesti exculta et diligenter composita, ac laterum parilitate exquadrata est. « Ut pascatur (inquit) in hortis, » id est ut piis sanctorum laboribus delectetur. Ipse enim bonis nostris pascitur, in tantum, ut in paupere ipse reficiatur. « Et lilia (inquit) colligat, » hoc est, ut sanctas animas virtutis maturitate ad perfectum candorem perductas, ab hoc mundo ad se colligat et secum in æterna beatitudine gaudere faciat. Lilia enim sanctæ sunt animæ, virtutum studiis et bonis operibus candidatæ.

« Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. » « Ego dilecto meo, » subauditur, gratiam pastionum præparo ; « et dilectus meus mihi, » gratiam perfectionis, vel præmium æternæ remunerationis præstabit. Sive, « ego dilecto meo » in meipsa mansionem paro, et dilectus meus mihi, quia ipse in me habitat, et me in se habitare facit, sicut ipse in Evangelio dicit, « Ego in vobis, et vos in me. »

« Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Hierusalem. » Quærebat Ecclesia sponsum suum tanquam absentem, sed ille ut se semper præsentem ostenderet, eique de se colloquenti seque desideranti semper adesse demonstraret, cito respondet : « Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Hierusalem. » Pulchra es, quia maculam et rugam non habes peccati, sed omni nitore virtutum vernas. « Amica mea, » Ecclesia vel anima quæque fidelis. « Suavis et decora sicut Hierusalem. » Hierusalem, quæ visio pacis interpretatur, illam supernam civitatem designat, in qua est vera pax et felicitas ; quia ibi sic gaudent sancti de munere, ut non sit quod doleant de corruptione. Ergo Ecclesia, quæ adhuc in terris est, vel anima quæque fidelis, ad similitudinem illius Hierusalem suavis est et decora, quia illam pacem in quantum potest imitatur. Sequitur : « terribilis ut castrorum acies ordinata. » Terribilis est Ecclesia malignis spiritibus, et est ordinata ut castrorum

acies, cum videlicet unusquisque fidelis ordinem suum et vocationem suam recte custodit. Tres enim sunt ordines Ecclesiæ : doctorum, continentium, et conjugatorum ; quæ species in tribus viris illis demonstratæ sunt, Noe, Daniel et Job. Noe enim qui inter fluctus arcam rexit, sanctos doctores significat : Daniel, cælebs et castus, continentium ordinem significat ; Job, qui uxorem habuit et filios, ordinem conjugatorum exprimit. Ergo Ecclesia ordinata est sicut acies castrorum, quia unusquisque ordo Ecclesiæ velut in acie contra hostes malignorum spirituum consistit, dum sancti doctores prædicationi et doctrinæ operam impendunt. Continentes, quæ mundi sunt contemnentes, tantum quæ Dei sunt cogitant, et libera a terrenis occupationibus mente, soli Deo vacant. Conjugati eleemosynis et cæteris actualis vitæ operibus bonis insistunt, sicque utuntur mundo, ut quæ Dei sunt non deserant. Hæc ergo ordinatissima dispositio Ecclesiæ terribilis est immundis spiritibus, velut acies castrorum ad bellum ordinata, Sive pulchra est Ecclesia et decora sicut Hierusalem in virtutibus ; terribilis vero ut castrorum acies ordinata, quia imperium suum et potestatem proferre non cessat usque ad terminos totius orbis. Sive terribilis est ut castrorum acies ordinata, quia sic unitate charitatis connexa est et conjuncta, ut nulla vi maligni hostis, nulla peste discordiæ possit penetrari : nihil enim sic terret malignos spiritus quomodo charitas.

« Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. » Ac si diceret : Ego quidem dedi tibi oculos columbinos, quibus me intueri et arcana Scripturarum acutissime penetrare valeres ; sed cave ne illos ad me videndum modo intendere velis, quia dum in præsenti vivis, non potes : « Non enim videbit me homo et vivet. » Cum autem vinculis carnis absoluta ad me veneris, tunc me aperta visione videbis, et implebitur quod in Evangelio promittitur : « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. » Quod autem dicitur, « Quia ipsi me avolare fecerunt, » non est putandum quod Deus quærentes se deserat, et ab illis recedat, cum ipse præcipiat : « Quærite et invenietis, » sed ita potius accipiendum, quia quanto amplius quisque divinitatem majestatis Dei perscrutari voluerit, eo amplius intelligit quam imperscrutabilis atque incomprehensibilis sit. Et hoc est quod Psalmista dicit : « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus. » Ac si diceret : Licet homo ad videndum Deum cor sublevet, exaltabitur, quia quantus sit comprehendi non potest. « Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. » Hi versiculi superius expositi sunt, sed non pigeat iterato exponere, quos non piguit Spiritum sanctum repetere. Ideo enim bis istos versiculos posuit, ut certissimum et stabile teneremus quod sub repetitione confirmari audiremus. Capilli Ecclesiæ sanctæ multiplices sunt subtilium cogitationum varietate. Et bene comparantur gregi caprarum, nam

A capra peccatoris figura est. Unde et in lege præcitur ut quicunque per ignorantiam peccaverit, et cognoverit reatum suum, offerat pro delicto suo capram in holocaustum. Capilli ergo Ecclesiæ gregi caprarum comparantur, quia sancti, qui sunt membra Ecclesiæ, omnes reatus cogitationis suæ per dignam pœnitentiam et per lacrymas justæ compunctionis delere satagunt. Bene autem de monte Galaad apparuisse dicuntur. Galaad interpretatur acervus testimonii. Ideoque per Galaad mens sanctorum designatur, qui sunt acervus testimonii, quoniam omnia quæ sæculi sunt negligere, et solum Deum desiderare evidentissimis attestatur indiciis. Potest etiam per Galaad ipse Dominus et Redemptor noster intelligi. Galaad enim et montis et civitatis no-B men est. De monte ergo Galaad grex caprarum apparuit, quia Ecclesia super Christum est fundata, sicut ipse dicit : « Non potest civitas abscondi supra montem posita. » Ipse est acervus testimonii, quia multitudo prophetarum et patriarcharum gestis et scriptis ei testimonium perhibent.

« Dentes tui sicut greges ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis. » Per dentes Ecclesiæ firma sermonum ejus stabilitas intelligitur. Qui bene gregi ovium comparantur quæ de lavacro ascenderunt, quia verba Ecclesiæ nihil nisi innocentiam et mansuetudinem sonant, nihilque in se fœdum, nihil turpe vel immundum retinent, sed lavacro sinceritatis et pu-C ritatis lavantur, audientes ab Apostolo : « Sermo malus ex ore vestro non procedat. » Bene autem omnes gemellis fetibus esse dicuntur, quia sermo sanctorum nihil aliud sonat nec loquitur, nisi quod ad dilectionem Dei et proximi pertinet. Solummodo enim ea sancti loqui debent, quæ ad perpetuam corporum et animarum pertineant sanitatem.

« Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. » In genis diximus superius sanctorum castam verecundiam figurari ; in cortice mali punici, mysterium passionis Christi, audientes a Paulo apostolo : Noli erubescere crucem Christi, neque me vinctum ejus. Et hæc quidem magna sunt, quæ in aperto sunt ; maxima vero sunt illa quæ sunt intrinsecus, hoc est quæ in futuro sanctis reservantur.

D « Sexaginta sunt reginæ, et octaginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. » Reginæ sunt doctores sanctæ Ecclesiæ, qui merito fidei et scientiæ thoro regis æterni propinquant, et spirituales Deo filios pariunt. Sexagenarius numerus ex denario et senario perficitur. Denarius enim per senarium multiplicatus, in sexagenarium consurgit. Et denario significantur divina præcepta, propter decalogum legis ; senarius vero pro perfectione ponitur, quia sex diebus perfecit Deus opera sua. Reginæ ergo sexaginta esse dicuntur, quia eos significant, ut diximus, qui perfectione scientiæ et operis pollent, et propter solum amorem Conditoris sui et intuitum supernæ remunerationis prædicant. Hic etiam numerus, id est sexagenarius, ex duodenario quinquies ducto

conficitur. Nam quinquies duodeni, vel duodecies quini, sexaginta fiunt. Reginæ ergo sexaginta esse dicuntur, quia illos significant qui in Ecclesia constituti, quinque sui corporis sensus juxta institutionem duodecim apostolorum caste disponere noverunt. Concubinæ eos significant qui non sincere Christum prædicant, sed propter lucra temporalia vel propter laudes populares. Nam et istæ sunt reginæ, et ante thorum regis per scientiam accedunt, et filios spirituales generant, sed a corona æterni regni alienæ exsistunt. Et bene octogenario numero comprehenduntur, nam hic numerus ex denario et octonario conficitur. Octogenarius vero in malo accipitur aliquando, propter quaternarium, quo multiplicato consistit. Quaternarius enim temporalia quæque et præsentia significat, propter quatuor mundi climata, vel quatuor anni tempora. Recte ergo concubinæ istæ octoginta esse dicuntur, quia (ut dictum est) propter sola temporalia et visibilia prædicant, et spiritualia minus curant. De talibus Apostolus dicebat : « Sunt quidam Christum annuntiantes non sincere, » etc., donec dicit : « In hoc gaudeo, sed et gaudebo. » « Adolescentularum non est numerus. » Adolescentulæ sunt animæ jam in Christo regeneratæ, quæ deposita primi hominis vetustate, in Christo renovatæ sunt, necdum tamen sunt nobiles, necdum thoro regis aptæ, quia necdum ad perfectionem Christum prædicandi pervenerunt. Quarum non est numerus, quia infinitus est numerus animarum in Christo credentium, nec ab ullo homine comprehendi potest. Cæterum Deo numerati sunt omnes electi. Nam apud quem etiam stellarum numerus comprehensus est, ignorari non potest electorum numerus.

« Una est columba mea, perfecta mea, » hoc est una catholica per universum mundum diffusa Ecclesia, quæ ex reginis et adolescentibus constans, etiam concubinas habet, hoc est, quosdam qui nomine tenus Christiani vel doctores dicuntur. Una est ergo Ecclesia, quia scissuram et schismata non recipit, sed sicut unus est Deus, una fides, unum baptisma, ita una est generalis Ecclesia, quæ recte et columba vocatur, quia Spiritus sancti dote, qui in specie columbæ apparuit, Christo sponsata et sanctificata est. « Una est matri suæ, electa genitrici suæ. » Mater nostra illa est cœlestis Hierusalem, de qua Apostolus dicit : « Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. » Hæc ergo Ecclesia una est matri suæ, quia ad exemplum illius Ecclesiæ, quæ jam Christo fruitur, ipsa in hac peregrinatione instituitur et informatur, atque ad illam beatitudinem, in qua cum Christo regnat, pervenire nititur. « Viderunt illam filiæ, et beatissimam prædicaverunt reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam. » Quas superius adolescentulas, hic filias appellat. Reginas vero et concubinas in hoc loco ut superius intelligamus. Filiæ ergo, reginæ et concubinæ prædicant Ecclesiam et laudant, quia universitas fidelium catholicam admiratur Ecclesiam. Ipsa enim Ecclesia quæ ex multis fidelium constat personis, catholicam (id est universalem) Ecclesiam conficit.

« Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens? » Vox est Synagogæ. In fine siquidem sæculi cum plebs Judaica ad prædicationem Eliæ et Enoch conversa fuerit ad Christum, ipsa quoque admirabitur, dicens : Quæ est ista ? id est quanta et qualis est Ecclesia quæ progreditur ? hoc est, proficit de virtute in virtutem. Non enim stare, sed progredi dicitur Ecclesia, quia non in uno loco contenta, sed totum mundum cœlesti prædicatione occupavit. Quasi aurora progreditur, quia transactis tenebris infidelitatis, lumen veritatis habere ostendit. « Pulchra ut luna. » Lunam ferunt physici a sole illuminari. Et Ecclesia pulchra est ut luna, quia charitate sponsi sui Christi illuminatur, et ejus gratia resplendet. Sive pulchra est ut luna in præsenti vita, ubi aliquando concessa sibi pace et securitate crescit, aliquando adversitatibus obtrita decrescit. « Electa ut sol, » in alia vita, ubi perpetuo resplendebit gaudio de visione Conditoris sui. Sive electa est ut sol, quia illum verum imitari nititur, de quo scriptum est : « Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ. » Hunc solem imitatur vivendo in humilitate et justitia et pietate. « Terribilis ut castrorum acies ordinata. » Terribilis aeriis tempestatibus, ordinata ut castrorum acies, id est charitatis unitate unita, ut nullis tentationibus penetrari valeat.

« Descendi ad hortum nucum. » Laudata Ecclesia a Synagoga, respondet : « Descendi ad hortum nucum. » Hortus nucum est vita præsens. Nam sicut in nuce tegmen quidem durissimum videtur, sed nucleus latet, ita in præsenti vita nostræ conscientiæ clausæ sunt, et non apparent, donec fracta testa corporis manifestentur. Descendit ergo ad hortum nucum Ecclesia, quando per doctores suos vitam singulorum considerat. Unde sequitur : « ut viderem poma convallium. » Poma convallium sunt virtutes, quæ humilitate condiuntur. « Descendi (inquit) ad hortum, ut viderem poma convallium, » id est ut considerarem sanctos, excellentia quidem virtutum præditos, sed humilitate depressos. « Et inspicerem si floruisset vinea. » Hoc est ut considerarem qui in studio sanctarum virtutum proficerent. « Et germinassent mala punica. » Hoc est ut eos quoque perquirerem, qui jam apti sunt ad imitandam passionem Christi. Nam mala punica, ut sæpe dictum est, mysterium passionis Christi significant. Considerat ergo Ecclesia per prælatos suos, qui in virtutibus, vel qui jam perfecti sunt, ut imitantes passionem Christi, pro illo quoque idonei sint sanguinem fundere, quales erant illi quibus Apostolus dicebat : « Vobis datum est, non solum ut credatis in Christum, sed ut pro illo patiamini. »

« Nescivi. » Vox est Synagogæ. Quæ videns tantam Ecclesiæ gratiam inspecta veritate Evangelii, dolet quod antea non cognoverit fidem Christi, et quasi excusans se quod tarde conversa sit, dicit :

Nescivi, o sponsa Christi Ecclesia. Nescivi, id est non cognovi tantam gratiam et tanta dona spiritualium virtutum tibi a sponso tuo collata. « Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. » Conturbata (inquit) sum nimia animi sollicitudine, propter tam subitam Evangelii prædicationem. Sciebam enim legem et prophetas divinitus datos, et ideo cum subito vidissem prædicari Evangelium, conturbata sum propter quadrigas Aminadab. Aminadab abnepos fuit Judæ, per quem generatio Christi contexitur. Interpretatur Aminadab populi mei spontaneus, quia cum esset Deus, sponte factus est homo; cum esset conditor et creator, sola benignitate sua factus est portio populi sui. Et est sensus: Conturbata (inquit) sum propter subitam Evangelii prædicationem, quæ veluti velocissimæ quadrigæ, totum subito mundum pervolavit. Et bene hanc prædicationem non currus, sed quadrigas appellat, quia Evangelii prædicatio quatuor evangelistarum auctoritate consistit, et quatuor Evangelia quasi quadrigæ sunt Novi Testamenti, cui præsidet auriga ipse Christus temperans et disponens ipse cursum Evangeliorum.

« Revertere, revertere, Sunamitis. » Vox est Ecclesiæ, Synagogam ad fidem invitantis: « Revertere, revertere, Sunamitis. » Revertere, o Synagoga ab infidelitate ad fidem, revertere ab odio ad dilectionem. Sunamitis interpretatur captiva vel despecta. Talis erat Synagoga ante adventum Christi, captiva videlicet vinculo diaboli, et despecta a Deo, quia Christum ad salutem suam missum non cognovit. « Revertere, revertere, ut intueamur te, » id est ut pulchritudinem tuæ castitatis aspiciamus.

CAPUT VII.

« Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? » Vox est sponsi. Qui audiens invitari Synagogam a sponsa sua Ecclesia ad fidem, dicit: « Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? » Ac si diceret: Tu quidem, o sponsa, doles de perditione Synagogæ, et quod tarde ad fidem veniat, sed adest tempus quo convertatur, et tunc nihil videbis in ea nisi choros castrorum, id est nisi charitatis concordiam et stabile robur fidei, quo pro defensione meæ fidei pugnabit. Nam chori canentium sunt, castra vero militum pugnantium. In Sunamite ergo chori castrorum videbuntur, quia conversa Synagoga et concorditer Christum prædicabit cum Ecclesia, et pro fide Christi usque ad mortem pugnabit. « Quam pulchri sunt gressus tui! » Ab hoc loco incipit sponsus exponere laudes sponsæ suæ. Et notandum quod a gressibus incipit ejus pulchritudinem texere, et in ore laudes ejus finit, sicut superius ab oculis cœperat. Hoc autem fecit vel ad pulchritudinem carminis variandam, vel etiam quia sic mysteriis aptissimum est. « Quam pulchri (inquit) sunt gressus tui! » Vidit Ecclesiam non otiose in uno loco stantem, sed veloci prædicatione totum mundum peragrantem, ideoque a gressibus cœpit eam laudare. Gressus enim Ecclesiæ sunt velox prædicatio apostolorum, per quos in omnem terram Evangelium insonuit. « In calceamentis, » id

A est in patrum præcedentium exemplis. Calceamenta enim ex mortuis fiunt animalibus. Et calceamenta Ecclesiæ sunt Patrum præcedentium exempla, quibus gressus habet munitos, ut securius eum imitando et sine offensione gradiatur. « Filia principis. » Alia translatio, « filia Aminadab » dicit. Aminadab (ut superius dictum est) populi mei spontaneus dicitur, qui recte figuram Christi tenet; nam Ecclesia et filia est et sponsa. Filia, quia ejus sanguine redempta, ejus baptismate regenerata: sponsa, quia dote Spiritus sancti illi est conjuncta. « Juncturæ feminum tuorum sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis. » In feminibus vel in femoribus solet sacra Scriptura generationis propaginem designare. Unde de Jacob legimus: « Omnes animæ quæ egressæ sunt de femore B Jacob. » Femina ergo Ecclesiæ sunt spiritualis generatio credentis populi per verbum prædicationis et lavacrum regenerationis. Juncturæ feminum est conjunctio duorum populorum in una fide, judaici et gentilis. Et bene hæ juncturæ monilibus comparantur, quia fides utriusque populi maxime in operibus manifestatur. Nam « fides sine operibus mortua est. » Fabricata autem sunt manu artificis, hoc est Dei omnipotentis, cujus munere virtus boni operis credentibus tribuitur. Hic est ille artifex, de quo Paulus dicebat, quando memoriam Abrahæ patriarchæ faciebat: Exspectabat enim manentem civitatem, cujus conditor et artifex Deus est.

« Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. » Umbilicus frigidissima pars est cor- C poris, et ideo per umbilicum fragilitatem nostræ mortalitatis debemus accipere. Crater vero est calix major, ansas hinc inde habens. Umbilicus ergo Ecclesiæ, crater est tornatilis, quia quanto magis doctores Ecclesiæ suæ fragilitatis meminerint, tanto magis verbo prædicationis insistunt, ut eleemosynam verbi Dei præbentes, ipsi misericordiam a Deo consequantur. Et bene crater tornatilis dicitur. Torno enim facilius operamur, per quod significatur facilitas erogandi verbum vel eleemosynam dandi. Non enim morose, nec hæsitando eleemosyna danda est, juxta quod Salomon dicit: « Ne dixeris amico tuo: Vade et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare. » Quod etiam torno fit, non eget exterius ad- D hibita regula vel linea, sed inerrate ex seipso perficitur. Umbilicus ergo Ecclesiæ crater est tornatilis, quia quicunque vel prædicat, vel eleemosynam dat, pro sola dilectione et supernæ mercedis exspectatione hoc facere debet. Nam quicunque vel prædicat, vel proximis miseretur pro remuneratione temporali vel laude, crater est, sed non tornatilis. Et hic crater nunquam indiget poculis, quia prædicatoribus nunquam deest prædicatio verbi Dei, quia ipse quem prædicant, pocula scientiæ et virtutem constantiæ illis subministrat. Unde et Psalmista: Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.

« Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis. » Eadem fragilitas quæ per umbilicum designata est, ostenditur hoc loco per ventrem, quia venter nulla

ossium firmitate premitur. Bene ergo venter Ecclesiæ acervo tritici comparatur, quia sancti quique quanto magis memores sunt suæ fragilitatis, eo studiosius ad proferendos bonorum operum fructus insistunt. Et recte non copiam tritici, sed acervum tritici dicit, ut per hoc significet incrementa virtutum, quæ veluti acervus ab inferioribus ad superiora crescendo conscendunt. Nam sicut acervus inferioribus lata amplitudine spatiatur, superius vero quadam brevitate contrahitur et acuminatur, ita in Ecclesia multi sunt qui indulgentius vivunt, pauci vero qui summæ perfectioni insistunt. Plures enim inveniuntur qui de bonis suis eleemosynam faciunt, quam qui sua pro Deo relinquunt. Hic acervus liliis vallatus dicitur, quia sancti bona quæ faciunt, pro desiderio supernæ claritatis et candoris agunt. Nam per lilia cœlestis illa claritas designatur. Potest etiam per ventrem Ecclesiæ divinitus fons baptismatis accipi, quo fideles in novam creaturam regenerantur. Hic ergo venter acervo tritici vallato liliis comparatur, quia regenerati fonte baptismatis, docentur bonis insudare operibus, et ad intuendam supernæ claritatis gloriam semper inhiare.

« Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ. » Ubera Ecclesiæ, sicut jam superius dictum est, sanctos doctores significant, qui parvulos quosque (hoc est, nuper in Christo regeneratos) lacte apertioris et facilioris doctrinæ instruunt. Bene autem duo ubera dicuntur, quia de duobus populis, judaico videlicet et gentili, fideles congregantur, et lacte spiritualis doctrinæ aluntur. Hæc duo ubera sicut duo hinnuli capreæ gemelli esse dicuntur. Duo hinnuli sunt duo Testamenta, quibus eorumdem doctorum omnis prædicatio subsistit, quorum Testamentorum unus est auctor et promulgator Christus, juxta quod Salomon dicit: Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ data sunt a pastore uno, Christo videlicet. Caprea enim recte Christum significat, quia et intuitu et velocitate cæteris animantibus præeminet, et mundum est animal ungulam dividens et ruminans. Tales enim sunt membra Christi, doctores videlicet, intuitu scientiæ insignes, et ea velocitate terrena deserentes, atque ad cœlestia festinantes. Dividens ungulam, id est habens boni et mali discretionem; et ruminans, hoc est sedula memoria præcepta Dei meditans.

« Collum tuum sicut turris eburnea. » Doctores sancti, qui designantur per ubera, ipsi designantur et per collum. Nam per arterias colli vox egreditur, et colli ministerio cæteris membris vitalia alimenta ministrantur. Sic sancti doctores et verba vitæ populis annuntiant, et alimento doctrinæ cœlestis eos nutriunt. Collum ergo Ecclesiæ turri eburneæ comparatur, quia sancti doctores ejusdem Ecclesiæ et pulchritudinem et robur præstant. Pulchritudinem quidem, quæ per candorem eboris designatur, caste et sincere vivendo. Robur vero præstant, quod significatur per turrim, quando eamdem Ecclesiam contra tentationes diaboli vel impetus hæreticorum **A** muniunt. « Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. » Id est, ipsi doctores, qui per collum designati sunt, designantur et per oculos. Ipsi enim oculi universo corpori Ecclesiæ provident, et iter quod ingredi debeant, ostendunt. Hi oculi Ecclesiæ comparantur piscinis Hesebon in porta civitatis, quia sancti doctores populos in Christum credentes vitali lavacro abluunt, et salutaris doctrinæ potu reficiunt. Filia autem multitudinis vocatur Hesebon juxta litteram, ob multitudinem confluentium inibi populorum. Sic et sancta Ecclesia recte dicitur filia multitudinis, quia numerositatem quotidie colligit gentium. Hesebon autem interpretatur cingulum mœroris. Oculi ergo Ecclesiæ **B** piscinis Hesebon comparantur, quia sancti doctores, neglectis caducis sæculi gaudiis, cingulo mœroris se constringunt, quia caste et sobrie viventes in hoc sæculo, et pro suis erratibus deflent, quatenus in præsenti lugentes, ad vera æternaque possint pervenire gaudia. In porta autem Hesebon hæ piscinæ esse dicuntur, quia nullus Ecclesiam ingredi valet, nisi prius aqua baptismatis abluatur, et nisi fonte salutaris doctrinæ potetur. Hoc etiam significabat labrum æneum, quod Salomon in porticu templi posuerat, ut sacerdotes ingressuri templum, et hostias immolaturi, ibi corpora abluerent.

« Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. » Quia naso fetores et bonos odores discernimus, recte per nasum Ecclesiæ iidem sancti doctores intelliguntur. Ipsi enim sagaciter **C** discernere noverunt inter fragilitatem catholicæ fidei doctrinam et letiferum hæretici corporis fetorem. Nam et in divinis charismatibus, quæ per Spiritum sanctum distribuuntur, dicitur: Alii datur per Spiritum discretio spirituum. Nasus ergo Ecclesiæ turri Libani comparatur, quia sancti doctores et summum locum in Ecclesia tenent, ac veluti in Libano monte consistunt, et defendunt Ecclesiam a malignorum spirituum incursibus. Hæc turris contra Damascum esse dicitur. Damascus metropolis civitas est Syriæ, quæ quondam contra filios Israel, utpote fortissimos et crudelissimos reges habens, dimicabat. Interpretatur autem Damascus, sanguinis potus, vel sanguinis oculus. Ferunt ibi Abel interfectum, ideoque significat potestates hujus sæculi, quæ sanguinis po**D**tum sitiunt, quia voluptatibus et illecebris carnis et sanguinis delectantur. Significat etiam aerias potestates, quæ animarum nostrarum cruorem sitiunt. Contra Damascum ergo est hæc turris, quia hæc Ecclesia semper diabolo et membris illius, adjutorio Christi munita, resistit.

« Caput tuum ut Carmelus. » Caput ergo Ecclesiæ principalitas mentis fidelium intelligitur: nam sicut capite membra reguntur cætera, ita mente cogitationes disponuntur. Bene autem caput Ecclesiæ Carmelo comparatur. Carmelus enim, qui et Carmel dicitur, interpretatur cognitio vel scientia circumcisionis. Ergo caput Ecclesiæ Carmelo assimilatur, quia novit circumcisionem aliquando corporaliter

celebratam, nunc se spiritualiter observare debere, juxta quod Propheta dicit : « Circumcidimini Domino in cordibus vestris. » Hanc sententiam circumcisionis non habuerunt Judæi, ideoque reprehenduntur a beato Stephano protomartyre dicente : « Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, semper Spiritui sancto restitistis. » In libro quoque Regum legitur quod Elias in montem Carmeli ascenderit, et ibi orando aridam terram cœlestibus pluviis irrigaverit, post longam trium annorum et semis siccitatem. Quæ historia pulchram redolet allegoriam. Nam Elias, qui interpretatur Deus meus Dominus, Christum significat. Qui cum sit Deus et Dominus omnium et totius creaturæ, specialiter suus, id est proprius, est Deus et Dominus Ecclesiæ. Hic in Carmelum ascendit, quando per gratiam suam mentes fidelium suorum conscendit, et per eos arenti mundo gratiarum suarum pluvias tribuit. Recte ergo (ut dictum est) caput Ecclesiæ Carmelo monti* comparatur, quia mens sanctorum conversatione sublimis est, et Christo in se ascensum præbet per profectum virtutum.

« Et comæ capitis tui ut purpura regis vincta canalibus. » Si per caput Ecclesiæ mens accipitur, per comas capitis cogitationes mentis debemus accipere, quæ assidue de illa prodeunt. Purpureus vero color, qui sanguinis habet speciem, mysterium Dominicæ passionis significat. Juxta litteram quod dicit, « purpura regis vincta canalibus, » significat lanam jam purpureo colore confectam et necdum in fila deductam, sed adhuc in canalibus constitutam, quas Græci Βάτια vocant, in quibus sanguis conchyliorum solet defluere, et lanam in purpureum vertere colorem. Mystice canales istæ humilitatem sanctorum significant, in quibus æterni regis purpura tingitur, cum sancti quique humilitatem sui Redemptoris imitando, passionum illius conformes fieri satagunt, quatenus in purpuræ dignitatem vertantur ; id est, laborantes pro Christo, mereantur regnare cum Christo. Vincta autem hæc purpura esse dicitur, quia sanctorum præcordia fixa sunt et stabilita in timore et amore Redemptoris sui, nec unquam a charitate ejus separari possunt.

« Quam pulchra es et quam decora, charissima, in deliciis. » Quam pulchra es, scilicet in fide, et decora in operatione, charissima in deliciis. Supra dictum est de Ecclesia : « Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ; » hic vero dicitur, « Pulchra et decora, charissima in deliciis ; » quæ quasi contraria esse videntur. Nam ordinatam esse velut castrorum aciem, et esse in deliciis, repugnat, quia deliciæ fortitudinem militum solent enervare. Sed sancta Ecclesia utrumque agit. Ordinata est velut castrorum acies, quia infidelibus hæreticis resistit, et malignos spiritus sua sanctitate et perfectione terret. In deliciis etiam est, quia suavitatem supernæ dulcedinis assidue palato mentis degustat, et inter pressuras hujus sæculi illas adipisci desiderat et continue illis satiari. Unde merito illa quæ talis est, sponso suo Christo charissima esse dicitur.

« Statura tua assimilata est palmæ. » Statura Ecclesiæ est perfecta ejus rectitudo. Neque enim ad vitia incurvatur, sed recta et immobilis persistit. Unde Psalmista exspectantium voce dicebat : « Incurvatus sum et humiliatus usquequaque. » Et propheta sub specie Hierusalem peccanti animæ de malignis spiritibus dicit : « Quia humiliaverunt te, et dixerunt animæ tuæ, Incurvare ut transeamus. » At contra sancta Ecclesia recta stat, nec unquam incurvari consentit, audiens ab Apostolo : « Vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini, et omnia vestra in charitate fiant. » Et Dominus filiis Israel loquitur : « Ego sum Dominus Deus vester, qui eripui vos de ergastulo Ægyptiorum, ut incederetis recte. » Statura ergo Ecclesiæ palmæ assimilatur, quæ in omnibus quæ agit semper in memoria supernam retinet remunerationem. Palma enim victricem ornat manum, et ideo significat præmium illud quod victoribus sanctis in cœlestibus est dandum. « Et ubera tua botris. » Ubera Ecclesiæ (ut superius dictum est) sunt doctores sancti, qui lacte simplicis doctrinæ regeneratos in Christo nutriunt. Sed hæc ubera botris assimilantur, quando iidem doctores perfectis perfectiora denuntiant, sicut Apostolus loquens simplicioribus, dicebat : « Non potui vobis loqui tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus ; tanquam parvulis in Christo lac potum vobis dedi, non escam. » Ecce ubera lactis plena. Quæ ubera in botros sunt versa, cum diceret : « Nos prædicamus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, et loquimur sapientiam inter perfectos. »

« Dixi, ascendam in palmam, apprehendam fructus ejus. » Ut ostenderetur omnis hæc excellentia et magnitudo donorum Ecclesiæ de Dei gratia venire, introducitur idem sponsus dicens : « Ascendam in palmam. » Quasi diceret : Inde habes ubera ad nutriendos parvulos, unde habes botros, quibus perfectioribus perfectiorem propines doctrinam, quia ego mea gratia in te ascendi, et hanc tibi perfectionem concessi. « Ascendam (inquit) in palmam. » Palma Ecclesiam significat, vel etiam animam cujuscunque fidelis, qui memor est Domini Dei sui qui dicit : Confidite, ego vici mundum. Ipsa quoque omnium vitiorum et iniquitatis victrix esse studet. Bene autem in palmam hic ascendisse dicitur, cum superius in hortum descendisse legatur. Dixit enim Ecclesia : « Dilectus meus descendit in hortum suum. » Idem est hortus quod et palma, videlicet una eademque Ecclesia. Sed in eam Dominus descendit, et ad eam ascendit. Descendit in eam, copiam suæ gratiæ illi de cœlestibus mittendo ; ascendit ad illam, dona sua in ea incrementando, eamque quibusdam profectibus veluti quibusdam gradibus ad celsiora sublevando. Sed et hoc de natura palmæ est sciendum, quod in inferioribus aspera est, in superioribus pulcherrima decore foliorum et pulchritudine fructuum. Sic et sancta Ecclesia in inferioribus

asperitatem laborum et passionum sustinet pro Christo ; in superioribus vero, hoc est in cœlestibus, pulchritudinem et suavitatem exspectat præmiorum. Potest et per palmam arbor Dominicæ crucis exprimi, in quam Redemptor noster pro humani generis redemptione ascendit, et in qua hostem humani generis superavit. Ait ergo : « Dixi, ascendam in palmam ; » id est, per meos prophetas locutus sum, et promisi me ad passionem venturum, et meam Ecclesiam redempturum. « Apprehendam (inquit) fructus ejus ; » id est fructus bonorum operum et laborum, quibus Ecclesia desudat remunerando ; vel etiam secundum meum sensum, quo per palmam crux intelligitur. « Apprehendam fructus, » id est, impleto triumpho passionis, veniam ad gloriam resurrectionis, et apostolis meis spiritualia dona concedam. « Et erunt ubera tua sicut botri vineæ. » Hoc superius jam expositum est : nam ubera Ecclesiæ doctores sunt, cum parvulos simplici doctrina nutriunt ; sed botri vineæ efficiuntur, cum perfectioribus sublimia quæque annuntiant. Nam beatus Paulus uno eodemque tempore ubera et botros habuit, quando de Christo loquens dixit : « Quorum patres, et ex quibus Christus. » Ecce ubera, id est simplex de Christo prædicatio. Sed hæc ubera in suavissimum et fortissimum vinum conversa sunt, cum subjunxit : Qui est Deus benedictus in sæcula.

« Et odor oris tui sicut malorum. Guttur tuum sicut vinum optimum. » Os et odor Ecclesiæ, est præsens ejus prædicatio, quæ fama vel scripto ad absentes ejus pervenit. Guttur vero est vox ipsa prædicatoris, quæ in præsenti auditur. Odor ergo oris Ecclesiæ odoribus malorum comparatur, quia ipsa fama prædicationis plena est suavitatis et gratiæ. Guttur vero vino optimo assimilatur, quia ipsa vox prædicantium magnam in se virtutem auditoribus ostendebat. Quod vero malorum odor in novitate est, vini vero in vetustate, significat prædicationem Ecclesiæ et in sui novitate, et etiam in sui perfectione omnem habere suavitatem et gratiam. « Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ruminandum. » Vox Ecclesiæ est. Quæ audiens se laudari a sponso, gratulabunda respondet : « Dignum dilecto meo ad potandum. » Ac si diceret : Sponsus meus guttur meum vino optimo comparavit, et illud vinum dignum est ad potandum ipso dilecto meo, hoc est prædicatio evangelica, quam in ore meo posuit, per ipsum, et non per alium annuntiari debet in mundo. Neque enim per alium decebat mysteria regni cœlestis prædicari in mundo, quam per mediatorem Dei et hominum. « Et labiis (inquit) et dentibus illius ruminandum. » Labia et dentes sponsi, ut supra dictum est, doctores sancti sunt. Illud ergo vinum optimum ruminandum est labiis et dentibus sponsi, quia prædicatio evangelica a doctoribus tractanda et exponenda est. Nec absurdum est, quod cum vinum potetur, et non ruminetur, hic tamen dicitur labiis et dentibus ruminandum, quod magis ad cibum quam ad potum pertinet. Nam sancti doctores vinum spirituale ruminant, quando præcepta evangelica diligenter exquirunt, et crebra meditatione investigant atque invicem conferunt.

« Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. » « Ego dilecto meo, » subaudis obsequium justitiæ et devotionis impendo : illi, et non alteri fidem et servitutem meam promitto. « Et ad me conversio ejus, » ut me in præsenti inter labores et ærumnas hujus vitæ tueatur, et in futuro ad gaudia vitæ cœlestis inducat. Potest etiam hæc esse vox Synagogæ ex persona sanctorum Patrum, adventum Christi desiderantium. Ac si diceret : Scio (inquit) illum spirituali præsentia mihi semper adesse, et ideo ego dilecto meo omni devotione famulari cupio, sed tandem « ad me conversio ejus, » quia opto ut tandem, sicut promisit, in mea substantia mihi appareat. Nam dixerat supra sponsus : « Ascendam in palmam ; » id est, promiserat se in carne venturum, et pro humano genere passurum, et inde gratulabunda dicebat, « Ego dilecto meo, et ad me fit conversio ejus ; » id est, credo illum hominem venturum, et in mea substantia hominem mundo manifestandum.

« Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. » Ejusdem Synagogæ vox est, « Veni, dilecte mi, » id est, appare per assumptum hominem. Tale est et illud Psalmistæ, « Excita potentiam tuam et veni ; » et Isaiæ, « Utinam dirumperes cœlos, et venires. » « Egrediamur in agrum. » Ager, mundus iste est. « Egrediamur (inquit) in agrum, » id est, prædicemus mundo. « Commoremur in villis, » hoc est, ipsis quoque paganis fidem tuam annuntiemus. Nemo nescit paganos a villa dictos, quia πάγος Græce, villa dicitur Latine. Inde pagani dicti, quia longe sunt a civitate Dei. Potest et vox Ecclesiæ esse, « Veni, dilecte mi. » Ac si diceret : Jam mysterio ascensionis assumptum hominem ad cœlos sublevasti, sed veni, divinæ majestatis præsentia me sæpius visitando. « Egrediamur in agrum. » Eodem sensu quo et superius, Prædicemus tuæ incarnationis fidem mundo. « Commoremur in villis ; » id est, etiam ignorantibus te paganis tuam fidem annuntiemus, nec in transitu, sed commoremur tibi, donec illos ex paganis catholicos, ex alienis tibi proprios faciamus.

« Mane surgamus ad vineas. » Mane exortus est novæ gratiæ, quando videlicet, transeuntibus tenebris infidelitatis, Evangelium mundo cœpit prædicari. « Videamus si floruit vinea. » Hoc est, inspiciamus Ecclesiam, si jam prima fidei rudimenta suscepit. « Si flores fructus parturiunt. » Inspiciamns etiam si flores parturiunt fructum, id est, si illi qui jam in Christum crediderunt, idonei sunt ad bene operandum. Nam flores emittit Ecclesia, cum primum fideles ad fidem veniunt. Flores vero fructus parturiunt, cum jam ipsa fide et dilectione bene operatur, ne ipsa fides otiosa sit, vel mortua sine operibus ; nam, ut Jacobus dicit, « fides sine operibus mortua est. »

« Si floruerunt mala punica. » Mala punica (ut supra dictum est) rubicundum vel sanguineum habent corticem, et ideo significant passionem Domini, vel membrorum ipsius. Dicit ergo, « Si floruerunt mala punica, » hoc est, si sancti qui jam fide et opere perfecti sunt, idonei etiam sint imitari passionem Christi et pati pro illo. Mala punica erant illi quibus Apostolus dicebat : « Vobis datum est non solum nosse, verum etiam ut pro illo patiamini. » « Ibi dabo tibi ubera mea. » Ubera Ecclesiæ doctores sunt, qui fideles primum ad fidem erudiunt. Cum (inquit) ad vineas exierimus, ibi dabo tibi, o sponse, ubera mea, hoc est tibi filios generabo. Unde adhuc subditur :

« Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris. » Mandragora herba est aromatica, cujus radix similitudinem habet humani corporis. Poma ejus optimi sunt odoris, in similitudinem pomi Matiani [a], quod nostri terræ malum vocant. Hæc herba rebus medicinalibus aptissima est. Nam ferunt eos qui incommodo vigiliarum laborant, haustu hujus pomi relevari, et posse dormire, Item ferunt eos qui ob curam secandi sunt, si exteriorem hujus pomi corticem biberint, non sentire sectionem vel adustionem [b]. Quæ omnia si quis mystice disquirere voluerit, spirituales sensus et Ecclesiæ convenientes ibi inveniet. Dicit ergo, « Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris. » Portæ Ecclesiæ sunt apostoli et eorum successores, quia nemo civitatem Dei (id est Ecclesiam) intrat, nisi per sanctos doctores aqua baptismatis regeneratus et vitali doctrina instructus fuerit. De his portis Psalmista dicebat : « Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob » Mandragoræ autem fragrantiam virtutum designant. In portis ergo Ecclesiæ mandragoræ odorem dederunt, quando apostoli vel successores eorum famam suavissimæ opinionis et odorem virtutum longe lateque sparserunt. Ideoque invitat sponsum suum ut veniat, quia jam nomen ejus longe lateque per apostolos annuntiatur, et odor prædicationis Christi longe lateque dispergitur. « Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi. » Id est, præcepta vel promissa Veteris Testamenti et Novi servavi tibi, o dilecte mi. Sciebat enim omnia quæ in Veteri Testamento annuntiata sunt, non nisi per Christum et in Christo posse compleri. Ideoque dicebat, Tibi servavi poma nova et vetera, hoc est, te exspecto, ut per te impleantur in Novo Testamento quæ prædicta sunt in Veteri. Unde et in passione sua jam pendens in cruce, cum gustasset acetum, dixit: « Consummatum est. » Et post resurrectionem apostolis : Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege et prophetis et psalmis de me, Possunt etiam poma nova A et vetera justorum personæ intelligi, qui vel in Veteri vel in Novo Testamento fuerunt. Dicit ergo Ecclesia, Servavi tibi nova et vetera, id est, justos qui in Veteri Testamento præcesserunt, vel in Novo subsecuti sunt, tibi servavi, ut per te laborum suorum præmia perciperent. Nullus enim justorum regnum cœlorum intrare valuit, nisi per Christum : quia ipse primus ascendit, et sequentibus suis membris cœlum aperuit.

CAPUT VIII.

« Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ ? » Ex his verbis intelligitur totum hoc carmen divinum esse et spirituale, et nihil in se quod juxta litteram intelligi possit, habere. Quæ B enim unquam amatrix hoc optavit ut is quem diligit, parvulus efficiatur, et ejus frater, et in infantem versus sugat ubera matris suæ ? Est ergo vox illius Ecclesiæ, quæ adventum Christi præcessit, quam Synagogam (id est congregationem) appellamus. « Quis (inquit) mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ? » Et est sensus, Tu qui modo es in sinu Patris, quis det ut homo efficiaris, et particeps ac consors meæ naturæ existens, frater meus appelleris? Nam ipse se fratrem apostolorum vocare dignatus est, dicens per Psalmistam : « Narrabo nomen tuum fratribus meis. » Et post resurrectionem mulieribus, « Ite, inquit, nuntiate fratribus meis. » « Sugentem ubera matris meæ, » inquit, hoc est, implentem omnia quæ naturæ humanæ conveniunt, C excepto peccato. Nam mater Synagogæ in hoc loco ipsa humana natura intelligitur, de qua ipsa Synagoga exorta est. « Sugentem (inquit) ubera matris meæ, » id est, sustinentem omnia quæ humanæ fragilitati competunt. « Ut inveniam te foris. » Hoc est, ut hominem factum in aperto videam. Quasi enim intus erat Deus, cum jam in sinu majestatis paternæ lateret, sed foris inventus est, quando homo factus sobolem vilem se hominibus præbuit, et incomprehensibilis voluit comprehendi. « Et deosculer te. » Et deosculer te, inquit, id est, manifesta te aspiciam visione, quem nunc tantum in fidei teneo osculo, quod initio hujus carminis optavit, dicens : « Osculetur me osculo oris sui, » D id est, per semetipsum jam veniat ut mihi appareat. Quasi enim per prophetas osculabatur Ecclesiam dilectus, cum adventum suum per eos repromitteret. Optat ergo ut per seipsum veniens illam osculetur, hoc est in carne sua præsentiam exhibeat. « Et jam me nemo despiciat. » Quasi enim despecta erat ante Synagoga quam Christus veniret, quia jam legalibus observationibus dedita, sub typo et figura, et non in veritate adventum Christi

[a] Poma Matiana Romæ Maximo in honore fuisse, advecta e quodam pago, in Alpibus sito prope Aquileiam, testatur Athenæus lib. III, cap. 7. Et hinc memorantur veteribus non semel, ut Columellæ libro v, cap, 10, 19, et Macrob. lib. II, cap. 15, ubi de diversis malorum et pirorum generibus agit ; eaque a Caio vel Cneo *Matio* nomen habere indicat Plinius lib. xv, cap. 14 ; quem ex equestri ordine, Augusti amicum, et arborum serendarum studiosissimum fuisse tradit lib. xII, cap. 2. EDIT.

[b] Ex his patet, ut tradunt etiam alii, jam medio ævo chirurgos in exsectione membrorum vel cauterisatione vulnerum somniferis plantarum succis patientem sopire solitos, sic doloris inscium. EDIT.

prædicabat. At postquam Jesus apparuit, et adventus sui gratia mundum lustravit, jam nemo despexit eam, quinimo terribilis ut castrorum acies hostibus suis fuit, quia per universum mundum Christum prædicavit, et mundanum imperium sibi subdidit. Nec mirum videri debet si nunc Ecclesiam Synagogam dicimus. Una est enim Ecclesia in præcedentibus et in sequentibus Patribus.

« Apprehendam te, et ducam te in domum matris meæ. » O dilecte, per fidem et charitatem tibi adhærendo, ducam te in domum matris meæ. Mater Ecclesiæ, hoc loco cœlestis Hierusalem intelligitur, de qua Paulus dicit : Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. « Ducam te (inquit) in domum matris meæ, » id est, prosequar te revertentem in cœlum, post actum incarnationis tuæ et passionis mysterium. Ducam autem te, inquit, pro eo quod est, deducam et prosequar, quia ascendentem Dominum in cœlos apostoli oculis deduxerunt, et quousque eum nubes suscepit, pio aspectu prosecuti sunt, donec angeli assistentes dixerunt : « Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum ? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. » « Ibi me docebis. » Hoc ad superiora refertur, ubi dicitur : « Inveniam te foris. » Cum (inquit) te foris invenero, hoc est, cum te in assumpta carne aspexero, ibi docebis me, quia ad omnia quæ interrogare voluero, respondebis. Nam sæpe etiam volentes interrogare apostolos Dominus præveniebat, eosque instruebat. Potest et ad hunc locum jungi, ubi dicit : « Ducam te in domum matris meæ, ibi me docebis. » Cum (inquit) cœlo receptus fueris, et me quoque in cœlum tecum assumpseris, ibi me docebis, et in omnem veritatem induces, quod impossibile est homini in præsenti vita posse consequi ; hinc est quod Dominus repromittit apostolis, dicens : « Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. » Ergo ibi me docebis, id est, te et Patrem mihi aperta visione revelabis, hoc est, divinitatem tuam mihi facie ad faciem ostendes. « Et dabo tibi poculum ex vino condito. » Per vinum fervor charitatis et dilectionis intelligitur. Dabo (inquit) tibi vinum, hoc est, ostendam quam ferventissima charitate te diligam. Et hoc vinum non simplex erit, sed conditum, bonis videlicet operibus et virtutibus. Nam amor Dei, sicut beatus Gregorius dicit, nunquam est otiosus, operatur magna si est. Si enim operari renuit, amor non est. Vinum enim conditum est dilectio cum operatione. Unde et Dominus in Evangelio : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit. » Probatio dilectionis exhibitio est operis. « Et mustum malorum granatorum meorum. » Malum granatum idem est quod et malum Punicum. Dicitur autem malum granatum, eo quod multitudine granorum sit plenum. Malum Punicum, eo quod in Africa plurimum abundat. Punica enim ipsa est Africa. Habet autem corticem sanguinei coloris, et ideo (ut sæpæ dictum est) figuram tenet Dominicæ passionis. Mustus enim malorum granatorum est dilectio sanctorum martyrum, qui intantum Deum dilexerunt, ut pro illo mori non dubitarent Et bene mustum dicitur, non aliud quodlibet poculum, quia mustum ferventissimum est, ita ut in nimio fervore omnem sordem ex se excoquat et purget. Dabit ergo Ecclesia dilecto mustum granatorum suorum, id est, ostendet in passionibus sanctorum martyrum quanta charitate Christus diligatur.

« Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. » Per lævam (ut beatus Gregorius dicit) omnia prospera præsentis vitæ accipiuntur ; per dexteram vero futura beata vita in cœlis accipitur. Lævam ergo sponsi Ecclesia sub capite habet et dextera ejus illam amplexatur, quia quæcunque prospera præsentis sæculi blandiuntur, pro nihilo deputat, cuncta quæ temporaliter arrident despicit ; et dum ad solam supernæ beatitudinis visionem tendit, illam solummodo amplexari desiderat.

« Adjuro vos, filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit. » Habet Ecclesia quosdam in se qui baptismo Christi sunt renati, et nomine Christianitatis titulati, moribus tamen et conversatione sæculo serviunt, et Ecclesiam suavissima sopitam quiete inquietare, atque ad perferendos tumultus excitare nituntur. Hi ergo propter gratiam mysteriorum Christi, quæ perceperunt, filiæ Hierusalem appellantur in hoc loco, cum tamen moribus contraria agant. Et adjurat eos sponsus ne suscitent vel evigilare faciant dilectam, hoc est, ne illam in somno dulcissimæ quietis positam, hoc est, in contemplatione sui Conditoris sua inquietudine excitent, et ad sollicitudines et curas sæculi evigilare compellant. « Donec ipsa velit ; » hoc est, donec peracto officio debitæ servitutis, qua in psalmis, hymnis et cantibus spiritualibus Deo famulatur, admoneatur iterum cura corporeæ fragilitatis ad usum sæculi redire

« Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum meum ? » Vox Synagogæ, admirantis Ecclesiam de gentibus congregatam. Quæ est, inquit, id est qualis est, quanti meriti, quæ ascendit de deserto ? Derelicta enim fuerat a Deo per idololatriam et veritatis ignorantiam. Ascendebat ergo virtutum gradibus de deserto, hoc est de errore infidelitatis, in quo ad tempus derelicta fuerat. « Deliciis affluens, » id est virtutibus abundans. « Innixa (inquit) super dilectum meum, » id est, fiducialiter agens in Christo, et omnes virtutes suas et cuncta bona ad ejus gratiam referens, sciebat se nihil suis viribus boni implere posse, ideoque cum Apostolo dicens : « Gratia Dei sum id quod sum. » Et notandum quod dicit, Super dilectum meum. Nam Synagoga solam putabat se habere cognitionem Dei, cæteris gentibus in ignorantia

destitutis. « Notus enim, » ut ait Psalmista, « in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. » Sed ita miranti respondet Synagogæ ipsius sponsus et dilectus quod sequitur.

« Sub arbore malo suscitavi te. » Arborem malum, crucem Dominicam debemus accipere, de qua arbore suscitata est Synagoga, quia ipsa a prævaricatione originalis peccati et potestate diaboli per crucem Christi redempta est, ibi suscitata est quæ peccatis mortua erat. Et bene arborem mali dicit. Nam, ut supra dictum est, huic arbori Christum comparavit, dicens : « Sicut malum inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. » « Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. » Matrem et genitricem Synagogæ, majorem et principaliorem Judaicæ plebis patrem dicit, quales erant Scribæ et Pharisæi, qui Christum Pilato tradiderunt, qui reliquam plebem tanquam mater et genitrix regere debebant et erudire, et quales erant illi qui suadentibus illis principibus, improbe acclamabant : « Crucifige, crucifige eum. » Hæc ergo mater Synagogæ sub arbore malo corrupta est et violata, quando se suosque posteros crudeli maledictione constrinxit, dicens : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros : » nam et isti sub cruce Christi erant, licet non fide et devotione, tamen crudeles vindictæ sibi et suis posteris imprecatione.

« Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. » Quia (inquit) sub arbore malo suscitavi te, hoc est, quia passione mea in cruce te redemi, pone me ut signaculum super cor tuum, hoc est, habeto me semper in memoria, et ne obliviscaris mei, quanta pro tua salute pertulerim. Pone me (inquit) ut signaculum super cor tuum per fidem, pone me ut signaculum super cor tuum per dignam operationem. Nam et nos quando aliquid in memoria habere volumus, signaculum digito vel brachio imponere solemus, ut illo admoniti, illius rei cujus curam habemus recordemur. Et nos ut signaculum super cor et brachium Christum ponere debemus, ut ejus memoriam semper habeamus, et ut recte in illum credentes, fidem ipsam bonis operibus exornemus. Quod si fecerimus, ipse quoque nos velut signaculum assumet, et nostri recordabitur, juxta quod Zorobabel duci Judææ repromittit : « Et ponam te sicut signaculum in conspectu meo. » Nam si nos beneficiorum ejus obliti fuerimus, nec ei dignas gratiarum actiones retulerimus, ipse quoque nostri obliviscetur, sicut de impio rege Jechonia filio Joachim dicitur : « Si fuerit annulus dexter in manu mea, inde evellam eum. » « Quia fortis est ut mors dilectio, dura ut inferus æmulatio. » Dilectio Christi fortis est ut mors. Sicut enim mors animam a corpore separat, et jam nihil concupiscere, nihil in præsenti vita homini licet ambire, ita dilectio Christi quem vere pervaserit, totum huic sæculo mortificat, et quasi insensibilem reddit, solumque pro Christo vivens, mundo mortuus est. Idem sensus est cum dicit : « Dura ut inferus æmulatio. » Nam sicut infernus eos quos semel recipit nunquam restituit, sed semper retinet, ita verus Christi amor quem semel acceperit, nunquam dimittit; unde Apostolus dicit : « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? » Sed et dilectio Christi hoc loco potest accipi, cujus dilectio fortis fuit ut mors, quia in tantum dilexit nos, ut pro nobis immortalis mortem susciperet. Dura fuit æmulatio ejus ut inferus, quia inferus nescit misereri aut a pœnis miserorum mitigari, sic et Christi dilectio non potuit a misericordia cessare, aut ullis improbitatibus persecutorum removeri ab amore humani generis. Quidam hoc quod dicitur, « Dura est ut inferus æmulatio, » ad Synagogam proprie referunt, quæ gentes æmulabatur, et invidebat saluti eorum. Monet ergo Christus hoc dicens, ut ab invidia cesset, et saluti Ecclesiæ congaudeat. « Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. » Id est, dilectionis lampades sunt lampades ignis atque flammarum. Lampades dilectionis præcordia sunt sanctorum, in quibus veluti in vasis dilectio habitat. Hæ ergo lampades, lampades quidem sunt ignis, quia in corde ardent per amorem ; lampades vero flammarum, quia exterius lucent per operationem.

« Aquæ multæ non poterunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam. » Aquæ et flumina sunt violentæ persecutorum minæ, vel etiam blandimenta, quibus sanctos a charitate Dei separare nituntur. De quibus Dominus in Evangelio dicit, de viro qui ædificavit domum suam supra petram : « Venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat supra petram. » « Aquæ ergo multæ non poterunt exstinguere charitatem, » quia nulla tribulatio, nulla angustia sanctos a charitate Dei separare valebit. « Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam » Hic versiculus non eget expositione. Nam nullius mundi substantiæ, nullæ opes comparatione dilectionis aliquid sunt. Legimus quidem sanctos sua dimisisse pro amore Christi, sed tamen nihil sibi videbantur dimittere in comparatione charitatis Christi quem amabant. Unde Apostolus cum non solum terrenam substantiam, sed et paternas traditiones dimitteret pro Christo, dicebat : « Hæc omnia contemno et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, » id est, ut amorem illius acquiram.

« Soror nostra parva est, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? » Vox dilecti Synagogam alloquentis pro Ecclesia gentium. « Soror nostra, » inquit, id est gentium Ecclesia, « parva est, et ubera non habet ; » et magna dignatione communicato cum Synagoga nomine dicit, « Soror nostra : » quia enim ex Judæis carnem assumpsit, ideo se quasi Synagogæ contemperat et exæquat. « Parva est (inquit) soror nostra. » Sicut alicujus hominis ætas descri-

bitur, sic et ætas describitur Ecclesiæ. Parva enim erat Ecclesia adhuc de gentibus congregata, sub ipsis Domini et apostolorum temporibus, quia et parvitate credentium parva exsistebat; et ubera necdum habebat, id est nequaquam prædicando spirituales Deo filios honorare valebat. Dicit ergo quasi consilium Synagogæ requirens, « Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? » Allocutio Ecclesiæ est vel cum intrinsecus occulta inspiratione, vel exterius aperta prædicatione admonet Deus animam cujusque fidelis. Et est sensus : Quando per apostolos meos alloquar Ecclesiam de gentibus congregatam, quid faciemus? quomodo illi præcepta cœlestia committemus? Utrum videlicet minima quæque præcepta illi committemus, an quo major efficiatur, perfectiora illi secretorum cœlestium mysteria trademus? Nam Deus omnipotens pro mensura et capacitate mentis humanæ temperat verbum prædicationis, considerans vires et capacitatem auditoris. Sed Synagoga tacente, ipse sponsus pro ea respondit :

« Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. » Si (inquit) soror nostra est murus, ædificemus super eum propugnacula argentea. Ac si dicat : Cum cœperint apostoli mei prædicare Ecclesiæ de gentibus congregatæ, si tales fuerint auditores qui merito perfectionis murus appellari possint, dum videlicet vel naturali ingenio præditi, vel philosophica eruditione præstantes, quasi alios defendere et munire possint vice muri, ædificemus super hunc talem murum propugnacula argentea, id est, addamus illis eloquia divinarum Scripturarum. Nam, ut Psalmista dicit : « Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. » Si vero tales fuerint auditores qui nequaquam hostibus resistere possint, nec tela contra venientia repellere, sed fuerint vel ostium ut simplicia annuntiantes possint aliquos in Ecclesia et ad fidem adducere, quales sunt sacerdotes minoris gradus, qui baptizando in Ecclesia, et divinis mysteriis initiando homines in Ecclesiam introducunt, compingamus illud ostium tabulis cedrinis; id est, proponamus eis exempla præcedentium patrum, qui, veluti cedri, imputribilia videlicet ligna, id est immarcescibilia opera habent, et veluti tabulæ scientiæ et charitatis latitudine diffusi sunt. Latitudo enim tabularum latitudinem cordis vel scientiæ significat, dicente Psalmista : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum. » His ergo cedrinis tabulis, (id est sanctorum exemplis) compingamus illud ostium, ut videlicet illorum imitanda exempla aliis Ecclesiam introeundi veluti ostium januam aperiant.

« Ego murus, et ubera mea sicut turris. » Vox Ecclesiæ. Quæ cum audisset pro sua salute consulentem dilectum suum, ipsa læta respondit : « Ego sum murus, et ubera mea sicut turris. » Ego (inquit) murus, ego supra firmam petram fundata sum, et glutine divinæ charitatis solidata. Sive murus sum, quia de vivis et electis lapidibus (hoc est sanctis) ædificata sum ; « et ubera mea sicut turris, » quia tales intra me contineo, qui vice uberum alios nutrire possunt spirituali doctrina, et vice turris possunt alios defendere et munire, quique sicut turres in muro eminent, sic merito doctrinæ et conversationis inter reliquos membra mea præcellunt. Hoc autem non meis meritis, neque libertate mei arbitrii habeo, sed dono et gratia sponsi mei. « Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. » Id est, ex quo ille sanguinem suum pro me fudit, et repropitiando mihi Deum Patrem, dissolvit inimicitias quæ erant inter Deum et hominem, mihique cœlestia pacificavit. Ex quo ergo hanc pacem reperi, murus esse et ubera vice turrium merui.

« Vinea fuit pacifico, » id est dilecto meo, qui est verus pacificus, quia per eum pacificata sunt omnia quæ sunt in cœlis et in terra. Unde, et a Propheta Pater futuri sæculi, princeps pacis appellatur, in cujus veri pacifici typo Salomon pacificus, auctor hujus carminis præcessit. Huic ergo fuit vinea, id est sancta Ecclesia. « In ea quæ habet populos. » Hoc dicit ut se de Ecclesia gentium, non de Synagoga, ostenderet canere. Nam Synagoga unius gentis fuit tantum. Ecclesia vero habet populos, quia omnes gentes intra capacissimum suum gremium capit et recipit. « Tradidit eam custodibus. » Custodes hujus vineæ (id est sanctæ Ecclesiæ) sunt prophetæ, apostoli apostolorumque successores. Sive etiam custodes hujus sæculi sunt angelicæ virtutes, quæ ab incursibus tentationum et dæmonum Ecclesiam custodiunt. « Vir affert pro fructu ejus mille argenteos. » Viros, fortes dicit et perfectos, nam vir a virtute dicitur. Fructus Ecclesiæ est cœlestis vitæ remuneratio, pro qua sancta Ecclesia in præsenti laborare non cessat. Mille autem argentei, quos pro fructu vir affert, significant omnia quæ in hoc mundo possideri possunt. Millenarius enim numerus pro summa perfectione et plenitudine ponitur. Vir ergo pro fructu hujus vineæ mille argenteos affert, quia sancti omnia sua relinquunt, et pauperibus erogant, ut fructum hujus vineæ (hoc est, supernam mercedem) consequantur. Tale est illud quod Dominus in Evangelio dicit : « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit omnia quæ habet, et emit agrum illum. »

« Vinea mea coram me est. » Vox sponsi. Tu (inquit) dicis quia vineam meam tradidi custodibus, tamen vinea semper coram me est, quia licet eam custodibus meis commiserim, ego tamen semper curam illius habeo, nec pro illa semper sollicitus esse desisto, sed sum cum illa usque ad consummationem sæculi. « Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus ejus. » Mille tui, subauditur argentei, quos pro vineæ dedisti fructu, pacifici tibi sunt. Quasi diceret : O anima fidelis, noli dubia

esse pro æterna mercede, pro qua omnia tua dedi- A sti, quia mille argentei pacifici sunt tibi, id est, manet te certa illa remuneratio, et verum inde fructum consecutura es. Et ducenti, subaudis argentei, pacifici sunt his qui custodiunt fructus meos. Sicut per millenarium plenitudo perfectionis, sic et per centenarium summa perfectio designatur, quia centenarius de læva in dexteram transfertur. Ducenti ergo argentei, qui est duplicatus centenarius, significant eos qui doctrina et sancta operatione perfecti sunt, qui juste et pie vivendo semetipsos custodiunt, et etiam prædicando alios convertunt. His ergo talibus ducenti argentei sunt pacifici, quia duplicata in cœlis eis manet remuneratio. De qualibus per Danielem dicitur : « Et qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas B æternitates. » Hos enim Apostolus dupliciter jubet honorari, dicens : « Presbyteri qui in nobis sunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui præsunt vobis, et laborant in verbo. »

« Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. » Vox dilecti sponsam alloquentis : O Ecclesia, quæ habitas in hortis, id est, quæ excolendis virtutum germinibus insistis. Hortus etenim ipsa Ecclesia est, quam (ut superius dictum est) crebro se promittit invisere. Ecclesia ergo in hortis habitat, quia plantaria virtutum assidue nutrit, nec transitorie modicum recessura, ibi tugurium ponit, sed fixa statione habitat. « Fac me, inquit, audire vocem tuam, » id est, prædica quibus vales Evangelium, præcepta meæ legis simul et C promissum cœlestium præmiorum annuntia. Hoc enim mihi jucundum et delectabile est, ut audiam vocem tuam, hoc est ut audiam te verba salutis æternæ annuntiantem. Sed « amici auscultant, » id est, angelici spiritus vocem tuam audire delectant, quos tibi amicos feci effusione sanguinis mei, quosque adjutores et protectores contra malignos spiritus institui. Sive amici, id est, justorum spiritus auscultant, quos de tuo cœtu ad me in cœlestia assumpsi. Ipse enim de tua prædicatione et fratrum salute congaudent. Respondet confestim ipsa sponsa dilecto suo :

« Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum. » Mira responsio. Invitatur ad prædicandum, et ut sponsus D audiat vocem ejus, illa vero hortatur sponsum suum ut fugiat. Sed magna est mysterii consequentia. Nam quia superius prædicta fuerat Christi nativitas, cum dixit : « Quis det te fratrem meum sugentem ubera. » Prædicta enim fuerat ejus passio, ubi dictum est : « Sub arbore malo suscitavi te, » nunc consequenter hortatur sponsum ut fugiat, hoc est velocissime per ascensionem ad Patrem redeat. Et est sensus : Jubes me prædicare ? vis vocem meam audire ? fuge, dilecte mi, id est, impleto incarnationis tuæ et passionis mysterio, revertere ad cœlum, ut non jam te sicut hominem, sed sicut Deum super omnia cogitare incipiam Tunc enim audies vocem meam, quia tunc te liberius omni mundo prædicabo. Et hoc est quod Dominus in Evangelio dicit : « Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. » Expediebat enim apostolis et omni Ecclesiæ ut Christus rediret, et præsentiam corporalem absentaret, quia dum in corpore præsens erat, non poterant eum spiritu aliter amare, non poterant eum quem hominem cernebant, ut Deum invisibilem et ubique præsentem cogitare. At postquam ipse cœlos ascendit, cœpit eum Ecclesia spiritualiter diligere, et sic jam Deum cogitare et prædicare. Et hoc est quod Apostolus dicit : « Et si noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus. « Ergo, dilecte mi, si vis ita me te prædicare, fuge (id est recede) ad cœlestia, et qui fuisti comprehensibilis per humanitatem, efficere incomprehensibilis per divinitatem, verumtamen ne me in præsenti sine tua visitatione deseras, sed dignare me crebra tua visitatione requirere, mihique te sæpius videndum præbere. Et hoc est quod dicit : « Similis esto capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum. » Sicut (inquit) capreæ et hinnuli cervorum indomita animalia humanum consortium refugiunt, et tamen crebrius in montibus videntur, sic et tu post tuam ascensionem, licet invisibilis, dignare mihi tamen sæpius dono tuæ gratiæ apparere, et hoc super montes aromatum. Montes aromatum sancti Dei sunt, excellentia sanctæ conversationis cœlo proximi, et odore ac fama virtutum longe lateque fragrantes. Hinc Apostolus de se suique similibus dicit : « Nostra conversatio in cœlis est. » Et alibi : « Christi bonus odor sumus in omni loco. »

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

IN DIVINI PAULI EPISTOLAS

EXPOSITIO

(Juxta editionem principem, anno 1519 Argentorati datam [a]).

OTTOMARUS LUSCINIUS

JURIS PONTIFICII DOCTOR

SIXTO HERMANNI, *parocho Divi Thomæ Argentinensis,* S. D.

Si votis proficeremus, atque eo potissimum quisque promoveretur quo maxime vellet, nunc aliud in desiderio mortalium videris cæteris anteferri, Sixte, litteris et integritate spectabilis, quam quod tu veluti unicum scopen plebi Christianæ etiam atque etiam proponis, repetis, inculcas; nempe bonorum omnium affluentiam, et absolutam quamdam felicitatem? Id est sane quod jamdudum indagarunt philosophorum diversæ familiæ, quanquam paulo remissius, id est quod nemo omnium non maximopere concupiscat, nemo non optet esse quam præsentissimum. Sed longe secus evenit atque cogitamus futurum, ardua ducit ad hoc ipsum via quod est summum, nulli sponte ac præter merita offertur quando sudorem etiam virtuti, cum et ethnicus quispiam attingere potest, Deus proposuerit. Ad summum igitur istuc conscendere haudquaquam possimus nisi eum tollem qui summus est teneamus. Ipse est qui viam sese ad summa enitentibus adfuturum palam pollicetur, ut sciremus qua foret eundum. Ipse est qui veritatem se esse monstravit, ne errore quopiam per ambages a recta deflecteremus. Ipse est postremo qui vitam sese obtulit ne ambigeremus quo esset contendendum. Sponsorem igitur veracem atque adeo ipsam veritatem sectemur oportet, cui vel soli conjuncta sunt omnia. Atqui in primis hæsito num alibi magis spiret viva et longe simillima hujus beatitatis imago quam in arcanis litteris, quæ Spiritu Dei conceptæ sunt et verissime animantur, in quibus perpetuo nos sermone alloquitur, docet et solatur Deus. Nam nisi me fallat opinio, jamdudum Aristotelicis conclamatum est etiam decretis. Talem esse quemquam qualem sua ipsius dicta factaque indicarent. Atque id quidem nisi libris e sacris discere nobis liceret quid gessisset aut quæ dogmata posteris sanxisset Servator noster Christus, felicitatis summæ præco, imo vero ipsa perfecta felicitas, dispeream, si non jamdudum in erroris chaos prolapsi fuissemus. Quanquam ne sic quidem omnino absit labendi periculum, ubi videas vulgus hominum, tum eorum qui sunt omnis litteraturæ expertes, tum vero horum etiam qui titulis inanibus doctoris gloriantur, dictu mirum quantam zizaniæ vim in sementem Christi conspergere. Fallor si non mille superstitiones, mille præstigias et totidem anilium fabularum deliramenta invenias, quæ sensim in Christianam religionem irrepserint, non tam aliam ob causam quam quia divinas illas litteras vel prorsus non attingimus, vel forte frigidius aut minori sedulitate, fervore, ac cura quam par erat. Scatent nostro ævo passim, inexhausta quadam colluvie quæstionum omnia, factiones sophisticarum argutiarum tam immenso tanquam vario examine eruperunt, ut summo etiam ingenio præditis satis factum videatur si post innumeros exantlatos labores vel sero tandem Thomistæ nomen, Scotistæ aut Occanistæ sibi liceat vindicare. Atque interea quis est qui in lege Domini dies meditetur noctesque? Cum ne aliud quidem dici possit ad beatitudinem assequendam compendiosius et ad veram sapientiam indagandam expeditius perducere. Jure igitur optimo, nisi malis nostris velimus longius delectari, cogimur, Sixte amicissime, jam tandem resipiscere, et contemptis parum sinceris rivulis, imo omni prorsus ex parte turbidis, ad fontanam puritatem, quo propius fieri poterit, accedere; ad veteres, inquam, illos graves ac solidos scriptores qui profunda æternæ sapientiæ sensa ex Scripturæ arcanæ penetralibus, patente meatu nobis eruerunt; atque utinam pari studio tenerentur omnes, videres enim Christo non tam nomine nobiscum quam votis, verbo et opere convenire. Habent enim hoc quodammodo sibi conjunctum fæculentæ disciplinæ, ut contagione sua non parum efficiant moribus. Cæterum, dum omnes ejusce farinæ, ut dicitur, doctores excutimus, commodum nobis Haymonem tua opera suppeditasti, qui Pauli apostoli verba, seu malis, cum divo Hieronymo, tonitrua dicere, ea diligentia metitur, ea trutina expendit, ea facilitate aperit, ut si etiam nonnihil ei defuisse videatur (quis est enim qui in re tam immensa non alicubi vacillet), seduli-

[a] Titulus sic se habet: *Doctissimi Haymonis Saxonis, episcopi Halberstattensis, in divi Pauli Epistolas cum brevis tum perlucida Expositio, nuper Argentorati stanneis calamis primum excusa.* Sequitur: *Ma. Hiero. Gebuilerii ad lectorem tetrastichon:*

Mystica divini pernoscere dogmata Pauli
Qui cupit, hunc librum comparet atque legat.
Hactenus obscuri sensus et ænigmata quæque
Lucis magis clara nunc resoluta patent.

Ad calcem libri: *Excussum Argentinæ per Renatum Bect civem Argentinensem, anno* 1519. In fronte operis hæc nota legitur recentiori manu scripta: *Opus rarum, teste Th. Bartholino* de Morbis Biblicis, *cap.* 23, *p.* 84; *Th. Honerto in Proleg. ad Epist ad Rom.*, *p.* 21; *Dan. Gerdesio, in* Florilegio librorum rariorum, *p.* 161, *seqq. Est vero hæc editio præsertim memorabilis ob epistolam Ottomari Luscinii, juris pontificii doctoris qua ad epistolam dedicatoriam editoris, Sixti Hermanni, respondet, et in qua vivum veritatis Christianæ testimonium exhibetur.*

tatem tamen et summam diligentiam defuisse homini A non postest suos professores. Nos cœlestem hanc alimoniam vegetandis animis accommodatam crebro degustabimus, ac veluti munda animalia ruminabimus, ut Deo auctore ex conversatione nostra veros nos æstimet theologos quisquis nobis convixerit, et istis qui sola umbra gloriantur suos inanes titulos ceu personatis tragœdiarum regibus relinquemus. Vale, optime Sixte, et Ottomarum tuum (ita ut facis) dilige. Argentorati. Kalendarum Decembris; anno redditæ salutis 1518.

haudquaquam dicere queas. Eat igitur tuis auspiciis in lucem Haymo noster, et cum plerisque aliis prisci ævi doctoribus hoc sæculo renascatur. Facessant sophisticæ spinæ etiamnum acutæ, delitescant penes suos assertores verborum nunquam finienda certamina, quando omnis contentio quo a charitate longius abest, a Christo nimirum aberit quam longissime. Refloreant prisca simul cum moribus studia, profani esto quidquid pios ac sanctos reddere

SIXTUS HERMANNI

ARTIUM MAGISTER

Consultissimo OTTOMARO LUSCINIO *juris pontificii doctori,* S. D.

Quas ad me super Haymonis Paulinarum epistolarum fidelissimi expositoris præconio, eximie doctor, dedisti litteras non citra maximum animi mei recreamen diligentius perlegi, quod cum docte, cum erudite, penates Christianæ theologiæ subire petentibus semitam et quidem compendiosam proposueris haud temere notando quos antiquioribus Ecclesiæ doctoribus posthabitis, cavillatoriæ quæstiones plus æquo delectant, quibus ad decrepitam ferme ætatulam Stentorea (ut aiunt) voce inter se digladiantur. Non inficior scholasticam illam theologiam pro ingeniorum exercitio litterariis archigymnasiis necessariam; verum omnem vitæ cursum, classicis et avitis sacrarum litterarum scriptoribus spretis, eidem contentioni dedicasse veluti ridiculum cuique nasum habenti damnandum censeo. In omni, ut nosti, actione cum excessus tum defectus fugiendi sunt; quo- B circa recentiores theosophos quæstionibus insudantes omnino eliminandos, ac de ponte quasi dejiciendos, arbitror minime, verum omnes ingenii nervos vetustioribus præteritis doctoribus illuc dumtaxat extendissime, ipsa stoliditate stultius quis on judicabit? Quocirca in hoc theologico studio ut nequid nimis item, et nequid minus agatur prospiciendum. Prodeat igitur Haymo noster in lucem, auspicatissima alite tuo epistolio adornatus, quem te patrono ab omni livoris mordacitate tutum iri dubitamus nequaquam. Perge præterea, excellentissime vir, musis tuis humanioribus, politiori quoque litteratura, probos ac doctos viros immortales reddere, meque amicorum tuorum rationario trabali, ut dicitur, clavo infigere, quem votis tuis vicissim semper offendes paratissimum. Vale. Argentorati, idibus Martiis, anno Domini 1519.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

ARGUMENTUM.

A Corintho civitate metropoli Achaiæ regionis scripsit apostolus Paulus Romanis hanc Epistolam, quos non ipse, non Petrus, non quilibet apostolorum duodecim primum instruxit, sed quidam Judæorum credentium, qui ab Hierosolymis Romam venientes, ubi princeps orbis residebat, cui erant ipsi subjecti, fidem quam apud Hierosolymam didicerant Romanis evangelizaverunt. Causa autem scribendi hanc Epistolam, hæc probatur exstitisse: orta est autem contentio inter Judæos credentes et gentiles etiam ad fidem concurrentes: Judæi siquidem credentes, propter sanctos patres a quibus originem ducebant, et propter legem quam soli inter cæteras gentes acceperant, despiciebant gentiles venientes ad fidem, ut pote idololatriæ superstitioni hactenus deditos, dicentes propter observationem legis cui servierant, meruisse gratiam Christi fidemque Evangelii. Econtra C gentiles præferebant se nihilominus Judæis, improperantes eis mortem Filii Dei, simulque protestabantur se idolis obsequium venerationis minime exhibuisse si legis præcepta aut prophetarum oracula habuissent. Omnibus his igitur præbuit se Paulus apostolus medium, omnes illorum contentiones destruens, quæ in prologo hujus Epistolæ narrantur: et quasi bonus concionator extenta manu illos alloquens, omnes ad unam concordiam adduxit, ostendens nullum eorum suis meritis esse salvatum, sed per gratiam Jesu Christi, quia omnes Judæi et gentiles sub peccato tenebantur.

PROLOGUS.

D *Epistola*, Græco vocabulo, Latine dicitur *supermissa* vel *addita*, sicut epigramma, id est superscriptio, et epitaphium super sepulcrum. *Epi* quidem sonat, *super*, *stola* vero, *missa*. Epistolæ autem istæ

idcirco dicuntur supermissæ vel additæ, eo quod super Vetus Testamentum et gratiam Evangelii ubi perfecta salus consistit, ab apostolo sint missæ credentibus, ad resecanda præsentia atque orientia vitia : et ut si quis transgressus fuerit Evangelium, hic inveniat medicinam salutis : quatenus vindictam Evangelii possit effugere, redditur illi per dignam pœnitentiam. Sunt supermissæ non dignitatis causa quod superexcellant, sed ad completionem illorum postea scriptæ. Epistola autem ista non illum ordinem tenet in corpore Epistolarum quo scripta est, sed causa dignitatis Romanorum, qui tunc temporis universis gentibus imperabant, primatum obtinuit. Hoc autem factum est non ab Apostolo, sed potius ab illo qui omnes ejus Epistolas sub uno corpore curavit colligere. Notandum autem quod sicut Moyses legislator Israelitico populo a Pharaone liberato decem præcepta legis tradidit (*Exod.* XXIX), ita apostolus Paulus credentibus in Christum, et a Pharaone spiritali erutis, decem Epistolas scripsit. Nam quatuor reliquas ad discipulos misit, duas videlicet Timotheo, unam Tito, unam Philemoni. *Pauli.* Paulus, ut Hieronymus dicit, a primo spolio quod sanctæ Ecclesiæ contulit, a Paulo videlicet Sergio proconsule, quem apud Cyprum convertit (*Act.* XIII), hoc nomen sibi imposuit : ut sicut Parthicus, qui Parthos superavit, et Germanicus, qui Germaniam vicit, quilibet dux Romanorum dictus est, sic ab eo principe quem prius superavit sit appellatus Paulus. Beatus vero Augustinus dicit *modicum* interpretari Paulum, id est humilem. *Unde* ipse dicit : *Ego sum minimus* omnium *apostolorum* (*I Cor.* XV). Dicitur et apotyspaulys [ἀπὸ τῆς παύλης] secundum quosdam, id est a cessatione persecutionis : vel certe, ut quidam dicunt, binomius fuisse intelligitur, ut plurimi inveniuntur duobus nominibus vocati, sicut Ozias qui et Azarias in Veteri Testamento ; in Novo vero Matthæus, qui et Levi. Unde in Actibus apostolorum legitur : Saulus, qui et Paulus invalescebat et confundebat Judæos. Vel etiam more sanctorum, communicationem meruit nominis, ut Abraham et Jacob, et Simon qui et Petrus vocatus est a Domino, ut qui persecutor vocatus est Saulus, id est infernalis, post prædicator effectus diceretur Paulus, id est humilis Christi discipulus. *Apostoli. Apostolus* Græce, Latine dicitur *missus.* Et iste audivit a Domino : Longe mittam te ad gentes (*Act.* XXII). Apostolorum autem genera sunt quatuor. Primum est quod nec ab hominibus fit nec per hominem, sed a Deo tantummodo, de quorum numero fuerunt Moyses, Isaias aliique quamplurimi prophetarum, duodecim quoque apostoli, qui quamvis ab homine Christo essent missi, tamen ipse homo erat et verus Deus. Moysi ergo dictum est : *Mittam te ad Pharaonem* (*Exod.* III). Isaiæ quoque : *Quem mittam? et quis ibit nobis?* Et ille : *Ecce ego, mitte me*, et Dominus : *Vade ad populum istum* (*Isa.* VI). Secundum quidem quod a Deo est, sed per hominem : de quorum numero exstitit Josue,

A qui, Deo præcipiente atque volente, per Moysen missus est, aliique quamplurimi, qui electione populi pro vitæ meritis Deo volente electi sunt. Voluntas enim populi plerumque voluntas Dei est. Tertium, quod ab homine est tantummodo, et non a Deo, cum favore hominum aliquis eligitur, non pro bona conversatione, neque causa religionis, sed nobilitatis parentelæ : seu cum quis pretio subrogatur in sacerdotii dignitatem : de quorum numero dicit uni beatus Ambrosius episcopus : Nisi centum solidos dedisses, hodie episcopus non esses. De istorum etiam numero erant illi de quibus dicitur in libro Regum (*I Reg.* XII), qui temporibus Jeroboam implebant manus suas et fiebant sacerdotes idolorum. De istis ergo talibus dicit Dominus per
B prophetam : *Ipsi regnaverunt, sed non ex me : principes exstiterunt, et non cognovi* (*Ose.* VIII). Quartum quoque genus est apostolorum, quod neque a Deo, neque per hominem sit, sed a semetipso tantum constat, ut sunt pseudoprophetæ et pseudoapostoli, dicentes : Hæc dicit Dominus, cum Dominus non miserit eos. Sciendum est autem inter hos omnes, quosdam tantæ dignitatis esse, ut et apostolatus et prophetiæ sublimentur honore, ut fuit Moyses, Isaias, Joannes quoque Baptista, de quo dicitur : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te* (*Marc.* I), ex quibus fuerunt et apostoli, qui præmia electorum et tormenta reproborum suis auditoribus prædixerunt, quodam honore prophetiæ insigniti. *Ad Romanos.* Romanos
C appellat hic Apostolus, qui ex Judæis gentibus credentes in partibus Italiæ habitabant. Interpretantur autem Romani *sublimes* sive *tonantes*, quia illo tempore quo Apostolus hanc Epistolam eis misit, cunctis gentibus principabantur. Ideoque sublimiores erant omnibus populis, et intonabant præcepta publica et privata, eorumque fama in omnium hominum resonabat ore.

CAPUT PRIMUM.

Paulus servus Jesu Christi. De nomine Apostoli jam superius dictum est : sed quærendum est cum Dominus dicat : jam non dicam vos servos, sed amicos meos (*Joan.* XV), quare Apostolus se servum
D appellet. Ad quod dicendum duo genera esse servitutis : unum videlicet timoris, alterum amoris. Est quidem servitus timoris, qua timet servus dominum suum, timens ab eo flagellari si per omnia ejus voluntati non obedierit. Et est servitus amoris filiationisque, qua servit bonus filius patri, timens ejus offensam, quo scilicet genere servitutis vocat se Apostolus servum Jesu Christi. De qua et ipse Dominus ait : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus* (*Luc.* XVII). Hoc est non servus timoris et pœnæ, sed servus amoris et filiationis, quo, ad instar filii, non vult offendere Christum *Jesu*. Hoc nomen est ab angelo humanitati impositum, dicente ad Mariam : *Vocabis nomen ejus Jesum* (*Luc.* I; *Isa.* VII; *Matth.* I). Jesus enim Latino

eloquio *salvator* vel *salutaris* interpretatur. Cujus nominis etymologiam exponens angelus, dixit : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Si vero nomen divinitatis illius requiris, Verbum Patris vocatur. *Christus,* Græce, Latine dicitur *unctus,* Hebraice *messias :* siquidem unctus est ipse non oleo visibili, sed oleo invisibili, plenitudine videlicet Spiritus sancti. De qua unctione dicit Psalmista : *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ* (*Psal.* XLIV). Aliis fuit olim adjectivum hoc nomen, sacerdotibus videlicet, regibus et prophetis, sed Jesu factum est proprium : *Vocatus apostolus.* Est vocatio generalis, de qua dicitur : *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX). Et est specialis, de qua idem ait Apostolus quodam loco : *Quos vocavit, hos et justificavit* (*Rom.* VIII), secundum quam vocatus est Paulus apostolus, id est *missus.* Notandum autem idcirco nomen apostolatus ab Apostolo in omnibus esse positum Epistolis, ut majoris honoris et dignitatis essent ejus Epistolæ apud auditores. *Segregatus,* id est electus ad Evangelium prædicandum. Vel *Segregatus,* id est a grege separatus, a cæteris videlicet discipulis, non mente sed corpore, quia cor unum et animam unam habebat cum cæteris. Segregatus est corpore ab aliis, Spiritu sancto præcipiente : *Segregate mihi Barnabam et Paulum* (*Act.* XIII), et destinatus est gentibus totius orbis prædicator. Verbi gratia : Sicut homo extendit brachium ad operandum, et tamen non idcirco præciditur a reliquo corpore, ita Paulus apostolus destinatus est quidem gentibus ad prædicandum, sed tamen non ideo separatus est a cæteris apostolis mente et desiderio. Et cum reliqui apostoli singulis in locis prædicassent, et singula regna tenuissent, verbi gratia : Andreas Achaiam, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, ille omnibus gentibus et omnibus regni prædicator exstitit ; unde ipse dicit : *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes* (*Gal.* II). Quod tale est ac si aliis verbis diceret : Qui Petrum constituit magistrum Judæorum, me quoque magistrum voluit præficere omnibus gentibus. *In Evangelium Dei,* Marcus dicit, *Initium Evangelii Jesu Christi,* iste econtra Evangelium Dei Patris esse affirmat. Quare fit ista diversitas ? Quia, ut Filius ait, omnia Patris sua sunt, et sua Patris ; ideoque unum Evangelium communiter possident, id est *bonum nuntium.* Nam sicut una substantia est Patris et Filii, una potestas, una deitas, ita unum Evangelium est Patris et Filii. Quid ergo est Evangelium ? Bonum nuntium, ut diximus. Et quod est melius nuntium quam omnipotentem Deum Trinitatem habere in personis, unitatem in substantia ; Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum sanctum procedentem ab utroque, annuntiare nativitatem quoque Christi secundum divinitatem ante sæcula, secundum humanitatem in fine temporum, miracula illius, passionem, resurrectionem, ascensionem ad cœlos, adventum illius ad judicium, resurrectionem generalem, gloriam

A electorum, damnationem reproborum. Ad ista omnia prædicanda segregatus est Apostolus. Sequitur :

Quod ante promiserat per prophetas suos. Sicut promisit Deus Pater per prophetas Filium suum ad salutem humani generis in mundum esse venturum, sic promisit et sanctum Evangelium. Notandum quod quia cum dixisset *per prophetas,* statim subintulit *suos ;* prophetæ enim nomen commune est, et accipitur aliquando pro bono, aliquando pro malo. Nam sicut fuerunt in Veteri Testamento prophetæ boni, qui Spiritu sancto afflati multa mysteria sibi divinitus ostensa prædixerunt, ita fuerunt et falsi dicentes : Hæc dicit Dominus, cum Dominus non miserit eos. Unde et per Isaiam dicitur : *Et propheta loquens mendacium ipse est cauda* (*Isa.* IX). Non ergo per isto-
B rum ora promisit Evangelium, sed potius per illorum quos ipse in veritate misit. Unde per Jeremiam dicit : Disponam, inquiens, domui Israel et domui Juda Testamentum Novum (*Jer.* XXXI), id est Evangelium. Et iterum : Feriam, inquit, vobiscum pactum sempiternum (*Ibid.*). Psalmista quoque, qui legem Mosaicam habebat, exorabat dicens : Legem Evangelii constitue mihi (*Psal.* CXVIII). *In Scripturis sanctis de Filio suo.* Sunt scripturæ non sanctæ, ut sunt dicta philosophorum, Platonis seu Aristotelis, carmina poetarum, Homeri seu Virgilii, aliorumque poetarum gentilium. Scripturæ vero sanctæ appellantur lex et prophetæ atque psalmi, quia sanctificant observationes suas, prohibendo vitia et commendando virtutes. Quæ Scripturæ sanctæ vel Evangelium de
C Filio Patris, id est de Christo sunt, quia illum annuntiant. Multi quidem sunt filii Dei secundum adoptionem, de quibus Joannes dicit : Quia *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I), sed unus est proprius naturalisque Dominus Jesus Christus ; de quo ipse Pater : Hic est, inquit, Filius meus charissimus (*Matth.* III). Et de quo Apostolus : *qui factus est ei,* inquit, id est a Deo Patre Filius, *ex semine David secundum carnem.* Dominus Jesus ex duabus substantiis, divina scilicet et humana, id est in unitate personæ subsistens, verus Deus est et verus homo ; secundum quod Deus est, non est factus, sed genitus, quia non est creatura ; secundum autem carnem, factus ex semine David, qui fuit de tribu Juda. De cujus progenie
D descendit beatissima virgo Maria, ex cujus semine formata est caro Dominica, opere Spiritus sancti in utero virginali. Unde satis convenienter dicit Apostolus, quia *factus est* Deo Patri *ex semine David secundum carnem,* qui erat Dominus et creator David secundum divinitatem.

Qui prædestinatus est, id est præordinatus et præfinitus, *Filius Dei in virtute;* subauditur divinitatis et in potentia Verbi, a quo assumptus est ipse homo in unitate personæ. Origines dicit : Qui destinatus est Filius Dei, dicens destinari illum posse qui est, prædestinari qui non est. At vero secundum beatum Augustinum melius est dicendum : *Qui prædestinatus est Filius Dei,* quia non de Verbo loquitur hic

Apostolus, sed de homine, qui non erat antequam factus esset. Humanitas enim quæ non erat antea, illa est prædestinata et præfinita, sive præordinata, sine suis meritis, ut Filius Dei esset, assumpta a Verbo in virtute divinitatis, et in potentia Verbi et unita illi in unitate personæ, *secundum Spiritum sanctificationis*. Spiritus sanctificationis appellatur hinc Spiritus sanctus, quia sanctitatem præstat angelis et hominibus justis qui etiam formavit, vivificavit et sanctificavit ipsum hominem in utero virginali,ex semine virginis sine semine viri. Considerandum est autem quia non fuit ei Spiritus sanctus pro semine, nec dicimus illum patrem esse humanitatis, ne dicantur esse duo patres, quod omnino nefas est dicere : non enim omne quod nascitur ex nobis utique filius noster est. Verbi gratia : capillus nascitur de capite, et tamen non ideo filius capitis recte dicitur. Pediculi ex nobis quoque nascuntur, et tamen filii nostri nequaquam dicuntur. Ita ergo et ille homo assumptus a Verbo, de Spiritu sancto conceptus, id est opere Spiritus sancti formatus est, sed tamen non est filius Spiritus sancti. Jungatur ergo ita beato Augustino docente. Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute divinitatis et potentia Verbi, *ex resurrectione mortuorum*, primus resurgere et primus cœlos penetrare. Destructo enim mortis imperio, ipse primus omnium mortuorum electorum resurrexit, juxta quod Joannes de illo dicit : Qui est primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ, et primitiæ dormientium Christus (*Apoc.* I) ; et sicut primus resurrexit, ita et primus cœlos penetravit, dans fidelibus suis post se aditum ingrediendi. Aliter, secundum beatum Ambrosium, merito dicit illum prædestinatum esse Filium Dei ex resurrectione, sive post resurrectionem, quia tunc patuit verus Filius Dei esse, quando in morte illius multa miracula accidentia compulerunt dicere : *Vere Filius Dei erat iste* (*Matth.* XXVII). Siquidem antequam suspenderetur in ligno pro salute generis humani et moreretur, multaque miracula fierent in passione illius, quæ Evangelium narrat, a paucis cognoscebatur Filius Dei esse, intantum ut apostoli quoque, dum comprehenderetur, relicto eo, fugerent. Sed postquam sol obscuratus est in morte ejus, terra tremuit, monumenta aperta sunt, velum quoque, templi scissum est, et resurrexit, cognitus est esse verus Filius Dei, sive etiam quando post resurrectionem ascensionemque suam misit apostolis Spiritum sanctum, quo inflammati cœperunt loqui omnium gentium linguis magnalia Dei, tunc potius cognitus est esse verus Filius Dei, ab his videlicet de quibus Lucas dicit quod una die crediderunt tria millia, altera die quinque millia (*Act.* II). Digna autem consideratione animadvertendum est, quia non dixit Apostolus absolute : *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute ex resurrectione mortuorum*, sed adhuc addidit aliquid, dicens, *ex resurrectione mortuorum Jesu Christi*, hoc est tantummodo electorum ad se pertinentium ; simulque nobis demonstratur quia sicut suam resurrectionem procuravit, ita quoque multorum mortuorum corpora et animas pariter resuscitavit secum, tam illorum de quibus dicitur : *Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt* (*Matth.* XXVII), quam etiam omnium electorum. Ex quorum ergo resurrectione mortuorum apparuit Christus verus Filius Dei esse, *Jesu Christi*, id est illorum qui ad se pertinebant, quos ipse resuscitat ad vitam et de quibus idem Apostolus dicit, *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (*Rom.* VIII). Nam de resurrectione reproborum nihil hic dicitur. Potest et ita conjungi : Paulus servus vocatus apostolus ex resurrectione mortuorum Jesu Christi. Omnes quidem apostoli ante Domini passionem sunt vocati ab ipso : Paulus vero post resurrectionem ejus.

Per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus. Gratia dicitur gratis data. Et gratiam hic debemus intelligere fidem et remissionem peccatorum vel patientiam omnium laborum, pro qua remunerabimur in futurum, quæ omnia nullis præcedentibus meritis gratis data sunt cunctis fidelibus, sicut iisdem egregius prædicator dicit : *Gratia salvi facti estis* (*Ephes.* II). Apostolatus vero nomine debemus intelligere legationem prædicationis, quam ipsi soli apostoli eorumque sequaces acceperunt qui similiter post illos officium prædicationis tenuerunt. Et ne quis putaret quod in una gente tantummodo Israelitica accepissent legationem prædicationis, dicit in omnibus gentibus ad obediendum fidei, accepisse illos apostolatum, id est ut omnes gentes obediant fidei Evangelicæ et Christi, quod unum est. Fides autem dicitur eo quod fiat quod promittitur. Constat autem inter Deum et homines. Verbi gratia : Tempore baptismatis profitemur nos credere in Deum Patrem, et Dominum Jesum Christum, et in Spiritum sanctum, abrenuntiare quoque diabolo et omnibus pompis ejus, omnibusque operibus ejus. Si ergo hoc observamus, fidei obedimus : sin autem, infidelitatis redarguimur. Fides igitur est, ut diximus, confessio sanctæ Trinitatis et solidum fundamentum religionis, qua veraciter credimus id quod nequaquam videre valemus. Si autem quod credimus jam videmus, fides jam non est habenda, sed cognitio. Notandumque, quia pro nomine Christi, id est vice nominis ejus dicit se accepisse apostolatum. Sic enim ait eis Dominus : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (*Joan.* XX), id est sicut misit me Pater in nomine suo, ita et ego vos vice nominis mei mitto ad prædicationem. Unde et iisdem Apostolus alias dicit, pro Christo, id est vice Christi legatione fungimur. Itemque, *Obsecramur pro Christo, reconciliamini Deo* (*II Cor.* V).

In quibus, subaudis gentibus, *estis et vos*, Romæ habitantes Judæi et gentiles, *vocati Jesu Christi*, id est ab illo vocati estis per nos ut in eum credatis, vel etiam in hoc vocati estis illius, quia ab illo nomen Christianitatis promeruistis.

Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei vocatis sanctis. Dilectis Dei dicit, id est electis ad fidem et gratiam. Quod autem dicit *vocatis sanctis*, sic videntur hæc verba sonare, quod jam sancti essent quando vocati sunt, sed non convenit. Qui enim erant peccatores et justissimi, vocati sunt sancti, id est adhoc electi et vocati sunt, ut essent sanctificati per baptismum. Tale est et illud, quod in cantico Zachariæ patris Joannis Baptistæ. *Visitavit*, inquit, *et fecit redemptionem plebis suæ* (*Luc.* I). Non enim invenit illam esse plebem suam, sed visitando et redimendo suam fecit esse. Notandum autem quia initium hujus Epistolæ longo circuitu distenditur, ac per hoc ejus distinctio solerter est consideranda : simulque considerandum salutationes Epistolarum sub tertiis personis consistere. Legatur ergo per commata ac sub distinctionibus : *Paulus servus Christi Jesu*, etc., usque, *In quibus estis et vos vocati Jesu Christi*, ibique ponatur media distinctio, deinde inferatur, *Omnibus qui sunt Romæ, vocatis sanctis*, ibique fiat plena distinctio, et subaudiatur tertia persona, salutem optat. Nam quod sequitur, *Gratia vobis*, extra salutationem est, quia secunda persona est ad quam debet post salutationem primam loqui. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo,* subaudis sit. Gratia vobis, id est fides et salus qua remittuntur peccata tempore baptismatis, et pax qua reconciliamur Deo Patri per sanguinem Filii sui. Quidam ita volunt intelligere distincte, ut dicatur gratia vobis a Deo Patre, qui gratis misit Filium, et pax a Domino Jesu Christo, cujus passione reconciliamur tam Deo quam angelis ; sed melius utrumque a Deo Patre datum intelligitur, utrumque a Filio, quia gratia et pax a Patre et Filio æqualiter confertur. Spiritus sancti vero personam idcirco reticuit, quia in donis suis eum comphrehendit, id est in gratia et pace. Ait enim Veritas Samaritanæ mulieri : *Si scires donum Dei* (*Joan.* IV), id est Spiritum sanctum. Quia enim per eum divinitus honorantur electi, ideo, ut diximus, in donis intelligitur. *Gratia* enim, id est remissio peccatorum, quam percipiunt credentes in lavacro baptismatis, *et pax* per quam reconciliationem merentur, æqualiter a tota Trinitate præstantur.

Primum quidem gratias ago Deo meo pro omnibus vobis. Huc usque salutatio : post salutationem vero sequitur statim textus Epistolæ. Beatus Apostolus in exordio suæ Epistolæ a gratiarum exorsus est actione, adimpleor utique mandatis suis quod dixit alibi : *In omnibus gratias agite* (*I Thess.* v). *Gratias,* inquit, *ago*, id est laudes refero Deo meo pro vobis. Bene autem addit *meo,* quia cum omnium rerum unus sit Deus per naturam, eo quod sit creator omnium, illis proprie tamen per gratiam Deus dicitur esse, quod merito fidei et justitiæ ejus cultores esse probantur, sicut beato Paulo aliisque Christi fidelibus. Hinc dicitur : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* II), per gratiam et vitæ meritum. *Quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.* A toto partem accipe : neque enim totus mundus illorum fidem annuntiabat, sed per plures mundi partes divulgabatur novam fidem Evangelii eos percepisse, ut pote qui tunc temporis pene omnibus gentibus dominabantur. Ab illis qui Romam veniebant, indeque ad propria rependebant eorum fides multis annuntiabatur gentibus. *Fides* dicitur eo quod fiat, quod sicut promittitur, ita debeat impleri : sin autem non fuerit adimpleta, jam non est fides.

Testis enim mihi est Deus. Videtur contra Dominicum præceptum jurare apostolus quo dicitur : Nolite jurare omnino. Sed quia veritatem jurare, necessitate compellente, non est peccare, ut ab Augusto dicitur. Coactus Apostolus ut crederetur ei ab auditoribus, dum jurat non peccat. Tutius tamen est non jurare, quia qui nunquam jurat, nunquam perjurium perpetrat. *Cui servio in spiritu meo.* Non ait adoro, sed *servio.* Sunt quidam qui corpore et voce Deum aut homines ficte adorant, sed non spiritu, id est mentis affectu. Plus est ergo dicere, *cui servio in spiritu* quam adoro : quia hic intelligitur servitium amoris et integræ dilectionis. *In Evangelio Filii ejus,* id est prædicatione Christi, Evangelium, ut diximus, *bonum nuntium* sonat. Dicit enim : *Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum (Matth.* III). Prædicare quoque conceptionem et nativitatem Christi et reliqua, dispensationis ejus mysteria evangelizare est. *Quod sine intermissione memoriam vestri facio, semper in orationibus meis. Sine intermissione* dicit, quia omni die, omni nocte orationi incumbens, eorum memoriam faciebat. Nam aliter hæc verba stare non valent, qui comedebat, dormiebat. Homo siquidem mortalis erat adhuc Apostolus, ideoque mortalis indigebat operari, comedere atque dormire. His enim omnibus indiget homo mortali tegmine indutus. In hoc vero quia orationi instabat, in semetipso primum opere prætendebat, quod ipse alibi suis auditoribus exhortando præceperat : *Sine intermissione*, inquiens, *orate. Obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos (I Thess.* v). Si quomodo, id est si aliquo modo, tandem, ad ultimum vel vix. Bene dicit *obsecrans* si aliquo modo *prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos*, quoniam sunt quidam qui Dei permissione, non voluntate, prosperum iter videntur accipere ad malum, si quando homicidium aut aliquod festinent scelus perpetrare. Sed Apostolus omnia prospera quæ sine voluntate Dei veniunt nihili pendit, et pro nihilo deputat. Nam aliter prosperum iter se posse habere non putabat, nisi voluntas Dei, quæ omnia novit, et in omnibus nos prævenit bonis, præcedit et fovet, illuc cum duceret, ubi fructum aliquem haberet.

Desidero enim videre vos. Ideo dicit desiderare se venire ad illos, ut illos ad amorem suum excitaret, ut et ipsi desiderarent illum. Desiderabat autem illos videre, ut aliquid gratiæ prædicationis et miraculorum illis largiretur, sicut sequentia manifestant. *Desidero,* inquit, *videre vos : ut aliquid gratiæ spiritalis*

impartiar vobis ad confirmandos vos, ut confirmem fidem vestram doctrina et prædicatione atque miraculorum virtute, suppleamque meo adventu si quid minus habetis in fide, vel etiam ut doceam vos perfectam charitatem habere, ne ab invicem dissideatis et discordiam habeatis, sicut nunc audio.

Id est simul consolari in vobis per eam quæ invicem est fidem vestram atque meam. Consolantur magistri de profectu discipulorum, quando scilicet stabilimentum fidei reperiunt in illis : econtra consolantur discipuli dum adventu magistrorum cumulatur illis gratia Spiritus sancti, vel dum suam scientiam et fidem magistrorum scientiæ aut fidei concordare et comparticipare intelligunt.

Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, id est et volui et proposui, *et prohibitus sum usque adhuc*. Prohibitus est Paulus a Deo ne antea Romam veniret quam gentibus circa Hierosolymam positis, sacrum administraret Evangelium. Deinde vero per Macedoniam Asiamque minorem prædicando Illyricum veniens, quæ est prima pars Europæ, tandem juxta animi sui votum perveniret Romam. Cum ergo dixisset Apostolus sæpe se destinasse venire ad illos, poterat aliquis illorum ei obviare interrogando ac dicere : O beate Apostole, cur disposuisti venire ad nos peccatores? Ad hæc ille, *ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in cæteris gentibus*, id est ut mercedem æternam spiritalis gratiæ *habeam in vobis* de meo labore, *sicut et in cæteris gentibus*.

Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum. Sapientes appellat Judæos et Græcos, a quibus omnis sapientia divina, et omnis philosophia mundana exordium sumpsit, insipientes vero et barbaros, alias gentes, sicut sunt Teutonici, Britones, aliique qui illorum comparatione indocti et quasi sine litteris erant. Nam sicut ab Hebræis acceperunt Latini omnem divinam Scripturam, ita et a Græcis omnem philosophiam sæcularem. Et cum in sapientia florerent, se quidem sapientes, omnes vero reliquas gentes barbaras vocabant. Quorum superbiam confundit Apostolus, dum in sequentibus præponit eis Judæos. Sed considerandum est quid acceperit Apostolus, ut horum debitor esset, id est sapientium et insipientium. Nam ab ipsis non acceperat aliquid. Adeo hoc donum acceperat, ut omnium gentium linguis loqueretur, quibus eisdem gentibus fidem Christi, ut pote debitor, prædicare debebat : vel certe in hoc erat debitor omnibus gentibus, quia, sicut beatus Augustinus ait in expositione Epistolæ ad Ephesios, præ omnibus apostolis sapientiam divinam percepit. Et quare hoc, nisi ut omnibus principibus, omnibusque philosophis per sapientiam sibi datam resistere posset. Unde et Dominus ait de illo ad Ananiam : *Vas electionis mihi est ut portet nomen meum coram regibus et gentibus* (*Act.* IX). Sapientibus debitor erat ut eis profunda et alta mysteria panderet, sicut ipse dixit alibi : *Sapientiam loquimur inter per-* A *fectos* (*I Cor.* II). Insipientibus debitor erat, ut secundum capacitatem illorum eis verbum mysteriorum committeret, quibus ipse dicebat : Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus (*I Cor.* III). Insipientibus vero debitor erat in hoc, ut illorum insipientiam patienter ferret.

Ita, quod in me promptum est, id est manifestum est, *et vobis qui Romæ estis, evangelizare*. Ordo verborum est, pariterque sensus. Quia sapientibus et insipientibus debitor sum, vobis quoque qui Romæ estis : multo promptior est mea voluntas ad evangelizandum : et sicut de fide omnium gentium, ita etiam de profectu vestræ fidei opto magnus sublimisque fulgere.

B *Non erubesco enim Evangelium*, subaudis prædicare. Quidam credebant in Filium Dei et verecundabantur prædicare quod natus esset ex femina, quod crucifixus, quasi nolentes injuriam facere Dei Filio, sed hoc non erubescebat Paulus qui dicebat : *Non erubesco Evangelium* prædicare, ac si diceret aliis verbis : Non erubesco Filium Dei prædicare in fine temporum natum, quem scio ante sæcula æqualem Patri genitum. Non erubesco mortuum prædicare, quem scio superata morte tertia surrexisse die, deinde cœlos penetrasse. Et quasi aliquis diceret, quare non erubescis Evangelium? ait : *Virtus enim Dei est*. Evangelium *in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco*. Virtus enim Dei est, Evangelium in salutem omni homini credenti, quia per illam C fidem et operationem quam Evangelium annuntiat, decrevit salvare genus humanum. Præferuntur modo Judæi Græcis, vel quia ante illos leges divinas humanasque habuere : vel quia enutriti in lege, cito per cognitionem legis pervenerunt ante illos ad fidem Evangelii, videlicet quando post ascensionem Dominicam prædicantibus apostolis crediderunt ex eis una die tria millia, altera quinque millia et deinceps multa millia. Sive etiam in hoc præfert Judæos Græcis, quia ipsi apostoli a quibus Græci doctrinam fidemque Evangelii quasi a magistris percipiebant natura Judæi erant. Notandum autem nomine Judæi, omnes Judæos credentes debere intelligi, et nomine Græci, omnes gentiles debere comprehendi.

Justitia enim Dei in eo, id est Evangelio, *revelatur* D *ex fide in fidem*. *Justitia Dei*, id est justificatio qua justificat in se credentes, in Evangelio manifestatur dum dicitur. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus*, id est justus, *erit* (*Matth.* XVI). Hæc est justitia, qua omnes credentes dono Patris et Filii ac Spiritus sancti justificantur. Quæ idcirco justitia Dei dicitur, quia eam impartiendo fidelibus, justos eos reddit, et hoc ex fide, subaudis legis, in fidem sancti Evangelii, si ad Judæos referas. Quia enim in lege unius Dei notitiam et fidem habuerunt, sicut dicitur in Exodo, quod *crediderunt Domino et Moysi servo ejus* (*Exod.* XIV), facilius ex fide et cognitione unius Dei ad Evangelium transeuntes, fidem sanctæ Trinitatis perceperunt. Communiter omnes credentes a fide verbo-

rum transient quandoque ad fidem rerum, quia juxta quod promittit Evangelium fideliter exhibetur spei præmiorum, quando quod modo tenemus in fide et in spe, tunc possidebimus in re, juxta quod beatus Joannes dicit : *Charissimi Filii Dei sumus* in spe, *et nondum apparuit quod erimus* in re. *Scimus* autem *quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III). *Sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit.* Ad hoc exemplum in oraculo Habacuc prophetæ continetur. Ex fide igitur quæ concipitur corde et profertur ore, et bonis operibus exornatur, vivit justus vita æterna. *Fides autem sine operibus mortua est* (*Jac.* II).

Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum. Ira Dei appellatur isto in loco ultio diei judicii, et vindicta divina, quam omnibus reprobis inferet Dominus in die illa dicens illis : *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Quæ vindicta divina de cœlo manifestabitur, quia inde veniet Dominus ad judicium, sicut ipse per seipsum dicit : *Filius hominis* veniet ut reddat *unicuique secundum opera sua* (*Matth.* XVI), vel certe vindicta divina de cœlo manifestatur, hoc est de Ecclesia per tubam Evangelii : quia ea quæ de die judicii et Domini adventu diximus, ibi continentur. Cœli enim nomine Ecclesia censetur. Sicut ipsa Veritas dicit : *Simile est regnum cœlorum decem virginibus* (*Matth.* XXV). In Apocalypsi quoque Joannis multis in locis cœli nomine designatur. Potest et absolute intelligi, quod dicitur de cœlo manifestari divinam vindictam, hoc est de Evangelio de quo Dominus dicit : *Simile est regnum cœlorum fermento, quod mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec* fermentaretur *totum* (*Matth.* XIII). Revelabitur, inquit, divina vindicta, super omnem impietatem et injustitiam. Impietas idololatriam significat, ut habetur in Zacharia : Impietas sedebit super talentum plumbi. Injustitia est qua contra Dominum et proximum quis injuste agit, et est sensus : Vindicta quam Dominus in Evangelio comminatur, venit super omnes idololatras et peccatores. Sequitur : *eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent.* Simplex veritas, Deus invisibilis et incommutabilis est, cujus religionem in injustitia detinuerunt, qui cultum soli Deo dignum creaturis corruptibilibus impendendum judicarunt. Veritatem Dei in injustitia detinebant, qui veri Dei religionem atque honorem injuste creaturæ, quantum in ipsis erat, attribuebant, dicentes lapidi : Deus meus es, et ligno · Tu me genuisti.

Quia quod notum est Dei manifestum est in illis. Hinc jam contra philosophos istius sæculi ex maxima parte loquitur Apostolus et est sensus : Idcirco ira Dei omnipotentis veniet super reprobos, maximeque super philosophos, quia quod notum est proprie Dei est esse, scilicet quia ipse solus sic verus, verus Creator omnium rerum, manifestum est illis. Ex pulchritudine enim visibilium operum cognitio opificis et majestas innotuit philosophis, quia tam speciosæ creaturæ speciosiorem haberent Creatorem, sicut fertur ab Hebræis de Melchisedech, quia considerata fabrica mundi, unum Deum excellentem creaturis esse dixit : et ideo excellentiora, id est panem et vinum Deo obtulit vero. *Deus enim illis revelavit.* Sive enim per naturale ingenium et rationis donum atque acumen studii, sive per occultam inspirationem revelavit Deus eis, quia non hoc est Creator quod creatura, quia Creator est Deus, creatura vero est factura Dei.

Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Quod est dicere : Invisibilia sacramenta omnipotentis Dei a creatura mundi, id est ab homine maximeque a philosophis gentium, per ea quæ facta sunt visibilia, intellecta sive percepta et cognita conspiciuntur, non oculis corporeis, sed oculis mentis intelliguntur. Per ea enim quæ facta sunt ejus sacra invisibilia : *sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.* Subaudis per ea quæ facta sunt visibilia conspiciuntur mente, ab illis philosophis. *Ita ut sint inexcusabiles.* Virtus Dei est quæ cuncta creata gubernat : divinitas vero, quæ universa replet : ideoque Deus omnipotens per naturale ingenium, et per ea quæ facta sunt visibilia, dedit philosophis multa cognoscere de divinitate sua, ut illi adorantes idola, creaturam videlicet pro Creatore, inexcusabiles sint, et non possint dicere quia Deum ignoraverint. Virtus enim Dei quæ sempiterna est, et divinitas quæ nihilominus æterna est, ex conjecturis creaturæ ostenditur.

Quia cum cognovissent Deum per naturale ingenium vel per creaturam invisibilem, *non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt ;* sed evanuerunt in cogitationibus suis, id est vani facti sunt a sua sapientia propter suam superbiam, et ad pristinos redierunt errores, ascribentes sibi facultatem a Deo datæ sapientiæ, *et obscuratum est cor eorum insipiens :* Deum non glorificaverunt, sive non honoraverunt, quia majestatem illius non publice prædicaverunt, neque docuerunt illum solum esse colendum, abjectis idolis. Gratias non egerunt, id est laudes, non retulerunt illi pro demonstratione summi et invisibilis boni. Cor quoque illorum quod illuminatum est per naturale ingenium et per gratiam Dei, postquam cœperunt idola et creaturam adorare pro Creatore, obscuratum est pro ignorantiam. Quid enim deterius et obscurius quam serpentes pro vero Deo coli ?

Dicentes enim se esse sapientes a semetipsis *stulti facti sunt* in hoc, cum ab illis non esset sapientia, a se ipsis eam se habere putaverunt. Quod enim contulit illis divina gratia gratis, abstulit utique dum essent ingrati.

Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Omnis creatura quæ mutari potest in melius aut in deterius corruptibilis est. Verbi gratia : Homo corruptibilis est quia corrumpitur per senectutem, per infirmita-

tem : ad extremum etiam quando per mortem redigitur in pulverem : Deus vero omnipotens, qui non potest mutari, aut in melius aut in deterius, sed semper idem et æqualis manet, incorruptibilis solus existit. Cujus gloriam et culturam, quæ soli convenit ei qui Deus est, mutaverunt homines in similitudinem aliorum hominum, ut Assyrii, qui simulacrum Beli patris Nini regis pro Deo colebant ; et Babylonii idipsum, quem vocabant Bel, Sydonii Baal, Judæi Beelzebub, et Philisthæi Zebet : et non solum in similitudinem hominis mortui et corruptibilis, sed etiam in similitudinem volucrum, sicuti Romani qui colebant anserem, et Ægyptii qui colebant accipitrem. In similitudinem quoque quadrupedum, sicut Ægyptii qui colebant apim, hoc est vaccam albam. In similitudinem etiam serpentium, sicut Babylonii qui colebant draconem, et Ægyptii qui colebant crocodilum, qui est serpens aquaticus, natans in aqua ut piscis, pascens in terra ut bos.

Propter quod, id est quia cultum et religionem Dei falsis imaginibus tradiderunt, et noluerunt ei gratias referre pro collatis sibi divinitus donis ; *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam*, id est tradi permisit a seipsis, vel ire secundum desideria cordis eorum in immunditiam, *ut contumeliis*, id est turpitudinibus libidinum, *afficiant* sive deturpent *corpora sua in semetipsis*. Idcirco permisit eos ire in desideria cordis eorum, ut gravius punirentur. Quomodo permiserit illos Deus secundum desideria delectationum suarum in sequentibus plenius refertur.

Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Veritatem Dei in mendacium commutaverunt, id est cultum et religionem veri Dei in idololatriam. Veritas enim est Deus, mendacium vero idolum. Aliter : Veritas quippe creata a Deo est, ideoque ipsa creatura non est veritas, quam ipsi in mendacium converterunt, dicentes solem et lunam aliasque creaturas deos esse, pro nihilo deputantes Deum qui est benedictus in sæcula. Veritatem Dei in mendacium commutaverunt, quando veram creaturam a Deo factam per mendacium dicebant esse quod non erat. Solem etenim et lunam dicebant mendaciter deos esse, denegantes quod erant ; quia non sunt dii, sed solummodo creaturæ in veritate. Creatura quippe a Deo facta vera creatura est, sed non est ea veritas quæ Deus est, quia deus non est : qui est benedictus in sæcula. Si ergo ille est benedictus Deus in sæcula, illi utique qui cultum et religionem ejus idolis impendebant, erant maledicti in sæcula, et temporales, id est defectum et corruptibilitatem patientes : juxta quod psalmus dicit de illis : *Erit tempus eorum in sæcula* (*Psal.* LXXX), quod est dicere : Defectus eorum manebit in sæcula, quia semper corrumpentur ab igne et vermibus. Sequitur :

Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Propterea, inquit, quia veri Dei religionem in A mendacium commutaverunt, tradidit illos Deus, id est tradi permisit, vel ire in passiones et flagitia ignominiæ. Ignominia dicitur quasi qui sine nomine dignitatis. Inde dicitur ignominiosus qui desinit habere dignitatis nomen, quando deprehenditur in aliquo crimine : sicut ignobilis, sine bono nomine, et infamis sine bona fama, quales erant illi de quibus subjungitur :

Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem masculi relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis masculi in masculos turpitudinem operantes. Id est naturalis usus est ut vir et mulier in unum concubitum coeant : contra na- B turam vero est, ut masculus masculum polluat, et mulier mulierem. Si quis, relicta conjuge, cum alia concubuerit, turpitudinem quidem operatur et peccat, sed non contra naturam. Qui vero cum ipsa conjuge aliter quam debet concubuerit, id est in alio membro quam decet, contra naturam turpitudinem operatur, et gravissimum scelus perpetrat, *et mercedem quam oportuit in semetipsis recipientes*, id est quia primum Deum cognoscentes non honoraverunt, justo Dei judicio mercedem mutuam receperunt sui erroris, ut non servarent sibi honorem, traditi passionibus turpissimis. Sive etiam mercedem æternæ damnationis receperunt, quam promeruerunt pro talibus operibus : de qua idem egregius prædicator alias dicit : *Stipendium*, inquiens, *pec-* C *cati mors est* (*Rom.* IV).

Et sicut non probaverunt, id est non elegerunt nec dilexerunt, *Deum habere in notitia, tradidit illos Deus*, id est ire permisit, *in reprobum sensum ut faciant ea quæ non conveniunt*, hoc est quæ et divinæ et humanæ prohibent leges. Illi dicuntur Deum habere in notitia, qui eum semper tanquam præsentem timent : et dum considerant ejus præsentiam ubique esse, peccare non audent. Illi autem dicuntur illum non habere in notitia, qui nolunt considerare præsentiam illius esse ubique, ut sine timore liberius peccent.

Repletos omni iniquitate. Iniquitas est, quæ et anomia dicitur, quidquid contra legem Dei fit. Nam *nomos* lex, *anomia* vero quasi sine lege : et dicitur D iniquitas mentis acerbitas, dum malum corde concipitur. Peccatum est perpetratio mali. Iniquitas autem et peccatum ita distinguuntur, qui iniquitas ad mentis acerbitatem sive duritiam refertur, ut diximus ; peccatum autem ad prolapsionem corporis *malitia*. Malitia autem est fraus aut astutia, quando videlicet aliud corde geritur et aliud ore profertur, cogitatio profertur. Cogitatio pravæ mentis malitia dicitur. Malitiæ votum vel opus malignitas appellatur. *Fornicatione*. Fornicatio autem a fornicibus, id est arcuatis domibus dicitur, quæ fornices appellabantur, ubi publicæ meretrices prosternebantur. Fornicator siquidem est, cujus corpus publicum et vulgare est. *Avaritia*. Avaritia est cupiditas rerum

inexplebilis, vel adulterium : et est in hoc loco non solum ad pecuniam, sed etiam ad coitum referendum. *Nequitia.* Nequitia est superbia vel audacia peccati. Unde dicitur : Ego novi nequitiam eorum. *Plenos invidia.* Invidus dicitur plenus invidia, qui alterius felicitate torquetur, et scinditur in duplicem passionem : cum aut quod ipse est, alium esse non vult, aut alium videns esse meliorem, dolet se non esse consimilem. Inter invidiam autem et zelum hoc distat, quia zelus vel æmulatio quæ unum sunt, aliquando in bonam partem ponitur, ut ibi : *Zelus Dominus exercituum faciet hoc* (*IV Reg.* XIX): ponitur et in malam partem, sicut de Joseph legitur, quod æmulantes sive zelantes cum fratres sui, id est invidentes illi, vendiderunt illum (*Gen.* XXXVII). Invidia vero semper in malam partem ponitur. *Homicidio.* Homicidium dicitur ab *homine* et *cædo* verbo, inde dicitur homicida hominem cædens. Recte autem post invidiam subsequitur homicidium statim, quia ex invidia procedit homicidium, verbi gratia : Diabolus cernens hominem ad hoc factum ut locum gloriæ acciperet, quem ille superbiendo perdiderat, invidia ductus interfecit illum in anima (*Gen.* III). Similiter Cain invidia commotus contra fratrem suum Abel, quia respexisset Dominus ad illum, inflammando munera ejus, ad ipsum vero non respexisset nec ad munera ejus inflammando, interfecit illum (*Ibid.*). *Contentione.* Contentio est ubi non ratione aliquid, sed animi pertinacia defenditur : vel ubi non veritas quæritur, sed animositas, id est superbia fatigatur. Loqui contra alterum sine aliqua utilitate contentio maxima potest dici. *Dolo.* Inter dolorem et dolum hoc distat, quia dolor ad infirmitatem corporis pertinet, dolus vero est mentis calliditas, dictus ab eo quod deludat verbis fictis. Inter dolum autem et insidias et fraudem hoc interest, quia dolus animo fit, insidiæ loco sive zelo, fraus vero circa fidem mutuam. *Malignitate.* Malignitas est malitiæ opus quæ et malevolentia potest dici. *Susurrones.* Susurro de sono locutionis nomen accepit, quia non in facie alicui, sed in aure loquitur, detrahendo : et est onomatopœia, nomen de sono factum.

Detractores. Quidam codices habent detractatores, sed falso scriptum est. Detractio est aliorum bene gesta opera vel in malum malitiose mutare, vel invidendo fallaci fraude diminuere : cum autem mala dicuntur, quæ bona sunt, aut parva bona, quæ magna sunt. Detrahere enim dicitur, qui alicui aliquid subtrahere comprobatur et diminuere. *Deo odibiles,* qui Dei odium incurrunt. *Contumeliosos.* Contumeliosi dicuntur qui veloces sunt in verborum injuriis et aliis, aut verbis aut factis injuriam faciunt : verbis scilicet conviciando, aut aliquid improperando : factis vero flagellando. Unde legimus de apostolis, quia flagellati in concilio *ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act* v), id est flagellationem, et contumeliam, et opprobrium. *Superbos.* Superbus est perversæ cel-

A situdinis appetitor, et qui præcellere vult alios. Unde Græco vocabulo hyperephanos, id est super apparens vocatur. *Elatos.* Elatus qui effertur supra mensuram suam, vel qui majorum institutis non acquiescit. *Inventores* malorum, qui multa mala adinveniunt, sicut illi erant, de quibus hactenus diximus. *Parentibus non obedientes.* Parentibus terrenis non obtemperant, qui vero Deo Patri non obedientes existunt.

Insipientes sunt stulti et fatui, a sale sapientiæ immunes. *Incompositi,* id est inordinati lascivique : quia omnia sua inordinate et lasciviose peragunt. Omnis enim insipiens, incompositus, inordinatus est. *Sine affectione,* id est sine dilectione Dei et proximi. Est affectio quæ ponitur pro afflictione, ut in Evan-
B gelio ubi dicitur, quod *servos contumeliis affectos,* id est afflictos, *occiderunt* (*Matth.* XXII), et est affectio quæ ponitur pro dilectione, ut in præsenti loco. *Absque fœdere,* hoc est amicitia et pace. *Sine misericordia.* Sunt qui nec sui nec aliorum miserentur ; primum enim necesse est ut nobis misericordiam impendamus, deinde vero aliis. Unde dicit Salomon : Fili, *miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccl.* XXX).

Qui cum cognovissent justitiam Dei, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte : Omne quod turpe est, Deo displicet. Et philosophi, licet mala agerent, tamen in hoc erant consentientes justitiæ Dei, quia in aliis ipsa vitia reprehendebant. Justitia quippe Dei est, quæ odit ac detestatur vitia,
C et docet virtutes. Quam justitiam illi cognoverunt, qui vitia vero displicere intellexerunt ; et tamen in hoc ignorare dicuntur, quia non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, qualia ipsi agebant, digni sunt morte æternæ damnationis, et quasi non intellexerunt, dum sine timore peccaverunt ; *non solum qui ea faciunt,* subaudis digni sunt morte, *sed etiam qui consentiunt facientibus.* Qui facit peccatum et non consentit, dignus est morte. Qui non facit et consentit in subditis non puniendo, dignus est morte. Qui autem faciunt et consentiunt, illi duplici morte digni sunt.

CAPUT II.

Propter quod, quia non solum ille dignus est morte
D qui facit peccatum, sed etiam qui consentit, *inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas* Hic non tantum gentilem quemlibet, sed et Judæam alloquitur, et omnes generaliter prælatos. Judæos ideo alloquitur, quia illi reprehendebant et damnabant gentiles quasi idololatras et peccatores, gloriantes se ad gratiam Evangelii propter observantiam legis meruisse pervenire. Prælatos autem, quia in aliis peccatum judicant et reprehendunt, intelligentes esse peccatum, et in se non damnant, cum faciant idipsum. Sic etiam intelligendum est de omnibus qui aliorum vitia reprehendunt, et in se eadem non emendant. *In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas.* Hoc ita est intelligendum : Si reprehendis et judicas

alium, et temetipsum ab his vitiis, a quibus illum reprehendis, observas et ab aliis teipsum liberas : si vero ea opera imples aut majora a quibus reprehendis fratrem tuum, in quo illum judicas, teipsum damnas, quia qui alium judicas quandoque judicaberis, et recte, quia ea facis quæ judicas.

Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem; id est sine personarum acceptione, *in eos qui talia agunt*, hoc est qui talia faciunt, qualia in aliis reprehendunt. In præsenti sæculo attendunt homines personas potentum, divitum, propinquorum in judicio : sed Dei judicium in hoc verum est, quia ipse qui rex est non attendit personas, sed vitæ meritum.

Existimas autem hoc, o homo omnis, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies judicium Dei! An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei, id est valde bona pietas Dei, *ad pœnitentiam te adducit*. Ad Judæos quidem loquitur specialiter, qui reprehendebant et damnabant gentiles quasi idololatras, sicut jam supra diximus ; se autem promeruisse hoc dicebant, ut ad fidem Christi venirent; generaliter vero omnes alloquitur, tam Judæos quam gentiles. Et est sensus : Si servus aut subjectus tuus non valet effugere judicium tuum, o homo, humana tantummodo sapiens, quomodo tu poteris effugere judicium omnipotentis Dei ? Divitiæ bonitatis Dei sunt, quibus universum mundum quotidie peccantem non statim punit, exspectans illum ad pœnitentiam; sed insuper illi benigna largitate solem et pluviam largitur, quas plerumque homines contemnunt sive despiciunt, dum ei gratias non referunt. Patientia est qua per superbiam et procacitatem peccantes non statim punit. Longanimitas est, quæ alibi sustentatio sive sustinentia vocatur, qua per infirmitatem et fragilitatem, et non deliberato animo peccantes diu portat, exspectans illos ad pœnitentiam.

Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas, id est reservas et multiplicas tibi, *iram in die iræ*, hoc est vindictam in die judicii *et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua*, bonis bona, malis mala. Dies iræ et revelationis sive manifestationis judicii, ipsum judicium et manifestatio judicis omnipotentis Dei intelligitur. Cor durum et impœnitens in Scripturis divinis dicitur, cum mens humana velut cera frigore iniquitatis obstricta, signaculum divinæ majestatis non recipit, illud scilicet, quod Dominus in anima nos habere docet, dicens : *Sancti estote, quia et ego sanctus sum* (*Lev.* XIX). Et de quo Psalmista : *Signatum est*, inquit, *super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV).

His quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam. Ordo verborum, et est sensus cum subauditione : His quidem qui secundum patientiam boni operis modo laborant aut vivunt, quærentibus vitam æternam, id est judicium Dei exspectantibus qui de bono suo non modo, sed in futuro mercedem quærunt, gloriam et incorruptionem dabit in die judicii. Gloriam claritatis dabit eis, qua fulgebunt sicut sol in regno Patris sui ; honorem quoque, quo filii Dei erunt, sicut dicit beatus Joannes : *Charissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus. Scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III). Incorruptionem quoque dabit illis, id est immortalitatem, quia erunt omnes electi incommutabiles in anima, et incorruptibiles in corpore. *His autem qui ex contentione*, subaudis sunt, id est qui Dei judicium reprehendunt, *et qui acquiescunt veritati*, id est Evangelio vel Christo, *credunt autem iniquitati*, hoc est mendacio, omnique malo, vel etiam diabolo ejus voluntatem implendo, *ira*, id est judicium Dei veniet, *et indignatio*, hoc est vindicta sive severitas damnationis.

Tribulatio quoque venit eis de reatu conscientiæ et consideratione peccati, *et angustia* de sera pœnitentia. Hæc autem omnia venient *in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. In omnem animam* dicit, hoc est in totum hominem, a parte totum intelligens , frequens enim Apostoli locutio est, ut est illud : Descendit Jacob in Ægyptum in animabus septuaginta (*Gen.* XLVI ; *Deut.* X) : vel etiam *in animam* dicit, quia primum peccatum concipitur in animo cogitando, ac deinde perpetratur opere. Sed timendum, nimisque formidandum est quia dicit: *In omnem animam hominis operantis malum*, hæc esse ventura. Nulli enim parcit Deus : non angelo, non amico. Peccavit siquidem angelus, et projectus est de cœlesti sede. Peccavit item homo, et ipse expulsus est a paradisi gaudiis. Peccavit Moyses ad aquas contradictionis, ideoque non est ingressus terram repromissionis. Idcirco autem Judæus gentili in culpa antefertur, quia ipsi qui legem ante Moysi habuerunt, gravius peccaverunt, legem naturalem et legem scriptam prævaricando. In gloria vero non causa honoris præfertur Judæus gentili, sed crudelitatis tempore.

Gloria autem, quia fulgebunt justi in regno Dei sicut sol : *et honor* quo erunt filii Dei, *et pax*, id est remissio peccatorum, sive reconciliatio qua reconciliamur Deo Patri, *omni operanti bonum*, subaudi venit. *Judæo primum et Græco* quia primitiæ Ecclesiæ ex Judæis fuerunt.

Non est enim personarum acceptio apud Deum. Tunc esset personarum acceptio sive distinctio apud Deum, si propter Abraham Judæos eligeret et gentiles diu idola colentes abjiceret : vel si remuneraret Judæum bene viventem, et negligeret gentilem recte credentem et recte operantem.

Quicunque enim sine lege vel Moysi, vel Evangelii *peccaverunt*, sicut pagani, *sine lege peribunt*, quia non requiretur ab illis lex ; peribunt tamen, quia

legem naturalem spreverunt, et Evangelium recipere noluerunt : *et quicunque in lege* Moysi *peccaverunt* positi, *per legem judicabuntur,* quoniam sunt prævaricati.

Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Hoc est justi habebuntur, et justi apparebunt, sicut ille volebat, de quo dicitur : *Volens autem justificare semetipsum* (*Luc.* x), id est volens justum apparere. Qui audit legem, et non implet præcepta ejus, non justificabitur solummodo propter auditum; qui vero est auditor legis et factor, utique ille justificabitur per legem.

Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ad quæ legis sunt faciunt ; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Hoc dupliciter intelligi potest. Cum gentes quæ legem scriptam non habent, faciunt ea quæ lex scripta præcipit illis quibus data est, ipsi utique ostendunt se habere scriptam naturalem legem in cordibus, et ipsi sibi sunt lex : quia illa faciunt quæ lex docet, licet illis non sit data. Verbi gratia :Saraceni qui neque legem Moysi, neque Evangelii habent, dum naturaliter servant legem, ne homicidium faciant, neque adulterium perpetrent, cætera quæ lex in se scripta continet, ipsi sibi sunt lex, quoniam per opera quæ faciunt, scriptam legem in cordibus suis ostendunt. Lex dicit : Non occides. Is qui legem non accepit, si non occidit, ipse sibi est lex. Aliter : Cum gentes quæ legem Moysi non habent, per doctrinam Evangelii imbuti, naturaliter ea faciunt quæ lex Moysi præcepit, ipsi sibi sunt lex : quia habent eamdem legem Moysi scriptam in cordibus suis inspiratione omnipotentis Dei. *Testimonium illis reddente conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium* : Et quando hoc ? *In die cum judicabit Dominus occulta hominum secundum Evangelium meum,* id est secundum quod ego annuntio vobis « per Christum Jesum. » Per illum judicaturus est Deus Pater mundum, sicut ipse dixit : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v). Sicut stylo imprimitur nota in cera, sic quædam notæ malarum aut bonarum cogitationum figuntur in mente et conscientia nostra, quæ aut accusabunt, aut certe defendent nos in die judicii, quando non solum aperta, sed etiam quæ modo sunt nobis occulta judicabuntur. In hoc ergo testimonium nobis perhibebit conscientia nostra, quia manifestabit nobis utrum plura peccata sint an bona opera, et utrum vetera an nova, utrum deleta per pœnitentiam an novis sceleribus cumulata.

Si autem tu Judæus cognominaris, subaudis a Juda patriarcha. *Et requiescis in lege.* Illam legendo, meditando, et secundum tuam falsam doctrinam intelligendo, *et gloriaris in Deo,* hoc est in unius Dei notitia.

Et nosti voluntatem ejus, per ipsam legem, *et probas utiliora instructus per legem,* et cætera usque ad id te dico *Habentem formam scientiæ et veritatis in lege,* id est similitudinem quidem habentem scientiæ, sed non veritatem prudentiæ, quia Christo non credis. Ad infidelem Judæum loquitur qui gloriatur quasi in cognitione Dei unius et in circumcisione, et probat utiliora in lege Moysi.

Et putat se esse ducem cæcorum, id est gentium quæ erant cæcæ in infidelitate ignorantiæ et peccatis, sicut et illi fuerunt olim quibus idem apostolus loquitur : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino,* bene dicit quia probat utiliora in lege Moysi. In lege autem naturali utilia sunt quæ dicit : *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris,* sed in lege scripta erant utiliora, quia ibi est cognitio Dei, in Evangelio autem utillima. Gentiles enim quodammodo utilia cognoscebant per naturalem legem, Judæi vero per legem naturalem et per legem Moysi scriptam utiliora, fideles autem in novo Testamento utillima cognoscunt, quia habent fidem sanctæ Trinitatis.

Qui ergo alium doces, teipsum quare non doces ? Hoc increpative est legendum et cum subauditione hujusmodi. O Judæe, qui alium doces, teipsum quare non doces ? *Qui prædicas non furandum,* quare *furaris* bona alterius, vel etiam qui prædicas legem, *quare furaris* de lege spiritalem intelligentiam ?

Qui dicis non mœchandum, quare *mœcharis?* Mœchus est adulter, et non solum ille dicitur mœchus qui uxorem alterius violat, sed et ille qui cultum et religionem quæ soli Deo convenit, quantum in se est, falsis superstitionibus tribuit. Et est sensus : Qui dicis alterius uxorem non debere adulterari, quare adulteraris ? vel etiam quid dicis Deo debere, servire quare deservis vitiis ?

Qui abominaris, id est respuis vel odio habes *idola,* quare *facis sacrilegium?* Legere sive sublegere, est furari. Inde sacrilegium dicitur sacrarum rerum furtum. Verbi gratia : Quisquis de thesauro Ecclesiæ vel de substantia Deo famulantium aliquid occulte abstrahit, sacrilegium perpetrat. Spiritualiter vero sacrilegium est sacrorum verborum prævaricatio.

Qui in lege gloriaris, quare *per prævaricationem legis Deum inhonoras ?* Deus inhonoratur, dum voluntas et jussio illius calcatur et pro nihilo ducitur. Sic dicitur inhonorari rex vel quælibet potestas, dum epistola illius non observatur, præceptumque ejus non custoditur. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est in Isaia. Captivatus est populus Israel in Assyrios et in Babylonem cæterasque gentes. Nomen Dei per illos blasphemabatur quod dicebant hostes illorum cum irrisione: Ecce quem Deum colebatis, qui non valuit vos liberare de manibus nostris, vere idola nostra victricia fuerunt Dei vestri. Similiter, quando deprædatur sancta Ecclesia ab hostibus, et quando illi qui nomen sanctitatis deberent habere male vivunt, blasphematur nomen Dei, quia dicunt Judæi atque pagani : Ecce populus Domini, ecce apparet quales servos habet Jesus vester.

Circumcisio quidem prodest si legem observes. In A hoc loco non est sequendus Claudius, sed potius Ambrosius Hujusmodi circumcisionem hoc in loco pro ipso genere gentis accipe, hoc est pro genere Abrahæ a quo ille populus originem carnis trahit, a quo etiam ipsa circumcisio exordium sumpsit. Hanc enim habet Apostolus consuetudinem, ut Judæos circumcisionem, gentes autem præputium appellet. Et est sensus : O Judæe, tunc prodest tibi quod de genere Abrahæ es et de genere circumcisionis a quo ipsa circumcisio exordium sumpsit, si legem spiritualiter intelligens credis in Christum, cui lex testimonium perhibet, et si circumcisionem non carnaliter, sed spiritualiter observas. Alioquin non prodest esse de genere Abrahæ, sed magis obest tibi. Promittens enim lex Christum, dicit per Jacob : *Non* B *deficiet princeps ex Juda, neque dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX), et per ipsum legislatorem prophetam suscitabit Dominus vobis de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis juxta omnia quæ dixerit vobis. De circumcisione quoque spirituali, in diebus, inquit, novissimis circumcidet Dominus cor tuum et non carnem tuam.

Si autem prævaricator legis sis, id est, si non credis in Christum quem lex promittit, et si circumcisionem spiritualiter non servas.

Circumcisio tua præputium facta est, id est talis es qualis et gentilis qui legem non habet, quia qui debueras esse Judæus credendo in Christum, et le- C gem spiritualiter implendo similis effectus es gentili, ideoque in gentilitatem reputaberis. Unde dicit Dominus per prophetam : *Chermel in saltum reputabitur* (*Isa.* XXXII), circumcisio videlicet in gentilitatem.

Si igitur præputium legis justitias custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? Sensus iste est : Si gentilis quilibet legem custodiat credendo in Christum, circumcisionem spiritualiter observando, cæteraque quæ lex præcipit spirituali intelligentia custodiendo, nunquid gentilitas illius non reputabitur in circumcisionem? Utique quod verus ille Judæus erit, id est confitens Christum. Unde propheta dicit: *Convertetur Libanus in Chermel* (*Isa.* XXIX), id est gentilitas in circumcisionem ve- D ram. Libanus enim *dealbatio* dicitur, Chermel vero *scientia veræ circumcisionis*. Libanus ergo in Chermel conversus est, quando gentilitas dealbata in baptismate locum obtinuit Judæorum, scientiam veræ circumcisionis habens.

Et judicabit id quod ex natura est præputium, legis consummans, id est perficiens, *qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es.* Prævaricator legis est qui Christum non credit. Et superioribus ista pendent, et est sensus : Nunquid ille qui naturaliter gentilis est, et legem consummat, sive perficit et observat, non judicabit te comparatione, sed melioris facti quia per litteralem intelligentiam et circumcisionem carnalem legem prævaricaris? Utique damnabit te, sicut diximus, quia ille spiritualem intelligentiam in lege scrutando requirit : tu semper carnali intellectu requiris, superficiem tantummodo legendo.

Non enim qui in manifesto Judæus est, subaudis placet Deo ; *neque circumcisio quæ in manifesto et in carne est*, placet Deo.

Sed qui in abscondito, id est qui in corde *Judæus est* placet Deo. *Et circumcisio cordis in spiritu, non littera*, subaudis placet Deo, *cujus*, subaudis Judæi, *laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Carnalis circumcisio quæ manifesta atque secundum litteram explanatio, vel exspoliatio carnis est, illa laudatur ab omnibus Judæis. Circumcisio vero cordis, quæ fit in spiritum, est ablatio infidelitatis et susceptio fidei Christi, atque exspoliatio vitiorum. Et est sensus : Qui tantummodo genere et nomine est Judæus, et circumcisionem carnaliter observat, non placet Deo, neque meretur laudari ab illo : quanquam ab hominibus laudetur ; qui vero in occulto, in corde est Judæus, id est confitens Christum, et in corde est circumcisus ab omni infidelitate et ab omni mala voluntate et cogitatione, placet Deo et meretur laudari a Deo, audiens ab illo : *Euge, bone serve et fidelis, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV).

CAPUT III.

Quid ergo amplius est Judæo. Subaudis quam gentili propter circumcisionem. *Aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum*, id est per multas causas. *Primum quidem.* In hoc subaudis profuit illis, *quia credita sunt illis eloquia Dei.* Erant apud Romanos Judæi et gentiles in Christum credentes, sed plus habuerunt Judæi ante Domini adventum quam gentiles, quia illis credita sunt eloquia Dei. Et est sensus : Quid boni percepit Judæus propter circumcisionem plusquam gentilis, aut quæ major utilitas est Judæo circumciso quam gentili incircumciso? Multum per omnes causas profuit illi, quia meruit legem accipere, manna suscipere de cœlo, in terram intrare omnibus meliorem, regnum et sacerdotium possidere. Unde dicit Apostolus : Quid primum profuit eis quod legem et prophetiam meruerunt accipere ?

Quid enim, subaudis nocuit, *si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit.* Hoc tripliciter potest intelligi. Quid, inquit, nocuit Josue, et Caleph, aliisque qui terram repromissionis meruerunt accipere, si sexcenta millia non crediderunt, sed perierunt propter suam incredulitatem? Nunquid incredulitas et perditio illorum fidem Dei, id est repromissionem Dei evacuavit, aut inanem fecit quod dixit Abrahæ : Terram istam tibi dabo et semini tuo ? Nihil eis nocuit, quia ipsi non sunt frustrati promissione Dei. Aliter : si quidam illorum non crediderunt, sed mortui sunt in deserto, nunquid mors illorum promissionem Dei inanem fecit, quam promisit Abrahæ, dicens de Chri-

sto : *In semine tuo benedicentur omnes gentes (Gen.* XXVI) ? Nonne quia remanserunt ex ipsis de quorum progenie postmodum Christus natus est. Aliter : Quamvis multitudo Judæorum in adventu Christi non crediderit, tamen non est evacuatum quod promissum fuerat David : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI), quia super credentes ex Judæis sedem principatus accepit Christus. Sed neque illud evacuatum est quod promisit per prophetas : *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvi fient.*

Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. Deus autem verax est, quia quod promisit illis dare terram repromissionis opere complevit. Similiter quod promisit Abrahæ de Christo quod in semine ejus benedicendæ forent omnes gentes, et quod promisit David de fructu lumbi ejus sessurum regem super sedem regni ejus, et per alium prophetam de salute reliquiarum totum complevit. Omnis autem homo contradicens promissionibus Dei, mendax est; vel omnis homo in quantum a seipso est, mendax est ; in quantum verax, a Deo.

Sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Justificeris, id est justus prædiceris, et verax in tuis promissionibus et verax explendo illas, dum judicaris a populis. David, postquam factus est adulter et homicida, uxorem Uriæ accipiendo, et illum gladio filiorum Amon interficiendo, dicebant multi : Vacua efficietur promissio omnipotentis Dei, quæ facta est ad David, quod ex semine illius esset Christus nasciturus, quia non convenit Christum nasci de homicida et adultero ; sed falsum erit quod sibi pollicitum asserebat. Quod si et Christus de ejus semine fuerit natus, injustum atque indignum erit ut de malefico et peccatore homine originem ducat. Qui e contra confitetur peccatum suum, dicens humiliter : *Tibi soli peccavi*, quia rex sum, *et malum coram te feci* (*Psal.* L), et deprecatur ut Deus quod promisit opere compleat, contradicentesque mendaces ostendat. Aliter : Justificeris indulgentiam peccati dando ad te conversis sicut promittis, et vincas remittendo peccata dum judicaris non posse dimittere.

Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus ? Erant quidam minus perfecti qui dicebant ideo velle Deum ut nos peccemus, ut ipse solus comparatione nostri justus appareret dum peccatum nobis dimitteret, et quia misericors sit patefaceret : ideo etiam velle eum ut nos mentiamur, ut ipse solus verax inveniatur. Quod si ita esset, injuste damnaremur ab illo qui malo nostro cresceret, magnusque fieret. Contra illos tales loquitur Apostolus, personam stulti hominis assumens simulque sapientis, et perversam illorum sententiam destruit. Si, inquit, iniquitas nostra et mendacium Dei justitiam et sanctitatem atque veritatem commendat, id est laudabilem facit, quid dicemus ? Commendatio aliquando pro laude ponitur, ut in hoc loco. Et alibi idem Apostolus ait : *Ego debui a vobis commendari*, id est laudari. Subjungit ergo et dicit : *Nunquid iniquitas est apud Deum qui infert iram*, id est vindictam. Et est sensus : Si nostra iniquitas et mendacium Deum laudabilem facit, et si quanto amplius peccamus tanto ei placet, et eo amplius ipse solus justus et verax apparet, nunquid iniquus est Deus inferendo vindictam pro malis quæ ille vult ut faciamus; secundum quod stultissimi dicunt : Omnino si ille vult ut peccemus, sicut quidam stultorum dicunt, quod nefas est insuper cogitare quando damnant hominem peccatorem : iniquus est, quia injuste judicat ; potius enim deberet illum honorare, cujus iniquitas illum laudabilem facit. Sed quia hoc verum non est, subdit Apostolus :

Secundum hominem dico, id est, secundum intelligentiam carnalis hominis, qui nil boni cogitare valet. Addis adhuc : *Absit.* Hoc jungendum est ad superiora, ubi dixit : Nunquid iniquus est Deus qui infert vindictam ? Absit, subaudis hoc quod aliquis fidelium cogitet : quia Deus iniquus sit, et quia nostra iniquitas faciat illum laudabilem.

Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum ? Id est, si Deus hoc vult ut nos injusti simus, quare judicabit homines qui quando peccant ejus voluntatem adimplent et quorum iniquitas illum laudabilem facit.

Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc tanquam et ego peccator judicor ? Et est sensus : Si Deus in meo mendacio verax apparet, et dum ego mentior ipse solus verus esse prædicatur, quare damnat et judicat me tanquam peccatorem ? Hæc verba non dicuntur affirmando, sed potius denegando ; nec debet hoc aliquis pro veritate accipere, quod Deus, qui naturaliter et essentialiter justus est, misericors et verax, nostro peccato, nostro mendacio crescat in laudem et justitiam, quia non placet ei quandoque peccamus et mentimur.

Et non prædicamus *sicut blasphemamur*, subaudis ab infidelibus, *et sicut aiunt*, nos quidam infidelium dicere, *faciamus mala ut veniant bona : quorum damnatio justa est.* Quidam simplicium minusque perfecti, audientes prædicationem Pauli et aliorum apostolorum qua dicebant : *Ubi abundavit iniquitas superabundavit gratia* (quæ sententiola in subsequentibus exponenda est), ubi debuerunt accipere salutem et vitam, ibi acceperunt damnationem : non recte intelligentes illud, dicebant enim : Faciamus mala, sicut apostoli nostri prædicant, quia quanto amplius majora crimina commiserimus, tanto amplius majora bona percipiemus et majorem gloriam ; quia Deus vult ut peccemus, ut per hoc habeat quod dimittat, ac per hoc justus et misericors appareat. Contra tales protulit Apostolus hanc sententiam : Quidam dicunt quod nos ista dicamus ; sed non sumus tales quales dicimur et blasphemamur, neque docemus illa quæ nos dicunt docere ; quorum damnatio est justa si illi in talibus permanserint, ut per mala sperent accipere bona et insuper quia menda-

cium de nobis sentiunt. Nos autem non debemus dicere : Faciamus mala ut veniant bona ; sed fecimus mala et venerunt nobis bona per gratiam Dei ; et nunc faciamus bona ut veniant meliora.

Quid igitur ? *Præcellimus eos ? Nequaquam.* Revertitur iterum ad superiora : ubi dicit quod est amplius Judæo quam Græco. *Quid* igitur ? *Præcellimus eos ?* id est nunquam excellentiores sumus nos Judæi gentilibus. *Nequaquam :* quia *non est personarum acceptio apud Deum : sed in omni gente qui timet Deum acceptus est illi* (*Act.* x).

Causati enim sumus Judæos et Græcos, id est causam ostendimus eis, et diximus *omnes* Judæos et gentiles *sub peccato esse*, quia Judæi prævaricando legem naturalem et scriptam, et gentiles naturalem transgrediendo, inventi sunt peccatores.

Sicut scriptum est : Quia non est justus quisquam, subaudis a se, vel in omnibus malis hominibus : Judæis et gentibus, non est justus quisquam. Tale est et illud : Testimonium ejus nemo accepit, cum multi electorum acceperint, reproborum vero nemo.

Non est intelligens Deum : non est qui requirat illum. Ille intelligit et requirit Deum, qui, voluntatem illius sciens, studet placere Deo.

Omnes, Judæi et gentiles, *declinaverunt*, id est recesserunt a Deo voluntatem ejus non faciendo ; *simul inutiles facti sunt*, id est nihil facti sunt, creaturam adorantes pro Creatore. *Non est qui faciat bonum* aliquod et non peccet, *non est usque ad unum*, id est præter Christum. vel usque ad Christum. Sic enim soliti sumus dicere : Ager ille pertingit usque ad mare. Quo dicto non comprehendimus mare, quia non intrat in mare, sed locum pertingentem usque ad mare. Non est ergo qui faciat bonum usque ad Christum, id est quousque ad illum veniat credendo, per quem datur fides et facultas operandi bonum. Nisi enim ad Christum veniat credendo in illum, aliter bonum opus implere non valet, ut est agendum.

Sepulcrum patens est guttur eorum. Hoc de Judæis proprie intelligitur : quamvis et de philosophis possit accipi. Sepulcrum ad hoc patet, ut mortuorum corpora suscipiat. Tales sunt qui suis erroribus et suasionibus alios decipiunt, et alios ad malum deglutiunt : interficientes eos in anima sicut scribæ et Pharisæi et philosophi gentium, quorum ora et fauces ad hoc patebant, ut simpliciores quosque sua prava doctrina interficerent. Aliter : sepulcrum quilibet patens existit, qui malum apertis indiciis cogitando meditatur, ac deinde in præsentia sine aliquo metu aut verecundia operatur.

Linguis suis dolose agebant. Dolose agebant Judæi, quando volebant Dominum callide suis sermonibus decipere dicentes : *Magister, scimus quia verax es* (*Matth.* XXII), etc.

Venenum aspidum sub labiis eorum. Aspis mordendo infundit venenum, quod pene omnibus venenis acerbius est : ita Judæi mordendo infundebant venenum quodammodo erroris et suasionis, dum loquendo et blandiendo interficiebant suos auditores in anima, et non solum in alios, sed etiam adversus Christum crudelissima exstitit eorum malitia. *Sub labiis* autem dicit, id est corde : ubi concipiuntur semina malitiæ et blasphemarum, ac postmodum proferuntur ore juxta quod Veritas dicit : *De corde*, inquiens, *exeunt cogitationes malæ* (*Matth.* XV), etc.

Quorum os maledictione et amaritudine plenum est. Os Judæorum plenum maledictionis, infidelitatis, perversæque doctrinæ erat, quando dicebant de Christo : *Dæmonium habet* (*Matth.* XI), et quando maledicebant cæco, dicentes : *Tu discipulus illius sis* (*Joan* IX), qui et fabri filius est et Samaritanus (*Matth.* XIII ; *Joan.* XI), etc. Talia, quibus verbis provocabant Deum ad amaritudinem. Vel certe ut amaritudinem referamus ad Domini passionem, os Judæorum repletum fuit amaritudine, quando clamaverunt dicentes : *Crucifige, crucifige eum : reus est mortis* (*Joan.* XXI ; *Matth.* XXVI).

Veloces pedes fuerunt *eorum ad effendendum sanguinem*, quia semper fuerunt prompti ad effundendum sanguinem prophetarum et justorum. Et non solum occiderunt servos. sicut Isaiam, Ezechielem, Jeremiam atque Zachariam, sed etiam prophetarum Dominum. Ergo quia hoc fecerunt, venit super eos.

Contritio, id est afflictio a Romanis, quam pertulerunt in corporibus. *Et infelicitas in viis eorum*, id est miseria quam sustinuerunt in corpore et anima, pro viis, id est actionibus suis malis.

Et viam pacis non cognoverunt, id est mediatorem Dei et hominum, qui pacem attulit mundo, et dixit : *Ego sum via* (*Joan.* XXIV), non cognoverunt ad hoc ut in eum crederent, ignorantes eum ad hoc venisse ut per suam passionem reconciliaret illos Deo Patri. Vel *pacis viam* dicit, id est actionem justam non elegerunt, ut agerent condignam pœnitentiam per quam pacificamur Deo Patri, juxta quod Dominus dicit : *Pœnitentiam agite : appropinquabit* vobis *regnum cœlorum* (*Matth.* III).

Non est timor Dei ante oculos eorum. Timorem Dei præ oculis mentis semper habet, qui Deum et Dominum suum præsentem considerat esse et ubique, et dum præsentiam illius recolit, peccare metuit, ideoque nequaquam illum offendit. Sed quia Judæi istum timorem ante oculos non habuerunt, ideo offenderunt.

Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur. Lex generaliter appellatur Vetus Testamentum ; aliquando tamen in tria dividitur, ut in Evangelio, ubi Dominus dicit : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et Psalmis de me* (*Luc.* XXIV). Aliquando vero in duo, ut ibi : *Lex et prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.* XVI), id est usque ad Christum, cui Joannes testimonium perhibet. Nonnunquam Psalmi lex vocantur. Sicut Dominus dixit : *In lege vestra scriptum est : Ego dixi : Dii estis* (*Joan.* X). Et alibi : *Sed ut im-*

pleatur sermo qui in lege eorum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis (*Joan.* xv). Ita et hic legem appellat Apostolus Psalmos. in quibus prædictum fuerat de Judæis : *Dixit insipiens*, id est populus Judæorum videns Christum præsentem in carne, *Non est Deus* (*Psal.* LII). Ergo Apostolus, ut ostenderet ea quæ superius dixit de Psalmo proprie ad Judæos pertinere, qui gloriabantur de nobilitate generis, et vitæ meritis, quasi Christum ipsi non occiderint vel damnaverint ; sed observatores essent legis mandatorum, propter quæ omnia se volebant gentibus præponere, dixit : *Scimus autem quoniam quæcunque lex*, id est Psalmi isto in loco, *loquitur, his qui in lege sunt loquitur*, id est Judæis legem habentibus; ideoque non debent gloriari Judæi in sua justitia, nec præferre se gentibus ; sed potius se reos intelligentes, subdere se debent Deo, cujus gratia sunt vocati, sicut et gentes qui revera prævaricatores existunt scriptæ et naturalis legis. Ac si diceret Apostolus : O Judæi, nolite gloriari, nolite vos extollere adversus gentiles, quia ista quæ dixi de Psalmo, ad vos specialiter pertinent. Vobis enim loquitur lex quibus specialiter data est.

Ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo. Ac si diceret aliis verbis : Idcirco dixit lex Psalmorum, quia non est justus quisquam, non est qui faciat bonum, ut omne os Judæorum et gentilium claudatur, ne quis possit gloriari se suis esse salvatum meritis, non gratia Dei, quoniam omnes inventi sunt peccatores, et gratia Dei sunt salvati, non suis meritis. Subditus debet esse omnis mundus Deo, reatum suum agnoscendo, et medicinam salutis quærendo. Lex itaque Judæorum est proprie, sed extenditur quoque ad gentiles, quasi ad alienos, quia ipsi dixerunt idola colentes: *Non est Deus*, scilicet præter illos quos colimus et veneramur.

Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Lex Moysi bifariam dividitur, quoniam in mysteriis et præceptis continetur. Secundum mysteria et sacramenta cessavit adveniente Christo, quia finis sive completio legis est Christus. Secundum præcepta autem adhuc manet, quia servandum est : *Non adorabis deos alienos; honora patrem tuum et matrem*, et cætera præceptorum dicta. Ergo ex operibus legis, id est ex circumcisione carnali et sabbati custodia, et victimis legalibus *non justificabitur* post Domini adventum *omnis caro*, id est omnis homo, vel omnis carnaliter vivens, et carnaliter ea observans, quia omnia Christo adveniente velut umbra cessaverunt.

Lex enim *et prophetæ usque ad Joannen* (*Luc.* XVI). Aliter legis opus est : *Honora patrem et matrem*. Et alibi dicitur: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Si quis hæc præcepta propter pœnam quam minatur et vindictam, vel parentes honoraverit, vel non occiderit, et non propter amorem Dei et justitiam hæc potius observaverit, hominibus quidem justus videtur, dum non committit unde occidi me-

A reatur : tamen apud Deum satis justus non est, dum bonum præceptum ejus ex necessitate, et non ex amore probatur implere. Dum ergo non justificatur coram Deo, licet videatur coram humano oculo, tamen in conspectu divinæ majestatis ejus, minus justus habetur. Hic autem quæritur : Nunquid Moyses, Josue, David aliique quamplures ex lege non fuerunt justificati ? Fuerunt quidem justi, sed non ex operibus legis. Unde Petrus apostolus : *Quid*, inquit, *tentatis Deum, imponere jugum legis super cervices* fratrum credentium, *quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari, quemadmodum et illi* (*Act.* xv). Sicut ergo nos salvamur modo per gratiam Dei in fide Domini nostri Jesu Christi ; sic et illi salvabantur per B eamdem gratiam, per eamdem fidem, quia credebant in Filium Dei quem exspectabant Salvatorem, quem nos jam accepimus propitiatorem. Et quare non justificabantur ex operibus legis ? Quoniam impossibile erat sanguine hircorum auferri peccatum, et quisquis operatur justitiam et in ea confidit, contra Deum tumendo superbit. Lex enim non venit peccatum tollere, sed ostendere et punire.

Per legem enim cognitio peccati. Nunquid ante legem cognoscebatur peccatum ? Et si peccatum non cognoscebatur, quare Joseph, licet injuste, missus est in carcerem ? Nunquid non est accusatus de crimine: et fratres ejus nunquid non cognoscebant peccatum, quando dixerunt : *Merito hæc patimur quia peccavimus in fratrem nostrum* (*Gen.* XLII)? Cognosce- C batur ergo peccatum, sed quantum malum esset, et quam vindictam juste expeteret ignorabatur. Igitur per legem et major cognitio peccati est quam ante legem, quia lex dicit : *Non occides, non adulterium facies*, et cognitio pene ipsius peccati per legem ostenditur, quæ monstrat quomodo peccatum puniri debeat, dicendo : Si quis hoc vel hoc fecerit, occidatur. Potest et ita intelligi, quia erant quædam mala quæ non cognoscebantur peccatum esse, sicut concupiscentia erat, de qua idem Apostolus ait : Nam concupiscentiam nesciebam peccatum esse, nisi lex diceret : *Non concupisces*.

Hunc autem, id est in Domini adventu, et in præsenti tempore *justitia Dei manifestata est sine lege.* D Justitia Dei in præsenti tempore sine lege manifestata est : non ea solummodo qua ipse justus est, aut qua justificetur qui essentialiter ipsa justitia est, sed qua induit impium, quando misericorditer de infideli facit fidelem, de adultero et fornicatore facit castum et continentem, de injusto et peccatore facit justum et amatorem virtutum. Quæ justitia in Christo est revelata, et data *sine lege*, id est sine observatione legali, quia nulli lex secundum mysteria et sacrificia traditur jam observanda ; sed dicit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI). Hoc est justus erit. Possumus etiam ipsam justitiam Dei Patris, id est Filium intelligere a quo et per quem justificamur, quia sine observatione legis per opera deitatis manifestatus est Filius Dei esse.

Testificata a lege et prophetis Justitia baptismatis. A qua justificamur, per legem testificatur, dum dicitur: In novissimis diebus circumcidet Dominus cor tuum, id est auferet peccata tua; et justificabit te per baptismum (*Deut.* xxx). Testificatur et per prophetas, dum dicitur: Ipse iniquitates nostras portabit, et peccata nostra ipse tollet (*Isa.* LIII). Et alibi: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris* (*Ezech.* XXXVI). Ipse quoque Christus justitia, nostra testimonium, habet a lege et prophetis.

Justitia autem Dei, id est justificatio qua justificamur a Deo super omnes Judæos et gentiles credentes venit. *Per fidem Jesu Christi*, qua credimus illum Filium Dei esse Patris, reditque causam quare dixe- B rit: *super omnes qui credunt* justitiam Dei venturam, cum protinus subdit: *Non est distinctio*, id est nulla est differentia inter Judæos et gentiles, quia ut Judæi peccatores sunt inventi, ita et gentiles. Unde sequitur:

Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei, id est indulgentia et venia peccatorum indigent omnes, tam Judæi quam gentiles: pro qua glorificandus est Deus.

Justificati gratis per gratiam ipsius: per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. Gratias dicit, id est sine ullis præcedentibus meritis. Verbi gratia. Qui ad baptismum venit, nihil unquam boni fecit, baptizatur, statimque justificatur. Ecce gratis justificatur per C gratiam, id est per donum Dei: et hoc *per redemptionem quæ est in Christo Jesu*, non in operibus legis. Redemptio nostra qua sumus redempti, et per quam justificamur, passio Christi est quæ, juncta baptismo, justificat hominem per fidem: et postmodum per pœnitentiam. Ita enim illa duo mutuo sunt conjuncta, ut unum sine altero hominem non possit justificare. Nam neque fides Dominicæ passionis sine aqua baptismatis hominem mundat, nisi forte in martyrio quod pro baptismate accipitur: neque aquam baptismi sine fide Dominicæ passionis purificare hominem valet. Jungantur ergo simul sicque præstabunt perfectam redemptionem, perfectamque mundationem. Itaque neque Judæus, neque gentilis suis justificatur operibus, cum uterque sit præ- D varicator suæ legis: Judæus videlicet naturalis et scriptæ; gentilis autem naturalis. Sed redemptione qua Christus nos redemit suo sanguine et fide: et aqua baptismatis, qua quisque renatus, si statim obierit, salvabitur in vita: si autem vixerit, debet ornare fidem operibus, *quia fides sine operibus mortua est*. Notandum vero quod dicit *per redemptionem quæ est in Christo Jesu*. Nam per redemptionem captivi redimuntur qui ab hostibus captivantur. Quomodo ergo homo captivari potuit, cum Deus ubique sit? Sed captivatus est animo a diabolo, quando diabolo se subdidit prævaricando legem Dei, et quando vitiis et idolis cœpit servire. Hæc autem captivitas soluta est, dum animus ad Deum rediit, et se infirmum, illum vero medicum intellexit: perfectaque redemptio in effusione sanguis Christi patuit.

Quem proposuit Deus Pater propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Filium suum proposuit Deus Pater id est decrevit et præfinivit propitiatorem et reconciliatorem, ut ipse nobis propitium faceret Deum Patrem et placabilem per fidem passionis suæ, vel in promptu ante oculos omnium posuit, ut omnes salvaret in se credentes, quia dum in eum credimus, et ejus sanguinem pro nobis fusum confitemur, sine quo justificari non possumus, ex integro justificamur. *Ad ostensionem justitiæ suæ*, subaudis ab inferioribus. *In hoc tempore*, id est in novissima ætate. Justitia in hoc loco duplici modo potest intelligi: videlicet vel ipse Christus qui justificat nos, vel justitia qua justificat Deus Pater credentes in Filium suum. Ostendit ergo manifeste Deus Pater justitiam suam, id est Filium suum, vel quia nos justificat in effusione sanguinis filii sui *in hoc tempore*, id est ab adventu illius usque in finem sæculi, quia nisi nos justificare voluisset, ad mortem Filium suum pro nobis non tradidisset, qui non fecerat ullum peccatum. Proposuit etiam illum venire et pati *propter remissionem præcedentium delictorum*, id est originalium quæ ex parentibus trahimus antequam nascamur, vel omnium peccatorum quæ committimus ante baptismum.

In sustentatione Dei, id est ad patientiam Dei manifestandam, quia cum peccamus non statim punimur: sed ejus patientia atque sufferentia ad pœnitentiam exspectamur. Quæ sustentatio nisi a Deo esset, in primo homine finis hominum per judicium fuisset.

Ad ostensionem justitiæ suæ in hoc tempore, subaudis novissimo, id est ad hoc præfinivit propitiatorem fieri nobis Filium suum, ut suam justitiam ostenderet per illum, et misericordiam qua nos exspectat ad pœnitentiam.

Ut ipse sit justus. Justus est qui quæ promittit, tribuit. Ita et Deus Pater promisit nobis Filium suum, et in eo justificationem: quod utique adimplevit, mittens illum in mundum per incarnationis mysterium, cujus passionis fide justificamur, abluti aqua baptismatis. Unde sequitur: *Et justificans eum qui ex fide est Jesu Christi*, hoc est quemlibet hominem fidem Jesu Christi habentem: non tamen per opera legis justificat illum, sed per fidem Jesu Christi, quoniam absque ejus fide non valemus justificari.

Ubi ergo est gloriatio tua? Exclusa est. Judæum alloquitur et confirmat, quia non valet quisquam per opera legis justificari. Ac si dicat: O Judæe, qui in tuis operibus gloriaris, vide justificationes sine fide

[a] Hæc redundare videntur.

Dei esse non posse : Quare? Quia exclusa et procul abjecta est lex justificationis sacrificiorum in qua gloriabaris. *Per quam legem exclusa est?* Interrogat iterum Judæum ut consideret per quam legem exclusa est lex in qua gloriabatur. Interrogat etiam adhuc. *Factorum ?* id est nunquid per legem factorum exclusa est, ut alia lex pro ipsa data sit, quæ similiter moribus carnalibus constat. *Non, sed per legem fidei,* id est non per legem factorum exclusa est, sed per legem fidei et Novum Testamentum. Simulque notandum quoniam non jubet Deus ut carnaliter circumcidamur, sed ut fide recta baptizemur, ubi gratis cuncta dimittuntur peccata. Dum enim dixit : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Non ait : Servate legem carnaliter.

Arbitramur, id est judicamus, definimus sive testificamur, *justificari hominem per fidem Christi,* in baptismate, *sine operibus legis,* id est sine carnalibus observationibus. Arbitrari est proprie judicare vel testificari. Unde arbitri dicuntur judices et testes. Duobus modis justificatur homo per fidem Christi. Verbi gratia. Si fuerit sine operibus bonis ante baptismum : in ipso baptismate justificatur, aut etiam post baptismum sine legis operibus : quæ jam non sunt observanda, justus habetur, si tamen præcepta divina custodierit. Judæis gloriantibus et dicentibus, Deus verus et unus Judæorum tantum Deus est, quibus dedit legem, et quibus dicitur : *Notus in Judæa Deus,* ait Apostolus.

An Judæorum Deus tantum : Nonne et gentium Deus est, id est nunquid Judæos solos creavit, ut de illis tantummodo curam gerat? *Imo et gentium,* id est multo magis gentium Deus est, videlicet quia multi crediderunt Deo, et placuerunt ex gentilibus antequam Judæi in Abraham fuissent electi et in sortem Dei assumpti, sicut Abel, Noe, Sem, Job et amici ejus, aliique quam plures quos Scriptura commemorat, vel quos etiam reticet, sive in hoc multo magis Deus gentium est, quoniam multoplures credunt in eum ex gentibus quam ex Judæis. Nam quod ipse sit Deus gentium Jeremias manifestat dicens : *Quis non timebit te, o Rex gentium ?* (Jer. x.)

Quoniam quidem unus Deus est qui justificat circumcisionem ex fide et non ex operibus vocatos, videlicet ex Judæis qui circumcisi appellantur, propter Abraham qui primus accepit eam, de cujus stirpe illi descenderunt.

Et præputium per fidem, id est credentes ex gentibus qui a Judæis præputium vocabantur. Quod dicit *ex fide,* idem est et *per fidem,* quia Apostolus sæpe mutat propositiones in uno sensu. *Legem ergo* præceptorum, subaudis quæ dicit : *Diliges Dominum Deum tuum ;* et : *Audi, Israel, Deus unus est, destruimus per fidem,* et per Novum Testamentum. *Absit.* Præcavet in hoc loco Apostolus æstimationem Judæorum. *Sed legem,* subaudis præceptorum, *statuimus,* id est confirmamus, et laudamus, et a Deo datam dicimus, vel etiam omnem legem generaliter

A statuimus nos sanctam esse, quia a Deo data est, quæ observanda fuit suis temporibus, sed jam cessavit in mysteriis, manet tamen in præceptis ; vel statuimus eam per fidem, quia quidquid illa promisit de Christo, nos confirmamus verum et completum esse : et credimus in illum quem illa promisit. Sicut est illud : Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris (*Deut.* IX). Et iterum : *Non deficiet princeps ex Juda donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX), in quem modo gentes credunt.

CAPUT IV.

Quid dicemus ergo invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem : id est quid boni promeruit Abraham propter circumcisionem carnalem ? Nihil. B Quia necdum erat circumcisus quando placuit Deo, et audire meruit : Exi de terra tua, et faciam te in gentem magnam (*Gen.* XII), et quod magis fuit de Christo : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII).

Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quidam codices habent *ex operibus legis,* sed false scriptum est. Non enim lex adhuc data erat, nisi forte ita sit intelligendum ut dicatur, ex operibus legis postea datæ. Et est sensus : Si Abraham ex operibus suis justificatus sine fide et sine gratia Dei se præveniente, habet quidem gloriam et laudem apud se in præsenti et apud homines, eo quod justus fuerit ipse, apud Deum vero non est laudabilis neque erit futurum. C Quare ? Quia *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI). In se ergo et apud homines habuisset Abraham gloriam et laudem pro suis operibus, si justificatus fuisset sine fide suis operibus, sicut ille pharisæus gloriabatur, qui cum publicano in templum ascenderat. Fuit opus Abrahæ circumcisio. Fuit utique ob signum magnæ fidei suæ ; sed tamen antequam circumcideretur, ante a Deo electus est, ideoque non ex operibus justificatus est, sed per fidem. Unde Scriptura non commemorat opera ejus, sed fidem. Sequitur :

Quid Scriptura dicit ? Credidit Abraham Deo, obediens præceptis illius, quia exivit de terra sua, et de promissione Isaac et Christi credidit quod ei D dixit Deus : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Et quia *credidit Deo reputatum est ei ad justitiam,* id est ad remissionem peccatorum, quia per ipsam fidem qua credidit, justus effectus est, et postmodum circumcisionem accepit in signum suæ justitiæ qua justificatus fuerat per fidem.

Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ex humana consuetudine sumit exemplum, quando operantibus secundum meritum damus mercedem, et nullam nobis agunt gratiam : non operantibus vero si damus aliquod beneficium, non merces, sed gratia : ideoque gratiamur ab illis. Et est sensus : Si Abraham propter opera sua posset justificari sine gratia Dei se præveniente, et sine fide, quæ etiam gratis illi

data est, non esset ei præmium justificationis gratis A illi datum, sed debitum esset : vel si alii Judæi suis operibus fuissent justificati, non essent unde referrentur Deo gratiæ, atque ideo superflua, id est sine causa esset Christi passio. *Ei autem* subaudis gentili, *qui non operatur* opera legis, *credenti autem in eum*, id est in Deum: *qui justificat impium*, non per opera, sed per fidem, et sine præcedentibus meritis, ex impio et peccatore facit pium et justum, *reputatur fides ejus ad justitiam*, id est ad remissionem, *secundum propositum gratiæ Dei*, hoc est decretum justitiæ et misericordiæ Dei, non secundum meritum quid decrevit gratis peccata dimittere. Hoc intelligendum est de gentilibus qui ante fidem nulla habuere opera legis, et tamen sicut Judæi conversi B justificantur per fidem Christi sine operibus legis, ita et isti. Et bene dicit, *secundum propositum* sive decretum gratiæ Dei, quia ante mundi constitutionem, cum homo adhuc non esset, decrevit Deus Pater cum Filio suo salvare genus humanum, nullis præcedentibus meritis, unde idem Apostolus alias dicit : *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I), volens ergo Apostolus ostendere justitiam, id est justificationem qua justificantur homines, sine operibus legis et meritis suis: testimonium psalmi proponit, in quo prædicabatur quod in adventu Christi, et gentiles fide essent salvandi. Ait enim : *Sicut et David dicit beatitudinem hominis*, subaudis describens *cui* homini *Deus accepto fert justitiam* sive justificationem *sine operibus* legis. Quod autem dicit *accepto fert*, adverbialiter dicit ; accepto C fert, id est libenter tribuit : vel jungendum ita cum subauditione, cui accepto a se, id est electo et dilecto tribuit illi ad justitiam. Dicimus et tertio modo. Inusitatus enim modus est locutionis, cui Deus accepto fert justitiam, id est cui Deus acceptam dat justitiam, vel acceptabilem habet sine operibus legis.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, id est omnia peccata in baptismate, *et quorum tecta sunt peccata* per pœnitentiam post baptismum. Res tecta et cooperta non videtur, et nos tunc tegimus peccata, quando malis bona opera justitiæ superponimus, pœnitentiam videlicet præteritis agendo dignam, et alia non perpetrando. Hoc autem distat inter iniquitatem et peccatum, ut quidam dicunt auctores, quod D iniquitas sit ante legem, peccatum post legem, vel iniquitas sit cogitationum, peccatum sit operum. Quidam etiam dicunt iniquitatem esse quod contra legem committitur, peccatum quod contra naturam et conscientiam : sed indifferenter unum pro altero sæpe ponitur.

Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Misericors Deus neque in baptismate deleta imputabit, neque pœnitentia, recta si permanserit in fide, vel potest hoc intelligi de martyribus qui in suo sanguine baptizati, in ipso martyrio cuncta eis dimittuntur peccata : vel certe de his potest accipi qui post baptismum multa commiserunt peccata, sed veniente occasione dum pro Christi nomine martyrium sustinuerunt, in ipso martyrio dimissa sunt illis, quoniam pœnitentiam corporalem susceperunt.

Beatitudo ergo hæc, de qua Psalmista dicit, *in circumcisione tantum manet, an etiam in præputio?* id est pertinet solummodo ad Judæos quæ circumcisio appellatur, an etiam ad gentiles qui præputium dicitur. Illa beatitudo qua peccata sine operibus legis dimittuntur gratis in baptismate, et per pœnitentiam atque martyrium, tam ad Judæos ad fidem venientes, quam ad gentiles pertinet : qua gratia Abraham, licet non esset baptizatus, per fidem tamen cum esset in præputio justificatus est. Unde subdit Apostolus : *Dicimus autem quia reputata est fides Abrahæ ad justitiam*, non circumcisio, id est hoc affirmamus nos apostoli, quia non propter circumcisionem carnalem, sed propter fidem qnam habuit, qua credidit Deo, meruit justificari.

Quomodo ergo Abrahæ *reputata est ?* fides ad justitiam, *in circumcisione an in præputio ?* hoc est reputata est ei fides ad justitiam, postquam est circumcisus : an cum esset in gentilitate incircumcisus. Ipse sibi Apostolus respondet : *Non in circumcisione, sed in præputio*, id est non postquam circumcisionem accepit reputata est ei fides ad justitiam, sed cum adhuc esset in præputio, id est in gentilitate, quia necdum erat circumcisus, ideoque antea justificatus per fidem, quam esset circumcisus.

Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ, quæ est in præputio. Ne dicerent Judæi superflue circumcisum esse Abraham, si per illam non est justificatus, ostendit illam circumcisionem signum esse justitiæ, non augmentum, ut significaret justitiam Christi, quæ est ex fide. Signum est quando in hoc quod videtur aliud intelligitur, sicut Dominus manifestat, dicens : *Generatio hæc signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ* (*Matth.* XII). Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ. Ecce quod signabat Jonas voratus, ita quoque circumcisio Abrahæ fidem illius significabat quam habebat in corde, et qua meruit justificari. Hæc circumcisio est exspoliatio infidelitatis et vitiorum abolitio. Distat vero inter signum et signaculum quod signum aliud est, et aliud significat : signaculum autem quod alicui rei adhuc imprimitur ut lateat, quousque ab illo reseretur a quo imprimitur, ita et illa circumcisio significabat justitiam fidei quæ erat in Abraham : et latebat ibi signaculo vera circumcisio, qua Christus, qui ex ejus genere erat nasciturus per baptismi gratiam, suos fideles erat a cunctis sordibus peccatorum circumcisurus, in die quoque judicii ab omni mortalitatis fragilitate et corruptionis fæce est emundaturus. In hoc etiam quia octava die fiebat, significabat Dominicam resurrectionem, quæ octava die celebrata est. Nam et ipse Christus significabatur in cultello petrino quo circumcisio patrabatur. Fuit præterea signum Judæis circumcisio data, quo cognosceretur eorum genus ut permistione non confunderetur, dum inter gente

multas habitarent, vel cum inter gentes multas captivi ducerentur, et ignoraretur quod de genere Abrahæ descenderet Christus, ac tandiu mansit in typo et figura, quousque veraciter compleretur adveniente Christo, remoto signaculo sub quo latebat, id est eadem circumcisione carnali penitus ablata. Erat etiam in signum eisdem Judæis, ut quando in præliis cum aliis sternebantur, et nudi relinquebantur, ex circumcisionis signo notati, sepulturæ mandarentur. Signum ergo accepit circumcisionis ob hujusmodi causas (ut diximus); quæ circumcisio signaculum fuit justitiæ fidei quæ in præputio est, qua ante est justificatus per fidem quam circumcideretur. Justitia etiam fidei dicitur quia primum fidem habuit, et per eam justitiam promeruit quia justificatus et mundatus est ab omnibus peccatis. Nam in gentilitate sive in præputio positus, fide est justificatus. Et reddit causam quare hoc scilicet, *ut sit pater omnium credentium per præputium*. Per fidem quam habuit in præputio, pater est omnium credentium tam Judæorum quam gentium. Nam carne pater est Judæorum non credentium, fide autem omnium credentium Judæorum et gentium, quoniam fidem qua credidit Abraham Deum omnipotentem esse et Trinitatem habere in personis, et unitatem in substantia, ipsam quasi ex hæreditate paterna retinent credentes. Et quare sunt omnes credentes filii Abrahæ per fidem? *ut reputetur* eadem fides *et illis ad justitiam,* sive ad justificationem, sicut reputata est Abrahæ dum esset adhuc in gentilitate. Sicut enim Abraham antequam circumcideretur fidem habuit qua pater est credentium, et postea genuit Isaac, ex quo pater est Judæorum, sic potius pater est spiritualium quam carnalium, et ita factum est ut sit pater gentium per fidem.

Et sit pater circumcisionis, id est Judæorum credentium et non credentium per carnem, *non his tantum qui sunt ex circumcisione, sed et his qui sectantur vestigia fidei*, *quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.* Ac si diceret aliis verbis : Non illis tantum Judæis Abraham est pater, vel reputatur fides Abrahæ ad justificationem, qui descenderunt de progenie illius postquam circumcisionem accepit, sed et his gentilibus qui imitantur exempla fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. Nam illis est Abraham pater, et illis reputatur fides ejus ad justificationem qui imitantur exempla fidei illius quæ data est ei, cum adhuc esset in gentilitate quæ præputium appellatur.

Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini ejus, id est Christo data est, *ut hæres esset mundi*, *sed per justitiam fidei* quam habuit antequam circumcideretur, et antequam illam promissionem acciperet. Ideo autem per legem non est facta vel data promissio Abrahæ, qua dictum est illi : Patrem multarum gentium posui te, *et in semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII), quia non erat adhuc lex quæ post quadringentos et triginta annos data est. Abraham ergo in Christo hæres est mundi, quia omnes credentes per fidem filii sunt Abrahæ, et ipse in Christo omnia possidet, cui dictum est a Patre. *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II).

Si enim qui ex lege sunt, hi sunt hæredes, exinanita est fides, *abolita*, id est deleta, *est promissio*, id est, qui Judæi qui ex circumcisione, et qui legem habent, hæredes sunt tantummodo promissionis Abrahæ de Christo, et non etiam gentiles, evacuata sive annihilata est fides qua ipse credebat Deo, et abolita, deleta est promissio de Christo. Et est sensus : Si solummodo vos Judæi circumcisi hæredes promissionis Dei estis, ut vos vultis, non implevit Deus promissionem suam quam dedit Abrahæ, ut pater esset multarum gentium. Et si ita est, jam videbitur Deo frustra credidisse. Non est ergo data promissio Abrahæ per legem, sed per fidem. Quare?

Lex enim iram operatur, id est vindictam Dei. Lex non dedit illam promissionem Abrahæ, sed vindictam operatur, dum dicit : Dentem pro dente. Et qui occiderit, occidatur. *Ubi non est lex, nec prævariceris*, subaudis tanta, vel non ita imputatur. Hoc dupliciter intelligi potest : ubi non est lex naturalis, non est tanta prævaricatio ejusdem legis. Verbi gratia : Quandiu infantibus non viget intelligentia aut intellectus naturalis legis discernendi inter bonum et malum, licet percutiant patrem, verberent matrem, maledicant parentibus, non est tanta prævaricatio, nec ita imputatur eis sicut postmodum, ubi venerint ad legitimos annos, et ubi cœperit vigere in illis naturalis intellectus. Aliter : Ubi non est lex Moysi, licet peccet aliquis, non est tanta prævaricatio, nec ita imputatur ei qui non habet ipsam legem si peccaverit, quia non existit prævaricator ejus, sicut ille cui data est ad observandum : ideoque ubi præcepta legis, ubi prævaricationis occasio et ubi prævaricatio, ubi major ira Dei et vindicta in prævaricatorem. Potest et tertio intelligi : Ubi non est lex Evangelii, sicut in paganis, non est prævaricatio tanta, tamen non ideo immunes a vindicta Dei erant : quia per creaturam poterant cognoscere Creatorem.

Ideo ex fide, *ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini Abrahæ*. Sensus igitur iste est : Quia non est tanta prævaricatio in gentibus ubi non est lex Moysi, quanta in Judæis, ideo ex fide et per fidem justificantur omnes Judæi, sive gentiles credentes, et per fidem sunt hæredes, non per legem ut secundum gratiam quam gratis promisit : non secundum meritum, neque secundum legem firma sit promissio, quam promisit Deus omni semini Abrahæ, non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus. Quæ est ista promissio? *Benedicentur*, inquit, *in te omnes gentes* (*Gen.* XXII), *patremque multarum gentium posui te* (*Gen.* XVII). Unde sequitur : *Non enim ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium nostrum.* Sensus iste est : promissio quæ facta est ad Abraham de Christo, quia in semine ejus benedicentur omnes gentes, non ei Judæo firmata est solummodo ista promissio, qui ex lege circumcisionis descendit, sed etiam gentil

firmata est, qui ex fide filius est Abrahæ qui est pater omnium credentium.

Sicut scriptum est, in lege Moysi : *Quia patrem multarum gentium posui te, ante Deum cui credidisti* (*Gen*. XVII). Hic percutitur Judæorum superbia, qui se gloriantur de progenie Abrahæ descendisse. Non enim ait : Patrem unius gentis Israeliticæ constitui te, sed patrem omnium gentium per fidem constitui te. Per carnem enim pater Judæorum est, per fidem autem omnium gentium. Et recte addidit Apostolus ex sua interpretatione : Ante Deum cui credidisti, id est coram Deo cui credidisti in corde. Multi enim sunt qui videntur credere in Deum, sed non credunt ante Deum. Illi autem non credunt ante Deum, qui confitentur se credere Deum verbis, sed aliud corde retinent. Illi vero ante Deum credunt, qui tota anima, toto corde, tota virtute illum diligunt, ut Abraham, et qui potius in interiori homine in conspectu Dei fidem servant : quam in ostentatione hominum : sicut est carnis circumcisio : *qui vivificat mortuos* per fidem et gratiam suam, id est gentiles et omnes qui mortui sunt per infidelitatem in peccatis. Sic enim vivit justus per fidem, ita moritur peccator per incredulitatem, vel certe dixit vivificat sub præsenti tempore, pro futuro vivificabit. Ipse enim suscitabit sive vivificabit mortuos in die judicii, sicut in Evangelio dicit : *Veniet hora quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ* (*Joan*. v). *Et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Deus omnipotens solus habet essentialiter esse, et qui adhærent ei per fidem et dilectionem, illi utique habent esse ab illo, et illi sunt sicut ipse dixit : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod*. III). E contra illi qui non adhærent, comparatione ejus quasi non sunt. Unde Isaias propheta dixit : *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei* (*Isa*. XL) Igitur secundum hunc sensum dicit Apostolus modo. Ergo sicut vocavit Abraham qui erat, quia Deo adhærebat per fidem, dicens : *Exi de terra tua et de cognatione tua* (*Gen*. XII), sic vocat ea quæ non sunt, id est sic vocat gentiles infideles ad fidem ut habeant esse illi adhærendo : qui antea non erant, illi non adhærendo.

Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium per fidem. Contra spem desperatæ sobolis, credidit in spem sperandæ sobolis, vel certe contra spem naturæ in spem gratiæ et potentiæ Dei credidit. Contra spem enim naturæ erat, ut vetula pareret, quæ adolescens et juvencula sterilis permanserat.

Nam natura est, ut juvenis junctus juvenculæ generet, similiter senex junctus juvenculæ, naturale est ut generet, sicut Abraham senex et Agar juvencula, ex quibus natus est Ismael. Contra spem vero naturæ est, ut senex cum vetula mistus generet. Sed Abraham non attendit ad consuetudinem naturalem, quod non posset ex se et Sara jam vetulis filius procreari, sed in spem potentiæ Dei credidit, quia omnipotentem noverat eum qui promisit. Considerandum est autem quatuor existere causas (ut beatus dicit Ambrosius) quæ reddunt feminas steriles, videlicet aut quod semen virile non pervenit usque ad locum conceptionis, aut quia mulier non valet illud retinere, aut quia non habet vigorem coquendi illud, aut quia ambo senes simul conveniunt et senectute gravantur, *secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli et arena maris.* Semen Abrahæ in hoc loco intelligitur tam multitudo Judæorum, quorum pater per carnem est et per fidem, quam etiam omnium gentium multitudo, quorum pater solummodo est per fidem. Et dictum est hoc hyperbolicos, per tropum scilicet fidem excedentem. Licet enim præ multitudine non possit numerari ab hominibus semen Abrahæ, Deo tamen numerabile est. Notandumque per stellas et arenam secundum quemdam doctorem intelligendum esse generaliter omne semen Abrahæ credentes videlicet ex gentibus et ex Judæis, omnemque Israelem, et secundum alium per stellas, electos solummodo intelligendos ex utroque populo; per arenam vero omnes Judæos infideles et incredulos, pondere peccatorum gravatos. Et non inconvenienter per stellas quæ cœlo adhærent, suaque claritate mundum illuminant, designantur electi, qui semper cœlestia appetunt, dicentes cum Apostolo : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp*. III), mundumque verbis et exemplis irrideant : per arenam vero quæ ponderosa est et sterilis, reprobi, qui pondere peccatorum gravati, steriles existunt a bono opere.

Et non infirmatus est in fide. Ille infirmatur fide, qui dubitat, nec credit promissionibus Dei. Sed Abraham audiens a Deo, *patrem multarum gentium posui te,* et, *Secundum hoc tempus veniam eritque Saræ filius* (*Rom*. IX). Licet contra naturæ usum videretur esse quod promittebatur, non tamen est infirmatus fide, quia non dubitavit in promissione. Nihil enim fides considerat naturæ, quia in his quæ promittit Deus, facile servit natura suo auctori. *Nec consideravit corpus suum emortuum* ad procreandos filios, *cum jam fere centum esset annorum,* quia centenarius erat, *et emortuam vulvam Saræ* non consideravit. Emortuos dicit Abraham et Saram in propagandis filiis propter annorum multitudinem jam desperatos. Abraham namque centenarius erat, et Sara nonagenaria, quando promisit Deus, inquiens per Evangelium : *Secundum hoc tempus veniam et erit Saræ filius.* Emortua enim erat vulva Saræ : quia jam præcesserat tempus pariendi, et jam desierant fieri Saræ muliebria, id est jam desierat menstruum pati, ubi maxime consistit vigor conceptionis, quod ubi cessaverit in feminis, transit tempus generandi filios. Sed Abraham non attendit ad naturæ usum, sed ad Dei potentiam, credulus ejus promissionibus unde sequitur.

In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo. In repromissione Dei (de qua supra diximus) sive de Isaac, seu de Christo, non hæsitavit diffidentia, sive non dubitavit incredulitate, sed confortatus est fide

de promissionibus, dans gloriam Deo promissionibus illius gratias referendo quasi de acceptis beneficiis, intelligens solius Dei esse munus et gratiam, ubi humanæ fecunditatis naturæ usus cessaverat.

Plenissime sive certissime *sciens quia quæcunque promisit Deus, potens est facere : ideo* subaudis quia credidit Dei de promissionibus, *reputatum est illi ad justitiam. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam, sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitavit Jesum Christum a mortuis.* Non est (inquit) tantum propter hoc scripta fides Abrahæ ut ipse legeret, qui olim fuerat defunctus, quando Moyses ista scribebat, sed propter nos et profectum nostrum, ut imitaremur fidem illius, quibus reputatur fides ejus ad justitiam credentibus in eum, id est in Deum Patrem, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, id est a sepulcro, qui proprius locus est mortuorum, vel certe ab inferno. Si ita perfecte crediderimus Christum a mortuis resurrexisse, quomodo ille credidit corpus Saræ emortuum posse ad concipiendum vivificari, et crediderimus Deum Patrem, qui Christum suscitavit a mortuis, reputabitur nobis fides nostra ad justificationem, quia repromissionem accipiemus omnium peccatorum, Deus Pater suscitavit Filium suum a mortuis et ipse etiam Filius suscitavit semetipsum, et ut etiam altius dicamus, tota Trinitas suscitavit illum hominem assumptum a verbo Dei.

Qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram. Multis modis traditus legitur Dominus Jesus Christus. Nam tradidit illum Deus Pater, sicut dicit Apostolus. *Qui proprio,* inquiens, *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII). Tradidit ipse Filius seipsum, sicut egregius prædicator dicit in præsenti loco, et alias ubi loquitur : *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (*Gal.* II). Tradiderunt illum dæmones, qui persuaserunt Judæ ut traderet illum, unde dicit Evangelista, quia intravit Satanas in cor Judæ ut traderet illum (*Joan.* XIII), et Apostolus manifestat, dicens de dæmonibus : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). Tradidit illum Judas propter triginta argenteos. Tradiderunt eum Judæi Pilato. Pilatus quoque illum tradidit militibus, qui crucifixerunt eum. Sed inter hæc omnia digna consideratione perpendendum est, quia quod Deus Pater et Filius fecerunt causa dilectionis et misericordiæ, hoc Judas causa cupiditatis, dæmones vero et Judæi atque Pilatus causa invidiæ. *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram,* ut credentes eum passum propter salutem nostram, et resurrexisse in veritate a mortuis, per hanc fidem mereamur justificari. In traditione Christi ineffabilis misericordia exstitit, in resurrectione quoque incomprehensibilis potentia deitatis demonstrata est, etc.

CAPUT V.

Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Cum Judæi et gentes inter se disceptarent, et illi de antiquæ legis operibus, hi vero de nova Christi vocatione præsumptive gloriarentur, pertractata et elucidata causa, quia nemo eorum ex merito suo esset justificatus, sed omnes per gratiam quam fidem infundit et veritatem ostendit, et quia nec genus, nec circumcisio faciat filios Abrahæ, sed fides recta qua claruit Abraham, a Deo illuminatus et præventus statim subjunxit Apostolus : *Justificati igitur ex fide,* et non ex operibus legis, neque per aliquod meritum nostrum quod præcesserat fidem, pacem habeamus ad Deum Patrem, per mediatorem Dominum nostrum Jesum Christum, cujus passione reconciliati sumus Deo Patri, sicut angeli in ejus nativitate cantaverunt : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Tunc enim pacem habemus apud Deum, si inter nos pacem et concordiam fraternam tenemus. Ac si diceret : Jam quia reconciliati sumus per sanguinem Filii Dei, et pacem habemus apud Deum Patrem, simus et nos inter nos pacem habentes, non præsumentes in aliquo de nobis, cum omnia ex fide Dei habeamus :

Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus. Per Christum (inquit) nos pacificavit Deo Patri, per illum utique accessum et introitum habemus, per fidem illius in gratia ista in qua stamus, credendo in Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Gratiam appellat in hoc loco fidem per quam plenitudinem justificationis percepimus gratis a Deo tempore baptismatis, et insuper quidquid donorum habemus spiritualium, nomine gratiæ isto in loco comprehendit. In qua vel ad quam gratiam, introitum vel accessum habemus per ipsum qui ante eramus longe, quia ipse est ostium sicut dixit : *Ego sum ostium* (*Joan.* X), *et nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV). In qua gratia, id est fide justificationis et indulgentia peccatorum stare debemus, in bonis scilicet operibus viriliter laborando, qui antea jacebamus in luto et fetore vitiorum, *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* In præsenti sæculo filii Dei sumus in spe, in altera autem vita erimus in re, si in bonis operibus articulus mortis nos invenerit, unde dicit Joannes : *Charissimi, filii Dei sumus* in spe, *et nondum apparuit quid erimus* in re (*I Joan.* III).

Non solum autem, subaudis gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, *sed et gloriamur in tribulationibus,* id est angustiis et adversitatibus persecutionum pro Christo : *scientes quod tribulatio* et afflictio *patientiam operatur* in electis qui patienter adversa hujus sæculi perferunt. Patientia a patiendo, id est a feriendo dicitur, et est patientia quando corpus et animus timore et afflictione tormentorum feritur, sed vindicta non petitur. Per hanc sancti martyres, vicerunt persecutionem et sævitiam tyrannorum, non reddentes vicem, sed patientiam sive tolerantiam servantes.

Patientia autem probationem, meritorum et fidei, sicut probati sunt sancti martyres, et sicut probatus

est Job, non deficiens in tribulatione. Est etiam probatio, honestas morum et laudabilitas actionum, unde probus dicitur laude dignus : *probatio vero operatur spem*, vitæ æternæ. Spes est exspectatio futurorum bonorum. Qui ergo inter tribulationes et adversa per patientiam probabiles existunt in fide, illi securi de præmiis, futuram beatitudinem exspectant.

Spes autem non confundit. Spes sive exspectatio futurorum bonorum omnem confusionem et verecundiam hujus sæculi expellit. Spes ergo non confundit, id est qui probatus est in fide bonisque operibus, et spem habet æternorum præmiorum, non erubescit quidquid adversi in hoc sæculo sustinuerit, securus de præmio. Et quare hoc? *quia charitas Dei* qua nos diligit Deus, vel qua diligimus Deum, *diffusa est in cordibus nostris* tempore baptismatis, et tempore manus impositionis *per Spiritum sanctum qui datus est nobis* non per meritum nostrum. Verbum effusionis sive diffusionis largitatem munerum significat, sicut in Joel habetur : *Effundam de spiritu meo super omnem carnem* (*Joel.*, II). Sive ergo charitas qua diligimus Deum in nobis sit, pro cujus amore patienter omnia adversa sustinemus : sive qua diligimus proximum, vel quidquid boni in nobis habetur, non per meritum nostrum, sed per gratiam Dei, Spiritu sancto cooperante, nobis tribuitur : ideoque perceptis quibus voluntati illius obtemperare debemus, habentes inter nos pacem quam ipse commendavit discipulis, dicens : *Pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Ipsa etiam spes per Spiritum sanctum nobis datur, qui facit nos credere quod promittit. Nec enim confundit nos spes quoniam amplius dabit quam speramus nos, gaudia videlicet patriæ cœlestis.

Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impiis mortuus est. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, id est peccatores secundum tempus pro impiis, id est irreligiosis mortuus est nisi ut abundantiam et plenitudinem suæ charitatis nobis commendaret, sicut sequentia nobis manifestant. Infirmus est omnis peccator et omnis infidelis, fortis vero justus et fidelis atque cognoscens Deum. Pietas est cultus et religio Dei, a qua dicitur pius, id est religiosus. E contra impietas, est irreligiositas a qua venit impius, id est irreligiosus. Tanta fuit charitas Christi, ut non solum pro illis qui comparatione reproborum religiosi erant, sed etiam pro impiis moreretur quos postea per fidem suam justos fecit. Istam charitatem nobis commendavit, ut illam imitaremur, sicut discipulis dixit, quando lavit pedes eorum. *Exemplum* (inquiens) *dedi vobis, ut* qualia *vobis* facio, talia faciatis (*Joan.* XIII), id est sicut ego vobis lavi pedes, ita et vos alterutrum : et sicut ego pro vobis animam meam non dubito ponere, ita et vos non dubitetis, neque pro me, neque pro fratribus si necessitas fuerit, causa amoris mei animas ponere. Quod vero dicit Apostolus Christum secundum tempus esse

A mortuum tripliciter accipi potest : beatus si quidem Ambrosius hoc modo dicit : Mortuus est secundum tempus, quia parvo et brevi tempore potuit teneri a morte : tertia enim die resurrexit. Aliter : Secundum tempus mortuus est, id est tunc quando totus mundus sub peccato tenebatur. De quo tempore dicit Apostolus alibi : Postquam *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege* (*Galat.* IV). Et Deus Pater ad Filium per prophetam ; *Tempore*, inquit, *accepto exaudivi te* (*Isa.* XLIX). Potest etiam tertio modo intelligi, quia mortuus est secundum tempus, id est corporaliter, in corpore, non in anima : quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Tempus enim dicitur esse, ubi aliqua varietas est, verbi gratia :
B Ubi sol oritur sol et occidit, ubi luna augmentum vel decrementum capit, tempus dicitur esse : ubi etiam ver transit in æstatem, æstas quoque in autumnum mutatur, autumnus nihilominus in hiemem. Mortuus est Christus secundum tempus, id est secundum carnem, quæ mutabilis est et variationi subjacet, mortuus est temporaliter : nam ubi æternitas est, tempus esse non potest.

Vix enim pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori? Subaudis aut nullus, aut rarus. *Quis enim*, pro nullo, aut pro raro sæpissime ponitur : pro nullo accipitur, ut in psalmis, *Deus, quis similis erit tibi?* (*Psal.* LXXXII.) Id est nullus. Pro raro, ut hic, et alibi ubi dicitur : *Quis sapiens et intelliget ista?* (*Psal.* CVI.) Raro invenitur. Et est sen-
C sus : Vix potest aliquis inveniri, qui non solum pro impiis, sed nec forte pro justis et bonis audeat mori. Et cum raro inveniatur qui pro justo et bono audeat mori, Christus pro impiis mortuus est. Inter justum et bonum hoc distat, quia justus sit studio et exercitatione virtutum : sic sancti martyres ; bonus vero in innocentia, sicut sunt parvuli qui inundantur in baptismate. Potest etiam et pro uno accipi justus et bonus.

Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, id est antequam essemus justificati per fidem, *secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Ad quid commendat Deus suam charitatem in nobis? Ut illam imitemur eo modo quo superius diximus. *Multo magis igitur*
D *justificati nunc per sanguinem ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.* Si cum peccatores essemus, Christus pro nobis dignatus est mori, multo magis jam remissionem peccatorum habentes in sanguine passionis ejus, et justificati per fidem salvi erimus per Christum ab ira, id est vindicta diei judicii quæ ventura est reprobis. Licet autem legamus plerisque in locis omnipotentem Deum iram habere, non debemus putare quod in illum cadat ulla perturbatio quia ipse semper idem manet juxta quod Psalmista dicit : *Tu* semper *idem ipse es* (*Psal.* CI), sed ira illius appellatur vindicta et ultio ipsius, quam ille sine aliqua mutabilitate exercet, secundum quod ei sapientissimus orator dicit : *Tu autem*, Domine Sabaoth, *cum*

tranquillitate judicas (*Sap.* XII). In hoc loco proponit sibi beatus Augustinus quæstionem, dicens : Si, inquit, in sanguine passionis Filii Dei accepimus remissionem peccatorum, non necesse est ut baptizemur : et si in baptismate accepimus remissionem, et mundamur ab omnibus sordibus vitiorum, quid necesse fuit Christum pati? Quam quæstionem ita dissolvit : Ista duo, passio videlicet Christi et baptismus, ita sunt conjuncta, ut neque baptismus possit lavare a peccatis, et perfectum hominem reddere sine fide passionis Christi, quia sine fide impossibile est placere Deo : neque fides passionis Christi possit remissionem peccatorum dare sine gratia baptismatis, nisi in sanguine martyrii sui fuerit baptizatus, quia Dominus dixit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* III). *Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Si, inquit, cum inimici essemus, id est peccatores, reconciliati sumus Deo Patri per mortem Filii ejus, multo magis quam meruimus reconciliati et in amicitiam conversi, salvi erimus in vita ipsius, id est in vita ipsius Christi, qui est vita, et in quo vitam æternam habituri sumus. Illi reconciliantur qui inimici sunt ad invicem. Quomodo ergo exstitit nobis omnipotens Deus iratus et inimicus, cum de illo dicatur, quod nihil odit eorum quæ fecit. Sciendum quod non naturam nostram, quam ipse fecit sanctam et bonam, odio habebat, sed vitia et peccata quæ ipsi nobis attraximus. Quapropter quadam justitia Dei traditi sumus diabolo, quandiu sub peccato fuimus. Sicut legitur, postquam meruit homo audire : Terra es, et in terram ibis, hoc est totus terrenus effectus es et idcirco morieris. Dictum est et diabolo in serpente : Terram comedes, id est peccatores devorabis. Ablatis autem vitiis et peccatis, per passionem Filii ejus reconciliati sumus in id quod ante fuimus. Unde dicit Apostolus : Si, inquiens, *cum inimici Dei essemus* actibus, non natura, per mortem Christi salvati sumus, quanto magis in ejus glorificabimur vita, si eam imitati fuerimus.

Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc accepimus reconciliationem. Non solum, inquit, salvi erimus, et dabitur nobis vita æterna, sed et gloriamur in Deo Patre sive in cognitione Dei, quam habemus per Dominum nostrum Jesum Christum, cujus passione nunc reconciliationem accepimus. Nunc, inquit, reconciliati sumus Deo Patri, id est in tempore adventus Christi, sicut enim verbo Patri sumus creati, juxta quod Joannes dicit : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I), ita quoque et ab illo sumus redempti et Deo Patri reconciliati.

Propterea sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Defectus dictionis isto in loco est hujus-

A modi : Sicut per Adam peccatum et mors intravit, ita per Christum justificatio et vita æterna venit. Propterea, inquit Apostolus, reconciliati sumus Deo, quia sicut per unum hominem Adam in hunc mundum, id est in universitatem generis humani (præter Christum qui de supernis est) peccatum intravit, et per peccatum mors venit, ita et in omnes homines mors corporis et animæ pertransiit, sicut in illum primum, in quo omnes peccaverunt ita per Dominum nostrum Jesum Christum justificatio intravit, et per justificationem vita futura. Sensus talis est : Sicut per Adam peccatum intravit in genus humanum et mors, et per omnes transiit, sic per Christum venit justificatio et vita. In ipso quoque omnes peccaverunt, qui in lumbis ejus erant, sicut Levi in lumbis B erat patris, quando decimatus est (*Hebr.* VII). Et congrue dicit primum intrasse peccatum ac deinde per peccatum subintrasse mortem, quia statim ut peccavit, mortalis factus est, sicut ei Deus ante prædixerat : In quacunque die, inquiens, comederis ex eo, morte morieris. Peccavit concupiscendo atque comedendo, et mortalis factus est in peccando.

Usque ad legem enim peccatum erat in mundo. Non dicit usque ad tempus, quo data est lex, sed usque ad terminum finiendæ legis. Sic enim solliciti sumus dicere. Regnaverunt Huni usque ad Attalem [*F.* Attilam] regem, id est usque ad mortem Attale regis. Usque ad tempus, id est usque ad finem legis et initium gratiæ, peccatum originale et actuale fuit in mundo. Per gratiam autem Jesu Christi non solum originalia, C sed etiam actualia deserta sunt. *Peccatum autem non imputabatur cum lex non esset.* Hoc tripliciter intelligi potest. Quandiu lex naturalis non est in homine sicut in parvulis, quidquid agat parvulus, non imputatur esse peccatum, quia nescit quid sit bonum aut malum. Aliter : Antequam lex daretur, non agnoscebatur peccatum tam grave malum esse, sicut per legem ostensum est. Vel aliter : Cum lex deesset, non imputabatur, id est ignorabatur qua pœna dignum esset peccatum, quousque ipsa lex dixit : Qui hoc vel illud fecerit, morte moriatur. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Id est mors idem est quod peccatum, ideo dicit D regnasse mortem, quia universum tenuit orbem tam mors peccati, quam mors corporis. Quod dicit usque ad Moysen ita est intelligendum ut jam diximus, id est usque ad finem legis et initium gratiæ. Per Moysen enim intelligitur lex, sicut dicitur in Evangelio ad divitem : Habent Moysen, id est legem. Et alibi : *Incipiens a Moyse* (*Luc.* XXVII), hoc est a lege. Regnavit, inquit, mors animæ in toto mundo, ex quo primus non peccavit usque ad finem legis Moysi et exordium Evangelii, non solum in alios, sed etiam in illos qui non sponte neque scienter peccaverunt, sicut parvuli erant, qui originalibus peccatis tenebantur obnoxii. Illi in similitudinem prævaricationis Adæ peccant, qui scienter et voluntarie peccant, sicut ille cui dixit Deus : Ex omni ligno

paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas, etc. (*Gen.* II). Ille vero in similitudinem Adæ non peccat, qui neque legem naturalem habet, neque cum studio peccat. *Qui est forma futuri.* Hoc tripliciter potest intelligi: Adam qui peccatum attulit mundo, exemplar sive forma est futuri Adæ, id est Christi, quia sicut ex virgine terra ille factus est, ita Christus ex virgine Maria natus est. Vel a contraria parte, aliter accipitur caput peccati, aliter caput justitiæ : quia sicut Adam peccatum attulit et mortem, ita Christus justificationem et vitam. Aliter : Si sic dixerimus, qui est forma futuris, ut quidam codices habent, erit sensus : Exemplar est futuris posteris suis in peccato, quia sicut ille peccator et mortalis exstitit, ita omnes posteri ejus peccatores et mortales nati sunt et nascuntur quotidie, transducto originali peccato in posteros, ut beatus Augustinus dicit, per concupiscentiam coitus, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi liberantur a peccatis et morte æterna : sicut enim nullus homo extra Adam, id est extra progeniem illius, ita nullus extra peccatum illius præter Christum.

Sed non sicut delictum, Adæ, *ita et donum justificationis*, hoc est majus fuit donum Christi, quo nobis remissio peccatorum venit, quam peccatum Adæ, per quod venit mors. Et plus prævaluit justitia Christi in justificando, quam peccatum Adæ in occidendo : quoniam in his qui per Christum redimuntur, temporaliter valet forma mortis ex Adam : forma autem vitæ valebit in æternum per Christum. *Si enim unius hominis*, Adæ, *delicto multi*, id est electi, *mortui sunt* temporaliter, *multo magis gratia Dei*, qua nobis dimittuntur peccata, *et donum* Spiritus sancti *in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Multi et plures ad electos referuntur, nec est comparatio, quod dicit plures, quia plures sunt reprobi qui damnabuntur, quam sint justi qui salvabuntur, sed absolute positum est. Jungatur et hoc modo : Si propter unius hominis delictum Adæ, non solum reprobi et nimium peccatores, sed etiam electi mortui sunt temporaliter corpore, non anima, multo magis abundavit et crevit gratia Dei, et donum per gratiam Jesu Christi in plures, id est in electos, in hoc enim plus, sive multo magis abundavit gratia, id est remissio peccatorum in electos, quam peccatum : quia non solum illud peccatum originale, propter quod in mortem animæ et corporis ruimus, sed etiam omnia actualia abstulit in electis, et insuper donavit vitam sine fine mansuram.

Et non sicut per unum peccatum, subaudis originale, venit mors, *ita et donum*, subaudis gratiæ venit, quod est dicere : Aliter atque ad aliud venit peccatum Adæ, et aliter atque ad aliud venit donum Christi. Peccatum enim Adæ venit per inobedientiam ut mortem afferret : donum autem gratiæ Christi venit per obedientiam : qua obediens fuit Deo Patri ut non solum originale, sed etiam omnia actualia auferret. Quid delictum fuerit per unum peccantem, ita erit intelligendum. Et non sicut per unum peccantem, id est per Adam, venit mors : ita et donum gratiæ venit per Christum. *Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Judicium, sive damnatio, ex uno homine, Adam, vel uno peccato originali venit in condemnationem omnium hominum : gratia autem Christi qua nobis gratis dimittuntur peccata, in justificationem fidelium venit ex multis delictis quæ post originale peccatum addita sunt. Et est sensus : Damnatio venit ex uno homine, vel uno peccato originali, in condemnationem generis humani, gratia autem Christi venit in justificationem electorum ex multis delictis, id est ad hoc venit, ut non solum ab illo uno originali, sed etiam ab omnibus actualibus nos justificaret : ideoque aliter venit peccatum, aliter gratia. Considerandum, quia cum dicit judicium venire ex uno homine in condemnationem, loquitur contra Pelagianos, qui negant originale peccatum trahi ab infantibus quando nascuntur, dicentes : quia non per originem illud peccatum trahitur, sed per imitationem, quod omnino falsum est. Si enim ita esset, ut illi delirant, nequaquam Dominus expresse in Evangelio diceret : *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III). In Veteri quoque Testamento nequaquam diceret : *Masculus cujus caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo, quia pactum meum irritum fecit* (*Gen.* XVII), non per se, sed in patre suo Adam in paradiso.

Si enim unius hominis delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantia gratiæ donationis et justitiæ accipientes in vitam regnabunt per unum Jesum Christum. Et est sensus : Si pro delicto unius hominis Adæ, quod per unum hominem Adam venit, mors corporis et animæ regnavit temporaliter, et ad tempus in electis multo magis regnabunt illi in vita æterna, accipientes per Jesum Christum abundantiam, id est plenitudinem gratiæ, qua dimittuntur peccata, et plenitudinem dominationis, id est dona Spiritus sancti quæ electis donantur, quando illis datur per Spiritum sermo sapientiæ, et cætera dona singulis dividuntur, accipientes etiam plenitudinem justitiæ, id est omnes virtutes, ut post baptismi gratiam juste sancteque vivamus. Si enim moriuntur electi temporaliter propter originale peccatum, tamen per gratiam Christi accipiunt vitam sempiternam, ubi regnabunt cum ipso.

Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem mortis, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ, id est sicut per unius hominis delictum in omnes homines generaliter in condemnationem venit mors et peccatum, sic et per unius hominis justitiam, id est Christi, in omnes homines electos et prædestinatos ad vitam æternam venit gratia in justificationem vitæ.

Sicut enim per inobedientiam unius hominis, Adæ, *peccatores constituti sunt multi*, id est omne genus humanum, quod in lumbis Adæ erat, *ita per unius hominis obedientiam*, id est Christi, qua fuit obe-

diens Patri usque ad mortem, *justi constituentur* A *multi*, non tamen omnes.

Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Judæi ignorabant ad quid acceperant legem, et putabant se per circumcisionem et per carnales observationes salvari posse sine gratia Domini nostri Jesu Christi. Unde Apostolus volens eis ostendere, quia lex non est data ut peccata auferret, sed demonstraret, ait : *Lex autem subintravit,* id est subito intravit, *ut abundaret delictum.* Quomodo abundat delictum per legem ? Dupliciter : vel quia dum præcepit, dicens : *Ne adulterium facias; non concupiscas rem proximi tui* (*Exod.* XX), exardescit animus ad libidinem et ad concupiscentiam, qui ante nesciebat quod concupiscentia hujusmodi peccatum esset, aut tale. Vel dum transgressor fit legis et crescit deli- B ctum in vindictam, quia majori pœna et vindicta dignus est, qui scienter contra legis præcepta peccat, quam qui non habens legem ignoranter delinquit. *Ubi autem abundavit peccatum, superabundavit et gratia.* Originali peccato quod ad omnes pervenit addita sunt actualia, et abundavit sive excrevit delictum. Sed ubi delictum abundavit et crevit per actualia peccata et contemptum legis, superabundavit gratia Christi, quæ non solum peccatum originale, sed etiam actuale abstulit, largiens insuper pia benignitate vitam sine fine mansuram.

Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum. Ac si diceret : Sicut regnavit ac tenuit principatum originale peccatum, C et insuper actuale electis est ut in mortem eos traheret ad tempus, ita et gratia qua dimittuntur peccata, regnet in electis per justitiam eorum in vitam æternam illos intromittendo per adjutorium Jesu Christi. In hoc enim major est gratia Christi quæ nobis data est quam peccatum Adæ : et magis nobis profuit, quam illud nocuit : quia peccatum Adæ facit nos ad tempus mori : gratia autem Christi dimittit nobis non solum originale, sed etiam actuale peccatum, faciens nos insuper vivere in vitam æternam, etc.

CAPUT VI.

Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet ? Absit. Hæc ad superiora pertinent, ubi dicit Apostolus : *Et non, sicut aiunt nos quidem* D *dicere, faciamus mala, ut veniant bona ;* et illud : *Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia.* Quidam enim gentilium ; ubi audierant prædicatio nem Pauli, aliorum apostolorum : ubi debuerant accipere vitam, ibi acceperunt mortem, non intelligentes sensum prædicationis eorum. Unde dicebant apostolos prædicare, quia quanto homo amplius peccaret, tanto magis Deo placeret : et ubi major esset culpa, ibi major esset gratia Dei : ut dum omnes essent nimium peccatores, ipse solus appareret justus : et quo majora peccata et plura dimitteret, eo plus misericors esse laudaretur. Quapropter dicebant : *Faciamus mala, ut veniant bona :* quia quo amplius peccamus, eo majorem gratiam apud Deum habemus. Nos autem aliter debemus dicere : Fecimus mala : et venerunt bona sine nostris meritis per gratiam Christi. Faciamus modo bona, ut veniant nobis bona, attendentes quod dicit Apostolus ex persona fidelium loquens, qui se a peccatis servant : *Nunquid permanebimus in peccato ?* Hoc est : nunquid semper peccabimus, ut gratia Dei in hoc abundet ut plus habeat quod vobis dimittat, et crescat nobis dimittendo, sicut quidam carnalium dicunt, *absit?* Non fiat illud : ut semper in peccatis permanemus. Hoc autem digna consideratione perpendendum est, quia idcirco ista contra dicit Apostolus : ne aliquis infidelium dicere possit : quod asserat ipse peccandum esse, ut gratia Dei abundaret. *Qui enim mortui sumus peccato,* tempore baptismatis, *quomodo adhuc vivemus in illo?* id est si omnia peccata nobis dimissa sunt in baptismo, quare obedimus vitiis et suggestionibus carnis? Ille mortuus est peccato, qui non habet peccatum, cui deleta sunt omnia peccata in baptismo : e contra ille vivit peccato, qui obedit delectationibus peccati et suggestionibus pravæ voluntatis. Docet autem Apostolus ut postquam in baptismate accepimus remissionem peccatorum, abstineamus a carnalibus peccatis : et in quantum humana fragilitas valet, nosmetipsos restringamus per Dei gratiam a delectationibus carnis et pravis cogitationibus.

An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus ? Beatus apostolus mystice et subtilissime isto in loco loquitur, et vult ostendere quomodo mysterium mortis, sepulturæ et resurrectionis Christi ad baptismum nostrum pertineat, et dicit : Nunquid ignoratis, o Romani, mysterium mortis Christi, sepulturæ ac resurrectionis, quomodo conveniat mysterio baptismatis ? Certe, ut puto, ignoratis : et si ignoratis, ego vobis pandam. Sed quæstio oritur in hoc loco, cum præcipiat Dominus apostolis in Evangelio in nomine sanctæ Trinitatis baptizare credentes, cur Apostolus in hoc loco solummodo personam Christi assumat dicens : *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus,* quæ hoc modo solvitur, quia Apostolus in hoc loco non tantum rationem et institutionem describere baptismi disposuit, quantum mysterium mortis Christi et ubi de morte erat aliquid locuturus, indignum duxit personam Patris et Spiritus sancti ponere, quæ carnem non suscepit, neque mortem, sed personam tantummodo Filii quæ carnem assumpsit, et pro nobis mortua est. Non enim conveniebat ut diceret : Quicunque baptizati sumus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in morte ipsius baptizati sumus. Iterum quærendum est quomodo baptizati sumus in morte Christi, Christo mortuo in cruce pro peccatis nostris, qui est caput omnium electorum, omnes electi qui sunt membra ejus, commortui sunt peccato capiti suo Christo, verbi gratia : Sicut ablato et absciso capite cujuslibet animantis, commoriun-

tur omnia membra, ita mortuo Christo commortui sunt in illo omnes electi et baptizati in ejus passione. Passio etenim illius baptismus noster fuit. Ille quidem mortuus est corpore, et nos peccato, quia ipse pro peccatoribus mortuus est, et nostrum peccatum in sua morte occidit. Aliter : *In morte ipsius baptizati sumus*, id est in fide passionis et mortis ejus, quia per fidem passionis Christi et baptismi gratiam abluimur a peccatis. Ista enim duo ita conjuncta sunt, ut neque passio Christi sine baptismo neque baptismus sine fide passionis Christi, nos possit salvare. Dicamus et aliter : *In morte ipsius baptizati sumus*, id est ad exemplum et figuram mortis ejus ut illi commoreremur peccato, sicut mortuus est ipse corpore, vel ad exemplum mortis ejus, eo modo quo in sequentibus dicendum est. Inter hæc considerandum est quatuor esse genera baptismatum. Unum tantum in aquis, sicut fuit baptismum Joannis quod remissionem peccatorum non dedit; aliud in igne vel Spiritu, quo baptizati sunt apostoli in die Pentecostes : et de quo Dominus dixit : *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto* (*Act.* I), quia eo die in igne apparuit super apostolos ; tertium est in aqua et Spiritu, in quo sancti apostoli baptizabant, Domino præcipiente : quod genus baptismatis sancta Ecclesia modo retinet; quartum est in sanguinis effusione, quo baptizatus est ipse Dominus omnesque sancti martyres : de quo etiam Dominus ait filiis Zebedæi : Potestis baptizari baptismate quod ego baptizari habeo (*Marc.* X)? id est potestis effusionem sanguinis vestri sustinere : quorum unus, scilicet Jacobus eo baptismate baptizatus est, decollatus ab Herode. Sed et hoc quoque notandum est, quia in baptismate tria sunt corporalia atque visibilia, et tria incorporalia atque invisibilia. Tria sunt visibilia : sacerdos videlicet, corpus baptizandum et aqua. Tria invisibilia : fides, et anima quæ abluitur a peccatis, et Spiritus, quo cooperante remissio peccatorum datur. Fortassis etiam quæret aliquis quare in aqua solummodo, et non aliquando in vino baptismus consecretur? Cui respondet beatus Ambrosius, idcirco uniformiter hoc fieri in aqua, ut intelligatur, quia sicut aqua sordes corporis aut vestimenti abluit, ita illud baptisma maculas animæ sordesque vitiorum emundando abstergit.

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, subaudis peccati et vitiorum. Quomodo possumus viventes in carne consepeliri Christo? Si moriemur peccato, sicut ille mortuus est in cruce, et baptizamur in nomine sanctæ Trinitatis, consepelimur ei; si aut vivimus peccato, nequaquam possumus consepeliri ei. Consideremus ergo quomodo moriamur peccato, et consepeliamur et conresuscitemur Christo, et quomodo concordet mysterium mortis, sepulturæ et resurrectionis ejus baptismati nostro : Christus, postquam mortuus est in cruce, de cruce positus est in sepulcro ; de sepulcro tertia die victor resurrexit. Similiter et nos venientes ad fontem baptismatis, dum abrenuntiamus diabolo et omnibus pompis ejus, et omnibus operibus ejus, morimur peccato, sicut Christus mortuus est in cruce, Christus de cruce positus est in sepulcro, et nos post confessionem sanctæ Trinitatis consepelimur ei in cognato, id est simul nato terræ elemento, hoc est in aqua. Resurrexit ipse tertia die vivus, et nos post ternam mersionem resurgemus de morte peccatorum ad vitam, ut Deo vivamus in sanctitate et bonitate cæterisque virtutibus. Ascendit ad cœlos, et non post illum ascendemus, si in novitate vitæ ambulaverimus : et quasi diceret aliquis Apostolo : Ad quid sumus consepulti Christo? subjunxit : *Ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus*. A mortuis surrexit Christus, id est a sepulcro quod proprie locus est mortuorum sive ab inferno. Per gloriam autem Dei Patris dicit surrexisse Christum, id est per divinitatis virtutem, ut glorificaretur Deus Pater in ejus suscitatione, sicut ipse loquens ad Patrem dixit : *Pater, clarifica nomen tuum* (*Joan.* XII), id est suscita Filium tuum, ut mea suscitatione glorificeris. Potest etiam intelligi, quod ipse Filius potentia deitatis suscitaverit semetipsum, qui est gloria Patris, sicut ei dicit in psalmo : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium* (*Psal.* LVI), id est chorus omnium virtutum. Cui, Filius, *Exsurgam diluculo* (*Ibid.*) Ipse quoque Filius dicit de sua suscitatione loquens ad Judæos, *Solvite templum hoc*, et post triduum suscitabo illud, ita enim intelligendum est, ut sicut tota trinitas creavit illum hominem, ita tota trinitas suscitavit illum, quia opera totius Trinitatis inseparabilia sunt. Præcipit ergo Apostolus, ut sicut Christus surgens a mortuis jam non moritur, *ita et nos in novitate vitæ ambulemus*, hoc est sicut novi effecti sumus in baptismo, ita semper novi et immaculati vivamus : ambulantes de virtute in virtutem. Novitas enim vitæ est, post baptismum criminalia peccata non committere, et a levibus in quantum possibile est temperare, qua novitate innovantur quotidie electi, dum proficiunt in virtutibus, et laudatur omnipotens Deus in illorum operibus, sicut Deus dicit : Videantur *opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V).

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, id est Christi, *simul et resurrectionis erimus*, subaudis complantati, id est conjuncti et conformes. Quidam codices habent *resurrectionis* genitivum videlicet casum, sed melius est, ut doctores dicunt, dicere per dativum *resurrectioni*, quia verbum complantati ei, superioribus jungitur : arbor complantatur arbori cum inseritur, et Christus arbor est per similitudinem, de qua dicit Salomon in persona sapientis, quæ est Christus : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam* (*Prov.* III). Ipse est etiam arbor vitæ quæ est plantata in medio paradisi, hoc est in medio Ecclesiæ. Idcirco autem arbori comparatur, quia sicut arbor pascit et umbram præstat, ita Christus pascit angelos spirituali cibo, sua videlicet contemplatione, homines vero cognitione sua, protegens

utrosque ab omni adversitate; generaliter autem pascit et reficit totum mundum cibo corporali. Mors etiam ejus arbor potest intelligi, quia sicut arbor ad hoc plantatur ut fructum afferat plantatori, ita mors Christi ad hoc celebrata est in cruce, ut fructum salutis et redemptionis afferret mundo. Quæritur quare dixerit Apostolus, *complantati sumus similitudini mortis ejus*, id est Christi, et non simpliciter complantati sumus morti ejus. Mors enim Christi in hoc loco dupliciter potest intelligi tam spiritalis videlicet quam corporalis. Similitudini mortis ejus corporalis complantamur, quando sicut ille mortuus est corpore pro peccatoribus nos morimur peccato. In hoc enim est similitudo, quia ille mortuus est corpore, nos vitiis. Aliter : Similitudini mortis ejus spiritalis complantamur, quando morimur criminalibus peccatis. Ille enim in veritate mortuus peccato, qui nunquam peccavit. Cui veritati non possumus complantari et conjungi, quia quandiu sumus in hoc mortali corpore, ex toto carere peccatis levioribus non possumus, sicut dicit Joannes : *Si dixerimus*, inquiens, *quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*Joan.* I). Tunc enim similitudinem mortis ejus assumimus spiritualis, quando ejus auxilio freti criminalia peccata non committimus, et sic complantamur in præsenti sæculo similitudini mortis ejus, tam corporalis quam spiritualis, ut sicut ille mortuus est corpore, et mortuus est omnibus peccatis : quia nunquam peccavit, moriamur et nos omnibus peccatis criminalibus, erimus utique complantati et conjuncti resurrectioni ejus in gloria, *et cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*Joan.* III).

Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Veterem hominem, ut dicit beatus Augustinus, voluerunt quidam intelligere corpus, novum vero animam : sed non convenit illud, quia corpus exterior homo a plerisque appellatur, interior vero anima. Hoc vero in loco veterem hominem vocat vitam et conversationem veteris hominis Adæ, quæ crucifixa, id est mortua, occisa est semel in baptismate. Quicunque enim originali adhuc et actualibus peccatis tenetur obnoxius quæ Adam perpetravit, vel etiam pluribus, vetus homo est et sequax Adæ, quia vitam et conversationem ejus imitatur. Ad quid ergo mortua est et deleta illa conversatio, quæ vetus homo dicitur? *Ut destruatur corpus peccati*, Corpus nostrum corpus peccati est, quia nos trahit ad peccatum per suggestionem carnis et concupiscentiam pravam. Quod corpus non ita præcipit Apostolus destrui ut annihiletur, sed ut quiescat ab opere peccati. Tunc enim quasi destruitur, dum refrenatur et retrahitur a peccato et mala voluntate, quam desiderat adimplere, nec permittitur servire peccato. Aliter : Peccatum enim hic possumus intelligere diabolum, qui est auctor peccati, corpus vero ejus universitatem vitiorum. Sicut Christus caput est omnium electorum et omnium virtutum, omnesque electi, et omnes virtutes sunt corpus ejus, ita diabolus caput est omnium reproborum omniumque vitiorum, omnesque reprobi et omnia vitia corpus illius sunt, et ad hoc delata est vita et conversatio veteris hominis Adæ semel in baptismo : ut destruatur universitas vitiorum, quæ est corpus diaboli : ut ultra non serviamus diabolo ; aliter secundum Origenem corpus peccati potest appellari universitas vitiorum, quæ faciunt unum corpus quodammodo peccati : singula autem vitia membra sunt universitatis : quam præcipit Apostolus destrui per abolitionem, id est per deletionem cessationis. Bene autem dicit Apostolus semel mortuum esse veterem hominem, ut admoneat nos cavere criminalia peccata : quia sicut Christus semel mortuus est, et jam non moritur, ita et nos si semel mortui sumus peccato in baptismate, non possumus iterum baptizari.

Qui enim mortuus est, subaudis peccato in baptismo, *justificatus est a peccato*, id est alienus effectus est ab omnibus peccatis : quapropter debet se custodire, ne iterum polluat se criminalibus peccatis, quia non poterit iterum justificari per baptismum.

Si autem mortui sumus cum Christo, tempore baptismatis peccato, eo modo quo superior sermo texuit, *credimus quia simul etiam vivemus cum Christo* in cœlo post generalem resurrectionem. *Scientes quod Christus resurgens a mortuis*, id est a sepulcro, quod proprie locus est mortuorum, vel ab inferno, *jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Hoc laborat Apostolus in hoc loco, ut ostendat credentibus, quia si semel remissionem peccatorum acceperint non posse eos iterum baptizari, sicut Christus non potuit mori nisi semel. Et sicut Christus surgens a mortuis jam non moritur, ita et nos semper debemus vivere virtutibus, quia anima quæ peccaverit, criminali peccato morietur. Quod autem dicit, *mors illi ultra non dominabitur*, mortem intelligere possumus dupliciter, sive mortem corporalem atque temporalem, quæ ad tempus dominata est ei, ipso permittente, sive diabolum qui ei etiam quodam modo dimissus est dominari per ministros suos, ipso permittente. Intravit autem diabolus in cor Judæ ut traderet Christum (*Luc.* XXII). Ipse etiam suasit Judæis et Pilato, ut eum crucifigerent. Quod diabolus mors appellatur qui mortem attulit mundo, ostendit Joannes inquiens : *Et nomen illi mors* (*Apoc.* VI).

Quod enim mortuus, subaudis Christus, *peccato mortuus est semel*, iste versiculus ita distinguendus est ut primum dicatur *quod enim mortuus est*, ac deinde subsequatur, *peccato mortuus est semel*, id est semper mortuus fuit peccato, quia nunquam peccavit. Solus Christus semel mortuus est peccato, id est semper, quia nunquam peccavit. Aliter : Quod Christus mortuus est corporaliter, semel mortuus est peccato nostro, non amplius, ita et nos semel morimur in baptismate. Possumus tamen post baptismum, si peccaverimus, mori peccato, et per dignam pœnitentiam resurgere : *quod autem vivit, vivit Deo.*

Christus, dum mortuus esset in cruce, et sepultus in A monumento, videbatur non vivere, sed quid fecit? Intravit in domum fortis, id est descendit in infernum, abstulit diabolo illos quos tenebat electos, et potestatem etiam quam habebat in hoc mundo illi abstulit, sicque quadragesimo die resurrectionis suæ ascendens in cœlum, vivit æternaliter Deo, id est in gloria paternæ majestatis.

Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, tempore baptismatis, *viventes autem Deo*. Melius habetur in Græco, ut in Origene legitur : Cogitate vos mortuos peccato, viventes autem Deo; et est sensus : Sicut ille qui crucifixus est, nihil aliud cogitat, nisi tantummodo misericordiam Dei exoret : quatenus ejus spiritum dignetur suscipere, sicut et B Dominus dixit ad Patrem : In manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII) : ita et vos, si quando venit mala concupiscentia, et delectatio prava inflammat vos ad libidinem et ad cætera mala patranda, cogitate et ad memoriam reducite, quia in baptismate mortui estis omnibus peccatis : ubi recepistis remissionem peccatorum, et talia cogitantes vivite Deo, id est sapientiæ, prudentiæ, castitati, cæterisque virtutibus. Quicunque enim vivit Deo, omnibus virtutibus vivit quæ in Deo sunt.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Jam quia mortui estis peccato in baptismate, et vivitis Deo, cavete ne regnet peccatum in vestro mortali corpore, id est quandiu in præsenti sæculo estis. Non dicit Apostolus non sit peccatum in vestro mortali cor- C pore, sed non regnet. Quandiu sumus in hoc mortali corpore, ad integrum carere peccatis non possumus. De quibus ergo peccatis dicit? De homicidio, de adulterio et de cæteris criminalibus vitiis, quæ a regno Dei nos separant, non de levioribus, sicut est peccatum cogitationis et concupiscentiæ. Et quomodo non regnat peccatum in nostro mortali corpore si statim ut pulsaverit nos consentimus, et obedimus delectationi ejus, quia subjaceamus ei?

Sed neque exhibeatis, id est præparetis, *membra vestra arma iniquitatis peccato*. Iniquitas est quidquid contra legem agitur, ideoque per iniquitatem debemus intelligere omnia vitia. Membra corporis nostri ad hoc facta sunt, et sensus nostri corporis ad D hoc nobis dati sunt, ut nobis necessaria procurent et Deo militent. Si autem inclinamus aures ad audiendam detractionem de proximo, et ad delectanda verba otiosa, et ad carmina meretricum, si aperimus oculos ad concupiscendam mulierem, si malum odorem, id est malam famam ex nobis diffundimus : si delectamur in odoribus meretricum, si os aperimus ad loquendam blasphemiam in Deum vel proximum : si extendimus manus ad rapinam, si dirigimus gressus pedum ad effundendum sanguinem, tunc membra nostra exhibemus ad hoc, ut sint arma militantia peccato et diabolo, qui est auctor mortis omniumque vitiorum, hoc est præparamus illa ut militent peccato et diabolo. *Sed exhibete*, id est præparate, *vos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra* exhibete *arma justitiæ Deo*. Id est, ut sint Deo arma omnium virtutum militando ei. Si omnia quæ superius diximus de membris nostris prætermittimus, et in Dei servitio illa occupaverimus, ut inclinemus aures ad audienda verba Dei, aperiamus oculos ad scrutanda eloquia divina et ad pauperem respiciendum : aperiamus os ad enarranda magnalia Dei, extendamus manus ad eleemosynam, dirigamus pedes ad pacem, bonum odorem de his omnibus reddentes, tunc membra nostra arma omnium virtutum erunt, et militabunt Deo. Quod autem dicit *tanquam ex mortuis viventes*, sensus est : Sicut illi qui Domino resurgente surrexerunt, de quibus dicit Evangelista : *Multa corpora sanctorum surrexerunt* (*Matth.* XXVII), vivunt quidem, sed neque concupiscentes neque peccare appetunt, ita et vos cogitate mortuos quidem esse peccato et vivite Deo, declinantes a peccatis criminalibus.

Peccatum enim vobis non dominabitur, subaudis si hæc feceritis, sed utinam vobis peccatum non dominetur : ubi dominatur peccatum, ibi perficitur. Dominatur enim homini quando obedit desideriis ejus. *Non enim estis sub lege, sed sub gratia*. Non estis, inquit, sub lege Moysi, quæ punit et damnat peccatores, sed sub gratia Christi, id est sub remissione peccatorum : et quia remissionem peccatorum jam perceptam habetis, non debetis peccare.

Quid ergo? Peccabimus quia non sumus sub lege, Moysi, quæ peccatores punit, *sed sub gratia?* quæ peccatum dimittit. Poterat aliquis dicere, jam quia sub lege non sumus quæ pœnam infert peccantibus, satis possumus peccare, quia quidquid deliquerimus dimittetur nobis larga pietate per gratiam Christi : ad hæc Apostolus, non affirmando dicit, sed denegando : Nunquid ergo semper peccabimus, eo quod lex deest cujus pœna constringamur? *Absit*, ut semper peccemus, quia gratia ita vult nos vivere, ut criminalia peccata non admittamus.

An nescitis, id est, nunquid ignoratis, *quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis, sive* sitis servi, *peccati ad mortem* æternam, *sive obeditionis* Christi ad justitiam. Si servimus virtutibus et Deo, servi sumus virtutum et Dei : si vero servimus vitiis et diabolo, servi sumus vitiorum et diaboli.

Gratias autem Deo quod fuistis servi peccati. Fuistis quidem, sed jam non estis. Referens Apostolus gratias Deo de fide, bonisque operibus illorum, laudat illos, sicut et illos de quibus dicebat : Fuistis *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V). *Obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis*. Obedistis, inquiens, Deo in ea forma doctrinæ, id est in doctrina Christianitatis, in doctrina ecclesiastica, in qua docti sive vocati et assignati estis Deo.

Liberati autem a peccato, id est ab omnibus vitiis et ab omnibus peccatis in baptismo; *servi facti estis justitiæ*, id est omnium virtutum. Sicut nomine pec-

cati intelliguntur omnia vitia, ita nomine justitiæ omnes virtutes.

Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Quid est quod dicit Apostolus : *Humanum dico?* hoc est leve, et ad complendum facile, ac si diceret aliis verbis : Quia carnales adhuc estis, nec potestis propter fragilitatem carnis majora præcepta ferre et implere, idcirco levia præcepta vobis committam. Quid enim tam facile, ut Origenes dicit, quid tam leve quam ut sit homo tam promptus ad justitiam et voluntatem Dei complendam, sicuti et ad mala opera solet esse promptus ubique ? Multo magis siquidem levius potest virtutibus deservire, quam vitiis : et Dei voluntatem adimplere, quam diaboli. Videamus quomodo et dicamus pauca ex pluribus. Est quilibet latro, et quilibet alius justitia propria vivens, non de rapina. Dum latro cruciatur gelu et frigore, et superfluis meditationibus per dies et noctes torquetur, volvens animo et exspectans in agro quomodo furtum perficiat, justus securus epulatur in die de laboribus suis, et quiete noctis cum securitate delectatur, et dormiente isto somno gratissimo, plerumque ille qui gelu frigoris et inedia famis torquetur, occiditur ab his quibus vim inferre moliebatur. Similiter qui adulterium perpetrat, timet supervenire maritum et interfici ab illo, timet etiam vicinos propter famam volantem. Econtra castus et amator proprii connubii cum securitate firma servat castitatem suam : vel etiam secure cum optata quiete amplectitur proprium connubium, quapropter subjungit Apostolus : *Sicut enim exhibuistis,* inquit, id est præparastis, *membra vestra servire immunditiæ*, id est libidini, fornicationi, impudicitiæ, et iniquitati ad iniquitatem, subaudis perpetrandam : *Ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ* omnibusque virtutibus *in sanctificationem,* videlicet ut sancti esse possitis, secundum quod Deus præcipit : *Sancti estote quia et ego sanctus sum* (*Levit.* XI). Per iniquitatem debemus intelligere omnia peccata, quia quidquid contra legem Dei agitur iniquitas nuncupatur. Per justitiam vero omnes virtutes, et est sensus : Sicut vos præparastis antequam ad fidem vocati essetis, ut serviretis omnibus immunditiis omnibusque vitiis, ita nunc in fide jam consistentes præparate membra vestra et omnes sensus corporis vestri, quomodo serviatis omnibus virtutibus.

Cum enim servi essetis peccati liberi fuistis justitiæ, id est alieni fuistis a justitia. Sicut qui servit peccato et diabolo, ejus servus est cujus voluntatem adimplet : sic qui servit justitiæ servus est justitiæ et Dei. Qui enim servit furto et adulterio, servus est furti et adulterii. Sed et hoc sciendum, quia sicut servum esse justitiæ laudabile est, liberum vero esse a justitia non est laudabile : ita servum esse peccati detestandum est, liberum autem a peccato, laudandum.

Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, subaudis immunditiis peccatorum, *in quibus tunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* Romani antequam ad fidem Domini venirent, omnibus vitiis omnibusque turpitudinibus serviebant, quod etiam turpe est dicere, quæ ab Apostolo in hac Epistola jam sunt superius commemorata. Venientes autem ad fidem erubescebant ac verecundabantur, non solum facto, sed etiam in recordatione eorum, unde volens eos confirmare, ne ad illa reverterentur, aiebat : Dicite mihi quem fructum, id est quid boni consecuti estis vel quam remunerationem bonam habuistis in illis immunditiis quas perpetrastis antequam ad fidem veniretis, in quarum recordatione et memoria nunc erubescitis et verecundamini ? Nam finis, id est consummatio illorum peccatorum, mors æterna est. Quando homo in peccatis criminalibus moritur, et terminum vitæ facit, finis peccatorum mors est illi : quia mortem æternam inde accipit. De talibus dicit Propheta : *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel.* I). Jumenta appellantur homines qui irrationabiliter vivunt, sine honestate morum et conversationis. Jumenta quippe putrescere est in stercore, in fetore luxuriæ, et turpitudinibus vitiorum vitam finire.

Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Nunc, inquit, liberati a peccato per passionem Christi, per aquam baptismatis, servi autem facti Deo, qui antea eratis servi diaboli, habetis fructum operum vestrorum in sanctificationem, quia opus vestrum sanctum, sanctificationem vobis procurat : finem vero vitam æternam, id est propter consummationem operum vestrorum habebitis vitam æternam : quæ vobis dabitur pro perseverantia vestra.

Stipendia enim peccati, id est remuneratio peccatorum, *mors*, æterna est. Non tamen de omnibus peccatis intelligendum est, sed de criminalibus peccatis, de quibus dicit Joannes : *Est peccatum ad mortem, non pro hoc dico ut quis roget* (*I Joan.* V). Stipendium dicitur a stipite pendenda, id est a substantia ponderanda. Antiquitus enim potius ponderabatur pecunia quam numerabatur. Unde militibus pro vita regis et libertate patriæ militantibus stipendium, hoc est substantia et remuneratio ex publico ærario conferebatur : et sicut illis remunerationis causa stipendium dabatur, ita militantibus diabolo dabitur mors, sive æterna damnationis pro remuneratione. *Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu.* Quid est quod loquens de remuneratione peccati, stipendium nominavit ipsam remunerationem, et de remuneratione electorum dixit tertiam Dei? Ideo, quia illi qui militant, propriam mercedem accipiunt, quidquid autem electi habent, totum a gratia Dei accipiunt, sive fidem, sive charitatem, seu aliquod bonum opus habeant, et insuper pro gratia ista fidei et bonorum operum gratis accipient a Deo vitam æternam per adjutorium Jesu Christi, sine quo nihil boni habere possumus.

CAPUT VII.

An ignoratis, fratres? id est nunquid ignoratis quæ ego dicturus sum: *scientibus enim legem loquor, quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit.* Comparatio est in hoc loco, et in sequentibus a lege humana tendens ad divinam legem, sive a lege Moysi ad legem Evangelii gentibus Judæisque loquebatur Apostolus habitantibus Romæ, ex quibus Judæi legem divinam sciebant, Romani quoque ab Atheniensibus leges sibi mutaverunt, quorum rex Phoroneus leges humanas composuerat, ideo dixit legem scientibus: De lege loquor, quæ hanc habet consuetudinem ut unicuique homini dominetur quanto tempore ipse homo vivit. Verbi gratia: Romanus quanto tempore vivit, sub dominio Romanæ legis consistit. Gallus et Hispanus similiter, Judæus et Christianus, monachus et canonicus, quanto tempore vivunt, sub dominio legis suæ vivunt.

Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi, id est potestati viri: *si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri*, secundum legem Moysi et Evangelii, necnon secundum leges humanas ista est consuetudo, ut vivente viro, sub ejus potestate sit mulier? mortuo vero illo, solvitur a potestate illius, et potest cui vult nubere. Vel aliter: Si acceperit Gallicus homo uxorem Romanam genere, quandiu vixerit vir ejus, sub ea lege vivet qua vir ejus, et per eam respondebit interrogata in publico: mortuo autem viro, revertetur ad propriam legem, et deinceps non vivet sub lege viri: præterea digna consideratione perpendendum est duos viros in hoc loco spiritualiter ab Apostolo introduci, et unam mulierem. Unus autem vir lex intelligitur Moysi, quæ sicut vir super uxorem, ita illa tenebat Dominum super Israeliticam plebem: alter vero vir accipitur peccatum, quod plerumque dominatur animæ. Mulieris autem nomine, vel specialiter unamquamque animam, vel generaliter totam plebem Israeliticam vult intelligi, quod in sequentibus distincte singulis in locis manifestabitur. Nam cum dicit Apostolus: *Quæ sub viro est mulier,* per virum vult intelligi legem Moysi, per mulierem autem specialiter quamlibet animam, vel generaliter plebem Israeliticam, ut diximus, quæ sub lege Moysi consistebat. Quod vero subjungit, *vivente viro alligata est legi,* per virum hic vult intelligi passiones carnis, id est vitia, quæ quandiu vivunt in homine, alligatus est legi Moysi, quæ dicit: Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur, et est sensus: Anima vel plebs quæ sub viro est, id est sub lege Moysi consistit, vivente viro, id est regnantibus in illa passionibus et delectationibus et vitiis carnis, subjacet legis Moysi vindictæ quæ data est impiis et peccatoribus. Si autem mortuus fuerit vir ejus, id est si mortua fuerint peccata in anima et vitia carnis, soluta est a lege viri, id est non est jam subjecta legi Mosaicæ, quia nihil habet quod ei debeat: lex enim non est posita justis, sed peccatoribus et impiis. Vivit et regnat peccatum in anima quando statim ut pulsat hominem perficit: moritur vero quando mens non obedit ejus suggestioni et delectationi.

Igitur vivente viro vocabitur uxor adultera si fuerit cum alio viro. Hoc simpliciter intelligendum est, et eo modo quo et illud in Evangelio. *Omnis qui dimiserit uxorem, et alteram duxerit, mœchatur, excepta causa fornicationis: et qui dimissam a viro duxerit, mœchatur* (*Matth.* v): et qui dimittit, si alteram accipit, et qui dimissæ copulaverit se, uterque adulterium perpetrat. Potest tamen non convenienter referri ad plebem Israeliticam sicut et superiora. Quandiu lex vixit, id est, quandiu observari debuit a Judæis, si quis Judæorum reliquit illam, et cultum Dei veri, et se copulavit errori gentilium adorando idola, adulter fuit. Unde etiam ipsa plebs meretrix B appellatur, dicente Ezechiele: *Propterea, meretrix, audi verbum Domini* (*Ezech.* XVI). *Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum altero viro.* Ad litteram satis patent: Si autem mortuus fuerit vir ejus, id est, si mortua fuerint peccata et vitia carnis, quæ solent plerumque dominari animæ, liberata est a lege viri, id est Moysi, quæ tandiu dominabatur homini, quandiu peccabat: et non erit adultera, si fuerit cum alio viro, id est cum Christo, et sub Evangelio. Anima enim quæ liberata est a peccatis, Christo debet adhærere.

Itaque, fratres mei et vos mortificati estis legi per corpus Christi. Debuerat dicere, Mortua est lex vobis, sed ne scandalizaret Judæos, quibus ista scribebat, maluit dicere: Mortificati estis legi, quia non C habet quod puniat in vobis. Si enim dixisset: Mortua est lex, contristarentur et scandalizarentur eo quod diceret illam abolitam et mortuam. Illi enim mortificati sunt legi in quibus nihil habet quod puniat. Cum dicit: Per corpus Christi mortificati estis legi, de quo corpore loquitur? Nam corpus Christi est quod assumpsit in utero virginali: corpus Christi est tota Ecclesia fidelium: corpus Christi est, quod consecratur in Ecclesia quotidie. Apparet ergo de illo corpore dixisse Apostolum, quod assumpsit in utero virginali. Per corpus suum ergo Christus nos liberavit a lege, id est, per passionem corporis sui dedit nobis remissionem peccatorum: ut jam non simus subjecti legi, si peccare desistimus: *Ut sitis* D *vos alterius*, id est Christi, *qui ex mortuis resurrexit: ut fructificetis Deo:* Ideo, inquit, redempti estis passione Christi: ideo accepistis remissionem peccatorum, ut jam non sitis subjecti legi, sed Christo, ut fructificetis Deo. Ille fructificat Deo qui animas ei multiplicat, et qui acquirit eas verbo et exemplo et quibuscunque modis.

Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris ut fructificarent morti. Cum enim essemus, inquit, in carne, id est in spe rerum carnalium positi et in concupiscentiis carnalibus, passiones peccatorum, adulterium videlicet, rapina, homicidium, quæ per legem erant cognitæ hominibus, et quæ per legem cogno-

scebantur esse peccata, operabantur in membris nostris vitia et peccata, ut fructificarent morti, hoc est, ut mortem æternam nobis acquirerent. Sicut enim qui servit virtutibus, fructificat vitæ æternæ, quia vitam æternam acquirit : ita qui servit vitiis mortem æternam sibi acquirit. *Stipendium* enim et remuneratio *peccati mors* æterna est (*Rom.* VI).

Nunc autem soluti sumus, per passionem Christi et per baptismum, *a lege mortis*, id est a lege Moysi, quæ mortem inferebat peccatoribus, *in qua destinebamur*, subaudis antequam per Christum solveremur : *ita ut serviamus in novitate spiritus et non in vetustate litteræ*. In vetustate litteræ servit qui circumcisionem et sabbatum carnaliter servat, et qui per carnalem observantiam legis putat se salvari posse. Ille vero servit in novitate spiritus, qui circumcisionem spiritualiter servat, et circumcidit cor suum ab omnibus vitiis, et quiescit a pravo opere, et cætera quæ lex docet spiritualiter intelligit et adimplet.

Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit, ut lex quæ peccata prohibet causa peccati nobis data sit. Judex quidem est peccatorum, et docet quid sit appetendum et quid vitandum, non est tamen operatrix peccati, neque causa mortis est illis qui peccant. Verbi gratia : Sicut medicus qui hominem prohibet abstinere a cibis mortiferis et a succo venenatæ herbæ, si ille comederit aut biberit contra præceptum medici, et mortuus fuerit, non idcirco est medicus causa mortis illius cui prohibuit, sed ipse sibi est causa mortis qui comedit de prohibitis : ita lex quæ prohibebat peccata, dicens : Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur, peccantibus et ea facientibus quæ ipsa prohibebat, non erat causa mortis, sed ipsi qui transgressores existebant, erant sibi causa suæ damnationis. *Sed peccatum non cognovi nisi per legem*, id est, pœnam et vindictam peccati non cognovi, nisi per legem quæ punit peccata, vel etiam quædam mala opera non cognoscebam quia peccatum essent, usquequo lex venit. Erant enim quædam peccata, quæ non putabantur ante legem esse peccata, sicut erat peccatum concupiscentiæ de quo ipse subjungit : *nam concupiscentiam* libidinis, aliarumque malarum rerum *nesciebam*, subaudis peccatum esse, *nisi lex diceret : Non concupisces*. Per concupiscentiam enim intelliguntur et alia quamplura peccata quæ ante legem ignorabantur esse peccata vel qua pœna digna essent.

Occasione autem accepta, peccatum per mandatum legis, operatum est in me omnem concupiscentiam. Ex persona Judæorum loquitur Apostolus pœnitentiam agentium : vel ex persona uniuscujusque hominis pœnitentiam agentis. Nam quando ista loquebatur, gratia baptismatis justificatus erat. Peccati autem nomine in isto loco beatus Ambrosius vult intelligi diabolum, qui est auctor peccati. Videns enim diabolus quia per observantiam legis redditurus esset homo ad veniam, invidit iterum ei, sicut et primo homini : consideransque legem, invenit quo modo per transgressionem ejus posset illum damnare quem antea damnaverat per originale peccatum : et accepta occasione, per transgressionem legis inflammavit illum, non solum ad concupiscentiam libidinis, sed omnium vitiorum, ut per concupiscentiam fieret prævaricator legis. Nam hoc habet proprium per transgressionem humanæ mentis infirmitas, ut difficilius observari possint prohibita. *Sine enim lege* naturali, vel Moysi, *peccatum mortuum erat*, id est latebat, ignorabatur, non apparebat. Antequam lex naturalis et intellectus incipiat vigere in parvulis, aliisque hominibus, licet percutiant patrem et matrem, et maledicant parentibus, non peccant. Postquam autem ad legitimos annos intelligentiæ pervenerint, si aliquid tale fecerint peccant, et vindictam recipiunt. Similiter antequam lex Moysi data esset, erant quædam peccata quæ ignorabantur peccata esse, quæ commissa non tantæ gravitudinis erant : vel etiam si cognoscebantur esse peccata, latebat qua pœna digna essent.

Ego autem vivebam sine lege aliquando. Se ponit pro omnibus, et est sensus : aliquando, id est, antequam legem cognoscerem vivere me arbitrabar recte, cum pene omnibus vitiis deservirem. *Sed cum venisset mandatum* legis Moysi dicens : Si quis hoc vel illud fecerit morte moriatur, *peccatum revixit*. Illud dicitur reviviscere quod jam vixit. Et peccatum in primo quidem homine vixit qui scienter peccavit; et in Cain qui dixit : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear* (*Gen.* IV); sed in filiis ejus mortuum est qui ad tantum pervenerunt errorem ut non putarent esse peccatum quod erat peccatum. Adveniente autem lege Moysi revixit quod cœperat non vivere quando latebat.

Ego autem mortuus sum, id est dignum me morte intellexi : postquam accepi legem et transgressus sum eam : *et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem*. Sensus hujusmodi est : Illud mandatum quod mihi ad hoc datum est, ut observatur et custoditum proficeret ad vitam æternam, neglectum perduxit ad mortem æternam. Et ita factum est ut quod mihi pro bono datum est, meo vitio mutaretur in malum.

Nam peccatum, id est diabolus auctor peccati, *occasione accepta per mandatum* legis, eo modo quo superius diximus, *seduxit me*, et decepit me dulcedine peccati et concupiscentiæ, ut ea implerem a quibus lex prohibet, *et per illud* mandatum, hoc est, per transgressionem mandati, *occidit* me in anima.

Itaque lex quidem sancta et mandatum sanctum, et justum et bonum. Unum mandatum accipe pro omnibus mandatis. Lex sancta, justa et bona est : quia sanctitatem, justitiam, bonitatem prædicat, et observatores suos sanctos, justos et bonos facit.

Quod ergo bonum est mihi factum est mors? id est, mandatum legis quod per se bonum est, si observetur, mihi factum est mors? *Absit*, ut illud sit

mihi causa mortis. Non enim me occidit illud mandatum legis quod per se bonum est, sed ego me occidi, et causa meæ mortis fui transgrediendo illud. *Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum* mandatum legis, *operatum est mihi mortem*. Peccatum in hoc loco intelligitur diabolus secundum beatum Ambrosium, sicut et in superioribus. Non ergo mihi lex mortem operata est, sed diabolus, ut appareret peccatum, id est, inimicus humani generis esse, per transgressionem boni mandati operatus est mihi mortem : quia ad mortem me traxit. Aliter secundum beatum Augustinum : Peccatum quod ante legem latebat, et ignorabatur esse peccatum, ut appareret quid esset, per transgressionem legis duxit me ad mortem : quia majori pœna dignus fui, si peccavi postquam legem cognovi, quia scienter peccavi : *ut fiat supra modum peccatis peccatum per mandatum legis*. Erat ante datam legem Moysi magnum peccatum originale et actuale, quo cognoscebatur transgressio naturalis legis, sed istud peccatum excrevit per prævaricationem scriptæ legis, quæ dicit (*Exod.* XX) : *Non occides*, *non concupisces*, etc. Et cum dicit : Ut fiat supra modum, ostendit quemdam modum et mensuram esse peccati. Unde Dominus dicit ad Abraham (*Gen.* XV) : Necdum completa sunt peccata Amorrhæorum ; et ad Judæos : *Implete mensuram patrum vestrorum* (*Matth.* XXIII). Omnem ergo mensuram peccati quæ erat ante legem, transcendit prævaricatio mandati legis. Et tale est ac si diceret : Ideo diabolus seduxit hominem per dulcedinem peccati, ut fiat per transgressionem mandati supra modum peccans peccatum, id est, deterius et maximum peccatum, velut beatus Hieronymus dicit : peccatum peccatius.

Scimus enim quia lex spiritalis est ; ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Ex persona generis humani loquitur hic Apostolus, et in sequentibus : vel etiam ex persona cujuscunque hominis pœnitentiam agentis, et ex toto corde ad Dominum convertentis. Lex enim Moysi spiritalis est, quia spiritu alia præcepta habet, ea docens quæ ad salutem animæ pertinent vel etiam spiritalis dicitur, quia spiritaliter se vult intelligi a nobis. Ego autem carnalis sum, id est mortalis sum adhuc, ideoque in carnalibus desideriis et concupiscentiis spem pono, venundatus sub peccato. Primus homo, accepta dulcedine vetiti pomi, vendidit semetipsum diabolo in servum, cum liber esset, et omnis qui concupiscentia carnali delectatur : et dulcedine peccati fruitur diabolo et peccato se vendit cui se supponit.

Quod enim operor, *non intelligo*. Personam duorum hominum assumit in his verbis Apostolus, interioris videlicet, id est mentis, et exterioris, id est carnis. Quid operabatur Apostolus ? Concupiscebat contra legis præceptum : quam concupiscentiam non intelligebat, id est, non approbabat, non eligebat, neque perficere optabat. Notandum autem multa hic loqui Apostolum ex persona generis humani de concupiscentia, per quam debemus intelligere universitatem vitiorum, quæ omnia per concupiscentiam explentur. Nullum enim peccatum perficitur sine concupiscentia. Verbi gratia : Qui facit homicidium, concupiscit illum occidere, cui vim infert : sic de cæteris vitiis intelligendum. *Non enim quod volo hoc ago*, *sed quod odi malum illud facio*. Quid volebat Apostolus ? Volebat non concupiscere, et tamen concupiscebat.

Si autem quod nolo illud facio, id est concupisco, *consentio legi quoniam bona est*. Licet concupisceret per fragilitatem carnis, tamen quia mente nolebat concupiscere, concordabat legi dicenti : *Non concupisces*.

Nunc autem, subaudis gratia Dei confortatus, *jam non ego operor illud* desiderium peccati, neque concupisco affectu mentis, *sed quod habitat in me peccatum*, id est mala consuetudo peccandi quam traxi ex Adam, operatur in me concupiscentiam.

Scio enim quia non habitat in me, *hoc est in carne mea*, *bonum*. Cum dicit, non habitat in me, totum posuit pro parte, sicut et Maria in Evangelio : *Tulerunt*, inquiens, *Dominum meum* (*Joan.* XX), id est, corpus Domini mei ; sed subjungens : hoc est in carne mea, exposuit ipse quid esset quod dicit : Non habitat in me aliquod bonum, et separavit affectum mentis a desideriis carnis in qua nihil est boni : quia semper delectatur carnalia opera perficere.

Nam velle adjacet mihi, id est, inest mihi velle, et voluntas est mentis, ut non concupiscam malum quod non velim : *perficere autem bonum non invenio*, quia non possum non concupiscere. Perfectum bonum est non solum non perficere, sed nec concupiscere. *Non enim quod volo bonum hoc facio*, quia nollem concupiscere, et concupisco ; *Sed quod nolo malum hoc ago*, quia concupisco.

Si autem quod nolo illud facio, id est si concupisco et delector in carnalibus desideriis, *jam non ego operor illud* desiderium rationabilitate mentis et intentione, *sed quod habitat in me peccatum*, id est mala consuetudo peccandi.

Invenio igitur legem mihi volenti facere bonum, ut non concupiscam *quoniam mihi malum adjacet*, consuetudo videlicet prava et concupiscentia peccati. Ordo verborum est : mihi volenti facere bonum, invenio legem bonam et utilem, ac si diceret aliis verbis : Quia delectatio carnis et suggestio diaboli impellunt me ad malum, volenti mihi facere bonum invenio legem Moysi quæ præcipit declinare mala et facere bona.

Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, id est secundum rationabilitatem mentis. Lex dicit : Non concupisces, et ego condelector illi, quia nolo concupiscere, ideoque quod illam delectat, delectat et me.

Video autem aliam legem in membris meis, *repugnantem legi mentis meæ*, id est rationabilitati et intentioni mentis, *et captivantem me in lege peccati*, id est, captivare volentem in lege malæ consuetudinis, *quæ est in membris meis*. Legem membrorum

appellat onus pondusque mortalitatis, quia corpus nostrum adhuc mortale trahit nos quotidie ad concupiscentiam malam et consuetudinem pravam. Lex enim membrorum corporis est concupiscere, sicut lex mentis non concupiscere Alio modo, secundum beatum Gregorium : Alia lex quæ est in membris, repugnans legi mentis, intelligitur titillatio carnis, id est promotio ad libidinem : vel certe omnis concupiscentia mala.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Ex persona generis humani loquitur, sicut et superius ; vel ex persona illorum qui recedunt a peccatis, et ex toto corde desiderant Deo servire, sed impugnantur a concupiscentiis carnis et delectationibus corporis ; ideoque desiderant liberari a corpore mortali et corruptibili, per quod trahuntur ad concupiscentiam. Sed non omnes homines liberabuntur ab hoc corpore corruptionis. Reprobi enim licet recipiant corpora immortalia, tamen non ideo liberabuntur a corruptione, quia corruptibilia erunt et poterunt corrumpi a vermibus et igne : ut sicut propriis delectationibus servierunt, et voluptatibus in corpore et anima, ita corpore et anima pœnas æternas luant : electi autem liberabuntur in die judicii ab omni fæce peccati, et mortalitatis, atque corruptionis, quia recipient corpora immortalia et incorruptibilia, in anima quoque incommutabilitatem, nec poterunt ultra concupiscere aut aliquid mali cogitare, sed in Dei omnipotentis contemplatione erunt intenti, et hoc per gratiam Dei Patris et adjutorium Domini nostri Jesu Christi, per quem omnia bona habemus. Aliter : corpus mortis possumus intelligere universitatem vitiorum, sicut jam supra dictum est : unum quodque peccatum per se membrum est, universitatis vero peccatorum corpus appellatur. Quod idcirco corpus mortis dicitur, quia mortem æternam infert. De quo corpore mortis, id est universitate omnium peccatorum, exorabat Apostolus liberari. *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Rationabilitate mentis et intentione servio legi Dei, consentiendo ei, dum volo concupiscentiæ carnali subjacere, carne autem legi peccati, id est consuetudini malæ, quia concupisco. In quantum malignus spiritus suggerit et caro delectat, homo legi peccati servit : in quantum vero contradicit mens his, legi Dei servire contendit.

CAPUT VIII.

Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Hinc datur nobis intelligi, quia se ponit pro omnibus fidelibus. Qui ergo mente serviunt legi Dei, licet concupiscant carne, nihil damnationis est illis, quia non ambulant secundum carnem, id est secundum carnalia desideria non vivunt ; vel certe in illis qui jam de corpore mortis sunt liberati, id est qui ab universitate omnium peccatorum tempore baptismatis per Dei gratiam sunt exuti, et in eadem sanctitate manent, nihil est damnationis ut morti æternæ subjaceant.

Lex enim, spiritus vitæ in Christo Jesu, liberavit me a lege peccati et mortis Legem appellat gratiam Spiritus sancti, qui spiritus vitæ ideo appellatur, quia quoscunque repleverit, vivere facit in virtutibus, et dimittendo peccata perducit ad vitam æternam, Lex enim spiritus vitæ, id est gratia Spiritus sancti, quæ vivificat nos in anima tempore baptismatis, liberavit me a consuetudine peccati, per quam pervenitur ad damnationem mortis æternæ. Aliter : legem in hoc loco gratiam sancti Evangelii possumus accipere, quam per Spiritum sanctum didicimus, ubi nobis vita repromittitur æterna; vel lex spiritus, fides intelligitur quæ Spiritus sancti esse dicitur, quia ab illo et per illum conceditur. *Nemo enim dicit : Dominus Jesus,* nisi in Spiritu sancto (*I Cor.* XII), et fides vita est, quia ad vitam æternam nos ducit.

Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem : Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati. Impossibile erat legi ut hominem justificaret, et mundaret a peccatis, et ut januam patriæ cœlestis aperiret, quod gratia Evangelii per passionem Domini Salvatoris et aquam baptismatis credentibus præstat. Et in hoc erat ei impossibile istud facere, in quo infirmabatur per carnem, hoc est per carnales observantias, et per observationem carnalem illorum qui carnaliter ea intelligebant, atque carnaliter vivebant. Impossibile enim erat sanguine hircorum mundari peccata, quia lex non venit tollere peccata, sed ostendere In hoc infirma erat, quia neque hominem se carnaliter observantem, neque ea destruentem quæ ipsa præcipiebat, justificare poterat, ideoque infirmabatur per carnem, quia a nullo mortalium secundum carnem impleri poterat. Unde beatus Petrus dicit : *Quid tentatis Deum, imponere jugum legis super cervices fratrum quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus ?* (*Act.* XV). Vel in hoc infirmabatur per carnem, qua propter concupiscentias carnis neminem justificabat. Sicut enim medicus in ea parte est infirmus in qua non potest cæco lumen reddere, aliisque infirmis sanitatem præbere, ita lex in ea parte erat infirma, in qua non poterat hominem mundare a criminalibus peccatis, sed Deus Pater mittens Filium suum ad salvandum genus humanum, quæ missio nihil aliud est quam illius incarnatio, quod lex non poterat conferre contulit ipse. Quare autem dicit : in similitudinem carnis peccati illum missum, cum in veritate credendum sit eum verum corpus assumpsisse ex carne et ossibus ? Corpus nostrum et caro nostra caro peccati est, quia libitudinoso usu procreatur ; ideoque cum peccato concipitur, cum peccato originali nascitur : et in hoc sæculo sine peccato non potest conversari. Corpus vero Christi non libitudinoso usu maris et feminæ est procreatum, sed opere Spiritus sancti de semine mulieris sine semine virili ; ideoque sine peccato con-

ceptus, sine peccato est natus, et sine peccato ab hoc mundo transivit : et in hoc fuit caro illius in similitudinem carnis peccati : quia veram carnem habuit sed sine peccato, quod nos non habemus. *Et de peccato damnavit peccatum in carne.* Licet difficilis videatur iste versiculus, sensus tamen iste est : peccatum appellat Apostolus in hoc loco carnem Christi, non quia peccati maculam habuerit, sed quia pro peccatoribus oblata est, sicut idem Apostolus alias dicit : Eum, id est Christum, Deus Pater pro nobis peccatum fecit (*II Cor.* v), id est hostiam pro peccatis. Sic enim hostia appellabatur pro peccato in Veteri Testamento (*Lev.* I), maxime in septuaginta interpretibus, ubi dicitur : Posuit manum suam super caput peccati, id est super caput hostiæ quæ offerebatur pro peccato. De peccato damnavit peccatum in carne sua, id est de carne sua, quæ fuit hostia pro peccato, damnavit peccatum humani generis, non peccando per carnem. Dupliciter enim damnavit, sive occidit et mortificavit peccatum generis humani, vel quia non peccavit in carne sua, vel etiam mortificando illud in cruce. Tale est hoc quasi quis de barbaris victoriam sumat de barbaris, et de Gothis vincat Gothos.

Ut justificatio legis impleretur in nobis. Id est, ut per passionem ejus redempti, et per baptismum ab omnibus peccatis liberati, per Spiritum quoque sanctum roborati, opera legis spiritualiter implere possemus, per cujus impletionem possumus justificari. *Qui non secundum carnem ambulamus*, id est secundum carnalia desideria vivimus, *sed secundum Spiritum sanctum*, hoc est secundum quod Spiritus sanctus docet et præcipit : vel certe idcirco damnavit Deus hostia factus pro peccato peccatum generis humani, seu diabolum, qui est auctor peccati, ut justitia quam lex præfigurabat in sacrificiis suis, in agno scilicet, ariete, columba, et turture, compleretur in nobis per Christum in ejus passione, quem illa significabant.

Qui enim secundum carnem sunt, id est qui carnaliter vivunt, et carnalibus delectationibus fruuntur, *quæ carnis sunt sapiunt*, hoc est carnalia et temporalia solummodo requirunt, non curantes de spiritalibus : *qui vero secundum spiritum vivunt*, id est secundum quod ipse docet et ejus voluntas est vivunt : *quæ sunt spiritus sentiunt*, id est spiritalia sectantur, gaudia patriæ cœlestis quærentes. Aliter : homo ex duabus substantiis consistit, ex carne videlicet et anima. Si actus carnis superaverint affectum mentis, carnalia et temporalia tunc homo requirit : si vero affectus spiritus sive mentis superaverit actus carnis, tunc spiritalia sectatur.

Nam prudentia carnis mors est. Prudentia vero carnis sive carnalis est malum pro malo reddere, carnalia desideria sectari, quæ si quis impleverit, mortem æternam sibi acquirit. Philosophi definierunt prudentiam esse bona temporalia appetere, et mala temporalia cavere ; quæ prudentia, quia carnalis est, idcirco generat mortem æternam, quoniam dum bona præsentis vitæ omni aviditate desiderantur, et adversa pro Christi nomine desiderantur, bona æternæ vitæ pro nihilo habentur. *Prudentia autem spiritus, vita, et pax* : prudentia spiritus, id est rationabilitas mentis : est malum pro malo non reddere ; amicos in Deo et inimicos propter Deum diligere ; orare pro persequentibus et calumniantibus, juxta quod Evangelium præcipit : cuncta temporalia ac transitoria spernere ; gaudia patriæ cœlestis toto nisu mentis appetere. Prudentia enim mentis in præsenti pacem habet, non reddendo malum pro malo, et in futuro vitam æternam meretur.

Quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Quod superius dixit prudentiam carnis, modo appellat sapientiam carnis. Sapientia autem carnalis hominis et mundana est in rebus caducis spem ponere, et ea operari quæ superius diximus. *Legi enim Dei*, id est legi Evangelii, quæ dicit : Malum pro malo non reddas, *non est subjecta* sapientia carnalis. Quare ? quia *non potest* ; et quare non potest ? quia non vult, timens amittere bona temporalia. Dum enim malum pro malo reddunt, odientes invicem, Evangelio contrarii existunt, quod inimicos præcipit diligi.

Qui autem in carne sunt, id est qui secundum carnalia desideria vivunt, et in spe carnalium bonorum sunt positi, *Deo placere non possunt* ; subaudis quandiu in talibus manent.

Vos autem, o Romani, *in carne non estis*, id est in carnalibus desideriis ; quia jam mortificastis membra vestra cum vitiis et concupiscentiis ; *sed in spiritu* estis, id est in spiritalibus rebus, et spiritualia quæritis : *si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*, hoc est, si Spiritus sanctus habitat in vobis, tunc utique spiritaliter vivitis. *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Spiritus sanctus communis spiritus est Patris et Filii. Quomodo potest cognosci si Spiritus sanctus habitat in nobis per operationem bonam et veram, quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Quicunque Christi opera imitatur, ut oret pro persequentibus et calumniantibus, utique spiritum ejus habet in se habitantem, id est Spiritum sanctum, qui est titulus possessionis ejus, quia quemcunque repleverit ad corpus Christi facit pertinere : qui vero Christum non imitatur, nec spiritum ejus habet, non pertinet ad Patrem illius.

Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est, id est mortale et moriturum, *propter peccatum* Adæ, et propter actualia postmodum commissa : *spiritus vero*, id est anima, *vivit* apud Deum per fidem *propter justificationem* fidei et baptismatis. Per anticipationem dicit corpus mortuum esse, pro eo quod debuit dicere, mortale et corruptibile. Hoc autem sciendum est, quia non propter terrenam fragilitatem corpus nostrum mortale est, sed propter peccatum.

Quod si spiritus ejus, id est Patris, *qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, habitat in vobis*, per fidem, per charitatem, per spem, sicut dicitur per Prophetam : Inhabitabo in illis ; *qui suscitavit Jesum*

Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra in die judicii, ut ultra non sint mortalia, *propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*, in quo invenerit Deus Pater in præsenti sæculo habitantem Spiritum sanctum : utique potentia Divinitatis, qua Christum suscitavit, suscitabit et illum in die judicii ad gloriam, dans ei immortalitatem et incorruptibilitatem in corpore, et incommutabilitatem in anima. Passio etenim Christi a morte animæ liberavit nos in præsenti sæculo, sed mors corporis usque ad generalem resurrectionem omnibus æqualiter eveniet.

Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Debitor est qui alicui aliquid debet. Non idcirco creati sumus ab omnipotente Deo ut secundum carnem, id est secundum desideria carnis vivamus, quia non sumus carni debitores, sed Deo, ut spiritualiter conversemus, cuncta transitoria et caduca pro nihilo dicentes, et Deo debitum nostrum reddentes. Quid ergo accepimus ab illo ut ei debitores essemus? Quidquid boni habemus. Cum enim non essemus, ab illo de nihilo conditi sumus et cum nostro vitio perditi essemus, ab ipso redempti sumus, donante nobis pariter bona temporalia, et promittente æterna. Et quomodo possumus ei debitum reddere? Serviendo voluntati illius, obtemperando mandatis ejus, et quidquid boni habemus, non nostris meritis, sed illius gratiæ imputando.

Si enim secundum carnem vixeretis, id est, si carnales concupiscentias et delectationes secundum appetitum carnalium desideriorum opere impleveritis, *moriemini* morte æterna. Quid est secundum carnem vivere? Carnalia opera exercere, adulterium videlicet, homicidium, furtum, et cætera talia. *Si autem spiritu*, id est gratia sancti Spiritus, *facta carnis mortificaveritis, vivetis* vita æterna. Videamus primum quæ sint opera vel facta carnis, ex aliis verbis Apostoli : Manifesta autem sunt opera carnis ; quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria et cætera talia quæ sequuntur. Et quid dicit de fructu et operibus Spiritus sancti? *Fructus*, inquiens, *Spiritus est charitas, gaudium, pax* (*Gal.* v), et cætera talia. Quomodo ergo possumus mortificare per gratiam sancti Spiritus opera carnis? Hoc modo; verbi gratia : vivit in nobis et regnat superbia, accipientes a sancto Spiritu humilitatem, simus humiles, et sic mortificabimus superbiam ; vivit in nobis libido, accipientes a Spiritu sancto castitatem, simus casti, et sic poterimus mortificare libidinem. Si, inquit, secundum Deum vivendo voluptates carnis et desideria carnalia exstinxeritis, beati eritis in vita æterna. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur*, id est reguntur et ducuntur ad domum, *hi filii Dei sunt*, non per naturam, sed per adoptionem.

Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus : Abba (*Pater*). Judæi quibus ista scribebat Apostolus acceperant a patribus suis spiritum servitutis in timore, id est legem a Spiritu sancto dictatam et scriptam, quæ eos cogebat per timorem ad observantiam sui, minans et dicens : Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur. Ipse etiam Spiritus sanctus, quem illi acceperunt quando data est lex, cogebat eos ut legem observarent. Et quia tunc acceperant isti a patribus suis Spiritum sanctum et legem, ideo dicit Apostolus : Non accepistis iterum spiritum servitutis, qui vos cogat per timorem ad servitium omnipotentis Dei, sed accepistis gratiam Evangelii, ubi non cogitur aliquis venire ad fidem Christi timore. Accepistis quoque spiritum adoptionis sive electionis filiorum Dei, qui vos in partem Dei vocavit ad libertatem, ut jam non sitis servientes Deo timore servili, sed amore ac timore filiationis, quod servit bonus filius patri, timens eum offendere. Quod vero subdit, in quo Spiritu sancto clamamus : Abba (Pater) tale est, ac si diceret : Per quem Spiritum sanctum edocti et illuminati clamamus : Abba (Pater) ; nisi enim Spiritum sanctum tempore baptismatis accepissemus, nequaquam auderemus Deum omnipotentem factorem nostrum Patrem clamare, dicentes in oratione Dominica : *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* vi). Nemo enim paganorum hoc præsumit dicere. Abba Syrum est et Hebræum ; Pater, Græcum et Latinum. Prævidens ergo Apostolus utrosque populos ad fidem colligendos, posuit duo nomina sub una significatione, ut illi qui credunt ex Hebræis et Syris dicant : Abba, miserere nostri ; qui ex Græcis aliisque omnibus gentibus credunt, dicant : Pater. Tale quid in Evangelio Marci habetur, dicens, Domino : Abba *(Pater), si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* xxvi).

Ipse enim Spiritus sanctus *testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Si quando opera bona agimus Deo servientes, Spiritus sanctus, qui habitat in nobis, perhibet nobis testimonium in corde per occultam inspirationem sine strepitu vocis, quia filii Dei sumus effecti in baptismate, non per naturam, sed per adoptionem, et quia, talia faciendo, perseverabimus in ejus filiatione.

Si autem filii, et hæredes. Servus non meretur accipere hæreditatem, filius accipit : et nos, si filii Dei sumus, hæreditatem merebimur accipere. Hoc quoque considerandum, quia hæreditas in morte patris confirmatur secundum humanas leges. Quam ergo hæreditatem poterit Deus Pater dare nobis, qui non potest mori? Seipsum utique dabit, ut sicut est immortalis et incorruptibilis, ita et nos simus immortales, et incorruptibiles, atque incommutabiles, thesauri quoque sapientiæ et scientiæ divinitatis suæ. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Hæredes Dei Patris erimus, ut diximus ; sed consideremus quomodo simus hæredes Christi. Hæredes igitur Christi jam ex parte sumus, quia pergens ad passionem, reliquit nobis possessionem pacis ecclesiasticæ, inquiens : *Pacem relinquo vobis, pacem meam de vobis* (*Joan.* xiv). Quid plura dicam? Omnia quæ ipse in præsenti sæculo, sive in prædicatione, sive in miraculis operatus est, omnia nobis reliquit ad creden-

dum et tenendum. Evangelii quoque Testamentum, quæ omnia in morte sua confirmavit. Cohæredes etiam ejus erimus post generalem resurrectionem, quando erimus immortales, incorruptibilesque in corpore, atque incommutabiles in anima, sicut et ipse, In gloria quoque similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, velut Joannes dicit: *Charissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus, scimus autem quia, cum apparuerit, similes ei erimus* (*I Joan.* III). Et ipse Dominus ad Patrem (*Joan.* XII): Pater, volo ut ubi sum ego, ibi sit et minister meus. Sicut enim Christus habitat in dextera Patris, id est in magnitudine paternæ majestatis, ita erimus et nos ei cohæredes, quia fulgebimus sicut ipse fulsit in monte; et non solum in gloria erimus ei cohæredes, sed etiam in potestate, sicut ipse dixit apostolis: *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Quid plura dicam? Quicunque filius Dei efficitur et hæres, quæcunque Dei sunt, utique et ipse merebitur accipere. Ista enim omnia cum securitate exspectare possumus, si fecerimus quod sequitur: *si tamen compatimur*, subaudis Christo, *ut glorificemur cum illo*. Quod est dicere: tunc merebimur cohæredes Christi esse in gloria, si talia patimur pro amore nominis ejus, necessitate ingruente, qualia ipse pro nobis pertulit, imitantes ejus passionem et dilectionem; juxta quod Petrus dicit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* (*I Petr.* II).

Existimo enim quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Si quilibet hominum omnia præcepta Veteris et Novi Testamenti potuisset implere, et omnia genera tormentorum despicere, carceres videlicet, aculeos, ungulas, ustulationes, lapidationes, crucifixiones, frixiones in sartagine per multa curricula temporum, nequaquam esset dignus gloria futura quam percepturi sunt electi. Quærit aliquis, quare? Ideo utique quia ista temporalia sunt, illa æterna. Quæ erit illa gloria? quia fulgebunt electi sicut sol in regno Patris sui, et erunt, sicut angeli Dei, cernentes præsentissimum Dei vultum; juxta quod Joannes dicit: *Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III).

Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Creaturam in hoc loco appellat hominem, qui merito creatura appellatur, quia vitio suo imaginem amisit et similitudinem omnipotentis Dei, quam habebat in anima. Ista ergo creatura, id est omnis homo fidelis, manifestationem filiorum Dei exspectat, ut appareat quod promissum est, quando ipsa re manifestabitur qui sint filii Dei, quod modo tenemus in spe: Ecclesia si quidem in præsenti permista est bonis et malis, omnesque Christum clamant, et non apparet qui sint filii Dei futuri in re. Cum autem Christus venerit ad judicium, et separaverit agnos ab

A hædis, dicens justis: *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXV), tunc revelabitur qui sint filii Dei in re. Quod autem dicit. Exspectatio creaturæ sive exspectatio nostra revelationem filiorum Dei exspectat, sic videntur hæc verba sonare, quasi aliud sit creatura, atque aliud Filius Dei, cum unum sit. Sic denique soliti sunt homines dicere, videntes in præsentia sui multos colores per diversa vasa ordinatos; exspectatio vel expressio istorum colorum manifestationem imaginis exspectat, cum non sit aliud imago, et aliud colores.

Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe. In hoc loco et etiam subsequentibus, ubi dicit Apostolus quod omnis creatura ingemiscit, reprehendit beatus Augu-

B stinus acutissime Origenem, quare in hoc nomine quod est creatura, comprehenderit non solum bestias, sed etiam solem, cæteraque sidera et angelos pariter cum homine, dicens omnia vanitati subjecta esse, et, quod majus est, ingemiscere in suo cursu et operatione. Sed, licet omnis creatura quæ potest mutari in melius aut deterius, sicut sancti angeli quondam potuerunt, licet modo non possint illi qui Deo adhærent, aut qui potest a lætitia in tristitiam converti, ut homo vel cæteræ omnium rerum creaturæ, comparatione omnipotentis Dei qui semper idem est, vanitas sint, sicut dicit Ecclesiastes, *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccl* I): tamen non ideo omnis ingemiscit, sicut angeli Deo adhærentes, quia jam immutabiles sunt effecti, sicut

C Ezechieli (*Ezech.* I) monstratum est in crystallo quod erat super capita animalium, et sicut illa quæ irrationabilis est, vel anima caret. Quapropter creaturæ nomine debemus intelligere hominem qui cum omnibus creaturis quamdam communionem habet, quia omnis creatura in tria dividitur: aut enim est corporalis, quæ potest moveri et volvi per loca; aut est animalis, quæ anima vivificatur; aut est spiritualis, ut angeli qui ratione utuntur. Homo ergo in hoc quod corpus habet conjungitur corporalibus creaturis per animam, anima vegetantibus, per rationem qua discernit inter bonum et malum, spiritalibus. Quod beatus Gregorius aliis verbis, sed eodem sensu ita exponit dicens: Habet homo, inquit, esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire et

D vivere cum animalibus; intelligere, id est rationabilitatem habere, cum angelis. Creatura enim, id est omnis homo vivens in carne, vanitati, id est mutabilitati, mortalitati, corruptioni subditus est, non volens, quia sponte quidem peccavit in paradiso, sed non sponte neque volens subjectus est mortalitati et pœnæ. Verbi gratia: sicut latro qui sponte committit furtum, sed non sponte suspenditur, et licet ipse nollet, tamen subjectus est vanitati propter eum, id est propter justum omnipotentis Dei judicium, qui subjecit eum in spe liberationis et veniæ. Nam in hoc ostenditur Deus omnipotens esse justus, quia ejus peccatum non dimisit impunitum, et in hoc prædicatur esse misericors, quia non statim illum

penitus damnavit et occidit, sed reservavit ad pœnitentiam, dans ei veniæ spem et liberationis, regressionisque in gradum pristinum ut exspectet illud quod in sequentibus dicitur.

Quia et ipsa creatura, id est quilibet homo electus, *liberabitur* in die judicii, *a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Homo in præsenti sæculo sub servitute corruptionis et mortalitatis est positus, quia subjacet mutabilitati et vitiis ; liberabitur autem in die judicii ab omni fæce mortalitatis et peccati, quando mortale corpus acceperit immortalitatem, et corruptibile hoc incorruptionem, et transibit in libertatem gloriæ filiorum Dei, quia erit similis Christo in gloria, et in libertatem filiationis adoptivæ, de qua ait Dominus Judæis. *Si vos Filius liberaverit, vere liberi estis* (*Joan.* VIII). Potest etiam differentia esse in hoc loco inter Creatorem et creaturam; nam paulo superius ubi dixit : Exspectatio creaturæ filiorum Dei revelationem exspectat, fideles tantummodo possunt intelligi, qui jam credebant, hic vero ubi dicit : Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, infideles intelligi possunt, qui necdum temporibus apostolorum crediderant, prædestinati tamen erant ad vitam, unde et postea crediderunt.

Scimus enim quod omnis creatura, id est omnis homo, *ingemiscit et parturit usque adhuc.* In hoc loco, ut dicit beatus Augustinus, non est Origenes sequendus, neque sequaces ejus qui omnem creaturam rationabilem et irrationabilem, corporalem et incorporalem comprehendunt. Non enim omnis creatura ingemiscit, ut illi volunt ; sed homo, qui cum omni creatura quamdam communionem habet, eo modo quo paulo superius dixit : Omnis, inquit, creatura, id est omnis homo ingemiscit, affligitur, tristatur in dolore, in fame et siti, in frigore et nuditate, in carceribus et parturit ; sive (quod melius habetur in Græco) dolet in multis angustiis usque adhuc, id est usque ad diem judicii ; et quandiu dicitur adhuc vel quandiu dicitur hodie, semper subjacebit creatura humana angustiis et doloribus : illi autem qui jam regnant cum Deo, et quotidie transeunt ad requiem sempiternam, postquam ab hujus sæculi ærumnis liberantur, non ingemiscunt.

Non solum autem illa, subaudis creatura, id est, non solum credentes et non credentes ingemiscunt et dolent in præsenti vita, *sed et nosipsi*, subaudis apostoli, qui perfectionis fidei sumus, *primitias spiritus habentes*, dolemus, et ipsi intra nos gemimus in corde et mente, sustinentes carceres, penuriam, egestates, multasque angustias et afflictiones. Bene et convenienter dicit : Non solum alii ingemiscunt, sed et nos ipsi apostoli primitias Spiritus sancti habentes, quia sicut illos primos elegit Deus, ita primi accipere meruerunt Spiritum sanctum in die resurrectionis, quando dixit eis : Accipite Spiritum sanctum (*Joan.* XX). Die quoque Pentecostes, quando in linguis igneis venit super eos Spiritus sanctus ; vel etiam primitias Spiritus dixit, id est majora dona

A Spiritus sancti acceperunt in prædicatione, ut omnium gentium linguis loquerentur, in miraculis quoque quibus præ omnibus mortalibus abundantes gloriosi exstiterunt. Legitur enim in Actibus apostolorum quod ponebant infirmos et mortuos in plateis, ut veniente Petro saltem umbra illius veniret super illos et sanarentur. Beatum quoque Andream legimus uno die triginta et eo amplius mortuos suscitasse. Primitiæ siquidem appellantur optima quæque et chariora, sicut in lege habetur : Offeres primitias auri et argenti tui Domino, id est optima et chariora. Re enim vera ita dignum erat, ut per quorum ministerium doctrina evangelica, et fides Dominica per quadrifidum orbem diffamanda erat, majora dona Spiritus sancti acciperent. Aliter : Non solum, inquit, alii

B ingemiscunt, sed etiam nos qui primitias spiritus nostri, id est qui rationabilitatem et devotionem mentis nostræ Deo jam habemus oblatas in holocaustum : quod igne dilectionis Dei et proximi ardet, de quo igne Dominus ait : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* (*Luc.* XII.) Nunquid primitias mentis suæ idem Apostolus non habebat Deo oblatas, qui dicebat : *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* VII). Apostolus etenim rationabilitate mentis et intentione serviebat legi Dei, consentiendo ei in hoc quia nolebat concupiscentiæ carnali subjacere : carne autem legi peccati, id est consuetudini malæ qua concupiscebat. *Exspectantes adoptionem filiorum Dei, redemptionem corporis nostri.* Quæstio oritur in hoc loco : cum

C Apostolus in superioribus locis hujus Epistolæ dicat: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei ;* et alibi : *Christus nos redemit de maledicto legis* (*Galat.* III), quare modo dixerit exspectare nos adoptionem, sive electionem filiorum Dei, et redemptionem corporis nostri, id est totius Ecclesiæ, quæ est corpus Christi ? Quæstio hæc in sequentibus solvitur, ubi dicit Apostolus :

Spe enim salvi facti sumus. In spe quidem jam filii Dei sumus omnes credentes, et redempti passione Christi ; sed adhuc exspectamus ut quod modo sumus et tenemus in spe, quandoque simus et possideamus in re. Omnes quidem credentes fidem habemus quod simus filii Dei, et simus redempti sanguine passionis ejus, sed non proderit aliis passio ejus, nisi

D electis qui et filii Dei erunt sicut Joannes dicit : *Charissimi, filii Dei sumus modo in spe, et nondum apparuit quid erimus in re* (*I Joan.* III). *Scimus* autem quia, *cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*Ibid.*). Spe enim salvi facti sumus : sicuti fides est credere ea quæ non videmus, ita spes est exspectatio futurorum bonorum. Per passionem enim Christi redempti sumus in spe, per baptismum autem accipimus remissionem peccatorum, et filii Dei sumus in spe, non in re, quia necdum apparet quales futuri sumus. *Spes autem quæ videtur non est spes,* quasi diceret : Illa res quæ videtur non est spes ; *nam quod videt quis, quid sperat?* Illud quod videmus non speramus. Verbi gratia : vi-

deo te in præsentia mea stare, non te spero venturum. A

Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus, id est, non deficimus. Inter spem et rem media est patientia, quia per patientiam qua sancti sustinent adversa hujus sæculi, non quærentes in præsenti mercedem, sperant se pervenire ad gloriam æternam.

Similiter et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Id est, sicut spes et patientia adjuvant et sustinent infirmitatem mentis nostræ, ita et Spiritus sanctus. Infirmitas autem animæ est plerumque illa petere quæ nobis non conveniunt, sicut sequentia manifestant : *nam quid oremus sicut oportet nescimus*. Plerumque dum volumus bona nobis petere, contraria et adversa petimus : si nobis illa concederentur, sic- B ut beatus Paulus contraria sibi petebat, quando petebat ferri a se spiritum tentationis et infirmitatem. Si enim exaudiretur, forsitan revelationum magnitudine se extolleret, et caderet in lapsum. Sic etiam plerumque positi in prosperitate, petimus illam nobis conservari, quæ si semper nobis maneret, forsitan amore sui implicaret animum nostrum. Similiter, quando sumus positi in infirmitate, causa probationis aut emendationis imploramus liberari : quæ si a nobis tolleretur, fortasse ad peccata pristina reverteremur aut remissius in bono opere laboraremus. Ideoque nescimus orare sicut oportet, nisi Spiritu sancto docente, *sed ipse Spiritus* sanctus *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Dicit beatus Ambrosius, quia si quando fideles aliquid petunt contra C salutem suam per ignorantiam, non per jactantiam, Spiritus sanctus, qui unius substantiæ est cum Patre et Filio, interponit se in medio inter nos et Deum Patrem, et postulat pro nobis quæ utilia sunt, non cum impulsu aeris, neque cum sonitu, vel strepitu vocis, sed inenarrabiliter, sicut convenit ejus divinitati, quæ æqualis et consubstantialis est Deo Patri ; et plerumque ea quæ nos petimus nobis contraria, ipse mutat in melius, non dando quod petimus. Postulare etiam dicitur pro nobis, secundum alios doctores, ac gemere, quia quoscunque gratia sua replet, postulantes facit et gementes pro suis reatibus et aliorum : vel quia differuntur a regno ; qui gemitus bene inenarrabiles dicuntur, quia nemo potest enarrare quantæ compunctiones in cordibus fidelium sint, vel D quanta remuneratione digni sunt coram Deo.

Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis. Deus Pater cum Filio suo, qui omnia arcana cordium et secretorum, non solum hominum, sed et angelorum penetrat scit quid desideret Spiritus sanctus, habitans in cordibus fidelium suorum, quia unius scientiæ sunt, vel quid nos desiderare faciat. Postulat quoque secundum Deum pro sanctis, quoniam ea facit nos postulare quæ et Deo placeant et nobis utilia sint, ita ut dicamus positi in oratione : Deus æterne, qui absconditorum et futurorum es cognitor, sicut scis nobis necessarium esse et sicut tibi placet, miserere nostri. Deo ergo loquitur sine strepitu vocis cum nobis tacere videtur, quia et videt cum non videatur, et hæc petit quæ scit Deo Patri placere et nobis prodesse : unius enim voluntatis est ipse et Pater.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Illi qui diligunt Deum, qui mandata ejus custodiunt et servant, sicut Dominus dicit : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (*Joan.* XIV) ; hoc dicit quia diligentes Deum, et mandata ejus servantes, et qui secundum propositum sive prædestinationem omnipotentis Dei ad hoc vocati sunt, ut sancte vivendo sancti sint : si quando aliquid inepte atque imperite contra suam utilitatem petunt, sicut et Paulus et filii Zebedæi, Deus omnipotens cooperatur illis in bonum aut non dando quod petunt, aut etiam mutando aliud pro ipso quod petunt ; neque imputat illis in peccatum, sed ea tribuit quæ danda sunt Deum amantibus. Bene autem dicit *cooperantur*, quia operantur illi qui petunt, cooperatur Deus omnipotens, implendo quæ ad salutem illorum pertinent.

Nam quos præscivit, sabaudis esse credituros, et in sua fide permansuros, illos *et prædestinavit*, sive præfinivit et ordinavit *conformes fieri imaginis Filii sui*, id est similes fieri in gloria humanitatis Filii sui, qui reformavit corpus humilitatis nostræ, ut idem Apostolus alibi dicit : *Configuratum corpori claritatis suæ* (*Philip.* III). Licet enim in potentia divinitatis non simus æquales illi, tamen in gloria, et in immortalitate, et incorruptione *erimus similes ei, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III) : vel certe ad hoc prædestinavit eos conformes fieri imaginis Filii sui, ut sicut Christus *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* XXII), ita et illi qui fratres volunt existere Domini Jesu Christi, non habeant voluntatem peccandi. *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Omnis unigenitus potest dici primogenitus, non tamen omnis primogenitus dici potest unigenitus. Quicunque enim primus aperit vulvam matris nascendo, nec habet alios fratres sequaces, et primogenitus est, et unigenitus : qui vero primus egreditur ab utero materno et habet postmodum fratres sequentes, solummodo primogenitus est. Filius autem Dei, Redemptor videlicet humani generis, si digna consideratione perpendimus, tam secundum divinitatem, quam secundum humanitatem, et unigenitus prædicandus est et primogenitus. Unigenitus quidem est secundum divinitatem, quia in natura divinitatis non habet alios fratres; primogenitus vero est, quia ante omnem creaturam non factus, sed genitus est, sicut per Salomonem dicit : *Ego* sapientia *ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam* (*Eccl.* XXIV). Secundum humanitatem autem unigenitus quidem potest dici beatæ Mariæ, et primogenitus in multis fratribus adoptivis, quia ipse primus surrexit a mortuis, primus ascendit ad cœlos. Isti sunt fratres, de quibus ipse dixit ad Mariam : *Vade ad fratres meos, et dic eis* (*Joan.* XX). Fratres

enim illius dicuntur omnes fideles in hoc, quia homo fieri dignatus est. Sed is qui frater noster est secundum carnem, ipse Dominus Deus noster est secundum divinitatem.

Quos autem prædestinavit, sive præfinivit secum regnaturos in æterna beatitudine, *hos et vocavit* per se et per apostolos suos. Vocat quoque modo usque ad finem judicii, *et quos vocavit* per gratiam suam ut permanerent in gloria secum, *hos et justificavit* per passionem suam, per baptismum et fidem exornatam bonis operibus, et justificabit usque ad finem sæculi. *Quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Præterito tempore utitur. Apostolus in hoc loco pro futuro, in hoc quod dicit *glorificavit*, morem sacræ Scripturæ tenens, quæ sic solet narrare futura quasi præterita. Illos enim quos vocavit, et justificavit in præsenti sæculo, hos glorificavit in die judicii : sicut idem Apostolus alias dicit : *Cum Christus apparuerit, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria* (*Colos.* III).

Quid ergo dicemus ad hæc ? subaudis quæ modo diximus de vocatione, justificatione, et glorificatione, id est quam gratiarum actionem reddemus illi, qui gratis nullisque meritis præcedentibus antequam essemus nos, prædestinavit regnaturos secum, ac postea vocavit et justificavit, ad ultimum etiam et glorificabit. Tale est et illud Psalmistæ : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* (*Psal.* CXV) ? Potest et intelligi : Quid prædestinationi Dei contradicere possumus, si omnes non prædestinamur adhuc ut regnemus cum illo ? *Si Deus pro nobis*, subaudis est, vel pugnat qui prædestinat, justificat et glorificat, *quis contra nos* valet pugnare ? Nullus : neque diabolus, neque Nero, sive quilibet persecutor.

Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, id est a morte non servavit, *sed pro nobis omnibus* prædestinatis ad vitam æternam *tradidit illum*. Et ipse Pater tradidit Filium, quia tradi permisit, multisque modis est ipse Filius traditus. Hoc verbum quod est parcere aliquando significat dimittere, ut illud in Virgilio : *Parce metu, Cytherea*, id est dimitte metum; aliquando significat servare, sicut hic, qui proprio Filio suo non pepercit : unde apes parcæ vocantur, id est servatrices, quia servant sua mella. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?* Hoc maxime ad apostolos refertur, quibus ait Veritas : *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super duodecim sedes* (*Matth.* XIX): potest referri et ad omnes prædestinatos, qui in capite suo Christo omnia possident, quæ ipse possidet. Cum enim omnis creatura longe incomparabiliter distet a Filio Dei, *per quem facta sunt omnia* (*Joan.* I), si Deus Pater in tantum nos dilexit, ut pro nobis traderet illum, utique poterit in nobis ista implere.

Quis accusabit adversus electos Dei? id est: quis sumet accusationem adversus electos Dei ? Diabolus accusat electos Dei, sicut accusavit beatum Job, sed meritum auxit, non minuit, quia vir justus, ejus adversa patienter sustinuit. Notandum autem quia hæc sententia secundum beatum Augustinum per interrogationem et percontationem legi debet ; et sicut ipse dicit percontationi multa possunt responderi, interrogationi autem aut affirmative debet responderi etiam aut negative : non pronuntiabitur ergo ita ut post percontentionem qua dicimus, *quis accusabit adversus electos Dei ?* illud quod sequitur, *Deus qui justificat*, enuntietur sono interrogantis, ut tacite respondeatur, Non. Similiter illud quod sequitur, *quis est qui condemnet?* percontando legendum est, ut subinferatur interrogando *Christus Jesus qui mortuus est, imo qui et resurrexit*, et subintelligatur tacite, non. Et est sensus : Nunquid Christus, qui mortuus est pro nobis et resurrexit, ut nobis vitam donaret, condemnabit nos ? Non utique, sed salvabit. Hoc vero quod sequitur, *quis est ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis*, non jam interrogando, sed potius affirmando pronuntiandum est. *Quis est ad dexteram Dei*, id est in plenitudine et magnitudine paternæ majestatis, *qui etiam interpellat pro nobis* Deum Patrem non voce, sed miseratione, dum quotidie hominem quem assumpsit, et gravissimum genus mortis quod pro nobis sustinuit, vultui paterno offert, ut nostri misereatur.

Quis ergo nos separabit a charitate Christi? Ad superiora pertinet, ubi ait : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, quia omne quod in præsenti est, comparatione futuræ gloriæ momentaneum est : ideoque alloquitur Romanos ne deficerent in tribulationibus: Videte Petrum, considerate Paulum ; ante potuit Nero illos occidere quam a charitate Christi sejungere : Stephanus lapidibus obrutis, Laurentius ustulatus, non potuerunt a Christo separari quoniam ita erant mente Deo copulati, ut insensibiles essent ad omnia toleranda tormenta. Nunquid nos separabit *tribulatio, an angustia?* Angustia dicitur omnis necessitas, omnisque indigentia : *persecutio* autem est vis mali. Nam persequi est aperte vim inferre. *Periculum ?* Periculum in multis rebus et in insidiis accipitur. *Gladius?* Gladius vero potest significare quælibet genera suppliciorum. *Fames et nuditas ?* Non poterant eos separare, quia habebant panem verum Christum, qui eos spiritualiter pascebat et vestiebat, sicut alibi Apostolus ait : *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III).

Quia propter te mortificamur tota die. Vox martyrum ad Christum. *Tota die* dicit, id est omni tempore quandiu vivimus: *quia qui perseveraverit usque in finem*, coronabitur (*Matth.* X). Non enim sufficit uno die pro Christo tribulationem pati, sed omni tempore si necesse fuerit. *Æstimati sumus sicut oves occisionis* quæ occiduntur sine reluctatione. Sicut oves non reluctantur cum ad mortem ducuntur, ita et nos non reluctemur, dum occisioni paramur.

Sed in his omnibus tribulationibus tormentis que positi *superamus* et vincimus *propter eum qui dilexit nos*, id est propter Christum qui nos dilexit usque ad

mortem, quia pro nobis est mortuus, et qui nobis dixit : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* x).

Certus enim sum quia neque mors, quæ injungitur corpori, poterit nos separare a charitate Christi. Non dixit opinor, sed certus sum ; *neque vita*, subaudis præsens quæ in longinquum abnegationibus Christi promittitur, et est sensus : Si minatus fuerit mihi Nero mortem omnibus crudeliorem, aut vitam in præsenti sæculo omnibus feliciorem, non poterit me separare a fide Christi sed neque alios coapostolos meos ; *neque angeli*, subaudis maligni, qui transfigurant se in angelos lucis ; vel secundum illud : *Si angelus de cælo evangelizet vobis præter quod nos evangelizamus, anathema sit* (*Gal.* I). Et est sensus : Etsi angelus de cœlo vellet me separare a charitate Christi, quod fieri non potest, non posset me separare. *Neque principatus*, id est contrariæ potestates dæmonum, quæ aliis principantur, de quibus ipse dicit in Epistola ad Ephesios (*cap.* VI) : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum. Neque virtutes*, contrariæ dæmonum, quæ sub ipsis principibus consistunt. *Neque instantia*, id est præsentia bona quæ promittuntur credentibus, vel mala quæ minantur. *Neque futura*, subaudis bona vel mala istius sæculi. *Neque fortitudo*, id est diabolus princeps dæmonum de quo dicitur : Cum fortis armatus custodit atrium suum (*Luc.* XI). *Neque altitudo*, id est astrologia. *Neque profundum*, id est necromantia, quæ inferiora inferni scrutatur, per quæ duo multi avertebantur a fide. Et est sensus : Etiamsi omnes astrologi et mathematici, hoc est astrorum conspectores, qui se fatentur rationem siderum penetrare et cursus venerint contra nos ; vel etiam illi qui per necromantiam, id est mortuorum resuscitationem, animas ab inferis revocant, sicut mulier illa pythonissa revocavit animam Samuelis, nequaquam poterunt nos separare a charitate Christi ; *neque creatura alia*, id est si aliqua creatura est sursum, aut deorsum, præter istas quas dixi, nec ipsa *poterit nos separare* in aliam partem. Vel secundum Gregorium, alia creatura intelligitur hic homo qui se potest a charitate Dei separare male vivendo. Et est sensus : Neque alia creatura quam nos ipsi *poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu* ; nos tum possumus nos separare ab ea male vivendo. Mentes enim sanctorum ita sunt Deo, qui summus spiritus est, per charitatem conjunctæ, ut inter illas et Deum nulla creatura sit media : quia qui adhæret Deo unus spiritus est.

CAPUT IX.

Veritatem dico in Christo Jesu, id est per Christum, *non mentior*. Necessitate cogente sæpe jurabat Apostolus, non agens contra Domini præceptum, et quia dicturus erat rem pene incredibilem, ideo juravit necessitate cogente. Nam inter Romanos qui

A crediderant erant Judæi credentes, quibus ista scribebat : et quia erant qui dicerent Paulum, non diligere gentem suam, eo quod evangelizaret gentibus, juramento obligat asserens se diligere et amare gentem suam, unde et subjungit : *Testimonium perhibente mihi conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo.* Non dicit modica et parva tristitia mihi est, aut temporaneus dolor subito accidens, subitoque recedens, sed testatur magnam tristitiam et assiduum dolorem sibi inesse pro fratribus suis, qui Filium Dei ad se missum, non solum noluerunt suscipere, sed insuper declamaverunt eum dignum morte, dicentes ad Pilatum : *Crucifige, crucifige eum* (*Luc.* XXIX), reus est mortis. Quod dicit *in Spiritu sancto*, vel per Spiritum B sanctum, jurat sicut per Christum, id est Spiritum sanctum qui erat in mente illius, testem adhibet conscientiæ suæ, ipsa conscientia testimonium sibi perhibente, quod nimium doleret de perditione fratrum suorum.

Optabam enim, pro eo quod opto, *ego anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ*, id est de progenie Israel. Unde venit tam subita mutatio in animo Apostoli ut optaret anathema esse a Christo, quod in plerisque locis pro separatione ponitur, cum paulo superius dixerit nullo modo se posse a charitate Christi separari ? Considerandum est quia anathema varias habet significationes : ponitur enim pro separatione, sicut in edicto Justiniani imperatoris dici- C tur, et ubi ait idem Apostolus : *Si angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod nos evangelizamus vobis, anathema sit* (*Gal.* I), id est a Deo separatus. Ponitur et pro maledictione, ut in Canonibus habetur sæpissime : *Si quis hoc vel illud fecerit, anathema sit*, id est maledictus. Ponitur pro occisione corporali, ut hic, quod tale est ac diceret : Optabam ego interfici a Christo corpore, et hoc est quod dicit secundum carnem. Poterat aliquis dicere : O beate Apostole, quare optabas interfici secundum carnem? Ad hoc subintulit ipse : Ut fratres mei, *qui sunt cognati mei secundum carnem*, salvi fierent, et viverent mente Deo. Dicendo vero, *qui sunt cognati mei secundum carnem*, ostendit non esse illos sibi cogna- D tos integritate fidei, et devotione mentis. Imitatus est autem Apostolus in hoc loco charitatem et factum Moysi legislatoris ; cui cum dixisset Dominus : *Descende, peccavit populus tuus, et dimitte me ut deleam eos, et faciam te in gentem magnam* (*Exod.* XXXII), ait, nimia charitate ductus : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo* (*Ibid.*). Vidensque Dominus ejus charitatem erga populum, ait : *Non delebo te de libro meo, sed dimisi juxta verbum tuum* (*Num.* XIV). Ita et Apostolus volens magis Christo placere, hoc loquebatur charitate cogente de occisione corporis sui, cum nullo modo optaret mentis affectu separari a Christo.

Quorum adoptio et filiorum, id est electio illorum, electio filiorum est, quia ex ipsis adoptati sunt filii,

et ipse populus vocabatur Filius Dei. Unde dicitur ad Pharaonem : *Filius meus progenitus Israel* (*Exod.* IV), et per Isaiam : *Filius genui et exaltavi* (*Isa*, I), *gloria* erat illis, quod de omnibus gentibus in peculiarem Dei plebem sunt electi. Illis etiam est *Testamentum* Vetus datum : vel (sicut quidam codices habent) Testamenta, Vetus scilicet et Novum, si voluerint credere, Testamentum enim Novum datum est illis,ut a servitute legis transirent ad libertatem gratiæ Christi. *Et legislatio*, id est datio ad eos pertinet, quia lex per Moysen eis data est. *Et obsequium*, cultus videlicet divinis religionis,qui est illis traditus.Promissa quoque Christo et de redemptione ipsorum : et vita æterna illis data sunt, ut quidquid promissum est patribus, compleretur in filiis.

Quorum patres, subaudis fuerunt Abraham, Isaac et Jacob, *ex quibus* patribus,vel Judæis *est Christus* natus *secundum carnem*,non secundum divinitatem, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*.Christus,Deus et homo est : et secundnm quod homo est, ex ipsis carnem assumpsit; et inter omnia fuit : secundum quod Deus est, a Deo Patre ante sæcula genitus, est supra omnia potentia Divinitatis. Notandum autem, quia cum esset locutus de abjectione parentum suorum, non murmurando, neque reprehendendo judicium Dei talia prosecutus est,sed potius benedixit illum, pro certo sciens justo judicio cuncta ab illo moderari ac disponi, unde et subdit:

Non autem quod exciderit verbum Dei ; et est sensus : Quamvis multitudo Judæorum parentum meorum infidelitatis errore remansisset, nolens in Christum credere,non tamen ideo dico quod evanuerit, aut annullata sit promissio Dei, quæ facta est ad Abraham, quod *in semine* ejus *benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XII), quoniam in illis est adimpleta qui crediderunt, tam ex Judæis qui ex gentibus,et qui adhuc credituri sunt.*Non enim omnes qui ex Israel sunt hi sunt Israelitæ*, Jacob et Israel nomina unius hominis fuerunt. Non autem omnes qui ex stirpe illius descenderunt, omnes viri Israelitæ sunt, id est videntes Deum mente, quia mente et fide Deum non cernunt. Itaque Israel in spiritalem et carnalem dividitur. Judæi credentes, filii sunt Israel et Abrahæ secundum carnem,et secundum fidem non credentes vero : etsi sunt carne filii Israel, sed non tamen Spiritu. Gentiles autem, licet carne non sint filii Israel, tamen fide et mente sunt filii Israel et Abrahæ, quia Deum mente contemplantur.

Neque qui semen sunt Abrahæ omnes filii, sed de solo Isaac dictum est : *In Isaac vocabitur tibi semen*. Ismael quidem ex semine Abrahæ fuit,et tamen non computatur ejus filius esse. Et sicut non omnes filii Abrahæ secundum carnem,ejus dicuntur filii,sed semen ejus in Isaac stabilitur: ita modo non omnes qui ex ejus stirpe per Isaac descenderunt, ejus filii reputantur, sed qui habent fidem ejus, et credunt in Christum, de quo prædictum est : *In semine*

A *tuo benedicentur omnes gentes, id est non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine*.Licet Judæi in infidelitate permanentes, filii sunt Abrahæ per naturam carnis,quia de prosapia illius descenderunt,tamen non sunt ideo filii Dei,quoniam degeneres sunt a fide et operibus Abrahæ, neque pertinet ad eos aliquid ex dono benedictionis spiritalis,quæ facta est ad Abraham de Christo et multitudine credentium. Gentiles vero qui sunt filii promissionis,reputantur in semine Abrahæ, id est in Christo,quoniam fidem et opera Abrahæ imitantur. Promissionis autem filii appellantur gentiles, propter promissionem scilicet quæ facta est de eis ad Abraham,cui dicitur: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*.In figura igi-
B tur gentilis populi præcessit Isaac. Quapropter licet non credant omnes Judæi,tamen verum est quod promissum est Abrahæ: *In Isaac vocabitur tibi semen*, id est in his qui tibi promittuntur filii futuri : sicut promissum est Isaac : ponitque exemplum.

Promissionis, inquit, *verbum hoc est. Secundum tempus hoc veniam :* per angelum scilicet veniam,id est apparebo. *Et erit Saræ filius*. Igitur sicut Isaac per promissionem qua dicitur : *in Isaac vocabitur tibi semen*,sic gentilis populus sectando fidem et vestigia Abrahæ, per promissionem quæ facta est ad illum, benedictionis gratiam consequi meretur.

Non solum autem illi, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. Ordo verborum
C est pariterque sensuum : Non solum illi duo filii Abrahæ Isaac et Ismael figuram tenuerunt duorum populorum, fidelium et infidelium, verumetiam Rebecca typum credentium et reproborum gessit in duobus filiis suis, Jacob et Esau,habens illos ex uno concubitu patris nostri Isaac. Nec vacat quod ait : *Ex uno concubitu*. Ne forte enim dicere posset Jacob : Quando me genuit pater meus, boni animi et bonæ voluntatis erat, quando vero fratrem meum Esau genuit, malæ voluntatis erat, ideoque bonitas ejus per semen illius diffusa est in me, malitia autem in fratrem meum.Aut etiam, ne aliquis hominum ita dicere posset, ait Apostolus, ex uno concubitu genitos esse illos duos : ostendens ex vocantis dono unum dilectum, alterum ex justo judicio odio habitum.Nam omnes ab Adæ descendentes pro-
D sapia filii nascuntur peccati, ideoque damnatione digni. Si qui vero liberantur, bonitas et gratia Dei est, et non eorum retributio meritorum.

Cum nati nondum fuissent, illi duo Jacob et Esau, *aut aliquid egissent boni aut mali, ut secundum electionem* operum illorum *propositum* seu præordinatio *Dei maneret non ex operibus* illorum quæ nulla erant, *sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori*.*Ex vocante*, dicit,id est ex dono omnipotentis Dei qui illos vocavit, dictum est Rebeccæ, quod Esau major natu servitutis obsequium minori esset redditurus (*Gen.* XXV), hoc est Jacob. Et ita evenit. Nam sicut in libris Regum legitur temporibus David et Salomonis aliorumque regum

servivit Israeli usque ad illud tempus, quando (sicut in eodem volumine legitur) præparavit se Edom ne esset sub Juda, quod utique prædictum ei fuerat ab Isaac patre suo. *Veniet*, inquit, *tempus cum excuties jugum illius de cervice tua* (*Gen.* XXVII). Quis hominum potest enarrare quare Deus omnipotens elegerit Jacob antequam nasceretur, et reprobaverit Esau cum nec ille nec iste bonum aliquid vel malum poterat implere, nisi quia in isto, id est in Jacob, gratiam suam et misericordiam exhibuit, et in Esau justum judicium suum implevit. Nam cum Rebecca jam haberet conceptum in utero, et iret ut Dominum consuleret, aut per Melchisedech sacerdotem Dei summi, aut per alium quemlibet, per quem Deus tunc temporis responsa dabat, dictum est ei ex vocante Deo : *Duo filii in utero tuo sunt et duo populi, majorque serviet minori* ; ergo sicut non fuit propositum Deo : et prædestinatio secundum electionem boni meriti Jacob, ita et electio gentium non fuit secundum electionem meritorum, sed secundum gratiam et prædestinationem Dei. Quapropter quare Jacob sine operibus bonis electus sit, Esau vero abs malis operibus odio habitus, soli Deo notum est qui omnia novit antequam fiant : cujus judicia semper justa sunt.

Sicut scriptum est in Malachia propheta : Jacob dilexi, Esau odio habui. Cum dicit Scriptura : Nihil odisti eorum quæ fecisti : et quia vidit Deus cuncta quæ fecit, et erant valde bona, quæstio oritur quare dicitur odio habere Esau. Quæ ita solvitur, quia non odit naturam quam fecit : sed peccatum et vitium quod non fecit. Jacob autem dilexit sua misericordia gratuita. Esau odio habuit justo judicio : et cum ambo originali peccato maculati essent, quod unum dilexit : ejus misericordia fuit, quod vero reprobavit alterum, justum judicium ejus exstitit.

Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Subaudis quia Jacob per misericordiam suam dilexit, et Esau justo suo judicio reprobavit, et qui unum diligit, alterum odit. *Absit ut ipse iniquus dicatur.*

Moysi enim dicit : Miserebor cui misereor, et misericordiam præstabo, cui miserebor. Ordo iste est : Cujus misereor, vocando eum ad fidem meam miserebor, fidem meam illi dando ut credat in me, et cujus fuero misertus, ut credat in me misericordiam præstabo illi, ut juste vivat, et misericors sit, perseveretque in bonis operibus pro quibus præmium accipiat.

Igitur non volentis, subaudis est voluntas, *neque currentis* cursus, *sed miserentis est Dei* misericordia ut det homini bonum velle, facere, perseverare. Non sufficit sola bona voluntas hominis, nisi etiam perveniat cum misericordia Dei ad hoc, ut det illi bonum velle, et bonum idipsum perficere, juxta quod Psalmista dicit : *Misericordia ejus præveniet me, et misericordia ejus subsequetur me* (*Psalm.* LXIII). Sed hic fortasse quærit aliquis : Ut quid remunerantur electi, vel quid præmii merentur, si et voluntas bona, et perfectio operis a Deo eis datur? Cui respondendum est idcirco electos dignos esse remuneratione, quia statim ut sentiunt se a Dei gratia præveniri, totis nisibus laborant voluntati illius obsecundando obedire.

Dicit enim Scriptura Pharaoni. Non Scriptura per se loquitur, sed alius per eam, sicut hic loquitur Deus : *Quia in hoc ipsum excitavit te*, id est duritiam cordis tui propter hoc aliis manifestavi, *ut ostendam in te virtutem meam*, sive potentiam, *ut annuntietur nomen meum*, id est divinitatis meæ, *in universa terra*. Ita modo sit. In universa enim, terra, et per quadrifidum orbem annuntiatur nomen divinitatis ejus, quia pene ubique liber Exodus recitatur : Antequam excitaretur Pharao decem plagis a Deo quasi dormiebat, et excitatus cujus malitiæ esset cor ejus hominibus ignorantibus manifestatum est, unde dicit Dominus : Excitavi te pulsando decem plagis, id est manifestavi malitiam cordis tui, quæ me non latebat : unde excitatus ait : *Deum ignoro, et Israel non dimittam* (*Exod.* V). Et quia pro sua malitia ignorabat Deum, *induravit Deus cor illius* (*Exod.* XIV), id est non emollivit, meritis ejus hoc exigentibus. Sed quærit aliquis quare perdiderit Deus aut Pharaonem cum exercitu suo, aut Sodomitas, aut eos qui in diluvio perierunt? Cui respondendum est, quia eorum malitia jam erat consummata excedens modum peccandi : et ideo justo Dei judicio erat punienda. Sic unusquisque peccator divinitus punitur modo, fine peccatorum completo : de quo ait Dominus ad Abraham : Non sunt completa peccata Amorrhæorum (*Gen.* XV), et ad Judæos : *Implete mensuram patrum vestrorum* (*Matth.* XXII). Verum, quia Deus manifestavit malitiam Pharaonis, cor illius non emolliendo, non in Deum reflectitur, qui malum non operatur, sed ipsi Pharaoni malum suum quod fecit, proprie deputatur. Verbi gratia, sicut si fuerint duo vasa, unum balsamo plenum, aliud stercore, si quis ea agitaverit vel ventilaverit, non est auctor odoris vel fetoris, sic Deus qui tetigit suis plagis Pharaonem, non est auctor malitiæ ejus. Ob duas causas autem percussus est Pharao cum suo exercitu, et in mari submersus, videlicet ut eorum malitia puniretur quæ erat multiplicata, et Israeliticis terror incuteretur, quo timerent peccare, ne similia paterentur, scientes iniquitatem a Deo damnari. Dicit enim : *ut ostendam in te virtutem meam*, scilicet per signa et supplicia, et ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ubique enim Deus magnus prædicatur, qui Pharaonem cum curribus et equitibus suis submersit in mare.

Ergo subaudis, si volentis non est voluntas : neque currentis cursus, sed miserentis Dei est misericordia : *cujus vult miseretur*, sicut Israelitis, quos eripuit non eorum meritis, sed respectu suæ pietatis. Neque enim Israelitæ in Ægypto aliquod bonum fecerant pro quo liberari meruerint, *et quem vult indurat*, id est indurari permittit, et in duritia sua

deserit, sicut Pharaonem et exercitum ejus. Hoc quod Deus misericordia sua plagas suspendebat in Pharaone, indurabat cor ejus.

Dicis itaque mihi : *Quid adhuc quæritur?* id est quid adhuc causatur humana fragilitas, quod Deus *cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Voluntati enim ejus quid resistit?* Quod quorumdam miseretur, bonitas et gratia ejus est, quod quosdam damnat, justum suum judicium ostendit, quia omnes sumus filii iræ, antequam renascamur ex aqua et Spiritu sancto (*Joan.* III).

O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Hominem vocat humana tantummodo sapientem et Dei judicium reprehendere nitentem. *Nunquid dicit figmentum,* id est vas et luto fictum, *ei qui se finxit. Quid me fecisti sic?* id est quid me fecisti sic in hanc parvitatem, vel ad hoc vile ministerium?

Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, quo ministretur cibus vel potus qui transeat in usus regis; *aliud vero in contumeliam?* id est, in vile officium, videlicet ad opus coquinæ, ubi coquuntur carnes. Sic omnipotens Deus figulus humani generis, ex massa peccati et perditionis, id est ex massa humani generis habet potestatem aliud vas in honorem facere, id est unum ad hoc creare, ut ipse honoretur in illo, et honoret eum vocando ad fidem suam, et salvando ad vitam ; aliud vero in contumeliam, id est reprobos, propter nequitiam suam justo judicio perdere. Ex corrupta enim massa, omnia corrupta sunt vasa. Si autem ingenio artis suæ figulus quædam ex illis excoquendo per ignem a vitio massæ purificaverit, nunquid in his magnificari non potest? Quod autem quædam impurificata dimittit, non redarguendus est quia in sua potestate subsistit. Sua enim est massa.

Quod si Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum ; subaudis, tu quis es qui respondeas Deo? Volens Deus ostendere iram, id est vindictam suam in Pharaonem et Ægyptios, in Sodomitas et diluvio perditos, et notam facere potentiam suam liberando Hebræos, sustinuit in multa patientia vasa iræ, id est Ægyptios per plagas exspectando ad pœnitentiam, quas non pariter effudit. Apta enim in interitum appellat Ægyptios, qui se præparaverant atque aptaverant æternæ perditioni male vivendo. Ad hæc poterat aliquis Apostolo objicere : Ut quid perdidit illos, et salvabit Judæos? Cui ille obviat respondendo, dicens :

Ut ostenderet divitias gloriæ suæ, quibus glorificetur, *in vasa misericordiæ*, id est Hebræos, *quos præparavit in gloriam* suam, ut in eis glorificetur et laudetur, qui eripiens illos de Ægypto, inimicis eorum interfectis, mare Rubrum transduxit, et repromissionis terram tradidit.

Quos et vocavit, id est quos vocavit ad fidem suam, sicut et nos apostolos aliosque credentes ex eadem plebe. Vocavit quoque illos de Ægypto gratia misericordiæ suæ ; vocavit et nos de sæculo maligno, id est vasa misericordiæ suæ. Omnes homines post prævaricationem Adæ peccatores nascuntur, et damnatione digni, atque secundum meritum suum debuerant omnes perire. Quod vero pauci salvari merentur, qui de vasis iræ in vasa misericordiæ transferuntur, ideo fit ut misericordia appareat auctoris in his qui a morte æterna liberantur, et quod plures sunt qui pereunt remanendo in vasis iræ, peccatis præpedientibus, indicium est merito omnes debuisse perire, ac per hoc justum judicium secundum merita manet in eis. Verum quia Judæi excludebant gentiles a fide Christi, dicentes eos non posse salvari, subdit Apostolus : *non solum ex Judæis*, vocavit ad fidem suam, *sed etiam ex gentibus.*

Sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, id est gentes, *plebem meam*, ut sint plebs mea : hoc secundum beatum Hieronymum, secundum beatum Augustinum vero potest et de Judæis intelligi qui facti sunt non plebs Dei, quando recesserunt a Deo, et respuerunt Christum dicentes : *Nescimus unde sit* (*Joan.* IX). Sicut habemus in psalmo : *Filii alieni mentiti sunt mihi* (*Psal.* XVII). Qui postmodum facti sunt plebs Christi, quando una die crediderunt tria millia, altera die quinque millia, et deinceps multa millia (*Act.* II), *et non misericordiam consecutam*, in infidelitate manendo, *misericordiam consecutam*, effectam fidelem.

Et erit in loco, ubi dictum est eis : Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi. Gentibus infidelitate depressis, dicebatur eis a Deo per prophetas, quod non essent plebs ejus : quoniam licet per conditionem creatura Dei essent, non erant tamen plebs ejus per gratiam. Postquam autem ad fidem venerunt in loco, id est in toto mundo, ubi dicebatur eis antequam in Deum crederent : Non plebs mea vos, ibi modo vocantur filii Dei vivi, non per naturam, sed per adoptionem. *Quotquot autem*, ait Evangelista, crediderunt *in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I). Et bene dicit, Dei vivi, ad distinctionem mortuorum deorum, quos ipsi antea colebant. Potest intelligi similiter et de Judæis, quo apertum est.

Isaias autem clamat pro Israel, id est causa Israelis, *si fuerit numerus filiorum Israel, tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Sicut hominibus incognitus est arenæ maris numerus, ita et præ multitudine sui, innumerabilis factus est populus Israeliticus. Quibus sic multiplicatis, et oneribus peccatorum prægravatis, reliquiæ salvæ tantum factæ sunt, id est apostoli et cæteri qui crediderunt ex eis.

Verbum enim consummans, id est perficiens, et perfectionem continens, *et abbrevians in æquitate : quia verbum breviatum faciet Dominus super terram.* Tribus modis intelligitur verbum perficiens omnia, et abbreviatum in veritate, verbum breviatum est, de quo dicit Dominus : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut teipsum* (*Deut.* VI). In

his duobus mandatis, tota lex pendet et prophetæ. Vel verbum breviatum potest intelligi symbolum apostolorum ubi fides continetur, quæ per diversa volumina prædicatur, seu quatuor libri Evangelii comparatione legis et prophetarum. Verbum breviatum potest dici et perfectionem continens.

Et sicut prædixit Isaias : Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, apostolis scilicet, qui seminati sunt per universum orbem, missi a Christo, et fructum multiplicaverunt credentium animarum, *quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes facti essemus*. Nisi apostoli qui exstiterunt semen totius messis credentium, seminati a Domino per universum orbem, credidissent in illum, sicut Sodomitæ et Gomorrithæ uno perierunt interitu et momento (*Gen.* XIV), ita omnes Judæi uno tempore infidelitatis peccato perditi fuissent. Apostolorum enim doctrinæ multi postmodum crediderunt ex Judæis qui perissent, nisi apostolicum semen mansisset. Aliter Ambrosius hoc semen intelligit Christum qui nisi a Patre servatus fuisset perissent Judæi, perissent apostoli qui relicto eo fugerunt, perissemus et nos.

Quid ergo dicemus ? Hoc dicemus, *quod gentes quæ non sectabantur justitiam*, legis circumcisionem videlicet, otium sabbati, victimas legales, *apprehenderunt justitiam*, fidei Evangelicæ ; unde subdit : *justitiam autem*, dico apprehendisse gentes, *quæ ex fide est* : quia fides Christi justificat credentes : dum in ea baptizantur, et fructus justitiæ ac fidei operantur, vel certe, justitiam, possumus hic alio modo intelligere Christum, qui factus est nobis justitia et redemptio a Deo Patre, sicut Apostolus alias ait (*Ephes.* I), quia per illum justificat Deus Pater omnipotens omnes in se credentes. Hanc justitiam apprehenderunt gentes, non loco ei appropinquando, sed fide credendo, quoniam fide acceditur ad eam : unde et appellatur justitia ex fide.

Israel vero sectando legem justitiæ, id est, observantiam legalem per quam se justificari posse putabat sine fide Christi, *in legem justitiæ*, id est in legem Evangelii ubi justificatur homo per fidem Christi, *non pervenit*. Legem autem justitiæ non immerito dicimus observantiam designare legis Moysi, quia qui suo tempore eam custodiebant justi putabantur : sicut et e contra non custodientes velut injusti damnabantur.

Quare ? Subaudis non pervenit Israel in legem justitiæ, *quia non est ex fide* Christi voluit salvari, *sed quasi ex operibus* legis : *offenderunt enim in lapidem offensionis*, id est in Christum nolentes in eum credere, sed dixerunt : *Non habemus regem nisi Cæsarem ; crucifige* (*Joan.* XIX) istum. Qui lapis bene appellatur, propter firmitatem fidei. Et sicut est lapis salutis et firmamenti illis qui crediderunt in eum, ita est lapis offensionis his qui eum respuunt.

Sicut scriptum est in Isaia : *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali*. Quod ita est ac si diceret : Ecce mittam in populum Judæorum A Christum, qui idcirco lapis offensionis vocatur, quia mox ut natus est, offenderunt in eum Herodes et Judæi, necantes pro eo parvulos (*Matth.* XIV) : deinde (sicut Evangelium narrat) scandalizabantur in eo : et multi discipulorum, ejus audientes verbum, scandalizati sunt, et jam non ambulabant cum illo, et insuper in passione ejus discipuli relicto eo fugerunt (*Matth.* XXVI) : *omnis qui credit in eum*, id est in Christum, qui unius essentiæ est cum Patre et Spiritu sancto, et præcepta illius custodierit, *non confundetur*, id est non erubescet in sententia qua damnabuntur reprobi et infideles, audientes ab illo : *Ite, maledicti, in ignem æternum*, sed potius lætabitur, audiens ab illo cum electis cæteris : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis pa-* B *ratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV). Et quia poterat aliquis objicere Apostolo quare non oras pro incredulis tuæ gentis, vel etiam ne superbirent gentiles et despicerent Judæos, subdit Apostolus.

CAPUT X.

Fratres, qui mecum in Christum creditis, *voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad* Deum, *fit pro illis in salutem*, pro Judæis scilicet incredulis, ut salventur : ubi demonstrat, quoniam si ex operibus legis quis potuisset justificari, et pro illis mereretur ad fidem Christi pervenire, omnes illi vocati essent et salvati, gentiles autem qui legem ignorabant, a salute fuissent alieni. Salus ergo gratis a Deo datur, et non ab homine meretur, id est fides Christi C qua salvamur.

Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem quidem Dei, id est zelum amoris Dei, *habent*, sicut et ergo ante conversionem habebam, *sed non secundum scientiam* Dei. Stultum est enim legem per servum datam venerari, et Evangelium quod datum est per Dominum persequi. Stultum est etiam Patrem confiteri, et Filium negare. In hoc siquidem Judæi scientiam Dei non habebant, quia ita volebant adhærere legi per servum datæ, ut gratiam respuerent Evangelii a Domino datam, et persequendo Filium, Deo Patri se placere putarent. Hoc autem dicitur de illis qui ignorantia tenebantur, de quibus Veritas ait : *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo* (*Joan.* XVI). Sic et Petrus D ait : *Scio* (inquit), *fratres, quia per ignorantiam fecistis* malum hoc (*Act.* III). Dum enim multi Judæorum apostolos Christi persequerentur, arbitrabantur se per hoc placere Deo. At contra multi scientes negaverunt Christum, sicut Scribæ et Pharisæi.

Ignorantes enim Dei justitiam, non qua ipse justus est essentialiter, sed Christum cujus fide justificamur cum bonis operibus, *et* justitiam *suam volentes statuere*, legem scilicet, per quam se putabant posse justificari sine gratia Christi, *justitiæ Dei non sunt subjecti*. Nolentes se subdere fidei Christi et Evangelio ejus. Etenim quia legis operibus nemo perfecte justificabatur, misit Deus Filium suum qui præcepta justitiæ, quæ Evangelia vocantur nobis tra-

didit, et in ipso perfectionem justitiæ nobis exhibuit, cujus fidei gratia perfectionem consequi mereremur. Et quia Judæi justitiam suam quæsierunt statuere, id est legis justitiam sibi putaverunt sufficere, justitiæ Dei, id est Christo et fidei illius atque Evangelicæ doctrinæ noluerunt colla submittere.

Finis enim Legis, Christus est, ad justitiam omni credenti. Est finis qui pro consumptione accipitur, sicut tunc, quando dicimus : Finita est cœna, id est consumpta est ; etiam quandoque pro consummatione et perfectione, sicut tunc quando dicimus : Finita est tela, hoc est perfecta et consummata. Secundum hunc sensum dicitur Christus finis esse legis, non consumptio, sed completio et consummatio legis et Prophetarum, ad justitiam omni credenti. Completio legis et prophetarum ipse est, quia omnia quæ Lex et prophetæ verbis et mysteriis de ipso prædixerant, per semetipsum complevit. Unde pendens in cruce, ait : *Consummatum est* (*Joan.* XIX). Quod qui credit et confitetur justificatur, si tamen opera digna fide fecerit. Hoc autem distat inter officium et finem. Quod officium est ipsa res quæ agitur ; finis vero, ipsum propter quod agitur. Officium, lex et prophetæ, finis Christus, propter quem omnia illa præcesserunt.

Moyses enim ille *scripsit, quoniam justitiam quæ ex lege est qui fecerit homo, vivet in ea :* subaudis justitia. Vel, sicut quidam codices habent : vivet in eis, subaudis mandatis et præceptis. Legem posuit pro operibus Legis, id est circumcisione, otio sabbati, cæterisque legalibus operibus. Justitia quæ ex lege est, vivere hominem in se faciebat, quia non interficiebatur. Præmium ergo illius justitiæ nihil aliud erat quam vita præsens quæ non tollebatur. Vivet in ea dicit, id est mortem præsentem evadet : Si quis vero spiritualiter ea quæ lex præcipit impleverit, licet in præsenti tempore non remuneretur, in futuro tamen remunerationis causa vitam æternam, id est præsentissimum omnipotentis Dei vultum accipiet.

Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit. Justitiam hic appellat Christum, qui per passionem suam et fidem, justificat in se credentes. Ista justitia Christus, qui est Verbum Dei Patris, sic dicit in Deuteronomio per Moysen, quia ipse loquebatur per ora prophetarum. *Ne dixeris in corde tuo quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere, aut quis descendet in abyssum ? hoc est Christum ex mortuis revocare.* Hæc verba sunt partim Moysi, partim Apostoli. Quando Moyses dedit Judæis legem, dixit eis : Ne dixeris in corde tuo, id est ne fingas in mente tua, quis ibit in cœlum, ut inde mihi afferat Dei mandatum ? Aut quis descendet in abyssum, ut inde mihi afferat illud mandatum? Non est necesse ut hoc taliter quæras, quia :

Prope est verbum, id est mandatum legis. *In ore tuo et in corde tuo*, et in præsentia tua scriptum vel etiam ipse Deus in corde tuo et in ore docebit te. Verum quia Moyses propheta exstitit, et multa de futuro prædixit, Paulus apostolus verba ejus ad Christum retulit, afferens illum hoc dixisse per Moysen, qui est justitia vera. Quibus verbis instruit nos, ne dicamus in corde nostro, et putemus Christum localem esse, ut in aliquo loco contineatur, sed potius credamus illum secundum divinitatis plenitudinem ubique esse, ac per omnia diffusum cum Patre et Spiritu sancto, juxta quod Deus Pater per Jeremiam prophetam dicit : *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII). Ideoque enim non concluditur loco, quia in eo consistit omnis locus. Præsidendo siquidem sustinet omnia, sustinendo præsidet, implendo circumdat, circumdando implet. In verbis ergo Apostoli sensus hujusmodi est : Ne dixeris in corde tuo, o quicunque es, quis ascendet in cœlum ? id est, non credas Christum localem esse, ut credas illum post ascensionem ita esse in cœlo, ut non sit in terra : aut ita esse deorsum in abysso apud inferos, ut te sursum positum ignoret, sed crede illum ubique esse præsentem secundum divinitatem, sicut de eo dicitur : *Sapientia attingit a fine* ubique *ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII). Ne dixeris ergo, o homo, quis ascendet in cœlum, ut inde Christum deducat mihi, qui me doceat, saltem in corde noli dicere hoc, quia hic est Christus et ubique. Nam in terra erat et dicebat : *Nemo ascendit in cœlum, nisi Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III), quomodo non magis cum sit in cœlo, est et in terra? Aut quis descendet in abyssum? subdit Apostolus ex suo : Hoc est Christum ex mortuis revocare ; similiter et supra . hoc est Christum deducere. Non necesse habes ab inferis Christum vocare, quem ubique præsentem debes agnoscere, unde dicit ipsa Scriptura Deuteronomii : *Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo* (*Deut.* XXX). Verbum hic simpliciter possumus intelligere, si volumus verbum legis, quod illi in ore habebant assidue illud legendo, in corde quoque jugiter meditando, ac memoriæ commendando. Altiori autem sensu verbum istud est, de quo Joannes ait : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). Ergo quia Deus erat Verbum, prope erat in ore et in corde illorum, utpote quod omnia replet. Nam beatus Hieronymus dicit : Sicut vestis totum corpus hinc inde circumdat, ita Christus electos suos undique circumdando amplectitur, imo amplius, quoniam vestis tantummodo extrinsecus corpus circumdat, adhærendo illi Christus vero est exterius in ore per confessionem, interius in corde per credulitatem, sicut hic dicitur, et alias, ubi dicit idem Apostolus : *In interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (*Ephes.* III). *Hoc est Verbum fidei quod prædicamus*, nos apostoli. Hoc est Verbum, inquit, Filius, videlicet Dei Patris, in quem, secundum prædicationem nostram, credere oportet.

Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, *et credideris in corde tuo quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris*, id est salutem consequeris

æternam : ita tamen, ut justitiæ secteris opera, quia non oportet servum Dei manere otiosum.

Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Prosequitur diligentius quod superius de fide tetigerat. Fides in corde locanda est, quæ Deum trinitatem habere in personis, et unitatem in omnipotentia majestatis credat, filiumque humanatum : et secundum Evangelium firmiter teneat genus humanum sanguine illius redemptum, et ea quæ circa humanitatem ejus sunt facta, deifice exhibita non hæsitet. In ore etiam confessio debet esse : quia fides cordis promenda est officio oris. Illa enim confessio fit ad salutem, si tamen exornata fuerit bonis operibus per spatium vitæ. Nam aliter fides sine operibus mortua est (*Jac.* II). Non dicit de salute corporis qua potiuntur etiam qui non confitentur Deum, sed de salute interioris hominis, id est animæ quæ salvatur confessione veræ fidei non temporaliter, sed æternaliter, quoniam salus hujus confessionis sempiternalis est.

Dicit enim Scriptura Isaiæ prophetæ : *Omnis qui crediderit in illum*, id est in Christum, ea fide quæ per dilectionem operatur, *non confundetur*. Quicunque crediderit in Christum sicuti credendum est, non erubescet cum incredulis in die judicii, quibus ipse judex dicet : *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV), sed potius gaudebit, cum ab eo in quem crediderit remunerabitur, aggregatus numero et collegio electorum et Deum confitentium. Hoc exemplum valet contra Judæos, qui gentiles a fide Christi putabant secernendos, unde et subdit :

Non enim est distinctio, subaudis in isto exemplo quod posui. Quorum non est distinctio sive separatio? *Judæi et Græci* ; quia de utrisque dicitur : Omnis homo qui crediderit in illum, sive Judæus, sive gentilis, non confundetur. *Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum*, id est Dominus qui est Creator et Dominus Judæorum, ipse est Creator et Dominus gentium, id est omnium hominum. Dives autem idcirco dicitur, in omnes qui invocant illum, quia potest omnes in se credentes a præsentibus tribulationibus eruere, et ad vitam æternam perducere, reddens eis præmium a se promissum. Vel ideo dicitur dives, quia potens est gentiles exaudire et salvare, sicut et Judæos, quia personarum acceptio non est apud illum : nec sic intendit uni, ut se deneget alteri. Ergo si vox nostra ad omnes qui audiunt æqualiter venit, et tamen una est, multo magis omnipotens Deus exaudire omnes misericorditer potest, nec dum unum audit alterius precum obliviscitur : quapropter subinfert :

Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quicunque invocaverit nomen Domini sicut invocari debet, scilicet fide, ore, opere, hic salvus erit.

Quomodo ergo invocabunt, subaudis Judæi Christum, *in quem non crediderunt?* Et idcirco non salvantur, quia non invocant. *Aut quomodo credent ei quem non audierunt?* Ergo audierunt Judæi Christum, et non audierunt : Audierunt aure corporis, sed non aure mentis, quas Dominus requirebat, inquiens : *Qui habet aures audiendi audiat* (*Luc.* VIII). Insuper et averterunt aures suas ne audirent verba ejus, quando illo clamante in templo et dicente : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat* (*Joan.* VII), noluerunt ad eum venire credendo. Ideoque non audierunt, quia non fuerunt obedientes. *Quomodo autem audient sine prædicante ?* Hic ostendit, se suique similes coapostolos et prædicatores ad prædicandum Judæis esse missos a Christo, quorum ministerio docerentur : sed illi persecuti sunt eos, expellentes eos a se, sicut in Actibus apostolorum legitur, ubi et narratur quemadmodum eis Paulus dixerit : *Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei : sed quia repellitis illud, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII). Hinc est quod subdit.

Quomodo autem prædicabunt eis prædicatores verbum vitæ, *nisi mittantur?* Et est sensus : Ipsi occiderunt prædicatores quosdam ad se missos, sicut Jacobum fratrem Joannis, et Stephanum : reliquos vero flagellantes a se expulerunt. Quod autem dicit: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? ita potest uno modo intelligi : Nequaquam nos apostoli ad officium prædicationis accedere potuissemus, nisi gratia Dei (qua protegimur) admoniti, directi fuissemus, primum Judæis verbum vitæ annuntiare, deinde gentibus : Ideoque Judæi excusabiles non erunt de adventu Filii Dei, quia apostolos ad salutem sui directos a suis finibus pepulerunt. Potest et ita non inconvenienter accipi : Quomodo, inquit, prædicabunt ipsi prædicatores eis verbum vitæ, qui expulsi sunt ab eis, nisi iterum mittantur? Affirmat quoque exemplo prophetico, qualiter prædicatores evangelizare voluerunt eis bona, sed noluerunt eis credere, nisi pauci, *sicut scriptum est* in Isaia propheta : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Apostolorum pedes speciosi fuerunt, quia Domino sunt abluti. Pedes quoque in sacra Scriptura aliquando bonas actiones significant, sicut Zacharias pater Joannis Baptistæ ostendit, dicens : *Visitavit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent : ad dirigendos pedes nostros*, id est actiones nostras, *in viam pacis* (*Luc.* II). Aliquando significant pedes verbum prædicationis, ut illud : *Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris* (*Psal.* XLVI). Apostoli pacem prædicaverunt secundum monita Domini, dicentes : *In quamcunque domum intraveritis*, primum offerte pacem, dicentes: *Pax huic domui* (*Matth.* X). Evangelizaverunt bona, futuri scilicet regni præmia quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Et de quibus dicit Psalmista : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* LVI). Bona quoque annuntiaverunt, fidem sanctæ Trinitatis, mysterium Incarnationis Christi, passionem, resurrectionem, ascensionem ejus, adventum quoque ad judicium, gloriam electorum, damnationem reproborum.

Sed non omnes obediunt Evangelio. Licet apostoli

bona evangelizassent patriæ cœlestis, tamen non omnes Judæi, neque omnes gentiles obedientes exstiterunt tunc temporis Evangelicæ prædicationi, sed neque adhuc obediunt omnes. *Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro?* Hoc loco Isaias in persona loquitur apostolorum, eodem enim Spiritu fuit repletus, quo et apostoli. Animadvertendum autem, quia in sacra Scriptura aliquando quis pro nullo, aliquando pro raro ponitur. Pro nullo, ut est illud. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino* (*Psal.* LXXXVIII)? id est nullus. Pro raro, ut hic : Pauci enim inventi sunt qui crediderunt ex Judæis auditui apostolorum. Qui idcirco auditus illorum dicitur, quia intrinsecus in mente, Domino inspirante, auditu spiritali audiedant, quid extrinsecus voce corporali ad salutem auditorum proferre debuissent. Unde et Paulus alias ait : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (*I Cor.* XIII)? Et David quidem dicit : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV)? Ab hoc auditu apostolorum, id est a prædicatione illorum subtraxerunt se Judæi, renuentes in Christum credere.

Ergo fides ex auditu. Primum audit quis prædicatorem loqui quomodo debeat credere, deinde accipit fidem. *Auditus autem per verbum Christi;* quod prædicatur ab apostolis et doctoribus verbum Christi est : quia non alia prædicant, quam quæ in Evangelio continentur, quod ab ore Christi est prolatum : Vel, quæ ipse Christus revelat eis in corde, et loquitur per ora illorum. Ad hæc poterant Judæi dicere, licet falso : Non audivimus verbum Christi per ora apostolorum, contra quos Apostolus subjungit :

Sed dico : Nunquid non audierunt? Subaudis Judæi verbum prædicationis apostolorum : Respondet ipse Apostolus sibi, et affirmat quia audierunt. *Et quidem,* ecce affirmatio, et hic est distinguendum. Sensus enim hujusmodi est : Nunquid non audierunt Judæi verbum Christi? Et quidem, id est certissime, in veritate dico, quia audierunt, sed credere contempserunt. Poterat aliquis ad hæc dicere : Apostoli recesserunt ab eis, et quomodo potuerunt audire? Asserit quoque Apostolus exemplo prophetico, et dicit : Quomodo potuit esse ut non audirent : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Dixerat supra idem Psalmista : *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum* (*Psal.* XVIII). Si secundum linguas omnium gentium et sermones auditæ sunt voces apostolorum in ipsis gentibus, quanto magis apud Judæos, ipsa lingua eorum Hebræa audita est? Si enim ab Hierusalem in quatuor climata mundi Evangelium divulgatum est, quomodo ipsis Judæis, a quibus prædicatio ejusdem Evangelii exordium sumpsit, non est prædicatum? maxime cum et ipsi mediterranei sint. Quod enim Hierusalem in medio terrarum sit posita, sicut umbilicus ventris, testatur Psalmista, dicens : *Deus autem, rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ* (*Psal.* LXXII), id est in Hierusalem. Et per Ezechielem Dominus loquitur : *Ista est,* inquiens : *Hierusalem, in medio gentium posui eam* (*Ezech.* V). Sed fortasse quærit aliquis quare Deus omnipotens illam plebem in medio omnium gentium decreverit collocare? Cui respondendum est ideo hoc factum esse, ut quia ipse ex omnibus gentibus solam cognitionem veri Dei habebat, et legem scriptam suo cultu et religione provocaret alias ad cultum Dei omnipotentis, sicut plurimos gentilium legimus ad Judaismum transiisse : vel idcirco, ut si ipsa plebs legem Dei servaret, ab omnibus in circuitu suo honoraretur ac timeretur, sicut factum est temporibus David et Salomonis, quando omnes reges in circuitu suo positi, ei munera mittebant : vel si a lege et cultura Dei recederet, ab hostibus affligeretur ac depopularetur, quod sæpissime actum est (*I Reg.* XIV). Quarta quoque exstitit causa, ut quia Christus ex eadem plebe erat nasciturus, et genus humanum redempturus, et multa miracula in mundo positus patraturus ibi hæc agerentur, unde fama ejus ad omnes gentes citius posset transvolare. Revertamur iterum ad superiora. Igitur in omnem terram exivit sonus prædicationis apostolorum, et in fines orbis terræ verba eorum, quia pene ante defecit eis terra quam lingua. In hoc autem exemplo, per terram intelligere possumus terrenos homines, qui tantum sonum, id est, famam prædicationis et simplicia monita perceperunt : Per fines terræ, philosophos et artibus liberalibus eruditos, qui verba scrutati sunt prædicationis Evangelicæ, ut Augustinus fuit et Cyprianus.

Sed dico : Nunquid Israel non cognovit? Id est, si prædicatio apostolorum ad omnes gentes pervenit, quanto magis ad Judæos, apud quos seminari cœpit, præsertim cum ipsi sint omnium gentium mediterranei. Vel aliter : Nunquid Israel non cognovit primum? Cognovit utique in apostolis et apostolicis viris. *Primus Moyses dicit : Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem.* Æmulatio quæ Græco vocabulo zelus appellatur, non uniformiter, neque sub uno sensu semper accipitur. Nam ponitur pro imitatione, pro studio, pro amore, pro invidentia, sicut hic. Hoc autem Moyses ex persona omnipotentis Dei contra Judæos loquitur, qui ad æmulationem et invidiam ducti sunt contra non gentem, id est contra populum ex gentibus credentem, cui semper invident, dum vident eum in ipsum credere quem ipsi occiderunt, sicut in Actibus apostolorum refertur : Quod *videntes Judæi turbas* gentium credentium, *repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ a Paulo dicebantur* (*Act.* XIII). Ante Domini adventum genus humanum in Judæos dividebatur et gentes, sed gentes per enormitatem malorum, ita transcenderant conditionis suæ modum, ut etiam gentis nomine non meruissent appellari, sed canes, dicente Domino in Evangelio : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus* (*Matth.* XV). Unde non gens dicebantur, quia ratione amissa irrationabilitatem sectabantur. Verum cum postmodum credidissent tam apostolis prædicantibus quam eorum successoribus, Judæi

contra eos excitati sunt et inflammati invidiæ facibus. Exponens ergo Apostolus quod dixerat, non gentem, infert : *In gentem insipientem*, id est, idola pro Deo vero colentem, *in iram vos mittam*, subaudis contra hanc gentem insipientem. Quæ cum fuisset usque ad adventum Christi insipiens, ejus fide potita, facta est sapiens. Contra quam jam credentem in iram mittuntur Judæi, non quod Deus æmulationem et iram in illis operetur, sed quod beneficia sua quæ Judæis displicuerunt, ad se conversis gentibus largiatur. Potest et quod dicit, in non gentem, aliter intelligi : Gentiles increduli ante perceptam fidem gens vocabantur : percepta autem gratia fidei, non jam gens vocantur, sed Dei populus et plebs appellantur, dicente Domino per Psalmistam : *Populus quem non cognovi servivit mihi* (*Psal.* XVII). Unde alibi Apostolus : *Scitis*, inquit, *quia cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini*, eratis, *euntes* (*I Cor.* XII). Quod tale est ac si diceret : Fuistis quondam gentes, sed jam non estis gentes. In hanc ergo non gentem irascuntur Judæi invidia ducti.

Isaias autem audet et dicit : Non sine ratione hoc verbum quod est audet, posuit Apostolus. Isaias spiritu prophetico repletus, sciebat se contemnendum a Judæis, et etiam serra lignea secandum, et tamen audet, id est audacter dicit ex persona Christi, non formidans Judæos rebelles : *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant.* Gentilibus non quærentibus Christum, qui neque legis, neque prophetarum aliquod habebant documentum, sive promissionem, de eo ipse apparuit. Ille apparere dicitur, qui non separatur, sed subito et insperate venit, sicut apparuit Dominus Abrahæ cum non speraretur, et sicut apparuit angelus Zachariæ : sic Dominus Jesus apparuit gentibus, prædicantibus apostolis, et coruscantibus miraculis, cum non exspectaretur ab illis. Nam quod ipse in apostolis apparuerit gentibus, testatur suis sermonibus. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXIX) Per doctrinam enim cœlestem, et per miraculorum signa, quæ apostoli operabantur, apparuit Christus gentibus, quoniam ipse cooperabatur eis et loquebatur per ora illorum. Dicit namque Evangelium, quod profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis. Sequitur : Et his qui me non interrogabant. Sæpe legitur Deus omnipotens a sanctis interrogatus, sicut a Moyse, Abraham, Samuele et cæteris, at gentiles non interrogabant Deum : sed consulebant idola et dæmonia.

Ad Israel autem dicit idem Isaias ex persona Christi : *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi.* Totum diem appellat totum tempus Dominicæ prædicationis usque ad passionem illius. Qui videlicet manus suas ad eumdem populum extendit, quia munera beneficiorum suorum largissima bonitate exhibuit. Expansio enim manuum, donationem munerum designat. Et ille dicitur manus expandere, qui poscentibus beneficia largissime tribuit. Nam mortuos illorum suscitavit : diversas infirmitates morborum curavit, esurientes et famelicos panibus suis pavit, multaque innumerabilia bona eis impendit, quibus semper illi contradixerunt dicentes de illo : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Matth.* XII), et : *Non est hic homo a Deo, quia sabbatum non custodit* (*Joan.* IX). Sive etiam manus expandit, dum eas in cruce affigi permisit. Est quoque consuetudo patrum ut expandant brachia quibus carissimos filios amplexentur, et in gremium suum collocent : sic Dominus Judæos amplexari voluit, et in sinu suæ charitatis trahere, dicens : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV), sed illi semper studuerunt contradicere, dicentes : *Nescimus hunc unde sit* (*Joan.* IX). Solet etiam nutrix extendere manus, ut delectatus is qui nutritur veniendo ad eam discat ambulare : et populus Israeliticus admodum claudus erat, quia gressus bonæ operationis jam non habebat, ad quam Dominus quodammodo manus expandit ut ad se veniret dum dixit : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Sed ille, neglectis ejus donorum beneficiis, gressus retro in infidelitatem retrorsit.

CAPUT XI.

Dico ergo : Nunquid repulit Deus populum suum : subaudis ex toto, *Absit. Nam et ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin*, qui non sum repulsus, sed cum aliis per fidem Christi salvatus. Si enim ex toto repulisset populum suum Israel, me non salvaret, qui de eorum prosapia originem duco.

Non repulit Deus plebem suam quam præscivit. Præscientia prædestinationem præcedit, et non omnia quæ præsciuntur, prædestinantur : verumtamen quæ prædestinantur, omnia præsciuntur. Hoc autem in loco, præscientia pro prædestinatione accipitur, per quod ostendit nullum, sive ex Judæis sive ex gentibus prædestinatum, esse repulsum. Præsciuntur enim bona et mala a Deo, prædestinantur autem solummodo bona. Et hoc distat inter prædestinationem et gratiam : quia prædestinatio est præparatio gratiæ, gratia autem jam ipsa donatio munerum gratuita. *An nescitis*, id est nunquid ignoratis, *quia dicit Scriptura in Elia, quemadmodum interpellat Deum adversum Israel :* Contra eos videlicet, qui ex decem tribubus propter idololatriam interfecerunt cultores unius Dei veri.

Domine, prophetas tuos occiderunt. Hoc in libris Regum (*III Reg.* XVII, *II Par.* XVII) plenius narratur, quomodo Achab et Jezabel cum sibi faventibus prophetas Domini occiderunt : *altaria tua suffoderunt* decem tribus, apud quos talia fiebant, qui vitulos aureos in Dan et in Bethel a Jeroboam ad adorandos acceperant, altaria Hierosolymitani templi non suffoderant, et idcirco intelligimus quod in ipsis decem tribubus. Licet quidam altaria diis gentium ædificarent, erant tamen qui Deo ædificabant, et ibi immolabant, non audientes ire in Jerusalem propter reges Israel idololatras, qui illos a templo Dei arce-

bant. Horum altaria, Deum scilicet colentium, illi qui A idola colebant, suffodisse ac funditus evertisse intelliguntur. *Et ego relictus sum solus.* Sic enim ei videbatur quod ipse solus remansisset ex omnibus prophetis Domini præ magnitudine stragis et interfectionis, qua sæviebatur in Dei cultores; *et quærunt animam meam.* Sic enim minata fuerat ei Jezabel impiissima. *Hæc faciant mihi dii, et hæc addant,* si non *posuero cras animam* Eliæ *sicut animam unius ex istis* (*III Reg.* XIX).

Sed quid dicit illi responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Cum esset in spelunca quæ est in monte Oreb, hoc divinum responsum accepit; nec ait : Relicta sunt mihi, sed : Ego reliqui et reservavi mihi septem B millia virorum qui, aliis ad idololatriam transeuntibus, non curvaverunt genua ante Baal, qui erat deus Achab et Jezabelis : qui recte viri appellantur, eo quod viriliter idola spreverint. Septem autem ista millia illorum, qui non adoraverunt idola, multa significant millia illorum quos Deus dono gratiæ suæ servavit : ne curvarent genua sua ante Baal, in Dan et Bethel, aut in aliquo delubro idolorum. Sic enim quinque prudentes virgines significant omnes justos integritatem fidei habentes, et imprudentes injustos; quinque etiam fratres divitis, qui torquebatur apud inferos : omnes Judæos incredulos; sic septem millia illorum significant omnes qui idola non adoraverunt. Septenarius etenim numerus plerisque in locis sacratus est, et ponitur sæpissime pro universitate : sicut in psalmo, ubi dicit Psalmista Domino : C *Septies in die laudem* dicam *tibi* (*Psal.* CXVIII) : quid enim sit septies in die laudem dicam tibi, exposuit cum dixit : *Benedicam Domino in omni tempore* (*Psal.* XXXV). Joannes quoque in Apocalypsi sua (*Apoc.* I), septem ecclesiis scribit, quæ generaliter omnes ecclesias significant.

Sic ergo et in hoc tempore, id est in Domini adventu et apostolorum prædicatione, *reliquiæ salvæ factæ sunt*, de quibus supra dictum est : Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient. Sicut temporibus Eliæ, dono gratiæ Dei, multi reservati sunt ne adorarent idola, sic temporibus apostolorum, multi ex Judæis secundum electionem gratiæ Dei salvati sunt veniendo ad fidem, D qui et reliquiæ appellantur. Et considerandum quia *secundum electionem* gratiæ Dei, id est secundum prædestinationis donum, salvæ factæ sunt, non secundum merita operum ipsorum ; unde dicit in Epistola ad Ephesios : *Sicut elegit nos,* inquit, *ante mundi constitutionem in ipso,* id est in Christo, *ut essemus sancti et immaculati* (*Ephes* I).

Si autem gratia salvi facti sunt illi qui crediderunt ex Judæis, *jam non* fuit illud *ex operibus* legis, per quæ putabant se justificari posse illi qui in infidelitate remanserunt : *alioquin gratia jam non est gratia.* Hoc est : si aliter salvi facti sunt, quod non potest fieri nisi gratia Dei, ergo ipsa gratia jam non erit gratia, sed meritum.

Quid ergo? subaudis dicendum est. Hoc proculdubio *quod quærebat Israel, hoc non est consecutus : electio autem consecuta est.* Quid quærebat Israel ? Opera legis perficere sine gratia Christi, et ex ipsis operibus justificari sine gratia Christi, et sine fide Evangelii, quod idcirco non est consecutus, quia neque opera legis valuit implere sine gratia Christi, neque justificari sine fide illius. Hoc tamen de illis intelligendum est qui ad fidem Christi noluerunt transire. De transeuntibus vero ad Christum subinfertur : Electio autem consecuta est, id est illi qui electi sunt ex eadem plebe. Quod supra appellavit reliquias, nunc electionem vocat : et sicut in præcedentibus circumcisio pro Judæis, sic et hic electio pro electis accipitur, qui consecuti sunt justificationem per fidem, qua crediderint in Christum, quamvis et electio ad credentes gentiles etiam possit referri, qui unum effecti sunt cum Judæis fidelibus. Tale est et illud Psalmistæ : *Justus Dominus et justitias dilexit* (*Psal.* X), id est justos, amatores justitiæ : *cæteri vero excæcati sunt* tenebris infidelitatis. Sicut enim ille qui fidem habet in luce dicitur consistere, ita qui infidelis est in tenebris ignorantiæ manet. Unde idem egregius prædicator credentibus dicit : *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V).

Sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. Hæc verba partim sunt Apostoli, partim Isaiæ prophetæ. Quod dicit : Dedit illis Deus spiritum compunctionis, Apostoli verba sunt; quæ autem sequuntur Isaiæ prophetæ. Spiritus compunctionis aliquando in bonam partem accipitur, aliquando vero in contrariam. In bono accipitur, sicut in Actibus apostolorum legitur, quod audientes Judæi prædicationem apostolorum, compuncti sunt corde, et dixerunt ad apostolos : *Quid faciemus, viri fratres* (*Act.* II)? In contrariam vero partem accipitur, ut in isto loco : Dedit illis Deus, id est habere permisit, sicut tradidit et induravit, pro eo quod est tradi et indurari permisit. Spiritum autem compunctionis appellat mentem invidentiæ, qua inviderunt et invident adhuc saluti gentium. Aliquando enim spiritus pro anima ponitur, ut in Evangelio habetur de Domino, quod inclinato capite emisit spiritum (*Joan.* XIX) : aliquando pro mente, ut hic : Et anima est qua vivificatur corpus ; spiritus vero ipsa ratio, qua inter bonum et malum, verum et falsum discernimus, et non est aliud mens, atque aliud ratio. Spiritus autem compunctionis idcirco appellatur mens invidentiæ, quoniam plerumque dum cernunt homines felicitatem alterius, torquentur et affliguntur inde intantum ut etiam invidendo prorumpant in lacrymas. Ad exaggerandum ergo invidiam qua torquentur Judæi de salute gentium, dixit habere illos spiritum compunctionis. Aliter : spiritum compunctionis malignum spiritum, qui est spiritus perditionis, possumus intelligere, qui Dei contemptores in suam potestatem suscipit. Bonus ergo Deus, exi-

gentibus culpis Judæorum, permisit eis habere spi- A ritum perditionis, qui eos perimat in anima, sicut et de philosophis gentium dicitur, quod tradiderit illos Deus in reprobum sensum, oculos ut non videant. Oculis quidem corporis viderunt Judæi Dominum, et multa miracula ab eo fieri : sed quia immoderate terrenis negotiis intendebant, oculis fidelitatis et amoris nequaquam meruerunt illum cernere. Et aures ut non audiant, subaudis permisit eis habere. Audierunt Christum auribus carnis, sed non audierunt auribus cordis, quas Dominus requirebat, cum diceret : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Luc.* VIII). Cæcitas igitur et surditas atque mens invidentiæ *usque in hodiernum diem* in Judæis manet, quia dum nolunt obedire Evangelio, ad hoc ut in Christum credant, livore invidiæ succensi, semper invident B saluti gentium.

Fiat mensa eorum in laqueum. Ad mensam solent tractare impii de nece innocentium, sicut Herodes de obtruncatione beati Joannis : et Holofernes spurcissimus de violatione Judith (*Jud.* XII, XV). Solent etiam eos vocare ad mensam, ut dolo illos interficiant : sicut Absalon interfecit fratrem suum Ammon (*II Reg.* XIII). Sic Judæi intelliguntur super mensas suas tractasse de nece innocentis Christi, ideoque per mensam debemus intelligere collationes verborum illorum, quas agebant super mensam de Christo; unde dicit Propheta : Fiat mensa eorum, id est collatio verborum Judæorum in laqueum, ut illaqueentur et involvantur ; sive decipiantur ultione iniquitatis C mensæ suæ *in captionem* quoque, ut ipsi capiantur : fiat illis etiam *in scandalum*, hoc est in ruinam, vel offensionem; sive in rixam, quatenus offensam omnipotentis Dei incurrentes, ruinam patiantur damnationis; et inter se rixas gerant et contentiones. Scandalum siquidem Græcum est, et sonat in Latino sermone offensam, ruinam, vel rixam : pro offensione enim et ruina ponitur, ubi Dominus dicit : *Væ qui scandalizaverit unum de pusillis istis* (*Matth.* XVIII), id est qui offenderit, vel ruere fecerit : pro rixa autem sicut illo in loco ubi dicit Evangelista : Quod audito Pharisæi verbo scandalizati sunt (*Ibid.* XV), id est rixati : hic autem sub utroque sensu accipi potest. *Et in retributionem*, inquit, ut qualia fecerunt in Christum talia retribuantur illis, et utrique ita con- D tigit. Verbi gratia, voluerunt Christi nomen delere de terra, nomen eorum deletum est ut jam non dicantur populus Domini : interfecerunt Christum, interfecti sunt et ipsi gladio Romanorum. Significatur et sacra Scriptura per mensam, quæ data est Judæis in lege et prophetis, sicut Psalmista ostendit, dicens : *Parasti in conspectu meo mensam* (*Psal.* XI), cujus intelligentiam quia non recte scrutati sunt Judæi, facta est eis ipsa mensa in laqueum, et in cætera quæ supra memorata sunt, nolentes in Christum credere, cui omnis illa Scriptura testimonium perhibebat : et quoniam ad mortem contra auctoritatem illius Scripturæ tradiderunt Christum, illata est eis retributio, secundum meritum illorum.

Obscurentur oculi eorum ne videant ; et dorsum eorum semper incurva. Hæc verba non optantis voto, sed prædicentis officio dicuntur. Obscurentur oculi cordis eorum, id est intellectus eorum, ut non intelligant Christum Filium Dei esse; et dorsum eorum semper incurva : sicut qui grave onus portat incurvatur in terram, ita quodammodo peccator qui pondere peccatorum premitur, incurvatur ; sicut Psalmista deplorat, dicens : *Iniquitates meæ supergressa sunt caput meum* (*Psal.* XXXVII).

Dico ergo : Nunquid sic offenderunt Judæi *ut caderent ?* subaudis solummodo, ut eorum casus nihil profuerit. *Absit.* Et est sensus : non offenderunt Deum Judæi solummodo propter hoc ut ipsi caderent, sed ut multitudo gentium in eorum locum surgeret, et magnam utilitatem casus illorum nobis præstaret ; unde sequitur : *Sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos æmulentur.* Ac si diceret aliis verbis : In illorum delicto salus gentibus est procurata, quia nisi Judæi perissent, nequaquam gentes salvarentur. Delictum dicitur quasi derelictum, et delictum fit in cogitatione, peccatum vero in operatione. Dicitur et delictum quando non adimpletur Dei mandatum, peccatum vero quando fit quod prohibitum est. Sed Apostolus indifferenter ponit delictum pro peccato. Delictum ergo Judæorum mors Christi fuit, et cor impœnitens cum infidelitate, cujus morte gentiles sunt redempti et sacro baptismate abluti, quos debent Judæi æmulari, id est imitari in fide, ut credentes sicut illi credunt, salvi fiant.

Quod si delictum eorum divitiæ sunt mundi. Propter delictum Judæorum quod commiserunt in Filium Dei, et propter infidelitatem illorum, ditata est multitudo gentium divitiis legis, prophetarum, psalmorum, et gratia fidei, quia abstulit eis Dominus omnia ista, et tradidit gentibus in se credentibus, sicut in Evangelio minatus est eis, dicens : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* XXI). Magnæ et incompensabiles fuerunt divitiæ Judæorum, quæ totum ditaverunt mundum : *et si diminutio eorum divitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum ?* Diminutio hic pro paucitate accipitur et parvo numero ; diminutio autem infidelium Judæorum, apostoli fuerunt aliique credentes ex eadem plebe, et est sensus : si paucitas quæ ex Judæis credidit tantam salutem attulit gentibus, ut pene in omnes gentes Evangelium per illos prædicatum sit, quanto magis prodesset, si omnes credidissent ? Multo magis prodesset, quia per omnes gentes jam esset Evangelium prædicatum ab illis. Apostoli enim aliique credentes ex Judæis divitiæ sunt gentium, quia per illorum ministerium acceperunt fidem cognitionemque divinarum Scripturarum, ubi notitia Dei est; et ipsi ordinaverunt gentibus episcopos presbyteros, diaconos, et cæteros ordines ecclesiasticos, et, ut amplius dicam, quidquid boni habemus (gratia Dei cooperante ac largiente) per illorum ministerium accepimus.

Vobis enim dico gentibus : Quandiu quidem ego sum

gentium apostolus, ministerium meum honorificabo. Cum cæteri apostoli singulis in locis sibi destinatis prædicassent, Paulus apostolus pene omnibus gentibus prædicavit, quia a Domino audivit : *Longe mittam te ad gentes* (*Act.* XXII). Qua de causa ipse proprie Apostolus exstitit gentium, sicut alio loco testatur, dicens : *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes* (*Gal.* II); hoc est : qui Petrum constituit principem Judæorum, me etiam constituit ut sim princeps et apostolus omnium gentium. Bene autem dicit : Ministerium meum honorificabo, id est prædicationem in opus vertam. Tunc etenim prædicator ministerium suum honorificat, quando secundum illud quod prædicat vivere studet, ut quod prædicat ore, honoret et confirmet bono exemplo bonisque operibus. Aliter : Ministerium meum honorificabo, hoc est : gratiam Evangelii non solum gentibus, quibus delegatus sum apostolus, prædicabo, sed etiam Judæis impertiri curabo. Honor magistrorum numerositas est auditorum : *Si quo modo ad æmulationem provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis.* Si quo modo ad æmulationem provocem carnem, hoc est : idcirco ministerium meum honorificabo, ut aliquo modo ad imitandum me provocem Judæos ex quibus carnem sumpsi, et me imitando salventur, sicut et ego salvus effectus sum, etsi non omnes, saltem vel paucos ex eis salvos faciam.

Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi : quæ assumptio subaudis erit, *nisi vita ex mortuis?* Sensus hujusmodi est : Si amissio Judæorum, quæ derelicti sunt a Deo propter infidelitatem, gentium reconciliatio fuit, quibus Deus ante adventum Filii sui quodammodo iratus erat, quanto magis assumptio illorum, qua assumuntur ad fidem, præstabit electis vitam ex mortuis ? Statim enim ut illi cœperint vivere Deo per fidem, qui antea mortui erant in infidelitate, advenit dies judicii, et resurgent omnes de pulvere terræ, viventque omnes electi in vita æterna semper cum Christo. Profuit etenim gentibus ad fidem amissio eorum, proderit et assumptio, quoniam vita æterna dabitur electis ex mortuis. Alio modo, assumptionis nomine apostoli possunt intelligi, qui fidelibus gentibus vita exstiterunt. Quæ, inquit, assumptio est, nisi vita ex mortuis? id est : quid aliud sunt assumpti et electi a Deo ex eadem plebe, sicut ego et Petrus et reliqui credentes, qui vos etiam assumpsimus ad fidem Christi, viventes per vitam Christi ex mortuis Judæis infidelibus? Si enim illi sua morte infidelitatis reconciliatonem præstiterunt mundo, nos qui in infidelitate mortui non sumus, ad vitam aliorum quasi vivi ex mortuis servati sumus.

Quod si delibatio sancta est et massa. Delibatio est degustatio quædam, sive primitiæ alicujus rei. Verbi gratia : quando particula accipitur ex massa conspersæ farinæ, et prægustatur cujus saporis sit reliqua. Nam naturale est ut omnis res quæ unius substantiæ est, divisa per partes, in eadem permaneat natura, et unius saporis et qualitatis sit : sicut ex fermento farina dignoscitur. Hic autem delibatio sanctos significat apostolos, massa vero patres sanctos, Abraham, Isaac, Jacob, David, Isaiam, et reliquos, ex quorum progenie apostoli descenderunt. Ergo si apostoli sancti, et patres quorum fidem ipsi apostoli assecuti et imitati sunt, sancti fuerunt, potest et præpostero ordine non inconvenientius dici : si massa sancta in patribus, ergo et delibatio similiter sancta in apostolis cæterisque credentibus, qui fidem patrum veraciter habuerunt. *Et si radix sancta, et rami.* Idipsum appellat modo radicem quod superius massam : et idem significant rami quod delibatio. Patres videlicet Veteris Testamenti sunt massa et radix, quia de illorum prosapia sumpta est delibatio et processerunt rami, id est apostoli. Sicut ergo radix bona bonum succum diffundit per ramos ubi sunt fructus boni saporis, ita apostoli, qui originem duxerunt a sanctis patribus et eorum fidem imitati sunt, sancti et boni fuerunt. Jam superius in hac Epistola alteram massam posuerat, qua significatur mortalitas et peccatum Adæ, et ex qua fiunt quædam vasa in honorem per misericordiam gratiæ Dei : quædam vero justo Dei judicio in contumeliam. Hic vero massa in bono accipitur. Potest et per radicem intelligi Christus, per ramos autem apostoli aliique credentes : quia, sicut a radice emittitur succus in ramos ut vivant, ita et in Christo vivunt omnes credentes, ab illo omne bonum accipientes, cujus et membra sunt.

Quod si aliqui ex ramis fracti sunt in infidelitate remanendo, *tu autem cum oleaster esses*, totus scilicet paganus, *insertus es in illis*, id est in locum illorum successisti, *et socius factus es radicis*, id est fidei sanctorum patrum, *et pinguedinis olivæ*, gratiæ videlicet sancti Spiritus : *noli gloriari* neque extolli *adversus ramos* in infidelitate manentes. Nam illi sancti patres Spiritum sanctum habuerunt, unde et uncti Dei appellabantur, sicut est illud : Nolite tangere christos meos (*Psal.* CIV), quod de Abraham, Isaac et cæteris intelligendum est. Aliter : per radicem iterum alio modo possumus intelligere Christum, ut sit sensus : Socius radicis, id est Christi, et pinguedinis olivæ, gratiæ videlicet Spiritus sancti, factus es, ne extollaris in superbiam, ne amittas gratiam quæ data est tibi. Gentiles alloquitur Apostolus, et loquitur omnibus quasi uni. Ramos fractos (ut diximus) appellat Judæos in infidelitate manentes, qui a radice, id est a fide patriarcharum vel a Christo recesserunt : oleastrum autem gentiles qui infructuosi ante Domini adventum erant, agrestem vitam ducentes, et est sensus : O gentilis, si vides aliquos Judæorum a gratia Christi alienos exsistere, et a fide patriarcharum, et te in locum illorum esse, sociumque factum fidei patrum, et Christi, atque gratiæ Spiritus sancti, noli despicere illos, neque extollaris, ne forte amittas gratiam quæ data est tibi gratis. *Quod si gloriaris* contra eos qui lapsi sunt, attende quia *non tu radicem portas, sed radix te.* Quasi diceret : Si vis extolli, audi unde humilieris : non portas

tu radicem, id est nihil patribus sanctis, qui te præcesserunt : sed radix te portat, quia eorum fide salvaris ; tu enim accepisti ab eis, illi non acceperunt a te. Aliter : Non portas radicem, id est Christum, cui nihil ex tuo tribuis : sed ipse te portat a quo habes quidquid boni habes, et insuper ab illo habes esse. A

Dices ergo mihi, o gentilis : *fracti sunt rami*, increduli scilicet Judæi abjecti sunt, *ut ego* gentilis *inserar* in locum illorum. *Bene*, subaudis dicis, quia ita est, sed attende quid sequitur : *propter incredulitatem fracti sunt* rami ; quia noluerunt Judæi in Christum credere, lapsi sunt in mortem damnationis, fracti a gratia Dei : *tu autem fide* Christi *stas*, non tuis meritis. Ideoque noli gloriari : *noli* B *altum sapere*, id est noli superbire, *sed time* cadere: Dei enim beneficium est, quod vocatus es, non tuum meritum. Juxta quod idem egregius prædicator alias dicit : *Gratia salvi facti estis, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur* (*Ephes.* II).

Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Naturales ramos appellat Judæos, qui ex sanctis patribus et Deo dilectis originem traxerunt, et est sensus : O gentilis, considera quia si Deus Judæis non pepercit, qui a sanctis patribus originem duxerunt, et ex quorum gente ipse carnem assumpsit, multo magis nec tibi parcet, si a fide Dei recesseris, qui oleaster eras, vel si in superbiæ fastu te elevaveris despiciendo Judæum.

Vide ergo bonitatem et severitatem Dei. Severus C judex dicitur qui in nullam partem suum judicium flectit, sed per rectitudinem incedit. Severitas vero dicitur judicium, quo nulli adulatur, sed juste omne judicat. Bonitas autem, pietas gratiæ et misericordiæ qua bona præstantur hominibus, *in eos quidem* Judæos *qui ceciderunt, severitatem*, id est justissimum judicium, exercuit : *in te autem bonitatem Dei*, hoc est gratiam pietatis, monstrabit, *si permanseris in bonitate*, id est in fide recta : *alioquin et tu excideris*, id est, si a fide recesseris, penitus peribis. Distat autem inter frangi et excidi, quia fractus ramus potest utcunque arbori suæ resolidari, excisus nullatenus. Et notandum quia Judæos dixit fractos, qui prædicante Elia et Enoch, solida- D buntur in fide Christi : gentiles autem, si a fide Christi recesserint, penitus abscindendos a gratia Dei, ac deinde perdendos ; unde sequitur :

Sed et illi, subaudis Judæi, *si non permanserint in incredulitate, inserentur* fidei Christi et fidei patriarcharum : *potens est enim Deus iterum inserere illos* fidei Christi.

Nam si tu ex naturali præcisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam, quanto magis hi qui secundum naturam inserentur suæ olivæ. Gentilem alloquitur superbientem contra ramos qui fracti sunt, et qui gloriatur quasi suis meritis meruerit salvari, et dicit : Si tu, o gentilis, per gratiam Dei separatus es a paganismo, et ab his qui ab exordio sui diversis erroribus a Deo sunt separati, et contra consuetudinem insertus es in bonam olivam, hoc est in fidem præcedentium patrum, qui pinguedinem sancti Spiritus habuerunt, quanto magis Judæi secundum naturam inserentur suæ olivæ, fidei videlicet patrum suorum. Quod dicit contra naturam insertum esse ramum oleastri in olivam, more humano loquitur, quia naturale est ut surculum bonæ arboris inseramus in trunco malæ, non surculum malæ in bono trunco, et hoc insertio dicitur. Deus autem, conditor et creator omnium rerum et naturarum, nihil contra naturam facit.

Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc. Mysterium est res occulta, et secretum aliquod in se continens. Alloquitur ergo gentiles credentes ut consisterent qua de causa salvi facti sint, suis meritis, an gratia Dei, et Judæi abjecti, et dicit ; Occultum et secretum Dei judicium, quantum homo penetrare potest, nolo vos lateat, quare Judæos quondam populum peculiarem abjecerit, et gentes peccatrices per fidem sibi copulaverit, et cujus rei gratia hoc admonuerit perpendere, subinfert et dicit : *ut non sitis vobis ipsis sapientes*, id est ut non superbiatis, dicentes vos propriis meritis fore salvatos, ac per hoc alios despiciatis. Sibi enim sapiens dicitur, qui donum quod habet, non Dei gratiæ, sed suis meritis et studio deputat ; qui autem secundum Deum sapiens est, in beneficiis Dei non insultat abjectis, sed cum timore gratias agit misericordiæ largitoris. Aliter : sibi fit sapiens qui quemlibet peccatorum despicit cum potius ex consideratione peccatoris humiliari conveniat : quia omnes sumus unius naturæ, licet non ejusdem gratiæ. Ipse ergo Apostolus demonstrabit de quo mysterio loquitur : *quia cæcitas ex parte contigit in Israel*. Recte dicit, ex parte contigit cæcitas, et non ex toto, quia reliquiæ ceciderunt. Cæcitas vero contigit in Israel non corporis, quæ fit amisso lumine oculorum, sed cordis, quæ fit tenebris infidelitatis. In his ergo dictis Apostoli, quod mysterium sit in lapsu Judæorum dicimus, sed ex qua profunditate consilii Dei veniat cum ipso Paulo ignoramus · etsi ipse sciebat, non tamen manifestavit. Dicit enim : quia cæcitas ex parte contigit in Israel : *donec plenitudo gentium intraret ; et sic omnis Israel salvus fieret*. Plenitudinem autem gentium, non conversionem omnium accipimus ; sed multitudinem earum quæ aut jam divina prædestinatione collecta est, aut in futuro colligetur. Plenitudo vero hæc non ad numerum cunctorum pertinet, sed ad numerum a Deo præfinitum. Corruerunt itaque Judæi ut surgerent gentes. Quis hoc mysterium valet penetrare ? cur Deus multitudinem gentium spreverit pene ab exordio mundi, a tempore scilicet quo confusum est labium universæ terræ ; et Judæos tantum sibi peculiares fecerit, qui per lineam Heber descenderunt : iterumque gentes in suo adventu collegerit, et Judæos in fine mundi recipiendos abjecerit ? Quis, inquam,

tam subtilem dispositionem divinam investigare sufficiet?

Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem a Jacob. Sion ipsa est Hierusalem, de qua Micheas ait : *De Sion exibit lex, et Verbum Domini de Hierusalem* (*Mich.* IV). Salvator etenim, nascendo ex plebe Israelitica, juxta quod Isaias olim propheta cecinerat, dicens : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium* (*Isa.* VII), veniet de Sion, sive de Hierusalem. Ponendo vero membra sua in cruce, propriumque sanguinem fundendo, et lavacrum baptismatis dando, eripuit tam gentes quam et illas reliquias quæ ex Israel crediderunt, quod ante nemo facere prævalebat, avertit nihilominus impietates a Jacob, ab his videlicet qui crediderunt ex Judæis in primo adventu illius ; avertet quoque pleniter et ab his qui, suscepta gentium multitudine, convertentur et salvabuntur, sicut scriptum est : *Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus* suis (*Psal.* CXXIX) ; et cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet.

Et hoc illis a me testamentum, subaudis dabitur, sive complebitur, per quod aliquando promissio designatur et Evangelium. Et potest hic utrumque intelligi ; promissio videlicet regni cœlorum, et Evangelium in quo ipsa promissio continetur, dicente Domino : *Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum* (*Matth.* IV). De hoc testamento dictum est per prophetam : Feriam, inquit, cum eis pactum novum, et testamentum novum scribam in cordibus eorum. Sequitur : *Cum abstulero peccata eorum.* His verbis demonstrat quod, licet quorumdam credentium ex eis peccata sint ablata, in fine tamen sæculi per baptismi gratiam plenius auferentur.

Secundum Evangelium quidem inimici Dei *propter vos.* Non ait secundum legem, quam pro viribus suis Judæi æmulabantur, sed secundum Evangelium quod ipsi contemnebant, ubi narratur qualiter Dominum morti tradiderint. Ergo quantum attinet ad Evangelium, quod Judæi non recipiunt, inimici sunt Christi et ejusdem Evangelii. Hanc inimicitiam idcirco Judæi incurrerunt, ut gentes credere possent ; et hoc est quod dicit. Propter vos, o gentiles, ut vos crederetis, inimici Dei facti sunt Judæi secundum Evangelium, id est secundum quod Evangelium loquitur. Siquidem in Evangelio refertur qualiter impii Judæi peregerunt necem Christi, propter quam incurrerunt inimicitiam Dei, quod quia in infidelitate permanserunt. *Secundum autem electionem, charissimi propter patres.* Non sic intelligendum est et qui appellantur inimici Dei, ipsi sint et charissimi, præsertim cum Judæi una gens sint, quæ dividitur in credentes et non credentes. Igitur Judæi alieni a fide Christi inimici sunt Dei : charissimi vero illi, qui per electionem, sive prædestinationem Dei, sunt justificati : de qua dicitur : *Qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati* (*Ephes.* I) : qui propter patres, id est Abraham et cæteros, charissimi nuncupantur, quo-

A niam exemplar justitiæ et fidei præcedentium patrum illi qui credunt veraciter tenent.

Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei. Pœnitentia enim pro mutatione accipitur nonnunquam in sacra Scriptura, sicut habes Domino dicente ad Samuelem : *Pœnitet me regem fecisse Saul super Israel : unge filium Isai* (*I Reg.* XIV, XVI). Dum præcipit ungi filium Isai, ostendit se immutare dispositionem facti sui, ideoque dicit : Pœnitet me. Et alibi : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum* (*Psal.* CVI), id est, non mutabitur voluntas ejus. Verum quod dicit dona et vocatio Dei, intelligitur ordine præpostero. Primum enim vocat Deus ad fidem suam secundum electionem gratiæ, postmodum vero con-
B fert dona Spiritus sancti et præmia vitæ ; igitur sine mutatione sunt dona et vocatio Dei in his de quibus supra lectum est : *Quos prædestinavit, hos et vocavit* (*Rom.* VIII), non in his de quibus dicitur : *Multi sunt vocati,* sed *pauci electi* (*Matth.* XX). Aliter : sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei in illis qui ad fidem Dei veniunt. Verbi gratia : vocatur quis ex paganismo, baptizatur, et ab omni reatu absolvitur : quid boni fecit ut vocaretur, et ut donum remissionis omnium culparum consequeretur ? Neque enim jejunavit : neque in eleemosynis, vel annorum computatione in pœnitentia culpas delevit. Dicamus et apertius : nascitur quis cum originali peccato ; addit deinceps multa actualia : si crediderit, vocatus est ; baptizatus, statim ab hac vita subtrahitur ; accipit dona perennis vitæ : ecce dona et vocatio Dei sine pœnitentia.

C *Sicut enim et vos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem ; ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur.* Misericordiam appellat isto in loco Apostolus fidem, gratiam baptismatis, remissionem peccatorum, et donum Spiritus sancti, pariterque reconciliationem, qua reconciliati sunt gentiles Deo : et insuper quidquid boni post Domini adventum gratis a Deo perceperunt, ostendens quia sicut gentiles in primo Domini adventu misericordiam Dei sunt consecuti, ita et Judæi consequentur, appropinquante secundo adventu, per prædicationem
D Eliæ et Enoch : juxta quod idem egregius prædicator alias loquitur, dicens : *Cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet.* Sicut vos, inquit, vos gentiles, aliquando non credidistis Deo, nunc autem in Domini adventum per prædicationem apostolorum misericordiam omnipotentis Dei consecuti estis propter Judæorum incredulitatem, in quorum loco credendo subintrastis ; ita et ipsi Judæi nunc non crediderunt in vestram misericordiam, quæ vobis a Deo data est, id est in isto tempore quando vos misericordiam consecuti estis, vel in vestra misericordia dicit, hoc est, ut vos misericordiam consequi potuissetis. Casus etenim illorum, salus fuit gentium. Poterat aliquis dicere : Quare non crediderunt Judæi in primo Domini adventu ?

Ad hæc Apostolus : *Ut gentes*, inquit, *misericordiam consequerentur*, et ipsi postmodum in fine sæculi consequantur. si enim in primo Domini adventu credidissent, ex legis operibus se justificatos putarent; in fine vero sæculi cum crediderent, misericordiam consecutos se non dubitabunt. Unde subdit :

Conclusit Deus omnia, id est omnium hominum genera, *in incredulitate*, id est concludi permisit intra incredulitatem, *ut omnium misereatur*. Conclusos esse ostendit tam Judæos quam gentiles sub peccato incredulitatis ; Judæos quidem legem naturalem et scriptam destruendo, gentiles vero naturalem legem calcando. Sed ut clarior fieret ejus gratia qua dimittuntur peccata his ita conclusis, placuit ei tunc abolendis peccatis hominum, sacramentum remissionis afferre quando nemo poterat de suis meritis gloriari. Increduli siquidem fuerunt gentiles, sed misericordiam Dei ab eo vocati, consecuti sunt. Sunt modo et Judæi increduli, sed miserebitur eorum. Quare tamen multitudinem gentium tanto tempore abjecerit Deus, Judæos vero dilexerit, et postmodum in adventu suo gentibus ad se collectis Judæos abjecerit? solus ipse novit qui conspicit omnia. Considerans Apostolus tantas esse divitias bonitatis Dei, et tantum opus divinæ sapientiæ, cum non potuisset hoc comprehendere, subito in interioribus oculis cordis, stupore simul atque pavore perculsus, exclamavit et dixit :

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Altitudo, sublimitatem et profunditatem significat : sapientia accipitur in divinis rebus, scientia in humanis : sublimis ergo et profunda est abundantia sapientiæ divinarum humanarumque rerum apud Deum, qui solus sicuti sunt omnia intuetur, et ad cujus notitiam omnis sensus noster retunditur. *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* quibus angelos et homines judicat, seu Judæos atque gentiles, ex quibus nunc istos elegit, nunc illos abjecit : *et quam investigabiles viæ ejus!* quibus a gentibus ad Judæos, et a Judæis ad gentes transiit, et quibus iterum a gentibus ad Judæos transiturus est ; vel per vias, possumus accipere actiones Dei quibus omnia operatus est, quæ utique investigabiles sunt.

Quis enim cognovit sensum Domini? id est intellectus ejus profunditatem quis penetravit? *aut quis consiliarius ejus fuit?* Patris consiliarius unigenitus Filius ejus est qui et Angelus magni consilii appellatur : sed ex hominibus et angelis nullus ejus fuit consiliarius. *Aut quis prior dedit illi*, subaudis fidem suam aut aliquod bonum opus, antequam ab ejus gratia præveniretur, *et retribuetur ei?* merces a Domino, ex hoc quod fidem suam prior ei dedit. Quidam voluerunt contra hoc intelligere centurionem Cornelium, bonis suis meritis exigentibus, a Deo accepisse fidem quasi causa remunerationis, propter eleemosynas scilicet et orationes quibus instabat. Qui idcirco ignoranter locuti sunt, quoniam a

A fide venitur ad bona opera agenda, non ab operibus ad fidem : nisi enim Cornelius fidem primum habuisset, præventus ab inspiratione divina, nequaquam bona opera habuisset. Sed, sicut beatus Gregorius dicit, præventus est a Deo ut haberet fidem unius Deitatis, non tamen in Trinitatem personarum in Deo esse cognovit, quoadusque Petrus ad eum est missus. Unusquisque autem Deo fidem et opera sua tribuit, quando ejus gratia præventus credit in eum, et bona opera exercendo studet voluntati ejus placere. *Quoniam ex ipso*, id est ex parte sunt omnia, quia ab ipso originem sumpserunt; *et per ipsum*, id est per Filium, sunt omnia, quia per illum omnia facta sunt; *et in ipso*, id est in Spiritu sancto, *sunt omnia*, quia in illo consistunt . ecce Trinitas personarum. Quod B vero subdit : *Ipsi gloria*, trium personarum una et singularis substantia declaratur, sicut et Isaias etiam dicit se audisse dicere Seraphim : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth* (*Isa.* VI). Ter dicit de personis sanctus, et una tantummodo vice de majestate Dominus. Similiter et Psalmista : *Benedicat nos Deus* Pater, *benedicat Deus* Filius, *benedicat nos Deus* Spiritus sanctus, *et metuant eum omnes fines terræ* (*Psal.* LXVI); quod vero ait, ex ipso Deo Patre sunt omnia, attendendum est, quod non dixit de ipso, aliud est enim ex ipso, aliud de ipso. Omne enim quod est ex ipso non est de ipso ; sed quod est de ipso, hoc utique et ex ipso. Verbi gratia : Filius ex Patre est, quia ab illo originem accepit, et de ipso, quia de ejus substantia est. Domus vero quæ ædi- C ficatur ex lignis vel lapidibus, ex ipso homine est a quo fit, et a quo originem habet ; sed non est de ipso, id est de ejus substantia. Deus igitur creator omnium, spiritus est invisibilis atque immutabilis ; creatura vero omnis mutabilis est. Ergo non de immutabili substantia ejus creata sunt omnia, sed ab immutabili Deitate cuncta sunt ex nihilo facta : ac propterea ex ipso Patre sunt, qui ab illo originem ducunt.

CAPUT XII.

Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Quia supra dixerat Apostolus, conclusit Deus omnia in D incredulitate, ut omnium misereatur, ostendens quod sive Judæi credentes, sive gentiles, non suis meritis, sed misericordia et gratia Dei salvati sunt ; obsecrat eos modo, et omnes credentes per eamdem misericordiam, qua redempti sunt sanguine Christi, et tempore baptismatis ab omnibus sordibus abluti, ut exhibeant corpora sua hostiam viventem, et dicit : Obsecro vos per misericordiam Dei ; ac si diceret : Non per potentiam magisterialem vobis impero, qua sum vester magister et apostolus, sed obsecro et deprecor quasi socius, quapropter et fratres eos appellat, non carne, sed fide, recolens illud quod Salvator fidelibus dixit : *Omnes vos fratres estis, quia unus est Pater vester, qui est in cœlis* (*Matth.*

xxiii). Hoc inquit : Obsecro per misericordiam Dei, quia salvati estis ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, quod erant apud Romanos Judæi credentes qui victimas et hostias legales Deo Hierosolymis in templo obtulerant : hos hortatur ut jam non boves, non hircos, non arietes, sed semetipsos hostias Deo spiritales immolent. Siquidem quando ista scribebat Apostolus, adhuc templum Hierosolymis stabat, et necdum erat subversum a Romanis. Hostia igitur et immolatur et viva est, quando homo ab hac vita non deficit, et carnalibus vitiis se occidit, mortificando membra sua cum peccatis et concupiscentiis. Verbi gratia : fuit superbus, efficitur humilis ; fuit luxuriosus, efficitur castus ; fuit gulosus, efficitur temperatus, appetitor parcimoniæ existens, omnisque frugalitatis. Sic vivit homo virtutibus, et moritur vitiis. Hostiæ appellabantur in Veteri Testamento animalia, quæ adducebantur ad ostium domus Domini, ibique sacerdotibus tradebantur ; victimæ vero dicebantur a vinciendo, eo quod funibus et restibus vincta animalia ad sacrificium adducebantur Quantum vero ad paganorum pertinet ritum, hostia dicebatur sacrificium quod offerebatur idolis, quando contra hostes dimicandum erat : victima vero dicebatur sacrificium, quod, victoria potita, diis pro gratiarum actione offerebatur. Sanctam : corpora nostra fieri debent hostia sancta, quia templum sunt Spiritus sancti, juxta quod dicitur alibi : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* iii). Et rursus : *Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti ?* (*I Cor* vi.) Oportet ergo sancta esse corpora, quæ Dei sunt habitacula. Deo placentem, id est a vitiis et peccatis separatam, quia qui vitiis se subtrahit et virtutibus imbuitur, Deo utique placet. Rationabile sit obsequium vestrum Obsequium proprie dicitur obedientia, ab eo verbo quod est obsequor, sed hic ab Apostolo pro cultu divinæ religionis ponitur, quod olim apud Judæos quodammodo irrationabile fuit, quando putabant invisibili et incorporeo Deo per corporales victimas et sanguinolentas se posse placere, et a peccatis mundari Neque enim ad rationem pertinet ut rationabilis creatura, quæ est homo, irrationabilia pro se offerat. Itaque rationabilis cultus est ut Deo, qui est spiritus, mens hominis offeratur, mortificata a vitiis. Quandocunque enim vitia carnis et recidiva peccata in nobis mortificamus, virtutibusque pollemus, hostia viva atque rationabilis efficimur. Sed fortasse quærit aliquis : Quare Deus omnipotens legales hostias victimasque sibi præceperit offerri, si ipse per illa sacrificia offerentibus placabilis non reddebatur, adeo ut peccata eis indulgeret ? Cui respondendum est, ob duas præcipue causas hoc a Deo præceptum esse : vel quia proni erant animi Judæorum ad idola colenda, atque ideo tolerabilius erat Deo a se creata sibi offerri quam dæmonibus, vel quia verum sacrificium futurum erat in mundo, Dominus videlicet Jesus Christus, qui una immolatione abstulit peccatum mundi, quod omnino dignum erat ut haberet figurativa sacrificia longe antequam veniret, ut per illa typica facilius perveniret ad istud verum. Sive etiam tertia causa mysterii fuit, ut illa offerrentur sacrificia typica, quatenus istud sacrificium præfiguraretur quod quotidie Ecclesia pro salute fidelium offertur.

Et nolite conformari huic sæculo. Per sæculum hic non debemus intelligere præsentem vitam, quæ semper annis, temporibus, diebus, noctibus, horis, atque momentis volvitur, sed homines per carnalem conversationem sæculo deditos, paganos videlicet, Judæos, hæreticos, falsosque Christianos, quibus non debemus assimilari et consociari, ne eorum vitiis inquinemur et nostris. Nolite, inquit, conformari huic sæculo, id est, nolite similes fieri amatoribus hujus sæculi, qui virtutes despiciunt, et vitia sectantur ; *sed reformamini in novitate sensus vestri*, per studium lectionis et meditationis Veteris Testamenti et Novi. Quotidie sensus noster et intellectus innovatur et reformatur dum proficimus, et magis ac magis in sapientia crescimus, ea de Deo intelligendo quæ antea ignorabamus. Reformatur etiam in novitate sensus noster, dum proficit in nobis opus bonum, quia quanto intellectus in effectum operibus vertitur, tanto amplius innovatur. Dicamus apertius: erat quis in littera legis positus, non penetrabat interiora : transiit ad Evangelium : didicit quod lex spiritaliter debeat intelligi, atque ita reformatus est in novitate sensus sui, dum amissis tenebris carnalis intelligentiæ ad fructum transiit spiritalis allegoriæ. Sic intelligendum et de his qui, spretis vitiis, ad virtutes transeunt, et dum proficiunt de virtute in virtutem, quotidie innovantur : *ut probetis quæ sit voluntas Dei :* qui sacras Scripturas sæculo legit, ille invenit quæ sit voluntas Dei, id est quid Deo placeat, quidve displiceat, vel quomodo voluntas ejus impleri possit In omnibus etenim actionibus nostris debemus perpendere utrum Deo accepta sint opera quæ agimus annon : *bona, et beneplacens, et perfecta.* Bona voluntas Dei est quia bona desiderat semper ; beneplacens, quia omnia bona placita sunt ei ; perfecta, quia nihil duplicitatis placet ei sed ea quæ sincero animo fiunt. Aliter : bona in fide, beneplacens in spe futurorum bonorum, perfecta in charitate, id est in Dei dilectione et proximi. Hæc enim tria voluntatem Dei perficiunt. Sive aliter : bona voluntas Dei est in conjugatis, beneplacens in viduis, perfecta in virginibus Hi tres ordines, si secundum voluntatem Dei et virtutum tramitem processerint, præmiis voluntatis Dei donabuntur.

Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos : Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Gratiam in hoc loco, secundum beatum Ambrosium, sapientiam debemus accipere, quæ Paulo gratis data est sine suis meritis in scientia Veteris et Novi Testamenti, et in linguis omnium gentium. Dicit enim beatus Augustinus in quodam sermone suo : Divinitus ita procuratum esse Apostolo, ut quia omnibus gentibus erat prædi-

caturus, majorem sapientiam præ omnibus apostolis haberet ut omnibus philosophis gentium et simplicibus esset sufficiens. Unde et Petrus in Epistola sua laudat illum, dicens : Sicut, inquit, frater noster Paulus prædicat in omnibus ecclesiis secundum sapientiam sibi a Deo datam (*II Petr.* III). Quod autem dicit, omnibus qui sunt inter vos, simpliciter et potest intelligi, ut dicatur : Omnibus dico qui sunt inter vos, et altiori intellectu, ut illos alloquatur qui per fidem Deo adhærebant qui semper habet esse, Deus enim solus est quia ipse substantialiter habet esse, sicut ad Moysen dicit (*Exod.* III) : *Ego sum qui sum*, et *Ego sum Deus Abraham*, etc. Quicunque ergo illi adhærent, illi sunt, sicut et qui non adhærent, non sunt : ergo qui sunt dicit, id est qui per fidem quæ per dilectionem operatur Deo copulantur. Et quid dico ? Hoc utique dico et præcipio, non plus sapere quam oportet sapere, id est non superbire. Hoc dicit contra gentiles tumentes, qui insultabant Judæis tanquam ramis fractis. Plus enim quam oportet sapit, qui propter alterius miseriam se extollit, cum potius humiliari debeat, ne et ipse cadat. Dicendum et propter eos qui, sanam doctrinam non sectantes, quædam falsitatis dogmata componunt, quibus simplicium animos corrumpunt, non plus sapere quam oportet sapere. Oportet denique ut viam præcedentium doctorum imitetur et ingenium præsentium magistrorum, adimplens quod dicit Sapientia : *Ne transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII), sed sapere ad sobrietatem, id est ad temperantiam. Sobrie namque sapit, qui agnoscit quid ipse sit, et sicut coram Deo in Christo loquitur. Hoc præceptum transgressi sunt omnes hæretici. *Et unicuique*, subaudis, dico sic debere sapere, *sicut Deus divisit mensuram fidei* : in fide namque mensura est, quantum ad nostram capacitatem attinet, quia alius plus, alius minus credit. Majorem enim fidem habuerunt apostoli montes transferendo, quam nos habeamus. Sive intelligitur hæc mensura in donis fidei quia habentibus fidem, alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ (*I Cor.* XII), etc. Et hujusmodi mensura secundum rationem fidei datur, quoniam non nisi fidem tenentibus tribuitur. Intelligitur et fidem ministeriis ecclesiasticis, quæ secundum modum suum debent peragi, et non ultra licitum usurpari. Verbi gratia : Presbyter es, non usurpes episcopi ministerium : diaconus es, noli tibi vindicare aliquid ex officio presbyteri. Sic de cæteris ministeriis et gradibus intelligendum est.

Sicut enim membra multa habemus in uno corpore, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo. Sicut in uno corpore multa membra unum corpus faciunt, ita multitudo fidelium conjuncta per fidem et dilectionem capiti suo, quod est Christus, unum corpus sumus cum illo. Verum membra corporis nostri propria habent officia, ut oculi videndi, aures audiendi, et reliqua similiter. Et sicut unum membrum alterius membri non usurpat officium, sic unusquisque nostrum non debet invadere alterius ministerium. Et tamen sicut oculi vident toto corpori, et aures audiunt, et os loquitur, et manus cooperantur suo corpori, sic debent agere et spiritalia membra Ecclesiæ. Oculi sunt qui aliis ministrant spiritale lumen sicut doctores : aures, boni auditores, qui verba magistrorum humiliter audiunt ; nares, qui scientiam discernendi inter fetores vitiorum et odores virtutum obtinent ; os, qui alios erudiunt ; manus, qui aliis ministrant necessaria sicut sunt eleemosynarii boni ; pedes, qui pro sanguine innoxio liberando, et ad infirmos visitandos currunt. Hæc sibi invicem prospicere et ministrare debent. Quapropter et infert Apostolus : *singuli autem alter alterius membra* ; quia unusquisque juxta gratiam sibi divinitus collatam alios juvare debet, ut sint sibi invicem membra, et in spiritalibus, et in temporalibus.

Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes. In hoc loco defectus dictionis est, quapropter necesse est ut subaudiatur aliquid ad completionem sensus. Dicatur itaque hoc modo : Sumus igitur nos habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis a Deo, differentes et ab invicem distantes, sicut et membra corporis. Verbi gratia : oculus non est auris, nec auris oculus : sic sunt in Ecclesia qui sunt oculi, et non sunt aures, sunt aures et non sunt oculi : sunt doctores, sunt auditores, sunt eleemosynarii, et cæteri ordines in quibus divisa est gratia. Gratia dicitur gratis data, et quidquid habent fideles donorum et donationum gratia Dei est, quia sine suis meritis illud perceperunt : *sive prophetiam*, subaudis quis habet : *sive rationem fidei* habet illam, quia fides hoc promeruit. Si enim non credidissemus, prophetiæ spiritum nequaquam accepissemus. Legitur (*Act.* XI) Agabus prophetasse post Domini ascensionem, et quatuor filiæ Philippi. Ipsi etiam apostoli prophetæ fuerunt, quia futura præmia electorum et pœnas reproborum prædicabant suis auditoribus. Alio modo, prophetiam hic pro doctrina possumus accipere, ut sit sensus : sive prophetiam, id est doctrinam, quis habet secundum rationem fidei, dispenset illam, nec plus sapiat quam oportet sapere. Rationem autem fidei, veritatem catholicæ fidei, dicit, secundum quam debet quilibet doctor dispensare prædicationem suam, ne forte a veritate deviet : *sive ministerium*, subaudis quis habet, *in ministrando*, non plus sapiat quam oportet sapere. In ministerio etenim gratis a Deo sibi collato, nemo superbire debet, id est non plus sapere quam oportet sapere. Habes quod ministres pauperibus et orphanis, noli superbire, quia gratis tibi a Deo datum est. Potest et de ministerio ecclesiastico intelligi, de quo nemo debet superbire, licet sit episcopus, licet presbyter, aut pater monasterii constitutus, sed magis debet se humiliare, attendens illud quod dicitur (*Luc.* XIV) : Omnis qui se humiliat, exaltabitur, et quanto magnus es, humilia te in omnibus : *sive qui docet in do*

ctrina, subaudis quæ illi a Deo gratis data est, non A debet plus sapere quam oportet sapere. Hæc autem doctrina in Veteri et Novo Testamento intelligitur.

Qui exhortatur, in exhortando subaudis non debet plus sapere quam oportet sapere, quia non oportet inde superbire. Hoc autem animadvertendum, hucusque subaudiendum esse a superioribus hujus Epistolæ : Non plus sapere quam oportet sapere. Exhortatio est species prædicationis et doctrinæ, et maxime ad dolentem et desperantem respicit. Verbi gratia : Sunt multi doctores qui sapientia divinarum Scripturarum pollentes pariterque eloquentia verborum florentes, tota die alloquuntur populum, disputantes de rectitudine fidei, de appetitu virtutum, et exsecratione vitiorum, de felicitate per- B petui regni, et perditione inferni : et protelato sermone pene usque ad solis occubitum, exemplum consolationis lapsis minime proferunt. Interim vero dum audit aliquis ex circumstantibus pœnas inferni, quæ ab illis minantur his qui criminalibus delictis tenentur obnoxii, et recolit se aliquod facinus gravissimum perpetrasse, homicidium videlicet, adulterium, aut aliquid horum ; ob immanitatem sceleris sui tristitia desperationis perfunditur, quia non audivit verbum consolationis a prædicatoribus ; quem si invenerit quilibet simplex prædicator statim percontando perquiri ab eo cujus rei causa tristetur, mœstusque incedat ; et comperta causa consolatur illum verbis simplicibus, quibus valet, simulque hortatur ne desperet de venia sa- C lutis, dans pariter exempla consolatoria, ac dicens : Quid in desperationis malum laberis? Considera (si mavis) misericordias Domini quantæ sint, de quibus Psalmista dicit : Misericordia Domini super omnia opera ejus. Nunquid David non erat rex et propheta, quando simul patravit adulterium cum homicidio ? et tamen veniam meruit. Nunquid Petrus postquam electus est a Domino, non negavit illum ter dicens: *Non novi illum* (*Matth.* XXVI)? et tamen pius Dominus postea præfecit illum Ecclesiæ suæ. Nunquid et latro non meruit audire : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXV) ? Talibus verbis exhortaturus illum alloquens qui in desperationem ruerat, in spem veniæ sistit. Ecce quomodo exhortatio species D est prædicationis. *Qui tribuit in simplicitate*, id est, qui eleemosynam pauperibus largitur, et doctrinam inscio, ideo faciat, ut Deo et non hominibus placeat, et est subaudiendum : Ita qui tribuit, in simplicitate tribuat. *Qui præest in sollicitudine*, subaudis debet præesse, ut sibi commissos non negligat. Hæc sollicitudo, id est magna cura, circa animas maxime debet esse. *Qui miseretur*, subaudis pauperibus, cibum esurienti porrigendo, et potum sitienti, vestimentum algenti, et testum vaganti, *in hilaritate* et gaudio mentis hoc faciat, quia hilarem datorem diligit Deus. Cum gaudio etenim mentis eleemosyna danda est, et misericordia præstanda. Securus sit de mercede qui huic operi insistit, quia qui parva tribuit ac temporalia, recepturus est maxima præmia et æterna : quoniam eleemosyna quæ pauperi largitur in terra, a Domino recipitur in cœlo, sicut beatus Ambrosius dicit : Ipse idemque dicturus est electis in die judicii : *Quandiu uni ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). At qui de mercede æternæ retributionis dubitat, in hilaritate cordis eleemosynas non erogat. Non enim prodest quod porrigit, quia et hic amittit quod tribuit, et in futuro præmium vel mercedem non recipiet.

Dilectio sine simulatione, subaudis adimplenda est. Omnis dilectio quæ secundum Deum non est, et pro Dei amore non agitur, simulatio et fictio vocanda est. Ideoque qui fratrem diligere dicitur, si non correxit cum eum errare viderit, simulatam charitatem erga proximum habere convincitur. *Odientes malum*, id est diabolum et membra illius, atque omne peccatum sitis odientes. Notandum autem, odium hic in bonam partem accipiendum, quoniam est et odium malum quo odimus fratrem nostrum : *adhærentes bono*, id est Deo, qui est summum bonum, et membris ejus atque justitiæ, omnibusque virtutibus ; *charitate fraternitatis invicem diligentes*, id est cum charitate fraternitatis sitis vos alterutrum diligentes, quia unus est Pater vester, qui in cœlis est. Omnes enim qui unam fidem habent et uno baptismate sunt abluti, ita se invicem diligere secundum Deum debent, veluti fratres ex uno matris utero egressi ; *honore invicem prævenientes*, id est : invicem honorem vobis impendite, prælati subjectis, subjecti prælatis, quia humilitatis virtus, etiam ethnicis placet.

Sollicitudine non sitis pigri, id est, in cura subditorum non sitis desides et torpentes, ne forte cum servo inutili damnemini, qui ligatis manibus et pedibus, missus est in tenebras. Et non solum qui præest, verum etiam omnis subjectus, studiosus et velox debet esse ad omne opus bonum ; *spiritu ferventes*, id est calorem et fervorem Spiritus sancti habeatis, vel spiritu, id est mente, non sitis tepidi in dilectione Dei et proximi, ne forte audiatis : *Quia nec frigidus es, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III). De hujus ignis fervore, dicit Dominus in Evangelio : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII), etc. *Domino servientes*, non divitiis neque vitiis, sive delectationibus. Illi Domino serviunt qui ejus præcepta servant. *Spe gaudentes*, spes est exspectatio futurorum bonorum. Inde dicit Apostolus modo : *Spe* sive exspectatione præmiorum cœlestium sitis *gaudentes* etiam in angustiis : *in tribulatione*, vobis illata a persecutoribus, sitis *patientes*, id est in animositate non reluctantes, et non requirentes præmium in præsenti ; *orationi instantes*, quia quod humanis auxiliis neque nostris viribus obtinere et agere non possumus, necesse est ut orationibus a Deo impetremus, sicut de Daniel et sociis ejus legimus.

Necessitatibus sanctorum communicantes. Non

dixit, sanctis eleemosynam præbete aut facite, sed honestiori verbo usus est : Vestra bona sanctis participate. Eo tempore quo Apostolus ista scribebat, credentes suis facultatibus privabantur, unde laudando dicit in Epistola ad Hebræos Judæis credentibus : *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis* (*Hebr.* x). Ideoque illos qui facultatibus propriis adhuc non erant privati hortabatur Apostolus, ut exspoliatis pro Christi nomine subsidia temporalia administrarent, illorum indigentiam suam putantes, bonis temporalibus cum eis in commune utentes. Dei etenim dona communia non debent fieri privata. *Hospitalitatem sectantes.* Non dixit, Hospitales estote, vel hospitalitatem sequimini, sed dixit : Hospitalitatem sectamini. Plus enim dixit; sequitur namque hospitalitatem, B qui rogantes suscipit : sectatur vero qui etiam non rogantes cogit et quærit, ne forte in vicis et plateis extra tectum remaneant. Magna etenim virtus est hospitalitas, per quam multi placuerunt Deo, Angelis hospitio susceptis, sicut Abraham et Loth, et alii multi.

Benedicite persequentibus vos, id est, benedicite illos, et bene loquimini cum illis qui vobis vim inferunt; *benedicite, et nolite maledicere*, id est malum dicere. Verbi gratia : Detrahere alicui aut blasphemare, vel contumeliam facere, maledicere est. Quasi dicat : Licet ipsi male loquantur de vobis, dicentes vos magos esse et discipulos seductoris hominis, nolite ideo illis maledicere, sed patienter ferte illorum opprobria. Quod apostolus in semetipso implebat, hoc utique suis auditoribus implere præcipiebat. Dixit enim alibi : *Maledicimur, et benedicimus* (*I Cor.* IV).

Gaudere cum gaudentibus studetote. Non præcipit gaudere cum his qui gaudent de transitoriis et caducis rebus, sed cum his qui gaudent quod nomina eorum scripta sunt in cœlis. Neque enim quibuscunque gaudiis Christianorum gaudia socianda sunt : nec quibuscunque fletibus lacrymæ nostræ jungendæ sunt. Verbi gratia : si videmus gaudere aliquos super quæstum pecuniæ, aut possessionum latitudinem, non debemus congratulari illis, quia istorum gaudia luctus sequuntur et lacrymæ. Unde Dominus non solus de talibus, sed etiam de hoc admonuit Apostolus non esse gaudendum quod dæmonia eis subjecta erant, sed potius de hoc quod nomina eorum scripta essent in cœlo, et est sensus : Si videritis hominem digna opera agentem, quæ mereamur scribi in cœlis, de illius salute congaudetote. *Flere cum flentibus* curate : non cum his qui lugent et deflent amissionem rerum temporalium sed potius cum his qui sua aut proximorum deflent peccata, sicut Samuel deflebat Saul, eo quod recessisset Dominus ab eo; et Paulus multos Corinthiorum, qui post fornicationem non egerant pœnitentiam. Sive etiam cum his lugere præcipit, qui lugent quod differtur a regno cœlorum, securi jam de præmio, de A quibus omnibus Dominus dicit : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* III).

Idipsum invicem sentientes. Hic sermo apertius habetur in Græco. Est autem sensus : Sic sentite de alio sicut de vobis, id est, sicut vobis bona optatis, sic et aliis; et sicut vosipsos diligitis, sic alios diligite : vel, ita æstimate vos diligi a fratre veluti a vobismetipsis. *Non alta sapientes*, id est superba, *sed humilibus consentientes*, ut et vos humiles exhibeatis. *Discite a me*, inquit Dominus, *quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Humilibus autem consentit, qui cum humilibus se humiliat, non præferens se illis, sed socians et exspectans quod Dominus promisit : *Omnis qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV). Quicunque enim humilitatem veram habent, utique B eamdem humilitatem in aliis venerantur. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Apud se prudens est, et non apud Deum, qui sapientiam quam habet non Auctori omnis sapientiæ deputat sed sibi suisque meritis et ingeniis, sive studiis suis. Quo vitio deprehenduntur laborasse philosophi gentium, de quibus dicit idem Apostolus in exordio hujus Epistolæ : *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* (*Rom.* I), id est, vani facti sunt, non referentes Deo gratias de collato sibi bono sine suis meritis. Aliter : Apud se sapiens vel prudens est, qui cum sit stultus, sapientem se putat esse, et gloriatur in se, quia sperat scire quod nescit. Vel etiam tertio modo : Prudens apud se esse dicitur, quod vindictam expe- C tendo suas injurias ulciscitur, quod sequens versus judicat :

Nulli malum pro malo reddentes. Multi putant non esse peccatum si quis accepta injuria se ulciscitur, et vindictam iterum sumit. Quod si ita esset, nequaquam Apostolus talia præciperet; ac propterea dicunt aliqui, etiam plerumque majus esse delictum, si malum quis pro malo reddiderit : quoniam potest fieri ut qui prius malum intulit quod peccatum aut malum esset ignoraverit; ille vero qui vindictam expetit, et vicem reddit, quod malum fuerit, statim ostendit. Unde potest ita intelligi, quod malum inferre alteri culpa est : reddere vero malum pro malo, peccatum est. Et dum dicit Apostolus nulli malum esse reddendum, fidelem qui videtur esse et infide- D lem tangit : fideli ideo, quia frater est : et infideli, ut lucrari possit. *Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Coram Deo bona sibi providet, qui intimo cordis ei qui secreta intuetur placere studet, et illum non cogitatione, non verbo non opere vult offendere, nec offendit quantum valet. Providet et coram omnibus hominibus bona, qui verbo et moribus, omnique conversatione in omni vita sua pro viribus suis, inquantum valet, irreprehensibilem se præbet.

Si fieri potest quod in vobis est, id est quod vestræ congruit religioni, *cum omnibus hominibus pacem habente.* Rem difficilem dicturus, præmisit, dicens : Si fieri potest, quia vix aut nullatenus fieri potest, ut pax cum

omnibus hominibus servetur. Nam si paganum increpaveris, teque contempserit, non vult tecum habere pacem. Similiter de Judæo intelligendum atque hæretico. Dicamus et aliter : Et quilibet prælatus increpat subjectos delinquentes. Dum enim eis displicet increpatio prælati, pacem cum illis habere non potest ; et cum ita sit, unusquisque animum suum servet pacatum et quietum, habens in se cum illis pacem, diligendo eos, quia Dominus omnium auctor est, licet vitiis se ab illo separent. Hoc loco, et in sequentibus, prohibet contentiones et lites, quibus maxime pax violatur.

Non vosmetipsos defendentes, charissimi. Hoc dupliciter est intelligendum : uno modo de adversariis nostris, hæreticis videlicet, falsis fratribus : qui in nos plerumque sæviunt, de quibus non debemus nos defendere, vindictam expetendo ; alio vero modo ut si fuerit quis infidelium contra nos excitatus pro nomine Christi, aut causa alicujus jurgii, verbis contradictoriis, prout ratio dictat parcamus, ut mansueti et humiles et appareamus, imitantes Dominum, qui pauca coram Pilato respondit. *Sed date locum iræ :* Duobus modis locum damus iræ; vel cum refrenamus animum ne vindictam expetamus ; vel cum de loco ad locum fugimus. Date, inquit, locum iræ, id est, eos qui contra vos irati sæviunt, permittite vobis nocere, quia patientia vestra remunerabitur, et eorum sævitia punietur. Vel, date locum iræ, id est, nolite vos vindicare, sed fugite de loco ad locum, juxta quod Dominus præcipit dicens : *Si vos fuerint persecuti in civitate una, fugite in aliam* (*Matth.* XIX). Quod autem dicit : Date locum iræ, hæc ira vel illius intelligitur qui sævit, vel futuri judicis qui in sequentibus loquitur per exemplum propheticum. *Scriptum est enim : Mihi vindictam*, subaudis reservate, *et ego retribuam*, vobis qui patienter tulistis præmia et coronam; et illis qui malum intulerunt vindictam pœnarum gehennæ Quia enim homo in vindicta modum excedit, nec potest se vindicare cum tranquillitate mentis, idcirco omnipotens Deus præcipit sibi vindictam reservari, ut ipse qui immutabilis est judicet illos, et qui non movetur ad iram, juxta quod ei eximius orator Salomon dicit : *Tu autem*, Domine, *cum tranquillitate judicas* omnia (*Sap.* XII). Hujus etenim judicis justum est judicium, quoniam non excedit modum, nec perturbatur in suo judicio.

Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi. Si hoc feceris, tunc pro malo reddes bona, et accipies magna præmia. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* Carbones ignis appellat in hoc loco fervorem charitatis Dei et proximi, de quo fervore Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII). Si hæc feceris, inquit, quæ superius diximus, cibum videlicet et potum inimico ministrando, carbones ignis, id est ardorem charitatis, pones super caput ejus, id est super mentem ejus; quatenus tuis beneficiis delectatus, incipiat diligere te, quem antea exosum habebat, intantum ut dicat : Quid est quod hactenus egi contra hunc virum ? cur ei mala tanta intuli, qui mihi tot bona contulit? Sine causa ergo infestus ei exstiti : Quapropter, quia tam benigne et patienter erga me agit, incipiam illum diligere ut charissimum fratrem, quem hactenus persequabar ut hostem. Si autem ei cibum et potum tribuit, idcirco hoc fecerit, juxta quod quidam voluerunt intelligere, ut carbones ignis, id est pœnas inferni, ei præparet, dum ejus beneficiis honoratus eum non dilexerit, jam hoc non est charitas, ideoque melius est ita intelligi, ut supra diximus in primo de ardore charitatis. Quod vero dicit, super caput, recte per caput mens, id est rationabilitas ac principalitas animæ accipitur : quia sicut omnia membra reguntur a capite, ita cogitationes et voluntates mente disponuntur.

Noli vinci a malo. Noli, inquit, vinci a malo, id est ab aliquo vitio, non ab ira, non ab odio, non ab injustitia Sive, noli vinci a malo, id est diabolo a quo vinceris dum contra inimicum tuum iracundia accenderis, quia ad suam voluntatem te trahit. Aliter : Si tuas injurias ulcisci volueris, a malo vinceris, quia ei qui tibi malum fecit, similis efficeris : quandocunque enim diabolo vel vitio alicui obedimur, vincimur ab illo. Dum malum pro malo reddimus, ab illo vincimur qui nobis injuriam fecit, et cui vicem reddimus, quia nos similes sibi facit. Si autem commotum animum refrenamus ut vindictam proximo non inferamus, tunc victores exsistimus, et de peccato ad salutem acquirendo fratrem triumphamus. *Sed vince in bono malum.* Vince in bono malum, id est in Deo diabolum. Vince in bono malum, in patientia supera inimicum et adversarium tuum, præbendo ei cibum et potum, vestimentum et calceamentum ; dum enim tuis beneficiis provocas illum ad hoc ut te incipiat diligere eo modo quo superius diximus, quodammodo superas illum. Vel vince in bono malum, id est in virtutibus vince et supra vitia et peccata, accipiendo ex eis palmam victoriæ.

CAPUT XIII.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. In exordio sanctæ Ecclesiæ ex omnibus conditionibus veniebant ad fidem, et ne servi, ancillæ, seu quilibet subjecti dicerent, quod ipsi qui consecuti erant libertatem omnium peccatorum, et filii Dei effecti, indignum esset ut servirent sæculi potestatibus, dixit Apostolus : Omnis anima, id est omnis homo, liber et servus, fidelis et infidelis, potestatibus sublimioribus subditus sit. Omnis anima dicit, pro eo quod est omnis homo. In sacra enim Scriptura, frequenter sola anima totum hominem significat, sicut hic, et in Genesi, ubi dicitur : Quod ingressus est Jacob in Ægyptum in animabus septuaginta (*Gen.* XLVI) ; et in Actibus apostolorum : *Eramus*, inquit, *in navi animæ ducentæ septuaginta sex* (*Act.* XXVII). Potestatibus sublimioribus dicit, regibus et principibus, tribunis, centurionibus, dominis, omnibusque prælatis Hoc et Petrus præcipit (*I Petr* II): Subditi, inquiens, estote omni humanæ creaturæ, id est omni-

bus hominibus, vobis præpositis, et hoc propter Deum, sive propter amorem Domini. Inquantum quippe homo non offendit Deum, obsequi et obedire debet celsioribus. Nam homo constat ex anima et corpore : et in anima quidem debet servare et inviolatam fidem Deo, in corpore vero debet servire sibi dominantibus secundum servitutem præsentis vitæ. Verum si contra fidei propositum viderit sibi imperari a principibus hujus sæculi, sive potestatibus, vel dominis, tunc pro fide usque ad mortem satagat laborare, ne, quod majus est, animam videlicet perdat : quoniam licet illa potestas interficiat corpus gladio, animam autem non potest occidere. *Non est enim potestas nisi a Deo.* Omnis potestas, sive major, sive minor, quæ hominibus præstatur, aut ex voluntate Dei, aut ex permissione constituta est, sicut dicitur per Salomonem (*Prov.* VIII) : Per me reges regnant, et principes docuerunt justitiam. Si autem quærimus quare hæ potestates ordinatæ sint, id dicendum, quod genus humanum bestiale effectum, belluino more contra se cœpit sævire, intantum, ut primi parentis filius in fratrem consurgens, interfecerit eum. Bestiarum enim est et hominis discerpere, et se invicem lacerare atque devorare. Verbi gratia : Leo devorat hominem et ursum, ursus et lupus devorant homines, boves, et oves. Hac de causa omnipotens Deus bestialibus hominibus principes præposuit, ut eorum terrore acerbitas animorum illorum reprimeretur. Sunt etiam pisces alios deglutientes, quos imitabantur homines in alios sævientes, quorum temeritas principum formidine sedata est. *Quæ autem sunt*, subaudis potestates super alios a Deo ordinatæ, sive quæ sunt jura potestatum, *a Deo ordinatæ sunt.* Potestates etenim vel jura potestatum quæ in mundo principantur, a Deo constitutæ sunt, sicut jam supra diximus. Unde Dominus dixit Pilato : *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper* (*Joan.* XIX). Quibus verbis indicatur, quod sive bona potestas, ut David, seu mala fuerit, ut Nero, non est nisi aut volente aut permittente Deo. Hoc autem totum idcirco prosequitur Apostolus, ut potestatibus subditi sint, quia nonnulli (sicut jam diximus) ad fidem venientes, pristinum obsequium et servitium, quasi liberi effecti, dominis et principibus suis nolebant reddere, cum Dominus Jesus non venerit conditiones mutare, sed animas in æternum victuras salvare. Dicebant enim Romani credentes : Nos qui divinis legibus paremus, et Deo servimus, non debemus servire nec honorem præbere Neroni, aliisque potestatibus terrenis. Quapropter Apostolus talia scripsit eis. Poterat namque scandalum nasci dominis et principibus, si servi et subjecti eorum Christiani effecti, a servitio illorum efficerentur alieni. Noceret quoque Ecclesiæ, dum non permitterentur alii credere, cum magis meliores debeant domini servos suos recipere, fideles Christi effectos. Hoc et ipsa Veritas per semetipsam præcipit, dicens: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII).

Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sive bona sit illa potestas, seu mala, quicunque ei resistit subtrahendo servitium ab ea, denegando tributum, et honorem non præbendo quem ei debet præbere, Dei ordinationi resistit et dispositioni, cujus ordinatione illi principantur. Quidam, male sentientes, has potestates interpretati sunt dæmones, de quibus in Epistola ad Ephesios dicitur : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates* (*Ephes.* VI). Sed iste sensus valde est superfluus, quia in nullo debemus subdi dæmonibus. *Qui autem resistunt* potestatibus, regibus videlicet et principibus, et dominis suis, *ipsi sibi damnationem acquirunt.* Pro qualitate enim culpæ acquirunt sibi vindictam, quia iratæ illæ potestates dum subditi eis parere contemnunt, aut occidunt eos, aut in carcerem mittunt, aut etiam in exsilium dirigunt. Si quæsierit aliquis, cur Dominus damnaverit servum, aut princeps subjectum ? responde : Resistebat mihi, et idcirco vindictam accepi ex illo. Considerandum autem, quia non de damnatione æterna loquitur Apostolus, sed de corporali, eo modo quo dictum habemus.

Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali, id est, non sunt ad hoc constituti ut timorem incutiant bene laborantibus et bono operi insistentibus, sed malefacientibus et servire nolentibus. Nam ad hoc sunt constituti, ut bene laborantes laudent et adjuvent, male vero facientes damnent. Sed si quis bonum facit, non timet potestatem : qui vero malum timet, ab eo damnatur; unde subdit Apostolus : *Vis autem non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex illa.* Non dicit laudabit te illa potestas, quia multæ potestates sunt, quæ in subditis magis malum quam bonum diligunt, sed habebis laudem ex illa potestate, id est, ipsa erit occasio ut laude dignus sis, quia si tuo exemplo ad fidem vel justitiæ opera fuerit perducta, laudaberis tam ab illa, quam etiam ab aliis, et apud Deum quoque laude dignus eris. Aliter : si potestas illa usque ad mortem pœnis te afflixerit, aut in aliquo contraria exstiterit, ut quoque legitime decertando mortem aut aliquam injuriam patienter pertuleris, habebis ex illa laudem, id est, ipsa præbebit occasionem ut tu lauderis : quia percipies pro persecutionibus ejus tibi irrogatis perpetuam beatitudinem, et laudaberis apud Deum et homines. Consideremus Laurentium qui pro Christi nomine acerrime est ustulatus. Non fuisset laude dignus perfecte inventus, nisi a suo persecutore fuisset ustulatus ; ideoque ipsa potestas fuit occasio laudis ejus. Sic de cæteris sanctis martyribus est intelligendum, et de omnibus qui injuste damnantur.

Dei enim minister est tibi in bonum. Dei enim minister est, id est, a Deo constitutus est ad bonum tuum, ut suo timore et adjutorio custodiat et tueatur te, ne interficiaris ab inimico tuo et tuam substantiam non diripiant alii. Aliter : Sunt multi qui nolunt agere malum, sed timent potestatem mundanam, et causa hujus timoris non percipiunt quod cupiunt. Ergo ad bonum illorum ne faciant malum, potestates

illæ præpositæ sunt, quia quo amplius homo malum facit, eo amplius pœnas sustinebit majores. *Si autem male feceris, time*; id est, non leve feras potestatem timere : poterit enim te damnare inventa occasione. *Non enim sine causa gladium portat.* Per gladium intelligitur vindicta. Non sine causa gladium portat, id est, non sine causa ulciscendi potestatem habet. Sunt nempe quædam enormia flagitia, quæ potius per mundi judices quam per antistites et rectores Ecclesiarum judicantur ; sicut cum quis interficit pontificem apostolicum, episcopum sive presbyterum, sive diaconum. Hujusmodi reos reges et principes mundi damnant. Ergo non sine causa gladium portat, qui talia scelera judicat. Sunt etiam maxime constituti propter latrones, homicidas, raptores, ut illos damnent, et alios suo timore compescere faciant. Unde subditur : *Dei enim minister est, vindex in iram,* id est in vindictam, *ei qui malum facit.*

Ideoque necessitate subditi estote. Hoc est, quia illi vobis Dei ministri sunt in bonum, obedite illis, ut cum eis pacem habere possitis ; vel necessitate subditi estote, qui ulciscentur se de vobis, si eorum potestati contradixeritis. Ad hoc enim a Deo est præpositus ut benefacientes justeque viventes sua protectione muniendo defendat, vindictam vero inferat peccantibus, sibique resistentibus. Quapropter subditur : *non solum propter iram*, sive vindictam qua consurgent in vos, *sed et propter conscientiam*, id est, propter mentem quam debetis habere mundam in dilectione ejus cui subditi estis, maxime propter hoc quia a Deo constitutus est, cujus ordinationi reluctari non debetis. Verbi gratia : Es subditus illi timens damnum temporale, dum servis ad oculum : esto subditus propter conscientiam mentis, ut in ipsa conscientia quam Dominus intuetur, non habeas illum odio cui præstas obsequium, sed tua mens perhibeat tibi testimonium quod ex corde diligas illum.

Ideo enim et tributa præstatis. Subaudis quia a Deo præpositi sunt vobis, vel quia defendunt vos ab hostibus, et suo timore constringunt inimicos vestros, ne interficiamini ab illis, neque vestra bona diripiant, vel etiam ne in vos suam vindictam exerceant, si in aliquo rebelles fueritis : et eorum iram patiamini, sicut passi sunt Judæi, qui noluerant Romanis tributum dare. Unde et sequitur : *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.* Subaudis ut vos defendant, reos puniant, tributum a vobis recipiant. Sic et Joannes Baptista militibus quærentibus quid agere deberent, respondit : *Neminem concutiatis, nemini calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris* (*Luc.* III). Ubi notandum est, quia non dixit : Nolite militare, quia milites a Deo constituuntur, ut ab eis patriæ sibi commissæ tueantur.

Reddite ergo omnibus debita, id est consuetum obsequium ; sicut Dominus ait : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII) : *cui tributum*, debetis reddere, reddite ei *tributum*, sicut et ipse Conditor pro se et Petro didrachma (*Matth.* XVII). Tributum dicit a tribunis, et tribuni a tribus. A Siquidem Romulus conditor et auctor Romæ, in tres partes populum sibi subjectum divisit rationabili distributione : in senatores videlicet, quæ et consules vocabantur, in milites et agricolas, et unicuique parti principem unum constituit, qui tribunus dicebatur, eo quod uni ex tribus partibus præesset. Census vero quia subditis exigebatur. *Cui vectigal, vectigal.* Vectigal est tributum fiscale, et dicitur a vehendo, eo quod accipiatur de vectis, id est, de deportatis mercibus ; *cui timorem, timorem*, debetis, ut dominis, reddite illi ; *cui honorem, honorem*, debetis, reddite illi, non solum in conquiescendo et humiliando, sed etiam munera dando.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Sic omnibus servitutis vestræ obsequia et debita red- B dite, ut nemini quidquam pro quo vobis irascatur, debeatis, nisi ut invicem diligatis. Reddite debitum et obsequium, quod omnibus potestatibus et principibus persolvere debetis, id est, eos qui nobis præpositi sunt, diligere debetis. Hoc debitum charitatis quandiu in præsenti sæculo vivitur, debetur, in futuro quoque sine pondere plenius firmabitur. *Qui enim diligit proximum, legem implevit.* Proximus iste non tantum propinquus cognatione aut aliqua affinitate, sed etiam omnis homo intelligitur, quem diligendo, legem Moysi implemus, quia quod Moyses prohibet per legem : *Non occides, non adulterabis*, et cætera talia, si dilectionem habemus contra proximum non agimus. Si enim proximum diligis sicut C teipsum, non occides illum, quia non vis occidi : non pollues uxorem ejus, quia tuam ab illo adulterari non vis, sic et de cæteris intelligendum est. Et ut abundet justitia nostra super justitiam scribarum et Pharisæorum cæterorumque Judæorum, inimicos etiam nostros debemus diligere propter Dei amorem ; et licet ab illis persecutionem sustineamus, non tamen debemus diligere et amare in illis vitia, sed naturam, adimplentes quod Veritas præcipit : *Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus vos* (*Matth.* V). Sed quæritur cur Dominus dicat in dilectione Dei et proximi totam legem consistere : quare dicat Apostolus in sola dilectione proximi legem impleri? Quod hoc modo solvitur, quia in dilectione proximi, consistit et dilectio Dei. Neque enim proximus sine Deo, nec Deus sine proximo potest diligi. Vel D ideo etiam in dilectione proximi totam legem dicit impleri, quia in dilectione Dei non sic facile possumus probari, utrum Deum diligamus annon, sicut in dilectione proximi. Verbi gratia : Dum malum pro malo non reddo, dum peccanti in me fratri dimitto, cum colligo vagum ad hospitium, dum hilari mente et vultu eleemosynam impendere satago, dum oro pro persequentibus, apparet utique in his et talibus, quia diligo proximum : et dum diligo proximum, ostendo me diligere et Deum, cujus mandatis obtempero. Hoc enim mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat proximum suum ; quia per dilectionem proximi pervenitur ad dilectionem Dei, et per dilectionem Dei ad proximi dilectionem perve-

nitur Quamvis enim dilectio Dei major sit dignitate, tamen dilectio proximi prior erit in operatione. *Qui enim non diligit fratrem suum*, inquit Joannes, *quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* (*I Joan.* IV.) Intelligamus et per proximum, illum Samaritanum qui fecit misericordiam cum saucio vulnerato a latronibus, id est Christum, qui nobis factus est proximus per assumptionem carnis. Ergo qui hunc diligit, legem charitatis adimplet et legem Moysi, quia nihil contra voluntatem ejus facit. *Et si quod est aliud mandatum*, subaudis præter ista quæ enumeravimus, de adulterio videlicet, homicidio, fornicatione, falso testimonio, et concupiscentia, in *hoc verbo*, id est dilectione Christi, *instauratur*, id est redintegratur, vel adimpletur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Dilectio proximi malum non operatur. Non solum non operatur, verum etiam malum non cogitat de proximo. *Plenitudo ergo legis*, Mosaicæ atque Evangelii, *dilectio est* Dei et proximi. Ubi charitas est, quid est quod possit deesse: et ubi charitas non est, quid potest prodesse? Quapropter appetenda est dilectio Dei et proximi, et summis viribus tenenda. Nam dilectio dicitur eo quod duos liget, Deum videlicet et hominem conjungat, vel unumquemque proximum cum alio.

Hoc scientes, quia hora est jam nos de somno surgere. Mos est sacræ Scripturæ, horam sæpissime pro tempore ponere, sicut et diem. Quæ est ergo ista hora, de qua Apostolus loquitur? Tempus est non legis, sed Evangelicæ prædicationis, vel videlicet ætas, finisque sæculi, in qua sumus jam positi, de quo idem Apostolus alias dicit: *Ecce nunc tempus acceptabile* (*II Cor.* VI). Dicit Apostolus Romanis et omnibus credentibus, etiam necdum credentibus. Hoc scientes, inquiens, id est, hoc scimus scientes, quia hora est sive tempus, jam nos de somno pigritiæ et desidiæ surgere, de somno quoque infidelitatis et vitiorum atque ignorantiæ. De hoc somno præcipit etiam nos Propheta expergisci, dicens: *Expergiscimini, ebrii* (*Joel.* I). Et quare dicit, jam tempus est surgere? Ille surgit, qui jacebat, et nos si hactenus jacuimus in vitiis, et torpore vitiorum, surgamus ad bona opera agenda, et laboremus viriliter studioseque. Poterat aliquis objicere Paulo: Cur præcipis nos jam de somno surgere? Ad hæc ille reddens causam. *Nunc enim*, inquit, *propior est nostra salus, quam cum credimus.* Quæ est ista salus? Vita æterna, gaudium sine fine mansurum, beatitudo perpetua quam soli electi cum angelis possessuri sunt, ista beatitudo et salus æterna propior est modo nobis quam eo tempore quando credidimus, quoniam dum finis mundi magis ac magis appropinquat, vita futura et salus æterna magis ac magis festinat.

Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Nox est cæcitas infidelitatis, nox est ignorantia, nox est etiam conversatio tenebrosa in peccatis. Ista nox quotidie præcedit in electis, et ad vitam æternam prædestinatis appropinquat dies, illuminatio videlicet fidei, A cognitio sanctæ Trinitatis, et splendor virtutum, quoniam dum transeunt quotidie per mortem corporis ab ærumnis hujus sæculi, in lucem supernæ claritatis colliguntur: vel etiam, per noctem possumus intelligere omne spatium præsentis vitæ usque ad finem sæculi. Per diem vero, vitam æternam, cujus claritatis comparatione vita præsens non incongrue nox appellatur, quia vita præsens semper in dolore versatur et tristitia, non habens perpetuitatem: illa vero gaudiis sine fine mansuris florebit, nihil tristitiæ admittens: quæ tunc plenissime manifestabitur, cum Dominus de judicio in regnum transierit. Ergo quia jam appropinquat, *Abjiciamus opera tenebrarum*, id est adulterium, homicidium, fornicationem, et cætera talia, quæ a regno cœlorum separant, et B ad tenebras perpetuas operatorem suum trahunt. Quæ etiam merito opera tenebrarum vocantur, eo quod in tenebris permaxime exerceantur, juxta quod Dominus manifestat, dicens: *Omnis qui* facit malum, *odit lucem* (*Joan.* III). *Et induamur arma lucis.* Arma lucis sunt fides, spes, charitas, pax, patientia, et cæteræ virtutes, quæ nos ad lucem æternæ beatitudinis perducunt: quæ non immerito arma appellantur, quia nos defendunt ab improbitate malignorum spirituum. Abjicimus ergo opera tenebrarum, quando exspoliamur vitiis, et induimur virtutibus. Induamur igitur arma lucis, hoc est, undique muniamus nos omnibus virtutibus, ut simus protecti et tuti contra adversa diaboli. Et quomodo debeamus illa arma indui et his virtutibus exornari, Apostolus declarat, C subnectens:

Sic id est, tali modo induimini arma lucis, *ut in die*, hoc est in claritate virtutum, *honeste ambulemus.* Qui in die ambulat, honeste ambulat, quia non offendit pedem suum ad lapidem, non cadit, non impingit, sicut ille qui in nocte ambulat. Nos autem, secundum hoc monitum Apostoli, honeste et sine offensione fidei et gratiæ sive scientiæ ambulare debemus. *Non in comessationibus.* Comessatio dicitur mensæ collatio, sive mensæ alternatio. Sunt enim convivia quæ celebrantur alternatim, et præparantur a sociis per dies et vices. Sunt etiam alia convivia, quæ ex communione præparantur, quando unus affert panem, alius carnes, alius vinum, atque alius D aliud, et idcirco comessationes, hoc est, mensæ collationes appellantur. Vocantur quoque eædem comessationes turpia et inhonesta convivia, quia sicut omnes propriis cibis utuntur et communibus, ita etiam pro libitu suo unusquisque quidquid scurrilitatis et otiositatis sibi placet loquitur. *Non in ebrietatibus.* Briam genere masculino dicimus calicem aptum potationi, a quo dicitur ebrietas, quæ est nimia potatio vini. *Non in cubilibus.* Cubilia proprie sunt lecti sive lustra ferarum dicta a fœdis cubitationibus, quibus assimilantur lecti illorum qui cum meretricibus in lupanaribus coeunt: *et impudicitiis.* Impudicitia est inverecundia et irreligiositas, sive turpis atque irrationabilis coitus. Generaliter omnis libido, et incontinentia, vel immunditia, impudicitia

appellatur. Operatores vero dicuntur impudici, inverecundi, atque irreligiosi. *Non in contentione.* Contentio est altercatio sive controversia, quæ plerumque ex quæstionibus Scripturarum solet oriri, ut videatur quis aliquid sapientiæ habere, dum alium vicerit sua pulsatione, et maxime ex re nullius utilitatis nascitur. Ideo vero vitanda est, quia rixam generat, de qua procedit odium, et de odio enormitas mali: *et æmulatione.* Æmulatio varias habet significationes: Significat enim imitationem significat studium, significat et invidiam, qua quis alterius felicitate torquetur, ut in hoc loco. Unde et æmulus dicitur imitator, dicitur studiosus et invidus.

Sed induimini Dominum Jesum Christum. Sensus ex superioribus pendet ubi præcipit sic indui arma lucis, ut in die honeste ambulemus: Nolite, inquit, ambulare, id est vivere in comessationibus et reliquis vitiis, sed induimini Dominum Jesum Christum. Sed quæstio oritur, quomodo possimus induere Dominum Jesum Christum, qui quadragesimo die resurrectionis suæ cœlorum altitudinem penetravit, ubi sedere nunc creditur in plenitudine paternæ majestatis? Christus ergo ipse est sapientia, ipse est instantia, ipse est pax, et reliquæ virtutes in ipso sunt: Christum itaque induit qui omnes virtutes quas scit in illo esse, inquantum valet cum Dei adjutorio illas assumit, juxta quod alias Apostolus dicit: Quotquot *in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III); id est, omnes virtutes tunc induistis: quia ab omnibus peccatis mundati estis. Similiter et in hoc loco intelligendum est: Induimini, inquit, Dominum Jesum Christum, id est omnes virtutes quas scitis in ipso esse, ut ipse sit decus atque ornamentum vestrum. *Et carnis curam ne feceritis in desideriis.* Non ait, necessitatem carnis ne feceritis; quia necesse est ut manducemus, bibamus, dormiamus, vestiamur. Hoc quia necessarium est, non prohibuit; sed carnis curam in desideriis, id est malum, utpote adulterium, crapulam, ebrietatem, usum quoque balnearum ultra quam expediat, et cætera quæ desiderat misera caro, ne perficiatis ait; et non dixit, Ne cogitetis, quoniam impossibile est cessare penitus a cogitatione delectationum. Sed hoc considerandum quia quod prohibuit in desideriis concessit in necessitatibus. Adhibenda est etenim cura carni in necessitatibus: in deliciis vero et luxuria atque omni concupiscentia, penitus excludenda.

CAPUT XIV.

Infirmum autem in fide assumite, subaudis in affectu charitatis, *non in disceptationibus cogitationum;* id est, non in dijudicationibus sive in contentionibus. Infirmus est in fide, qui in aliqua parte fidei dubitat, nec credit perfecte sicut credendum est. Infidelis est toto, qui nihil fidei habet. Firmus autem est in fide existens, qui in ea nihil dubitat. Ergo infirmus est in fide Judæus qui noviter ad finem veniens, non putat omnes cibos mundos; firmus vero in fide est gentilis, qui illud servat Evangelii: *Non quod in os intrat, coinquinat hominem* (*Matth.* XV): et illud Apostoli: *Omnia munda mundis* (*Tit.* I): et in Genesi: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I). Qui taliter sunt firmi in fide, debent assumere in affectum charitatis et in dilectionem suam Judæum, qui putat suillam carnem, leporinam, anguillinam, immundam esse, et cætera a quibus lex prohibet, et quæ ille ante gratiam fidei quasi communia, id est munda, dicebat. Istum tamen præcipit Apostolus assumere in dilectionem. Assumite, inquit, illum talem Judæum in affectum charitatis et nolite dijudicare illum in cogitationibus vestris, neque contendatis cum illo, licet quædam immunda putans nolit manducare.

Alius enim credit se manducare omnia. Alius, id est gentilis, firmus in fide, credit omnia munda esse mundis hominibus. *Qui autem infirmus est, olus manducet.* Judæus qui infirmus in fide, qui quasdam carnes abominatur, dum non vult eas comedere, olus, id est herbam hortorum, et quidquid cordi ejus placet, hoc sumat. Tu autem noli illum dijudicare. Per olus, omnia genera herbarum designantur, apta comestioni. Dicit beatus Hieronymus: Qui infirmus est impetu libidinis, abstineat a carnibus et vino, quibus libido excitatur, et olus manducet, id est viles cibos et aridos (quibus frenatur et restringitur fluxus libidinis) edere discat. Crassitudo enim carnium, et deliciosæ epulæ, provocant carnem corporis ad libidinem.

Is, id est gentilis, *qui manducat* indifferenter omnes cibos, *non manducantem* Judæum *non spernat*, in animo suo, quasi minus justum; *et qui non manducat* omnia, ut Judæus, *manducantem* omnia, gentilem videlicet, *non judicet* neque reprehendat quasi reum et peccatorem. Utrosque enim, Judæos et gentiles, alternis instruit sententiis. Potest et spiritaliter intelligi secundum beatum Gregorium: Qui manducat, inquit, id est qui meditando et scrutando sacram Scripturam penetrare valet, non manducantem, id est illum qui non valet penetrare, non despiciat neque spernat. Econtra qui non manducat, id est qui non intelligit nec valet penetrare profunditatem divinarum Scripturarum, illum qui intelligit et sapiens est, non contristet neque despiciat: *Deus enim illum*, subaudis gentilem manducantem omnia, *assumpsit* ad fidem suam quem perfecte docuit, ut nil putet immundum esse mundis hominibus.

Tu quis es qui judicas alienum servum? Et est sensus: Si Deus illum gentilem assumpsit ad fidem suam ut omnia manducet, tu quis es, qui illum de comestione sua reprehendis? Potest tamen et hæc sententia ad Judæum in fide assumptum referri, secundum quod sequentia manifestant ut dicatur: Deus assumpsit Judæum ad fidem suam, licet ille quædam immunda adhuc putet et rejiciat, tu quis es, o gentilis fidelis, qui judicas alienum servum: Judæum scilicet servum Christi per fidem? *Suo Domino stat*, subaudis si perfectus est in fide, *aut cadit* Domino suo, si in ea dubitat. Domino suo stat Judæus, si perfectus est, et si omnia credit munda, quia in

fide Domini sui stat. Si autem cadit, non credens omnia munda, non tibi cadit, o gentilis, qui non potes eum relevare, sed suo Domino quem offendit, qui potens est eum erigere et solidare in fide. Nam cadere sponte possumus, sed surgere, nisi a Deo erigamur, nequimus. *Stabit autem*, id est, perficietur et stabilietur in fide. Quare? *Potens est enim* Deus, cui cecidit, *statuere illum*, et in recta fide firmare. Verbi gratia : venit modo Judæus ad baptismum, transit ad gratiam Evangelii, nunquam comedit carnem suillam, aut anguillam, neque nauprædam, abstinet adhuc quasi a carne immunda, adhuc novellus Christianus est. Hic talis, dum per intervalla temporum perfectius eruditur, dum dicit quod nihil sit immundum, quod a fidelibus cum gratiarum actione sumitur, ecce statuitur a Deo et Domino suo cui cecidit putans aliquid immundum, ecce in fide firmatur.

Nam alius judicat diem inter diem. Ille judicat, id est discernit, et differentiam facit inter diem et diem, qui alternis diebus a carne vel vino abstinet, alternis non abstinet verbi gratia : Sunt modo multi, qui in secunda, et quarta, et sexta feria a carne et vino abstinent : tertia, quinta, et septima comedunt carnem, et vino indigent; *alius judicat*. Id est, decernit et eligit *omnem diem*, in abstinentia carnis vel vini, sicut eremitæ, et multi monachorum. Aliter : Diem inter diem judicat, qui quasdam sententias Veteris et Novi Testamenti intelligit, quasdam penetrare non valet. Omnem autem diem judicat, qui ex integro Vetus et Novum Testamentum intelligit. Non immerito ergo sacra Scriptura per diem intelligitur, quia sicut ignorantia est cæcitas, ita cognitio sanctæ Trinitatis quæ in Veteri et Novo Testamento continetur, lux et illuminatio cordis est. Tertio modo diem inter diem judicat, qui tantum de præsenti examinat et dijudicat, verbi gratia : Videt quis hominem bene facientem vel male. Quem cernit bonis operibus intentum, judicat eum propter justitiam præsentem bonum, et quem videt malis operibus deditum, judicat eum propter injustitiam suam malum. Si autem ille qui hodie bonus est, cras malum fecerit, judicat illum malum esse quem antea laudaverat et si ille qui hodie malus est, declinaverit a malis et pura mente Deo servire cœperit, judicat eum justum : iste talis diem inter diem judicat, quia secundum varietatem temporis et mutationem vitæ, mutat judicium suæ sententiæ Qui autem judicat omnem diem, Deus omnipotens intelligitur, qui novit qualis quisque sit in præsenti, in præterito, et in futuro : quia omnia sunt ei præsentia, et ipse potest eum qui hodie fecit malum, cras facere bonum. *Unusquisque in suo sensu abundet.* Non dicit indicativo modo abundat, sed imperativo abundet. Et est sensus : Secundum quod unicuique homini concessum est intelligere, abundet in suo judicio, id est, qui intelligit a carne abstinendum, abstineat : et qui non intelligit, id est, qui non vult abstinere, aut non potest, comedat. Aliter : Unusquisque in suo sensu abundet. Qui : magna intelligit et sublimis, observet illa, et abundet bonis operibus; et qui sublimia divinorum sacramentorum arcana capere non valet, ea quæ veraciter credit et intelligit, humiliter et devote Domino serviendo, adimpleat abundando bonis operibus. In suo sensu abundabat Cyprianus, quando semel mergebat in baptismate parvulos : quia quod intelligebat, studiose adimplebat, bonis operibus abundando, licet in hoc facto nescius delinqueret. Sed quia bonis operibus abundabat, postea correptus a Domino, abundavit altiori sensu, ter illos mergendo. Non est ergo de hæretico intelligendum, aut de prava doctrina, ut unusquisque magis ac magis abundet in errore suo.

Qui sapit diem, id est, qui eligit per omne tempus abstinendum. *Domino sapit*, id est Domino consentit, quia placet illi ejus abstinentia. Aliter : Qui sapit diem, id est, qui judicat peccatorem per pœnitentiam posse salvari, nec desperat de salute illius, Domino sapit, id est, Domino concordat in hac parte, qui peccatores non statim punit ut peccant, sed exspectat ad pœnitentiam. Ergo qui non judicat et damnat peccatorem, sed credit illum omni die posse venire ad veniam per Domini misericordiam, Domino sapit, quia cum Domino non concordat qui dixit : *In quacunque die peccator conversus fuerit ad me*, salvabitur (*Ezech.* XXXIII). Dum ergo peccator non desperat, cum Domino sapit, qui peccatorem exspectat, et eum qui hodie videtur injustus, fieri posse justum non desperat, cum Domino intelligit et concordat. *Et qui manducat*, subaudis omnia ut gentilis, *Domino manducat*, propter hoc subditur : *Gratias enim agit Deo*, videlicet, quia omnia credit esse munda, et omnia licet ei edere. Domino enim manducat, qui de perceptis ab eo beneficiis gratias refert. *Et qui non manducat* omnia, sicut Judæus, scilicet minus adhuc perfectus in fide, *Domino non manducat :* hoc est, Dominus abstinet, quia pro amore omnipotentis Dei, abstinens est a cibis, a quibus ipse præcepit abstinendum esse, et gratias agit Deo, pro eo quod dedit illi virtutem abstinentiæ, et notitiam per legem a quidus abstinere deberet. Notandum autem ab utroque gratiarum actionem referri omnipotenti Deo : Gentilis enim gratiam refert illi pro libertate vescendi omnia : Judæus vero pro fructu abstinentiæ, licet in hac parte qua abstinet minus perfectus sit.

Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Hoc spiritualiter intelligitur, quamvis et ad litteram possit dici : Nullus enim nostrum sibi vivit, quia non habet a se vitam : et nullus sibi moritur, quia non habet in potestate quando vivat, et quando moriatur. Sed dum dixit : Nemo nostrum, id est fidelium perfectorum, ad altiorem nostrum excitavit sensum. Christus Dominus noster semel mortuus est pro peccato, quia nullum fecit peccatum, et nos ad exemplum mortis ejus semel mortui sumus peccato, purgati ab omnibus delictis in baptismate, redempti Christi sanguine. Non ergo nobis morimur pec-

cato in baptismate, sed Christo, dum non in nostra potestate ablutionem consequimur, sed per passionem et baptismum, atque per fidem illius abluimur. Et nemo sibi vivit, subaudis virtutibus, sed Christo, qui *resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Ad cujus exemplum, postquam de fonte baptismatis surgimus, mori peccando nullatenus debemus. Mori autem peccando dixit : quia anima quæ peccaverit ipsa morietur.

Sive enim vivimus, virtutibus et vita spirituali, *Domino vivimus :* quia abstinendo a peccatis post baptismum, exemplar resurrectionis ejus attendimus, postquam ipse jam non moritur, quatenus ad cœlum pariter cum illo ascendamus ; *sive morimur*, subaudis peccato tempore baptismatis, *Domino morimur :* quia ut ei placeamus, ad similitudinem illius qui nunquam peccavit, per fidem et redemptionem sanguinis ejus ab originalibus et actualibus peccatis in baptismate mundamur. *Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus*, subaudis servi, quia in potestate illius consistimus. Possunt hæc verba ex martyrum persona intelligi dicta et omnium perfectorum, qui non sibi vivunt, quia non voluntatem suam quærunt adimplere, sed Domini, dum per dilectionem quod aliis expedit, faciunt. Quod autem non sibi moriuntur morte temporali, in qua sibi non conceduntur neque relinquuntur, sed a Deo assumuntur ; seu etiam sibi non moriuntur morte spiritali, peccatis videlicet, quibus moriuntur, dum per Spiritum sanctum et aquam regenerantur, hoc aperte innuitur, quia non debent otio torpere, sed Dei et proximi dilectione semper fervere. Martyres quoque non sibi moriebantur, sed Domino, quia non propter suam malitiam perimebantur, sed pro Dei notitia et confessione fidei, dicente ipso Domino : *Beati eritis cum ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis* (*Luc.* VI).

In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit, vel morte carnis, vel morte peccati, quia nunquam peccavit, *ut et vivorum et mortuorum dominetur*, id est ut eorum dominetur, qui vivunt jam virtutibus, gratia Dei abluti a peccatis, et illorum qui quotidie moriuntur peccato, ad hoc ut vivant similiter virtutibus, in novitate vitæ ambulando.

Tu autem, Judæe, *quid judicas fratrem tuum ?* gentilem manducantem omnia. *Aut tu*, gentilis, *quare spernis*, et despicis, *fratrem tuum ?* Judæum infirmum adhuc in fide, et nolentem manducare omnia, cum idem Paulus alibi dicat : *Nescitis quia angelos judicabimus, quanto magis sæcularia* (*I Cor.* VI); et iterum ipse judicando : *Qui talia agunt regnum Dei non consequentur* (*Gal.* V), cur hic prohibet ne judicemus ? Sciendum quod de apertis reatibus libera potestas nobis judicandi conceditur, sicut de homicidio, adulterio publico, atque furto. De occultis vero quæ possunt bono et malo animo fieri, interdicitur nobis judicare, quia horum judicium Deo est reservandum. Omnes *enim*, id est boni et mali, perfecti et imperfecti, gentiles et Judæi, *stabimus ante tribunal Christi*. Tribunal est sedes judicis, quæ in celso loco collocatur, quo judex ex omnibus possit videri, et ipse accusantes et accusatus ex eminenti loco possit intueri. Ita et Dominus Jesus quasi in tribunali sedebit, quia et ab omnibus videbitur, et ab ipso omnium conscientiæ et causæ dijudicabuntur aptissime, et est sensus : Vos qui ad invicem fratres judicatis, quantum in vobis est Deo aufertis suam potentiam.

Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus. Hoc proprie juramentum Dei est in Veteri Testamento, si dici fas est, sicut Amen in Novo. Ipse enim proprie vivit et vita est, quia mutari non potest, cujus comparatione mortuum est quidquid mutari potest, quoniam nulla creatura est quæ a se habet vitam. *Quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo.* Quomodo ergo angeli, qui sunt spiritus, flectent Deo genu ? Per flexionem genuum subjectionem debemus intelligere, quia in judicio omnia Christo subdentur. Flectetur ergo Deo omne genu, dum omnis creatura subjicietur illi. Omnis quoque lingua hominum confitebitur Deo, dum laudabit Deum Patrem per Filium, quod de electis tantum sentitur. Nam de impiis dicitur quia, *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccl.* XV). Angeli autem eo modo qui sunt incorporei, laudant et laudabunt Deum. Vox enim angelorum in laudem Creatoris, ipse est admiratio intimæ contemplationis.

Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Et est sensus : O Judæi et gentiles, qui nos jam invicem judicatis, cur Dei judicium vestro judicio prævenitis, et ejus potestatem quantum in vobis est, temere usurpatis ? Hoc vobis sufficiat, quod unusquisque pro se rationem est redditurus, non solum operum et sermonum, sed etiam cogitationum.

Non ergo amplius invicem judicemus, subaudis cum futurum Dei judicium minime ignoramus. Hoc dicitur de occultis, non de apertis; *sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum,* id est, hoc maxime cavete, et magis decernite, ne quis vestro malo verbo, aut perverso exemplo scandalizetur et offendatur ; vel hoc statuite, ne causa carnalium ciborum offensionem fratribus minus perfectis generetis.

Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum creatum est. Judæi cibos ex lege sibi permissos dicebant tantummodo mundos. quibus autem gentes communiter utebantur, communes, id est in mundo appellabant, sicut et Petrus ait : *Commune non manducavi* (*Act.* XIV), id est immundum. Inde dicit Apostolus : Scio, inquiens, et credo in Domino Jesu, sive per Dominum Jesum, qui mihi hoc manifestavit, quia per ipsum nihil est immundum creatum, sed omnia munda ab eo facta sunt, sicut scriptum est : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I). *Nisi ei,* forte Judæo, vel alio cuilibet, *qui existimat* aliquod alimentum *commune*, id est immundum, *esse*, *illi commune est*, quia im-

mundum videtur ei hoc secundum ejus sensum, non secundum Deum, qui omnia fecit munda.

Si enim propter cibum, quem ille immundum putat, et tu suades ei ut comedat, contristatur frater tuus, Judæus infirmus adhuc infidelis, *jam non secundum charitatem ambulas*, id est non habes charitatem : quia non diligis fratrem tuum sicut te. *Noli cibo tuo illum perdere*, dando occasionem offendendi et scandalizandi, *pro quo Christus mortuus est*. Tunc enim illum perdis, cum animum illius scandalizas : quia offendit Deum, dum contra te irascitur, qui es proximus ejus.

Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Bonum hic vel charitatem possumus intelligere, quia debemus proximum diligere ; vel fidem, qua credimus omnia esse munda, et qua habemus libertatem manducandi omnia. Non ergo blasphemetur neque reprehendatur charitas nostra, ut infirmo fratri Judæo non exhibeatur vel non blasphemetur fides et credulitas, qua libertatem accepimus comedendi omnia. Tunc blasphematur libertas nostra, quando cogimus eos qui aliquid immundum putant, nobiscum comedere ipsi quod horrent. Nobis ista libertas bonum est, quia omnia munda sunt mundis hominibus. Et erant omnia valde bona, bonum est Scripturæ concordari. Noli tamen cogere Judæum ad manducandum hoc quod spernit, sed neque comedas illud coram eo, ne tua libertas blasphemetur ab illo.

Non est enim regnum Dei esca, et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. Et est sensus : Stultum satis est de non manducandis et de manducandis nos disputare, de his videlicet quæ in regno cœlorum non erunt necessaria : cum potius debeamus de justitia et pace et gaudio spiritali tractare. Justitia erit in regno cœlorum, quia qui modo justitiæ opera exercent, illi intrabunt in regnum cœlorum. Pax erit ibi et gaudium in Spiritu sancto, id est illi qui modo per Spiritum sanctum illuminati pacem sectantur, et gaudia patriæ cœlestis toto nisu mentis quærunt, gaudentes in præsenti de spirituali gaudio et spe patriæ cœlestis. Aliter : Justitia in illo regno erit, quia nullus ibi alteri nocebit. Erit ibi pax, id est plena concordia, quam habebunt electi cum Deo et angelis : erit gaudium ineffabile de visione omnipotentis Dei. In his quocunque modo possumus, debemus alios imitari et superare.

Qui enim in hoc servit Christo, id est in justitia, et pace, et gaudio spiritali in gratia Spiritus sancti, quem per has virtutes habet habitatorem, *placet Deo, et probatus est hominibus*, atque laudabilis et laude dignus, quia non solum Deo placet, sed etiam hominibus.

Itaque quæ pacis sunt sectemur, id est quæ amorem fraternum conservant, diligenter et studiose quæramus, sicut supra de hospitalitate dictum est : Hospitalitatem sectantes, *et quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus*, hoc est, deponamus omnem contentionem de re nullius utilitatis, et custodiamus quæ ad ædificationem nostram et fratrum pertinent, ut verbo et exemplo, omnique conversatione nostra ædificetur in nobis templum Dei ædificatione fidei custodita, ut fratres adhuc infirmi in fide per nos ædificentur.

Noli propter escam destruere opus Dei. Opus Dei intelligitur homo corpore et anima a Deo factus. Istud opus tunc destruitur quando scandalizatur, quia iracundum efficitur, quod omnino Deo displicet. Opus Dei etiam intelligitur charitas, quam Deus in nobis operatur, vel per quam opus nostrum illi offertur, quæ tunc destruitur, cum frater a nobis scandalizatur. *Omnia quidem* alimenta a Deo creata, per se et in sua natura, *munda sunt ; sed malum est homini* gentili, *qui per offendiculum manducat*. Qui autem ideo manducat indifferenter omnia, ut fratrem suum Judæum scandalizet infirmum adhuc in fide, culpam peccati et offendiculi sibi attrahit.

Bonum est, tibi, o gentilis, *non manducare carnem, et non bibere vinum, neque* aliquid tale, *in quo frater tuus* Judæus *scandalizatur, aut infirmatur*, in fide. Infirmatur in fide, dum suades illi ut comedat cibos quos immundos esse deputat : vel dum contristas eum ex hoc, quod in præsentia illius cibos comedis quos ille abominatur. Manducare carnem et bibere vinum, nec bonum est, nec malum, sed medium. Similiter non manducare carnem et non bibere vinum, medium est : quia multi sunt isti qui comedunt carnem et bibunt vinum cum sobrietate. Et multi sunt paganorum atque hæreticorum maximeque hypocritarum, qui non manducant carnem neque bibunt vinum; et tamen non ideo justificantur. Tamen melius est abstinere a carnalibus et vino in præsentia Judæi credentis, quam in aliquo illum scandalizare. Potest et generaliter de omnibus intelligi qui causa abstinentiæ vel jejuniorum scandalizant plurimos : vel certe qui causa gulositatis ; aut etiam qui simplici animo diebus privatis carnibus vescuntur : unde plurimis offensionem generant, bonum esset non comedere, quia minus caute hoc peragunt.

Tu fidem habes? penes temetipsum habe, et coram Deo. Non de fide sanctæ Trinitatis hic loquitur, sed de fide qua credimus omnia esse munda, juxta quod supra diximus. Gentilem alloquitur : O gentilis, habes fidem penes temetipsum, id est credis in corde tuo omnia esse munda, et ad manducandum licita : habe illam coram Deo in corde, non in ostentatione verborum et jactantia, ne alium scandalizes, dicens te habere potestatem omnia comedendi.

Beatus, est ille gentilis, *qui non judicat*, neque reprehendit, *semetipsum*, subaudis, quia fratrem suum Judæum non scandalizavit, *in eo quod probat* omnia esse munda. Beatus dicitur esse in hac parte gentilis, cujus conscientia non reprehendit illum quod fratrem suum Judæum scandalizaverit, ut illum cogeret ad manducandum carnes quas ille detestabatur, sed neque in præsentia illius comederit ali-

quid quod ille abhorreret, licet ipse omnia probaret et cognosceret esse munda.

Qui autem discernit, id est qui judicat et facit differentias inter cibos mundos et immundos, postquam ad fidem venit, sicut Judæus, *si manducaverit, damnatus est; quia non ex fide*. Hoc est quia infideliter agit, non credens omnia munda esse. Hoc dicit, si quilibet gentilis ad fidem veniens cognoverit omnia esse munda, et postmodum fecerit differentiam inter cibum et cibum, dicens alios mundos aliosque immundos, si manducaverit postea ex illis cibis quos immundos reputavit, damnationem sibi acquirit, quia non agit fideliter dubitans in fide, et ea comedit quæ immunda dicebat aliis comedentibus, et quod non sint omnia munda a Deo facta. *Omne autem*, subaudis quod ad manducandum pertinet, et *quod non ex fide*, id est quod non creditur esse mundum a Deo factum, si manducaverit, *peccatum est;* quia quod immundum dixit, hoc manducavit.

CAPUT XV.

Debemus autem nos, ego videlicet, et coapostoli mei, aliique credentes, *firmiores* in fide, quia credimus esse omnia munda, *imbecillitates infirmorum sustinere*, id est, infirmitates fidei illorum sustinere qui adhuc non credunt omnia esse munda et ad manducandum licita; *et non nobis placere*, suadendo scilicet illis vesci communibus, vel coram eis edere illos cibos quos ipsi abhorrent.

Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem, fidei, ut verbo et exemplo vestro, omniumque conversatione ædificentur illi in fide qui adhuc infirmi sunt.

Etenim Christus non sibi placuit, solummodo, *sed* Patri, de quo ipse dicit : *Quæ placita sunt ei facio semper* (*Joan.* VIII), et bonis hominibus, *sicut scriptum est : Improperia*, id est convitia, maledictiones, blasphemiæ, detractiones, *improperantium tibi*, o Pater, *ceciderunt super me :* vox Christi ad Patrem de improperiis Judæorum. Quando ejus improperabant Filio dicentes (*Joan.* VIII) : *Samaritanus es*, et *dæmonium habes*, et cætera ; talia Deo Patri improperabant qui erat in Filio, sed ipsa improperia super Christum ceciderunt, quia usque ad mortem persecuti sunt illum. Bene ergo dicit Apostolus : Christus sibi non placuit, quia ipse non quæsivit sua, sed Patris et nostra, sicut ipse dixit . *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Similiter nos non debemus nobis placere, neque propriam voluntatem quærere, sed Dei et fratrum.

Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. Jungit se Apostolus omnibus credentibus, et vult ostendere omnia quæ in divinis Libris scripta sunt non propter illos esse scripta, quorum gesta et facta ibi narrantur, quia illi non erant ea lecturi, quia olim mortui quiescebant, sed etiam propter nostram salutem et futuro-

A rum, ut habeamus ubi possimus exemplum fidei bonorumque operum sumere, et ubi possimus cognoscere quibus operibus placatur Deus et quibus ad vindictam provocatur, videlicet quomodo appetendæ virtutes et respuenda vitia, et qualiter patientes in fide et spe esse debeamus. Quid enim profuit Abrahæ quod scripsit Moyses illum fuisse obedientem, et quod laudavit illum Deo placuisse? Quæcunque, inquit, scripta sunt in Lege, Prophetis, et Psalmis, et reliquis scripturis, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut nos inde doceamur qui ad fidem venimus. Quomodo? Ut per patientiam præcedentium patrum edocti, patienter adversa hujus sæculi perferamus, et per consolationem Scripturarum spem habeamus, id est exspectationem futurorum bonorum teneamus.

B Videamus quomodo pertineant ad nostram doctrinam ea quæ scripta sunt in divinis Libris. Dum legimus populum Israel de Ægypto egressum, per mare Rubrum transductum, Pharaone et Ægyptiis submersis, aquam eis de petra datam, manna de cœlo largitum, et post multa prælia quæ contra hostes viriliter peregerunt, terram repromissionis ingressum, debemus inde et doceri et docere, ut per Ægyptum intelligamus hunc mundum ; per mare Rubrum, baptismum, qui consecratur rubore sanguinis Christi ; per Pharaonem, diabolum ; per Ægyptios, originalia peccata et actualia, quæ in baptismate pereunt ; per petram, Christum ; per aquam, doctrinam illius de qua ipse dicit : *Si quis sitit, veniat et bibat* (*Joan.* VII), sive mysterium redemptionis atque ablutionis C nostræ ; per manna vero, corpus illius quod quotidie sumitur a fidelibus in Ecclesia ; per prælia quæ illi sustinerunt, certamina et bella quæ habemus adversus dæmones : post quorum debellationem, si recte in fide permanserimus, merebimur pervenire ad patriam cœlestem : quæ significatur per terram repromissionis, de qua Psalmista ait : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVII). Hanc terram, id est soliditatem æternæ patriæ, nonnisi veri Israelitæ accipiunt. Iterum dum legimus fidem et obedientiam beati Abrahæ et patientiam, quomodo adversa hujus sæculi pertulit, quando per multorum annorum curricula peregrinatus est in terra aliena, et quomodo obedivit verbis Dei, quando voluit filium unigenitum immolare, non dubitans de promissione, D quia dixit ei Deus : *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* XXI), debemus fidem illius imitari, qui filii ejus dicimur, per fidem et patientiam et obedientiam, non deficientes in tribulationibus. Similiter dum legimus beatum Job graviter esse percussum et flagellatum, in tantum ut filiis et filiabus omnique substantia privatus, in sterquilinio sederet testa saniem radens, qui quondam erat utpote potentissimus regum, et quomodo omnia adversa patientissime sustinuerit, pro qua iterum meruit sanitatem recipere, et omnia duplicata quæ amiserat, et insuper futura præmia, debemus ex hoc magnam consolationem recipere : et si forte aliquando talia evenerint nobis, debemus ista ad memoriam reducere : et patien-

tiæ ejus imitatores existere, dicentes cum illo : *Sicut Domino placuit, ita factum est ; sit nomen Domini benedictum* (*Job.* II). Talia et his similia sedulo animo revolventes, debemus spem firmam tenere, exspectantes gaudia futurorum bonorum.

Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum. More patriarcharum dat modo benedictionem Apostolus Romanis. Verbi gratia : Sicut Isaac benedixit filiis suis Esau et Jacob, et postmodum Jacob duodecim patriarchas ; et Moyses duodecim tribus filiorum Israel. Sicut autem dicitur Deus justitiæ, eo quod ipse justitiam tribuat omnibus qui merentur justificari, et in illorum cordibus habitet : sic dicitur Deus patientiæ, quia ipse tribuit patientiam, et in illorum cordibus habitat, qui inter adversa patientiam servant. Similiter dicitur et Deus solatii, quia ipse solatium præstat in se confidentibus, atque in illorum cordibus habitare dignatur qui aliis consolationem impendere student : vel qui in aliorum patientia consolationem accipiunt, in adversitatibus constituti. Deus autem, inquit, patientiæ et solatii, det vobis idipsum sapere in alterutrum, ut unum sentiatis de fide, spe, et charitate : et quod unus credit, hoc speret alium credere, et quod in se est boni, hoc in alio, vel idipsum det vobis sapere ; ut sicut sibi unusquisque, sic proximo velit, id est quod sibi vult evenire, hoc optet proximo suo ; et sicut diligit illum, ita credat se diligi ab illo. Et bene addidit, secundum Jesum Christum, id est secundum quod voluntas est Jesu Christi, quia multi sentiunt unum et videntur se diligere, sed non secundum Jesum Christum. Verbi gratia : sicut sunt hæretici, qui non sentiunt in se errores, quod et in aliis hæreticis : et sicut sunt illi, qui non causa amoris Dei diligunt alios, sed propter beneficia temporalia quæ ab illis captant, vel quia in malitia concordant cum eis.

Ut unanimes, id est uno intellectu, atque uno consensu, vel una fide, *et uno ore*, id est una confessione, *honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi*. Deus omnipotens Pater, Pater est Domini nostri Jesu Christi, tam secundum divinitatem in qua genuit illum coæternum sibi et consubstantialem ante omnia sæcula, quam secundum humanitatem qua creavit illum in fine temporum in utero virginali. Deus vero est solummodo hominis assumpti a Verbo, hoc est secundum humanitatem ; unde ipse dixit Mariæ post resurrectionis gloriam : *Vade ad fratres meos*, et dic eis : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* XX). Quem tunc glorificamus sive laudamus, quando ejus fidem sincerissimam tenentes in corde omnique intellectu, confitemur eum ore verum Deum esse, et fidem quam habemus bonis operibus exornamus, juxta quod ipsa Veritas admonet, dicens : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V).

Propter quod, subaudis decus honoris, *suscipite* A *invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei.* Ad ea quæ paulo superius dixit Apostolus, de infirmis adhuc fratribus in fide loquens, et differentia ciborum quos præcepit suscipi in affectum charitatis cum tranquillitate, inquiens : Infirmum autem in fide assumite, pertinent ista præsentia, et est sensus : Propter hoc talia dico ut suscipiatis in charitatis affectum fratres adhuc infirmos in fide, neque scandalizetis eos suadentes eis ut comedant cibos quos ipsi detestantur quasi immundos, et ita suscipite illos cum charitate, sicut et Christus suscepit vos ad fidem suam in honorem Dei Patris, ut Deus Pater laudetur per vos. Si ergo Christus dignatus est recipere ad fidem suam Judæos blasphematores, et vos gentiles idololatras, omnique B immunditia repletos, atque a cognitione Dei alienos, multo magis nos debemus non despicere fratrem nostrum infirmum in fide, neque in aliquo contristare aut scandalizare, sed potius in affectum charitatis debemus eum colligere. Ideo ergo dicit nos susceptos in honorem Dei Patris, ut Deus Pater per nos et per bona nostra opera glorificetur et laudetur cum Filio suo, qui dixit in Evangelio discipulis et omnibus in se credituris : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (Matth.* V).

Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Circumcisio in hoc loco duplici intelligentia accipi potest, videlicet tam carnalis C quam spiritalis, quoniam utriusque minister exstitit Dominus in se suscipiendo, et aliis ministrando. Circumcisionis enim carnalis minister exstitit, quia antequam veniret in mundum per Incarnationis mysterium, ipse qui est Verbum Patris, ministravit illam dando et præcipiendo ut observaretur, quia ipse qui loquebatur per angelum ad sanctos patres, sicut in libris propheticis sæpissime manifestatur, ubi dicitur : Os, sive verbum Domini locutum est, veniens in carne etiam minister exstitit circumcisionis, quia illam in semetipso suscepit, non ut illam præciperet servari et custodiri post suum adventum, sed ut ostenderet legem sanctam esse, justam, et bonam. Nam mittens apostolos Dominus ad prædi- D candum non dixit : Ite, prædicate circumcisionem servandam omnibus gentibus, sed : Ite, *prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI), et baptizate in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Hoc quidem de circumcisione carnali dictum est, sed melius, id est altiori sensu de circumcisione spiritali intelligendum, id est de gratia baptismatis. Circumcisio spiritalis quæ est? Exspoliatio utique vitiorum quæ fit per baptismum, cujus minister exstitit ipse Dominus in se suscipiendo et aliis dando. Suscepit enim baptismum quando baptizatus est a Joanne Baptista ; ministravit autem postmodum, quia baptizavit apostolos, aliosque ad se per fidem accedentes, juxta quod Evangelium narrat, dicens : Quia Jesus baptizabat et discipuli ejus. Mittens quoque Apostolos

ad prædicationis officium per quadrifidum orbem, indixit eis, dicens : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine* sanctæ Trinitatis (*Matth.* XXVIII). Ecce quomodo fuit Dominus Jesus minister circumcisionis spiritalis. Possumus etiam et hoc veraciter dicere, quia quotidie administrat ipse eamdem circumcisionem dimittendo peccata in baptismate. Ministerium etenim tingendi corpora tradidit suis fidelibus, potestatem dimittendi peccata sibi proprie reservavit, sicut Joannes præcursor ejus de eo dicit turbis : *Ipse vos baptizabit in Spiritu* sancto et igni (*Matth.* III). Et iterum : *Ego*, inquit Joannes, *nesciebam eum* quod sibi esset servaturus potestatem baptizandi, nullique traditurus, *sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat* (*Joan.* I). Apostolo dicente Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis spiritalis poterat aliquis ei objicere : Cum rei gratia exstitit ipse minister circumcisionis ? Ad hæc Apostolus : Propter veritatem, inquit, Dei Patris, ad confirmandas promissiones patrum, id est ut confirmaret Deus Pater promissiones suas, quas locutus est ad sanctos patres de salute gentium, dicens Abrahæ : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXVI), sive ut verax appareret complendo promissiones quas patres promiserant de salute gentium, et quæ prædixerant de eadem circumcisione spiritali. Nisi enim per gratiam baptismatis mundarentur gentiles et per fidem Domini Salvatoris, nequaquam in filiationem Abrahæ transirent, nequaquam etiam esset completum quod dicit Moyses (*Deut.* XXX) : In novissimis diebus *circumcidet Dominus cor tuum*, et non carnem tuam, id est mundabit illud ab infidelitate omnibusque peccatis per baptismum : illud quoque Ezechielis prophetæ, dicentis : *Effundam super vos aquam mundam* (*Ezech.* XXXVI), aquam videlicet baptismatis.

Gentes autem super misericordiam, id est de misericordia, *honorare Deum*, subaudis debent, quia gratis, sine ullis meritis præcedentibus, vocati sunt ad fidem, gratisque acceperunt remissionem omnium peccatorum per spiritalem circumcisionem ; per gratiam videlicet baptismatis, non per circumcisionem carnalem : *Cui* enim plus *dimittitur*, plus *debet diligere* (*Luc.* VII). *Sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo.* Psalmista loquitur ex persona Filii Dei, Deo Patri gratias referentis, propter obedientiam gentium ad fidem venientium. Quomodo ergo laudat et glorificat Filius Deum Patrem, qui æqualis est ei in omnibus ? In gentibus utique credentibus laudat illum. Quandocunque enim gentes laudant et glorificant Deum Patrem, Filius Dei laudat illum per ora et opera gentium, cujus sanguine redemptæ sunt. Ideoque dicit : Propterea, quia populos multos et gentes mihi subjugasti per fidem, confitebor tibi, Domine pater, et glorificabo te per ipsas gentes, et nomini tuo cantabo, id est nomen Deitatis tuæ laudabo.

Et iterum dicit Scriptura in Deuteronomio : *Lætamini, gentes, cum plebe ejus.* Moyses legislator extendens oculum prophetiæ ad tempus vocationis gentium, alloquitur eas hortando ut laudent Deum Patrem cum plebe Israelitica : quæ olim plebs ejus sola ex omnibus gentibus vocabatur : O gentes credentes in Filium Dei, per cujus passionem estis redemptæ, et per cujus baptismum mundatæ et expiatæ estis ab omnibus peccatis, sociantes vos in affectu charitatis credentibus ex Israel, lætamini lætitia spiritali.

Et iterum : Laudate, omnes gentes, Dominum : et magnificate eum, omnes populi. Chorus apostolorum alloquitur multitudinem gentium ad fidem Christi et baptismi gratiam concurrentem ; et præcipit ut laudes gratiarum referant Domino corde, ore, et opere : cujus gratia sunt redemptæ ; cujus misericordia ab omnibus reatibus sunt expiatæ. In hoc vero quod subdit : Magnificate eum, omnes populi, Judæos hortatur ut gaudeant de salute gentium, inquiens : Et vos, omnes populi, id est omnes Judæi, magnificate Deum, id est magnum prædicate propter salutem fratrum vestrorum gentilium et propter ineffabilia magnalia quæ vobis contulit a diebus antiquis: referentes gentibus quanta et qualia vobis libentissime præstitit.

Et rursus Isaias ait (*Isa.* XI) *: Erit radix Jesse ; et qui exsurget regere gentes : in eum gentes sperabunt.* Jesse ipse est Isai, pater David regis, de cujus prosapia ortus est Christus secundum carnem per Mariam virginem. Hoc quod dicit : Erit radix Jesse, dupliciter intelligi potest hoc modo : Jesse ipse est radix, David vero filius ejus ipse est arbor: Maria virgo, ipsa est ramus ejusdem arboris : flos vero rami istius, Christus, qui dicit ad Ecclesiam in Canticis canticorum : *Ego flos campi* (*Cant.* II). Radix ergo hujus flosculi, id est Christi, Jesse fuit, quia sicut flos ex radice arboris processionem habet, ita et Christus secundum carnem ex Jesse originem traxit. Altiori autem intellectu, radix Jesse Christus est, Verbum scilicet Dei Patris, quod inter cætera quæ creavit, Jesse quoque creator exstitit : *Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I). Qui ergo secundum carnem ex Jesse originem duxit, ipse quoque secundum divinitatem radix et creator Jesse exstitit. Jesse interpretatur *Est mihi.* Est, verbum substantivum est. Quod vero dicitur : Erit radix, similiter erit, ab eodem verbo substantivo venit, et ponitur pro futuro tempore. Quicunque ergo in eum credit, qui dixit ad Moysen: *Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III), ille veraciter potest dicere : Est mihi, id est credo in eum qui semper est, et ipse est mihi Deus et erit. Sed quæri potest, quare dixerit Propheta : Erit radix Jesse, et non potius : erit radix Booz vel Obed, cum et ipsi justi exstiterint, et patres Isai ? Ad quod dicendum est, ideo dixisse Prophetam : Erit radix Jesse, et non

radix Booz vel Obed, ut ostenderet Dominum Christum Jesum de progenie regali etiam secundum carnem descendere, qui ante sæcula genitus est a Deo Patre, Rege regum, et Domino dominantium. Notandumque quia quod dixit: Erit radix Jesse, sub verbo futuri temporis loquens, ad nativitatem Christi humanam respexit, quæ adhuc futura erat quando ista prædixit. Dicatur itaque hoc modo: Erit Jesse radix Christi secundum humanitatem, et ipse Christus qui exsurget nascendo per virginem, vel a mortuis resurgendo regere gentes, in eo gentes sperabunt. Christus igitur regit et gubernat gentes, in se credentes, et ipse defendit illas ab insidiis et infestationibus dæmonum, omniumque adversariorum, quoniam ipsi in eo sperant.

Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo. Ex hoc quod Isaias propheta dixit de Christo: In eo gentes sperabunt, sumpsit Apostolus occasionem ut diceret illis hanc benedictionem: Deus autem spei, qui tribuit spem futurorum bonorum in se credentibus, repleat vos omni gaudio spiritali et pace, id est concordia, amore fraterno in se credendo: credentes in eum qui vos per sanguinem suum pacificavit Deo Patri, sitis et ipsi invicem concordes et pacifici, qui hactenus fuistis invicem dissidentes: *ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti,* id est ut per virtutem Spiritus sancti plenam habeatis spem æternæ remunerationis, ejusque dono atque auxilio sublevati, virtutem totius bonitatis adipisci mereamini.

Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam pleni estis dilectione Dei et proximi, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere, id est invicem vos castigare et corripere. Perfectos in fide blande alloquitur.

Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte. Audacius, licet sit comparativus gradus, in hoc tamen loco pro positivo ponitur, quod est audacter, id est cum audacia et securitate. Ideoque addidit, ex parte, quia multa sciebat ipse in corde, quæ non proferebat ore, et quæ illi non poterant capere, ex quibus partem scribebat eis: vel etiam idcirco dixit, ex parte, quia jam legerant ipsi epistolas ejus, quas aliis ecclesiis destinaverat: et quæ ibi non legerant ex parte, in hac inferre studuit. Unde et subditur: *Tanquam in memoriam vobis reducens,* subaudis jam legisse mea dicta in quibusdam epistolis meis: quod tale est, acsi aliis verbis diceret: Dum reduxi ad memoriam legisse vos jam mea dicta, pauciora vobis scripsi, et hoc *propter gratiam quæ data est mihi a Deo, ut sim minister Jesu Christi gentibus.* Gratiam hic appellat sapientiam, quam præ omnibus apostolis accipere meruit, ut beatus Augustinus dicit. Potest et de ministerio apostolatus intelligi, quod ei gratis a Deo collatum est. Scripsi vobis, inquit, pauca ex pluribus, quæ in corde meo firma habentur propter gratiam sapientiæ, quæ mihi a Domino ad hoc data est ut illam pro capacitate auditorum expenderem; sive etiam ut ministerium apostolatus

A mei complerem in gentibus. *Sanctificans Evangelium Dei,* id est sanctum esse demonstrans, prædicando illud sine errore et mendacio, sancteque vivendo, et miraculis virtutum testificando, gloriam propriam non quærendo, neque pro lucris temporalibus hæc et omnia, sed pro remuneratione æternæ vitæ agendo. Ille sanctificat Evangelium, sive sanctum demonstrat, qui absque errore et mendacio illud prædicat, et quod prædicat ore, confirmat miraculis: exornat sancta conversatione, et qui non quærit suam laudem, sed Dei: *ut fiat oblatio gentium accepta,* id est, ut gentes offerantur, Deo per me in gratiarum actione, et sit ipsa oblatio amabilis ei, *et sanctificata* per baptismum, per passionem Christi, et per fidem, *in Spiritu sancto,* id est per gratiam Spiritus

B sancti. Pontificum est doctrinæ, prædicationis operam dare, et illorum est sacrificium offerre Deo. Nam sicut in Veteri Testamento pontifex sive sacerdos hostiam et oblationem quam offerebat Deo, studiose providebat ut absque macula esset, ita et qui Evangelium annuntiant providere debent ut, neque in prædicatione, neque in doctrina, seu magisterio, aliqua culpa nascatur, ut sic illæ hostiæ Deo erant acceptæ, ita sint et auditores illorum in sacrificium Dei transeuntes, imitantes ipsi prædicatores egregium doctorem et magistrum gentium, qui illos quos Deo sua prædicatione et ministerio in fide obtulerat, optabat ut sine macula gravioris peccati permanentes accepti essent Deo.

Habeo igitur gloriam, præparatam, *in Christo Jesu*

C *ad Deum;* ac si diceret: Per virtutes quæ sunt in Christo Jesu quas ego amplector, habeo gloriam præparatam mihi, et honorem maximum apud Deum Patrem.

Non enim audeo aliquid loqui eorum, verborum *quæ per me non efficit Christus,* verbo et factis, id est, non audeo alia loqui et prædicare, nisi quæ Christus inspirat mihi in corde. Quidquid enim operabatur, quidquid loquebatur, totum Christus per eum efficiebat sicut ipse alias dicit: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (*II Cor.* XIII)? *In obedientiam gentium* verbo et factis: hoc est idcirco insto ego verbo prædicationis, et factis miraculorum, ut gentes obediant Evangelio.

D *In virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.* Signa appellantur multis in locis, in quibus cum sit aliquid mirabile, indicatur quoque per ea aliquid futurum, sicut in sanatione filii reguli ostensum est, Domino dicente: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis* (*Joan.* IV). Per hoc enim quod viso miraculo sanitatis in filio illius, perpauci crediderunt pater videlicet illius cum suis, significabatur quod paucitas Judæorum creditura esset in Deum. Ecce signum quod utrumque in se continet, quiddam scilicet miraculi, et quiddam futuri. At vero prodigia dicuntur quasi porodigia, vel perrodicentia, eo quod aliquid in futurum tantummodo ostendant, quasi digito ostendendo. Signa autem et

prodigia pro uno accipiuntur hoc loco, miracula videlicet, quæ per virtutem Spiritus sancti operabantur. *Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum*, quæ est provincia in initio Europæ, *replerverim Evangelium Christi*, subaudis omnes gentes et provincias. Illyricum provincia est, ut diximus. Est autem finis Asiæ, et principium Europæ.

Sic autem prædicavi Evangelium hoc. Quo modo? *Non ubi nominatus est Christus,* a prædicatoribus, sive ubi in eum jam crederent, *ne super alienum fundamentum ædificarem.* Non prædicavi, inquit, ubi jam Christus esset prædicatus et crederetur, sed ubi penitus ignorabatur, ne super aliorum prædicationem et fidem ponerem meam. Apostolus ergo ipse jaciebat fundamenta fidei, et ipse erigebat parietes Illis utique prædicabat, de quibus olim prædictum erat, quoniam, *Quibus non est annuntiatum*, a prophetis, *de eo,* id est de Christo, *videbunt*, illum per fidem, *et qui non audierunt*, prædicantem eum, *de eo intelligent*, per prædicationem apostolorum.

Propter quod, subaudis opus prædicationis, *et impediebar plurimum* ab ædificatione verbi, *venire ad vos*, o Romani, *et prohibitus sum usque adhuc.* Non impediebatur a Satana, sed ab utilitate prædicationis, ut primum Ecclesias fundaret Asiæ, postmodum ad exteras pergeret nationes.

Nunc vero ulterius locum non habens, vacuum ad prædicandum, *in his regionibus*, *cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis, cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.* Videtur hoc in Achaia positus dicere, apud Corinthum civitatem ejusdem provinciæ, quæ utique Achaia vicina et cohærens est Macedoniæ, in quibus locis degens, cum singula quæque peragrasset, Evangelium prædicans in his duntaxat finibus, in quibus Christus nondum fuerat prædicatus, in agnitione Dei in universa replesset; designat jam adesse tempus quo desiderium suum debeat adimplere, videndo videlicet eos qui Romæ morabantur. Bene autem his quos nondum secundum carnem viderat, et ad quos nondum in corpore advenerat, præsentiam sui et retardationem pollicetur. Desiderabilius enim suscipimus bona, quæ cito meruimus auferenda, securius vero negligimus, quod nos diutius possidere credimus. Frui, est cum delectatione et gaudio aliquid possidere, vel amplecti et videre.

Nunc igitur, subaudis antequam ad vos veniam, *proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis.* Sanctos appellat illos, qui pro Christi amore omnia sua reliquerant, aut vendiderant, et pretium illorum ad pedes apostolorum attulerant (*Act.* IV), vel illos qui deprædati fuerant a Judæis non credentibus, quos laudat inquiens in Epistola ad Hebræos: *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis* (*Hebr.* X). De istis etiam dicit Isaias : *Et qui secessit a malo*, eorum *prædæ patuit* (*Isa.* LIX) Isti omnes qui propria reliquerant, vel exspoliati fuerant, qui scien-
A tiam prædicandi non habebant, ut ad prædicandas gentes possent ire, erant in Jerusalem vacantes jugiter orationibus ac jejuniis, quibus apostoli de singulis provinciis et locis in quibus prædicabant, quidquid pecuniarum, auri, argenti, vestimentorum accipiebant, eis mittere satagebant, maxime tamen Paulus, qui plurimis gentibus prædicabat. Unde dicunt doctores, quia aliquando amplius quam tres aut quinque modios argenti eis mittebat.

Probaverunt enim Macedonia et Achaia, id est, sanctum et bonum visum est illis, *collationem aliquam facere*, munerum, *in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem.* Macedonia et Achaias quæ et Achæia vocatur, a qua et populi ejus Achæi dicuntur, provinciæ sunt nobilissimæ Græcorum sibi ad-
B jacentes : quas Apostolus ecclesiis replevit.

Placuit enim eis : et debitores sunt eorum. Quid acceperunt Macedones et Achaici sive Achæi a sanctis qui erant Jerusalem, ut eorum debitores essent? Tribus modis erant debitores eorum : vel quia eos in fide præcesserant qui ab apostolis et prædicatoribus erudiebantur, vel quia ipsorum exemplo et doctrina proficiebant; vel quia etiam unius fidei erant in fide. Omnes enim Christiani, qui fratres sunt in fide, debitores sibi sunt, ut alter alterius onera portent. Potest et quarto modo intelligi, in hoc eos existere debitores eorum, quia illi die ac nocte pro salute illorum orationibus insistebant, ut fides Christi in eis roboraretur.

C *Nam si eorum spiritualium bonorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis.* Iisdem modis erant participes eorum, quibus et debitores, et est sensus : Jam quia in spiritalibus rebus illi præstant istis supplementum, et quod in se non habent, habent in illis, justum est ut in temporalibus beneficiis eis subveniant.

Hoc igitur opus ministrationis *cum consummavero*, id est cum perfecero *et assignavero eis fructum hunc*, collationem videlicet munerum, quam eis mittunt per me fideles, *proficiscar per vos in Hispaniam* Congrue autem dicit proficisci per Romam in Hispaniam, quia euntibus de Achaia in Hispaniam, in medio itinere Roma habetur.

D *Scio autem quoniam veniens ad vos*, *in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam.* Spiritu prophetico afflatus, talia cum securitate dicebat. Quod autem dicit, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam, tale est, quale et illud quod in exordio hujus Epistolæ dixit : *Desidero*, inquiens, venire ad *vos, ut aliquid gratiæ spiritalis impartiar vobis, ad confirmandos vos* (*Rom.* I). In abundantia benedictionis Evangelii veniam, id est plenitudine virtutum, ut mea prædicatione quod minus habetis, in fide, percipiatis ex virtute miraculorum, quæ apud vos operabor, roboremini in eadem fide, ut majorem gratiam Christi in meo adventu percipere mereamini. Sic etenim fecit, quia veniens quod illis de-

erat in fide, in charitate, et in cæteris rebus spiritalibus, suo adventu supplevit.

Obsecro ergo vos, fratres Romani, per Dominum Jesum, et per charitatem Spiritus sancti, per dilectionem quam debetis habere erga Deum et proximum, quæ per Spiritum sanctum datur, fidelibus, *ut adjuvetis me in orationibus vestris ad Deum*, id est apud Deum, *ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa, et obsequii mei*, id est ministerii vel obedientiæ meæ, *oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis, ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum*. Ille quærit refrigerari, qui calore solis uritur, vel qui pugnando et luctando calefit atque lassatur. Et beatus Apostolus fortiter pugnabat contra philosophos, contra Judæos, contra hæreticos, ideoque desiderabat ad tempus tam corpore quam spiritu requiescere. Unde ipse dicit quodam loco : *Si ad bestias pugnavi Ephesi* (*I Cor.* xv). Bestias appellat philisophos et hæreticos. Ideo autem exorabat, ut Romani suis orationibus ei subvenirent quia timebat comprehendi, dum veniret Hierosolymam, ab infidelibus Judæis, et retrudi in carcerem, vel occidi, et non posset neque sanctis deferre munera et oblationem suam, neque postmodum venire Romam, sicut in desiderio habebat. Hinc decutitur pontificum superbia et prælatorum atque principum et potentium hujus sæculi, qui dedignantur exorare subjectos suos, quatenus pro eis preces orationesque fundant. Si enim ille qui et apostolus et pontifex erat omnium gentium, omnique gratia Spiritus sancti repletus, non est dedignatus auxilium subjectorum expetere in orationibus, quanto magis isti qui pleni sunt rapacitate, superbia, omnique nefario actu non debent dedignari? Itaque imitandus est omnibus viribus.

Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen. Deus pacis intelligitur sancta Trinitas, cujus misericordia reconciliatum est genus humanum, et cujus dono, pax et concordia datur cunctis fidelibus. Et satis pulchre in pace finivit, duobus populis in concordiam revocatis, ostendens quia non nisi in pacificis Deus pacis (qui pacem præstat) possit habitare.

CAPUT XVI.

Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, non carne, sed communem in fide, *quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris, ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis*, hoc est, sicut convenit sanctis, sive, ut quidam codices habent, digne satis, id est abunde et humane ; *et assistatis ei*, id est auxiliamini, et subsidium præbete, *in quocunque negotio*, sive causa, *indiguerit vestri*, auxilii. Cenchræ portus est Corinthi, ubi erat Ecclesia fidelium, cui ministrabat Phœbe nobilissima matrona victum et vestimentum, utpote fidelissima in fide Christi. Ergo tunc temporis, quando Apostolus istam scribebat Epistolam, Romani omnibus gentibus imperabant, et si quis nobilium præcipuam habebat causam ex aliquo negotio, sive ex oppressione aliorum, sive ex prædiorum vel mancipiorum ratione, Romam concurrebat, ubi erat imperator, et judices causarum. Potuit ergo fieri ut Phœbe matrona ob hujusmodi causam tunc deveniret Romam ; quapropter præcepit Paulus credentibus, ut ei in omni negotio auxilium ferrent, sive in vestibus, sive in victu, vel aliquo subsidio temporali. Redditque causam quare talia præcipiat. *Etenim ipse quoque astitit*, id est ministravit atque auxilium præbuit *multis, et mihi ipsi.*

Salutate Priscam et Aquilam adjutores meos in Christo Jesu, in prædicatione videlicet et aliis operibus, *qui pro anima mea*, id est pro vita mea ut illam servarent, *suas cervices supposuerunt*, periculose opponentes. Prisca ipsa est quæ et Priscilla appellatur in Actibus apostolorum, et erat Judæa genere, uxor Aquilæ Judæi, qui quodam tempore, dum Judæi vellent Apostolum interficere apud Corinthum, isti se in medio opposuerunt et liberaverunt eum. Unde et subdit : *quibus non solus ego* Paulus *gratias ago*, pro hoc facto, *sed et cunctæ Ecclesiæ gentium*, quibus ergo præsum, quia per meam prædicationem ad fidem venerunt. Iste est ergo Aquila et Priscilla uxor ejus apud quos manebat Paulus Corinthi positus, quia ejusdem artis labori insistebant, cui et Paulus structuræ videlicet tabernaculorum, quæ et scenofactoria ars appellatur. Sutores etenim erant, et suebant ex pellibus sive linteaminibus tabernacula et papiliones, in quibus maxime Saraceni habitant, vendebantque ea quæ operabantur, indeque vivebant. De his ergo ita legitur in Actibus apostolorum : *Post hæc* autem descendens Paulus *ab Athenis, venit Corinthum* (*Act.* xviii), et invento ibi quodam Judæo, nomine Aquila, Pontico genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscilla uxore ejus, eo quod præcepisset Claudius imperator discedere omnes Judæos ab urbe Roma, eo quod seditiosi essent, adhæsit eis, et quia ejusdem artis erant, manebant in unum, et operabantur simul. Erant enim artifices tabernaculorum, ut diximus, id est sutores componentes tabernacula ex pellibus seu cortinis linteis. Sed quæstio hic oritur. Cum in Actibus apostolorum dicatur sicut paulo superius ostensum est, quod apud Corinthum simul hospitabantur Paulus, Aquila et Prisca, quare in hac Epistola a Corintho eis verba salutatoria scribebat, quasi Romæ degentibus ? Quæ ita solvitur, quod pulsis Judæis ex urbe per præceptum Claudii, Corinthum isti duo venerint, rursusque reddita libertate redeundi in morte Cæsaris, reversi sunt Romam, ubi eos Apostolus nunc salutat. Horum etiam domesticos et vernaculos salutat, quos et Ecclesiam appellat, dicens : *Et domesticam eorum ecclesiam*, subaudis saluto.

Salutate Ephænetum dilectum mihi, qui est primitivus Ecclesiæ Asiæ. Hic Ephænetus videtur primus credidisse ex Asia, unde et primitivum Asiæ illum vocat; sive quia primus omnium credidit, seu etiam quia

magnæ dignitatis atque nobilitatis erat. Idcirco autem mentionem istius fecit, ut ostenderet nobiles etiam ad fidem venire, ac per hoc invitaret primos Romanorum ad fidem.

Salutate Mariam, quæ multum laboravit in Domino, officium scilicet prædicationis feminis sui sexus impendendo per domos. Nam in ecclesia non docebant mulieres, sed viri : quia ipse Apostolus prohibuerat hoc, dicens : *Mulieres in ecclesiis taceant* (*I Cor.* XIV).

Salutate Andronicum et Juniam, cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo. Potest fieri ut secundum carnem isti cognati fuerint Apostoli, Judæique similiter existentes, et sunt exsules effecti propriæ sedis ob gratiam fidei, sicut et Paulus quando appellavit Cæsarem. Crediderunt autem ante illum in Christum, et nobiles habiti sunt in apostolis, id est apud apostolos duodecim, de quibus et illud intelligere possumus, quod fortassis ex illis septuaginta duobus apostolis fuerint et ipsi nobiles.

Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo. Iste Aristobolus congregator intelligitur fuisse fratrum in Christo credentium, cujus factum sic probat, ut ejus discipulos sua salutatione dignos ducat.

Salutate Appellem probum in Christo. Licet quidam faciant ex hoc duo nomina propria, dicentes ita : Salutate Apellem et Probum ; non est illud, sed unum nomen est proprium cum adjectivo. Salutate, inquit, Appellem probum, id est probatum in fide, et laude dignum : probum etenim dicimus probatum et laudabilem.

Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo. Iste Narcissus, ut in aliis codicibus invenitur, presbyter erat tunc temporis.

Salutate Rufum electum in Domino, id est promotum ad sacerdotium, *et matrem ejus atque meam*, per adoptionem amoris. Hæc mulier magna religione pollebat : quæ apud Apostolum hoc donum promeruerat, ut mater apud illum vocaretur. Non enim putandum est, in istis salutationibus inaniter fieri per singulos quosque laudis et salutationis differentiam. Qui enim scit quia Christus loquitur in Paulo, certus est quod pro vitæ merito, alius quidem probus dicitur ab eo, alius charissimus, alius laborans in Domino, alius electus, ut hic Rufus (de quo nunc sermo est) electus in Domino salutatur, et mater illius mater Apostoli dicitur, causa summæ dilectionis.

Salutate invicem in osculo sancto, id est in osculo non ficto, vel subdolo, quali osculo tradidit Judas Salvatorem ; vel quali osculantur incesti alios causa immunditiæ, quod osculum non castum vocatur, sed columbinum, et est sensus : Jam quia ego non sum præsens, ut vos possim omnes osculari, osculamini vos invicem, mei amoris causa, cum acceperitis hanc epistolam. Ex hoc loco aliisque similibus, mos traditus est Ecclesiæ, ut convenientibus fideles in ecclesia ad audiendum verbum divinum missarumque celebrationem, post orationes osculo dilectionis suscipiant se invicem.

Rogo autem, vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones faciunt, id est, declinate ab illis qui discordias et rixas movent inter vos. Contra pseudoapostolos et Judæos non recte credentes loquitur ista.

Hujuscemodi enim : subaudis homines, qui dissensiones generant inter vos discurrendo de domo in domum, adulantes et laudantes quosdam, aliis vero detrahentes, et concitantes unum adversus alterum per detractiones, *non serviunt Christo, sed suo ventri :* quia ideo adulantur aliis, et detrahentes aliis sunt, ut possint suum ventrem implere : *et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.* Ad hoc, inquit, prædicant, et dulces sermones adulationis et benedictionis proferunt, ut corda simplicium fratrum seducere possint, et innocentiam eorum auferre valeant.

Vestra enim obedientia, qua obedistis Evangelio venientes ad fidem, *in omnem locum* vestræ potestatis *divulgata est ;* hoc est quod in principio hujus Epistolæ dixit : *Gratias ago Deo meo, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo* (*Rom.* I). *Gaudeo igitur in vobis*, o Romani, quia credidistis sicut et ego. *Sed volo vos sapientes esse in bono,* ut quidquid sapitis et intelligitis, totum opere studeatis implere ; *simplices* autem *in malo*, ut vitia et omnia quæ mala sunt vitetis et contemnatis. Simile est hoc illi dicto, quod ad Corinthios scribit, dicens : *Malitia parvuli* estote ; sensu autem, perfecti estote (*I Cor.* XIV); ac si diceret aliis verbis : Bonum sapite faciendo, malum ignorate vitando, et ita in vobis implebitur quod subditur.

Deus autem pacis, quia pacem amat et pacem tribuit suis, *conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Satanas in lingua nostra interpretatur adversarius, et potest in hoc loco significare diabolum et Neronem, qui Christianis adversabantur. Possumus etiam et omnia adversa per hoc nomen intelligere quæ animæ tendenti ad Deum resistunt et adversantur, quæ exorat Apostolus conteri et subjici potestati illorum. Deus pacis, cui pax placet, conterat hoc quod contrarium est paci, et dissensiones operatur. Quod autem dicit, sub pedibus, vel simpliciter accipiendum est sub potestate, vel etiam in brevi tempore et velociter.

Salutat vos Timotheus adjutor meus in prædicatione, *et Lucius, et Jason, et Sosipater, cognati mei.* Timotheum adjutorem suum dicit, omnesque simul cognatos appellat. Et quidem de Timotheo plenissime fertur in Actibus apostolorum (*Act.* XVI) quod fuerit ex Derben, filius mulieris viduæ fidelis, patre gentili. Ipse quoque Apostolus dicit, quod propterea rogaverit eum manere Ephesi, ut denuntiaret quibusdam ne aliter docerent, neque attenderent fabulis et genealogiis infinitis. Lucium autem quidam ipsum perhibent Lucam esse qui Evangelium Actusque apostolorum scripsit. Beatus enim Apostolus

non curat de proprietatibus nominum, pro eo quod soleant nomina interdum etiam secundum patriam declinationem, interdum etiam secundum Græcam Romanamque proferri. Jason ipse est cujus mentionem liber Actuum apostolorum facit. Sosipater ipse fuit filius Pyrrhi Berœensis.

Salutat vos Caius, hospes meus. Iste est Caius concaptivus, qui baptizatus est ab Apostolo, sicut dicit in Epistola ad Corinthios : *Gratias ago Deo meo quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium* (*I Cor.* I).

Saluto vos ergo Tertius, qui scripsi epistolam hanc *in Domino.* Tertius, proprium nomen est scriptoris credentis, qui Apostolo dictante hanc scripsit epistolam, cui concessit Apostolus suo nomine plebem Romanam salutare, et vocatur Tertius nomine, non numero.

Salutat vos Erastus, arcarius civitatis. Erastus arcarius erat civitatis Corinthiorum, id est princeps vel dispensator qui præerat arcæ ubi ponebantur census regis tributorum et vectigalium. Quod autem addidit : *et Quartus, frater,* proprium est nomen sicut et Tertius.

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Gratia dicitur gratis data ; et nomine gratiæ debemus intelligere quidquid boni gratis accipiunt electi a Deo, fidem videlicet, spem, charitatem, remissionemque peccatorum.

Ei autem honor in sæcula sæculorum, *qui potens est confirmare* in fide perfecta et in omni bono, *juxta Evangelium meum*, videlicet ut sic istis confirmati sicut monet Evangelium quod prædico, ut de eo nihil vobis desit. Quod autem subdit : *et prædicationem Jesu Christi*, ipsum est quod Evangelium, quia Christus illud prædicavit, *secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti*, id est absconditi. Æterna tempora, intellige sæcula immensa quæ præcesserunt mundi exordium, a cujus exordio homine creato potuit revelari mysterium sanctæ Trinitatis, et mysterium Dominicæ incarnationis, passionis et cætera talia ; sed noluit tam venerabile mysterium omnipotens Pater nisi paucis innotescere, præsertim cum homo, neglecto Deo, se totum diabolo concesserit. Igitur a temporibus æternis quæ præcesserunt creationem mundi, et, ut ita dicamus, ex quo mundus cœpit esse, tacitum occultumque fuit mysterium sanctæ Trinitatis, *quod nunc*, in adventu Christi, *patefactum est*, ab ipso Christo, *per Scripturas prophetarum*, qui de illo mysterio aliquando apertis, aliquando obscuris prophetaverunt sermonibus, verbi gratia : Dixit Moyses (*Gen.* I) : *In principio creavit Deus cœlum et terram, et Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Ecce Trinitas, sed nonnisi a paucis intelligebatur. Quid dicit Christus ? *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre* meo (*Joan.* XV) ; et alibi : *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). De nativitate quoque illius dixit Isaias propheta : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium* (*Isa.* VII). Natus est Christus de Virgine, patefecit mysterium propheticæ Scripturæ. De sepultura etiam illius dicit idem Propheta : *Erit sepulcrum ejus gloriosum* (*Isa.* XI). Sepultus est Christus, patefactum est illud mysterium quod latebat. Quid plura ? Surgens a mortuis, aperuit discipulis sensum ut intelligerent Scripturas. Illis intellectis et cognitis, cognoverunt mysterium jam esse completum et manifestum, quod antea latebat. Concordantibus enim et adimpletis in Christo de conceptione, nativitate, morte, atque ascensione mysteriis, et cæteris propheticis annuntiationibus, nulla remanet jam dubitatio quin per prophetas patefactum sit mysterium, a sæculis et temporibus æternis occultum. *Secundum præceptum æterni Dei*, quia præcepit Filius Dei qui unius substantiæ est cum Patre et Spiritu sancto, dicens : Euntes in mundum : prædicate Evangelium omni creaturæ, et baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : *ad obeditionem fidei in omnibus gentibus*, id est, ut omnes gentes obediant fidei et Evangelio ejus. Quod ergo dixit : Et honor et gloria in sæcula, manifestare voluit, subjungens :

Soli sapienti Deo cognito *per Jesum Christum*, id est Patri, et Filio, et Spiritui sancto, qui unius substantiæ sunt, et qui in Trinitate unus est Deus. Ideo autem dixit cognito per Jesum Christum, quia per illum est cognitus et manifestatus Deus Pater et Spiritus sanctus, mysterium videlicet Trinitatis. Sapiens autem Deus non ex accidenti vel accidenti dono, sicut Salomon, aut aliquis hominum, sed essentialiter dicitur sapiens et est, quia nihil est ei aliud esse quam sapientem esse, nec sapientem esse quam esse. Finis hujus Epistolæ in Græco apertior habetur, in quo scripta est Epistola. Nam quod dicit : ei honor et gloria, et postea addidit : *cui*, cum sufficeret quod præmissum habebat : *ei gloria*, inusitato nostræ locutionis genere usus est ; et quod dixit : *in sæcula sæculorum*, morem sacræ Scripturæ tenuit, et immensitatem temporum per hoc voluit designare, et tale est ac si diceret : in omnia futura sæcula, honor et gloria sit omnipotenti Deo. *Amen* autem idcirco supposuit (quod est juramentum vel affirmatio in lingua Hebræa, Latine autem sonat verum), ut confirmaret omnia vera esse, quæ per totum textum hujus epistolæ ab eo scripta sunt.

IN EPISTOLAM I AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM.

Præcepto Domini Salvatoris admonitus Apostolus Paulus, venit Corinthum, quæ est metropolis civitas Achaiæ, provinciæ Græcorum, ubi moratus est

anno integro et mensibus sex; ibique constanter prædicavit Evangelium, tantum ut pene omnes ejusdem civitatis habitatores ad fidem Christi converteret. Sed postquam ipse discessit ab eis, multi illorum seducti sunt a Judæis et pseudoapostolis. Quod audiens Apostolus, scripsit eis hanc Epistolam ab Epheso, et misit per Timotheum, volens eos ad fidem Christi revocare, quia ad tempus ab ea recesserant, et reliquos confirmare.

CAPUT PRIMUM.

Paulus vocatus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, subauditur Patris. De nomine Pauli, in Epistola ad Romanos prout melius cognoscere potuimus, auctoritate doctorum dicere studuimus, et quomodo ipse vocatus sit apostolus. In hoc autem quod dicit: vocatus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei Patris, ostendit unam voluntatem esse Patris et Filii. Sicut enim unius substantiæ, unius majestatis atque potentiæ sunt Pater et Filius, ita unius voluntatis existunt, et qui vocantur a Filio, vocantur a Patre. Sicut Paulus per Filium vocatus est, ita a Deo Patre apostolus, id est missus et legatus, quia legatione Evangelii functus est. Quibus verbis percutit pseudoapostolos, necnon et Judæos, qui dicebant illum non esse a Deo vocatum Apostolum. *Et Sosthenes, frater* in fide, et in prædicatione, non tamen apostolus. Quare interponebat Apostolus nomina discipulorum suorum in suis Epistolis? Ob duas causas: sive ut majoris auctoritatis essent, secundum quod Dominus dixit: *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Matth.* XVIII), ne aliquis diceret, quia unius mendacio ista excogitata sunt; sive ut compleret quod ipse docebat, dicens in quodam loco: *Si cui revelatum fuerit aliquid sedenti, prior taceat* (*I Cor.* XIV). Nam quando dictabat Epistolas, discipuli ejus aderant in præsentia, et si forte alicui illorum aliter aut alia revelata essent per Spiritum sanctum quam ipse dicebat, quia idem Spiritus sanctus erat in discipulis, qui et in magistro, sicut ab illo dicebatur, ita ponebat in ordinem, non invidens bonus magister discipulis, et insuper nomen illius in exordio cum suo ponebat, quia quamdam partem ibi habebat.

Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi. Generaliter ad omnem Ecclesiam, id est multitudinem Corinthiorum, scribit, quia carebant illi adhuc episcopo cui specialiter scriberet. *Sanctificatis in Christo Jesu*, id est per fidem Christi Jesu, per passionem ejus, per aquam baptismatis. *Vocatis sanctis.* Non ideo vocati sunt Corinthii ad Christum per Paulum quod sancti essent, sed ut sanctificarentur sancteque viverent. *Cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi.* Sacerdotum est invocare Dominum pro salute populi, ut de ipsis dicitur in Veteri Testamento: Vos invocabitis *nomen meum, et ego benedicam eis* (*Num.* VI). Et in Psalmo: *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus; Samuel inter eos qui invocant nomen ejus* (*Psal.* LXXXVIII). Hoc dupliciter potest intelligi: *cum omnibus*, subaudis sacerdotibus, *qui invocant nomen Domini*, vel cum omnibus Judæis credentibus, cum eis habitantibus, *in omni loco ipsorum et nostro*, subaudis salutem optamus. In omni loco ipsorum, id est ubicunque illi fuerint, qui apud illos sunt et apud nos, salutem optamus cum eis.

Gratia vobis sit, id est fides, remissio peccatorum *et pax*, qua reconciliamur Deo Patri per passionem Christi, *a Deo Patre, et Domino Jesu Christo*. Spiritus Sancti persona in donis suis accipitur, in remissione videlicet peccatorum et pace, quia Dominus discipulis promisit, inquiens: *Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto* (*Luc.* III). *Gratias ago Deo meo*, id est gratias vel laudes refero Deo meo, *semper pro vobis*. Cum dixit Apostolus: Gratias ago Deo, id est laudes, non sine causa addidit meo. Cum enim omnium creaturarum unus sit per naturam atque potentiam, eo quod sit Creator omnium illorum, tamen proprie dicitur Deus esse, qui merito fidei et justitiæ ejus cultores esse probantur, sicut beati Pauli aliorumque apostolorum. Hinc dicitur: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III), per gratiam et vitæ meritum. Et quare dicitur se gratias agere Deo semper pro salute illorum, cum nemo hominum semper possit intentus esse orationibus aut gratiarum actionibus. Nam sicut in scripturis Patrum legimus, Apostolus ab hora prima usque ad quintam operi manuum insistebat; ab hora autem quinta usque ad decimam prædicationi operam dabat; post decimam vero iterum, procurabat pauperum peregrinorumque hospitalitatem, suique corporis necessitatem; per noctem vero orationi intentissime insudabat. Igitur propter nimiam assiduitatem, qua per singulos dies et noctes Deo gratias referebat, tam pro Corinthiis quam pro omnibus quos Christo acquisierat, dixit se gratias Deo semper referre pro illis: *in gratia Dei*, subaudi Patris, id est pro remissione peccatorum, *quæ data est vobis*, subaudi gratis a Deo Patre, *in Christo Jesu*, hoc est per fidem Christi Jesu. Illis enim tantummodo largitur Deus Pater gratiam suam, id est remissionem peccatorum, quos videlicet veraciter cognoscit credere in Filium suum; gratia dicitur gratis data. Et non immerito remissio peccatorum et fides gratia Dei appellantur, quia quidquid donorum habemus Dei gratia est: quoniam gratis nobis tribuitur nullis præcedentibus meritis.

Quod in omnibus divites facti estis in illo, hoc est in Christo. In quibus rebus illi erant divites effecti? in fide, in doctrina, in diversitate linguarum, in efficacia miraculorum. Istæ sunt divitiæ spiritales quibus ditantur electi. *In omni verbo*, id est in doctrina Novi Testamenti; *et in omni scientia*, subaudis Veteris et Novi Testamenti, vel, ut ita dicamus, in omni sapientia et scientia, sive in intellectu Veteris et Novi Testamenti.

Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis. Testimonium Christi appellat Evangelium, in quo narrantur testimonia nativitatis Christi, miraculorum quoque necnon et passionis, resurrectionisque

ejus, et ascensionis ad cœlos, et adventus illius ad judicium. Quæ testimonia Christus ante passionem suam prædixit, et omnia in morte sua confirmavit. Videamus unum testimonium ex multis, et consideremus quomodo illud prædixit, et quomodo confirmavit; longe ante passionem suam, dixit discipulis: *Ecce ascendimus Hierosolymam et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis*, etc., usque dum ait, *et die tertia resurget* (*Luc.* XVIII). Sic omnia, illo veniente Hierosolymam, completa sunt, quia traditus est gentibus, Pilato scilicet, et militibus ejus illusus est, occisus, et die tertia resurrexit. Unde dicit Apostolus: Sicut testimonium Christi, id est Evangelium, confirmatum est in vobis, hoc est, creditum est a vobis, et confirmatum in vestris cordibus, quia omnia creditis vera esse quæ ibi continentur. *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia*, id est neque in fide, neque in doctrina, neque in diversitate linguarum, neque in virtute miraculorum. Quæstio oritur in hoc loco: si Corinthii divites erant facti in omni verbo et in omni scientia, et si tanta gratia erant repleti, ut nihil eis deesset gratiæ, sicut in sequentibus dicitur, quare apostolus in subsequentibus hujus epistolæ locis dicat illos contentiosos esse, et insuper addat, ad verecundiam vestram dico? Quæ hoc modo solvitur: Sicut in omnibus ecclesiis duo sunt genera hominum, bonorum scilicet et malorum, ita apud Corinthios tunc temporis erant. Primum ergo, Apostolus a laudibus cœpit et gratiarum actione, alloquens eos qui in fide bonisque operibus perfecti erant, abundantes divitiis spiritalibus, ut ipsi semper in melius proficerent, sicque postmodum fortiter cœpit redarguere illos qui in fide errabant, dissensionesque seminabant, more peritissimi medici agens, qui vulnus secandum videns, sed ægrum timidum esse conspiciens, diu palpat sana membra, subitoque percutit: more etiam arietis, qui primum humiliato capite incedit, sed postmodum fortiter ferit. Primum enim laudavit bonos, et deinde percussit malos. Verecundæ etenim mentes, nisi fuerint palpando reprehensæ, ita ut ex aliis rebus audiant quod in consolationem sumant, per increpationem duram protinus ad desperationem cadunt. *Exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi*. Revelatio manifestatio est, Christus ergo modo absconditus est quodammodo, et non apparet, quia non videtur a nobis nisi mente. Videbitur autem in die judicii, quando se manifestabit omnibus hominibus tam electis quam reprobis, sicut dicit Scriptura, imo Propheta per Scripturam: Videbit omnis caro salutare Dei, et tunc dabit electis gloriam quam eis promisit, et vitam sine fine mansuram; unde Apostolus alias: *Mortui*, inquit, *estis peccato et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum* autem *Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Col.* III), quia eritis sicut angeli Dei in cœlo, et quod majus est: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*II Joan.* III). *Qui et confirmabit vos*, id est roborabit in sua fide et in bonis operibus, *usque in finem*, id est usque ad diem mortis vestræ, vel usque ad diem judicii, *sine crimine*. Non dicit sine peccato, sed sine crimine, id est sine capitali peccato, quod a regno cœlorum separat. Nam nullus homo est super terram qui faciat bonum et non peccet, aut in verbo, aut in cogitatione. Unde et Joannes ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Quod autem dicit: confirmabit vos usque in finem, hoc exposuit, subnectens: *In die adventus Domini nostri Jesu Christi*, quando ipse veniet reddere unicuique secundum opera sua. Duæ autem sunt vocationes: una est quæ fit singulis hominibus, quando ab hac vita per mortem corporis transeunt vocati a Domino: altera erit generalis in die judicii, quando omnes, tam boni quam mali, ad judicium vocabuntur; et quos in ista prima vocatione invenerit Deus omnipotens bene laborantes, illos utique in secunda non vocabit ad hoc ut damnet cum reprobis, qui audituri sunt: *Ite, maledicti, in ignem æternum*, sed potius ut remuneret cum electis, quibus dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum ab origine mundi* (*Matth.* XXV). In omnibus enim verax apparebit, sicut sequentia manifestabunt.

Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi. Fidelis Pater dicitur, quia verax est et completor sui sermonis. Promisit enim Abrahæ daturum se illi terram peregrinationis suæ, et quod in semine ejus benedicendæ essent omnes gentes, id est in Christo, complevitque illud sicut modo cernimus. Promisit nobis per Filium suum regnum cœlorum; verax apparebit utique quia dabit illud nobis, si permanserimus in fide ejus. Societatem hic, secundum Ambrosium, fraternitatem debemus accipere. Fidelis, inquit, Deus Pater et verax est, qui dabit omnia bona patriæ cœlestis, per quem Deum Patrem vocati estis in societatem, id est in fraternitatem Filii ejus Jesu Christi, ut simus fratres Jesu Christi et filii ejus, non per naturam, sed per adoptionem. Per Filium suum vocavit nos ad fidem suam, ut sit ipse nobis Pater, et simus nos fratres Filii ejus. Quicunque enim in Deum veraciter credit, ejusque voluntati obtemperat, ipse utique frater Domini nostri Jesu Christi est, non per naturam, sed per gratiam adoptionis, sicut ipse dicit in Evangelio: Quicunque fecerit *voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, et mater est* (*Matth.* VII); et ad mulieres post resurrectionem: *Ite*, inquit, *nuntiate fratribus meis* (*Matth.* XXVIII).

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Hactenus laudavit illos qui permanserunt veraciter in fide, amodo vero ex hoc loco incipit redarguere illos, qui divisiones (quæ schismata græce appellantur) seminabant, dicentes se potius filios hominum a quibus baptizabantur, sicut sequentia manifestant, quam filios Dei. Quapropter

dicit eis Apostolus : Obsecro vos, fratres, per nomen Domini Salvatoris, per quod salvati estis, ut idipsum dicatis omnes, subaudis quod ego dixi superius, quia filii Dei estis, non dicentes vos filios alicujus hominis, sed Dei. *Sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem scientia*, quod unum est ; id est in eodem intellectu manete, quem me accepistis et dicite vos filios esse Dei, sicut dicebatis quando a vobis discedebam corde.

Significatum, id est relatum *est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos*. Chloes locus est, et tale est ac si diceret : ab his qui sunt Antiochiæ, aut aliquid tale.

Ego quidem sum Pauli, subaudis filius, vel baptismate baptizatus. Apud Corinthios emerserant hæretici post discessum Apostoli ; maxime hi qui ex circumcisione erant Judæi credentes, qui quoscunque baptizabant suos esse dicebant filios, baptizantes eos in nomine suo, et illi qui ab eis baptizabantur gaudebant suos appellari filios esse illorum a quibus baptizati fuerant ; credentes vero, qui erant fidem et doctrinam Apostoli tenentes, dicebant : *Ego* sum *Christi*, quod utique bene dicebant, quia sic est dicendum. Similiter factum est quodam tempore, quando exsurrexerunt Donatus et Novatianus, hæretici, qui quoscunque poterant ab Ecclesia expellebant, iterumque rebaptizabant, et dicebant suos esse filios : et illi gaudebant se appellari Donatistas et Novatianos. Ergo Apostolus, ut comperit talia geri apud Corinthios, scripsit eis ista quæ dicuntur hic, errorem illorum ostendens, sed nomina auctorum non prodens. Maluit enim in suam et in aliorum fidelium doctorum personam ista transferre, quam illos prodere, ne deteriores efficerentur. Si enim ita esset ut illi volebant, ut omnes a quo baptizabantur illius essent filii, quasi ejus baptismate baptizati, quot essent baptizatores, tot essent baptismata, cum unum sit baptisma Christi, sicut unus Deus et una fides. Dominus Jesus ministerium quidem tingendi corpora dedit suis fidelibus, gratiam autem baptizandi, id est peccata dimittendi nulli tribuit, sed sibi proprie retinuit, sicut Joannes dicit de eo turbis (*Joan.* I) : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto*, et iterum : *Et ego*, inquit Joannes, *nesciebam eum*, id est, nesciebam quod potestatem baptizandi sibi esset reservaturus, *sed qui misit me baptizare*, Deus Pater videlicet, *ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto*. Intantum ergo retinuit sibi Christus potestatem baptizandi, ut sicut dimittuntur ei omnia peccata, qui a sancto et innocente viro tingitur in aqua, ita et illi qui a peccatore et scelerato, tantum in nomine sanctæ Trinitatis illud fiat. Meritum enim vitæ baptizantis sive agentis, nec prodest nec obest in hac parte illi qui baptizatur.

Divisus est Christus, subaudis, si ita est ut dicitis. Non affirmative neque interrogative hoc legendum est, sed suspensa voce. Christus quodam modo dicitur divisus esse, quando honorem et gloriam ejus, quam sibi proprie ipse retinuit, hæretici inter se patiuntur dividentes ejus baptismum. Similiter hæretici dividebant Christum, quando aliqui dicebant illum verum corpus non habuisse, sicut Manichæi : quidam non habuisse animam, ut Apollinaristæ, quidam minorem Patre, ut Arius. *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est ?* subaudis non, et est sensus : in illius nomine debetis baptizari, et in illius baptismate debetis credere vos posse salvari, qui pro vobis crucifixus est. *Aut in nomine Pauli baptizati estis ?* Hic ponit se Apostolus pro omnibus illis, in cujus nomine se dicebant esse baptizatos, ideoque a se cœpit, ne forte dicerent illi hæretici : Idcirco Paulus talia prohibet ne aliquis dicat se nostro baptismate baptizatum, et nostrum filium esse, ipse sibi vendicet omnem honorem.

Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium, qui fuerunt primitiæ Achaiæ. Baptizavit quidem Paulus tanquam minister, non tanquam ipsa potestas ; et idcirco ipse gratulabatur quod plurimos illorum non baptizaverat ut, quia error sub hac re cœperat oriri, si ipse plurimos baptizasset, multo magis ex ejus nomine augeretur error, et dicerent : Ego sum Pauli.

Baptizavi autem et Stephanæ domum. Nobilis matrona Stephana exstitit, cujus familiam baptizavit Apostolus. Utrum vero ipsam baptizaverit an in infidelitate permanserit, ignoratur.

Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare. Magis electus est Apostolus ut evangelizaret quam baptizaret : quia plus est evangelizare quam baptizare. Omnis enim qui evangelizat potest et baptizare ; sed non omnis qui baptizat idoneus est et evangelizare. In episcopo omnium ordinum dignitas est. Caput est enim cæterorum membrorum ; et Apostolus qui pontifex erat, omnes gradus ecclesiasticos habebat. Ideoque et baptizare et evangelizare poterat, sed maxime prædicationi insistebat, sicut alii apostoli. Discipuli vero ejus baptizabant, sicut legimus (*Act.* X), quod Petro veniente ad domum Cornelii, postquam cecidit Spiritus sanctus super omnem domum ejus, præcepit eos Petrus a suis discipulis baptizari. In primordio etenim fidei omnes baptizabant, et non solum viri, sed etiam feminæ, si quando necessitas imminebat. Sed ne tantum ministerium vilesceret, aut non recte a simplicioribus impleretur, crescente numero fidelium per universas civitates et villas, decretum est a sanctis patribus, ut episcopi tantum et presbyteri baptizarent, et si necessitas fuerit, diaconi. *Non in sapientia verbi*, subaudis misit me Christus evangelizare, *ut non evacuetur crux Christi*, id est, ut non annihiletur passio crucifixi Christi. Hæretici et philosophi prædicabant in sapientia verbi, hoc est culto et polito sermone, ut placerent suis auditoribus, et ipsi apparerent docti : vel etiam in sapientia verbi prædicabant, quia ea quæ mundus, id est amatores hujus mundi

et philosophi humanæ sapientiæ, stulta putant, non A prædicabant illi. Verbi gratia : Christi nativitatem ex Virgine, mortem, et resurrectionem, quæ omnia illi denegabant, dicentes non posse aliquid gigni, nisi ex commistione alterius seminis : et Deum, qui spiritus est, non esse hominem factum, neque Filium Dei mori potuisse, sed quando voluit apparuit, et quando noluit recessit, neque resurrexit, quia non mortuus est. Ista omnia philosophi et hæretici, quia per humanam sapientiam penetrare non poterant, dicebant mendacium esse, et annihilabant passionem Christi. Sed Apostolus prædicabat simplicibus verbis Christum esse natum de Virgine, mortuum et resurrexisse, ut auditores ejus intelligere possent quæ loquebatur. Quicunque enim fidem Christi verbis vult exornare, non Dei gloriam, sed propriam quæ- B rit.

Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est; his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Quid est quod dicit verbum crucis? Crux quæ inanimata et insensibilis res est, quomodo potest loqui verbum Dei? Verbum crucis dixit, id est Evangelium et prædicationem crucifixi Christi : in infidelitate namque manentibus et non intelligentibus virtutem Dei et sapientiam, stultitia est Filium Dei dicere crucifixum ; credentibus vero et fidem habentibus quod per passionem sunt redempti, virtus Dei est ipsa passio, quia per illam merentur salvari.

Scriptum est enim, in Isaia (*Isa.* XXIX) : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Modo sapientiam quam ipse Deus dat, per- C dit sive reprobat, sed humanam quam ipsi homines sibi adinveniunt Deo permittente, dialecticam videlicet, cæterasque artes per quas sperant sapientes esse, illam ad nihilum deducit, et stultam esse manifestat.

Ubi sapiens? ubi scriba? Hoc ad Judæorum sapientes, scribas videlicet et Pharisæos, pertinet, *ubi inquisitor* vel conquisitor *hujus sæculi?* Hoc ad philosophos pertinet gentium, qui de sapientia conquirebant et de cæteris occultis et abditis rebus, et de naturis creaturarum, et maxime ad astrologos, qui cursu et moderatione duodecim signorum, solis quoque et lunæ, et quinque planetarum, dixerunt omnia quæ in terris aguntur consistere, et Deum non curare de his quæ in terris aguntur, neque de homini- D bus, neque de animantibus. De his ergo dicit Apostolus : Ubi sunt modo sapientes et scribæ Judæorum? et ubi sunt philosophi gentium et astrologi? In Ecclesia nullum habent locum. *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* id est : nunquid non fecit, id est demonstravit Deus stultam esse sapientiam amatorum mundi et philosophiam, dum complevit opere quod illi denegabant? Utique illi negabant posse aliquid gigni, nisi commistione maris et feminæ. Deus autem omnipotens ostendit sapientiam illorum non esse veram, dum Filium suum constituit nasci ex virgine, sic etiam resuscitavit eum a mortuis, licet illi negarent resurrectionem.

Nam quia non cognovit mundus, id est amatores mundi et philosophi, *per sapientiam* suam mundanam *Deum* Patrem, *in Dei sapientia*, id est in Filio, qui est sapientia Dei Patris : *placuit Deo* : subauditur Patri, *per stultitiam prædicationis*, id est per prædicationem Evangelii, quam illi stultitiam dicebant, *salvos facere credentes*. Sensus hujusmodi est : quia sapientes istius sæculi, confidentes in sua sapientia humana, noluerunt credere in Christum, qui est sapientia Dei, neque in illo etiam noluerunt cognoscere Deum Patrem, vel quia noluerunt credere vera esse quæ in sapientia Dei erant, id est Evangelio, permisit eos Deus perire in sua incredulitate, et placuit ei per illam prædicationem quam illi putabant esse stultitiam, salvos facere illos qui credere voluerunt.

Quoniam et Judæi signa petunt, in hoc quod credunt Deo omnia possibilia esse, quærunt semper signa quomodo illud factum sit, de quo sermo agitur. Sic fecit Abraham, quando dixit ad Deum (*Gen.* XV) : In quo scire potero quod daturus est mihi terram hanc in possessionem, sic Gedeon et alii plurimi. *Et Græci sapientiam*, subaudis humanam, *quærunt*, id est philosophiam. Quia septem liberales artes apud illos præcipue viguerunt, ideo pro nihilo ducunt simplicem doctrinam fidelium.

Nos autem prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, id est rixam et contentionem, *gentibus autem stultitiam*. Apostolis prædicantibus mysteria humanitatis Filii Dei, videlicet quomodo natus est ex Virgine, quomodo miracula multa fecit, quomodo Judæi Christum crucifixerunt innocentem, quomodo ipse resurgens ascendit ad cœlos, scandalizabantur Judæi, id est, rixabantur sive contendebant, dicentes nullo modo esse verum ut virgo pareret, ut ipsi Dei Filium interfecissent, sed magnum quemdam a cujus discipulis dicunt inventa esse illa, quæ in Evangelio de ejus resurrectione et ascensione referuntur, quæ omnia denegant vera esse. Dicunt inter cætera : Christus quem dicitis vos jam venisse per Virginem, nondum venit, quia nobis promissus est : nec nascetur ex Virgine, sed David resurget, et ipse erit noster Messias. Similiter philosophis gentium stultum visum est ut Filius Dei, qui est auctor vitæ, pro hominibus moreretur : et dum ea audiebant prædicari de Christo, quæ ratio mundana et philosophorum sapientia penetrare non poterat, constricti stultitiam esse illud dicebant. Ipsi enim dicebant virginem non posse sine semine viri parere, et resurrectionem negabant. *Ipsis autem Judæis vocatis*, subaudis ad fidem Christi, *et Græcis*, id est gentilibus similiter prædestinatis ad vitam et credere volentibus, *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*, subaudis prædicamus esse. Christus virtus Dei est Patris, quia per illum Deus Pater omnia fecit, ipse est etiam sapientia ejus, quæ dicit per Salomonem : *Ego* sapientia *ex ore Altissimi prodii primogenita* (*Eccl.* XXIV) ; et de qua Psalmista ad Deum Patrem : *Omnia*, inquit, *in sapientia fecisti*

(*Psal.* CIII), id est per Filium. Ipse enim recte dicitur Sapientia et Verbum Patris,quia per illum Deus Pater semetipsum manifestavit hominibus ; verbi gratia : sicut homo per verbum suum manifestat voluntatem suam. Unde ipse Filius dicit in Evangelio: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus* (*Joan.* XVII).

Quia quod stultum est Dei, id est quod stultum ab hominibus putatur, *sapientius est hominibus;* id est, humanam sapientiam transcendit, et est sensus : Quod homines stultum putant esse, ut Deus omnipotens Pater Filium suum ad passiones, ad mortem perferendam mitteret in mundum, omnem sapientiam philosophicam transcendit ; et quia penetrari ab ipsis non potest, stultum dicunt esse, et nolunt credere, non quia vere stultum est, sed sapientius omni sapientia mundana ; *et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus,* id est quod illi putant et dicunt infirmum esse, quod Filius Dei potuisset mori, fortius est omnibus hominibus, et omnium fortitudine gigantum. Quomodo ? quia mortem quam gigantes evadere non potuerunt, infirmitas crucifixi Christi superavit. Quamobrem infirmum Dei, quod illi dicunt esse infirmum, non est infirmum, quia infirmitas Christi magna victoria est. Superavit enim diabolum, superavit mortem.

Videte,id est considerate, et in vobis ipsis probate, *enim vocationem vestram*,subaudis qua vocati estis ad fidem Christi,*quia non multi sapientes*,subaudis a Deo vocati sunt ad fidem prædicandam,et Evangelium,et cætera usque ad id quod sequitur : *Sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus ut confundat sapientes,* id est piscatores, et pauperes, atque idiotas, quos potentes hujus sæculi et philosophi stultos deputabant,et pro nihilo ducebant : *et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia :* id est ut mendaces ostendat,et erubescere faciat philosophos et potentes hujus sæculi. Apostolus appellat infirma mundi, vel quia stulti videbantur sapientibus hujus sæculi, et infirmi sensu atque intellectu mundano ; vel propter infirmitatem Filii Dei quem prædicabant. Videamus quomodo per ista infirma mundi ostendebat mendaces, potentes, et fortes hujus sæculi, et quomodo faciebat eos erubescere ; prædicantibus apostolis mysteria humanitatis Filii Dei, dum a philosophis contradicerentur omnia quasi mendacia, præcipiebant apostoli afferri mortuos duos, sive quinque, vel etiam amplius ; et dum eos per invocationem Filii Dei crucifixi suscitabant, apparebant philosophi et potentes mundi mendaces, et illi veraces. *Et ignobilia mundi*, id est, quæ sine nomine dignitatis erant, *et contemptibilia*, id est despicabilia, *elegit Deus*, apostolos videlicet, qui despectui habebantur, *et ea quæ non sunt*, subaudis elegit eosdem scilicet apostolos qui nullius dignitatis vel utilitatis a philosophis et potentibus hujus sæculi videbantur esse, *ut ea quæ sunt destrueret*, id est ut illorum sapientiam evacuaret, qui apud se aliquid videbantur esse. Et quare

A elegerit infirma mundi et non fortia, manifestat ex parte, dum subdit :

Ut non glorietur omnis caro, id est omnis homo, *in conspectu ejus*. Sapientes et potentes non possunt gloriari, quia non sunt ab eo vocati propter suam sapientiam aut divitias : nec habent sapientiam divinam et divitias spirituales. Apostoli non possunt gloriari, quia gratis quidquid habent, sine suis meritis a Deo perceperunt ; et non possunt gloriari propter sapientiam suam et divitias se esse electos.

Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu. Ex ipso, id est Deo Patre, estis, quia ab ipso creati estis : vel ex ipso estis in Christo, id est, ex Deo Patre factum est ut in Christum crederetis, et firmi sitis in fide Christi Jesu. Propositum enim et dispositio Dei
B Patris fuit, ut per Christum veritatem et misericordiam ejus cognosceremus. *Qui*, subaudis Jesus Christus, *factus est nobis sapientia a Deo Patre*. Non debemus pueriliter intelligere Filium Dei secundum divinitatem esse factum, sed genitum a Deo Patre ante omnia sæcula, licet secundum humanitatem factus sit in utero virginali opere Spiritus sancti ; sed ita est intelligendum : Factus est nobis sapientia, id est, factus est ut nobis esset sapientia, et nos faceret sapientes. Tale quid in Psalmo habetur : *Factus est mihi Dominus in refugium* (*Psal.* XCIII), quod nihil est aliud nisi, factus est, ut in illo refugium haberemus. Et in propheticis libris : Factum est Verbum Domini ad Joel et ad Osee,id est, factum est ut loqueretur Verbum Domini ad Joel : Verbum
C etenim Domini non est actum, sed genitum. Dicamus et aliter : Factus est nobis sapientia a Deo Patre, id est, ille qui est genitus ante omnia sæcula, factus est homo, ut nos faceret sapientes. Simili modo factus est nobis. *Et justitia*, quia nos justificat, *et sanctificatio*, quia sanctos nos facit, et sanctificat nos per baptismum, *et redemptio*, quoniam sanguine suo nos redemit Et hoc quare?

Ut quemadmodum scriptum est, subaudis in Jeremia, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. In Domino, et non in se gloriatur, qui bonum omne quod habet a Deo peperisse fatetur sine suo merito, ideoque non quærit gloriam propriam et laudem, sed illius a quo quidquid habet accepit.

D

CAPUT II.

Et ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, id est in facundia eloquentiæ, *aut sapientiæ* mundanæ, quia nihil vobis per humanam sapientiam polito sermone prædicavi : *Annuntians vobis testimonium Christi*. Testimonium Christi est Evangelium, quia ibi sunt testimonia incarnationis ejus, passionis, mortis, resurrectionis ascensionisque ad cœlos, et adventus ad judicium.

Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Quod nihil aliud est quam : Nihil vobis aliud prædicavi, nisi Jesum Christum crucifixum. Quæstio oritur in hoc loco. Cum in subsequentibus dicat : Tradidi enim

vobis in primis quod et accepi quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris; et quia resurrexit tertia die, loquens de mysteriis humanitatis ejus, quare modo dicat non alia se prædicasse, nisi Jesum Christum crucifixum, id est passionem ejus? Quæ hoc modo solvitur: Quia in hoc quod dicit Christum Jesum crucifixum, comprehendit omnia mysteria pertinentia ad humanitatem ejus. Ille enim crucifigitur, qui ante nascitur; ille moritur, qui crucifigitur; ille sepelitur, qui moritur; ille resurgit, qui mortuus fuerat; ac si diceret aliis verbis: Quia vos idonei non eratis ad capienda alta mysteria Divinitatis Christi, licet multa sapientia in me esset, judicavi sive statui, et decrevi in animo meo ea tantummodo mysteria vobis prædicare, quæ ad humanitatem Jesu Christi pertinent, et quæ vos penetrare possetis.

Et ego in infirmitate, subaudis corporis, *et timore* mentis, *et tremore multo* membrorum *fui apud vos,* o Corinthii! Forsitan veniens Apostolus Corinthum, infirmatus est corpore, et timebat nimium, ne in ipsa infirmitate positus interficeretur a pseudoapostolis, quibus contraria prædicabat; et timebat ne Corinthii, ab ipsis pseudoapostolis decepti, recederent a rectitudine fidei quam ab ipso perceperant. Vel aliter: in infirmitate sensus fuit apud illos, quia quodammodo infirma videbatur ejus sapientia dum propter infirmitatem auditorum, et tarditatem sensus eorum non manifestabatur plenissime; in timore etiam et tremore erat timens interfici (ut diximus ab hæreticis et pseudoapostolis.

Sermo meus et prædicatio mea, subaudis fuit, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis;* id est non philosophica et culto sermone prædicavi vobis Christum, ut vos deciperem et deluderem per obscuritatem verborum, sicut philosophi faciunt, *sed in ostensione Spiritus et virtutis,* id est in exhibitione miraculorum, quæ per virtutem Spiritus sancti operabar, confirmabam meam sententiam vel prædicationem, quia quod docebam et prædicabam verbis, miraculis roborabam, et ostendebam vera esse: quod philosophi vestri et pseudoapostoli non poterant agere. Hoc autem idcirco faciebam, *ut fides vestra non sit in sapientia hominum,* humana tantummodo sapientium, *sed in virtute Dei,* hoc est in virtute miraculorum probetur.

Sapientiam autem divinam *loquimur inter perfectos* in fide et sensu, qui valent eam capere. Perfectos hic appellat apostolos aliosque credentes, qui intantum etiam profecerant in fide, ut socii essent et adjutores in officio prædicationis, sicut erat Timotheus, Titus, Sosthenes, aliquando quamplurimi, et est sensus: Nos quidem habemus sapientiam divinam, sed vos non potestis eam capere neque tunc poteratis, quia adhuc parvuli probamini esse in sensu. *Sapientiam vero non hujus sæculi,* id est, mundanam sapientiam non loquimur, qua utuntur amatores hujus sæculi, *neque* sapientiam *principum hujus sæculi,* loquimur, id est philosophorum, *qui destruuntur.* A Quomodo destruuntur philosophi et potentes hujus sæculi? Per mortem corporis rediguntur in pulverem, et destruitur, sive annihilatur eorum sapientia. Destructus est Plato, et Aristoteles per mortem, et eorum sapientia in Ecclesia pro nihilo ducitur; vel etiam tunc destruebantur illi eorumque sapientia, dum quod illi per humanam sapientiam edocti, dicebant nullo modo posse fieri, Deus omnipotens per apostolos ostendebat verum esse: verbi gratia: negabant illi quod Filius Dei esset natus ex virgine sine semine viri, eo quod humana natura hoc non admitteret; dum per invocationem ejusdem Filii Dei apostoli mortuos suscitabant, evacuabatur et destruebatur eorum sapientia, et ipsi stulti reputabantur. Si ergo apostoli sapientiam humanam B non loquebantur, quid prædicabant? Hoc Apostolus exponit:

Sed loquimur, inquiens, *Dei sapientiam,* quæ abscondita est *in mysterio,* id est in obscuritate intelligentiæ. Sapientiam hic duobus modis possumus intelligere: Evangelium Christi videlicet, ubi inerrabilis sapientia latet; vel, quod melius est, sapientiam substantialem, quæ est Verbum Dei Patris, quæ loquitur per sapientiam: *Ego* sapientia *ex ore Altissimi prodii primogenita* (*Eccli.* XXIV). Istam ergo sapientiam loquebantur apostoli, quia ipsa loquebatur per illorum ora, et ipsam prædicabant illi. Sed si abscondita erat, quomodo loquebantur illam? philosophis utique et potentibus hujus sæculi erat abscondita, et illis erat manifestata per seipsam. Unde C sequitur: *Quam* sapientiam, id est Christum, *prædestinavit Deus* Pater secundum humanitatem, *ante sæcula in gloriam nostram,* id est ad glorificationem nostram, qui credidimus per illum redempti et mundati a peccatis, ut glorificari mereamur adhuc. Igitur ante omnia sæcula prædestinavit Deus Pater hominem assumendum a Verbo, ut esset verus Filius Dei, et nos per illum glorificaremur. Unde Apostolus in Epistola ad Romanos ait: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute* (*Rom.* I). Sequitur:

Quam sapientiam *nemo principum hujus sæculi cognovit.* Principes hujus sæculi dupliciter intelligendi sunt in hoc loco: principes hujus sæculi, id est Octavianus, Tiberius, Herodes, Pilatus, scribæ, et Pharisæi, sacerdotesque Judæorum, non cognove-D runt Christum esse Filium Dei, quia videntes illum hominem esse, videntes eum fatigari, sitire, esurire, non putabant esse Deum: unde Petrus: *Scio,* inquit, *fratres, quia per ignorantiam* hoc *fecistis, sicut et principes vestri* (*Act.* III). Quid ergo: si per ignorantiam servi occiderunt Filium Dei, nunquid immunes sunt apostoli? Absit ut peccatum eis non ascribatur, quia per opera miraculorum poterant cognoscere operatorem, quoniam, nisi Filius Dei esset, nequaquam talia facere posset quæ nemo ante eum alius fecit. Unde ipse dicit: *Si non venissem et locutus fuissem eis, et opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum* incredulitatis, *non haberent* (*Joan.* XV). Et quid sequitur: Nunc, inquit,

excusationem non habent de peccato suo. Et quamvis Deum esse nescirent, tamen, quia rem impiam faciebant et injustam, innocentem damnantes, non erant nescii, ideoque rei tenentur. Alio modo: principes hujus sæculi possumus intelligere aereas potestates, dæmones videlicet per hunc aerem discurrentes, de quibus ipse dicit in Epistola ad Ephesios: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes* VI): de quorum principe Dominus ait (*Joan.* XII, XIV): *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras;* et, *Venit princeps mundi hujus, in me nihil invenit.* Quamvis enim Marcus evangelista dicat de dæmonibus (*Marc.* I): *Sciebant*, inquit, *illum esse Christum* et ipsa dæmonia, subaudis dicunt: scimus quia tu es Filius Dei; tamen non veraciter poterant credere illum esse Filium Dei, videntes illum iterum post facta miracula esurire, sitire, fatigari. Sciebant quidem illum esse promissum in lege, sed nesciebant quod potestatem, quam in hoc mundo tenebant, per illum essent amissuri et quod tantæ potentiæ esset futurus. Quapropter subjungit Apostolus de utroque ordine principum.

Si enim cognovissent, subaudis principes hujus sæculi, illum esse Filium Dei, *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Dominus gloriæ Verbum Dei Patris est, per quod glorificatur Deus Pater, quia per illud omnia fecit. Sed quærendum est studiosissime, si gloria Dei Patris Verbum ejus est: quo modo ipse Dominus gloriæ qui spiritus est, potuit crucifigi? Christus Filius Dei ex duabus substantiis consistit, divina scilicet et humana in unitate personæ. Divinitas ergo Verbi quæ genita est a Deo Patre ante omnia sæcula, a tempore conceptionis illius hominis quem assumpsit in utero virginali, in eodem homine plenissime mansit, et eadem gloria et potestas, quæ erat in Verbo cœpit habitare in homine, et factus est ipse homo gloria Dei Patris, sicut ei Deus Pater dicit: *Exsurge, gloria mea*, de sepulcro (*Psal.* LVI). Et non solum gloria Dei Patris est ipse homo, sed etiam Deus est. Si enim Verbum caro factum est, id est, si Deus homo factus est, utique et homo Deus factus est. Et tamen hoc est diligentissime attendendum, quia licet Judæi et principes hujus sæculi Deum persequerenter, tamen in forma servi crucifixus est ipse, quia erat Dominus gloriæ, et Divinitas impassibilis mansit. Videamus ex hoc aliquam similitudinem. Rutilante sole, et ex clara lampade fundente lumen, radius et splendor ejus illustrat et perfundit arborem; dum ergo adeunt eamdem arborem homines cum securibus incidendam, nunquid erigendo et deponendo secures incidunt radios solis, licet arborem incidant? Sic utique sicut impassibilis manet radius solis, licet semper videatur, ferit insuper arborem quam illustrat; ita illius divinitas, quæ omnia implet, impassibilis mansit, quamvis ille quem replebat in cruce passionem sufferret. Multa possent ex hoc dici, sed ista

A pauca dicta nobis sufficiant tenentibus firmissime, quia si dæmones Christum esse Filium Dei cognovissent, qui Dominus gloriæ et majestatis per quem Deus Pater glorificatur, nequaquam ad crucifigendum eum Judæos ac milites Romanorum compellerent. Ipsi enim illum crucifixerunt qui ad crucifigendum suaserunt, et ipsi principes Judæorum et milites nequaquam illorum suasionibus obedirent ad hoc ut crucifigerent, si Filium Dei esse veraciter crederent.

Sed, sicut scriptum est in Isaia: *Quod oculus* corporis *non vidit*, quia non est corpus neque color; *nec auris* corporis *audivit*, quia non est sonus; *nec in cor hominis* humana sapientis *ascendit*, quia cor, id est intellectus hominis, illuc debet ascendere;

B *quæ præparavit Deus his qui diligunt eum*, id est, qui eum non offendunt corde, verbo, et opere.

Nobis autem, apostolis et credentibus in se, *revelavit Deus per Spiritum suum*, id est Spiritum sanctum, quod non revelavit dæmonibus, neque philosophis humana sapientibus. *Spiritus enim* sanctus qui est in nobis *omnia scrutatur*, id est, omnia secreta investigat, et non solum secreta cordium, sed *etiam profunda*, subaudis mysteria *Dei*, et præscientiam illius, quia unius substantiæ est cum Patre et Filio.

Quis enim scit hominum quæ sunt in corde *hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* subaudis nullus. Est sensus: sicut quæ in homine sunt nemo scit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, *ita et quæ Dei*

C *sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*, et cui idem Spiritus sanctus revelare dignatur.

Nos autem, apostoli et credentes, *non spiritum hujus mundi accepimus*, id est spiritum divinationis et spiritum pythonicum, *sed spiritum qui ex Deo est*, id est Spiritum sanctum, *et in doctrina Spiritus loquimur*, id est simplici sermone, et sicut Spiritus sanctus nos docet interius, cum miraculorum virtute, *spiritalibus* viris qui possunt penetrare quæ dicimus, *spiritalia* mysteria *comparantes*. Quod tunc fit, quando capacioribus divina committuntur mysteria.

Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, id est, quid gratiæ crux Christi conferat credentibus. Animalis homo dicitur qui Spiritum

D Dei non habet, qui licet ratione a pecore distet, tamen ipsa ratione non bene utitur, quia non putat aliquid esse post mortem, sed secundum ritum animalium versatur. Ideoque animalis dictus est ab anima, carnalis a carne, eo quod totus ex anima constet et carne. *Stultitia est enim illius*, subaudis quod audit de mysteriis Dei; *et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur*, id est, discutitur et dijudicatur. Et quia homo non potest intelligere quod audit, nec vult credere, a spiritualibus viris dijudicatur et condemnatur. Philosophi mundana sapientes, et heræetici apud Corinthios degentes, ut facilius animos auditorum pervertere possent, et a rectitudinis statu deficere, sua prava dogmata ho-

nesto sermone poliebant. Ideoque dixit parumper superius : *Non loquimur nos in verbis doctis humanæ sapientiæ.* Dicebant enim culto sermone quod humana natura non reciperet ut Deus incomprehensibilis et incorporeus homo fieri posset, et nec esse credibile ut virgo hominem sine virili semine conciperet, aut post partum virgo esse posset, nec posse fieri ut homo post mortem de pulvere terræ resurgat, et alia luculentissimo sermone proferebant : et ut hoc credatur stultum esse dicebant, ideo quia ipsi per humanam sapientiam penetrare non valebant.

Spiritalis autem vir *dijudicat omnia*, id est discernit et probat omnia quæ audit, videt, et cogitat : quid sit verum et falsum, quid sit bonum et malum, et cognoscit vera esse quæ prædicamus, vel discernit omnia genera hominum carnalium : *ipse autem a nemine judicatur*, id est, neque a spiritalibus viris sui similibus, neque a Deo damnatur vel reprehenditur.

Quis enim cognovit sensum Domini ? aut *quis instruxit eum ?* id est, quis hominum potest intelligere et penetrare intellectum et sapientiam Domini quo omnia fecit ? quis, subaudis homo, instruat, et doceat, sive corrigat ipsum Dominum, et dicat : Hoc et illud non bene fecisti, ita debes corrigere istud, et ita meliorare illud ? subaudis nullus. Insuper magnificabit et laudabit sensum et intellectum Domini atque potentiam, si cognoverit ab illo omnia esse facta, dicens eum sapienter cuncta fecisse. *Nos autem sensum Christi habemus*, id est, intellectum Christi habemus, et sentimus vera de illo per Spiritum sanctum illuminati, qui omnia novit cum Patre et Filio ; et est sensus : ideo quia nemo potest penetrare intellectum et sapientiam Dei, nisi ipso donante, idcirco nemo debet dubitare quin ista vera sint quæ dicimus de nativitate et humanitate Christi, quia nos Spiritum sanctum habemus.

CAPUT III.

Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, tarditate sensus vestri, non mei præpeditus.

Nondum enim poteratis, subaudis mysterium Divinitatis Christi capere. Ne illi dicerent : modo possumus, subdidit : *Nec nunc quidem potestis :* in futurum tamen Deo donante poteritis. Ideoque quia non poteratis capere, addo : *Lac vobis potum dedi, non escam*, id est, simplicem doctrinam de humanitate Christi, non solidum cibum de divinitate Christi et mysterio Trinitatis.

Cum enim sit inter vos zelus et contentio, zelus, id est invidia et contentio de variis baptismatibus.

Cum dicit unus : Ego quidem sum Pauli baptismate baptizatus, et ejus filius sum ; *alius autem : Ego Apollo ; nonne homines estis ?* id est : nonne carnaliter sapitis ? Fidelium apostolorum nomina pro falsorum ponit ob causam supra memoratam. *Quid est Apollo ? quid vero Paulus ?* subaudis nihil per

A se comparatione Christi, et ipse exponit quid sint :

Ministri, inquit, *ejus cui credidistis :* ideoque non possumus dimittere peccata in baptismate, quod Christus proprie sibi retinuit. Ille ministrat qui recte prædicat, *et unicuique sicut* convenit ministrat, *sicut Dominus* ministerium *dedit*.

Ego plantavi, prædicando vobis fidem, *Apollo rigavit*, id est baptizavit et tinxit corpora : *sed Deus incrementum*, id est augmentum, *dedit* mihi prædicanti, et Apollo riganti, quia ego fidem exterius prædicavi, Deus firmavit eam in cordibus audientium, et multiplicavit numerum credentium : et Apollo tinxit corpora, sed Deus peccata dimisit. Deus omnia ex se et a se habet, nos autem et ex illo
B et ab illo.

Itaque neque qui plantat, id est prædicat, *neque qui rigat*, id est baptizat, *est aliquid* comparatione Dei : quia non potest fidem infundere, neque peccata dimittere, si Deus auxilium non dederit.

Qui autem plantat et qui rigat, unum sunt, id est unius Dei ministri et servi sunt et unius naturæ, quia homo iste et homo ille in personis quidem duo sunt, sed in natura et officio unum. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum laborem suum*, id est, qui prædicat majorem, et qui baptizat minorem. Similiter intelligitur de omnibus hominibus, quia unusquisque secundum qualitatem laboris accipiet quantitatem muneris.

Dei enim sumus adjutores. In Græco melius ha-
C betur : Dei operis participes sumus. Deus operatur fidem in prædicatione, et solvit peccata in baptismate, cujus operis participes et adjutores sunt qui prædicant, et baptizandorum corpora mergunt. *Dei agricultura estis.* Ager est hic mundus, id est ejus habitatores, quorum corda excolit per prædicatores suos. Nam sicut ager vomere et ligone excolitur a cultore, ita vomere prædicationis excoluntur corda auditorum, ut sementum fidei et prædicationis recipiant, et fructum bonorum operum reddant. *Dei ædificatio estis*, quia ipse vos in sua fide per nostram prædicationem ædificat, ut ipsum in corde retineatis.

Secundum gratiam Dei, id est secundum sapientiam, *quæ data est mihi* præ omnibus apostolis. *Ut*
D *sapiens architectus fundamentum posui.* Architectus dicitur princeps in structura domus; sapiens architectus est, qui ejus a quo instructus est, voluntatem et auctoritatem imitatur, sicut fecit Paulus Christi doctrinam imitando, non alia prædicans quam quæ ab ipso percipiebat, et in mente videbat; vel, sapiens architectus est qui super arenam fundamentum non ponit suum, ne sit infirmum, ne super vacuam terram : similiter Paulus, ut sapiens architectus, fundamentum posuit, quia Corinthiis ipse primum prædicavit. Nullus enim ante ipsum fundamentum fidei in illis locaverat : *alius autem*, bonus aut malus ædificator vel operator, *videat*, et consideret *quid superædificet*, ut secundum firmitatem fidei sive

fundamenti procedant parietes, id est bona opera.

Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Fundamentum appellat in hoc loco fidem Christi Jesu, quæ bono fundamento comparatur; quia sicut in domo primum fundamentum ponitur, ac deinde parietes eriguntur, ita primum fides collocanda est in cordibus auditorum, ac deinde bona opera debent surgendo apparere: et sicut domus sine fundamento si fuerit, vel si fundamentum infirmum et non solidum habuerit, non potest subsistere, ut non corruat impulsa a ventis et imbribus: ita opera non possunt esse bona neque Deo accepta sine fide perfecta, quia sine fide impossibile est Deo placere; et sicut domus firmum fundamentum habens immota permanet, ita quicunque veram sincerissimamque fidem habuerit, inter adversa et prospera hujus sæculi firmiter permanebit, quia *justus ex fide vivit* (*Rom.* I). Sed sicut fundamentum sine structura parietum nihil utilitatis habet, ita quicunque fidem sine operibus habere videtur, non ideo perfectus habebitur, *quia fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Quapropter exornanda est bonis operibus, ut quod corde credimus, confiteamur ore, et bona opera sectando studeamus decorare. Fundamentum ergo aliud nemo philosophorum, nemo pseudoapostolorum, nemo hæreticorum potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus: quia alium deum nemo potest prædicare, quam illum quem nos prædicamus, neque aliam fidem quam illam quam annuntiamus, et quæ in cordibus vestris est, id est fides Christi Jesu: bene autem dicit Christum Jesum fundamentum esse, quia quicunque fidem ejus habent, in illorum utique cordibus habitat ipse. Ideoque nemo potest aliud fundamentum ponere in cordibus fidelium quam fundamentum fidei Christi: quoniam si aliam fidem cœperit prædicare, a fidelibus non recipietur; et si quis illius doctrinam et errorem susceperit, jam non erit fundamentum, sed potius destructio domus.

Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, id est supra fidem Christi, *aurum*, id est doctrinam sanctam et rectum sensum, *argentum*, id est eloquia divina, de quibus dicit Psalmista: *Eloquia Domini, eloquia casta argentum igne examinatum* (*Psal.* XI), *et lapides pretiosos*, id est diversa genera virtutum, quoniam sicut lapides boni insolubiles sunt ab igne, ita et illa æternaliter permanent, nec consumentur ab igne die judicii. *Si quis autem superædificat ligna, fenum, stipulam*, id est pravam doctrinam et mala opera. *Uniuscujusque opus manifestum erit* in die judicii. Sicut ergo per aurum sensum perfectum, per argentum eloquia incorrupta, per lapides pretiosos qui ab igne non liquefiunt, virtutes intelligimus, ita per ligna, fenum, ac stipulam, prava doctrina et mala operatio accipi potest. Aliter: per aurum, et argentum, et lapides pretiosos, possumus intelligere bona opera virtutesque præclaras: per fenum vero, lignum, stipulam, levia peccata, sicut est otiosus sermo, risus inhonestus, et cætera talia. Per plumbum vero, et ferrum, atque stannum, quæ sancti doctores addunt, gravia et immanissima peccata, quæ a regno cœlorum separant. Igitur sicut aurum, et argentum, et lapides pretiosi igne probantur, et tamen non consumuntur, ita in die judicii qui habuerint bona opera et bonam prædicationem, licet per ignem transeant, tamen nullam pœnam neque læsuram sustinebunt: qui vero habuerint levia peccata, transeundo per ignem expiabuntur, quia consumentur ibi sicut fenum vel stipula, sive ut ligna comburentur ab igne, tamen ipsi non remanebunt in igne, sed mandati et probati ascendent ad Dominum. At qui habuerint gravia peccata, quæ a regno cœlorum separant, et quæ Apostolus commemorat alibi, inquiens: Adulterium, fornicationem, et homicidium, et cætera talia; sicut ferrum et plumbum sive stannum liquefiunt quidem, sed non deficiunt per ignem, ita illi pondere peccatorum gravati, remanebunt in igne, et sustinebunt pœnas non deficientes. *Dies enim Domini declarabit*, id est, dies judicii et vindictæ Domini manifestabit omnia opera hominum, *quia in igne revelabitur*, id est cum igne demonstrabitur ipsa dies. Tradunt doctores, quod quantum spatium aeris occupavit aqua in diluvio, quæ omnes montes transcendit, et (ut philosophi definiunt) usque ad circulum lunæ pervenit, tantum spatium occupabit ignis in die judicii. In quo probabuntur electi sicut aurum, et quorumdam levia peccata consumentur, impiis ibi remanentibus. Dicit enim beatus Ephræm quia tantus terror invadet omnes in die illa et bonos et malos, dum viderint infernum ardentem, et Dominum Jesum cum majestate et gloria venientem ad judicium, ut si immortales jam non essent effecti, iterum morerentur. Quo timore etiam levia peccata sanctorum purgabuntur, sicut dicitur: Videntes autem angeli purgabuntur. Angeli hic appellantur electi. *Et uniuscujusque opus quale sit,* utrum bonum an malum, *ignis* ille *probabit.*

Si cujus opus manserit quod super fidei fundamentum *ædificavit*, *mercedem* æternæ retributionis *accipiet.* De illis modo loquitur, qui ædificant super fidei fundamentum bona opera, quæ designantur per aurum et lapides, sive argentum, quæ manebunt, quia non consumentur ab igne, sed potius probabuntur sicut probatur aurum.

Si cujus opus arserit in igne qui levia peccata habuerit, quæ velut stipula consumentur, detrimentum patietur, id est pœnas sustinebit dum cœperint illas probari et consumi, licet ipse perierit, sicut sequentia manifestant, *Ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem*, subaudis transiens, et ab igne purgatus et expiatus. Nam et in hac vita electi adversitatibus et infirmitatibus probabuntur in modum auri et argenti ab igne, sicut tres pueri et sancti martyres, necnon etiam et beatus Job. Qui vero levia peccata attrahunt, purgantur ab illis qui a tribu-

lationibus incenduntur in hoc sæculo, vel post mortem in igne purgatorio, vel alia afflictione, orationibusque hominum expiantur. Tamen quod sine illicito amore non habuerunt, utique sine urente dolore non perdent. Qui vero plumbum coacervant sibi, plerumque in hoc sæculo incipiunt cruciari et ex parte pati quæ in futurum plenius passuri sunt.

Nescitis quia templum Dei estis? id est habitatio Spiritus sancti, *et quod Spiritus Dei habitat in vobis?* A tempore baptismatis incipit habitare in nobis Spiritus sanctus, et templum illius sunt omnes angeli et omnes justi.

Si quis autem templum Dei violaverit, id est, si quis seipsum corripuerit peccando, vel alios prava doctrina, sicut pseudoapostoli, vel quemlibet pravo suo exemplo, *disperdet illum Deus* de numero fidelium suorum et cœtu electorum, sicut latro vel homicida, sive quilibet reus a bonis sententia judicis dividitur, et malus tortorum in carcerem mittitur. *Templum enim Dei*, id est templum Spiritus sancti, Patris et Filii, *sanctum est, quod estis vos:* ideo non debetis illud violare. Fideles alloquitur, in quibus Deus per fidem et dilectionem habitat.

Nemo vos seducat, id est, nemo falsorum hominum blandiendo decipiat vos. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo*, id est apud sæculares homines, *stultus fiat*, stultam deputans temporalem sapientiam, deponat illam, *ut sit sapiens* apud Deum in futurum. Hoc dupliciter potest intelligi et distingui hoc modo : si quis vult veram sapientiam habere, hic distingue in hoc sæculo, stultus fiat, id est hoc credat de Christo, quod sapientibus hujus sæculi stultum videtur. Aliter : si quis videtur sapiens esse in hoc sæculo, et subinferendum stultus fiat, ut sit sapiens apud Deum, qui potuit agere quod humana sapientia denegabat

Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Sapientia hujus mundi est qua negatur Deus absque conjuge Filium genuisse. *Scriptum est enim* in Job (*cap.* v), in verbis Eliphaz : *Comprehendam*, id est mendaces ostendam, *sapientes*, philosophos videlicet, *in astutia eorum*, cum Filium meum ex virgine nasci fecero.

Nemo itaque vestrum, o Corinthii, *glorietur in hominibus*, ut illius nomine se velit appellari a quo baptizatus est, sicut Donatistæ a Donato, Apollinaristæ et Manichæi.

Omnia enim vestra sunt, si vos Dei estis, omnia Dei vestra sunt : quæ omnia ? *sive Paulus*, subaudis minister vester est, *sive Cephas*, minister vester est, non Dominus. Forsitan veniens Romam Petrus, per Corinthios transitum fecit, *sive mundus*, subaudis vester est, quia propter vos factus est, ut utamini bene his quæ in mundo habentur, et ut credatis illum per verbum Dei esse factum ; *sive vita*, subaudis præsens, in qua oportet bonum operari, vestra est, si ita vivitis ut Deo placeatis. Vel, vestra est, in hoc quia in vestra est potestate, utrum pro Dei nomine illam velitis ponere : *sive mors*, subaudis vestra est, ut si vultis pro Deo moriamini temporaliter, et vivatis æternaliter ; *sive præsentia*, subaudis bona et commoda vestra sunt, ut pauperibus ea distribuatis, a quibus recipi mereamini, et de cætero vivatis et vestiamini ; *sive futura* gaudia vestra sunt, ut bene conversantes in hoc sæculo, ad ea possidenda quandoque perveniatis.

Omnia enim quæ dixi et quæ facta sunt, *vestra sunt*, id est, ad vestram dignitatem et utilitatem creata sunt.

Vos autem Christi semper esse servi debetis duobus modis : vel quia per illum qui est Verbum Dei Patris, cum non essetis, creati estis : vel cum perditi essetis, per illum redempti estis. *Christus autem Dei*, subaudis Filius est, et ab illo habet esse, tam secundum Divinitatem, quam secundum humanitatem, qui ante omnia sæcula ab illo est genitus, et ab illo habet originem, et in fine temporum secundum humanitatem ab illo factus est.

CAPUT IV.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Corinthii, postquam per prædicationem Apostoli venerunt ad fidem, quidam illorum, seducti a pseudoapostolis, non sentiebant de illo quantum dignum erat, quasi non tantæ dignitatis et gratiæ esset, eo quod a Domino per præsentiam carnis non esset vocatus, quantæ Petrus aliique apostoli qui eum sunt secuti, et ejus prædicationem audierunt. Dicebant etiam illum seductorem et falsæ doctrinæ prædicatorem, honorantes amplius pseudoapostolos seductores suos, qui eis blande loquebantur quam illum qui, veritatem prædicans, eorum vitia redarguebat. Quod ut Apostolo manifestatum est, inter cætera ista scripsit, quæ hic dicuntur, ostendens hoc debere intelligi de se et sentiri, quod Deus illum ad apostolatus dignitatem elegerat, inquiens : Sic nos, me, et Barnabam, et Sosthenen existimet homo, Corinthius, vel alius quilibet, ut ministros Christi ; ac si diceret aliis verbis : Nolite, o Corinthii, nos despicere ac spernere, eo quod nos a Domino non sumus vocati cum Petro aliisque apostolis, quia non alia prædicamus, ego et Barnabas, quam quæ illi prædicant, et qui illos in terra positus adhuc mortalis vocavit, atque ad gratiam apostolatus accersivit, et eadem mihi revelavit de cœlo, quæ illos docuit in terra. Nec rogo ut me et Barnabam similes Christo existimetis, sed ut ministros Christi, qui vobis Evangelium ejus ministravimus. Minister Christi est qui præceptum illius servando imitatur illum, sicut ipse dixit : *Qui mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII). Ille etiam minister Christi est qui ejus Evangelium prædicando aliis ministrat, sicut Paulus, qui et servabat, vel prædicabat, et ministrabat. Christo etiam ministrat qui bona temporalia pro amore ejus pauperibus erogat, quod idem Apostolus adimplebat, non de alienis pauperes sustentando, sed de hoc quod labore manuum ac-

quirebat. Quod autem sequitur : Et dispensatores mysteriorum Dei : et,ut quidam codices habent,ministeriorum Dei,melius est dicere mysteriorum Dei, quia si dixerimus ministeriorum, erit sensus quasi tantummodo ad disponendos et ordinandos gradus ecclesiasticos sint vocati, episcopos videlicet, presbyteros, diaconos,cæterosque ordines, qui et ministeria ecclesiastica appellantur. Cum vero dicimus dispensatores mysteriorum, intelligimus illius electos ad dispensanda suis auditoribus mysteria et sacramenta Veteris Novique Testamenti,quamvis et ordines Ecclesiæ, sicut alii apostoli, ita et ipsi ordinaverint. Dispensatores ergo fuerunt,quia sicut aliquis paterfamilias elegit dispensatorem in domo sua, qui conservis suis secundum suam voluntatem singulis illorum bona sua distribuat, quibusdam amplius, quibusdam minus, et quibusdam hora tertia, quibusdam nona (*Matth.* xx) : sic Christus elegit Paulum, et reliquos qui mysteria Evangelii sui secundum qualitatem auditorum distribuerent,perfectis videlicet et qui capacioris sensus intellectusque erant,alta ac profunda mysteria de Divinitate omnipotentis Dei committerent, simplicioribus vero simpliciora quæ capere possent, quod utrumque idem egregius prædicator agebat,sicut ipse dixit : *Sapientiam* (inquit) *loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II). Et quid dicit eisdem Corinthiis in hac epistola? *Tanquam parvulis in Christo*, *lac potum dedi vobis,non escam.*Istorum mysteriorum divinorum dispensator erat iste, ideoque se hoc volebat haberi a suis auditoribus quod erat, id est minister Christi et dispensator sacramentorum ejus, in quo non verba tantum, sed virtus fulgebat.

*Hic jam quæritur inter dispensatores,ut fidelis quis inveniatur.*Licet quidam hunc versiculum interrogative velint legere,tamen secundum beatum Augustinum potius est affirmative legendus sicut sequens manifestabit sensus : Hic,id est in præsenti sæculo,quæritur et consideratur a Deo, ut fidelis dispensator quis inveniatur inter dispensatores alios, sicut ego sum et Barnabas. Pseudo igitur apostoli qui vos decipiunt, non sunt fideles dispensatores : quoniam a fide et doctrina Christi discordant.Nam in hoc erant infideles dispensatores quia adulterabant verbum Dei et fraudabant. Paulus autem fidelis dispensator erat, quia sicut ex Deo coram Deo loquebatur. Ille etenim fidelis dispensator Evangelii est qui non alia prædicat quam quæ in Evangelio habentur, sine errore videlicet et mendacio, et qui non quærit suam gloriam ut ipse laudetur ab auditoribus suis.sed ut Deus glorificetur per illos : et qui non pro lucris temporalibus, et ut ventrem suum impleat prædicationi insistit, sed ut a Domino præmium sui laboris percipiat. Igitur si Evangelium per malos non dispensaretur, nequaquam Dominus diceret : Quæ dicunt bona, facite : et quæ faciunt mala, facere nolite (*Matth.* XXIII). Rursus, si per bonos non dispensaretur, nequaquam Apostolus alibi diceret : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* XI).Multi ergo dispensatores sunt per quorum ministerium pervenitur ad æternam salutem ; sed quæritur a Deo inter dispensatores in præsenti, ut fidelis quis inveniatur, videlicet, ut quod prædicat ore, operibus exornet.

Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer,aut ab humano die. Pseudoapostoli atque philosophi et quidam Corinthiorum seducti ab illis, dijudicabant seu deridebant Paulum, eo quod non discreparet a prædicatione Petri aliorumque apostolorum,simpliciter et rustice prædicans, dicentes : Si Petrus, Andreas, Jacobus et Joannes, qui piscatores fuerunt, rustice prædicabant, et non scholastice, non est adeo mirum, quare autem Paulus, imitator illorum, rustice, et non philosophice, sive dialectice disputet, qui doctor legis exstitit, hoc mirum est. Non est ergo aliud, nisi quia magus et seductor est, ut qui ante non potuit persequendo Christianos perdere, saltem seducendo sua prædicatione falsa decipiat, fingens se socium esse Petri aliorumque apostolorum. Aliter enim prædicat exterius, atque aliter agit interius in occulto.Sed Apostolus, non curans de eorum detractionibus et irrisionibus, sciens pro certo quia nihil nocent homini aliena verba quem propria non maculat conscientia, subintulit, inquiens: *Mihi*, inquit, *pro minimo est*, id est, pro nihilo duco, et non est mihi cura si judicer, id est si detrahar et irridear a vobis, vel damner quia legibus divinis debueratis uti, aut ab humano die, id est ab illis qui humanis legibus utuntur, et humanis laudibus et favoribus delectantur, loquentes et prædicantes philosophice, ut ab omnibus laudentur : quia neque contra leges divinas, neque contra humanas aliquid perpetro. Humanas leges vel laudes diei comparat, quia illi habentur et videntur clari et jucundi qui in illis edocti sunt et qui ab hominibus extolluntur.*Sed neque meipsum judico*, id est, neque meipsum reprehendo in aliquo contra leges divinas aut humanas egisse, quia nulli vitio subjaceo. Quare :

Nihil enim, subaudis mali, mihi conscius sum, id est, nullius criminis malum in me recognosco,postquam per gratiam Christi expiatus sum ab omnibus peccatis originalibus et actualibus. Et est sensus : si ego meipsum irreprehensibilem invenio qui melius meipsum novi quam vos, quomodo potestis dijudicare conscientiam meam,quomodo potestis examinare quo animo et intentione facio quidquid facio, maxime cum nemo sciat hominum quæ sunt in homine, *nisi spiritus hominis qui in ipso est ?* Felix conscientia quæ ita secure de se audet loqui. Et ne videretur Apostolus præsumptive ac superbe talia fateri, subjunxit : *sed non in hoc justificatus sum*,subaudis apud me vel apud Deum, ac si diceret aliis verbis : Licet ego in me nihil mali nihilque reprehensione dignum inveniam, ut quidam mihi detrahant injuste,quidam extollant suis favoribus : tamen non ideo justificatus sum apud me, neque justificatum esse credo per hoc apud Deum quia nescio utrum placeant ei quæ ago, aut qualiter ea accipiat,

qui melius cognoscit quid sit in me quam ego, quoniam etsi in maximis operibus peccatorum non deliqui, saltem in cogitationibus deliqui et peccavi. Melius quidem ego memetipsum cognosco quam vos qui me dijudicatis et detrahitis, et melius Deus quam ego. Unde et sequitur : *Qui autem judicat me, Dominus est.* Non ideo bona est conscientia mea, quia laudat me aliquis ; neque ideo mala, si vos illam dijudicatis. Quid enim judicatis vel damnatis quod non videtis ? Ille debet alium reprehendere, qui aliquid reprehensibile in eo videt, quod ejus oculos offendit. Vos autem, nolite me judicare et detrahere quasi seductorem et rusticum, aliudque ostentantem exterius, et aliud operantem interius, quia Dominus judicat me, id est, discernit et probat causam meam et considerat actus meos, qui novit non solum de operibus, sed etiam de cogitationibus judicare. Quantum enim possunt homines de alio judicare, plus homo utique de seipso : sed Deus plus de homine, quam de se homo. Tanta profunditas est in homine, ut lateat plerumque ipsum hominem in quo est, quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, quando quid intus in se ageretur nesciebat, et se cum Domino, vel pro Domino, moriturum temere promittebat. Nam hoc illi Christus prænuntiabat quod ipse in se ignorabat.

Itaque, subaudis qui nescitis quid sit in homine, et Dominus est qui discernit et judicat me, *nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus* ad judicium. De apertis rebus quæ cognosci possunt quo animo fiant, permittitur nobis judicare, verbi gratia : sicut est homicidium, adulterium publicum, fornicatio et cætera talia. Cujus auctorem criminis non aliter permittitur nobis damnare, secundum auctoritatem sanctorum Patrum, nisi aut confessus, aut convictus fuerit testibus. De his vero de quibus dubium et incertum est quo animo fiant : sicut est de abstinentia et jejunio, quando plerique hominum dicunt se non posse abstinere a vino et carnibus, et quod non possint jejunare, non est nostrum judicare : quia possunt et bono animo et malo fieri : sicut et de cogitationibus et de his quæ in occulto fiunt, quæ, licet dicantur, non tamen per approbationem patent, sed debemus Domini judicio reservare, quia si quis de his judicat quæ incerta habentur, omnipotenti Deo, quantum in se est conatur auferre judicium. Plerumque tamen nostra credulitas in his fallitur. Pertinet autem ad nos, ne perniciosa opinione fallamur : ut quia non possumus hominum indagare conscientiam, de rebus incognitis judicium temere non proferamus : hoc est, ut ille vel ille homo, utrum sit impudicus pudicusve nesciamus, odio habeamus impudicitiam, et pudicitiam diligamus : tamen præsumptuose sententiam non proferamus, neque aliorum criminum narratores simus. Et si illum vel illum injustum esse justumve nescimus, amemus justitiam injustitiam detestando, non tamen judicium proferendo quoadusque veniat Dominus ad judicium : *qui et illuminabit*, id est manifestabit, denudabit, revelabit *abscondita*, subaudis opera, *tenebrarum* quæ ad tenebras perpetuas ducunt hominem, vel abscondita opera tenebrarum dicit quæ in occulto fiunt a bonis et malis : et non solum opera revelabit, sed etiam *manifestabit et consilia cordium* bonorum et malorum. Cui ergo revelabit opera et cogitationes, sive consilia cordium ? Secundum quod beatus Augustinus dicit, singulis electis manifestabit opera et cogitationes omnium electorum : nec erit quod suis non aperiat amicis, et abscondat alienis, ubi nullus erit alienus. Similiter credendum est omnia opera et consilia reproborum patere ad contumeliam et verecundiam illorum : nam modo quandiu non vides cor meum et non video cor tuum, nox est. Non enim scimus mortales corda mortalium ; lux autem per quam manifestabuntur ista omnia ipse Deus est, qui est vera lux : videamus quid subjungat Apostolus, *et tunc*, inquiens, cum Dominus manifestaverit omnia opera abscondita et cordium consilia, juxta quod dicitur per Prophetam : Ecce ego ad hoc veni, ut opera et cogitationes congregem singulorum, *laus erit unicuique a Deo*. Non omnium hominum laus erit, sed unicuique bona opera, et consilia, seu cogitationes habenti, quoniam tunc laudabitur justus audiens a Domino : *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXIII), et : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum* (*Matth.* XXV). Vituperabitur quoque injustus accipiens sententiam : *Mittite eum in tenebras exteriores*, et, *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Ibid.*). A qua maledictione qui fuerint alieni et exclusi, felices regnabunt cum Deo.

Hæc autem, *fratres*, id est nomina falsorum apostolorum, *transfiguravi*, id est transtuli *in me et Apollo propter vos*, videlicet ne vos ad invidiam et detractionem provocarem, *ut in nobis discatis*, subaudis humilitatem, *ne, supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio*. Concatenatio est hujusmodi, ut a nobis discatis humilitatem, ne infletur, id est ne superbia unus adversus alterum pro alio supra quam scriptum est, id est sicut jam supra scriptum est, quod non debeatis agere, videlicet ne unus Donatista infletur pro alio, id est pro Donato, a quo baptizatus est, adversus alterum, id est Novatianum, dicens se a sanctiore homine et meliori baptismate esse baptizatum ; et iterum Novatianus contra Donatistam pro alio : pro Novato videlicet, a quo est baptizatus, dicens sanctius esse baptismum Novati cujus baptismate ipse est baptizatus : Meliori (inquit) baptismate sum baptizatus quam tu, quia melior est Novatus Donato.

Quis enim te discernit ? subaudis fidelem esse ab infideli, doctum ab indocto, id est, quis te fecit meliorem illo cui non donavit quod tibi donavit ? Vel quis fecit te meliorem, o Donatista, quam sit Novatianus, donando tibi virtutes quas ille non habet ? Dedit tibi hoc donum Donatus, an Deus ? Utique Deus donis suis et gratia hoc facit, dans uni quod

habet alter. *Quid autem habes* donorum divinorum A *quod non accepisti?* subaudis a Deo.

Jam saturati estis, subaudis divinis mysteriis, *jam divites facti estis* in omni verbo, et doctrina, et abundantia bonorum operum; *sine nobis regnatis*, securi de præmio. Ironice est legendum hoc, et per contrarium, quia non erant illi qui seducti fuerant a pseudoapostolis, saturati divinis mysteriis, neque divites, neque regnabant sine illis. Hoc autem quod sequitur optative atque affirmative est proferendum; *et utinam regnetis* modo *ut et nos vobiscum regnemus;* illi in præsenti sæculo regnant cum Deo, qui talia opera agunt, pro quibus jam securi sunt de præmio æternæ vitæ, et qui cum Deo regnaturi sunt, sicut apostoli et sancti martyres.

Puto enim quod Deus nos apostolos, me et Barnabam, Sosthenen et reliquos, qui vobis prædicavimus, *novissimos ostendit tanquam morti destinatos*, id est, quando misit nos ad prædicandum vobis Evangelium, morti destinavit, quoniam vestra incredulitas et ferocitas non interficiet. Ideo dixit, *novissimos*, quia post duodecim apostolorum vocationem, et post Domini ascensionem, ipsi vocati sunt et electi *quia spectaculum*, id est ridiculum, sive irrisio, vel, pro miraculo *facti sumus mundo et angelis*, videlicet in mundis spiritibus et malis, *et hominibus*, qui gaudent de malis atque tormentis quæ patimur pro vobis. Spectaculum dicitur a spectando, id est videndo, contemplando; quod et theatrum dici potest; erat enim locus in civitatibus, ubi exercebantur joca regalia, et ubi decollabantur rei et plerumque in- C nocentes, ut erant sancti martyres, ad quem confluebat omnis populus ad videndum ea quæ ibi agebantur.

Nos stulti propter Christum, sicut vos putatis, quia non contradicimus mala inferentibus, et malum pro malo non reddimus; *vos autem prudentes in Christo*, sicut vos videtur: quia sic vultis esse Christiani, ut prudentiam mundi non amittatis, et magna vultis sentire de Christo infirma denegantes. *Nos infirmi*, qui nostras injurias non vindicamus; *vos autem fortes*, qui viribus propriis resistendum putatis; *vos nobiles*, de nobilitate generis gloriantes; *nos ignobiles*, ut vos putatis. Hæc omnia per contrarium intelligi debent et ironice proferenda sunt: quoniam D quod videtur denegare, hoc affirmat: et hoc denegat, quod affirmare videtur, quasi diceret: Nos prudentes, vos stulti; nos fortes, qui adversa hujus mundi sustinemus pro Christo, vos infirmi qui talia et similia non audetis sustinere; nos nobiles de genere patriarcharum descendentes, vos ignobiles, id est sine nomine dignitatis, de genere gentilium idola colentium.

Usque in hanc horam, id est usque ad præsens tempus, *et esurimus* longam famem, et nuditatem, et penuriam. Paulus pertulit, qui juvenis vocatus usque ad senectutem in his perduravit; *Et colaphis cædimur*, id est pugnis, quibus omnia genera tormentorum designat; *et instabiles sumus*, qui pellebantur de loco in locum, effugabantur de civitate in civitatem.

Et laboramus operantes manibus nostris. Laborabat Paulus scenofactoria arte a prima hora usque ad quintam, et a quinta prædicationis usque ad decimam insistebat: quoniam nolebat a Corinthiis aliquid accipere, neque ab aliis auditoribus, ut libere posset eorum vitia redarguere et corripere. *Maledicimur*, id est blasphemamur ab infidelibus, quasi magi, malefici, atque sacrilegi, *et benedicimus* prædicando illis Christum.

Blasphemamur quasi seductores, *obsecramus*, subaudis ut libere audiant doctrinam Domini, quam illi detestantur velut blasphemiam; petimusque ut dent nobis locum reddendæ rationis, quo manifeste probemus non esse tales quales blasphemamur. *Facti sumus omnium peripsema*, id est despectissimi B et vilissimi omnium. Peripsema est proprie limatura et rasura æris, aut alicujus metalli, vel purgamentum pomi, sive quisquiliæ domus.

Non ut confundam vos, hæc scribo, id est, non ut verecundari vos faciam, *sed ut filios meos charissimos moneo* quid agere in exemplum Patris debeatis, vel indico vobis qualia perferam, ut et vos similia non dubitetis sustinere pro Christo.

Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, id est in doctrina fidei Christi, *sed non multos patres* potestis habere. Pædagogi dicuntur eo quod pedibus agant, id est ductent, sive ducant pueros, idem sunt et pedisequi. Pater prius generat filium, postmodum vero pædagogo committit ad instruendum: et cum multos possit habere pædagogos, non tamen nisi unum patrem. Sic Paulus per prædicationis fidem genuerat Christo Corinthios. Sed post discessum ejus, acceperunt multos pædagogos, non solum bonos, sed etiam malos, pseudo videlicet apostolos. Quapropter ipse dicit: Licet multos magistros et doctores habeant, tamen non possunt habere plures patres, videlicet nisi illum qui primum eis fidem prædicavit.

Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus et fidelis in Domino. Latenter eos percutit, et in laude ipsius vituperat illos, quasi dicat: Vos non estis fideles. *Qui vos commonefaciat vias meas*, id est, qui vos commoneat et denuntiet et quid agatur circa me, et quæ prædico opere compleo, et qualiter vivo, idipsum in Ecclesia prædico, quoniam in omnibus æqualiter doceo. *Tanquam non venturus sim ad vos, sed inflati* estis superbiendo. Dicebant enim Corinthii: Cognoscit se Paulus rusticanum esse nostri comparatione, et ideo non venit ad nos, nec nobis curæ est, quoniam habemus nostros philosophos. Peccatores nos putat esse, ideoque dedignatur venire ad nos, nec nobis curæ est, quoniam habemus nostros apostolos: faciat quod vult. Quapropter subjunxit Apostolus:

Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit, sed modo non dimittam Ephesum ut ad vos veniam, quia majus lucrum hic acquiro Deo quam apud vos. Cum autem venero, *et cognoscam, non sermonem eorum*, subaudis tantum, *qui inflati sunt, sed virtutem*,

id est cum venero, non considerabo sermonem eorum A pompaticum, qui modo superbiunt, sed virtutem, id est vitæ meritum et rationem veritatis, quomodo credant, vel quas virtutes miraculorum possunt operari, qui ita inflantur.

Non enim in sermone pompatico atque polito *est regnum Dei*, id est non consistit in sermone sermo prædicationis et Evangelii, quod regnum cœlorum appellatur, eo quod suos observatores ad regnum Dei perducat, *sed in virtute* boni operis consistit : quia in regno cœlorum non regnant verba, sed facta : vel, in virtute miraculorum consistit, quando quod prædicatur verbis, miraculis confirmatur.

Quid vultis? o Corinthii, vultis ut *in virga veniam ad vos?* id est vindicta vitiorum vestrorum, et in severitate correptionis, sicut Moyses in Ægyptum, B quod significabatur per virgam quam ferebat : *an* vultis ut *in charitate*, sive dilectione, *et spiritu mansuetudinis* veniam? id est in lenitate mentis, et humilitate, atque tranquillitate, et est sensus : Si vultis ut in virga non veniam, manebitis incorrepti ; sin autem in animo pacifico et lenitate mentis, corrigite vos et emendate agentes pœnitentiam.

CAPUT V.

Auditur inter vos fornicatio talis qualis nec inter gentes, id est inter paganos, *ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*, novercam videlicet suam.

Et vos inflati estis, id est in superbiam elevati superbitis, *et non magis luctum habuistis* pro hoc scelere, sicut Samuel lugebat super Saul, et est sensus : Cum debuissetis lugere peccatum illius, et a vestro C consortio hujusmodi separare, magis in superbiam estis elevati, quia intuitu illius scelesti, putatis vos magni meriti esse, et sanctiores illo apparere.

Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu, subaudis sancto, qui replet omnia, ut beatus Ambrosius dicit : Tanta gratia erat concessa Paulo, ut ubicunque esset, per Spiritum sanctum cognosceret quid alibi gereretur ab his quibus evangelizaverat. *Jam judicavi cum qui sic operatus est, ut præsens*, id est, illum qui uxorem patris accepit, jam judicavi quasi præsens sim corpore.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, id est vice illius cujus legatione fungor, *congregatis vobis et meo Spiritu*, id est Spiritu sancto, *cum virtute Domini Jesu*, id est cum sententia Domini Jesu quæ in me D est. Ecce tres personæ : Spiritus sancti videlicet, et Domini Jesu, atque illorum in quorum numero omne judicium agitur et roboratur, juxta quod Dominus dicit : *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum* (*Matth.* XVIII). Ab his tribus personis jam judicatum habebat Apostolus *tradere hujusmodi* hominem *Satanæ in interitum carnis*, sive in afflictionem et ut vexaretur a diabolo in corpore gravi ægritudine, non tamen amentem neque phreneticum illum redderet, *ut spiritus*, id est anima illius, *salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*, id est judicii. Dicit beatus Augustinus quia hæc potestas et gratia data erat Apostolo, ut peccantes et pœnitentiam nolentes agere posset diabolo tradere ad vexandum in corpore, sicut istum, necnon Hermogenem et Philetum, de quibus ipse dicit : *Quos tradidi*, inquiens, *Satanæ, ut discant non blasphemare* (*I Tim.* I). Ejiciebat enim illum talem ab Ecclesia et ab omni societate, et sic diabolus per imperium et permissionem illius nimium gravi infirmitate vexabat illum, putans se animam illius per talia posse auferre; sed piissimus prædicator in anima non dabat ei potestatem, ut illum amentem redderet, vel exstingueret.

Non est bona gloriatio vestra, o Corinthii, qui gloriamini in peccato illius, putantes vos comparatione illius meliores esse. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Fermentum hic duobus modis possumus intelligere : pravam videlicet doctrinam, et peccatorem hominem. Sicut modicum fermentum omnem massam farinæ conspersam corrumpit, et ad suum acorem trahit, ita mala doctrina vel unus peccator homo totam congregationem Ecclesiæ solet corrumpere suo malo exemplo. Et omnes qui possent eum corripere et non corripiunt, utique similes ei efficiuntur in pœna. Sive prava doctrina seu malus et indisciplinans peccator qui non vult se emendare, ab Ecclesia debet expelli.

Expurgate vetus fermentum. Præcipit egregius prædicator Corinthiis fornicatorem, qui uxorem patris acceperat, a suo conventu expellere, quem ille jam traditum habebat diabolo ad purgandum, quatenus quo suadente peccavit, eo vexante purgaretur : et dum videret se ejectum in præsenti sæculo a cœtu fidelium, erubesceret de reatu suo, metuens similiter ejici in futuro a societate sanctorum. Ideoque hoc jussit Apostolus, ut per præsentem tribulationem et miseriam evaderet pœnas ignis æterni, et spiritus ejus salvus fieret in die Domini : *Expurgate*, inquit, vetus fermentum, id est fornicatorem qui incestum perpetravit, uxorem patris accipiendo. Quem idcirco *vetus fermentum* appellat, quia in conversatione et peccato veteris hominis Adæ adhuc erat positus qui primus peccavit. Omne enim peccatum ad veterem hominem pertinet. Ponitur etiam fermentum aliquando pro bona doctrina, aliquando pro mala. Pro bona ponitur, ut in Evangelio secundum Matthæum, ait Dominus : *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum* (*Matth.* XIII). Fermentum hic appellat fervorem dilectionis Dei et proximi, et cognitionem sanctæ Trinitatis, quæ fervet in cordibus fidelium, et continetur in doctrina evangelica. Mulier ista quæ accepit fermentum, sancta Ecclesia est, quæ dilectionem Dei et proximi, cognitionemque sanctæ Trinitatis prædicavit Asiæ, Europæ et Africæ, donec fermentaretur totum, id est, donec per quadrifidum orbem ista prædicationem spargeret, et ex omnibus gentibus ad fidem Christi traheret. Ponitur et pro mala doctrina et mala conversatione, ut idem Redemptor noster ait : *Cavete* autem *a fermento Pharisæorum* (*Matth.* XVI), id est a mala illorum doctrina : et cavete a fermento

Herodis, id est ab homicidio et adulterio illius. Sic A in hoc loco ponitur cum additamento pro conservatione veteris hominis, et pro mala doctrina : quia erant apud Corinthios pseudoapostoli, qui pravam doctrinam seminabant inter illos, quam præcepit Apostolus spernere. *Ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* Fermentum, Græco vocabulo, dicitur zyma, inde Latine vocatur azymus panis, id est non mistus, sine azyma, id est fermento, et est sensus : Ideo, inquit, præcipio expurgare vetus fermentum a vobis, ut in novitate vitæ permaneatis, sicut estis azymi. Id est, sicut novi effecti estis ab omnibus peccatis originalibus et actualibus in baptismate, manentes sine zyma, id est sine peccato, in quantum humana fragilitas cum Dei adjutorio valet. B *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.* Pascha appellatur festivitas, quam celebrabant Judæi per singulos annos ob memoriam egressionis suæ de terra Ægypti, et agnus qui immolabatur in eadem festivitate appellabatur pascha, sicut discipulorum verbis ostenditur, qui dicunt Domino : *Ubi vis paremus tibi comedere pascha* (*Matth.* XXVI) ? id est agnum. Secundum hunc morem loquitur Apostolus, et hic, inquiens: Etenim pascha nostrum Christus est immolatus, ac si diceret : Vultis scire quid sit pascha? Christus immolatus. Non est nobis immolatus agnus legalis vel typicus, sed verus agnus, qui tollit peccata mundi, est pro nobis immolatus in ara crucis, de quo Joannes ait : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Istius agni carnes quotidie immolantur in Ecclesia, et comeduntur a fidelibus. C Illi qui comederunt carnes typici agni, transitum fecerunt de Ægypto in terram repromissionis, et nos similiter transire debemus de tenebris infidelitatis ad virtutes, et de servitute diaboli ad libertatem Christi, et de morte ad vitam. Illi septem diebus celebrabant festivitatem paschalem, et nos nunc septem diebus celebramus pascha, si per omne tempus vitæ nostræ quod septem diebus volvitur, transitum facimus a vitiis ad virtutes.

Itaque epulemur. Alia editio habet : Itaque festivitatem celebremus. Et nos quibus immolatus est agnus verus Christus, celebremus festivitatem, id est gaudeamus, et exsultemus, et lætemur lætitia spiritali. *Non in fermento veteri,* subaudis epulemur, D vel simus. Legimus in Exodo, quod quando filii Israel egressi sunt de Ægypto, non detulerunt inde fermentatam farinam, sed tantummodo conspersam. Cogentibus enim Ægyptiis ne moram facerent egrediendi, reliquerunt ibi fermentum. Ægyptus quæ interpretatur *tenebræ,* significat tenebras infidelitatis : fermentum significat peccatum. Et nos Ægyptum relinquimus et fermentum peccati, quando per fidem deserimus infidelitatem, et relinquimus peccatum, transeuntes per aquam baptismatis ad terram repromissionis. Fermentum ergo vetus appellat vetustatem peccati et conversationem veteris hominis. *Neque in fermento malitiæ et nequitiæ.* Malitia et nequitia proprie ad interiorem hominem pertinent, hoc est, ad mentem. Sed Apostolus non curans de proprietate verborum, unum retulit ad exteriorem, ad interiorem alterum, nam malitia est malevolentia sive mala voluntas. Hic autem pro mala operatione ponitur. Nequitia est superbia vel audacia ad malum, sive mala cogitatio, et est sensus : Non epulemur neque lætemur in vetustate peccati, neque in conversatione veteris hominis, neque in perpetratione mali operis, aut malæ voluntatis, aut in superbia vel audacia mentis ad malum, sicut solent amatores hujus sæculi agere, quæ lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis. *Sed in azymis sinceritatis et veritatis,* subaudis epulemur et lætemur. Sinceris materia est quæ naturam suam perfecte servat, et nulla corruptione interius fucata aut corrupta, semper in melius proficit non in pejus. Et nos tunc sumus sinceri, quando omnia in simplicitate et puritate mentis agimus, semper in melius proficientes, vel malum pro malo non reddentes, sive aliis offendiculum per malum exemplum non generantes. Et non in azymis sinceritatis et veritatis epulamur quando omnia in integritate et puritate mentis agimus et sine corruptione, non duplicitate vel simulatione aliquid agentes, aut pro humana laude lucrisque temporalibus, sed pro remuneratione patriæ cœlestis et ut Deo soli placeamus.

Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis, id est ne similes illis efficiamini, vel ne velitis interesse illorum societati. Miserat eis Apostolus parvam epistolam, ne commiscerentur fornicariis talibus, qualis erat ille qui uxorem patris habebat. Sed Corinthii male intellexerant hoc, putantes quod de infidelibus gentibus diceret, non de fidelibus. Ideoque repetit ista, et corrigit eos, inquiens : *Non utique fornicariis hujus mundi,* id est non dixi vel scripsi de fornicariis hujus mundi, paganis videlicet, sed de illis qui sunt inter vos. *Alioquin debueratis de hoc mundo exisse,* id est, si paganis iterum commisceremini ad paganismum transeundo, melius vobis erat ab hac vita transisse, quam illis misceri. Aliter : Alioquin debueratis de hoc mundo exisse, id est, si in talibus peccatis permanere vultis, melius esset vobis mori et exire a corpore. Commiscetur fornicario quis, aut fornicando, aut etiam illi in aliquo famulatu cibi et potus vel colloquio favendo, vel non increpando. Idcirco autem melius est ab hac vita exire, quam in peccatis manere, quia quanto amplius vivit in illis, tanto majorem pœnam sibi acquirit.

Si is qui frater nominatur, inter vos, id est fidelis dicitur esse, *est fornicator, cum hujusmodi,* id est, cum tali, *nec cibum sumere. Quid enim mihi* est *de his qui foris sunt, judicare?* Id est, quid pertinet ad me, judicare de his qui foris sunt, de paganis videlicet, qui extra Ecclesiam sunt? *Nonne de his qui intus sunt,* in Ecclesia, *vos judicatis?* sive discernitis, id est nonne vos potestis satis discernere, cum quibus debeatis commisceri ex his qui in Ecclesia sunt.

Nam eos qui foris sunt, id est paganos et infideles, *Dominus judicabit,* quoniam qui non credit, jam

judicatus est. *Auferte malum ex vobis ipsis*, id est, qui malum opus fecit, a vestra societate expellite, ne ejus miseria alii vitientur. Vel, quidquid mali in vobis est, auferte a vobis, etc.

CAPUT VI.

Audet aliquis vestrum habens, o Corinthii, *negotium*, quod dicuntur quasi nec otiosi, id est causam et accusationem *adversus alterum* fratrem fidelem, *apud iniquos*, id est paganos, *judicari*, id est judicium accipere, *et non apud sanctos*, id est fideles? Quidam Corinthiorum credentium, sed non recte viventium, habentes accusationem et judicium adversus aliquem fratrem fidelem, ibant ad judices paganos et infideles, ut illorum judicio damnaretur et judicaretur ille contra quem falso aut veraciter causam habebant, lucrantes eos muneribus, quatenus falso aut veraciter illum dijudicarent. Qui judices iniqui appellantur : vel quia alieni erant a Deo, vel etiam quia leges divinas hominibus concessas, frequenter accipientes munera cum adulatione, aut spernebant aut falsa interpretatione auctoritatem illarum legum idolis suis deputabant dicentes : sic et sic dicit ille Deus meus in lege, quam nobis suis cultoribus tradidit. Quapropter, quia Corinthii hoc faciebant, redarguit eos Apostolus, inquiens : Audet aliquis vestrum hoc facere? Omnino non debuit tanta præsumptio esse in nobis, ut aliquis dimittens fideles, causa judicii iret ad infideles judicari fratrem suum ab illis.

An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt, id est, nescitis quod sancti amatores hujus mundi judicabunt ex exemplo fidei suæ, et comparatione melioris facti, non potestate sicut judices sæculi. *Et si in vobis*, id est, per vos et vestram comparationem, *judicabitur mundus*, amatores videlicet mundi, *indigni estis qui de minimis judicetis?* Hoc quidem non affirmative, sed potius increpative et interrogative legendum est. Est autem sensus hujusmodi : Si comparatione vestri damnabuntur sæculares homines et mundi amatores, indigni estis, id est indignos vos judicatis, ut de minimis judiciis vel causis judicetis, de equo videlicet ablato et aliquo furto, subaudis non estis indigni, ea videlicet judicare quæ mundi sunt.

Nescitis quoniam angelos judicabimus? Malignos videlicet spiritus, eodem modo quo et mundum : *Quanto magis sæcularia!* id est, amatores sæculi. Hi qui, Dei auxilio freti, obedientiam et humilitatem servarunt comparatione sui judicabunt malignos spiritus, qui per superbiam ceciderunt.

Sæcularia igitur judicia si habueritis, id est, ad corpus pertinentia sive corporea, ut est de veste furata, vel equo, aut aliquid tale, *contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Hoc dupliciter potest intelligi. Secundum Augustinum contemptibiles appellat simplices, qui nec notitiam divinæ legis neque humanæ habebant, neque prudentiam discernendi in negotiis et quorum personæ despicabiles habebantur, quos illi constituerant ju-A dices, ideoque illi qui aliquod negotium habebant Christiani, necessitate cogente, quia non habebant judices utiles sibi, pergebant ad judices paganorum, qui in circuitu suo erant. Secundum hunc sensum, non dicit affirmative hoc, sed ironice præcipit quod illi agebant, quod et sequentia manifestant. Sæcularia, inquit, judicia si habueritis, illos qui nec possunt neque sciunt discernere illa, illos constituite ad judicandum.

Ad verecundiam vestram dico, quia non debueratis ita agere. Quasi diceret : Non imperative hoc præcipio, sed ironice et denegando, quia licet vos ita agatis, non debuistis taliter agere, sed debueratis tales constituere, qui aliorum causas discernere et dijudicare scirent : et quorum personæ hoB norabiles essent : ut non esset necesse aliquem propter hoc ad gentilium judicem transire. Igitur nolite constituere amplius contemptiles. Secundum Gregorium contemptibiles possumus intelligere sæculares homines, humanarum legum scientiam habentes, in personis quoque honorabiles, qui, comparatione illorum qui divinas leges intelligunt, et mysteria sanctæ Trinitatis penetrant, contemptibiles sunt et simplices, licet ipsi fideles sint. Et est secundum hunc sensum affirmative legendum : Quia tales constituendi sunt, et a canonibus filii Ecclesiæ appellantur; et tales debuerant illi constituere; unde et subditur : Ad verecundiam vestram dico, quia etiam me non præcipiente hoc facere debuissetis. Ideoque tales præcipit constitui, quia illi qui altari debent C deservire, et divina eloquia meditari, et populis verbum prædicationis exhibere, a sæcularibus negotiis et judiciis alienos se debent reddere. *Sic non est inter vos*, id est, nunquid non est inter vos, *sapiens quisquam qui possit judicare inter fratrem suum? sed frater* fidelis *cum fratre* fideli contendit, subaudis certe est. Et hoc interrogative atque increpative est legendum. Quem superius appellavit, secundum Gregorium, contemptibilem, sive simplicem in divinis legibus cooperatione doctorum et prædicatorum, modo appellat sapientem in humanis legibus, quem præcipit constitui. Secundum Augustinum autem, quia illi despicabiles constituebant, dixit iste : Nunquid non est aliquis sapiens inter vos qui possit constitui, ut fratres inter se non contendant? et D quod pejus est, hoc etiam apud infideles faciunt duplicantque peccatum, et quod litigant, et quod in præsentia infidelium litigant, a quibus blasphematur nomen Christianitatis.

Jam quidem omnino delictum, id est offensio et peccatum, *est in vobis, quod judicia habetis inter vos*, quia accusatio litem, lis discordiam, discordia odium generat. Ne forte illi dicerent, omnino hoc peccatum non est, si mea requiro, ideo Apostolus dixit : In veritate dico, delictum est in vobis, quia contra præceptum Domini agitis, qui dixit : *Si quis aufert quæ tua sunt, ne repetas* (*Luc.* VI), et nobis pacem suam commendavit. *Quare non magis injuriam accipitis?* id est, quare non magis damnum sustinetis, ut præceptum

Domini custodiatis. *Quare non magis fraudem patimini?* quare vos aliis fraudem faciatis, vel injurias inferatis: *Sed vos* non solum repetitis vestra, sed etiam *injuriam* aliis *facitis*, percutiendo illos, *et fraudatis; et hoc*, subaudis facitis, *fratribus* vestris in fide, cum quibus pacem habere debueratis.

An nescitis quia iniqui, id est peccatores, *regnum Dei non possidebunt? Nolite errare*, id est, a rectitudinis via declinare. Errabant Corinthii, qui uno vitio non credebant hominem separari a regno Dei, nisi omnibus fuisset implicatus. Ideo subdit, commemorando quæ vitia singula regno Dei separant, dicens: *Neque fornicarii*, subaudis regnum Dei possidebunt, nisi pœnitentiam dignam in hoc sæculo positi egerint secundum quantitatem peccati, et eleemosynis illud redimerint: vel nisi pœnitentiam agentes mors illos invenerit, ut post mortem hoc quod deest de pœnitentia, in locis purgatoriis deleatur, et per orationes bonorum hominum, et per oblationem sacrificiorum. Dicit etiam beatus Gregorius, quia aliter orationes et oblationes obtinere non poterunt bonorum operum, nisi ille pro quo offeruntur, illud in hoc sæculo positus bona intentione promeruerit, et eleemosynis, ut si tempus ei esset concessum, illa plangeret, et alia plangendo non committeret.

Omnia mihi licent, id est, omnia genera ciborum licitum est mihi sumere, quia omne quod intrat in os, non conquinat hominem (*Matth.* XV), etc.: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I). *Omnia* quoque *munda mundis* (*Tit.* I); *sed non omnia expediunt*, id est non omnia sunt utilia, quia quædam sunt venenata, et usu horrida: vel non expediunt propter scandalum fratrum, quia melius est non manducare, quam fratrem scandalizare. *Omnia mihi licent*, subaudis quæ permissa sunt apostolis a Domino Jesu, ut qui Evangelium prædicant, de Evangelio sumptus accipiant, ab his quibus prædicant: *sed ego sub nullius redigar potestate*, id est nullius potestati me subdam. Beatus Apostolus noluit se subdi Corinthiis, aliquod munus ex eis accipiens, ut omnia vitia libere redarguere posset, ne causa ventris vigor evangelicæ veritatis torpesceret, et ne occasionem pseudoapostolis daret exspoliandi domos, essetque Evangelium venale.

Esca ventri, subaudis modo servit, *et venter* servit *escis; Deus autem et hunc*, subaudis ventrem, destruet per mortem, cum cessaverit officium edendi, et redactus fuerit in pulverem, *et hanc*, subaudis escam, *destruet*, cum homines nasci desierint. *Corpus autem* hominis, *non fornicationi*, subaudis debet servire, *sed Domino, et Dominus corpori*, subaudis immortalitatem dabit.

Deus vero Pater *et Dominum suscitavit*, et vere Filius suscitavit semetipsum, *et nos suscitabit*, Deus Pater cum Filio, per virtutem suam.

Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Generaliter tota Ecclesia est corpus Christi, quia ipse est caput et princeps ejus secundum humanitatem, eo quod homo factus est propter nos, singuli autem electi membra sunt ejus. Si ergo Dominus

A Jesus Christus tantummodo animam susciperet, membra ejus non essent nisi animæ nostræ. Qui vero et corpus suscepit, per quod etiam nobis est caput, qui ex anima et corpore constamus, profecto et membra illius sunt corpora nostra. *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit*, quia membra quæ meretrici adhærent et copulantur, desinunt esse membra Christi.

An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, in coitu, unum corpus efficitur? et per naturam, et per maculam peccati unum efficiuntur. Per naturam masculus et mulier unum corpus sunt, quia mulier de viro sumpta est: per maculam vero peccati, concumbendo simul, in ipso amplexu coitus unum corpus fiunt, sicut et ille qui legitimæ uxori copulatur. Vel B etiam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur, quia similis ei efficitur per peccatum. *Erunt enim*, inquit, *duo in carne una*, in personis: vel quia ex viri corpore facta est mulier, vel etiam simul concumbendo unum corpus efficiuntur.

Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Spiritus sanctus per se Deus est, et mens hominis: sive spiritus cum spiritualiter vivit, et voluntatem Dei adimplet per fidem et dilectionem adhærendo summo Spiritui, efficitur cum eo unus spiritus.

Fugite fornicationem. Non dixit, pugnate contra fornicationem, sed fugite. Cum enim multa sunt vitia contra quæ pugnare debeamus, verbi gratia, sicut contra ebrietatem et gulositatem, abstinendo a nimia C potatione vini, et perceptione ciborum, similique modo contra alia, contra fornicationem non præcipitur nobis pugnare, sed fugere, quia nullo modo melius vitari potest. Debemus enim fugere locum et declinare personas, quibus facile fornicatio suggeritur, et quærere multitudinem bonorum hominum, quorum reverentia timeamus fornicationem perpetrare, licet concupiscentia nobis suggerat. *Omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur in corpus suum peccat.* Quæstio oritur in hoc loco: Cum Dominus dicat: De corde exeunt cogitationes malæ, adulterium, fornicatio, homicidium, furtum, cæteraque talia et cum nullum peccatum fiat nisi corpore delectante et anima consentiente, quare Apostolus dicat omnia peccata extra corpus esse, solumque peccatum fornicationis in D corpore consistere? Quæ hoc modo solvitur, quia ad exaggerandum tantum malum, hoc dixit Apostolus, quoniam comparatione istius peccati, omnia peccata quasi extra corpus sunt. Dum enim facit furtum, homicidium, aut aliquid tale, dum illud agit, aliud potest cogitare, verbi gratia: Vult facere furtum, cogitat se pœnitentiam acturum: profert falsum testimonium, forsitan de pœnitentia quam agere debet, cogitat. Dum autem fornicatur, ita præ omnibus peccatis tota mens absorbetur in coitu, totumque animum voluptas corporis ita facit captivum atque servum sibi, ut totus sit homo carneus nihil valens cogitare, propter quod delectatione corporis agit.

An nescitis quoniam membra vestra templum sunt

Spiritus sancti qui in vobis est ?a tempore baptismatis, *quem habetis a Deo, et non estis vestri?* Superius dixit, templum Dei, hic Spiritus sancti, quia in substantia idem est Spiritus sanctus quod et Deus. Et in quo habitat Spiritus sanctus, habitat Pater, habitat et Filius : quia sicut sunt unius substantiæ, uniusque Deitatis, ita inseparabiles sunt. Quandocunque animus et delectatio trahit nos ad libidinem, vel ad aliquod vitium, debemus considerare quod non sumus nostri, neque nostræ potestatis, sed Christi servi sumus, cujus voluntati obedire debemus, cujus sanguine redempti sumus, sicut sequentia manifestant. Pulsatur corpus delectatione, vult anima consentire, debet rationabilitas animæ ad se redire ac dicere : Quid cogitas? quid æstuaris? quo vis ire? Non es tuæ potestatis, sed Christi servus es, qui te redemit pretiosissimo sanguine suo a diaboli captivitate : utquid iterum vis captivari a diabolo, et ejus potestati subdi, qui tibi in primo parente omnem gloriam abstulit? Dum talia cœperit cogitare, omnipotentis Dei gratia protectus evadet laqueos incentivæ delectationis.

Empti enim estis pretio magno, non auro, neque argento, sed sanguine Christi. Ille qui emitur sive redimitur, captivus tenetur, et servus est illius a quo redimitur. Sic genus humanum captivum tenebatur a diabolo, servusque erat diaboli, quoniam accipiendo dulcedinem pomi vetiti, vendidit semetipsum illi. Redemptus vero sanguine Christi, illius servus est, ejusque voluntati obtemperare debet.

Glorificate et portate Deum in corpore vestro. Ille Deum glorificat, qui mandata illius servando, alios ad laudem Dei excitat, juxta quod Dominus ait : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum* (*Matth.* v). Deum etiam portat, qui ejus notitiam præceptaque in mente gerendo, operibusque implendo, sancte vivit et juste, secundum quod Dominus præcipit : *Sancti estote quia et ego sanctus sum* (*Lev.* xi). Quicunque ergo sancte vivendo sanctus est, Deum portat in mente sua, ad cujus imaginem est factus in anima.

CAPUT VII.

De quibus autem scripsistis mihi, subaudis per vestras litteras, *bonum est homini mulierem non tangere* sive non accipere. Pseudoapostolis dicentibus ad Corinthios : Non debetis mulieribus adhærere, qui mundi Deo servitis, sed qui creditis in Christum, vestras uxores debetis dimittere, scripserunt apostolo Corinthii super hac re utrum deberent uxoribus adhærere in coitu necne. Quibus Apostolus respondit : Bonum quidem esse ab uxore abstinere, sed melius esse accipere, quam cum alterius perpetrare adulterium aut aliquo modo fornicationem.

Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro, id est non se subtrahant ab invicem a coitu : volente viro concumbere, locum det et licentiam mulier. Similiter et vir serviet mulieri, reddens ei debitum concumbendi, illa volente.

Mulier sui corporis, id est sui genitalis membri, *potestatem non habet*, ut prohibeat viro coitum, sed in viri potestate est. *Similiter vir sui corporis*, id est sui verendi sive genitalis membri, *non habet potestatem*, ut mulieri prohibeat coitum, sed in mulieris potestate est. Sic sibi sunt invicem debitores, et quod majus est, servi, ut una debeat esse voluntas in lege naturæ. Dies festi, diesque purgationis, et ipsa ratio conceptus et partus juxta legem cessari his debere monstrantur.

Nolite fraudare invicem, id est nolite vos subtrahere ab invicem, ne forte discessio generet fornicationem, *nisi forte ex consensu*, id est communi voluntate et consilio, *ut vacetis orationi* ad tempus. Omni quidem tempore orandum est nobis, orationique insistere debemus, sed tunc acceptior est Deo nostra oratio, quando mundo corde et corpore profertur. Cum enim quis etiam concessa non tangit, ostendit se velle accipere quod precatur. *Et iterum revertimini in idipsum*, id est ad licitum coitum. Consilium dat conjugatis, ut post dies orationis ad usum naturalem revertantur, exponens causam quare hoc præcipiat : *Ne tentet*, inquit, *vos Satanas*, sive diabolus, *propter incontinentiam vestram;* videlicet ne uno subtrahente, alter fornicetur, et Satanas locum tentandi inveniat.

Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium, quia non præcipio, sed permitto. *Volo enim omnes* homines *esse sicut meipsum*, id est, si fieri posset, vellem omnes homines esse sicut ego sum, et amare virginitatem sicut ego amo. Sed quia non potest fieri, concedo secundum indulgentiam infirmis, qui se non possunt continere, non tamen præcipio perfectis secundum imperium, quia omnes homines vellem me in omnibus imitari, et in integritate corporis permanere, quia scio quantum valeat castitas apud Deum, *alius quidem sic* ut virgo maneat, *alius vero sic*, ut sit cum conjuge.

Melius est enim nubere quam uri. Non dixit ideo comparativo modo melius est nubere quam uri, quasi bonum sit uri, ideoque est melius nubere, sed consuetudinem secutus est. Solemus enim dicere : Melius est lucrum facere quam damnum. Melius est unum oculum habere quam nullum. Melius est uno pede inniti, et ex altera parte baculo sustentari, quam fractis cruribus repere. Sic melius est nubere et uxorem ducere, quam uri, quod est proprie, calore corporis cogente, libidinem explere, et quocunque modo nefas perpetrare.

His autem qui matrimonio juncti sunt, id est uxori legitimæ, quæ conjunctio matrimonium dicitur a matrona, eo quod sit mater filiorum, *præcipio non ego*, ex mea sententia, *sed Dominus* in Evangelio, *uxorem a viro non discedere*, excepta causa fornicationis.

Quod si discesserit, causa fornicationis, *innupta maneat aut viro suo reconcilietur. Nam cæteris ego dico, non Dominus.* Locutus est superius cum innuptis et viduis atque conjugatis fidelibus, modo dicit cæteris, id est permistis infidelibus cum fidelibus. Quare dicit, ego dico, non Dominus? Nunquid Do-

minus non loquebatur per eum? Utique. Sed ideo dixit se dicere, et non Dominum quia hoc præceptum non continetur in Evangelio dictum a Domino, sicut illud superius, quod non debeat vir dimittere uxorem suam nisi causa fornicationis. *Si quis frater* fidelis *habet uxorem infidelem*, sive non credentem, *et hæc* uxor consentit habitare cum illo, id est, si nomini Christiano non detrahit, *non dimittat illam*: quia accidere solebat, ut viro credente mulier infidelis persisteret, et plerumque uxore credente, vir infidelis maneret. Ideo talia præcepit Apostolus, ut si nomini Christiano non detraheret, non dimitteret aliquis sociam suam.

Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem. Jam hoc evenerat in multis post Domini ascensionem, ut per mulierem fidelem, sanctificatus esset vir infidelis credendo in Christum, illius prædicatione et bono exemplo, quæ de superba facta erat humilis et subjecta viro, et per virum fidelem, mulier infidelis salvata est similiter quondam. *Alioquin filii vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt,* id est, si ambo infideles essetis, vel ille qui fidelis factus est, iterum reverteretur ad paganismum propter illum qui noluit credere, utique filii vos imitarentur: vel etiam si fidelis dimitteret socium suum infidelem, essentque separati ab invicem, filii forsitan immundi essent, quia idolis deservirent, patre infideli, vel matre infideli adhortante, et immundi essent etiam ex cibis quos comederent idolis consecratis. Nunc autem dum simul morantur fidelis cum infideli, forsitan filii illorum fidelem imitantur, et sancti sunt.

Quod si infidelis, vir aut mulier, a socio fideli *discedit,* nolens credere, *discedat*, id est, liberam habeat potestatem discedendi: tamen fidelis non projiciat illum a se, neque propter illum discedat a fide. *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in ejusmodi*, id est in tali facto, id est: infidelis, si non vult manere cum fideli, ille qui fidelis non est ita subjectus illi ut debeat illum sequi, neque subjectus est culpæ propter hoc si ille discedit: *In pace enim*, id est, ad concordiam vocavit vos Deus. Idcirco si vult discedere infidelis qui blasphemat nomen Domini, recedat ut pacem possit habere fidelis, id est, non oportet litigare cum eo qui discedit *Unde enim scis, mulier* aut *vir*, si unus alterum salvum faciet, *nisi sicut unicuique*, viro et mulieri, *divisit,* sive disposuit, *Dominus*, subaudis tempora credendi, ut primum credat vir deinde mulier, aut primum mulier, deinde vir. *Unumquemque sicut vocavit Dominus* ad fidem, *ita ambulet*, ita maneat, id est, si habes uxorem, tene eam: si non habes, ducere non compelleris.

Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. Quid est quod loquens Apostolus de uxoribus atque conjugatis, sic subito transivit ad circumcisionem atque præputium? Et quomodo potest adduci præputium quod præcisum est? Notandum in hoc loco quia non de circumcisione, id est exspoliatione pellis genitalis membri loquitur, sed circumcisum appellat liberum ab uxore, et præputiatum, uxorem habentem. Circumcisus, inquit vocatus est quis, id est, non habens uxorem, non adducat præputium, id est non ducat uxorem, ut non sit præputiatus, sed alienus a conjugio. *In præputio aliquis vocatus est?* id est non habens uxorem, *non circumcidatur*, id est, non relinquat uxorem suam, nisi illa forte casta permanere decreverit.

Circumcisio nihil est, id est, castitas sine bonis operibus nihil est, et insuper fides sine operibus otiosa est, *et præputium nihil est,* id est conjugium absque opere bono. Si fuerit quis circumcisus, id est castus, sive cælibatus, quod est sine uxore, carueritque bonis operibus, nihil ei prodest sua castitas. Si etiam fuerit conjugatus, et non habuerit bona opera, conjugium illius nec prodest, nec obest ei. *Sed observatio mandatorum Dei*, prodest.

Unusquisque in qua vocatione vocatus est, ad fidem, *in ea permaneat*, sive cum uxore, sive sine uxore.

Servus, subaudis uxoris, *vocatus es*, cujus voluntati servire et parere debes, *non sit tibi curæ*, noli deficere neque dimittere eam: quia non ideo amittes regnum Dei, licet conjugatus sis, si ita servieris uxori, ut non displiceas Creatori, *sed et si potes liber fieri,* subaudis uxore, id est si tua conjux obierit, aut etiam in castitate manere elegerit, *magis utere*, subaudis ista libertate, ut consentias ei, et aliam noli accipere.

Qui enim in Domino, id est ut in Domino crederet, *vocatus est servus,* subaudis uxoris, *libertus est Domini*, id est liberatus est a peccati jugo, et quamdam libertatem habet a Domino, ut serviat uxori, ita ut non displiceat Creatori. *Similiter qui liber vocatus est*, id est sine uxore, *servus est Christi,* id est, non debet se occupare servitio terreno et uxorio, sed ex toto debet servire Domino, quoniam majus servitium requiritur ei a Domino quam conjugato.

Pretio empti estis, id est sanguine Christi, nolite fieri servi hominum, id est servi uxorum. Illi servi efficiuntur hominum qui propter uxorem deserunt Creatorem, et ei displicent immoderate servientes uxori. Tam charo ergo pretio empti sumus, ut nullo alio redimi possemus, nisi sanguine Filii Dei. Quapropter sicut ille qui emitur, magis servire debet illi a quo emitur, ut aliquando vicem reddat emptori, ita et nos omni studio atque instantia servire debemus Christo a quo empti sumus.

Unusquisque frater, id est fidelis, *in quo vocatus est* ut crederet, *in hoc permaneat:* videlicet si cum uxore vocatus est, non dimittat illam; si liber ab uxore, si se potest continere, utatur illa libertate.

De virginibus præceptum Domini non habeo, quia Dominus virginitatem laudavit; non tamen præcepit, ne videretur nuptias damnare, sed dixit: *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum* (*Matth.* XIX), atque subintulit: *Qui potest capere capiat* (*Ibid.*) *Consilium autem do* quod non

displiceat aliis, *tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis*, subaudis consiliator, et idoneus in dandis salutaribus consiliis. Paulus apostolus consiliator Dei erat, quia Spiritum Dei habebat, sicut ipse alias dicit : *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.* Idcirco dicit : Gratiam et misericordiam consecutus sum, ut sim fidelis consiliator Dei, ideoque consilium meum non debeo vobis abscondere.

Existimo ergo hoc bonum esse, id est virginitatem servare, *propter instantem necessitatem :* Instantem sive præsentem necessitatem appellat tribulationem et angustiam quam sustinent conjugati, et maxime conjugatæ, fastidium videlicet in concipiendo, dolorem in parturiendo, quo dolore plerumque solent mulieres mori, curam multam et laborem in alendis et contuendis filiis, tristitiam de ægrotatione et morte eorum, maximeque si omnibus filiis fuerit orbata, de amissione quoque conjugis. Similiter etiam labores et dolores sustinet vir de amissione filiorum et morte uxoris, a quibus omnibus sunt illi liberi, qui virginitatem servant, imitantes illam vitam quæ post mortem erit. Quapropter subdit Apostolus, *quoniam bonum est homini sic esse*, id est in integritate corporis vivere, virginitatem servare, ut possit esse liber ab his necessitatibus. Quod vero sequitur.

Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi : illi tales, videlicet qui matrimonio copulantur, quod supra appellavit necessitatem instantem, hoc in hoc loco appellavit tribulationem. *Ego autem vobis parco ;* et est sensus : Suadeo vobis, et consilium do ut casti sitis, volens vos servare ne in tribulationem carnis incidatis. Aliter : Ego vobis parco, id est dimitto, vel consentio accedere vos ad hanc tribulationem carnis, si non vultis integritatem corporis servare.

Tempus subaudis vitæ nostræ, breve est, quia in brevi finietur, ideoque non est populus Dei ita propagandus generatione carnali, sicut hactenus a principio mundi, sed est jam regeneratione colligendus. *Reliquum est*, id est hoc remanet, vel hoc superest, *ut et qui habent uxores* modo, *tanquam non habentes sint.* Uxorem namque habet, sed quasi non habet, qui hodie videtur illam habere, sed crastina die moritur, et desinit postmodum uxorem habere : ideoque debet in præsenti sæculo futuram vitam imitari, in qua erunt electi similes angelis Dei. Aliter, uxorem habet, sed quasi non habet, qui sic scit debita carnis exsolvere, ut tamen per eam mundo tota mente non cogatur inhærere, videlicet sic reddens debitum uxori, ut non displiceat Creatori.

Et qui flent tanquam non flentes, sint. Flet quilibet amissione proximorum, et miserias hujus sæculi, sua quoque et aliorum peccata : sed quasi non flet, qui consolationem habet in spe cœlestis remunerationis, ut impleatur quod Dominus dixit : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v), *et qui gaudent tanquam non gaudentes.* Multi sunt qui gaudent de temporalibus commodis; sed quasi

A non gaudent, quia sic gaudent in temporalibus bonis, ut semper tormenta perpetua considerent, et æternum Dei judicium timeant; *et qui emunt, tanquam non possidentes.* Emit aliquis prædia terrena, boves, servos et ancillas, sed quasi non possidet, dum repente ab hoc sæculo transit per mortem corporis. Aliter : Emunt multi bona temporalia, atque ad usum suum aliorumque præparant quæ in hoc sæculo necessaria sunt, sed quasi non possident, dum sic adhærent terrenis, ut non amittant æterna, cauta consideratione prævidentes quia hæc omnia in proximo relicturi sint, semperque suam in terrenis et transitoriis rebus et possessionibus non ponunt.

Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.
B Multi utuntur bonis hujus sæculi, sicut reges et principes, sed quasi non utuntur, dum insperate munus et concupiscentiam ejus relinquunt per mortem corporis. Multi etiam utuntur his quæ in hoc mundo sunt, sicut boni reges et principes divitesque, ut fuit Abraham, Job et David, qui propter dignitatem honoris et principatus quam obtinent, non possunt his non uti, sed quasi non utuntur, dum non fiunt servi divitiarum, neque permittunt hæc eadem suæ menti dominari, cogitantes cuncta transitoria esse. *Præterit enim figura hujus mundi*, id est transibit figura et species mundi per ignem, remanebit substantia renovata per ignem et meliora, ad hoc ut in æternnm maneat juxta quod Salomon dicit : *Terra in æternum stabit.* (*Eccle.* I).

C *Volo autem vos sine sollicitudine esse*, id est sine multa et superflua cura, quam habent conjugati.

Qui cum uxore est, divisus est, quoniam ex parte servit conjugi, ex parte Domino.

Et mulier innupta et virgo, quod unum est *cogitat ut sit sancta corpore et spiritu*, id est mente. Ideo addidit, mente sive spiritu, quia multæ sunt quæ habent integritatem corporis, sed non sunt virgines mente, quoniam si possent, jam nupsissent.

Hæc ad utilitatem vestram dico, quoniam sanctum est apud Deum, et leve in hoc sæculo in virginitate permanere, *non ut laqueum vobis injiciam*, id est, ideo ista non dico, ut æternam perditionem vobis immittam, *sed ad id quod honestum est*, subaudis
D provocans. Virginitatem servare honestum est, ergo omne honestum sanctum, ideoque virginitas sancta, honesta et Deo accepta est.

Si quis autem existimet et putat *turpem se videri* ab aliis, *super virgine sua, eo quod sit superadulta*, id est eo quod ad nubiles annos pervenerit, timet illam fornicari cum aliquo servorum suorum, nec potest illam servare virginem, *quod vult faciat*, id est tradat illam cuicunque vult : *non peccat* virgo *si nubat*, si dormierit, id est si mortuus fuerit *vir ejus*, nubat mulier cui vult, tantum in Domino, id est, fideli se misceat viro.

Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium, id est si in castitate et viduitate permanserit.

CAPUT VIII.

De his autem cibis et potibus *quæ idolis immolantur*, subaudis scripsistis mihi. Inter cætera quæ Corinthii Apostolo scripserunt per Epistolam, etiam super hoc scripserunt utrum deberent omnia comedere necne, et utrum essent omnia munda, quia quidam illorum, habentes scientiam cuncta esse a Deo creata bona, manducabant in templis idolorum, et scandalizabant simpliciores fratres, qui dicebant : Nisi iste, qui majoris scientiæ est quam ego, sciret aliquid numinis et deitatis esse in hoc idolo et in carnibus ei consecratis, nequaquam in idolo, id est in templo idolis consecrato residens, carnes aliosque cibos, et in vinum idolis consecratum sumeret. De hoc multa dicturus est hic Apostolus. *Scimus quoniam omnes scientiam habemus*, subaudis omnia esse munda per naturam ; sed invocatio illorum et consecratio qua illis consecratur, facit ea immunda. *Scientia* subaudis, qua credimus omnia munda mundis, et omnia sanctificari per invocationem nominis Christi, *inflat*, id est per superbiæ tumorem mentem elevat : *Charitas vero ædificat*, id est dilectio fraterna, qua consulimus fratribus simplicioribus, quatenus eos in aliquibus non scandalizemus, ædificationem habet. In qua virtute, id est charitate, etiam aliæ virtutes comprehenduntur, patientia videlicet, humilitas, cordisque simplicitas. Sicut enim vinum non temperatum admistione alicujus dulcedinis, aut etiam aquæ, mentem elevat, et sicut omnia mera et pura non ita delectantur sicut commista : sic scientia divina vel humana non est utilis, quia mentem in superbiam elevat, nisi temperata fuerit dilectione proximi, humilitate quoque, patientia atque simplicitate. Tunc autem scientia magna est et sibi utilis si charitate humilietur cum qua etiam amplius crescit.

Si quis autem existimat se scire aliquid, id est omnia munda esse, et quod licita fidelibus sint ad utendum, *nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire*, id est nondum considerat quod expedit etiam multis licitis abstinere propter scandalum fratrum.

Si quis autem diligit Deum et causa charitatis scientiam mitigat, *hic cognitus est ab eo*, id est hic est electus ab eo.

De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo. Idos Græce Latine dicitur species vel forma, inde diminutive idolum, id est formula ex aliquo metallo, aut ex lignis, sive lapidibus. Ideo ergo idolum nihil est, quia videtur imaginem hominis habere, et non est homo : videtur imaginem alicujus bestiæ habere, et non est bestia : videtur aures, oculos, nares et os habere, sed ideo nihil est, quia non videt, non audit, non olfacit, non loquitur. Dicitur homo esse, non est homo ; dicitur Deus esse, non est Deus ; ideoque nihil est, quia quod dicitur esse non est ; adoratores quoque cultoresque ejus, atque cibi qui illis consecrantur, nihil sunt, quia illius cultura et consecratio facit eos nihil esse. Ex
A hoc etiam homines idola colentes nihil sunt, quia omnis creatura quæ non adhæret ei qui semper habet esse, nihil est sicut propheta dicit : *Omnes gentes idola colentes, sic sunt quasi non sint, et quasi nihil, et inane reputatæ sunt ei* (*Isa.* XL). Idola quoque propterea nihil sunt, quia facit homo formam habentem caput hominis ex una parte, caput bovis ex alia parte, caput leonis ex tertia, caput aquilæ quarta, reliquum corpus serpentinum, pedes equinos, quod nihil est, quia Deus aliquam creaturam talem non fecit.

Nam etsi sunt qui vocantur a paganis *dii in cœlo*, ut Saturnus, Jupiter, Mercurius, aut certe a Christianis ut angeli et sancti nuncupative, et non substantialiter ; *sive in terra*, a paganis, ut Neptunus,
B Pluto, aut certe justi homines, *siquidem sunt dii multi*, paganis vel Christianis nuncupative, ut Moyses, cui dictum est : *Constitui te deum Pharaonis* (*Exod.* VII), et de quibus dicitur : *Ego dixi, dii estis* (*Psal.* LXXXI).

Nobis tamen apostolis aliisque fidelibus, *unus est Deus Pater*, substantialiter, *ex quo omnia* constant, et a quo originem cuncta sumpserunt, *et nos in illo*, subsistimus, sive in illum, quasi intra illum subsistimus, quia omnis creatura intra illum consistit, et ipse est extra omnia et intra omnia, *et unus Dominus Jesus Christus*, cum Patre et Spiritu sancto, *per quem* Dominum Jesum *omnia* facta sunt subaudis, *et nos per ipsum*, creati sumus et redempti.

Sed non in omnibus est scientia, subaudis ista, ut
C credant unum verum Deum solum modo esse qui trinitatem habet in personis, et unitatem in substantia. *Quidam autem conscientia usque nunc in idolis quasi idolothytum*, id est idolis datum et consecratum, manducant, *et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur*, quoniam dum firmiores in fide viderint recumbere idolo, et comedere idolothyta, aliquid numinis et religiosum putant esse in idolis. Et in hoc est illorum conscientia infirma, vel quia putantes omnia esse munda, comedunt idolothyta, vel quia aliquid numinis credunt esse in idolis.

Esca autem nos non commendat Deo, subaudis quam credimus mundam, id est, non facit nos acceptabiles Deo, et laudabiles apud illum, *neque enim*
D *si non manducaverimus*, subaudis de sacrificiis idolorum, *deficiemus*, ut alios cibos non habeamus, quos possumus manducare, *neque si manducaverimus* carnes idolis consecratas, *abundavimus*, subaudis ut aliorum ciborum refectionem non quæramus.

Videte autem ne forte hæc licentia vestra qua creditis omnia munda mundis, et per invocationem nominis Christi omnia sanctificari, *offendiculum fiat infirmis* in fide, ut credant aliquid deitatis esse in idolo et comedant propter hoc carnes illi consecratas.

Si quis enim viderit eum quod habet scientiam, id est qui perfectus est in fide et credit omnia munda, *in idolio recumbentem*, id est, recumbendo manducare. Sic peccatis in fratres, dum comeditis coram

illis carnes idolis consecratas, recumbentes in idolio.

Si esca scandalizat fratrem meum, quemlibet credentem simplicem et adhuc infirmum in fide, *non manducabo carnem* idolis consecratam *in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. Erant quidam apud Corinthios, qui, scientiam habentes omnia munda esse, comedebant cibos idolis consecratos, et provocabant simplices et infirmos in fide ad similia, qui dicebant : Nisi isti qui prudentiam et scientiam habent, scirent deitatem esse in his idolis, nequaquam hoc agerent. Manducabo ergo et ego ut consecrer per has carnes. Econtra erant alii perfectiores, qui, licet scirent omnia esse munda a Deo facta, nolebant carnes idolothytas comedere, quia sciebant illas per invocationem dæmoniorum esse immundas, et ne scandalizarent fratrem suum provocando eum ad comedendum, dicebant ista quæ Apostolus ex persona illorum loquitur : Ante, inquit, moriar fame, quam ut fratrem meum scandalizem manducando carnes idolothytas. Et non solum abstinebo ab illis, sed etiam ab omnibus pro quibus ille potest scandalizari. Potest tamen ex persona Apostoli esse dictum, ut Apostolus ex se talia diceret, provocans eos ad charitatem.

CAPUT IX.

Non sum liber? Verba irascentis sunt, et quod videtur negare, confirmat. Sunt autem increpative legenda : *Non sum liber ?* Sum utique. Liber erat Apostolus secundum carnis prosapiam, ut pote de genere patriarcharum descendens: liber quoque erat ab omni debito ipsorum, quia nihil ab eis acceperat. *Non sum Apostolus ?* Dicebatur a quibusdam Judæis non credentibus, et insuper a Corinthiis seductis a falsis apostolis, quod Paulus non esset apostolus, eo quod Christum non viderit; quos increpat Apostolus inquiens : Nunquid non sum Apostolus a Christo missus ? Sum utique, quia ipse mihi dixit : *Longe mittam te ad gentes* (*Act.* XXII). *Nonne Dominum Jesum vidi?* Utique vidi illum dum pergerem Damascum, et postea in templo. *Nonne opus meum*, id est, operatio et plantatio mea, *vos estis in Domino ?* Estis omnino.

Et si aliis, subaudis gentibus Judæis, *non sum Apostolus*, *sed tamen vobis*, Corinthiis, *sum*, apostolus, quos in spatio unius anni et sex mensibus, ad fidem Christi mea prædicatione adduxi. Non solum ergo Corinthiis erat apostolus, sed pene omnibus gentibus, sicut ipse dixit: *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes* (*Gal.* II): *Nam signaculum*, id est signum et indicium, *apostolatus mei vos estis* et vestra credulitas, qui per meam prædicationem credidistis *in Domino*.

Mea defensio apud eos qui me interrogant, subaudis utrum sim apostolus necne, *hæc est*, quia vos estis signum apostolatus mei in Domino, et per hoc defendor esse apostolus Vos enim estis defensio mea quibus Evangelium prædicavi.

Nunquid non habemus, ego et Barnabas, *potestatem manducandi et bibendi ?* subaudis ex officio prædicationis, et a vobis accipiendi quæ necessaria sunt, secundum quod nobis Dominus potestatem dedit, sicut et aliis apostolis.

Nunquid non habemus, ego et Barnabas, *potestatem sororem mulierculam*, id est quamlibet fidelem, *circumducendi*, id est de loco ad locum ducendi, ut ministret nobis *sicut et cæteri apostoli et fratres Domini,* faciunt, Jacobus videlicet et Joannes Zebedæi filii et materteræ Domini nec non etiam Jacobus Alphæus, et Judas, et Joseph filii similiter materteræ Domini nec non etiam *et Cephas ?* qui et Petrus. *Cephas* Hebræum est et Syrum, Petrus Græcum et Latinum : *Simon* Græcum est. Quidam non intelligentes proprietatem Græcæ linguæ, fefellit eos ambiguitas verbi Græci, in hoc quod dicit sororem mulierem, quasi uxores habuerint apostoli quas secum ducerent, nam *gyne* utrumque significat et uxorem et mulierem. Unde *gyneceum* appellatur locus ubi plurimæ resident mulieres. Fideles enim mulieres habentes terrenam substantiam, ibant cum Petro aliisque apostolis Judæorum, ministrantes eis de substantia sua quæ necessaria erant sicut Maria Magdalene, et Martha, aliæque mulieres quæ secutæ erant Dominum de Galilæa, sequebantur illum ministrantes ei, quod beatus Paulus apostolus non faciebat, qui gentibus prædicavit, licet potestatem haberet : tamen non ducebat mulieres secum, ne scandalum oriretur apud gentes, quarum magistri et propositi hanc consuetudinem non habebant.

Quis miles *militat* pro vita regis, pro defensione patriæ, suis *stipendiis unquam ?* id est propriis substantiis, subaudis nullus. Tamen ego milito meis stipendiis, labore manuum mearum victum et vestitum acquirens *Quis plantat vineam, et fructus ejus*, id est racemos, non edit? Vinea Apostoli, erant Corinthii, quos plantaverat ipse in fide Christi, sed fructum ejus non suscepit ; sumptus videlicet unde viveret.

Nunquid secundum hominem hæc dico ? id est, nunquid secundum humanum intellectum, et ex proprio sensu ista loquor ?

Non alligabis os bovi trituranti, id est os prædicatoris alienum a mercede non facies. Recte ergo prædicatores bobus comparantur, quia sicut illi vomere exarant terram, ita prædicatores vomere sive ligone verbi Dei excolunt corda auditorum, ut ferant fructus salutis æternæ. *Nunquid de bobus cura est Deo?* Est utique Deo cura de bobus, qui omnium quæ fecit curam habet, sicut ei dicitur : *Nihil odisti eorum quæ fecisti* (*Sap.* XI). Et non solum de bobus, verum etiam de passeribus cura est illi, sicut in Evangelio ostenditur, ubi dicitur pascere illos (*Luc.* XII). Sed non curabat ita de bobus, ut inter præcepta quæ homini dedit ad salutem sui, præciperet curam bovis habere. Nec enim necesse est per scriptam legem monere hominem, quomodo bovi suo consulat.

Quoniam debet in spe, subaudis fructus percipiendi, *qui arat arare.*

Si nos vobis spiritalia, subaudis bona, *seminavimus*, prædicando gratiam videlicet fidei et doctrinæ, *magnum est, si nos vestra carnalia metamus ?* id est, ut a vobis accipiamus temporalia, quibus contulimus æterna? Non hoc *magnum est* increpative legendum est, sed interrogative.

Si alii, id est pseudoapostoli, *potestatis vestræ*, hoc est facultatis vestræ bonorumque temporalium, *participes sunt*, *quare non potius nos?* subaudis, debemus participare bonis vestris, qui sacra monita Evangelii vobis prædicamus. Verum omnia incommoda sustinemus ego et Barnabas, sitim videlicet, famem, nuditatem omnemque indigentiam, *ne quod offendiculum demus Evangelio Christi*, id est, ne dicatur de nobis, quod causa quæstus et curæ temporalis potius prædicamus Evangelium, quam causa salutis animarum et remunerationis æternæ, habeatque Evangelium venale.

Nescitis quoniam qui in sacrario, id est in templo idolorum, *operantur*, excoriando victimas et conquerendo, *quæ de sacrario sunt edunt ?* id est de his vivunt quæ ibi offeruntur, et quæ pertinent ad sacrarium, *et qui altari*, subaudis Dei, *deserviunt* in lege, id est Veteri Testamento, *cum altari participant.* Si quando holocaustum offerebatur in altari domus Domini, totum animal sibi vindicabat altare ; si quando vero victimæ aliaque sacrificia offerebantur, partim cremabantur in altari, partim sumebant servitores in suos usus.

Ita et Dominus ordinavit, id est disposuit et potestatem dedit.

Ego autem licet potestatem haberem de Evangelio vivere, *nullo horum* quæ superius dixi *usus sum*, quia nullos sumptus a vobis accepi, ut Evangelium non facerem venale, et vos libere possem redarguere. *Non autem scripsi hæc ut ita fiant in me.* Poterant illi dicere : Vere ideo Apostolus talia scripsit nobis, ut quod antea non accepit a nobis, modo accipiat, ut demus ei quæ necessaria sunt. Ad hæc ille : Non ideo, inquit, ista dico, ut quod hactenus non feci, nunc facere incipiam, sed ut vos ad charitatem provocem. *Bonum est enim mihi magis non mori* fame, siti, nuditate, *quam ut gloriam meam*, quam spero me recepturum pro mercede prædicationis, *quis evacuet* sive destruat, dando mihi munera. Tunc enim gloria illius evacuaretur, si mercedem accipiens in præsenti, non speraret mercedem aliam accipere in futurum, nec redargueret delinquentes.

Nam et si evangelizavero, subaudis solummodo propter hoc, ut propter assiduitatem prædicationis mercedem in præsenti accipiam, et laudem ab hominibus, *non est mihi gloria*, subaudis æterna in futuro : *necessitas enim*, subaudis manducandi, bibendi, vestiendi, *mihi incumbit.* Ideoque prædico, quoniam unde vivam, aliunde non habeo. Hæc in quibusdam fiebant, sicut in pseudoapostolis, sed in Paulo non erat, qui neque mercedem, neque laudem ab hominibus quærebat in præsenti, timens audire in die judicii : *Recepisti mercedem tuam*, si laborasti. *Væ enim mihi est*, id est indigentia me opprimet, et penuriam famis sustinebo, *si non evangelizavero.* Non ex sua persona talia dicit, sed potius ex illorum qui idcirco prædicabant quia non habebant unde viverent nisi ex prædicatione, ideoque favebant suis auditoribus.

Si enim volens sive sponte *hoc ago*, id est, si non prædicavero propter sumptus carnales, et administravero Evangelium sine mercede temporali, *mercedem habeo* paratam a Christo, remunerationem videlicet æternam, auditurus ab ipso : *Intra in gaudium Domini tui.*

Quæ est ergo merces mea? Interrogat Apostolus seipsum quæ sit merces prædicationis ejus in præsenti, et dicit, jam inquiens : Volo sponte prædicare Evangelium, quæ est merces mea in præsenti ? Et respondet ipse sibi, aut alicui interroganti quæ est merces tua ? Hæc est merces mea in præsenti et intentio, *ut Evangelium prædicans* fidelibus, omnibusque audire volentibus, *sine sumptu ponam Evangelium*, subaudis in cordibus eorum, *ut non abutar*, sive non utar *potestate mea in Evangelio* quam cum aliis apostolis habeo, id est ne accipiam aliquid ab auditoribus, quoniam magna merces mihi reservatur a Christo.

Nam cum liber essem, non solum secundum naturam, utpote de genere patriarcharum descendens, verum etiam *ex omnibus* negotiis hominum, nihil ab eis accipiendo, *omnium*, subaudis hominum, *me servum feci* supportando omnes, veluti bonus procurator, subaudi supportat infirmos, maxime vos, o Corinthii ! per meam patientiam. Feci autem hoc non calliditatis astutia, sed compatientis affectu, *ut plures lucrifacerem* Christo.

Et factus sum Judæis tanquam Judæus, subaudis legis observator, adhuc tondendo caput in Cenchris, quæ est portus Corinthi, offerendo munera in templo Hierosolymis, secundum quod in Actibus apostolorum habetur, quando *purificatus ascendit in templum* (*Act.* XXI), et circumcidendo Timotheum propter Judæos, *ut Judæos lucrarer* Christo, a cultura videlicet legis, ad gratiam perducendo Evangelii.

His qui sub lege sunt, id est a Samaritanis, quinque libros legis habentibus, veniens ad illos factus sum eis *quasi sub lege essem*, id est quasi carnaliter legi servirem, *cum ipse non essem sub lege* Moysi animo, sed sub gratia Evangelii, *ut eos qui sub lege erant lucrifacerem.* Feci autem hoc non simulandi versutia, sed compatiendi misericordia. *His qui sine lege erant*, id est gentilibus, factus sum, *tanquam sine lege essem* : consentiendo gentilium philosophis apud Athenas, unum Deum esse qui cuncta fecerat, et animas immortales esse, et homines ab uno Deo principium sumpsisse, visus est eis quasi unus ex ipsis, licet idola non adoraret, paulatimque trahebat eos ad illa quæ minus credebant, suadens ut in eum crederent, *per quem omnia facta sunt*, id est in Filium

Factus sum infirmis, Judæis et gentibus in sensu et intellectu, qui magna non poterant capere, *infirmus*, comparando et coæquando me illorum infirmitati et pusillanimitati, *ut infirmos* sensu et intellectu *lucrifacerem* talia prædicando, quæ eorum capacitati congruebant, et quæ ipsi capere poterant, *omnibus* subaudis gentibus Judæisque *omnia* superius dicta.

Factus sum infirmus videlicet *infirmis*, Judæus Judæis, Samaritanus Samaritanis, qui repromissionem de Christo exspectabant, gentilibus gentilis, *ut omnes salvos facerem* prædicando illis verbum Dei.

Omnia autem facio propter Evangelium, id est propter Christum cui Evangelium testimonium perhibet, *ut particeps ejus*, id est particeps Evangelii, *efficiar*. Sic videntur hæc verba sonare, et sic loquitur Apostolus, quasi Evangelium rationis capax sit, ac si diceret : Ut particeps Evangelii efficiar, id est ut præmia quæ in Evangelio promittuntur, in regno cœlorum consequi merear.

Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Volens et desiderans egregius prædicator, Corinthios omnesque fideles provocare ad cursum bonæ operationis quatenus fortiter insudando pertingere ad bravium æternæ vocationis mereantur. Dat inde comparationem, cujus exemplo accedamus ad victoriam æternam captandam, inquiens : *Nescitis quod hi qui in stadio currunt*, etc. Fuit quodam tempore gigas quidam nomine Hercules, apud Græcos fortissimus, omnique virtute corporis roboreus, agilitate quoque seu velocitate pedum in cursu velocissimus atque pernicissimus, qui uno anhelitu currit, atque (ut ita dicimus) pervolavit centum viginti quinque passus : sicque subdit uno in loco, quod spatium sui cursus stadium appellavit, a stando : et est octava pars milliarii. Inde postmodum inolevit mos apud Græcos et consuetudo diuturna, ut ex singulis urbibus, castellis, oppidis, necnon et villulis, juvenes se præparent, quatenus adveniente festivitate deorum, possent currere ad illud stadium, quod mensurabatur centum viginti quinque passibus. Post cujus metam ponebatur aurum vel argentum, aut equus sive pallium, aut aliquod præmium, quod *bravium* Græco vocabulo dicebatur, Latine vero *palma victoriæ* appellari potest vel corona, cunctisque astantibus viris et mulieribus, ad spectaculum illud currebant omnes : sed unus qui prior currebat, accipiebat bravium, cæteris in vanum currentibus ; quia nihil utilitatis præstabat eis suus cursus, nisi risum et cachinnum populis excitabant, sibi autem verecundiam magnam. Altiori vero intelligentia, per stadium, per quod illi currebant, debemus intelligere fidem nostram intra cujus metam currere jubemur ab exordio fidei nostræ usque ad terminum hujus vitæ, quousque perveniamus ad bravium repromissum, de quo Dominus dicit : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXVI). Hoc tamen distat inter illorum cursum et nostrum, quod ibi omnes qui ad hoc erant parati currebant, sed unus qui præ cæteris currebat, prior perveniendo ad bravium, accipiebat solus remunerationem suæ victoriæ. In nostro autem cursu, omnes qui bene currerint, præmium sui laboris percipient, nec dolebunt se incassum cucurrisse, cum omnes qui pervenerint, remunerationem acceperint. Ille vero unus significat numerum electorum, qui comparatione reproborum parvissimus erit, licet in se fit perfectus. Unde Dominus dicit : *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX) ; quasi diceret : Multi incipiunt currere, sed ante deficiunt et lassescunt quam perveniant ad bravium, paucique sunt qui perveniunt ad palmam victoriæ. Significat enim unus ille, unitatem sanctæ Ecclesiæ quæ est corpus Christi. Quicunque etenim unitati Ecclesiæ fide bonisque operibus atque perseverantia junguntur, illi pervenient ad palmam. De qua unitate dicit Dominus : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III), cum corpore videlicet suo, quod est Ecclesia.

Sic currite, o fideles in fide, recte credendo et bene vivendo, *ut comprehendatis* palmam perennis remunerationis. Sollicite ac viriliter vult Apostolus ut curramus, quia magna est promissio ad quam tendimus.

Omnis enim qui in agone, id est in certamine et pugna, *contendit* sive desudat, *ab omnibus se abstinet* quæ contraria sunt cursui illius. Illi juvenes qui se ad cursum præparabant ab omnibus escis et potibus, omnibusque rebus abstinebant, quæ impedire poterant cursum illorum. Nec solum animi a comestione, et superflua potatione corpus refrenabant, sed etiam laminas plumbeas noctibus ponebant circa lumbos, ne fluxum libidinis per somnum paterentur, quoniam libido nimium debilitat corpus ; et si illi omnes ita se præparabant, cum scirent unum coronandum, et illi solummodo repromissum bravium qui prior veniret, licet omnes post illum ad eumdem locum pervenissent, quanto magis nobis est abstinendum ab omnibus quæ cursum nostrum impedire possunt, cum omnibus nobis promissa sit salus æterna ? Si quærimus ergo a quibus rebus debeamus abstinere, et quæ cursum nostrum incipiendo superent et retrahant a promisso bravio, interrogemus Apostolum, et ipse nobis demonstrabit illo in loco, ubi dicit : *Manifesta autem sunt opera carnis :* adulterium videlicet, *fornicatio, immunditia, luxuria* (*Gal.* V). Ista et his similia contraria sunt nostro cursui. *Et illi quidem*, qui currunt intra stadium, ideo currunt *ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem* ideo currimus intra metas fidei nostræ, ut coronam *incorruptam* accipiamus. Quod superius appellavit bravium Græco vocabulo, nunc vocat Latine coronam ; illorum corona et remuneratio corruptibilis erat, id est temporalis, quia cum tempore transibat. Verbi gratia : accipiebant aurum, argentum, quod corruptibile erat, quia de terra sumebatur, et in terram revertebatur. Accipiebant vestes, quæ vetustate et tineis consumebantur. Accipiebant equum, qui corrumpebatur per mortem, et consumptus a vermibus, in pulverem transibat

Dabatur eis corona terrenis et marcescibilibus floribus conserta, sed quasi ventus transibat. Nostra autem corona et remuneratio incorruptibilis est quæ nulla immutatione corrumpetur. Nec erit adornata marcescibilibus floribus nostra corona, sed in modum regalis diadematis æternis gemmis conserta, in æternum spiritualiter nobis servabitur. Nostra ergo corona et remuneratio ipse Deus omnipotens erit, et contemplatio totius Trinitatis, videntes Deum sicuti est, in quo habebimus vitam sine fine mansuram omnemque beatitudinem atque satietatem ; quoniam videntes fulgidum erimus fulgidi, videntes beatum erimus beati, videntes immortalem erimus immortales, felicesque per omnia sæcula. Quapropter debemus currere credendo, sperando, desiderando ; corpus castigando, eleemosynis insudando, ambulando *de virtute in virtutem, donec videatur a nobis Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII). Nec debemus desperare de præmio promisso sicut Apostolus non desperabat, cum diceret :

Ego igitur sic curro, infra terminos fidei bene vivendo, *non quasi in incertum,* quia non dubito de remuneratione certum habens quid sit mihi promissum. Illi qui currebant in studio, in incertum currebant, quia non erant securi de præmio. Sed ut nos certi simus de remuneratione, exempli causa ponit se Apostolus in medium, quatenus illum imitemur : *Sic pugno, non quasi aerem verberans*, elevando et deponendo gladium, velut stultus miles qui non positus contra hostem verberat aerem, agitando et brachium et gladium, volens apparere præliator. Paulus ergo pugnabat contra aereas potestates, de quibus loquitur in Epistola ad Ephesios ; pugnabat contra philosophos, et magos, et bestiales homines, de quibus in Epistola prima dicit ad Corinthios : *Si ad bestias pugnavi Ephesi* (*I Cor.* XV). Pugnabat autem non materiali gladio, sed prædicando, miracula faciendo, orando, jejunando, bonis operibus insistendo. Ille prædicator verberat aerem, qui sine effectu prædicationis prædicat, videlicet verba tantummodo proferens, non operibus exornans, qui aliud prædicat atque aliud agit, et hoc quod prædicat, miraculis et exemplis non roborat ; Apostolus autem aerem non verberabat, quia in vanum verba non proferebat, complens et roborans opere quod prædicabat ore.

Sed castigo corpus meum, subaudis in labore et ærumna, in fame et siti, in jejuniis et vigiliis, multis cæteris talibus, *et in servitutem redigo*, id est servum illud facio mihi ut, quod prædico verbis non destruam operibus, sed potius serviam verbis et exemplis his quibus prædico. Castigare corpus est multis tribulationibus quæ superius enumeravimus, affligere; est illa ei dare quæ ad vitam æternam proficiunt, non ad luxum. Servituti vero subducitur, dum non suam delectationem perficit, sed voluntatem spiritus, id est rationabilitatis animæ. Sic debet unusquisque fidelium agere, castigando videlicet corpus suum, et servituti subjiciendo, implens quod Apostolus alias ait : *Spiritu ambulante, et desideria carnis* sive corporis *ne perficiatis* (*Gal.* V). Ex cujus rei causa Apostolus corpus suum domabat, refrenans illud a pravis delectationibus, protinus manifestat subdens, *ne forte*, inquit, *cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Probus dicitur laude dignus et approbatus, unde contra improbus laude indignus dicitur, et non probatus. Sic dicet Dominus reprobis: *Nescio vos* (*Matth.* XXXV), id est, non approbo ad meam partem pertinere, vel non approbo vos dignos laude esse. Timens igitur Apostolus reprobari et indignus laude apparere, dicebat : Ideo *castigo corpus meum*, et subjicio servituti, ne forte alii percipiant palmam victoriæ prædicatione mea edocti, et ego ipse alienus existam a laude et præmio remunerationis, audiens a Domino : *Recepisti mercedem tuam*, ne forte etiam aliis curatis, ipse remaneam in vulnere.

CAPUT X.

Nolo enim vos ignorare, fratres, subaudis mysterium hoc quod vobis ex parte narrabo, *quoniam patres nostri*, Judæi videlicet de quorum progenie originem duco, *omnes sub nube fuerunt*, quæ præcedebat eos desuper per diem, *et omnes mare transierunt*, quia mortem evaserunt.

Et omnes in Moyse, id est per Moysen ductorem, *baptizati sunt in nube et in mari,* id est a morte sunt liberati. Quantum ad veritatem historiæ pertinet, Judæi egredientes de Ægypto, sub nube fuerunt, quia nubes per diem gradiebatur sive ferebatur super eos (*Num.* IX). Altiori autem sensu, secundum Ambrosium, sub nube fuerunt, quia omnia quæ gesta sunt illis in obscuritate et in figura facta sunt. In hoc vero, quia nube tecti sunt, adversariis suis Ægyptiis, quando nubes se interposuit inter illos et Ægyptios, et aquæ fuerunt a dexteris et a sinistris; et postmodum protecti sunt per diem ab ipsa nube a calore solis, dum a morte præsenti liberati sunt, baptizati dicuntur fuisse per Moysen in nube quæ erat post ipsos et in mari per cujus medium transierunt. Sive etiam in hoc dicuntur baptizati per Moysen in nube et in mari, quia omnia quæ facta sunt illis in figura, nobis eveniunt in veritate. Nam sicut illi per Moysen ducem ex Ægypto liberati sunt, et mortem evaserunt per nubem et mare, ita et nos per Christum et per gratiam sancti Spiritus in baptismate a morte originalis peccati et actualis liberabimur : Moyses enim Christum significat, nubes Spiritum sanctum, mare Rubrum (per quod illi transeundo a morte sunt liberati) baptisma significat, quod rubore sanguinis Christi consecratur, per quod nos a morte æterna liberamur.

Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Manna quod de cœlo, id est de isto aere eis datum est, et aquam quæ de petra fluxit, dicit spiritalia esse; vel quia spiritaliter intelligenda sunt : significabant enim corpus et sanguinem Domini quod modo con-

secratur et percipitur in Ecclesia, vel quia non mundana lege et consuetudine parata sunt, sed virtute Dei sine commistione elementorum, aquæ videlicet et farinæ. Ad tempus videlicet creata est illa esca atque eis data, et aqua similiter non consuetudine mundana, sed virtute spiritali omnipotentis Dei, eis profluxit ex petra. Idcirco et ille panis angelorum dictus est, quia virtute omnipotentis Dei qua angeli vivunt et subsistunt sine labore aliquo, ea virtute creatus est ille cibus, et appositus est eis sine aliquo labore illorum. Hoc etiam significans, quia de cœlis venturus erat Christus, spiritualis panis, qui spiritualiter pasceret. Unde et manna prima feria, sive prima sabbati, quæ nunc ob reverentiam Dominicæ resurrectionis dies Dominica vocatur, primum venit de cœlo ad saturitatem populi. *Bibebant autem de spiritali*, subaudis petra, *consequente eos* eadem *petra*. Judæi et quidam simplicium doctorum ex hoc loco fabulose disputant, volentes affirmare quod postquam Moyses percussit virga bis silicem, populusque bibit ac jumenta, semper secuta sit eos illa petra, et ubicunque figebant tentoria, volvebatur in medium castrorum, nullo hominum impellente, emittens largissimos rivulos ad satietatem populi et jumentorum. Dicunt autem tandiu hoc factum esse per quadraginta annos, usque dum venirent in terra Madian, ubi foderunt puteos, invenerunt aquam dulcem satis abundeque. Quidam etiam somniando fingunt quod tantæ parvitatis fuerit ille lapis, ut Maria soror Moysi ferret illum in pectore suo per illam vastam solitudinem. Sed illi qui talia confingunt, dicant ubi, et quando vel quomodo secundum litteram impletum sit, quod secundum Septuaginta interpretes in cantico Moysi habetur : Quia suxerunt mel de petra, oleumque de firma petra, et tunc præbendus assensus quod secuta sit eos petra ? At cum nusquam in Veteri Testamento hoc factum reperiri poterit, submittant vocem et inclinent aurem ut spiritualiter ista penetrare valeant, quoniam litteram in his sequi non possunt. Nam, sicut doctores tradunt, Oreb petra quam Moyses percussit, mons est lapideus, cujus latus percussit Moyses. Quapropter melius est ut spiritaliter ista intelligamus, sicut et superiora. Unde et Apostolus spiritalem appellat eamdem petram quia spiritaliter est intelligenda. Significat enim Christum, sicut sequentia manifestant : *Petra autem*, inquit, *erat Christus*. Non dixit, petra significabat Christum, sed tanquam in veritate esset petra Christus, cum utique per substantiam non esset sed per significationem. Similiter loquens de duobus filiis Abrahæ, non dixit, hæc significant duo Testamenta, sed : *Hæc sunt duo Testamenta*. Christus ergo per significationem propter firmitatem est petra, non per substantiam : et aqua illa quæ fluebat ex petra significabat doctrinam Christi et gratiam Spiritus sancti, de qua ipse in Evangelio : *Qui sitit, veniat ad me et bibat* (*Joan.* VII), etc. Spiritalis quoque et consequens petra dicitur, quia Christum subsequentem spiritaliter significabat. De qua petra spiritali consequente bibebant illi, quia ubicumque deficiebat eis humanum auxilium, aderat Christus; præstans suffragium, cujus potentia (qui est Verbum Dei Patris) liberati sunt de terra Ægypti, et in terram repromissionis introducti. Ideoque dicitur, consequentes eos, quia subveniebat eis. Nec enim petra aquam dedit illam una vice, sed Christus per potentiam suam. Notandum ab Apostolo omnia ista idcirco esse dicta, ne quis sibi in baptismate confidat, aut in esca et potu spiritali, ut Deum putet sibi parcere si peccaverit criminaliter, nisi pœnitentia digna hoc promeruerit. Quapropter omnibus est vigilandum et laborandum, quoniam tempus vitæ nostræ brevissimum est.

Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Quoniam multi propter infidelitatem mortui sunt in eremo, non intelligentes beneficium Dei, quadraginta videlicet millia.

Hæc autem omnia quæ dicimus de nube, mari, Moysi, esca, potu et petra, *in figura facta sunt nostri*, id est nostræ veritatis ; quibus in veritate contigerunt et manent modo, quia in exemplum illorum educti sumus de Ægypto, de errore videlicet hujus mundi. *Ut non simus concupiscentes malorum*, subaudis ciborum et vitiorum, *sicut et illi*, id est Israelitæ, *concupierunt*, carnes et pepones, et ea quæ in Ægypto habuerunt in usum comedendi. Ista in superioribus Apostoli verbis pendent, ubi dicit omnia quæ Judæis contigerunt in nostra figura præcessisse, sicut et sequentia manifestant, et in nostram salutem scripta esse, ut non simus concupiscentes malorum ciborum vitiorumque. Quæstio est, cum Judæi multitudinem animalium et pecorum secum haberent, quare desiderarent carnes, et quare non comederent carnes animalium ? Quæ hoc modo solvitur, quia non desiderabant illi carnes pecorum, sed carnes avium concupiebant, quibus soliti fuerunt vesci in Ægypto. Nilus enim fluvius, in littoribus suis et palustribus locis multa genera avium habet, et talia qualia non habentur in circuitu aliorum fluminum. Fugiamus ergo concupiscentiam malam, et pugnemus contra eam in quantum valemus, quia (ut beatus Augustinus dicit) et in nobis quoque experimento probare possumus, quia per concupiscentiam malam omnia mala fiunt atque patrantur. Concupiscentiam autem malam ideo dixi, quia est et concupiscentia bona, de qua dicit Salomon : *Fili, concupisce sapientiam* (*Eccl.* I). Et Psalmista : *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas* (*Psal.* CXVIII). Concupiscentia autem mala est, quæ suggerit nobis ut concupiscamus cibos illicitos et ultra modum, ut faciamus homicidium, furtum, ut perpetremus adulterium, et cætera hujusmodi. Ideoque Apostolus volens nos sollicitos reddere, donat nobis exemplum illorum Judæorum, qui per concupiscentiam offenderunt Deum in eremo, et perierunt.

Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam illorum. Subaudis qui vitulum adorabant ad montem Sinai. *Quemadmodum scriptum est*, in Exodo : *Idos* Græce

dicitur species sive forma, inde diminutive dicitur idolum formula ex aliquo metallo, sive ex lapidibus vel ignis. *Latria* quoque Græco vocabulo dicitur servitus, quæ omnipotenti Deo soli competit. Ex quibus nominibus componitur et dicitur idololatra, ille qui honorem et servitutem quam omnipotenti Deo soli debet exhibere, idolis impendit. Unde et idololatria ipsa res est. *Sedit populus manducare et bibere, et resurrexerunt ludere.* Veterem historiam hic tangit Apostolus : Egressi filii Israel de Ægypto dum pervenissent ad Sinai montem, Moyse ascendente montem ad Deum, et morante aliquantis diebus, convenerunt ad Aaron, petentes ut faceret eis deos, qui illos præcederent, dicentes : *Fac deos qui præcedant nos. Moysi enim, qui eduxit nos de Ægypto, nescimus quid acciderit* (*Exod.* XXXII). Tunc sicut historia narrat, accipiens Aaron ab eis armillas et inaures, fecit inde vitulum conflatilem, quem colebant Ægyptii, statimque ædificantes aras ante illum, immolaverunt ei hostias, dicentes : *Ii sunt dii tui, Israel*, etc. Completoque sacrificio, sederunt ad manducandum et bibendum, ac postmodum surrexerunt ludere ad diversa joca et ad choros, et insuper cœperunt fornicari. Quapropter multitudo illorum interfecta est a fratribus suis, jubente Moyse et Domino volente. Quod factum ideo replicat Apostolus, ut non crederent Corinthii se immunes esse ab hoc crimine, qui in idolio epulabantur. Idololatra quoque est omnis avarus qui nummum quasi Deum colit, timens illum amittere.

Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, subaudis cum Madianitis, *et ceciderunt una die viginti tria millia.* Hoc in terra Madian factum est, et hoc retributum est illis quando se cum Madianitis commaculaverunt, adorantes primum idola ante ostia domorum illarum. Nam Balaam ariolus filius Beor, cernens animos Judæorum pronos ad libidinem, et proclivos ad idola colenda, seductus et captus amore pecuniarum dedit Balac regi Moabitarum atque Madianitarum consilium, ut constitueret puellas juvenculas et meretrices in domorum ostiis, comptas ornamento meretricio, et ante ostia domorum idola et aras, ut venientes Israelitæ, caperentur amore illarum, et coirent cum illis, ita tamen, ut primum adorarent idola : quo facto, cognovit ipse iram Dei contra illos excitandam. Unde factum est ut viginti tria millia ab igne cœlesti consumerentur, et pene omnes perissent, nisi Phinees zelatus zelo Dei, confodisset cuspide virum Hebræum cum Madianitide scorto in locis genitalibus, cujus rei causa quievit ira Dei a populo. Notandum quoque quia non solum illi dicuntur esse fornicatores, qui quocunque modo libidinem suam explent, sed etiam illi qui per alia vitia a Deo recedunt, de quibus dicit Psalmista : *Perdes omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* LXXVII), id est, qui recedunt a te.

Neque tentemus Christum, sicut quidam illorum tentaverunt, subaudis Moysen, qui Christi figuram gerebat. Vel etiam ipsum Christum tentaverunt, qui erant in Moyse, sicut ipse Moyses dicit : *Nos quid sumus? Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum* (*Exod.* XVI). Christus enim qui est Verbum Patris ipse erat in Moyse, et ipse loquebatur per os ejus. Et quando tentabant Moysen, et quando murmurabant contra illum, contra Deum murmurabant. Sed quid contigit illis? *Et a serpentibus perierunt* ignitis, qui utrumque faciebant, et mordebant, mordendo quoque venenum infundebant. Reducit ergo ad memoriam talia Apostolus et commonet, ne nos in eadem causa inventi tradamur diabolo, cujus figuram serpentes habebant.

Neque murmuraveritis, subaudis contra Deum, neque contra prælatos et rectores. *Sicut quidam illorum murmuraverunt.* Dathan videlicet et Abiron, sociique eorum, contra Moysen et Aaron. *Et perierunt ab exterminatore*, Deo vel igne. Dathan enim et Abiron cum omni domo sua exterminati sunt de superficie terræ a Deo, quia præcipiente Deo, vivos deglutivit eos terra; fueruntque ante sepulti quam mortui, quoniam sicut Scriptura narrat, vivi descenderunt in infernum : socii vero illorum, qui in ipsa conspiratione similes exstiterunt, ab igne cœlesti exterminati sunt. Murmurare autem est plerumque falso ad invicem de præpositis atque rectoribus queri et causari. Plerumque etiam solet murmur fieri justa ex causa, quando prælati non simpliciter recteque erga subditos incedunt. Tamen quocunque modo nascatur et fiat, malum est; et væ illi quo excitante provenit, utrum sit prælatus an subjectus. Dicit enim beatus Augustinus quia in nulla alia causa ita offenderunt Judæi Deum in eremo, sicut in murmuratione, quoniam semper murmuratores exstiterunt. Quapropter cavendum est omni modo ab hujuscemodi vitio, ne similia nobis eveniant.

Hæc autem omnia, superius dicta de serpentibus et de igne, qui eos devoravit *in figura contingebant illis.* Videamus quomodo serpentes igniti quibus illi traditi sunt, in figura fuerunt; et serpens æneus, qui suspensus est a Moyse : quæ qui aspiciebant, sanabantur (*Num.* XXI). Serpentes illi qui mordendo venenum infundebant, dæmones significabant, qui suggerendo nobis venenum mortiferæ delectationis infundunt. Quibus etiam tradimur, si serpentem æneum in ligno pendentem non aspiciamus, id est Christum. Serpens æneus qui similitudinem serpentis habebat, sed tamen venenum non habebat, quem qui aspiciebant, mortem temporalem a morsibus serpentium evadebant. Christum significat serpens, sicut ipse dixit : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat* (*Joan.* III). Similitudinem ergo serpentis habuit ille serpens, sed veneno caruit, quia Christus similitudinem quidem carnis peccati habuit, sed peccati veneno caruit. Per hoc enim quod æneus fuit, significat æternitatem Christi, quia æs durabile metallum est. Suspensus est in ligno, et Christus in crucis patibulo. Qui illum aspiciebat

sanabatur a morsibus et veneno serpentum : quoniam quicunque Christi passionem cum reverentia ad memoriam reducunt et aspiciunt illum, ad hoc ut mortificent corpora sua cum vitiis et concupiscentiis, salvantur a suggestionibus dæmonum, et veneno pravæ delectationis, et insuper a morte æterna. Ignis vero ille qui devoravit murmuratores, significat ignem æternum, qui devorabit omnes similia agentes. *Scripta sunt autem ad correptionem nostram*, id est, ad emendationem et meliorationem nostram, ut nos per talia corrigamur. *In quos fines sæculorum devenerunt*. In nos fines sæculorum devenerunt, qui jam nos in fine sæculi positi sumus, in ultima scilicet ætate. Non sunt propter illos scripta ut ipsi legerent, qui talia agentes talia meruerunt recipere, qui jam olim mortui erant, sed pro nostra salute et utilitate, ut si in timore et in servitio Dei manserimus gloriam illis promissam accipiamus, terram videlicet repromissionis, quæ significat cœlestem patriam. Sique minus aut aliter egerimus, geminabuntur nobis pœnæ illorum, quoniam major notitia legis plus facit hominem reum.

Itaque qui se existimat stare, in rectitudine fidei, bonisque operibus, et in scientia, qua credit omnia esse munda, *videat ne cadat*, in superbiam, aut in scandalum fratris. Isto in loco tacite ac specialiter percutit eos, qui præsumentes de sua scientia, qua licitum esse putant omnia edere, quia omnia munda sunt mundis, recumbebant in idoliis, et edebant carnes idolothythas, unde scandalizabantur infirmiores fratres, qui videntes illos talia agere, putabant aliquid numinis esse et deitatis in idolis, atque in cibis illis consecratis. Generaliter autem ad omnes pertinet quod dicit : Qui stat in fide et bonis operibus, videat ne cadat.

Tentatio vos non apprehendat, nisi humana, id est, quæ opere non perficitur. Tentatio humana est malum cogitare, et in corde tentationes multas perpeti. Diabolica vero tentatio est certamine tentationis in opere superari et malum perficere. Concupiscere mulierem humana tentatio est : adulterium vero sive fornicationem perpetrare diabolicum est. Sic de cæteris vitiis intelligendum. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, subaudis sustinere. Fidelis dicitur Deus esse, quoniam quidquid promisit fidelibus suis, opere complevit; complet quoque quotidie, et complebit. Promisit diligentibus se regna cœlestia : complebit illud, quia dabit eis. Ideoque non permittit eos tentari supra id quod humana fragilitas potest ferre. *Sed faciet cum tentatione etiam proventum*, id est auxilium, *ut possitis sustinere*; id est, illud faciet pervenire, quod potest humana ferre fragilitas, videlicet a tentatione et tribulatione citius liberando, sicut legimus factum de beato Abraham, quando liberatus de urbe Chaldæorum, necnon de tribus pueris in camino, et de Daniele, quando missus est in lacum leonum, et de innumerabili multitudine martyrum, aut etiam in tentatione tolerantiam præbendo et victoriam, sicut præbuit beato Job, Petro quoque, in cruce et Andrææ, Laurentio quoque super craticulam, multisque aliis martyribus. Quis enim hominum posset credere quod homo mortalis talia posset sustinere, quæ sustinuit Laurentius per adjutorium Dei ? Quapropter, dum tales et hujusmodi nobis tentationes afflictionesque proveniunt, debemus ista ad memoriam reducere, omnemque spem nostram in Deum jactare, ut ipse nobis faciat proventum evenire, citius liberando, aut etiam victoriæ tolerantiam præbendo.

Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate, id est discernite, *quod dico* : utrum verum et bonum dicam, necne.

Calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est ? Idcirco primum calicem nominavit, quia postea de pane plus erat disputaturus. Calix autem benedictionis dicitur, qui benedicitur a sacerdotibus in altari ; appellatur et ipse calix communicatio, quasi participatio, quia omnes communicant ex illo, partemque sumunt ex sanguine Domini quem continet in se. *Et panis quem frangimus*, in altari, *nonne participatio corporis Domini est ?* Utique. Primum consecratur et benedicitur a sacerdotibus et Spiritu sancto, et deinde frangitur cum jam licet panis videatur, in veritate corpus Christi est. Ex quo pane quicunque communicant, corpus Christi edunt.

Quoniam unus panis, subaudis Christi, *et unum corpus* Christi *multi sumus*, qui comedimus illum panem, caro quam Verbum Dei Patris assumpsit in utero virginali in unitate suæ personæ, et panis qui consecratur in Ecclesia, uuum Corpus Christi sunt. Sicut enim illa caro corpus Christi est, ita iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed unum corpus. Divinitatis enim plenitudo quæ fuit in illo, replet et istum panem, et ipsa divinitas Verbi quæ implet cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, ipsa replet corpus Christi, quod a multis sacerdotibus per universum orbem sanctificatur, et facit unum corpus Christi esse : et sicut ille panis et sanguis in corpus Christi transeunt, ita omnes qui in Ecclesia digne comedunt illud, unum corpus Christi sunt, sicut ipse dicit : *Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI). Tamen illa caro quam assumpsit, et iste panis, omnisque Ecclesia, non faciunt tria corpora Christi, sed unum corpus ; et sicut qui corpori et sanguini Domini communicant, unum corpus cum eo efficiuntur : sic et qui communicant scienter de idolothytis unum cum diabolo corpus existunt; *omnesque qui de uno pane*, id est de uno corpore Christi, *et* de eodem *uno calice*, sive sanguine, participamus, id est partes accipimus, unum corpus Christi efficimur.

Videte, inquit, id est, considerate, *Israel secundum carnem*, id est, quia carnaliter vivit, et carnales hostias adhuc offert. Tunc temporis quando Apostolus ista loquebatur, adhuc erat templum Hierosolymis

in quo offerebat Israel carnaliter vivens hostias Deo. Carnalem autem illum appellat, quia legem carnaliter volebat observare; vel ad differentiam Israel spiritalis, qui jam veteres umbras non sequebatur, ex cujus numero erat idem Apostolus. Vult autem ostendere Corinthiis, quia sicut illi erant socii et participes altaris, qui comedebant ea quæ in altari offerebantur, ita et isti Corinthii comedentes carnes idolothytas, socii erant dæmoniorum. Unde et sequitur: *Nonne qui edunt hostias*, subaudis victimarum in lege, *participes sunt altaris?* Sunt utique. Ita et vos qui editis in idolio carnes idolis consecratas, participes estis idolorum.

Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? Non hoc dico quod aliquid sit, quia idolum nihil est, et quod ei offertur nihil est. Quidquid in illo non est, vel illi non adhæret qui habet esse, nihil est. In hoc idolum nihil est, quia habet imaginem hominis, sed non est homo, quia neque sensum neque motum habet: vel quia dicitur deus, et non est deus; dicitur Hercules esse, sed non est. Et sicut idolum nihil est, ita quod illi immolatur nihil est.

Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Tunc fiebant socii dæmoniorum, quando comedebant idolothyta, et quando voluntatem illorum implebant. *Non potestis calicem*, id est sanguinem, *Domini bibere*, subaudis recte sicut bibendus est, *et calicem dæmoniorum*, id est, corporis Domini, *participes esse*, recte, *et mensæ dæmoniorum*, qui idolis libatis. Non potestis mensæ dæmoniorum cibos comedere. Sicut non potestis recte duobus dominis servire, sic non potestis utrumque recte agere, et diabolo servire, et Christo placere, et corpus ejus digne sumere

An æmulamur Dominum? jungit se Corinthiis, et loquitur ex persona illorum qui dicebant: Nunquid non imitamur Dominum? In hoc ergo quod pergimus ad exempla idolorum, et comedimus ibi cum infidelibus, quos volumus lucrari ad Christum, imitamur Dominum, qui ad domos publicanorum et peccatorum veniebat, ut occasionem haberet docendi. *Nunquid fortiores illo sumus?* Quasi diceret: Nunquid fortiores illo estis in hac parte? Non estis. In hoc volebant fortiores esse Christo, quia volebant agere quod ipse non fecit. Illi enim ibant ad domos paganorum, Christum non legimus perrexisse ad domum alicujus gentilis. *Omnia*, subaudis alimenta, mihi licet edere secundum naturam, sed non omnia expediunt, id est, non omnia sunt utilia.

Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant, alios in fide, sed potius destruunt simplices per scandalum.

Nemo quod suum est tantummodo *quærat*, in hac parte comedendo omnia, *sed quod alterius*, id est quod simplicioribus prodest: sicut Christum non quæsivit sua, sed nostra.

Omne quod in macello, id est in mercato, *venit*, sive venditur, *manducate, nihil interrogantes propter conscientiam* illius quem interrogaveritis. Macellum

A dicitur a mactando, eo quod ibi mactantur carnes. Ideo autem Apostolus prohibuit, ut non interrogarent aliquid de carnibus, utrum consecratæ essent idolis necne, quia si interrogarent, diceret ille insultando et deridendo qui interrogatus fuerat: Omnes istæ carnes quas cernitis in macello, idolis dedicatæ sunt. Si aliquis fidelium hæc audiens postea emeret, derideret eum ille paganus in sua mente et conscientia, dicens: Ecce, quid fecit ille Christianus, qui me prohibebat offerre idolis victimas quasi malum, modo emit carnes consecratas idolis, et comedit ut sanctas. Nisi aliquid numinis in idolis cognosceret, nequaquam hoc ageret. Quandiu talia videro eum facientem, non transibo ad Christianismum.

B *Si quis infidelium vocat vos*, ad cœnam, *et vultis ire*, subaudis ad domum ejus. Non præcepit ire, nec prohibuit, sed præstitit licentiam. Cœna vocatur a communione vescentium, quasi, commune convivium, et communis esca sive refectio. Κοινόν dicunt Græci commune. Unde et communicantes dicuntur, eo quod communiter, id est pariter, comedebant. Apud veteres enim consuetudo erat hora nona cœnare, non in abscondito, sed in propatulo, ne singularitas luxuriam gigneret.

Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis, id est idolis est consecratum, *nolite manducare propter conscientiam alterius qui judicavit* et circumstantium, ne vos dirideant, sicut supra dictum est. *Ut quid enim libertas mea*, qua credo omnia esse C munda, *judicatur*, id est reprehenditur, *ab aliena conscientia*, id est: si ergo manduco omnia, quid pertinet ad aliquem ut me reprehendat, vel quid nocet ejus reprehensio?

Si ergo cum gratia, subaudis Dei, *participo*, sive manduco, *quid blasphemor pro eo quod gratias ago* Deo? Ex persona illorum loquitur, qui talia dicebant, quasi subjungeret Apostolus: Non debetis hoc dicere, licet sanctificetis illud quod sumitis signaculo crucis, et invocatione nominis Domini: tamen non ideo debetis comedere, quia blasphematur exinde nomen Domini, et vos blasphemamini.

Omnia in gloriam Dei facite, id est in invocatione nominis Dei, et cum honestate, ut Deus glorificetur per vos. Legimus quodam loco, quod cum quodam D tempore quidam humuncio pro nimia tristitia voluisset se laqueo suspendere, et dixisset: Deus, adjuva me, quod verbum semper in usu habebat, astitit beatus Paulus apostolus, inquiens: Infelix, temetipsum illaqueare vis et nomen Domini invocare præsumis? Sed illud quia invocasti, esto liber ab hac tristitia et morte præsenti, quia omnia prospere tibi succedent.

Sine offensione, id est sine scandalo et reprehensione, *estote Judæis*, qui idola exsecrantur, *et gentibus*, fidelibus et etiam infidelibus: *Sicut et ego per omnia*, subaudis quæ facio, *omnibus placeo*. Cum Apostolus alias dicat: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Gal.* I), quærendum est quare

modo hic dicat se omnibus per omnia placere? Ad quod dicendum, quia ubi dicit, si hominibus placerem, homines ibi voluit intelligi hæreticos, Judæos incredulos, paganos et persecutores. Hic autem ubi dicit, omnibus se placere, subaudiendum est bonis et religiosis viris. Si hominibus, inquit, infidelibus placerem, Neroni scilicet, hæreticis, Judæis incredulis, et persecutoribus, Christi servus non essem, quia Christum negassem. Tamen licet illis non placeam, hominibus tamen bonis et religiosis placeo: *Non quærens quod mihi* soli *utile est*, quia non accipio a vobis victum et vestimentum, *sed quod multis, ut salvi fiant*. Sicut Christus non quæsivit sua, quia pro se flagellatus non est, consputus, passus et mortuus, nec quæsivit sua, sed nostra: ita Paulus non erat propria salute contentus, quia non quærebat quod soli sibi utile erat, sed quod aliis, sustinens pro aliorum salute libenter multa adversa et probra.

CAPUT XI.

Imitatores mei estote, sicut et ego Christi; id est, sicut ego imitator Christi sum, non quærens solummodo quod mihi utile est, sed quod alteri: ita et vos me imitamini. Sicut enim Deus Pater misit Christum, ut apostoli ejus essent imitatores, ita Christus misit nobis apostolos ut eorum imitatores simus.

Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis. Ironice ista dicit; et quod videtur affirmare, increpat et denegat, quasi diceret: Non laudo vos, quia non estis mei memores, neque tenetis præcepta quæ tradidi vobis.

Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est. Omnis viri caput est Christus, id est princeps et origo, quia ab illo qui est Verbum Dei Patris, creatus est, et non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum quod homo est, et carnem nostram assumpsit, caput et princeps est omnibus hominibus. *Caput autem mulieris*, id est initium et princeps mulieris, vir est, quia de costa ejus facta est, et ejus potestati subjecta. *Caput vero Christi*, id est origo et principium illius, *Deus* Pater est, quia ab illo habet originem et principium, tam secundum divinitatem, quam secundum humanitatem.

Omnis vir, in Ecclesia, *orans aut prophetans*, id est docens prophetas vel explanans, *velato capite, deturpat*, id est dehonestat, *caput suum*: vel orans, id est Dominicam orationem dicens, prophetans, id est symbolum apostolorum recitans, ubi prophetatur adventus Christi ad judicium. *Si non velatur mulier*, id est, si non vult operire caput suum linteo, *tondeatur*. Quare præcepit hoc Apostolus? quia mala consuetudo erat tunc temporis, quia nolebant capillos ligare et caput cooperire. Et ne ipsa profluxio capillorum provocet homines ad amorem libidinis, ideo præcepit velare capillos et ligare.

Vir quidem non debet velare caput, quoniam imago et gloria Dei est. Homo imago est Dei, quia sicut ab uno Deo omnia originem sumpserunt, et ab illo facta sunt, ita ab uno homine Adam omne genus humanum profluxit: gloria quoque Dei est, quia glorificatur Deus per hoc quod hominem rationabilem fecit. Ideoque non debet velare caput, ut ostendat non esse subditum mulieri, sed potestatem habere super eam. Mulier autem subjecta est viro, sicut sequentia manifestant: *Mulier autem gloria viri est*, quia ex ipso facta est: vel quia subjecta est ei, et in hoc gloriam habet vir.

Non enim vir, primus Adam, *ex muliere est* factus, *sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir*, Adam, *propter mulierem*, quia necdum erat mulier creata, *sed mulier propter virum*, id est ad auxilium viri. *Ideo*, subaudis ut recognoscat se mulier sub viri esse potestate, *debet mulier velamen habere super caput suum propter angelos.* Angelus Græce, Latine dicitur nuntius: quo vocabulo vult ostendere Apostolus, episcopos, sacerdotes, omnesque ordines altaris, qui angeli debent esse annuntiando populis quid debeant petere et quid vitare. Propter istos angelos debent mulieres stantes in ecclesia velata habere capita, ne respiciens aliquis illorum ad populum, capiatur ad amorem pulchritudine illarum. Dicamus et aliter juxta Augustinum, et hoc quod dicit, vir non debet velare caput, quoniam imago est Dei, mulier autem debet velare caput propter angelos: virum in hoc loco, uno modo possumus intelligere quemlibet prædicatorem, spiritalem, et viriliter agentem, cujus caput est ipsa ejus sapientia; quia sicut caput regit cætera membra, ita illa regit mentem. Istud caput, scilicet sapientiam non debet velare vir prædicator talis, quia non debet celare illam et abscondere, sed aliis manifestare, docendo, prædicando, bonisque operibus insistendo debet se imitabilem præbere. Per mulierem autem debemus intelligere quemlibet in Ecclesia muliebriter et stulte agentem. Cujus caput est ipsa ejus ignorantia et stultitia, quam non debet aliis in propatulo manifestare, ne se imitabilem reddat, sed debet illam tegere, et ad angelos (qui et viri appellantur), id est ad prædicatores referre, ut illorum exhortatione et doctrina salvari possit; vel debet suam insipientiam et ignorantiam velare propter prædicatores, quia illis se debet humiliare. Aliter: Homo ex corpore, anima et mente consistit, quæ et rationabilitas animæ dicitur. Cum unum sit anima et mens, dividamus hic animam quæ vivificat corpus, et mentem quæ regit animam, quia facit differentiam inter bonum et malum, inter vitia et virtutes. Per virum in hoc loco debemus intelligere secundum Augustinum, rationabilitatem animæ nostræ, id est mentem quæ imago Dei est; quia sicut Deus scit differentiam inter bonum et malum, ita et mens pro modulo suo. Cujus viri caput, id est mentis sive rationabilitatis, quod unum est, ipsa bona ejus intentio est, quam non debet velare; quia non debet illam refrenare a contemplatione Dei, sed quanto amplius de Deo intelligit, tanto amplius debet illam permittere, ut se elevet ad contemplationem Dei, donec perveniat ad hoc ut quod modo videt in spe et in speculo, quan-

doque videat in re, contemplans Deum sicuti est. Per mulierem possumus intelligere animam, cujus caput est intentio, qua plerumque intendit terrenis rebus ultra modum. Quod caput, id est quam intentionem debemus velare, quia debemus illam refrenare, ne ultra modum in terrenis rebus se occupet. Anima enim quæ vivificat corpus, plerumque ea desiderat ultra quam necesse sit, in quibus delectatur corpus quod terrena quærit.

Verumtamen neque vir sine muliere, subaudis creatus est in præsentia Dei, *neque mulier sine viro*, subaudis creata est, *in Domino*, id est per Dominum.

Nam sicut mulier, Eva, *de viro*, id est de costa Adæ, *ita et vir*, Cain, *per mulierem* exstitit. *Omnia autem*, subaudis genera hominum, *ex Deo* creata sunt, videlicet Adam, Eva et Cain ; vel omnia, id est corpora virorum et corpora mulierum, animæ videlicet virorum ac mulierum.

Vos ipsi judicate, id est, discernite quæ dicturus sum.

Mulieri pro velamine, id est pro ornamento, *dati sunt capilli.*

Si quis autem videtur contentiosus esse, ut dicat, ego sum Pauli, ego Apollo, nec vult nostris admonitionibus parere, *nos*, Judæi credentes et apostoli, *talem consuetudinem non habemus,* ut contendamus, quia lex iram et contentionem prohibet, *neque Ecclesia Dei*, quæ Evangelium habet.

Hoc autem præcipio non laudans, subaudis quod contenditis.

Primum quidem convenientibus vobis in ecclesiam, et conventum fidelium in Dominicis diebus, *audio*, ab his qui sunt Chloens, *scissuras*, id est dissensiones et discordias, *esse inter vos, et ex parte credo*, ita esse ut audio.

Nam oportet, id est, necesse est, *hæreses esse*, *ut et qui sunt*, inter vos, *probati,* in fide bonisque operibus, *manifesti fiant,* et appareant etiam qui sint imperfecti et duplices. Sic Dominus dicit in Evangelio : *Necesse est ut veniant scandala* (*Matth.* XVIII), id est, non potest aliter esse. Et revera magnam utilitatem præstiterunt hæreses sanctæ Ecclesiæ, non per se, sed dum doctores excitaverunt, qui quasi dormierunt. Nequaquam enim tantam copiam librorum haberet sancta Ecclesia, et tantam cognitionem de Deo, nisi hæreses exortæ essent, a quibus excitatus est Hieronymus, Augustinus, Hilarius, Gregorius, aliique sancti doctores, qui multa conscripserunt contra hæreticos.

Convenientibus vobis in unum, *jam non est Dominicam cœnam manducare.* Cœna Dominica dicta est, eo quod ipso die Salvator cum discipulis cœnaverit, complens Veteris Testamenti pascha, et mysterium corporis et sanguinis suis tradens apostolis. Corinthii (qui et Achaici vel Achæi) venientes ad fidem Christi per prædicationem apostoli Pauli, a quo inter cætera quæ Dominus fecit, etiam sacramentum cœnæ Dominicæ perceperant, post discessum illius in memoriam cœnæ Dominicæ singulis A annis quinta feria ante diem Paschæ, conveniebant omnes ad Ecclesiam, ac nobiles quique et potentes divitesque veniebant, et deferebant singuli panem et vinum, et dabant sacerdoti, unde consecraret corpus et sanguinem Domini. Consecratis autem mysteriis a sacerdote Domini, unusquisque quod detulerat accipiebat desuper altari : sumebatque tacite cum suis, ut supervenientes non invenirent quod ederent, et unde communicarent ; aut etiam deferebat omne quod attulerat ad domum suam, ut cum suis illud sumeret. Ob cujus rei causam magnæ dissensiones inter illos erant, quas seminaverant pseudoapostoli, ita ut cum una benedictione omnium oblationes consecratæ essent, singuli suas accipientes, quæ communes debuerant esse, maximam vere-B cundiam inferrent his qui, ut assolet, non attulerant, licet haberent : aut his etiam qui non habebant quod afferrent. Hoc autem faciebant multi, postquam ab aliis cibis crapulati erant. Istamque acceptionem Eucharistiæ, Dominicam cœnam vocavit Apostolus uno modo. Aliter : Soliti quoque erant convenire eodem die ad Ecclesiam omnes divites, potentes et nobiles, et præparare sibi in Ecclesia et in foribus Ecclesiæ atque atriis illius epulas et convivia, et crapulari et inebriari usque ad vesperam manducantes et bibentes in conspectu pauperum et egenorum, qui non habebant unde sibi præpararent similia, nihil accipiebant ab illis divitibus et potentibus, sed præstolabantur jejuni tempus cum verecundia, quo placeret illis divitibus et potentibus C benedici corpus Christi a sacerdotibus unde communicarent. Impleti autem illi divites omnibus cibis et potibus usque ad vomitum, accipiebant ad ultimum sacramenta corporis et sanguinis Christi, dicentes : Sic tradidit Christus discipulis suis nostris doctoribus et magistris corpus et sanguinem suum post aliorum ciborum perceptionem, et sic nos volumus illud sumere. Quod audiens Apostolus, scripsit eis inter cætera ista quæ in præsenti habentur, volens eos convenire, inquiens : Convenientibus vobis in unum in Ecclesia, jam non est Dominicam cœnam manducare, id est non est vobis licitum Dominicam cœnam taliter manducare, qualiter vos manducatis. Cœnam autem Dominicam dupliciter possumus intelligere appellatam esse ab Apostolo, D vel perceptionem videlicet Eucharistiæ, de qua singuli sibi vindicabant partes proprias, quas attulerant, aliis non communicantibus, aut etiam eamdem Eucharistiam post alios cibos sumentes. Vel alio modo, cœnam Domini appellat illas præparationes conviviorum et epularum, quas sine charitate sumebant, non dantes inde pauperibus. Sacramentum igitur corporis Christi a communione cœna appellatur, quia commune debet esse omnibus fidelibus et justis. Uno enim pane universitas Ecclesiæ designatur. Per id enim quod unum sumus, de uno pane omnes nos sumere oportet. Licet enim a multis partibus deferatur ille panis, et a multis sacerdotibus per universum orbem consecretur, divinitas tamen

quæ replet omnia, replet et illud, facitque ut sit unum Christi corpus, omnesque qui digne percipiunt illud, unum corpus Christi faciunt non duo, quia ipse dixit : *Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI). Quicunque ergo cœnam Domini vult imitari percipiendo corpus illius, vel etiam percipiendo alios cibos, communiter debet ea uti : quia cœna Domini omnibus recumbentibus communis fuit, non solum bonis, sed etiam proditori Judæ. Sed non immerito quærit aliquis, quare Salvator noster, post cœnam corporis et sanguinis sui, sacramenta apostolis tradiderit, vel unde processerit ista consuetudo universalis Ecclesiæ, ut jejuni doceamur eadem sacramenta percipere, cum apostoli jam cœnati ea perceperint, et Dominus hoc ita non ordinaverit, sicut modo tenetur ? Cui respondendum est, ideo tunc cœnatos communicassé apostolos quia necesse erat pascha illud typicum antea consummare, et sic ad veri paschæ sacramenta transire. Ideo quoque Dominus per se non constituit jejunos accipere nos sacramenta Eucharistiæ, ut haberent ejus apostoli honorem aliquid ordinandi in sancta Ecclesia, qui post ejus ascensionem a sancto Spiritu edocti, ordinaverunt in honorem tanti tamque terribilis sacramenti, primo nos jejunos Dominicæ passionis participatione muniri, primoque spiritalibus epulis interius exteriusque sacrari, ac deinde terrenis dapibus et vilibus escis corpus refici, cum gratiarum actione et cum temperantia atque sobrietate.

Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et hoc similiter duplici modo intelligi potest, ut intelligatur cœnam sacramentum Eucharistiæ, quod illi singuli sibi vindicabant, vel illa præparatio conviviorum, quam utramque illi ut propriam manducabant, non communicantes exinde pauperibus. Diximus superius breviter, cœnam vocari a communione vescentium quasi commune convivium, communemque escam atque refectionem. Κοινόν quippe Græci dicunt commune. Unde et communicantes dicuntur, quod communiter sive pariter comedant. Apud veteres enim consuetudo erat, hora nona cœnare, non in abscondito, sed in propatulo, ne singularitas luxuriam gigneret. *Et alius quidem*, vestrum, *esurit*, ille videlicet qui paupertate premente caret pane triticeo et vino quod deferat ad consecrandum, unde communicetur, vel unde præparet sibi convivium. *Alius autem*, dives quilibet et potens, *ebrius est*, et crapulatus tam ex aliis cibis quam etiam ex sacramentis corporis et sanguinis Domini.

Nunquid domos non habetis, o Corinthii, *ad manducandum et bibendum*, communes cibos? *Aut Ecclesiam Dei contemnitis*, id est despicabilem facitis, et pro nihilo ducitis, parantes vobis turpia convivia in ea, *et confunditis eos*, id est verecundari facitis, *qui non habent ?* alimenta, ex quibus consecretur corpus Christi et sanguis, vel unde sibi præparent cœnam in ipsa Ecclesia, sicut vos qui divitiis abundatis. *Quid dicam vobis?* o Corinthii, id est, quid possum vobis dicere præ nimio dolore? *Laudo vos*, subaudis in hoc quod bonum agitis in quibusdam rebus ; *in hoc* tamen *non laudo*, vosque Ecclesiam Dei despicabilem facitis, et taliter jam ebrii, corpus Domini percipitis, et facies pauperum confunditis.

Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, id est mysterium corporis et sanguinis Domini, quomodo debeatis sumere sicut mihi revelavit, ita tradidi vobis. Insuper etiam quid significet illud sacramentum, sicut in sequentibus dicturus est, quando pergebat Damascum, et cæcatus est. Vel tunc manifestavit ei Dominus hoc inter cætera. Vel quando positus est in exstasi mentis, dum esset in templo. Ac sic demum tradidit Corinthiis, quando moratus est apud eos anno uno et mensibus sex, *quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur*, id est, ipsa nocte qua erat tradendus a Juda, *accepit panem et gratias agens fregit et dixit* discipulis suis. Finitis solemniis veteris paschæ, quæ in commemorationem antiquæ liberationis populi Dei de Ægypto agebantur omnibus annis, transiit statim ad novum pascha, sicut supra diximus, quod in memoriam suæ passionis et nostræ redemptionis, Ecclesiæ suæ relinquit frequentandum. Fregit ipse panem quem discipulis porrexerat, ut ostenderet corporis sui fractionem et passionem, sine sua sponte non venturam, sicut ipse antea dixerat : Potestatem habeo ponendi animam meam.

Accipite et manducate : hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Sicut caro Christi quam assumpsit in utero virginali, verum corpus ejus est, et pro nostra salute occisum, ita panis quem Christus tradidit discipulis suis omnibusque prædestinatis ad vitam æternam, et quem quotidie consecrant sacerdotes in Ecclesia cum virtute divinitatis, quæ illum replet panem verum, corpus Christi est, nec sunt duo corpora illa caro quam assumpsit, et iste panis, sed unum verum corpus faciunt Christi : intantum ut dum ille frangitur et comeditur, Christus immoletur et comedatur, et tamen integer maneat et vivus. Et sicut illud corpus quod in cruce deposuit pro nostra salute et redemptione est immolatum, ita quotidie ad nostram salutem et redemptionem iste panis Deo offertur, qui licet panis videatur, corpus est Christi. Dominus enim et Redemptor noster, consulens nostræ fragilitati, quia cognovit nos fragiles esse ad peccandum, tradidit nobis hoc sacramentum, ut quia ipse jam non potest mori, et nos quotidie peccamus, habeamus verum sacrificium quo possimus expiari. Ideoque quia unum corpus faciunt et pro nostra redemptione offeruntur, dixit : *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*, et addidit : *Hoc facite*, id est corpus hoc sanctificate *in meam commemorationem*, videlicet passionis meæ, vestræque redemptionis, quia ego vos redemi sanguine meo. Relinquens Dominus hoc sacramentum salutiferum omnibus infidelibus, ut illud infigeret cordibus et memoriæ eorum, more cujuscunque hominis egit,

qui appropinquans morti aliquod munus pretiosum dimittit alicui amico, dicens : Habe hoc cum omni diligentia penes te in memoriam mei,ut quotiescunque illud videris, recorderis mei. Qui amicus admittens munus illud amici sui charissimi, si eum toto corde dilexit, non potest non condelere ei et tristari de morte amici,quotiescunque munus sibi dimissum conspicit. Similiter nos quotiescunque accedimus ad consecrandum,vel percipiendum sacramentum muneris æterni, quod nobis Dominus passurus in memoriam sui dimisit tenendum, cum timore et cumpunctione cordis, omnique reverentia debemus accedere, recolentes quanto amore dilexit nos, qui pro nobis seipsum obtulit ut nos redimeret.

Similiter et calicem,subaudis tradidit eis,*postquam cœnavit, dicens : Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine*, id est calix quem vobis trado, Novum Testamentum significat, ut Fulgentius dicit, vel NovumTestamentum confirmat in meo sanguine, sive per meum sanguinem Calicem Novi Testamenti dicit ad distinctionem Veteris Testamenti,quod confirmatum est sanguine hircorum et taurorum, sicut habetur in Exodo, dicente Moyse ad populum quando collegit sanguinem hircorum in calice vel patena, et aspersit eumdem populum. Hic est sanguis Testamenti quod mandavit ad vos Dominus, id est : Hic sanguis est testis verborum et promissionum Dei ad vos, et testis verborum vestrorum quod promisistis esse vos obedientes illi. Similiter Novum Testamentum, id est Evangelium, ubi continentur promissiones nostræ redemptionis et patriæ cœlestis, confirmatum est sanguine passionis Christi qui quotidie celebratur in Ecclesia. Omne enim testamentum in morte confirmatur testatoris : quod autem addidit, *hoc facite*, sive sanctificate *quotiescunque biberitis in meam commemorationem*, idem sensus est, ut de corpore supra dictum est.

Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat ipse ad judicium. Duobus modis annuntiamus mortem Domini jam esse celebratam pro nostra redemptione vel ipsum mysterium celebrando, ubi iteramus passionem illius vel etiam prædicando aliis, quod utrumque agere debemus, et sumendo et prædicando. Hoc quoque sciendum est,quia caro nostri Salvatoris pro salute nostri corporis, sanguis vero pro anima nostra fusus est,quia sedes animæ in sanguine consistit. In cujus memoriam corpus et sanguinem illius sumimus, quoniam ipse ut totum hominem salvum faceret et redimeret, sanguinem suum fundi permisit.

Itaque quicunque manducaverit panem hunc,et biberit calicem, id est sanguinem *Domini indigne*, id est quicunque sanguinem et corpus Domini sumpserit indigne, *reus erit corporis et sanguinis Domini,* id est pœnas æternas inde exsolvet, nisi pœnitentia digna hoc expiaverit, aliisque bonis operibus. *Indigne* dicit, id est ordine non observato, videlicet qui aliter mysterium illud celebrat vel sumit, quam traditum est a sanctis Patribus, vel qui nullam differentiam credit inter illud corpus Christi, et reliquos cibos, vel qui gravioribus criminibus commaculatus præsumit illud sumere Qui taliter, ut diximus, illud comedit et bibit indigne, illud sumit,ideoque pœnas inde exsolvet. Apostolus igitur exponit quomodo debemus illud percipere.

Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, id est de corpore Domini, *et de calice bibat*, id est de sanguine Domini. *Probet se*, id est discutiat se, et utrum dignus sit necne, et probabilem se reddat,ne forte unde alii sumunt remedium accipiat ille judicium et damnationem, indigne illud percipiens,sicut fecit Judas proditor. Nam cum alii apostoli sumpsissent illud terribile sacramentum ad remedium et salutem suam, ille qui indignus erat tanto mysterio, accepit illud ad damnationem suam : quia quem diabolus ante tenebat per suggestionem et tentationem, postea renuit ad possidendum plenius, ut nihil aliud posset cogitare aut facere, nisi quod ejus voluntas erat. Dicit enim evangelista, quia post buccellam statim introivit in eum satanas, ut malum quod illo instigante tractaverat, eo concitante perficeret.

Qui enim manducat et bibit indigne, sicut supra diximus, *judicium sibi manducat et bibit*, id est ad damnationem suam illud sumit, *non dijudicans corpus Domini*, id est non discernens a reliquis cibis. Cum timore et tremore debemus accedere ad illud sacramentum terribile, ut sciat mens reverentiam se debere præstare ei ad cujus corpus sumendum accedit.

Ideo, subaudis quia indigne præsumitis percipere salutiferum sacramentum, idcirco sunt *inter vos*, o Corinthii, *multi infirmi*, id est languentes *et imbeciles*, id est febricitantes,*et dormiunt multi,* non somno pacis et quietis, sed morte damnationis, id est mortui sunt morte æterna propter hoc peccatum.Volens demonstrare quia qui corpus Dominicum indigne percipiunt, judicium inde sumunt et damnationem; ostendit quosdam apud Corinthios vindictam in præsenti jam percepisse, qui inconsiderate et irreverenter illud acceperant quia febribus et infirmitatibus multis correpti sunt, et quidam etiam mortui, ut illorum exemplo cæteri discerent non debere indigne et negligenter corpus Domini sumere.

Quod si nosmetipsos dijudicaremus, id est discuteremus et examinaremus vitam nostram utrum digni essemus necne, et nosmetipsi errores nostros corrigeremus, *non utique judicaremur*, id est non damnaremur a Christo, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

Dum judicamur autem, non in paucis, in illis videlicet qui infirmantur et febricitant in hoc præsenti et in illis etiam qui moriuntur, *a Domino corripimur,* et flagellamur corpore per illos *ut* ipso timore perterriti, *non damnemur* æternaliter *cum hoc mundo*, id est cum infidelibus et amatoribus hujus mundi. Nihil enim distat ab infideli,qui irreverenter cum omnibus peccatis criminalibus commaculatus,

ad mensam Domini præsumit accedere, sed potius deterior est illo, et majori pœna dignus, quia melius est viam veritatis non cognoscere, quam post agnitionem retrorsum abire.

Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum corpus et sanguinem Christi in Ecclesia, *invicem exspectate*, ut multorum oblatio simul celebretur, et omnes communiter ex uno pane communicetis : quia illa oblatio unus panis est, et communis debet esse omnibus.

Si quis esurit, domi manducet, id est qui impatiens est nec vult jejunare cum cæteris, domi terreno pane vescatur, *ut non in judicium conveniatis*, id est ne corpus Christi reprehensibiliter percipiatis ad damnationem vestram. *Cætera autem*, subaudis quæ restant inordinata, *cum venero disponam*.

CAPUT XII.

De spiritualibus autem, subaudis mysteriis, *nolo vos ignorare, fratres*, id est nolo vos ignorantes reddere.

Scitis autem quoniam cum gentes essetis. Reducitur ab Apostolo Corinthiis vitæ pristinæ conversatio in notitiam, ut ex ejus consideratione crescant in novam conversationem, quoniam sicut gentiles viventes fervebant in mendacio et errore, quia illa cultura nihil erat, sic jam Christiani effecti, divinis præceptis cum fervore animi debebant obsequi. Gentes autem sive gentiles appellantur, qui ab errore patrum suorum in quo nascuntur, in religione melioris vitæ non commutantur. Unde et gens quæ sic manet ut genita est vocatur : hi sunt pagani, qui ad divinum cultum non accedunt, quos gentes nunc appellat, non quod tunc temporis pagani essent quando ista dicebat, sed quod ante notitiam fidei fuerant. Hoc est quod ait, quoniam cum gentes essetis, et (subauditur) jam non estis. Legitur et gens in bono, sicut est, non tantum pro gente, sed *ut filios Dei congregaret in unum* (*Joan.* XI). *Ad simulacra muta prout ducebamini, euntes*, subaudis eratis. Simulacra (quæ simulando dicuntur, eo quod simulent hominem et non sit homo, equum et non sit equus, cæteraque hujusmodi) idcirco muta appellantur, quia (ut Psalmista ait) *os habent, et non loquentur : oculos, et non videbunt* (*Psal.* CXXXIII). Neque enim est spiritus in ore ipsorum. Si quod autem verbum ab idolis auditur, dæmonum deceptioni et non simulacrorum sensibilitati ascribitur. Ad hæc adoranda tam a dæmonibus quam ab aruspicibus et philosophis insipientibus impellebantur, et est sensus : Sicut cum gentes essetis, dæmonum templa sine reluctatione, prout ducebamini, frequentabatis, sic modo dum agimini Spiritu sancto secundum sanam doctrinam, ad Ecclesiam Dei accedite, et præceptis salutiferis cum omni humilitate obtemperare contendite. Et quod dicit, prout ducebamini, ostendit eos tantam venerationem exhibuisse simulacris, ut eorum cultum nequaquam abhorrerent a quibuscunque hortarentur, vel monerentur, et ducerentur personis, ita et conversos Deum diligere admonet, et coapostolos ejus spernere non debere suæ salutis amatores.

Ideo, subaudis quia Deum cognovistis, et quia de spiritualibus mysteriis nolo vos ignorantes reddere, *notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens*, id est nemo Spiritum sanctum habens, et per Spiritum sanctum loquens, qui linguas infantium facit disertas, *dicit anathema Jesu*. In decretis Justiniani imperatoris, anathema separatus a Deo vocatur. Legitur et in canonibus pro maledictione. Legitur et pro occisione, sicut ipse Apostolus ait in Epistola ad Romanos (c. IX) : *Optabam ego anathema esse pro fratribus*, id est, optabam interfici pro eis secundum carnem. Ponitur et pro abominatione, hic vero pro separatione ponitur. Itaque nullus Spiritu Dei afflatus dicit ipsi Jesu : Tu es anathema, id est separatus a Deo Patre et Spiritu sancto, et aliqua parte inferior. Hoc quidam hæreticorum vesani insaniendo dicere non timuerunt; idcirco anathemate, id est separatione a Deo, Ecclesia perculsi sunt. *Et nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* In sacra Scriptura dicere aliquando pro simplici sermone accipitur, ut est *non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII). Aliquando pro ipsa re et facto, sicut ait Ezechias rex ad Isaiam : *Non fuit verbum*, id est res, *in domo mea quod non ostenderim eis* (*Isa.* XXXIX). Sic et in hoc loco pro re et facto ponitur. Nemo, inquit, potest dicere, id est corde et ore confiteri, et digna opera fidei exercere, Jesum diligere, et Dominum asserere, nisi Spiritus sancti gratia fuerit intrinsecus edoctus. Nam ille dicit Jesum Dominum esse, qui credit eum Patri et Spiritui sancto coæqualem et coomnipotentem, et hunc confitetur, servando præcepta illius quibus vera dilectio comprobatur. Dicemus et hoc ipsum breviter cum conclusione : *Nemo potest dicere*, Dominus Jesus, subaudis, sicut est dicendus corde, ore et opere, nisi per Spiritum sanctum fuerit illuminatus.

Divisiones vero gratiarum sunt, subaudis, non meritorum, *idem autem Spiritus* sanctus manet semper unus in omnibus et individuus. Notandum quod non ait, divisiones meritorum sunt, sed gratiarum, quia dona Dei gratis dantur, non humanis meritis tribuuntur. Unde ad Romanos ait : *Quis prior dedit illi*, id est Deo, fidem suam aut aliquid, *et retribuetur ei* (*Rom.* XI)? Spiritus namque sanctus in seipso unus idemque manet, id est immensus, indivisus, inseparabilis cum Patre et Filio, sed dona illius divisa sunt, quia non omnibus æqualiter conferuntur. Unde fatendum est quia cum Deus per divinitatis potentiam ubique sit non tamen ubique est per inhabitationis gratiam, et in quibus habitat per gratiam, non æqualiter habitat. Sicut ergo mare immensum est, et advenientes secundum capacitatem vasorum suorum et differentiam hauriunt, et non exinanitur mare, neque evacuatur; et sicut etiam ex una lucerna plures accenduntur, ipsa tamen non decrescit : sic Spiritus sanctus, cum sit immensus, distribuit ipse justis gratiam suam se-

cundum quod ipsi videtur : ipse tamen omnipotens A in immensitate sua perseverat, et quantum vult, et cui vult, et quando vult, et quomodo vult ; dat et nihil minus habet, quia extra se nulli erogat, *Et divisiones ministrationum sunt.* Verbi gratia : ut in episcopis, presbyteris, diaconibus, cæterisque ordinibus, qui Spiritu sancto distribuente Ecclesiæ ministri constituuntur, non per propriam hominis deliberationem, sed per Spiritus sancti efficientiam ; *idem autem Dominus*, subaudis manet indivisus in omnibus.

Et divisiones operationum sunt, quia alius operatur per Spiritum sanctum maxima, alius mediocria, alius vero minima. *Idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Quem superius appellavit Spiritum, B modo vocat Dominum et Deum, et ter idem dicendo manifestat se loqui de Spiritu sancto, sed non separat inde Patrem et Filium, quia quorum una est virtus naturæ, et substantia una, horum una est operatio indivisa, qui videlicet Deus, operatur omnia bona in omnibus. Quibus verbis tollitur humana arrogantia, cum sine Spiritu sancto nec magna, nec minima bona operari possit nostra fragilitas. Altius monet Apostolus in Trinitate nullos faciendos gradus, dum primum ponit Spiritum sanctum secundo Dominum Christum, tertio Deum Patrem, qui unus Deus distribuit dona sua, manens in se indivisus.

Unicuique autem, subaudis fidelium, *datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*, et illius videlicet, qui percipit donum Spiritus sancti, et aliorum, qui aut C ab illo erudiuntur, aut exemplo illius in meliorem vitam instruuntur, et in Dei laudem excitantur, sicut Dominus monet : *Luceat lux vestra coram hominibus* (*Matth.* V), etc. Manifestatio vero Spiritus sancti ipsum ejus donum intelligitur, quod ipsi homini manifestat datum esse ad utilitatem suam, ut recte credat, sancte vivat, et ut alii ex eo utilitatem percipiant. Sive manifestatio Spiritus idcirco dicitur, quia ubicunque per dona sua fuerit, illico per operationem justitiæ manifestatur. Hinc scriptum est : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat* (*Luc.* XII)?

Alii quidem per Spiritum sanctum datur sermo sapientiæ. Modo incipit exponere divisiones gratiarum D et ministrationum quæ per Spiritum sanctum dantur. Intelligitur, sapientia in vitandis malis et appetendis bonis, scientia vero in disponendis ordinandisque humanis. Etenim fundos sive agros excolere, domum prudenter ædificare, familiam competenter ordinare, ad scientiam videtur pertinere. Aliter, sapientia pertinet ad cognitionem æternam qua credimus Deum trinitatem habere in personis, unitatem in substantia ; scientia vero humanarum rerum, sicut supra diximus. Sive sapientia est, secundum Gregorium, quando quis Veteris Testamenti et Novi legit volumina, et intelligit, et ad utilitatem aliorum exponit, sicut Hieronymus, Augustinus, Hilarius et ipse Gregorius ; scientia vero quando illorum expositiones leguntur et intelliguntur, et secundum eas Vetus Testamentum aut Novum traditur. Est etiam sapientia, qua abstinet quis a pravo opere, scientia vero, quando a prava cogitatione. Itaque sive sapientiam divinarum, sive scientiam humanarum rerum habeamus, non ex nobis ipsis, sed ex dantis sancti Spiritus gratia percipimus. Quod vero dicit, *secundum eumdem Spiritum*, nihil est aliud nisi quasi diceret : Alii datur sermo scientiæ secundum voluntatem ejusdem Spiritus sancti, vel per eumdem Spiritum.

Alteri, subauditur datur, *fides in eodem Spiritu*, id est per eumdem Spiritum. Dominus loquitur in Evangelio de persona Patris. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Et Apostolus fidem dicit dari per Spiritum sanctum. Unde datur intelligi, quia quod dat Pater per Spiritum sanctum, dat et ipse Spiritus sanctus cum Patre et Filio, quia unius est potestatis et operationis cum illis : fides ergo qua credimus in Deum, et a Patre et a Filio et a Spiritu sancto datur, nec est in homine naturaliter, sed a Deo datur : quoniam si esset, omnes haberent fidem. *Alii gratia sanitatum in uno Spiritu.* De gratia sanitatum dicit, qua sanantur infirmi vel ægri.

Alii operatio virtutum, in ejiciendis dæmonibus et patrandis aliis miraculis : *alii prophetia*, qua Spiritu sancto repletus, futura prædicit, vel prophetarum libros exponit ; *alii discretio spirituum*, ut noverit quis loquatur ex Spiritu sancto, vel quis ex spiritu humano, sive maligno : sicut loquebatur puella quæ magnum quæstum præstabat dominis suis, de qua Paulus spiritum pythonicum expulit : et sicut loquebantur magi et incantatores. *Alii genera linguarum*, id est varietates sermonum, ut apostolis et credentibus in exordio fidei. *Alii interpretatio sermonum*, ut Hieronymo qui divinas Scripturas ex Hebræo in Latinum transtulit.

Hæc autem omnia quæ enumeravimus et etiam plura quam enumeravimus, *operatur unus atque idem Spiritus*, ad utilitatem scilicet totius Ecclesiæ, in quo intelligitur Pater et Filius, quia inseparabilis est eorum operatio, *dividens singulis* electorum dona sua, non tamen ipse divisus, *prout vult*, quia omnipotens est.

Sicut enim corpus unum est, et habet multa membra, etc. Usque *ita et Christus :* subaudis, cum Ecclesia unum corpus est. His verbis docet non deberi inflari quælibet adversus alterum, quia etsi non magnum, tamen parvum est Ecclesiæ membrum. Et sicut omnia membra, sive sint magna, sive parva, sive honesta, sive inhonesta, corpus humanum formant, ita homines diversi meriti unam Ecclesiam ædificant, et unum corpus Christi faciunt. Cum Christo enim qui est caput Ecclesiæ, ipsa Ecclesia intelligitur, quæ est corpus ejus. *Etenim in uno Spiritu*, subaudis, sancto, de quo scriptum est : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Matth.* III) ; et : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* (*Joan.* III). *Omnes nos in unum corpus baptizati sumus*,

id est, ad hoc baptizati sumus ut essemus unum corpus cum capite nostro Christo, *et omnes in uno Spiritu potati sumus*. Quasi diceret : Potionati sumus, vel unum Spiritum potavimus : quia tempore baptismatis omnes unum Spiritum sanctum accepimus.

Nam et corpus non unum est membrum, sed multa, quia unum membrum non facit corpus, sed multa simul nervis conglutinata : sic omnes credentes, sive sint sublimes vitæ merito, sive parvi, unum corpus efficiunt, conglutinante eos virtute Spiritus sancti.

Si dixerit pes : Quoniam non sum manus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore ? Interrogative est legendum, et subaudiendum utique de corpore est. Caput corporis sui, id est Ecclesiæ, Christus est. Oculi hujus corporis, apostoli sunt intelligendi, de quibus dicitur : *Pulchriores sunt oculi ejus vino* (*Gen.* XLIX), sed et prædicatores qui sibi aliisque spiritualia provident ; aures sunt fideles auditores; nares, qui vim discretionis habent inter odores virtutum fetoresque vitiorum ; os, qui divina eloquia aliis eructant, id est doctores ; manus, qui operantur unde alii vivant ; pedes, qui in negotiis sæcularibus ad utilitatem cæterorum discurrunt. Si dixerit talis pes, *non sum manus*, quia non habeo quod tribuam, vel non possum operari unde aliis victum tribuam, propterea *non sum de corpore* Christi, non ideo est de corpore? Subaudis utique est de corpore Christi. Sic intelligendum de aure et oculo, quoniam licet dicat bonus auditor : *Non sum oculus*, id est prædicator, et propterea *non sum de corpore* Christi, non ideo non erit : sed erit de corpore Christi. Membrum erit Ecclesiæ.

Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit, quibus verbis tollit præsumptionem, ne quis donum Dei putet suum meritum. Quisquis enim in Ecclesia est oculus, a Deo, et non a se, factus est oculus. Sic et de cæteris intelligendum membris. Hinc enim ait : *Quid enim habes quod non accepisti* (*I Cor.* IV) ?

Quod si essent omnia, subaudis membra, *unum membrum, ubi corpus*, subaudis esset, quod non uno membro, sed varietate membrorum constat. Et si omnes essent auris aut oculus, id est auditores tantum aut prædicatores, quomodo esset Ecclesiæ corpus, cum non constaret membrorum varietatibus ?

Non potest autem dicere oculus manui : Opera tua non indigeo, quoniam prædicator quilibet victu eget ex labore illorum qui designantur per manus, *aut iterum caput pedibus : Non estis mihi necessarii*, et ille qui præest subditis, non potest dicere in temporali discursu suis subditis, cum eorum opera indigeat : *Non estis mihi necessarii.*

Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, sicut pedes sunt et manus, quæ vilibus quibusque ministeriis deserviunt, necessaria sunt : quia pro toto corpore operantur; *et quæ putamus ignobiliora esse membra corporis his honorem abundantiorem circumdamus*. Ignobiliora membra quibus abundantiorem honorem circumdamus, sunt manus et pedes, quibus ornamenta calceamentorum armillarumque adhibemus : *et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent*. Inhonesta nostra sunt verenda, quæ verecundamur videri nuda, quibus abandantiorem honestatem præbemus diversorum colorum vestibus.

Honesta autem nostra, id est oculi, nares et cætera talia, *nullius egent* ornamenti : *sed Deus temperavit*, id est fabricavit, *corpus*, tribuendo honorem ei membro *cui deerat*, subaudis honor, *abundatiorem tribuendo*, id est extrinsecus adhibuit membro *honorem*, per additamentum vestium et ornamentorum, quoniam non habet insitum per naturæ decus.

Ut non sit schisma, id est divisio, *in corpore*, quibusdam membris pulchris, quibusdam manentibus inhonestis, sed sit corpus jam totum honestum, tam natura, quam ornamentorum gratia, *sed in idipsum*, id est alterutrum, *per invicem sollicita sint membra*, sicut oculus toti corpori videt, et pes toti corpori ambulat, etc.

Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Sicut de humero procedit cubitus, manus et digiti, et de coxa tibiæ, pedes et articuli, sicut sunt sumpta membra de membro, id est pendentes ex sibi prælatis.

Primum posuit Deus apostolos in Ecclesia, qui vice Christi positi sunt in Ecclesia, sicut ait Apostolus : Obsecramus per Christum, id est vice Christi reconciliamini Deo. Horum vice subrogati sunt episcopi. Sed apostoli ex præcepto Domini compellebantur transire de regno in regnum : episcopi vero suis in Ecclesiis auctoritate canonica residere jubentur ob utilitatem sibi commissorum ; *prophetas* vocat qui futura prædicunt, sicut Agabus et ipsi Apostoli, sive qui prophetarum dicta edisserunt ; *doctores*, qui parvulos erudiunt ; *virtutes*, qui dæmones ejiciunt, aliaque miracula faciunt ; *gratias curationum*, qui infirmos sanitati restituunt ; *opitulationes*, qui verbis aut factis auxiliantur aliis ; *gubernationes*, sicut in prælatis et regibus, episcopis aut ducibus ; *genera linguarum*, sicut in exordio fidei.

Nunquid omnes interpretantur ? Scripturas, ut Hieronymus.

Æmulamini autem charismata meliora, quibus verbis ostendit Apostolus bona esse supradicta, id est prophetiam, doctrinam, ejectionem dæmonum, etc. Sed ista quæ subsequuntur, meliora sunt, quantum ad utilitatem electorum attinet : quia per illa superius posita tantum Dei demonstratur potentia, per cujus nominis virtutem et invocationem fiunt. Per hæc autem, id est charitatem, fidem, et spem hominis justitia constat. Gloriabantur Corinthii quasi summam justitiæ haberent, eo quod quidam illorum dæmonia ejicerent, gratiam curationum infirmis impartirent; sed ostendit Apostolus meliora deesse, et idcirco perfectos nondum esse, atque ideo

hortatur eos, dicens : *Æmulamini charismata meliora*, id est dona gratiarum meliora : nam superius præmissa possunt habere mali cum bonis, sicut Judas apostolus fuit : Caiphas, sicut et Balaam, cum esset malus, prophetavit. Multi in die judicii dicturi sunt : *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo multas virtutes fecimus, et dæmonia ejecimus* (*Matth.* VII)? sed audituri sunt : *Amen dico vobis, nescio vos* (*Matth.* XXV). *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Per quam intelligitur charitas, in quo præcepto *universa lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII). Quæ nobis via efficitur, quia per eam ad patriam cœlestem pervenitur. Cujus magnitudinem amodo incipit exponere, inquiens :

CAPUT XIII.

Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam : inutilis sum. Hæc verba ex superioribus apostoli verbis pendent, ubi dicit : *Æmulamini charismata meliora* (*I Cor.* XII), etc. Si linguis omnium hominum loquar, septuaginta scilicet duabus, quæ divisæ sunt in ædificatione turris, et si linguis etiam angelorum loquar et charitatem non habeam, dilectionem videlicet Dei et proximi, nihil sum. Quod dicit loqui angelorum linguis, intelligitur ad exaggerandum hoc quod volebat ostendere, posuisse charitatis scilicet vim : siquidem angeli nec linguam nec palatum vel dentes habent, utpote spiritus, quibus verba forment. Quando vero apparent hominibus, sumptis corporibus aeriis, secundum eorum linguam loquuntur quibus apparent : nam loqui illorum ad Deum nihil est aliud quam in præsentia ejus esse ; et Deum loqui ad illos nihil aliud est quam præsentia vultus sui qua fruuntur, attendentes quid velit illis manifestare; ipsorum vox in laude conditoris, ipsa est admiratio intimæ contemplationis. Inter se quoque angeli loquuntur ineffabiliter, sed eorum ad invicem collocutio, bonæ voluntatis est concordatio, nec est necesse ut ibi sonent verba, ubi in Dei contemplatione omnium angelorum concors est voluntas bona. Inde ergo Apostolus dicit : *Si linguis etiam angelorum* loqui possem, nihil mihi prodesset sine charitate. Possunt intelligi et per angelos, scholastissime loquentes, qui liberalibus artibus instructi, politis disserunt verbis quæ norunt : per homines vero, simpliciter loquentes. Sive ergo simpliciter quis disputet, quod multi quærunt, quia ibi omnium ædificatio esse potest, sive liberaliter, quod multi ambiunt, charitatem autem non habeat, fit *velut æs sonans aut cymbalum tinniens;* quoniam sicut æs sonat aut cymbalum, nihil eis prodest, quia nullam utilitatem sibi præstant, sic est homo qui loquitur linguis absque charitate. Revera sicut æs sonat, et sibi nihil confert, juvat autem, id est delectat audientes, ita lingua charitate privata. Æs quoque et cymbalum non a se sonant, nisi ab aliquo tangantur, aut alicujus rei impulsione commoveantur. Sic et qui linguis loquitur non a se loquitur, sed potentia Spiritus sancti per eum loquitur. Qui vero charitatis præceptum exercet, juvante se Deo operatur.

Et si habuero prophetiam, videlicet ut futura prædicam, sicut Balaam qui prophetavit de Christo : *Orietur stella ex Jacob*, et exsurget hoc *de Israel* (*Num.* XXIV); *et noverim mysteria omnia*, id est, secreta Veteris et Novi Testamenti, *et omnem scientiam*, id est notitiam tam divinarum quam humanarum rerum, *et si habuero omnem fidem*, id est, perfectam et integram, quæ a Domino grano sinapis comparatur, non propter modicitatem, sed propter fervorem : quia tritum manifestat cujus sit vigoris. Sic et fides trita adversitatibus ostendit cujus sit fortitudinis. *Ita ut montes transferam*, de loco ad locum, vel dæmones a patientibus ejiciam ; *si charitatem*, id est, si dilectionem Dei et proximi *non habuero, nihil sum*, id est, nihil utilitatis mihi præstabit. Intelligitur quod quidam Corinthiorum per invocationem Dei hoc agebant, et propterea quasi perfectos se putabant. Sed exhortatur ad id quod est præcipuum, id est, ad charitatem.

Etsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, juxta præceptum Domini, dicentis : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Matth.* XIX); *et si tradidero corpus meum ita ut ardeam*, sicut Laurentius est ustulatus, et hoc non fecero causa dilectionis, Dei videlicet et proximi, *nihil mihi prodest.* Se ponit Apostolus pro omnibus.

Charitas patiens est. Quomodo potest charitas patiens esse quæ virtus est? Sic videtur loqui, quasi de re animam habenti. Nam charitas virtus est quæ per se non patitur, ideoque patiens per se non est. Quapropter per charitatem debemus intelligere hominem charitatem habentem. Itaque qui habet charitatem patiens est, tolerando adversa, quia per tribulationes novit pervenire ad gaudia regni. *Benigna est*, id est valde bona, quia non solum non reddit malum pro bono, sed insuper bonum pro malo, cibando inimicum et potando. *Charitas non æmulatur.* Spiritus ait : *Æmulamini charismata meliora*, id est, æmulari studete : hic autem dicit, *Æmulamini*, id est persequimini ; ibi accipitur in bono, hic autem in malo. *Non æmulatur* dicit, id est, nulli invidet, aliena felicitate non torquetur. *Non agit perperam*, id est, non agit aliquid perverse. Quidquid extra rectitudinem fit, quia pravum est, *perperam* dici potest adverbialiter. *Non inflatur*, id est non extollitur, et in superbiam non erigitur.

Non est ambitiosa. Ambire est desiderare, et omnis qui charitate est plenus non desiderat neque cupit potestatem super alios exercere, quia major cæteris non vult apparere. *Non quærit quæ sua sunt*, id est, quod sibi solummodo utile est, sed aliis. Vel certe patiens est, non quærit quæ sua sunt, id est vindictam, quia inimicis talionem non reddit. Quæstio in hoc loco oritur : Cum Joannes dicat : *Deus charitas est* (*I Joan.* IV), quare Apostolus dicit : *Charitas non quærit quæ sua sunt?* quæ tripliciter intelligi

potest. Aliter enim intelligenda est charitas secun- A dum Joannis verba, aliter secundum Pauli. Charitas secundum Joannem, ipse Deus intelligitur, qui charitatem infundit in cordibus fidelium, juxta quod Apostolus ait : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v). Secundum Paulum vero, per charitatem intelligitur homo charitatem habens, qui non quærit solummodo quæ sua sunt, et quod sibi utile est, sed quod aliis. Unde etiam ipse Deus, qui charitas est, non quærit quæ sua sunt, qui veniens in mundum per incarnationis mysterium non quæsivit quæ sua erant, id est non quæsivit justos, sed peccatores, qui sub diaboli imperio tenebantur, unde ipse dicit : *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Luc.* v). Dicamus et tertio modo : Charitas, id est, ipse Deus B veniens in mundum, non quæsivit quæ sua erant. Quid erat suum ? Ut ab omni creatura adoraretur, glorificaretur, veneraretur, sicut Deus creator omnium. Sed ipse non quæsivit ista quæ sua erant et sibi competebant, quia non quæsivit honorem, non regnum, non timorem ab hominibus, sed quæ erant latronum, homicidarum, atque maleficorum hominum, sputa videlicet, colaphos, alapas, irrisiones, verbera, crucem et mortem. Et sicut ipse non quæsivit quæ sua erant, ita et nos non debemus quærere nostra, sed quæ sunt aliorum. *Non irritatur*, id est, etiamsi læsa fuerit, non provocatur ad iracundiam sive furorem ; non cogitur ad vindictam, ut malum pro malo reddat. *Non cogitat malum*, id est non solum non facit, sed nec cogitat ut alii noceatur. C

Non gaudet super iniquitate, sed potius tristatur, cum viderit quemlibet per aliquod scelus ruere ; *congaudet autem veritati*, id est operibus justitiæ, vel etiam illi qui in veritate et non ficte fidelis est.

Omnia suffert, subaudis adversa patienter, *omnia credit* quæ continentur in Veteri Testamento et Novo, vel quæ promittuntur electis in futuro regno a Deo, vera credit esse. Idcirco *omnia sperat* quia nisi crederet, non speraret. Siquidem spes est futurorum bonorum exspectatio, quorum consideratione *omnia* adversa *sustinet*.

Charitas nunquam excidit, id est ab homine se habenti nunquam labitur, nunquam cadit ; *sive prophetiæ evacuabuntur :* prophetia est quæ de futuro D loquitur. Quod cum venerit, non erit jam necesse ut prophetetur. Ponatur unum exemplum pro omnibus. Prophetatur Christus ad judicium venturus : eo veniente non erit necesse ut hæc prophetia recitetur amplius : sic de cæteris intelligendum. *Sive linguæ cessabunt*, quoniam sicut ante turrim Babel una erat lingua Hebræa, sicut quidam putant doctores, expleto judicio, ipsa remanebit una. Revera in multis linguis varietas est, et ubi est varietas, ibi dissensio. In sanctorum regno non erit dissensio, ergo nec linguarum varietas. *Sive scientia destructur;* præsens scientia quæ ex parte nunc habetur, cum plenitudo scientiæ venerit, eo quod sit imperfecta, destruetur, id est in melius commutabitur.

Ex parte enim cognoscimus, non ex toto, de Deo et de beatitudine sanctorum, *et ex parte prophetamus*. Quia quod ex parte scimus, etiam ex parte prophetamus.

Cum autem venerit quod perfectum est, id est quod totum est et integrum, quando revelata facie, ipsum Deum contemplabuntur electi sicuti est, quasi exinanietur et annihilabitur, *quod ex parte est*, sicut ait Joannes : *Charissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus. Scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III).

Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus. Comparationem dat naturalis incrementi, et adhibetur exemplum humanum, quo ostendit scientiam quam habemus in præsenti, esse quasi infantiam et futuram, esse quasi virile robur quod habiturum sit perfectam abundantiam. *Cum essem*, inquit, *parvulus, loquebar ut parvulus*, balbutiendo et imperfecta verba promendo ; *sapiebam ut parvulus*, levia scilicet et inconvenientia ; *cogitabam ut parvulus*, de locis scilicet et risui habilibus. *Quando autem factus sum vir*, et cœpi sapere perfectius, *evacuavi*, id est contempsi *quæ erant parvuli*, quia quæ antea expetebam, abhorrere cœpi. In hac ergo vita parvuli sumus ad comparationem futuræ vitæ : quia sicut vita hæc imperfecta est, ita et scientia.

Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Ad hoc tendit præmissa comparatio, sicuti quis videt per speculum vultum suum, et inde discedens obliviscitur qualis fuerit, sic et nos de Deo et vita futura parum quid perspicimus. Et hoc in ænigmate, id est in obscuritate, quia cum simus carnei, ea quæ sola spiritalia sunt, ad liquidum capere nequimus. Tunc autem, id est in futuro, facie ad faciem, id est præsentes præsentem Deum videbimus. *Nunc cognosco ex parte* Deum : *tunc autem cognoscam* ex toto, *sicut et cognitus sum*, modo a Deo qui interius exteriusque totum me novit. Et sciendum quia *sicut* non semper pro æqualitate ponitur. Aliter enim cognoscimur a Deo, et aliter cognoscimus eum : quia ille cognoscit cuncta ut Deus, nos cognoscimus illum ut creatura per ejus donum ; verumtamen sicut ille novit non ex toto, sic et nos ex toto cognoscemus illum. Ille cognovit nos ut Deum decet, nos cognoscemus illum ut glorificatæ creaturæ conveniet. *Nunc autem manent fides, spes, charitas :* tria hæc. Hæ tres virtutes modo junctæ sunt adinvicem, et ita in hujus vitæ tempore copulantur, ut una sine altera stare non possit. Qui enim credit in Deum, sperat quæ ab ipso promittuntur se percepturum, et quo magis sperat, eo magis credit in illum et ideo habet charitatem ; quia diligit eum et proximum. Ea enim quæ credimus esse nobis promissa, etiam nos accepturos speramus. His vero delectati, amplius in charitate fervemus. Veraciter enim credere non possumus, nisi ea quæ promissa sunt speremus, nec poterimus sustinere promissa, si desit fidei fidelitas firma. Nec aderit fructus spei,

vel stabilitas fidei, nisi fuerit perfecta charitas Chri- A sti in nobis, quæ et fidem ut præcedat adjuvet, et spem exspectatione corroboret. *Major autem his,* subaudis virtutibus, fide videlicet ac spe, *charitas est.* Nimirum Filius Dei charitate, id est dilectione, et non nostris meritis homo factus est et Redemptor mundi : qui dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Per hanc Deus Pater misit eumdem Filium suum in mundum, hanc Spiritus sanctus infundit cordibus electorum. Fides namque est, qua Deum trinitatem habere in personis, et unitatem iu substantia credimus, mysteria quoque incarnationis et passionis Filii Dei. Spes vero est exspectatio futurorum bonorum, quæ nec dum aspeximus, nec consecuti in re sumus. Charitas, qua Deum proximum- B que diligimus. Cum Deum, in quo sunt præmia quæ præstolantur electi, facie ad faciem viderint, nihil remanebit quod de futuris credant, aut ultra sperent. Diligent vero per charitatem datorem omnium bonorum operum : diligent et proximum gaudentes de illis, sicut et de seipsis. Ideo ergo charitas major est fide ac spe, quia, illis cessantibus ac deficientibus, ipsa remanebit. In præsenti sæculo cum ipsis est, et ipsa sola in æternum perseverabit. Ipsa sola perducet nos ad Christum, ipsa sola fruetur gaudio sempiterno, et præsentissimo vultu omnipotentis Dei, etc.

SERMO ET TRACTATIO SUPERIORUM.

Jam qualis et quanta sit charitas, non pedum via, C sed morum, Apostolo docente, discamus. *Si linguis,* inquit, *hominum loquar et angelorum* (*I Cor.* XIII), etc. Hominum et Angelorum linguis, inanem facundiam quorumdam hominum significatam debemus accipere, quæ omnia quæcunque voluerint, accurate quidem atque eloquenter enuntiant Sed quamvis ornate copioseque disserant, tamen docendi officium vanitate placendi magis quam consulendi charitate suscipiunt, non ut alios doceant, sed ut se doctos ostendant : nec ut profectum, sed ut plausum a suis auditoribus quærant : si totam scientiæ diligentiam transferant mendaces ad linguam, et studiosius velint eloquentiam curare quam vitam, supercilio vanæ loquacitatis elati, dicta sua magis cupiant laudari quam fieri : nec sint de sanctitate operis, sed de ser- D monis elucubrati venustate solliciti. Nunquid merito tales æramento sonanti aut tinnienti cymbalo comparantur qui in modum tinnientis æramenti vel cymbali præclara quæque magis appetunt sonare quam facere : vel erubescunt a seipsis, aliter vivendo quam prædicant discrepare? Qui ut quoque modo turpitudinem suæ conversationis obnubilent, honesta prædicare non cessant : non ut auditores sui eorum prædicatione proficiant, sed ut et ipsi videantur curare quæ prædicant. Sed videamus quæ his annectat Apostolus : *Si habuero,* inquit, *prophetiam, et noverim mysteria omnia* (*Ibid.*), etc Non hoc ita dicitur quasi aliqua bona sine charitate aliqui habere non possint, sed quia nihil prosint habentibus ea, si a charitate defecerint. Ipsa autem et hinc necessaria est, ut omnia bona, summum bonum, id est charitatem, habentibus prosint. Ipsa etiam perfecta permanebit, cum omnes perseverantes in se, ad visionem Dei perduxerit. Cæterum prophetia et mysteriorum omnium notitia vel scientia, nec non et ipsa fides, et cætera talia, quæ non solum perfectioni fidelium, sed etiam fragilitati necessaria judicantur, in illa perfectione sanctorum quo in charitate radicati tendunt, prævenientibus necessaria esse non poterunt, cum illis incomparabiliter meliora ac perfectiora successerint, quia nec prophetia ibi opus erit, cum ad illud quod futurum promittebat impleta perduxerit: nec scientia, quæ velut lucerna quædam in hujus sæculi nocte fideles illuminat, cum in illius vitæ die perpetuo sol vivus effulserit. Nec mysteriorum notitia, aut ipsa fides necessaria erit, quando ad ea quæ per mysterium significabantur et credebantur ex fide perfectio Christiana pervenerit. Charitas vero hic quidem necessaria est, quæ nos separat a diabolo, purificat a peccato, reconciliat Deo; sed ibi perfecta erit, cum perfectos Deo, a quo est eis donata, conjunxerit. Adhuc Apostolus, laudem divinæ charitatis amplificans, adjungit, inquiens: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*Ibid.*). Nec quidem immerito Si enim non quid, sed propter quid faciamus, in illa ultima examinatione quærendum est, eleemosynæ, vel traditio corporis proprii in mortem, quid proderunt non habentibus charitatem? Ipsa ergo habenda est, ipsa est sectanda, sine qua nec eleemosynæ nec mortificatio sive occisio corporis, nec illa omnia superius dicta, vel alia quamvis bona perducunt aliquos ad salutem, quia quælibet actio bona vel passio, si ex fide, quæ per dilectionem operatur, non exstiterint, nobis prodesse non potuerunt. Quapropter nil eis peccati damnabilis remanere poterit, nec deerit aliquid boni, quibus charitas omnis inquinamenti mundatio, et bonorum omnium mater adfuerit. Quoniam quidem *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (*Ibid.*), eis in quibus fuerit, omnia ista quæ habet impartit. Et quid illis esse potest in hac vita perfectius, qui tantis abundant, charitate in se regnante, virtutibus? Merito proinde quando videmus aliquos patientiæ mole fundatos inconcussum pectus sævientibus malis opponere, abundantia sanctæ benignitatis locupletatos, bonum suum velle cum omnibus habere commune, non aliquibus ardentis invidiæ facibus coqui, non agere perperam, sed simpliciter cum omnibus quibus debet unitas charitatis exhiberi; nullo fastu perniciosæ vanitatis inflari; nihil eorum quæ sunt aliena crimine cupiditatis ambire : quæ sunt sua, piæ communionis bono non quærere: nulli malum, quibuslibet irritatus injuriis, cogitare; non super alicujus iniquitate, sed de veritate [*Al.* virtute] gaudere : om-

nes inquietos vel inquietudines fundata animi tranquillitate sufferre: post hanc vitam divinitus pœnas comminatas credere non metuendo, promissa præmia sperare gaudendo, revelationem filiorum Dei desiderare, fortiter sustinendo: quando ergo videmus ista et his similia bona aliquos posse, noverimus non eos magnitudine virtutis suæ posse quod volunt ardenter et faciunt, sed beneficio illius charitatis, quæ non est ex nobis, sed *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* v).

CAPUT XIV.

Sectamini autem *charitatem*, id est persequimini. Hoc verbum continuationem rei significat, sicut et ibi: *Hospitalitatem sectantes* (*Rom.* XII). *Æmulamini spiritualia*, subaudis dona, id est imitamini, studetote inquirere dona spiritalia, quæ per Spiritum sanctum dantur, ut virtutes operemini linguis loquendo, dæmones ejiciendo, sed *magis* æmulamini et diligite *ut prophetetis*, id est, ut aperte prophetas cæterosque libros Veteris et Novi Testamenti exponatis. Hoc quisquis agit propheta est, quoniam per charitatem qua consulit cæteris, habet Spiritum sanctum, qui locutus est in prophetis.

Qui enim loquitur lingua, subaudis incognita et peregrina, vel in obscuritate sermonis, *non hominibus loquitur*, quia non intelligitur quod ab eo dicitur, *sed Deo*, qui novit omnes linguas, et super novit non prolatas. *Nemo enim audit*, id est, nemo astantium intelligit quæ ille loquitur. *Spiritus enim*, sanctus subaudis, *loquitur mysteria*, id est occulta, per illum hominem in quo habitat, cui peritiam et notitiam illius linguæ contulit: audientes autem quod non norunt illam linguam latent eadem mysteria.

Nam qui prophetat, id est qui prophetas aliasque scripturas aperto sermone docet, *hominibus loquitur ad ædificationem* intellectus, quia intelligunt quæ proferuntur a doctore, et solutionem quæstionum addiscunt, et exhortationem, quia exhortatur alios ut desiderium habeant explanandi, et possint aliis exponere, et consolationem, quam accipiunt in lingua sibi cognita, unde alii extolluntur in ignota.

Qui loquitur lingua, subaudis incognita aliis, aut in obscuritate sermonis, *semetipsum ædificat*, et non alios, quia ipse tantummodo intelligit quid loquatur: *qui autem prophetat*, manifeste loquens prophetas explanando, *Ecclesiam Dei ædificat*, id est conventum fidelium. Ne dicerent Corinthii: Invides nobis, apostole Paule, loqui linguis; subdit idem Apostolus:

Volo autem vos omnes loqui linguis, subaudis variis, *magis autem* volo *ut prophetetis*, id est ut dicta sacrarum Scripturarum obscura in lucem producatis aperte explanando. *Nam major est qui prophetat*, id est qui aperte docet exponendo prophetas, *quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur* plano sermone hoc quod loquitur in alia lingua, *ut Ecclesia ædificationem accipiat* ex ejus interpretatione. Si interpretari potest ille qui loquitur linguis, non erit minor illo qui explanat prophetas, quia et ipse similiter Ecclesiam ædificat. Hoc enim majus est quod omnibus prodest

Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid prodero vobis? subaudis si locutus fuero lingua incognita, *nisi vobis loquar aut in revelatione*, id est interpretatione manifestoque sermone, *aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina.* Hæc quatuor unum significant.

Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, id est rota, *nisi distinctionem sonituum dederint*, ut secundum acumen aut gravitatem vocis sonitus distribuatur, *quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur?* De instrumentis musicis hoc dicit, quia sicut sonitus citharæ et tibiæ insuavis est, nisi distincte personaverit, ita vox prædicatoris sive doctoris nullam utilitatem præstat, neque delectat audientes, si non intellexerint quæ loquitur.

Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Fuit mos apud Judæos, ut in initiis mensium clangerent tubis, et in solemnitate tabernaculorum. Unde et festivitas tubarum appellatur, sicut ait Psalmista: *Buccinate in neomenia tuba in insigni die solemnitatis vestræ* (*Psal.* XXX). Erat etiam mos ut imminente bello tubis buccinarent, et erat in sonitu differentia, quando ad bellum, et quando invitabant ad diem festum. Si ergo confuse quis tubas audisset insonare, ad quid debuisset se præparare quomodo poterat scire? sic doctore lingua incognita loquente, aut in obscuritate, quomodo auditor poterit intelligere? ac si diceret: Sicut cum vox tubæ incerta fuerit, utrum solemnitas vox sit an belli nemo discernit, ita et vos, si cœperitis loqui variis linguis, ignorabunt auditores vestram prædicationem. Vester autem sermo intelligi debet, ut possit ad spiritale bellum Christi milites præparare.

Eritis enim in aera, id est inaniter, *loquentes.*

Tam multa, utputa genera linguarum sunt, id est, quot genera sunt linguarum, *in hoc mundo; et nihil sine voce est*, id est, sic erit auditori, si lingua ei incognita locuti fueritis, quasi omnes linguas proferatis, quia sicut quod omnibus ei loqueretur, non prodesset, sic et vos nihil prodestis una aut duabus linguis incognitis loquentes. In quibus linguis nihil sine voce est, et tamen illarum vox non capitur ab illis qui notitiam linguæ non habent. Ideoque inaniter profertur sermo qui non intelligitur.

Si ergo nesciero virtutem, sive intellectum, *vocis*, auditæ, *ero ei, cui loquar, barbarus, et qui loquitur mihi, barbarus.* Verbi gratia: Ego sum Græcus, tu Hebræus, si tibi loqui cœpero Græce, videbor barbarus: similiter et te loquente mihi Hebraice, videberis barbarus. Aliter: Profero symbolum Græce, quia sic reperi illud scriptum et sum Latinus, non Græcus, barbarus tibi sum. Iterum si tu Græci sermonis aliquid didicisti, et cœperis similiter loqui,

qui primum videbar tibi barbarus, cerno te quasi barbarum mihi.

Sic et vos, quoniam æmulatores estis spirituum, id est, quia studium habetis spiritualium donorum *ad ædificationem Ecclesiæ, quærite*, ipsa dona Spiritus sancti habere, *ut abundetis*, fructificantes aliis. quoniam *qui loquitur lingua*, subaudis obscura et incognita, *oret ut interpretetur*, id est, oret Deum, ut det illi virtutem interpretandi, ut quod loquitur in una lingua, possit exponere aliis in alia.

Nam si orem lingua, subaudis incognita, et in obscuritate sermonis, *spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est*, id est vis animæ meæ, id est, ipsa anima quæ vivificat corpus profert verbum. Intellectus autem animæ meæ sine aliqua utilitate est, quoniam non intelligo quæ dico. Quod per spiritum intelligatur anima, ostendit evangelista inquiens de Domino : *Inclinato capite, emisit spiritum* (*Joan.* XIX), id est animam. Manifestum est, ignorare animum nostrum sive intellectum, si lingua loquatur quod nescit, sicut assolent Latini homines Græce cantare, oblectati sono verborum, nescientes tamen quid dicant. Quæ cantilena sine fructu intelligentiæ est, quem non habere potest qui ignorat quæ loquatur.

Quid ergo mihi est ? subaudis faciendum, vel quid est utile et necessarium. *Orabo spiritu*, id est, loquar anima, orabo et mente, id est loquar intellectu : quia illa sunt dicenda, quæ et proferantur utiliter et intelligantur manifeste.

Cæterum si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ, id est, si Spiritu sancto illuminatus bene docueris, et bene locutus fueris audientibus in lingua incognita, quis supplebit : vel quis adimplebit locum illius qui te audit et non intelligit verba tua? Idios dicitur proprius : unde dicituridiota, propriam linguam tantummodo sciens, in qua natus et nutritus est. Si igitur talis astiterit tibi, dum aut mysterium missæ solemniter celebras,aut sermonem facis, aut etiam benedictionem tribuis : *quomodo dicet : Amen, super tuam benedictionem ?* cum nescit quid dicas ; id est, quomodo respondebit verbum confirmatorium quod dicitur Amen, cum ille tantum linguæ propriæ peritus, ignoret quod tu barbara illa loquaris? Non aderit alius pro illo, sciens quid tu dicas, respondeat : Amen, id est, verum est quod tu dixisti, vel fiat ita. Nescit quippe ubi sermonis clausula finiatur, quoniam quid dicas nescit.

Tu quidem bene gratias agis, subaudis Deo, in lingua tibi nota, *sed alter non ædificatur*, qui nescit quid dicas. Et ne dicerent Corinthii de Apostolo, quod ipse non habet varietatem linguarum, non vult ut nos habeamus, subjunxit :

Gratias ago Deo quod omnium vestrum lingua loquor. Quinque sunt differentiæ Græcæ linguæ, sicut in Prisciani dictis prudens lector invenire potest. Omnes has noverat Apostolus et plures alias. In *ecclesia volo quinque verba meo sensu loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingua*, subaudis incognita aliis, vel in obscuritate sermonis. Simpliciter accipe : Malo, inquit, sic quinque verba proferre in conventu fidelium, ut intelligatur ab aliis, quam decem millia sine profectu aliorum. Utilius dicit paucis verbis in apertione sermonis loqui, quod omnes intelligunt, quam prolixam orationem habere in obscuro.

Nolite pueri effici sensibus. Puerilis est sensu, id est pueriliter agit, qui obscuro et polito sermone propter jactantiam loqui quærit : *sed malitia parvuli estote*, id est, alieni sitis a malitia, sicuti sunt parvuli. *Sensibus autem perfecti estote.* Sensu perfectus est, qui sic alterius utilitatem, sicut suam, quærit.

In aliis linguis et labiis aliis loquar populo huic : unum significat quod dicit linguis et labiis. Hoc in Isaiæ libro (*Isa.* XXVIII), qui nunc lex appellatur, scriptum est, et hæc prophetia super Novo Testamento prædicta est. In lege Moysi peccantes variis modis puniebantur ex præcepto Domini. Alia lingua loquitur Deus in Evangelio, quia peccatores non præcipit occidi, sed ad pœnitentiam hortatur, dicens : *Pœnitentiam agite* (*Matth.* III), et reliqua. Ibi commendabat circumcisionem, in Evangelio baptismum, dicens (*Matth.* XXVIII): Ite, baptizate omnes gentes; ibi Sabbatum hisdiem Dominicum, etotium a peccatis : ibi sacrificia pecorum, hic corporis et sanguinis sui mysterium. *Et nec sic exaudient*, increduli Judæi Dominum, id est, non obedierunt illi. Vel aliter, secundum præcedentem disputationem Apostoli : Die *pentecostes* venit *Spiritus* sanctus super credentes in Hierusalem, *et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. Aderant Judæi ex omni natione quæ sub cœlo est, et qui prædestinati erant, versi in admirationem, crediderunt in Christum et salvi facti sunt. Cæteri vero, licet tam mira audirent, noluerunt Christo credere per apostolos ejus linguis loquentes.

Linguæ in signum sunt, id est, in miraculum sunt, non fidelibus qui sciunt nihil Deo impossibile esse, sed infidelibus, qui de Dei potentia dubitant. Verbi gratia : Paulus loquebatur omnibus linguis, non propter se, sed propter incredulos diversarum gentium, quos Christo lucrari volebat. *Prophetiæ autem*, id est Scripturarumexpositiones, *non infidelibus* sunt, qui non audiunt Scripturas, *sed fidelibus*, qui diligunt eas.

Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur, et singuli sua lingua, *intrent autem idiotæ*, id est propria lingua contenti, et intrent *infideles*, sive pagani, *nonne dicent : Quid insanitis ?* id est, quid in amentiam vel in phrenesim versi estis ? Et hoc ideo quia omnes loquimini confuse, et quod dicitis non intelligunt.

Si autem omnes prophetent, id est Scripturas prophetarum explanant, *intret autem quis infidelis vel idiota*, rustica tantum lingua contentus, *convincitur ab omnibus*, subaudis infidelis esse aut idiota, *dijudicatur ab omnibus*, et quod nisi pœnitentiam agat

damnandus sit : *occulta cordis ejus manifesta fiunt*, id est cogitationes pravæ et vitia, quæ illos prædicatores putat latere : quia dum ipsi disputant contra vitia, manifesta sunt ab ipso, quia dicit : In veritate ista omnia cognosco in me esse. Sic refert beatus Augustinus quodam loco, quod aliquando dum faceret sermonem ad populum, introivit quidam scelestus homo, statimque se non attendente, sermo suus versus est contra illius hominis vitia. Ille autem considerans se pontifici a Deo revelatum, conversus est, et pœnitens salutem obtinuit. Sic et in vita sancti Cæsarii Arelatensis episcopi legitur, quod Spiritus sanctus ita sermonem ejus disponebat, ut omnium conscientias verbis suis concuteret, quasi sibi eas omnes auditores indicassent aut præ manibus haberet scriptas. *Et cadens in faciem*, infidelis vel idiota, humilians se, *adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit*, qui etiam suam conscientiam revelavit vobis.

Unusquisque vestrum psalmum habet, de quo debet disputare ; *doctrinam habet*, id est expositionem librorum ; *apocalypsim habet*, id est revelationem a Deo sibi in corde manifestatam, per quam valet intelligere divinas Scripturas ; *linguam habet*, quam proferat, *et interpretationem*, dicens : Sic dicitur iste sermo in illa lingua, et sic resolvitur in nostra.

Sive lingua, videlicet ignota, *quis loquitur, secundum duos*, subaudis fiat illa allocutio, *aut ut multum tres*, id est aut quod multum est, secundum tres fiat, *et per partes*, subaudis loquantur non simul, ne videantur esse amentes, si omnes cœperint, *et unus interpretetur*, id est unus sit interpres, qui exponat et interpretetur illorum linguam obscuram, vel etiam ideo præcipit loqui per partes, ut interpres possit interpretari per singulos : et est sensus : In conventu unus, aut duo vel tres loquantur, nec ipsi simul sed per partes : ita ut quod unusquisque loquitur, ab interprete manifestari possit astantibus.

Si autem non fuerit interpres, taceat, subaudis doctor qui habet linguam incognitam, *sibi autem loquatur et Deo*, orando et legendo : quia ipsi cuncta nota sunt linguarum verba. *Prophetæ*, id est explanatores, *aut duo aut tres dicant*, sive loquantur, quia in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum ; *cæteri* vero, subaudis prophetæ et doctores, sive explanatores prophetarum, *dijudicent*, si quid amplius aut minus loqui necesse sit, et discernant etiam utrum secundum veritatem fidei illi doceant.

Quod si alii sedenti revelatum fuerit a sancto Spiritu aliter quam ille dicat, aut aliud, *prior* qui loquebatur, *taceat* ad horam. Secundum morem Judæorum loquitur, qui hoc ordine residebant in synagogis suis, videlicet ut scribæ et Pharisæi doctoresque legis sederent in cathedris : qui minoris dignitatis erant, in subselliis et in scamnis. Vulgaris vero populus et simplices quique in pavimento et super mattas residebant. Inde dicit Apostolus : Si illi fuerit revelatum qui sedet in cathedra, aliter quam expositor loquatur, aut alicui horum qui sedent in subselliis vel in pavimento, taceat qui antea loquebatur.

Potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant, et omnes exhortentur. Sicut doctores non æquali peritia imbuti sunt, ita et auditores quadam inæqualitate capacitatis differri probantur. Ideoque perfecte docti, perfectos auditores in sensu doceant : minus docti, minus capaces instruant. Sic singuli possunt prophetare, id est docere per singulos, ut unus post unum loquatur, et sic per ordinem prædicatio ab omnibus expleatur.

Spiritus prophetarum prophetis subjectus est. Spiritus sanctus qui locutus est per Isaiam, Jeremiam, et reliquos prophetas Veteris Testamenti, per prophetas quoque Novi Testamenti, sicut fuerunt apostoli et explanatores prophetarum, qui prophetæ non immerito appellantur, illis omnibus Spiritus sanctus subjectus est quodammodo, quoniam non cogit subito in vocem prorumpere, sicut malignus spiritus energumenos et arreptitios, sed eorum potestati tribuit quando loquantur, et quando sileant. Verbi gratia : Propheta, id est prædicator quilibet, vult sermonem ad populum facere, veluti Hieronymus alicujus prophetæ librum exponere ; adest ei Spiritus ut instruat et loquatur per illum ut cœperit loqui, non tamen illico ut tetigerit librum, facit eum erumpere in vocem velut phreneticum. Et bene idem Spiritus sanctus, qui fuit olim in prophetis, dicitur esse in explanatoribus illorum, quoniam aliter non valuissent explanare verba Spiritus sancti, neque in lucem producere obscuritatem illorum. Aliter : Si legerimus in plurali numero, spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt, necesse est ut intelligamus per spiritum dona Spiritus sancti, id est linguas, virtutes, ejectiones dæmonum, sapientiam, consilium et reliqua. Hæc autem dona sic sunt electis subdita, ut quando volunt exerceant illa : et quando volunt, retineant quasi occulta. His verbis datur intelligi, quod, licet multi simul doctores sint, qui noverunt per Spiritum sanctum quid loqui debeant, non tamen ita ab ipso Spiritu sancto impelluntur, ut uno loquente, tacere alii non valeant.

Non enim dissensionis est Deus, sed pacis, quia Deus pacem, et non dissensionem docuit. Quando unus adversus alterum tumens, illo adhuc loquente, loqui tentabat, dissensionem faciebat : et Deo exsecrabile erat. *Sicut et in omnibus ecclesiis, sic*, subaudis et vos, *doceo*, ut unus vel duo, aut certe tres in conventu doceant : et partes, ut unus interpretetur : et si interpres defuerit, taceant.

Mulieres in ecclesia taceant, ne seminent errorem, sicut Eva prima mulier fecit (*Gen.* II) ; *sed subditæ debent esse* viris : quia mulier de viro sumpta est, non vir de muliere : et quia per eam vir seductus est. *Sicut et lex dicit*, id est Deus per Genesim inquiens : *Sub viri potestate eris* (*Gen.* III).

An a vobis, o Corinthii, *verbum Dei processit?*

subaudis ad alios. Inflabantur Corinthii, quasi exemplo illorum cæteræ gentes invitæ credidissent in Christum, et ab illis esset diffamatum. Ideo ait Apostolus: An a vobis verbum Dei, id est fides Christi vel ejus Evangelium, processit ad alias gentes? Inflammabantur etiam in hoc, quasi solis illis salus quæ in Christo est per patriarchas et prophetas fuisset promissa : et hoc est quod dicit : *aut in vos solos pervenit?* verbum Dei.

Si quis videtur propheta esse, id est sapiens doctor et explanator Scripturarum, *aut spiritalis,* id est, qui spiritalia capere possit, *cognoscat quæ scribo, quia Domini mandata sunt,* id est, intelligat et approbet quia Domini est mandatum. Pseudoapostoli a seipsis et a diabolo loquebantur, apostolus autem Paulus et reliqui Dei mandata proferebant Ideoque his verbis tangit eos qui pro lucris temporalibus et desideriis hominum non divina, sed terrena docebant.

Si quis autem ignorat, subaudis hæc mandata Domini, *ignorabitur;* id est, si quis repudiat, vel non approbat hæc mandata Domini, repudiabitur, nec approbabitur a Domino in die judicii.

Itaque, fratres, mei in fide, *æmulamini,* id est, studetote et diligite prophetare, id est Scripturam interpretari, et aperte exponere, etiam si quis vult vel potest *linguis loqui, nolite prohibere,* tantum ut habeat interpretem. *Omnia autem honeste fiant in vobis,* id est cum decore.

CAPUT XV.

Notum autem vobis facio, fratres, id est, ad memoriam vobis reduco, *Evangelium quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini.* Fuerat Apostolus apud Corinthios per unum annum et sex menses, prædicans illis Evangelium ; sed, post ejus discessum, introierunt in eos pseudoapostoli, qui negabant Christum ex virgine natum, passum, a mortuis suscitatum : negabant quoque resurrectionem generalem futuram. Idcirco compulsus Apostolus recapitulat quæ illos præsens docuerat. Unde dicit : Notum vobis facio Evangelium quod accepistis, sive suscepistis a me : vel acceptum habuistis, in quo et statis. In unaquaque plebe fideli duo sunt populi : perfecti, et imperfecti; sed hic perfectos in fide alloquitur. Iterum contra imperfectos subjunxit : *Qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.* Litteratura hujus versiculi minus quiddam sensus videtur habere, quia pulchrius sonat in Græco. Notandumque illud interrogative atque increpative esse legendum. Igitur dicatur ita : Quid utilitatis accepistis in hoc, quod prædicavi vobis, si modo decepti a pseudoapostolis aliter tenetis, nisi quia frustra sive inaniter credidistis, in hoc quod a fide recessistis ? Dicit ergo: Qua ratione sive qua utilitate prædicaverim vobis verbum fidei, si tenetis, subaudis modo aliter quam tunc audistis, nisi quia frustra credidistis ? An me prædicante adepti estis fidem superfluam, et non veram? Non est ita, quia vera vos docui et non falsa, veramque fidem, et credulitatem. Ergo qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi quod frustra credidistis ignoro. Frustra credit, qui ab ipsa fide postmodum recedit. Jam in sequentibus exponit quid prædicaverit.

Tradidi enim vobis in primis, id est in exordio meæ prædicationis, *quod et accepi,* subaudis a Christo, *quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas.* Scripturas Veteris Testamenti memorat, quæ futuram passionem Christi cecinerunt. Dicit enim Isaias : *Sicut ovis ad accisionem ducetur, et sicut agnus non aperiet os suum* (*Isa.* LIII). *Et quia sepultus est,* subaudis secundum Scripturas, *dabit,* inquit propheta, *impios* Judæos *pro sepultura et divitem pro morte sua* (*Ibid.*) ; et iterum : *Erit,* inquit, *sepulcrum ejus gloriosum* (*Isa.* XI). Mortuum enim eum nulli dubium est et sepultum. *Et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas,* vivificabit nos post duos dies, in tertia suscitabit nos ; *et quia visus est Cephæ.* Cephas Syrum est et Hebræum, Petrus Græcum et Latinum. Licet certum locum non definiant Evangelistæ ubi apparuerit ei, tamen credendum est, quia apparuerit ei. *Et post hæc undecim :* octava videlicet die resurrectionis suæ, quando cum aliis erat Thomas.

Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, id est credentibus. Hoc quoque verum est, licet evangelistæ non commemorent. *Ex quibus multi manent,* in corpore, *usque adhuc,* subaudis quos si vultis interrogare potestis ; quidam autem dormierunt, id est mortui sunt, quod ideo dicit, quia facilius poterunt suscitari a Christo de somno mortis, quam quis a socio suo de somno lectuli. *Deinde visus est Jacobo,* qui spoponderat in cœna Domini non se manducaturum aut bibiturum donec videret Christum a mortuis suscitatum. *Deinde apostolis omnibus,* in monte ubi constituerat eos ire, et quando cœlos petiit. *Novissime autem omnium, tanquam abortivo visus est et mihi.* Abortivus est, qui sine legitimo tempore nascendi nascitur : extra tempus videlicet congruum, aut antequam debeat nasci, aut post. Ut Julius Cæsar fuit abortivus qui post legitimum tempus cum cæsarie natus est, secto matris utero : sic et Apostolus abortivus quodammodo extitit, quia post tempus natus est in Christo, quia non ab illo vocatus est cum adhuc esset in carne, sed cum jam in dextera Patris esset collocatus ; vel abortivus est, quia sicut de vita abortivi desperatur, sic et de vita Pauli desperabatur a fidelibus, quando eos persequebatur. Qui utique perpetuum incurrisset mortem, nisi ei a Christo fuisset subventum. Visus est autem ei de cœlo post non parvum tempus ascensionis suæ, quando cæcatus est in via dum pergeret Damascum (*Act.* IX), et postea oranti in templo.

Ego enim sum minimus apostolorum. Causa humilitatis hoc dicit, sicut et Matthæus qui vocat se publicanum. Vel etiam minimus est tempore et vo-

catione, quia ultimus est vocatus. Maximus autem labore, dignitate et prædicatione, sicut ipse in sequentibus manifestat, ubi dicit: *Abundantius siquidem omnibus illis laboravi.*

Gratia autem Dei sum id quod sum, id est, credo quod sum apostolus et prædicator Evangelii, totum est Dei gratia. *Et ejus gratia in me vacua non fuit.* Per liberum arbitrium cooperatus est gratiæ Dei. Ipsa tamen gratia prævenit eum ut vellet, et subsecuta est, ut posset implere quod volebat, et in hoc quod voluntatem suam junxit voluntati Dei, ideo dignus est remuneratione. *Abundantius autem omnibus illis laboravi*, quia illi solis Judæis et singulis provinciis prædicaverunt. Paulus autem et Judæis et Gentibus prædicavit, pene universum mundum perambulans, aut per se, aut per epistolas suas. Vel etiam in hoc plus illis laboravit, quia illi ex prædicatione victum secundum Evangelium accipiebant: Paulus vero non est usus hac potestate, sed labore manuum suarum vivebat. Vel plus laboravit, quia illi Judæis (qui habebant Scripturas quibus vitia damnabantur, et virtutes augebantur) prædicaverunt, et factis miraculis, facilis doctrina suspiciebatur illorum, quia illi cognitionem unius Dei habebant; Paulus vero gentibus, vitia virtutesque nescientibus. Illi Judæis prophetiam de Christo habentibus prædicabant, cui concordabant quæ de Christo prædicabantur. Paulus gentibus nullam de Christo prophetiam habentibus. *Non ego autem*, subaudis solus laboravi, *sed gratia Dei mecum*. Si autem Christus prædicatur in miraculis, et in auditoribus corda eorum tangendo et illustrando ad credendum, et mihi verbum prædicationis ministrando.

Sive enim ego, sive illi, subaudis alii apostoli, *sic prædicavimus*, subaudis sicut supra commemoravi, quod Christus mortuus surrexit, cœlos ascendit, etc.

Invenimur autem et falsi testes Dei, id est pro Deo testimonium ferentes, invenimur falsi: *quoniam testimonium diximus adversus Deum quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit*, subaudis, ut quidam dicunt, *si mortui non resurgunt*. In his locis, syllogismis dialecticis utitur Apostolus, et videtur negare quod confirmat. Non sunt enim falsi testes apostoli: quia et Christus surrexit, et mortui resurgent. Et si ita est, ut quidam vestrum dicunt, *adhuc estis in peccatis vestris*, quia baptizati in fide mortis Christi et resurrectionis fuistis, ut remissionem acciperetis peccatorum. Ergo non credentes Christum resurrexisse, in peccatis suis manebant, quia baptismus non prodest, nisi in fide Christi.

Ergo et qui dormierunt in Christo, id est credentes ex vobis in Christum, quia jam mortui sunt, *perierunt*, subaudis si ita est ut vos putatis. Denegando talia dicit, loquens dialectice.

Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, subaudis et non in alia quæ erit post resurrectionem, *miserabiliores*, sive miseriores, *sumus omnibus hominibus*, infidelibus: quia illi hac vita fruuntur, luxuriantur, crapulantur, inebriantur, lætantur etiam cum malefecerint et exsultant in rebus pessimis. Nos econtra qui in Christum credimus, jejunamus, vigilamus, ab uxoribus abstinemus, ab illicitis cavemus, multa adversa et incommoda pro Christo sustinemus. Sed sancti in hac vita sperant in Christo, credentes se mundatos ab ipso a peccatis suis, et in alia sperant resurrectionem beatitudinemque perennem: et sic firmantur in hac spe, quasi jam totum illud possideant in re.

Nunc autem, id est in hac ætate in qua sumus, *Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium.*

Primitias dormientium dicit Christum quia ipse caput est omnium electorum, ipse primus propria virtute, et ad hoc ut jam non moriatur, resurrexit a mortuis. *Quoniam quidem per* unum *hominem*, Adam *mors* animæ et corporis venit, *et per* unum *hominem*, Christum, *resurrectio mortuorum*, bonorum malorumque.

Unusquisque autem in suo ordine. Ne dicerent illi, et forsitan dicebant: Quare justi qui ante Christum mortui sunt, ante eum non resurrexerunt? Quia per cujus virtutem quidam illorum surrexerunt et omnes homines surrecturi sunt *Primitiæ* debuit esse dormientium id est primus debuit resurgere, sicut et fecit: deinde omnes in suo ordine, subaudis, aut jam resurrexerunt aut resurrecturi sunt, post Christum videlicet, qui resurrexit primus. *Deinde hi qui sunt Christi, in adventu ejus.* Quidam codices habent: Deinde qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. Sed falso scriptum est. Deinde, inquit, hi qui sunt Christi, resurgent in adventu ejus cum venerit ad judicium. Christi sunt, qui in eum credunt, et crediderunt ante adventum ejus.

Deinde finis, subaudis erit mundi; finis namque mundi, resurrectio erit, *cum tradiderit regnum Deo et Patri*. Deus Pater omnia tradidit Filio, sicut ipse ait: *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo* (*Matth.* XI). Et Paulus dicit, quod tunc sit finis mundi venturus, cum tradiderit regnum Filius Patri suo, qui est Deus. Sed quia istud regnum sic Filio a Patre, et Patri a Filio traditur, ut communiter ab utroque possideatur, dicendum breviter, quod Pater homini Filio a Verbo sumpto, omnia tradiderit, ut sicut in Filio divinitas et humanitas una est persona, sic una sit et possessio. Illi enim homini tunc cuncta tradidit, quando ab unigenito suo suscipi voluit. Idem Filius in fine regnum Deo et Patri tradet, cum electos suos quos suo sanguine acquisivit, ad contemplationem cognitionemque Dei Patris perduxerit ostendens ejus regnantem Deum Patrem cum seipso et Spiritu sancto. Et tunc aperte scient, quomodo Deus Pater cum unigenito suo et Spiritu sancto regnet sine fine immensus et omnipotens: et quomodo trinitas est in personis, et unitas in substantia divinitatis. Vel certe tradet Filius regnum Deo et Patri, omnes videlicet electos, quia ipse videbitur in forma hominis in judicio, damnatisque justa sententia reprobis, omnes secum electos paterno vultui exhi-

bebit, ut qui hominem judicem viderunt munda conscientia, divinitatem Patris et Filii et Spiritus sancti contemplentur *Cum evacuaverit omnem principatum*, subaudis, tunc erit finis. Principantur in divinis spiritibus, archangeli angelis, sicut ipso nomine declarantur, et reliqua pandunt ordinum nomina. Principantur et homines hominibus, sed unus tunc erit princeps, Deus trinitas : quia cessabit omnis creaturæ potestas in angelis et hominibus. Cessabit timor, regnabit integra charitas : nec jam erit inter præsidentes et subditos ulla dissensio, ac propterea bonorum spirituum et justorum omnium princeps unus Deus erit, impleto quod scriptum est : Et regnabit Dominus solus in die illa. Unde et sequitur ;

Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Donec, aliquando ponitur pro *ut*, sicut in Psalmo ubi dicitur : *Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri* (*Psal.* CXXII), id est ut misereatur nostri. Ponitur etiam *donec*, pro *et*, ut in Evangelio de Maria et Joseph dicitur : *Et non cognoscebat eam donec peperit*, id est, et peperit *filium suum primogenitum* (*Matth.* I). Ponitur pro *semper* et continuatione temporis, ut in isto loco : et est sensus : Oportet Filium regnare donec ponat Deus Pater omnes inimicos sub pedibus ejus ; quod est dicere : Filius semper regnabit, quia Deus Pater semper subjiciet inimicos sub pedibus ejus Si per caput Christi divinitas ejus intelligitur, sicut Apostolus ait : *Caput Christi Deus* (*I Cor.* XI), per pedes non incongrue intelligitur humanitas ejus, quæ velut pedes visa est abjecta. Sed ei duobus modis inimici sive infideles subjiciuntur, videlicet dum aut conversi inspirante Deo credunt in Christum humanitus passum, mortuum, ab inferis per resurrectionis gloriam elapsum, aut etiam in sua duritia perdurantes, judicem eum discent, saltem in die judicii, bonorum malorumque, a quo justo judicio damnari se conspicient in pœnis suppliciorum.

Novissime autem inimica destruetur mors, quia postquam resurrexerint omnes, in ipsa resurrectione destruetur mors inimica, post cujus destructionem, nullam inimicitiam præsentis vitæ patietur humanum genus. Ubi enim vita erit æterna, nullum locum obtinebit mors. *Omnia* autem *subjecit* Deus Pater *sub pedibus ejus*, id est sub pedibus Filii. Omnia subjecit quæ fuerunt et erunt, inimica et amica, terrena et spiritalia, sive cœlestia subjecit potestati illius, *Cum autem dicat*, subaudis Psalmista David.

Omnia subjecta sunt ei, sine dubio, præter eum qui subjecit ei omnia : quia non Pater Filio, sed Filius debet esse subditus Patri, secundum quod homo est, nam secundum divinitatem, unius potentiæ, unius deitatis est cum Patre, sicuti unius essentiæ est cum illo.

Cum autem subjecta illi fuerint omnia, id est Filio, *tunc et ipse Filius subjectus erit ei*, id est Deo Patri, *qui sibi subjecit omnia*. Sunt quidem modo cuncta subjecta Filio, sed multi non attendunt ad hoc, neque considerant quod sub ejus potestate pressi sint quadam ignorantia, in die vero judicii nullus hoc ignorabit. Tunc et ipse Filius subjectus erit Deo Patri, caput videlicet cum corpore suo, quod est Ecclesia, unde dicitur alibi : Si ergo vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, id est unius Christi estis, vel unus Christus estis. *Ut sit Deus omnia in omnibus*, id est in omnibus electis erit Deus omnia, quia erit satietas illorum et lætitia, gaudium et exsultatio et vita, sicut ipse per prophetam ait : *Ero illis Deus* (*Levit.* XXV), id est ero illis unde satientur, unde lætentur : quia ita dubitabuntur præsentia Dei, et ita implebuntur omnes electi omnibus bonis omnibusque virtutibus, ut in ipso omnia bona possideant singuli. Erit enim Deus tunc in unoquoque patientia, sicut fuit in Job; obedientia, ut in Abraham ; mansuetudo, in Moyse ; virginitas, in Daniele ; sapientia, ut in Salomone ; et reliqua dona quæ modo divisa sunt electis, tunc possidebunt omnia singuli.

Alioqui, id est si mortui non resurgent, *quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Erant quidam apud Corinthios qui non credebant resurrectionem, et erant alii qui credebant illos resurrecturos qui baptizati moriebantur ; illos autem qui sine baptismo moriebantur, credebant aut non resurgere, aut male resurgere. Si quis istorum propinquus sine baptismi gratia migrasset de mundo, vivus aliquis in nomine illius baptizabatur : et putabant quod mortuo baptismus vivi prodesset. Quod factum commemorat Apostolus, non ut probet quod hujusmodi aliquid prodesset mortuo, sed ut ejus exemplo non credentibus resurrectionem suadeat et ostendat : quia si illi resurrectionem non crederent, nequaquam vivos pro mortuis baptizarent ; et est sensus : O Corinthii, si resurrectio non præcessit in Christo et in quibusdam qui resurrexerunt cum illo, nec futura est generaliter in omnibus, quid est hoc quod apud vos vivi baptizantur pro mortuis? Quod faciebant, ut diximus, ob duas causas ; vel quia non putabant resurrecturos, nisi baptizatos ; vel quia credebant non esse feliciter post resurrectionem victuros, nisi baptizatos sicut veritas se habet. *Ut quid et nos* apostoli *periclitamur*, id est pericula patimur *omni hora?* in fame, et siti, et reliquis angustiis.

Quotidie morior per vestram gloriam, fratres. Jurat Apostolus ut magis ei credatur ab auditoribus suis, et dicit : Juro ego per vestram gloriam, quam non vos habituri estis, sed per eam quam ego labore quo ego laboravi, in vobis habiturus sum, et si quotidie moriebatur, quomodo vivebat ? Quotidie, inquit, morior, id est pericula mortis sustineo. Si autem dixerimus : Quotidie, inquit, morior pro vestra gloria, sicut quidam codices habent, dicendum est, quia ipse propterea pericula mortis sustinebat, ut illi in regno æternæ beatitudinis glorificarentur, et est sensus ad superiora respiciens : Etiamsi vos proficere non vultis, ego tamen mercedem laboris habeo, unde et dicit : Per illam gloriam juro, quam habeo in

Christo Jesu. Securus et fixus in spe, talia loquebatur, quasi jam habens quod in futuro adepturus erat.

Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi, id est, *si* secundum quod homo pugnare potest, vel quantum homo ferre potest, *quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Bestias in hoc loco appellat homines bestiali more viventes, qui seditionem popularem adversum eum provocaverunt apud Ephesum propter Dianæ idolum, cujus culturam prædicabat Apostolus destruendam (*Act.* XIX). Omnis labor sanctorum ad hoc tendit, ut resurrectionis gloriam mereantur percipere. *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur*. Hæc vox desperantium Judæorum fuit, imminente captivitate sub Sennacherib et Nabuchodonosor, et hoc est testimonium ab Isaia prolatum. Positi enim in articulo mortis aiebant : *Manducemus et bibamus* : quia *cras moriemur* (*Isa.* XXII). Quod Apostolus refert ad illos, qui de resurrectione dubitabant. Et si ita est, inquit, ut vos putatis : videlicet si resurrectio futura non est, *manducemus* modo *et bibamus*, quia *cras moriemur* : et postmodum nihil mali patiemur. Et revera si resurrectio mortuorum non esset, manducandum et bibendum esset.

Nolite seduci, id est nolite decipi a pseudoapostolis, qui denegant resurrectionem : neque a diabolo, qui vos vult decipere. *Corrumpunt mores bonos colloquia prava* His verbis ostendit Apostolus, confabulationes malorum hominum et lascivientium evertere posse bonum propositum. Assiduitas enim pravi colloquii vitiat mentem. Ac per hoc cavendum est a talibus, quia vitam bonam et honestos atque verecundos mores corrumpunt et depravant colloquia mala, quoniam depravatio bonorum, allocutio est malorum.

Evigilate juste, et nolite peccare. Quidam codices habent : *Evigilate, justi*, quasi illos præciperet evigilare qui justi sunt sed falso scriptum est : quia qui justi sunt non indigent admoneri ut evigilent a somno infidelitatis, et a torpore erroris. Adverbialiter enim dixit, *Evigilate juste*, qui estis in somno erroris et infidelitatis, non credentes resurrectionem, et nolite peccare, ut, juste in bonis operibus conversantes, possitis ad gloriam resurgere. *Ignorantiam enim Dei quidam habent*, id est, quidam vestrum ignorantiam habent verborum Dei, quibus dicitur in Evangelio : Veniet hora quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, et procedent (*Joan.* V), et cætera. *Ad reverentiam*, id est ad utilitatem vestram, *vobis loquor*, ut Deum timeatis, et timendo ametis. Cassiodorus dicit quod reverentia est timor mistus amori.

Sed dicet aliquis, vestrum, subaudis dubitans de resurrectione. *Quomodo resurgent mortui ? Quali autem corpore venient ?* subaudis ad judicium.

Insipiens tu, quod seminas in terra, *non vivificatur, nisi prius moriatur*. Physica ratione utitur exemplo de grano alicujus seminis, quod moritur in terra quando seminatur, quia lacteum efficitur quod postea potentiam omnipotentis Dei vivificatur, et producit multa grana ex se. Quibus verbis ostendere vult mortua corpora rursus reparari ad vitam. Et granum *quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum*. Ibi manifestatur quod Deus qui sua potentia purum granum et nudum ab aristis et culmo resuscitat in radices, in culmum, stipulas, spicas, grana et aristas ipse quoque non nuda, sed immortalitate et incorruptione vestita, sua virtute, sanctorum resuscitabit corpora propriis spiritibus animata. Et sicut non aliud, sed granum quod seminatur, de terra pullulabit, sic non in alieno, sed in proprio resurget unusquisque hominum corpore, sicut Job ait : *In carne mea videbo Deum* (*Job.* XIX), quem visurus sum ego ipse, et non alius.

Non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum, id est omnis caro non est una et similis caro. Omnis quidem caro, quatuor elementorum admistione formatur, sed una ex origine diversa capiunt loca, ut volucres aerem, homines terram, pisces aquæ fluenta. Ergo sicut unumquodque animal proprium habet corpus, nec habere potest alterius, ita unusquisque homo suum, non alterius resumet corpus in die judicii. Et quemadmodum ex una impensa diversa est caro animantium, ita unius carnis homines diversi erunt dignitate in resurrectione, ut talis unusquisque appareat, qualis fuerit meritus.

Et corpora cœlestia sunt, et corpora terrestria. Corpora cœlestia sunt volatilium, terrestria hominum et animalium terram colentium. Vel, corpora cœlestia, sol, luna, stellæ quæ corporea sunt, utpote ignea. Nam et videtur *alia cœlestium gloria*, id est dignitas vel charitas ; *alia terrestrium*, in suo statu.

Stella enim a stella differt claritate, magnitudine, velocitate. *Alia claritas solis, alia lunæ*, etc. Sicut sol et luna ac stellæ cum sint unius generis, merito tamen dissimiles erunt in gloria, sicut ipse manifestat, subdens : Sic erit *et resurrectio mortuorum*, quoniam cum *multæ* sint *mansiones in domo Patris*, et pro diversitate meritorum erit retributio cœlestium præmiorum : non quod alibi iste, alibi ille sit remunerandus, sed sicut sol et luna ac stellæ omnes differentes a se claritate, in uno sunt cœlo, ita differentes electi meritis, omnes uno coronabuntur in regno. *Seminatur*, id est sepelitur corpus *in corruptione*, quia corrumpitur a vermibus, et scatet atque putrescit ; *surget in incorruptione*, quia postmodum nullo labore vel corruptione corrumpetur.

Seminatur in ignobilitate, id est sepelitur in ignominia *surget in gloria*, id est in incorruptione et in impassibilitate. Ignobilis dicitur, quasi sine nomine. Mortuum enim est sine nomine, quia jam non est homo, sed cadaver, quod a cadendo dicitur. Vel ignobilis, id est sine dignitatis nomine. Quid enim ignobilius carne mortua? vel quid iterum gloriosius in creaturis surgente ea et incorruptelam percipiente? *Seminatur in infirmitate*, quia se non potest movere : quoniam immobile redditum est; *surget in virtute*, subaudis Dei, vel in virtute qua ultra non

possit mori, quia vivet virtute æternitatis angelicæ.

Seminatur corpus animale, quod anima habuit; *surget corpus spiritale*. Sicut animale corpus non est anima, sed corpus, ita et spiritale corpus, non spiritum debemus putare sed corpus. Nam electorum corpora, ut ait Gregorius papa, in illa resurrectione erunt palpabilia per veritatem naturæ, sicut Dominicum corpus fuit post resurrectionem: quia veram carnem habebunt, sed subtiliora erunt per effectum divinæ potentiæ. Non erunt spiritus ut palpari et videri non possint, sed in hoc erunt spiritalia; quia sicut spiritus, id est anima nostra non potest mori, non indiget cibo et potu, ita et illa immortalia erunt, nec indigebunt cibo aut potu, ideoque dicit: *Seminatur corpus*, id est sepelitur; quia velut granum viriditate resurrectionis donabitur. *Si est corpus animale* modo in hac vita, *est et spiritale*, id est erit spiritale in alia vita quod non poterit mori: sicut est jam in Christo; et erit ita spiritale corpus, ut supra diximus.

Factus est primus homo Adam in animam viventem. Hoc scriptum est in Genesi. Quod vero sequitur, *novissimus Adam in spiritum vivificantem*, hoc Apostolus addidit de suo. Adam factus est in animam viventem, id est animalis factus est, et corpus ejus animatum est, ita ut si peccaret, sicut et fecit, mori potuisset, ideoque mortalis exstitit. Novissimus Adam, id est Christus, in spiritum vivificantem fuit, quoniam spiritus, quem inclinato capite emisit, in resurrectione corpus ejus vivificavit. Ergo animale corpus fuit in Adam, id est mortale: in Christo vero spiritale, quod per resurrectionem est glorificatum. Sed intuendum est quare Christus aut novissimus Adam aut secundus dicatur, cum multi inter Adam (de quo non est ambiguum quin primus sit) et inter Christum fuerint. Ad quod dicendum, quia videlicet in Adam peccatore, qui omnes peccatores genuit, comphrehenduntur omnes peccatores usque ad Christum. Christus autem sine peccato suos fideles in baptismate absque peccato facit esse, quoniam chirographum mortis penitus tollit. Itaque secundus vel novissimus Adam recte dicitur, non ordine sed facti imitatione, quoniam donec ad Christum per fidem ac baptismum transeas, ad primum Adam pertines, deinceps vero ad secundum Adam, qui prævaricationes primi remittat. Nam et tu primus es Adam usquequo baptizeris: secundus, cum baptizaris.

Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale est, deinde quod spiritale est, quoniam primus homo est mortalis, postmodum vero efficitur immortalis.

Primus homo, Adam, *de terra terrenus; secundus homo*, Christus, *de cœlo cœlestis*. Unde ipse ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo* (*Joan.* III). Non ipse homo per se de cœlo descendit, sed in divinitate tamen, cum qua una est persona. Cœlestis autem ideo vocatur, quia cœlestis fuit ejus incarnatio, nativitas, resurrectio, et cætera talia quæ ipse patravit, positus in mundo per præsentiam carnis: doctrina quoque ejus et miracula ejus cœlestia fuerunt.

Qualis terrenus, Adam: *tales et terreni*, homines, id est mortales peccatores; *et qualis cœlestis* Adam, id est Christus, *tales et cœlestes*, qui ad Christum pertinent, immortales videlicet, et sine peccato. Et hoc sunt modo in spe, in resurrectione autem erunt in re.

Sicut portavimus imaginem terreni hominis, id est peccatum et mortalitatem, *portemus et imaginem cœlestis*, in fide et spe, in novitate vitæ ambulantes, et spem resurrectionis habentes.

Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. In Scripturis aliquando caro recipitur secundum naturam, ut: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (*Gen.* II). Aliquando secundum corruptionem et mortalitatem sive fragilitatem, ut ubi: *Recordatus est qui caro sunt* (*Psal.* LXXVII), id est fragiles et miseri. Aliquando secundum culpam et prævaricationem. In hoc vero loco accipitur tam secundum corruptionem, quam secundum culpam, sicut Deus dicitur tentare electos, secundum illud: Tentat vos Dominus Deus vester. Et sicut dicitur, Deus neminem tentat, ita potest dici: Caro possidebit regnum Dei, et caro non possidebit regnum Dei. Igitur in electis regnum Dei possidebit caro et sanguis per veritatem naturæ, et non possidebit caro regnum Dei per corruptionem et mortalitatem, quia immortales erunt et incorruptibiles: vel etiam, caro et sanguis per culpam non possidebit, quia nulla erit ibi culpa vel prævaricatio. Itaque caro, id est mortalitas, et sanguis, id est corruptio, vel homo carnalibus desideriis deditus, regnum Dei non possidebit, et tamen caro et sanguis regnum Dei possidebunt in glorificata veritate naturæ. *Neque corruptio incorruptelam*, sive incorruptibilem, *possidebit*, id est resurrectionem non possidebit corruptio aliqua, quia non erit jam in resuscitatis ad vitam mortalitas et corruptio.

Ecce mysterium vobis dico, id est secretum et occultum quod latet infideles, vel quod hactenus latuit vos. Nam mysterium Græcum est, quod Latine dicitur secretum et occultum. *Omnes quidem resurgemus*, id est boni et mali; *sed non omnes immutabimur*, subaudis ad gloriam, id est non glorificabimur omnes. Illi enim non glorificabuntur, qui velut sol fulgebunt in regno Patris sui.

In momento. Momentum est minimum atque angustissimum tempus, vocatum a motu siderum et stellarum, per quod significatur brevissimum temporis spatium; est enim extremitas horæ in brevibus intervallis cum aliquid sibi cedit atque succedit; *in ictu oculi*. Ictus oculi est quod palpebra icit, id est percutit oculum, vel (quod melius vult Augustinus) ne tanta mora fiat in judicio, ictus oculi intelligitur, quo solis splendore subito, ut vix cogitari possit, feritur oculus; *in novissima tuba*, id est in voce angelica, quoniam Dominus in jussu Dei Patris, et in

tuba, id est in præconiis angelorum descendet de cœlo. Non est enim intelligendum quod tubam corporalem accipiat angelus, vel ipse judex vocem emittat humanam, sed vox angelorum tuba appellatur propter magnitudinem, unde dicitur in Psalmo. *Ascendit Deus in* jubilationem, *et Dominus in voce tubæ* (*Psal.* XLVI). Tuba igitur ibi intelligitur vox angelorum quæ insonuit, dicens : Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Vel *in tuba* dicit, id est in manifestatione, juxta illud : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te* (*Matth.* VI), id est noli facere in manifestatione. *Canet enim*, subaudis angelus, *tuba*, sive cum tuba, id est insonabit vox angelica, *et mortui resurgent incorrupti*, id est integri corpore, sine diminutione membrorum et immortales, *et nos* fideles *immutabimur*, subaudis in melius ad gloriam, quia æternæ vitæ immortalitate glorificabimur.

Oportet enim corruptibile hoc, subaudis corpus induere incorruptionem ; id est, quia resurrectio in veritate futura est, oportet ut corruptio tollatur, et incorruptio detur.

Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, quasi tangendo et digito demonstrando corpus suum, hoc dicebat Apostolus. *Hoc mortale* dicit, quoniam non aliud quam quod deposuero, recipiam corpus. *Tunc fiet sermo qui scriptus est*, subaudis in Osee, secundum Septuaginta. *Absorpta est mors in victoria*, id est in gloria et virtute resurrectionis. Sicut parvissima gutta aquæ in ignem validum projecta absorbetur, ita ut non ultra videatur, sic mors absorbebitur et deglutietur in victoria et virtute resurrectionis, ut ultra jam non sentietur. Nam consumptio mortis gloria erit resurrectionis.

Ubi est, mors, victoria tua? Vox sanctorum resuscitatorum insultantium morti. Ubi est (inquiunt) victoria tua, o mors, qua genus humanum tibi subjecisti, qua etiam Filio Dei homini facto dominari voluisti ; et est sensus : Ne glorieris ultra, quoniam nos jam resurreximus, qui tuam amaritudinem quandoque sensimus. Et quid tibi profuit, o mors maligna, quod gloriabaris ? Ecce qui per te transierunt regnabunt in æterna vita felices cum Christo qui te superavit. *Ubi est, mors, stimulus tuus?* Sic videntur hæc verba sonare, quasi de morte stimulus procedat. Sed quia iste stimulus peccatum est, datur intelligi quod mors de stimulo, id est de peccato processit. Nam primus homo, nisi peccasset, mori utique non posset. Peccavit, et ideo mortem animæ et corporis incurrit. Nec vero dicitur morti : O mors, ubi est peccatum pro quo mundo damnabaris? sed ubi est stimulus tuus? Unde aperiens quid stimulum appellaverit, subdit : *Stimulus autem mortis peccatum est.* Id est stimulus qui mortem facit, peccatum est. Et recte peccatum stimulus appellatur : quoniam velut stimulus carnem sic peccatum pungit et vulnerat animam et corpus. Virtus vero, id est fortitudo *peccati lex*, subaudis est : quia quodammodo vires ministrat peccato lex accendendo hominem ad peccatum dum prohibet. Naturale namque est humanæ fragilitati, ut omne quod plus prohibetur ardentius concupiscatur. Vel virtus peccati est lex : quia per legem quantumcunque sit unumquodque peccatum cognoscitur. Qui enim sine lege peccat, videtur ei, quasi impune peccet : cum autem ad legem transierit, si ultra peccaverit, quanta virtus peccati, id est quanta magnitudo peccati sit agnoscit.

Deo autem gratias, quæ dedit nobis victoriam, subaudis mortis in spe, *per Dominum nostrum Jesum Christum*. Laudat Apostolus Deum Patrem e persona sanctorum, quod victoriam mortis et resurrectionis donum jam habent in spe.

Itaque, fratres mei, fide *dilecti ;* id est valde amabiles, *stabiles*, sive firmi, *estote et immobiles* ne moveamini a rectitudine fidei deceptione corruptorum : *abundantes*, sive crescentes in omni opere Domini semper, id est in præceptis justitiæ omni tempore proficite, etc.

CAPUT XVI.

De collectis autem quæ fiunt in sanctos. Paulus et reliqui apostoli apud eos quos docebant, curam semper sanctorum gerebant, qui erant Hierosolymis, et suis substantiis exspoliati ab incredulis propter hoc quod reliquerant traditiones patrum, et crediderant in Crucifixum. Ideo præcipiebant apostoli, ut diebus Dominicis in unum confluentes unusquisque quod sibi videretur daret ad opus illorum, et colligebantur sumptus per singulas ecclesias, ut postea collecti mitterentur eis. *Sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ*, id est apud Galatas, *ita et vos facite : per unam sabbatiun usquisque vestrum apud se reponant recondens quod ei bene placuerit, ut non cum venero, tunc collectæ fiant.* Unam sabbati appellat diem Dominicam, quia apud Judæos una sabbati, vel una sabbatorum, vel prima sabbati vocabatur, qui nunc ob reverentiam Dominicæ resurrectionis, Dominicus appellatur. In quo præcipit omnem plebem convenire ad ecclesiam, et congregare illos singulos prout voluerunt ad opus illorum qui erant Hierosolymis, et hoc apud se unumquemque reponere quasi in thesauro : ut, veniente Apostolo, haberent omnia præparata quæ volebant mittere : quoniam quod paulatim colligitur, nec grave est, et invenitur multum. Ideo autem præcepit ad ecclesiam hoc deferre : quod volebat unusquisque dare, ut dum ille diceret : Hoc volo mittere sanctis qui sunt Hierosolymis de portione mea, alii istius bono exhortarentur ad eadem facienda. Et tamen ne a malis ministris deperirent illa dona, si apud ecclesiam ea dimitterent, præcepit ut secum referrent et tuto in loco deponerent, quoadusque ipse veniret.

Cum autem præsens fuero, quos probaveritis, id est quos idoneos judicaveritis, vel laudabiles ostenderitis ; et est isto in loco media distinctio, ac postea mox subinferendum. Hos mittam *per epistolas*, sub-

audis meas atque vestras laudatorias de vestra bona A voluntate, vel commendatorias, quibus vos apud fideles in Hierusalem commendabo, ut suscipiantur cum pace.

Quod si dignum fuerit ut ego eam: id est si magna fuerit pecunia, ut ego possim cum honore illam ferre qui sum apostolus et episcopus, mecum ibunt. *Nolo enim vos modo in transitu videre*, quoniam multa erant corrigenda in illis, quæ in transitu non poterant corrigi, ideo hoc dicit: *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten*. Non de Pentecoste Judæorum dicit ut putatur, sed Christianorum, quando Spiritus sanctus venit super multitudinem credentium.

Ostium enim mihi apertum est magnum et evidens; id est, multa corda hominum parata sunt ad credendum, et jam manifesta sunt quia de illorum fide B non dubitatur; *et adversarii multi*, subaudis qui mihi adversantur pro suis propinquis et amicis quos Christo conjunxi.

Si venerit ad vos *Timotheus*, qui hanc Epistolam vobis portabit, *videte ut sine timore sit apud vos*. Forsitan fuerat apud illos jam cum timore, quia pseudoapostoli excitabant persecutionem paganorum contra fideles. *Opus enim Domini operatur sicut et ego*, id est doctrinam et miraculorum virtutem ad salutem animarum vestrarum.

Ne quis ergo illum spernat, quia forsitan jam illum spreverant.

De Apollo autem fratre notum vobis facio, fratres. Hic episcopus Corinthiorum a Paulo fuerat ordinatus, sed ut illi cœperunt dicere: Ego sum Pauli, C ego Apollo, ego vero Cephæ, cum non potuisset eos sedare, relictis illis abiit Ephesum ad apostolum Paulum; quem cum postea rogaret Apostolus, sicut hic dicitur, ut rediret Corinthum, noluit, quia incorreptos eos adhuc sciebat. *Veniet autem, cum ei vacuum fuerit*, id est cum vos emendatos esse audierit.

Vigilate. Vigilat, qui ad aspectum veri luminis, mentis oculos apertos tenet; vigilat, qui servat operando quod credit; *state in fide*, ne succumbatis decepti ab infidelibus, ut possitis audire cum Moyse: *Tu* autem *hic sta mecum* (*Deut.* V). *Viriliter agite*, nec molliter, neque muliebriter, sed firmiter pugnate contra diaboli tentamenta. *Confortamini*, subaudis in Domino, non in vestris meritis, neque in D vestra virtute.

Omnia vestra in charitate fiant, id est dilectione Dei et proximi, non duplici animo, neque causa inanis gloriæ.

Nostis domum Stephanæ et Fortunati. Stephana nobilis quædam erat matrona, cujus familia facta erat Ecclesia, similiter et domus Fortunati. *Quoniam sunt primitiæ Achaiæ*, quoniam primi crediderunt ex Achæis, et ordinaverunt se ut ministrarent sanctis qui sunt Hierosolymis. *Obsecro autem ut et vos subditi sitis ejusmodi*, id est, imitatores sitis ministrantes sanctis: *et omni cooperanti et laboranti*, subaudis sitis subditi sive imitatores.

Gaudeo autem in præsentia Stephanæ et Fortunati et Achaici. Datur intelligi, quod hi tres, Stephana videlicet, Fortunatus, necnon et Achaicus, expleto omni ministerio suo apud sanctos Hierosolymis, venerunt ad Paulum antequam redissent Corinthum. Nam Corinthii erant genere, in quorum præsentia lætatus est Apostolus. *Quoniam id quod vobis deerat, ipsi suppleverunt*, ubi datur intelligi quod ministraverunt Apostolo ex sua substantia, quod alii Corinthii quibus hæc scribebat non egerant, unde ait, *Quod vobis deerat, ipsi suppleverunt*, videlicet ministrando mihi.

Refecerunt enim et meum spiritum utique fame, siti, et laboribus fatigatum, *et vestrum*, qui lætati estis audientes, quod mihi ministrarent vice omnium vestrum. *Cognoscite ergo qui hujusmodi sunt*; id est, diligite et notate atque imitamini tales viros: vel cognoscite, id est subditi estote illis cum humilitate, qui talia agunt.

Salutant vos Ecclesiæ omnes Asiæ, id est, salutem vobis optant; quasi dicat: Has Ecclesias imitari debetis, quia mihi et sanctis qui sunt in Hierusalem, ministrant de suis substantiis.

Salutant vos fratres omnes. Hic tangit omnes adjutores suos; *salutate invicem in osculo sancto*, id est casto et vero.

Salutatio mea manu Pauli. Alius hanc Epistolam scripserat, sicut et alias: sed ipse Apostolus propria manu in fine hoc addidit.

Si quis non amat Dominum Jesum sit anathema. Anathema Græco sermone dicitur perditus vel condemnatus, id est alienus et separatus a Deo. Et subinfert *maranatha*, quod magis est Syrum quam Hebræum, tametsi ex confinio utrarumque linguarum, aliquid et Hebræum sonet. Interpretatur autem: Dominus noster venit; ut sit sensus: Anathema, id est perditio, eis in adventu Domini qui eum non amant, aut venisse aut venturum esse non credunt.

Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum; id est fides, remissio peccatorum, et cuncta Dei dona quæ gratis dantur fidelibus.

Charitas mea cum omnibus vobis; id est, ea dilectione qua vos diligo, diligite vos invicem, et ea charitate qua Deum diligo, diligatis eum. *Amen*, id est, fiat quod opto; vel, vera sint omnia superius a me dicta.

IN EPISTOLAM II AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM.

Apostolo recedente a Corinthiis, cum audisset eos seductos esse a pseudoapostolis, discordias quoque habere, scripsit eis priorem Epistolam in qua

fortiter redarguit illos qui dissensiones inter fratres seminabant, et eos qui cum illo societatem habebant, necnon et illum qui uxorem patris acceperat, quem præcipit ejici a consortio omnium, tradens illum Satanæ ad cruciandum : in qua tradidit eis mysterium corporis et sanguinis Domini, et quod deberent illud sumere, et quod deberent viri et mulieres in ecclesia stare De resurrectione quoque instituit illos, et de multis aliis rebus. Postquam vero cognovit eos pœnitentiam egisse de suis erroribus, illum quoque a suo consortio exclusisse qui incestum patraverat, uxorem patris accipiens, scripsit eis a Troade hanc Epistolam laudatoriam et consolatoriam, in qua dicit illos misericordiam invenisse et revocat illum miserrimum, quem antea tradiderat Satanæ, reconcilians illum Ecclesiæ, hortaturque illos semper proficere ad meliora.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus Jesu Christi. Et hoc jam satis in superioribus dictum est. *Per voluntatem Dei.* Patris et totius Trinitatis, quoniam sicut una substantia Trinitatis est et indivisa majestas, ita et inseparabilis voluntas. *Et Timotheus, frater* in fide, sive socius in prædicatione, non tamen æqualis in dignitate. *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi.* Forsitan non habebant adhuc prælatum episcopum, ideo omni Ecclesiæ dirigit

Benedictus Deus, subaudis Pater Creator omnium rerum, qui est *Pater Domini nostri Jesu Christi*, tam secundum divinitatem, quam secundum humanitatem. Aliter : Benedictus Deus Filius, qui erat in principio Verbum apud Patrem, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi, id est hominis a se assumpti. Totius enim Trinitatis opere creatus est ille homo. Tamen considerandum quia dividimus personas, sed non distinguimus substantias. A benedictionibus et laudibus inchoavit Apostolus more patriarcharum, sanctorumque Patrum : quod ubi invenitur, ea quæ sequuntur prospere succedunt. *Pater misericordiarum*, subaudis sit benedictus qui secundum multitudinem errorum et criminum vestrorum, largitus est vobis pœnitentiam agentibus multiplices misericordias, indulgendo vobis commissa scelera, *et Deus totius consolationis*, subaudis sit benedictus. Recte Deus totius consolationis appellatur, quia quicunque consolari merentur ab illo, et per illum consolantur. *Ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt.* Ideo consolatur nos Apostolus, liberando de afflictionibus persecutorum, et nos iterum nostro verbo et exemplo consolemur illos qui in omni pressura et angustia sunt. Et quomodo ? *Per exhortationem qua exhortamur*, id est docemur, liberandi, *et ipsi a Deo.* Exhortatio species est doctrinæ Verbi gratia : Cum aut verbo simplici, aut exemplo suo vel aliorum consolamur aliquem ne desperet de salute, sed sit securus de venia.

Nolo vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra A *quæ facta est in Asia.* Si dividimus mundum per tres partes, invenimus medietatem totius mundi esse Asiam, aliam vero medietatem tenere inter Europam et Africam. Si vero quadripartite illum diviserimus, erunt partes ejus Europa et Africa : Asia major, et Asia minor, in qua multas tribulationes protulit Apostolus ; dicta est autem generaliter omnis Asia, Asia major, et Asia minor, a muliere quadam quæ totius regni orientis imperium tenuit, quod a suo nomine vocavit Asiam. Ab Indico mari usque ad Britannicum omnes illæ insulæ, Asianæ vocantur. Ut ergo Corinthii qui persecutionem sustinebant ab infidelibus, non deficerent, dat eis Apostolus semetipsum in exemplum, dicens : Nolo ut ignoretis tribulationes quas nos sustinemus, ut nostro exemplo B roboremini. Quid enim mirum si discipuli verberantur cum magistri decollentur crucifigantur, et lapidentur ? *Quam supra modum gravati sumus et supra virtutem.* Cum idem Apostolus in Epistola prima dicat : Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, quærendum est quare hic dicat supra modum se esse gravatum ? Ad quod dicendum, quia licet supra modum sint gravati, id est ultra humanum modum, et ultra quam humana fragilitas sua virtute potest sufferre, non tamen ultra divinam virtutem, quæ eis tolerantiam sustinendi et virtutem superandi tribuit, *ita*, inquit, sumus gravati, *ut tæderet nos etiam vivere.* Tædium est anxietas animi : aliquando pro aggravatione ponitur, aliquando pro odio, ut hic. Intantum (inquiens) sumus C gravati pressuris, ut odio haberemus vitam præsentem, et vellemus potius mori quam vivere, sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. Quod potest mors loqui et responsum dare ? Nos inquit, ipsi habuimus in nobisipsis responsum mortis, id est ipsa mors et tribulatio atque angustia dicebat nobis in corde, dum cruciaremur : Nolite confidere in vobis, sed in Deo quoniam non potestis vestra virtute aut aliorum hominum vincere hos cruciatus. Ponite in Deo fiduciam et spem vestram, et ipse qui suscitat mortuos, poterit utique vos eruere : sic enim videbatur illis quasi de mortuis ad vitam revocarentur. *Adjuvantibus vobis in oratione pro nobis*, subaudis facta, ut eripiamur et nos de angustiis D hujus mundi, *ut ex multarum personis facierum ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* Ecce confusa sententia. Imperitus enim fuit Apostolus sermone, sed non scientia, sicut ipse de seipso dicit. Istius versiculi ista est constructio : Ideo per vestras orationes liberabit et eruet a pressuris persecutorum ut ex multis personis facierum, id est hominum, agantur Deo gratiæ pro nobis per multos homines ejus donationis quæ donatio in nobis est ; sensus autem iste est : Idcirco Deus nos liberabit per vestras orationes, ut cum nos fuerimus liberati, referantur ei gratiæ a multis hominibus, quibus profuimus et prosumus, atque prodesse possumus, quod vos exaudierit pro nobis liberando nos

Quod enim dicit *multarum facierum*, hoc est, quod dicit ex personis. Donationis autem ejus dicit gratiam qua illi liberati sunt.

Nam gloria nostra, id est honor et magnificentia nostra, *hæc est*; Quæ? *testimonium conscientiæ nostræ*, quia conscientia nostra, id est mens nostra perhibet nobis testimonium quod recte credimus, bene docemus, sancte vivimus, *et quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei*, id est in veritate, *et non* duplici animo, neque *in sapientia carnali*, conversati sumus in hoc mundo, *sed in gratia Dei*, id est in sapientia quæ gratis a Deo nobis data est. Pseudoapostoli conversabantur duplici corde, quia aliter docebant atque aliter vivebant. Vel quia potius pro lucris temporalibus prædicationi insistebant, quam pro amore Dei et salute aliorum. Philosophi quoque prædicabant in carnali sapientia, id est philosophice, et fucato sermone, volentes apparere sapientes : vel in hoc, quia Christum negabant passum, mortuum, atque a mortuis resurrexisse ; abundantius autem ad vos, in simplicitate conversatus sum : quia cum ab aliis ecclesiis aliquid accepissem, a vobis nihil accepi, ne occasionem falsis apostolis darem accipiendi munera, et ut vos liberius reprehendere possem.

Non enim alia scribimus vobis modo quam quæ legistis in priori Epistola, *et cognovistis*, in vita mea atque prædicatione, quod *usque in finem* vitæ nostræ, vel die judicii, *cognoscetis* quæ scripsimus, et quæ prædicavimus vobis ; *sicut et cognovistis nos ex parte*, non per omnia, quoniam non omnia potuimus vobis ministrare et manifestare quæ intelligebamus de Deo, *quia* adhuc parvuli eratis sensu ; *gloria vestra sumus*, quia vos gloriari potestis, quod sanctos et veridicos prædicatores habetis, *sicut et vos* gloria *nostra* eritis *in die Domini*, id est in die judicii, quando coronam æternæ remunerationis pro vobis recipiemus.

Et hac confidentia, sive spe, securus de vobis, *volui prius venire ad vos*, quando priorem Epistolam direxi vobis, *ut secundam gratiam haberetis* Habuistis unam gratiam, quando primum ad vos veni, dum cito venistis ad fidem ; et debui iterum venire ut vos castigarem et corriperem, *ut* et vosmetipsos emendantes, *haberetis secundam gratiam*. Sed ideo non veni, quia timui, si venirem, quod non possem vos ita corripere per meam præsentiam, ne forte impatientes essetis, sicut verbis per epistolas levius admonendo.

Cum ergo hoc voluissem, id est cum ad vos venire voluissem, dum non veni, *nunquid levitate usus sum?* Levitate dicitur uti, qui quod permittit verbis, non explet operibus. Et Apostolus tunc levitate usus esset, si promitteret se venire, et promissum suum non expleret. Sed dum non promisit, quamvis vellet, non tamen usus est levitate. *Aut quæ cogito, secundum carnem cogito?* id est carnaliter et humane. Secundum carnem cogitat, qui pro amicitiis et honoribus principum et pro lucris temporalibus quæ sperat accipere a divitibus et principibus, quod promittit alicui, implere differt, non servans suum promissum, *ut sit apud me est et non?* id est, ut promittam me venire, et non veniam : et videar veritatem loqui, et mentiar? Minime.

Fidelis autem Deus, id est verax est, quia quidquid promittit, opere implet ; et ipse qui est verax, ipse cognovit, *quia sermo noster qui fuit apud nos*, quando vobis prædicavimus, vel qui fit modo de meo adventu ad vos, *non est in illo*, subaudis sermone *est et non*, id est veritas et mendacium, aut mutabilitas aliqua, ut verum viderer loqui, et non esset verum ; *sed est in illo* sermone ; *est*, hoc est : veritas ibi est ; quia in veritate locutus sum ; quasi diceret : Idcirco aura mendacii non moveor, quia lenitatis vitio non succumbo.

Dei enim Filius est, subaudis Jesus Christus, *qui in vobis prædicatus est per me, et Sylvanum, et Timotheum*. Sylvanus ipse est Sylas et Syleas, sicut Lucius ipse est Lucas. Quare ergo ponitur Sylvanus ante Timotheum? Quia ante electus est ad fidem, et conjunctus ad prædicationis officium a Paulo apostolo quam Timotheus. Ideo, inquit, quia Jesus Christus Filius Dei est, *non fuit in illo*, id est in Christo, *est et non*, id est mutabilitas aliqua, aut veritas cum mendacio ; *sed est*, id est veritas, *in illo fuit*; sicut ipse dixit : *Ego sum veritas (Joan.* XIV).

Quotquot enim promissiones Dei Patris sunt factæ per prophetas de nativitate Christi, passione, morte, resurrectione atque ascensione ejus, de salute quoque gentium, *in illo est*, id est, in Christo adimpletæ sunt veraciter, qui semper esse habet, et in illo est veritas promissionum. Unde ipse dicit pendens in cruce : *Consummatum est* (*Joan.* XIX), id est, completa sunt omnia quæ de me prædicta erant. *Ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram*. Ideo quia in Christo adimpletæ sunt veraciter illæ promissiones per ipsum, id est per Christum, amen, id est Deo Patri veritas tribuenda est ad gloriam nostram, quia sumus ejus apostoli et ministri. Alii addiderunt ante amen, dicimus amen, quod non videtur de textu, sed de glossa. Quomodo autem ad gloriam ipsarum tribuenda est veritas per Christum Deo Patri? Quia quod Christus in se complevit, et ipse prædicavit, et apostolis tradidit, et illis prædicantibus Deus Pater miracula faciendo, ostendebat verum esse quod ipse promiserat, et quod illi prædicabant, et in hoc gloria erat illorum.

Qui autem confirmat nos Judæos *in Christo vobiscum*; id est in fide Christi et conjungit in uno lapide angulari duos populos, et qui unxit nos, gratia Spiritus sancti, id est qui dedit nobis remissionem peccatorum per gratiam Spiritus sancti, *Deus*, subaudis est verus. In Veteri Testamento sacerdotes et reges ungebantur oleo visibili. In Novo autem omnes fideles unguntur non tantum oleo visibili quantum invisibili gratia videlicet sancti Spiritus in baptismate ; et per manus impositionem, fiuntque reges

animarum, et sacerdotes populorum, ut sanctificent eos, juxta quod Petrus dicit : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta* (*I Petr.* II), *qui et signavit* nos, id est qui assignavit nos, dando signum suum nobis. Dum enim dixit Christus : *Sicut me misit Pater, et ego mitto vos* (*Joan.* VI), signum suum in eis posuit, *et dedit pignus spiritus in cordibus nostris*. Pignus est proprie quod propter rem creditam datur, ut dum illa reddita fuerit, istud recipiatur. Sed hic Apostolus potius pro arrha posuit, quæ Deo datur, ut certus sit de promisso, et quod minus deest, compleatur. Nos ergo arrham sive pignus accepimus, gratiam videlicet sancti Spiritus in baptismate, ut securitatem et certitudinem de promissione æternæ patriæ habeamus. *Testem Deum invoco in animam meam*, id est, si mentiar, illum invoco contra animam meam, *quod parcens vobis non veni ultra Corinthum*, id est, ne vobis oneri essem, et vos contristarem meo adventu, peperci vobis ne venirem Corinthum, ultra, id est postquam a vobis recessi. *Non quasi dominamur fidei vestræ*, sicut imperatores, quia unius fidei jam sumus vos et nos, *sed adjutores sumus gaudii vestri*, id est gaudemus in fide bonisque operibus. *Nam fide statis*, et idcirco non dominamur vobis. Sic debent prælati agere ; quos vident concordare sibi in bona conversatione non debent se illis præferre, sed coæquare. Quos autem a via rectitudinis vident deviare, in illos debent auctoritatem et potentiam suæ præpositure ostendere, quod utrumque Petrus ostendit in Cornelio et Anania, humilians se erga Cornelium : et solo verbo Ananiam cum uxore perdens.

CAPUT II.

Si enim ego vos contristo, et quis est qui me lætificet, nisi ille qui contristatur ex me? id est, si ego contristo aliquem vestrum fortiter redarguendo, et acriter corripiendo, quis est qui me lætificet, nisi ille qui contristatur per meam admonitionem de reatu suo promovendo ad pœnitentiam? Dum enim ille contristatur de peccato suo, et agit pœnitentiam, tunc me lætificat. Sic unusquisque prædicator et prælatus, quo amplius videt contristari subjectos de reatu suo, et lugere pœnitentiam agendo, eo amplius lætificatur certus de salute illorum.

Ne tristitiam super tristitiam habeam. Modo quidem audiens vos variis erroribus implicatos, habeo tristitiam, sed si venero ad vos et incorreptos vos invenero, tunc habeo tristitiam super tristitiam, ideoque vos moneo ut corrigatis.

Nam ex multa tribulatione et angustia cordis, quod unum est, scripsi vobis priorem epistolam *per multas lacrymas*, id est, pene quot syllabas dictabam vel scribebam, quasi tot lacrymas fundebam. Audiens Apostolus quosdam Corinthiorum ad pristina vitia redisse, et ad fornicationem, et pœnitentiam non egisse, insuper quemdam illorum accepisse uxorem patris, nimiam tristitiam habuit, et multum deflebat eos. Unde et priorem epistolam eis misit in qua re-

A darguit eos fortiter, et præcepit illum qui incestum patraverat, a consortio omnium excludere. Cujus verbis illi obedientes fuerunt, egeruntque pœnitentiam, et illum a se sequestraverunt. Quod ut Apostolus agnovit, valde lætatus est, reducit tamen eis ad memoriam qualiter eos deflebat, et alloquitur illos adhuc, inquiens : *non ut contristemini*, subaudis hæc scribo modo, qui pœnitentiam habuistis, sed ut sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis, subaudis postquam audivi vos pœnitentiam egisse.

Si quis autem contristavit me, subaudis sive ille qui uxorem patris accepit, seu illi qui ad vitia pristina redierunt, *non me contristavit*, subaudis solum, *sed ex parte*, subaudis contristavit vos, qui
B condoluistis super illorum reatibus, et qui mihi estis in charitate uniti. Sequitur : *ut non onerem omnes vos*. Onerare est onus et pondus aliquod imponere. Sensus iste est : Non reprehendi ideo delinquentes, neque excommunicavi in priori epistola, ut vos onerarem ea correptione, qui perfecte conversamini, neque etiam ideo recito talia, ut vos onerem modo excommunicando et redarguendo, sed ut illi corrigerentur qui a via rectitudinis deviaverunt.

Sufficit illi, fornicatori, *qui ejusmodi est*, videlicet qui uxorem patris accepit, *objurgatio hæc*, id est correptio et redargutio, *quæ fit a pluribus*, id est, sufficit illi ad pœnitentiam correptio et objurgatio generalis, et quod a consortio omnium vestrum exclusus est. Nam in priori epistola præcepit illum
C ejici a societate fidelium, inquiens : *Expurgate vetus fermentum* (*I Cor.* I), illum peccatorem qui uxorem patris accepit, expellite et ejicite a vestro consortio ; et ne in desperationem delaberetur si semper exclusus esset a societate fidelium, reconciliat illum hoc modo cognoscens illum esse purgatum : diabolo etenim suggerente peccavit, et eo flagellante purgatus est, quando traditus est potestati illius. *Ita ut econtrario magis donetis*, id est, tunc sufficiet ei objurgatio quæ facta est illi ab omnibus vobis, si econtrario indulgeatis ei quod deliquit, *et consolemini* eum, *ne forte*, subaudis exclusus a vobis, *abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est*, id est, ne forte in desperationem cadens suffocet se laqueo vel tradat se voluptatibus hujus sæculi, di-
D cens intra se : Jam quia a societate fidelium in præsenti et in futuro ero exclusus, inseram me omnibus delectationibus et voluptatibus. Indulgete ei, et consolamini eum, ne desperet de venia et salute.

Propter quod, subaudis ne forte absorbeatur a nimia tristitia, et labatur in desperationem, *obsecro vos*, o Corinthii, *ut confirmetis in illum charitatem*, recipiendo illum in vestram societatem et communionem.

Ideo enim et scripsi vobis, subaudis ista de receptione illius fratris, *ut cognoscam* experimentum vestrum, id est, ut probem *an in omnibus obedientes sitis*, quæ vobis præcepero. Jam superius obedientes illi fuerant, quando illum a suo collegio expulerunt,

et quando præcepit ut viri non velato capite starent in ecclesia, mulieres velato. et volebat adhuc probare obedientiam illorum in hoc, ut revocarent ejectum.

Cui autem aliquid donastis et ego. Paulo apostolo morante apud eos,cuidam peccanti dimiserunt quod deliquerat, et ipse Apostolus ne videretur ab illorum unione sejungi, indulsit e tiamipse illi. Unde dicit modo : Cui autem donastis, sive indulsistis, quando apud vos eram, et ego similiter donavi et indulsi. Consuetudo est dicendi, donavit mihi peccatum, id est indulsit. Volens ergo Apostolus provocare illos ad reconciliationem ejecti, et ut ei dimitterent, vult ostendere ut sicut ipse indulsit peccanti quando illi dimiserunt, sic et illi indulgeant dum ipse indulget. Quapropter subdit : *Nam et ego quod donavi*, sive indulsi illi, si quid donavi propter vos, qui volebatis ei dimittere, indulsi et ego *in persona Christi*, hoc est vice Christi, qui nobis apostolis dedit potestatem ligandi et solvendi. Non leviter dabat indulgentiam Apostolus delinquentibus, nisi illi quem videbat a Christo esse solutum,cujus pœnitentia accepta erat Deo. *Ut non circumveniamur*, id est decipiamur, a Satana. Ideo, inquit, præcipio vobis ut indulgeatis fratri peccanti, sicut et ego indulgeo, ne decipiamur a Satana qui desiderat discordias generare. Plerumque dum unus vult misericordiam exhiberi fratri peccanti, dimittendo ei quod deliquit et reconciliare conventui fidelium, alius diabolo suadente non vult indulgere permanens in duritia sui cordis. Unde sæpe solent oriri discordiæ et rixæ inter illos qui dissident et discordant in judicio. *Non enim ignoramus cogitationes ejus*, id est, astutias, dolos et fraudes diaboli non ignoramus, sed scimus.

Cum venissem autem Troadem. Troas civitas est Græcorum, quæ Troja olim vocata est ; et ponitur improprie : Phrygia enim provincia est Græcorum. Troja regio est in ipsa Phrygia . civitas vero appellata est Ilium, sicut in Virgilio habetur : *Ceciditque superbum Ilium.* Plerumque ponitur nomen regionis pro civitate, et appellatur Troja. *Propter Evangelium Christi*, id est ad prædicandum Evangelium Christi, *et ostium mihi apertum esset in Domino*, id est, multa corda hominum parata per Dominum ad credendum, *non habui requiem in spiritu meo*, id est in animo meo, *eo quod non invenerim Titum, fratrem meum; sed valefaciens eis*, id est, salutans eos, *profectus sum in Macedoniam* provinciam aliam Græcorum. Dicit beatus Hieronymus : Quia non invenit fistulam suam Apostolus, id est Titum interpretem suum, ideo recessit. Sed quæstio est in hoc loco : Si Apostolus omnium gentium linguis poterat loqui, sicut ipse dicit in priori epistola : *Gratias ago Deo quod omnium vestrum linguis loquor* (*I Cor.* XIV), quare recesserit a Troade quod scilicet Titus abesset, maxime cum multa corda essent parata illi ad credendum ? Quæ hoc modo solvitur, quia dum venisset Troadem, licet multa corda invenisset parata ad credendum, invenit tamen multos adversarios et

A
contradictores, philosophos videlicet, magos et alios plurimos, nec poterat ipse solus utrumque agere, et philosophis resistere, et volentibus credere verbum salutis prædicare. Si autem Titum invenisset ibi sicuti sperabat, ipse utique resisteret adversariis, et Titus prædicaret simplicioribus qui desiderabant credere. Apparuit quoque ei in eodem loco vir Macedo, dicens : *Transiens in Macedoniam adjuva nos* (*Act.* XVI), qui a doctoribus angelus bonus ejusdem gentis præpositus fuisse creditur.

Deo autem, subaudis Patri, *gratias* referimus, *qui semper triumphat nos*, id est, qui facit nos semper triumphare. et victoriam habere, in Christo Jesu, id est, per Christum Jesum infidelitatem destruendo, et fidem in cordibus credentium plantando, et infi-
B
delibus efficiens fideles, *et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco*, tam in Judæis quam in gentibus. Odorem in hoc loco appellat cognitionem sanctæ Trinitatis. Aromata igitur et unguenta cum alibi sint, alibi odorem reddunt, sic apostolis prædicantibus fidem sanctæ Trinitatis, et notitia divinitatis omnipotentis Dei, cum ipsa divinitas non videretur, utpote quæ invisibilis est, dum per prædicationem apostolorum recipiebant fidem ejus, odorem quodammodo et cognitionem divinitatis illius percipiebant : *quia Christi bonus odor sumus Deo in his qui pereunt, et in his qui salvi fiunt.* Legimus in Genesi, quod Noe offerente sacrificium post diluvii cessationem, odoratus est Dominus odorem suavitatis intantum ut benediceret illi et filiis ejus Non debemus
C
ergo pueriliter intelligere quod Deus, qui spiritus est in odore et fumo carnium delectetur : sed intentionem illius boni viri sancta appellat Scriptura odorem suavitatis, qua delectatus est Deus. Similiter in hoc loco intelligendum studium et bonam voluntatem intentionemque odorem appellatum. Christi, inquit, bonus odor sumus Deo, id est in Christum credentes, et a Christo educti, prædicando mysterium incarnationis ejus, passionis, resurrectionis, ascensionis, mysterium quoque sanctæ Trinitatis ; bonus odor sumus illius, quia bonam famam ejus ac totius Trinitatis gloriam prædicamus, Deo subaudis Patri placentes, talia faciendo. Et notandum quod subjungat : In his, inquit, qui salvi fiunt nostra prædicatione, et in his qui pereunt bonus odor sumus
D
Christi, Deo Patri placentes ; quia sicut placet Deo nostrum bonum studium, quod impendimus his qui salvantur, sic placet etiam illud quod impendimus his qui pereunt, quoniam nostra voluntas talis est, ut vellemus omnes (si possemus) salvare : ideoque delectatur odore nostræ intentionis. Sive ergo in his qui salvantur, sive in his qui pereunt, bonus odor erant apostoli Deo Patri placentes, quia sinceriter et sine adulatione prædicabant.

Aliis quidem sumus *odor mortis in mortem*, illis videlicet quibus prædicamus. si contemnunt credere : *aliis autem odor vitæ in vitam*, illis qui audiunt et credunt. Cum una esset prædicatio apostolorum, quam impendebant omnibus et volentibus credere,

et non volentibus. quibusdam erat ipsa prædicatio gustus et odor mortis ad mortem æternam, potius quam ad præsentem, quam habemus communiter cum animalibus et pecoribus, quia æternaliter inde damnabantur quod nolebant obedire verbis Evangelii; quibusdam autem erat odor et gustus vitæ ad vitam æternam percipiendam, qui per illam salvabantur. Sicut enim credentes per illam salvi fiebant, ita increduli damnabantur, quia inexcusabiles erant. *Et ad hæc*, subaudis discernenda *quis tam idoneus* et aptus prædicator est, ut possit discernere qui sint ejus prædicatione salvandi atque damnandi : Nullus. Ideoque omnibus impendendus est sermo prædicationis

Non enim sumus nos apostoli *sicut plurimi adulterantes verbum Dei*. Hic percutit pseudoapostolos. Sicut enim adulter non causa amoris filiorum adulterat alterius uxorem, sed causa suæ libidinis explendæ ita falsi apostoli adulterabant verbum Dei, quia non ideo prædicabant ut filios spiritales Deo acquirerent, quia falso prædicabant, neque pro remuneratione cœlestis patriæ, sed pro lucris temporalibus, et favoribus humanis. In hoc etiam adulterabant verbum Dei, quia non recte neque veraciter illud docebant, dicentes Christum non esse mortuum, neque a mortuis surrexisse. Apostoli autem non adulterabant. quia spiritales filios Deo acquirere desiderabant, et non pro lucris temporalibus, sed propræmio æternæ beatitudinis prædicationi insistentes, neque pro favore et laude humana rectissime prædicantes, sicut idem Apostolus subdit. *sed ex sinceritate*, inquit, prædicamus, id est ex puritate et veritate; *sed sicut ex Deo*, id est ex Spiritu sancto accepimus, ita prædicamus quia unius substantiæ existens cum Patre et Filio unus est Deus, *coram Deo* subaudis loquimur, id est, sic prædicamus quasi in præsentia Dei semper simus positi, et ipse sit noster adjutor. Revera enim ipse ubique præsens adest. *In Christo Jesu loquimur*, id est ad honorem et gloriam Christi Jesu.

CAPUT III.

Incipimus iterum nosmetipsos commendare? Id est laudare. Nunquid non se et alios jam laudavit paulo superius? Fecit utique et superius, et iterum isto in loco atque in sequentibus. Sed cum sapientia dicat per Salomonem : *Laudet te alienus, et non os tuum* (*Prov.* XXVII), quare se laudabit Apostolus? Nimirum idcirco ut Corinthios ab amore pseudoapostolorum retraheret ad suum amorem, aliorumque veridicorum apostolorum. *Aut nunquid egemus sicut quidam commendatitiis epistolis?* Id est laudatitiis, quæ ab aliis gentibus et Ecclesiis, *ad vos* mittantur, *aut a vobis* ad alias, quæ vobis testimonium laudis et sanctitatis perhibeant, *sicut quidam*, subaudis faciunt, pseudo videlicet apostoli et Judæi, qui accipiunt a scribis et Pharisæis pontificibusque Judæorum epistolas laudatitias, ut pro sanctis et religiosis a Prædicatoribus habeantur? Non indigemus vestra laude, neque epistolis laudatitiis quæ nobis testimonium laudis perhibeant. Exponit ergo causam quare non indigeat, inquiens :

Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris. Epistola signum est salutis, quia salutem mittentis continet, et de illius salute loquitur, cui mittitur. Epistola, inquit, nostra vos estis, Corinthii, scripta in cordibus nostris, quia de vestra salute die noctuque meditamur et cogitamus, et ipsa intentio nostri cordis perhibet vos testimonium laudis, *quæ* epistola, *scitur et legitur ab omnibus hominibus*, id est ab omnibus hominibus scitur et legitur, non oculis corporeis, sed mente intelligitur illa epistola, id est, hoc quod de vestra salute semper cogitamus.

Manifestati quoniam epistola estis Christi. Ex superioribus pendent : Vos qui estis Epistola nostra scripta in cordibus, vos estis manifestati aliis quod nostra prædicatione ad fidem venistis, quoniam epistola estis Christi. *Ministrata a nobis, et scripta, non atramento, sed spiritu Dei vivi*. Illud quod atramento scribitur oblitterari sive deleri potest, fides autem quæ a Spiritu sancto scribitur, qui semper vivit, æterna est, quia sicut ille Spiritus æternus est, ita illa fides æterna est. Manifestati estis, inquit, quod nostra prædicatione credidistis, quoniam epistola estis Christi, id est fidem illius habetis, a qua dicimini Christiani : quæ fides a nobis est ministrata, quia fides *ex auditu* est (*Rom.* X), et a Spiritu sancto est scripta in cordibus vestris, quia aliis datur fides in eodem spiritu. *Non* est scripta illa fides *in tabulis lapideis* sicut lex Moysi, *sed in tabulis cordis carnalibus*. Prævidens omnipotens Deus duritiam cordis Judæorum, eamdem legem quam eis dabat, in lapide scripsit, ut per lapidem duritia cordis illorum designaretur. Per tabulas ergo lapideas debemus intelligere dura corda hominum et insensibilia, in quibus non scribitur fides Christi, quia nulla prædicatione, nullis terroribus emolliri possunt. Per hoc vero quod dicit : *Sed in tabulis cordis carnalibus*, debemus intelligere cor molle et sensibile, quod sentit et flectitur ad mollitiem, et intelligit quod dicitur, recipit et continet, in quibus scribitur epistola Christi, id est fides in Spiritu sancto.

Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum. In hac lectione vult Apostolus differentiam et distantiam facere inter Moysen legislatorem et Christum datorem Evangelii, inter legem et Evangelium, inter doctores legis et Evangelii : et ostendit quia quanta distantia est inter Moysen et Christum, tanta distantia est inter legem et Evangelium, et inter doctores legis et Evangelii; demonstrat quoque quia nihil sumus, nisi Domini misericordia et gratia regamur. *Fiduciam*, inquit, id est audaciam et fidem *talem habemus per Christum* Dominum nostrum cujus passione redempti et reconciliati sumus *ad Deum*, id est apud Deum Patrem, qualem ego dicturus et scripturus sum in sequentibus.

Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Hic destruit omnem confidentiam liberi arbitrii, per quod multi putant se posse bonum aliquod agere sine gratia Dei; et idcirco ista omnia ait, ut ostendat nihil boni sua virtute et prudentia cogitare aut facere. Dicit ergo: Non habemus *talem fiduciam* vel audaciam, *quod simus sufficientes*, id est, quod possimus *cogitare a nobis* aliquid boni de vestra salute vel nostra, *quasi ex nobis* aliquid boni vobis futurum sit sine gratia Dei, *sed sufficientia* ex abundantia *nostra ex Deo est,* qui dat velle posse, id est, non solum non valemus bonum aliquod perficere sine Dei misericordia et gratia præcedente et subsequente sed nec cogitare. Dei enim gratia nos prævenit, ut velimus, et ipsa nos subsequitur, ut possimus. Unde exorabat Psalmista dicens: *Misericordia ejus præveniet me (Psal.* LVIII), et *Misericordia tua subsequetur me* (*Psal.* XXII). Si enim non valemus cogitare, quomodo poterimus perficere?

Qui, subaudis Deus, *fecit nos idoneos,* id est aptos et congruos, *ministros Novi Testamenti*, *non littera*, *sed spiritu*, id est, non fecit nos ministros in littera legis, ut prædicaremus circumcisionem carnaliter observandam, aut sabbati otium, aut neomeniarum vel sacrificiorum ritum celebrandum, sed in spiritali intelligentia Evangelii, quod spiritaliter intelligendum est: et cujus observatio Spiritum sanctum tribuit tempore baptismatis. Quod autem dicit idoneos ministros se aliosque apostolos fuisse, ita accipe: idoneus minister est proprie congruus et utilis, atque illi rei aptus de qua sermo agitur. *Littera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Duobus modis est intelligendum. *Littera* legis Mosaicæ *occidit* hominem corporaliter, jubendo, et non juvando. Dum enim dicit lex: Non occides, non adulterium facies; qui occiderit, vel qui adulterium aut tale aliquid perpetrarit, reus erit judicio, id est occidetur, igni cremabitur, lapidibus obruetur, in patibulo suspendetur, et non juvat quo impleatur procul dubio ipsa occidit hominem, quæ judicium dat ut occidatur, licet ipsa non sit causa mortis ejus. *Spiritus autem vivificat.* Evangelium quod spiritaliter intelligitur, et quod Spiritum sanctum præstat, non solum non occidit hominem in præsenti, sed insuper vivificat, id est vitam æternam præstat. Nusquam enim Evangelium jubet occidi hominem, sed provocat post culpam ad pœnitentiam, promittens vitam æternam: *Pœnitentiam* (inquit) *agite*, *appropinquabit regnum cœlorum* (*Matth.* III). Aliter. Ante Domini adventum erant quædam opera legis, quæ a levioribus peccatis mundabant suos observatores, verbi gratia: sicut circumcisio, quæ originale peccatum tollebat, quamvis aditum patriæ cœlestis non reseraret, et sicut erant multa alia, pro quibus offerebantur holocausta (*Levit.* XII), et de quibus dicebatur: Si quis hoc vel illud fecerit, offeret arietem aut aliquid tale, et mundabitur. Post Domini autem adventum, in quo completa sunt in veritate omnia illa figurativa et umbratica: quicunque voluerit eamdem legem carnaliter observare, morietur in anima quia anima quæ peccaverit morietur. Unde et idem Apostolus in epistola ad Galatas, ait: Vere *dico vobis, quia si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit* (*Galat.* V), et scimus quia quibus Christus non prodest, mortui sunt in anima. Qui vero spiritaliter voluerit eamdem legem servare, circumcidendo se spiritaliter in baptismate, ubi est vera exspoliatio vitiorum, observando sabbatum, id est quiescendo a pravo opere, et omnipotenti Deo spiritales hostias offerendo, seipsum quoque mortificando cum vitiis et concupiscentiis, ille vivit et vivet in æterna vita. Inde dicit Apostolus: *Littera occidit* in anima modo, id est litteralis intelligentia legis: *spiritus autem vivificat*, id est spiritalis intelligentia vitam æternam præstat.

Quod si ministratio mortis, id est, si lex quæ ministra erat mortis, sicut modo diximus, *deformata* vel scripta *litteris in lapidibus fuit*, subaudis Moysi *in gloria*, ex claritate vultus, *ita ut non possent intendere filii Israel in faciem ejus propter gloriam vultus ejus*, *quæ* gloria vel claritas *evacuatur*, quomodo non magis ministratio spiritus, id est doctrina et prædicatio spiritalis Evangelii *erit in gloria?* suis ministratoribus et observatoribus. Isto in loco vult ostendere, quæ distantia sit inter legem et Evangelium, et Moysen et doctores Evangelii, sicut jam supra diximus. Legimus in Exodo (*Exod.* III, IV), quod Moyse descendente de monte, facies ejus erat cornuta ex consortio sermonis Dei, id est radios quosdam emittebat splendoris sicut sol, intantum ut non possent intendere filii Israel in faciem ejus, sed quando egrediebatur ad populum, ponebat velamen super faciem suam. Sed quærit forte aliquis: Quare illi gloriam et claritatem mortalis hominis non poterant intendere? Cui respondendum est, quia Moyses sanctus et justus erat, ideo coruscabat, suumque splendorem ipse poterat ferre: illi autem qui peccatores erant et increduli, non fuerunt digni contemplari splendorem ejus. Sensus igitur iste est: Si Moyses tantam claritatem habuit in vultu, quando legem dedit populo, quæ ministra erat mortis, quia mortem minabatur, quanto majorem gloriam habebunt ministri Evangelii, qui virtutem et justitiam ministrant, quæ vitam æternam præstant? multo majorem gloriam et claritatem habebunt: quia eamdem claritatem habebunt, quam ostendit Dominus in monte tribus discipulis, quando visi sunt cum eo Moyses et Elias in majestate et claritate. Videbunt enim oculis corporeis gloriam claritatemque clarificatæ humanitatis Filii Dei, ut beatus Leo dicit, ipsique eamdem gloriam habebunt, gloriam vero Divinitatis et totius Trinitatis mente contemplabuntur solummodo: quia Deus spiritus est, id est, spiritu debet videri. Dicit enim beatus Leo in expositione illius Evangelii, illam claritatem et gloriam non fuisse divinitatis Filii Dei gloriam, sed humanitatis. Alioquin quomodo esset verum quod dixit ad Moysen (*Exod.* XII): *Non videbit me homo et vivet:* quando

ille dixit : *Ostende mihi teipsum*, id est, invisibilitatem tuam ? Altiori igitur intellectu Moyses, qui ponebat velamen super faciem suam, ne intenderent in eum filii Israel, significat ipsam legem, sicut in Evangelio Dominus testatur dixisse Abraham ad divitem : *Habent Moysen* (*Luc.* XVI), id est legem. Velamen illud significat intelligentiam litteralem et historicum sensum, quo obumbratur ipsa lex, infidelitas quoque et ignorantia cordis Judæorum. Velamen ergo quod ponebat super faciem suam Moyses, non sinebat illos cernere gloriam vultus ejus, quia infidelitas, ignorantia, et peccatum eorum, litteralis quoque intelligentia, et historicus sensus non permittebat illos penetrare et intelligere gloriam spiritalis intelligentiæ, quæ latebat in lege. Quod vero dicit gloriam et claritatem Moysi evacuatam, dicit, B quantum ad litteram pertinet : quia Moyse mortuo, facies ejus quæ ante splendoris radios emittebat, in pallorem versa est. Altiori autem sensu et sublimiori secundum Augustinum : Gloria legis quæ videbatur esse in festivitatibus et operibus evacuata est, adveniente Christo, quem illa significabat : vel etiam pars spiritalis intelligentiæ, quæ a quibusdam intelligebatur, sicut a Moyse, Josue, Samuel, David cæterisque talibus, adveniente Christo, in quo completa est et a quo manifestata est apostolis ex toto. Statim ut venit plenitudo, evacuatum est illud quod ex parte erat, non ut cessaret penitus, et periret ipsa intelligentia spiritalis, sed ut in melius proficeret, atque augmentum caperet. Verbi gratia : Sicut C evacuatur infantia et pueritia, adveniente adolescentia, et adveniente juventute evacuatur adolescentia, dum in melius proficit. In Evangelio autem non fit ita, quia Evangelium spiritaliter intelligitur ex toto, nec evacuatur, quia æternum est. Si ergo illi qui legem operibus implerunt, ex parte spiritaliter intellexerunt : quæ evacuata est tantam gloriam habuerunt in præsenti sæculo, ut terram repromissionis acciperent victoresque postmodum suorum hostium exsisterent, quanto ampliorem obtinebunt isti qui spiritaliter legem et Evangelium intelligunt, observant, prædicant, et docent, quod nunquam evacuatur ?

Nam si ministratio damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria. Repe- D titio est superiorum mutato sermone. Nam si ministratio damnationis gloria est, id est, si lex quæ ministra erat damnationis et mortis, tantam gloriam præstitit Moysi suo ministratori et cæteris suis observatoribus, multo magis abundat ministerium justitiæ, id est Evangelium quod justificat homines, abundat in gloria æterna. Evangelium ergo ministerium justitiæ est, quia per illud ministratur nobis justitia, salus, et vita æterna tempore baptismatis, sicut Dominus dicit apostolis (*Matth.* XXVIII) : Ite, *docete omnes gentes*, id est, ministrate illis Evangelium. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* salute æterna : quia mundabitur ab omnibus peccatis : et efficietur justus. Gloria denique Evan- A gelii quæ datur ministratoribus ejus et observatoribus, major est gloria legis quæ splenduit in facie Moysi, quia illa fuit temporalis, et a quocunque ferri potuit et videri, ista autem æterna erit, nec potuit ferri ab apostolis quando a Domino ostensa est in monte, quia statim lapsi sunt in terram velut mortui. Quapropter laborandum est omnibus ut observatores simus Evangelii : quatenus ad illam gloriam digni simus pertingere quam promittit.

Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam. In hac parte dicit in Moyse (*Exod.* III), vel quod narrat in hac parte libri Exodi de splendore vultus illius, excellentem gloriam appellat, qua Dominus glorificatus est in monte, ex qua glorificandi sunt omnes electi, et est sensus : illud quod splenduit in facie Moysi, non est glorificatum, id est, non fuit gloria vera, quia evacuari potuit per mortem illius : nec fuit gloriosum comparatione istius gloriæ, quæ æternaliter manebit, et multo amplior erit. In hoc enim quod nulli profuit gloria vultus ejus, quasi non fuit gloria, quia non habuit fructum gloriæ. Aliter : Quod dicit in hac parte, quasi in istam partem, id est quod claruit et splenduit in Moyse, non est glorificatum in hac parte, id est quantum ad istam partem gloriæ Evangelii pertinet, non est gloriosum propter istam gloriam majorem.

Si enim quod evacuatur, per gloriam est, multo magis quod manet in æternum, *in gloria est*, id est, si lex quæ evacuari potuit, in gloria fuit Moysi suisque observatoribus, multo magis Evangelium, quod manet in æternum, in gloria est suis ministratoribus et occultoribus. Quantum enim inter imaginem distat et veritatem, tantum distat inter gloriam vultus Moysi et gloriam Christi, cui similes erunt omnes electi in gloria.

Habentes igitur talem spem, videndi et percipiendi gloriam, non talem qualis fuit in vultu Moysi, sed eam quam viderunt tres apostoli in monte revelante se Domino, *multa fiducia utimur* in prædicatione, securi de præmio.

Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent in eum, sic ponet Christus in Evangelio legis velamen, *quod* velamen legis *evacuatur*, id est, non ponit Christus velamen intelligentiæ litteralis in Evangelio et obscuritatem, ut non possint fideles gloriam spiritalis intelligentiæ penetrare sicut Moyses ponebat, ne in gloriam vultus ejus intenderent, quod velamen significat obscuritatem et obumbrationem legis, quod evacuatur quando a Christo revelatur et spiritaliter eadem lex intelligitur : vel non ita occultabit Christus gloriam suam electis, sicut Moyses occultabat faciem suam, ponendo velamen super faciem suam, quod velamen evacuatur : pro eo quod evacuatum est, quando Moyses mortuus est.

Sed obtusi sunt sensus eorum, id est, licet velamen, quod significat obscuritatem legis, evacuatum sit a Christo, et in Evangelio non sit velamen, tamen

non ideo penetrant Judæi gloriam spiritalis intelligentiæ quæ in lege latet, qua obtusi et reverberati sunt sensus illorum infidelitatis perfidia et ignorantia, quia nolunt in Christum credere; sed semper litteram sequi volunt. *Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen*, id est ipsa obscuritas et ignorantia, *in lectione Veteris Testamenti manet*, subaudis apud Judæos incredulos, *non revelatum*, subaudis ab illis, quia infidelitas et peccata reverberant sensum eorum, nec valent per se penetrare illam: quoniam in Christo evacuatur, id est, per fidem Christi auferetur velamen ignorantiæ, non per eorum scientiam, nec revelabitur illis nisi credant. *Sed usque in hodiernum diem cum legitur* a Judæis incredulis *Moyses*, id est, lex quæ per Moysen data est, *velamen est positum super cor eorum*, id est, ignorantia et cæcitas intelligentiæ est in cordibus Judæorum, ne valeant penetrare et spiritalem intellitiam legis, quæ obscura illis et occulta erat, quousque in Christum credendo denudetur eis a Christo.

Cum autem conversus fuerit ad Deum, subaudis ille populus ut credat in Christum, *auferetur velamen*, id est obscuritas de lege per Christum, et per gratiam sancti Spiritus, qui tempore baptismatis incipit nostri habitator esse.

Dominus autem spiritus est. Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. Nemo qui fidem sanctæ Trinitatis habet, dubitat Spiritum sanctum Deum esse, quia tertia persona est Trinitatis, et tamen non sunt tres Domini, sed unus Dominus: ut scitur ab omnibus fidelibus, Spiritu sancto dictante, legem et Evangelium esse conscriptum, ideoque Spiritus sanctus Dominus est legis et Evangelii, nec est illi aliquid occultum in lege et Evangelio. Ipso quoque Spiritu sancto cooperante, per fidem Dominicæ passionis liberamur in anima ab omnibus peccatis, de qua libertate dicit Dominus in Evangelio: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII). Per ipsum etiam datur fidelibus facultas intelligendi divinas Scripturas. Spiritus ergo sanctus Dominus est Scripturæ legis et Evangelii: ideoque nihil latet eum ex his quæ ibi continentur, neque velamen alicujus obscuritatis et dubietatis opponitur ei, sed magis ipse revelat quæ ibi latent, sicut sequentia manifestant. Ubi autem spiritus Domini est, ibi libertas est animæ, et facultas intelligendi Vetus Testamentum et Novum, id est, quemcunque repleverit Spiritus sanctus per fidem Domini nostri Jesu Christi, ille habet libertatem animæ et facultatem discutere obscuritates legis, et gratiam Evangelii penetrare.

Nos vero omnes, subaudis apostoli et Judæi credentes, omnesque qui libertatem animæ et facultatem divinæ legis consecuti sumus, *revelata facie cordis*, id est, manifesto intellectu mentis per fidem Christi et intelligentiam Scripturarum, *gloriam Domini*, quam ostendit tribus discipulis, et quam percepturi sunt omnes electi sumus nos *speculantes*, id est, contemplantes in speculo mentis per fidem et spem cernentes. Inter speculam et speculum hoc interest, quia specula est turris in civitatibus, et locus unde speculatur a longe ex qua parte superveniant hostes: speculum vero est, ubi contemplari solent homines imagines vultusque suos et aliorum, de quo hic dicitur: Speculum ergo nostrum, mens nostra est: quia sicut in speculo contemplatur imago et umbra, ita nos in præsenti mente videmus et contemplamur illam gloriam, quam percepturi sumus in re.

In eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem. In Græco habetur, ut beatus Augustinus dicit, a forma in formam transducimur: Homo, sicut in Genesi habetur (*Gen.* I), ad imaginem Dei factus est, sanctus, justus, immortalis, et incorruptibilis: quam imaginem et formam peccando amisit, et cecidit in formam mortalitatis, corruptionis, et injustitiæ. Ab ista ergo imagine justitiæ et forma transformamur et transducimur jam in spe et fide in eamdem ipsam imaginem et formam quam perdidimus, a forma videlicet creationis ad formam justificationis: a forma mortalitatis et corruptionis, ad formam immortalitatis: a forma filiationis, qua filii Dei modo sumus in spe, ad formam contemplationis et visionis: a forma obscura ad formam lucidam, de qua Joannes ait (*I Joan.* III): *Filii Dei sumus in spe, et nondum apparuit quid erimus* in re. Ab ista obscura forma transducemur ad lucidam, quando *similes* Deo *erimus: quoniam videbimus eum sicuti est*. A claritate quoque spei tranformamur ad claritatem speciei, et a claritate fidei ad claritatem rei, ut quod modo tenemus in spe, et credimus nos adepturos, quandoque possideamus in re. Et bene cum dixisset, transformamur a claritate spei in claritatem speciei et rei, *tanquam a Domini Spiritu*, ut ostenderet talem gloriam dari, quæ sublimitati congruat dantis. Moysi enim gloria et claritas, nec tanta fuit quanta Christi in monte, nec perennis. Tantum enim Deus concessit fidelibus suis, ut Spiritum sanctum det eis pignus illius gloriæ quam promisit. Sicut enim qui pignus vel arrham accipit, securus est de pretio quod remanet ex promisso, ita fideles qui tempore baptismatis Spiritum sanctum pro pignore et arrha accipiunt, securi sunt de promissionibus patriæ cœlestis, quia ab illo transformantur in spe ad illam gloriam.

CAPUT IV.

Ideo habentes hanc *administrationem*, subaudis spei, id est, habentes fiduciam et spem transformandi, quæ spes et fiducia a Spiritu sancto nobis ministratur *juxta quod misericordiam consecuti sumus*, non secundum meritum nostrum *non deficimus*, inter adversa hujus sæculi, sed multa fiducia utimur, in prædicatione, fortiter tolerantes omnia incommoda, securi de præmio et gloria: *sed abdicamus occulta dedecoris*, id est, respuimus et abjicimus omnia turpia a corde, ore, et opere nostro, quæ maxime in occulto solent fieri, *non ambulantes in astutia*, id est in calliditate hujus sæculi. Astutia dicitur ab hasta,

id est acumine, eo quod nimium sicut acuta ad decipiendes homines. *Neque adulterantes verbum Dei*, sicut pseudoapostoli multi modis, *sed in manifestatione veritatis*, subaudis prædicamus verbum Dei, non fucato sermone, neque philosophico, sed simplici, ut simplices quique possint illud intelligere; *commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum*, id est laudabiles nos facientes ad omnes homines sancte vivendo, bene prædicando; *coram Deo*, id est, in præsentia Dei, cui placet quod agimus: vel coram Deo, quia sicut ab illo nobis datur, ita prædicamus in præsentia illius quem cognoscimus nobis adesse præsentem: poterat aliquis dicere, quomodo prædicatis in manifestatione, cum omnes non intelligant quæ dicitis neque credant? Ad hæc subjunxit Apostolus:

Quod si opertum est Evangelium nostrum, id est, si clausum est et obscurum ut non intelligatur, *in his qui pereunt, est opertum*; quasi dicat: His qui pereunt in infidelitate, illis est opertum, quia non inspiratur eis a Spiritu sancto, neque volunt credere: volentibus autem credere, manifestum est. Audiebant siquidem omnes prædicationem apostolorum, sed illis qui volebant credere, manifestabatur: illis vero qui in infidelitate permanebant, occultabatur.

In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium. Quidam hæreticorum, et Marcion, aliique pseudoapostoli hunc versum male distinguentes, Deum hujus sæculi dicebant esse appellatum in hoc loco diabolum, de quo dicitur: *Omnes dii gentium dæmonia* (*Psal*. XCV); licet enim dii appellantur, non sunt dii. Ita ergo est distinguendus, ut primum dicatur. In quibus, id est in illis qui pereunt, Deus verus: et deinde infra, excæcavit mentes infidelium hujus sæculi, cum non illuminavit, sicut induravit cor Pharaonis cum non emollivit, *ut non fulgeat illuminatio Evangelii* in *illis*, id est fides et doctrina Evangelii et gloria Christi. Quod Evangelium gloria Christi est, quia ibi narrantur nativitas ejus divina et humana, virtus miraculorum, passio, resurrectio, ascensio ad cœlos, adventus ad judicium, *qui*, Christus, *imago est Dei* Patris, id est similis ei in omnibus secundum divinitatem.

Non enim nosmetipsos dicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, id est, non quærimus nostram laudem, non lucra temporalia, sed gloriam et honorem Christi prædicamus et quærimus, et ut ab illo remuneremur. Ille enim seipsum prædicat, qui a culto sermone loquitur, et veritatem Evangelii quærit fucare, ut prædicetur ipsa sapiens esse et laudetur, et qui potius pro lucris temporalibus prædicationi insistit, quam pro vita æterna.

Quoniam Deus qui dixit, subaudis in principio creaturarum, *de tenebris lucem splendescere*, dicens cum adhuc tenebræ essent super faciem abyssi, *Fiat lux, et facta est lux* (*Gen*. I), *ipse illuxit in cordibus nostris*, lumen fidei et doctrinæ, qui tenebræ antea ramus, *ad illuminationem scientiæ claritatis Dei* in nobis *in facie Christi Jesu*. Ordo est: Deus qui dixit: Fiat lux, cum adhuc tenebræ essent, et facta est lux, illuxit cordibus nostris lumen fidei et doctrinæ in facie Christi, id est in præsentia Dei, et per præsentiam Christi ad illuminationem et demonstrationem scientiæ divinitatis suæ. Per præsentiam ergo Christi manifestata est cognitio Dei Patris atque totius Trinitatis, sicut ipse Christus dixit: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi (Joan*. XVI), non illud quo Deus diceris, sed quo Pater vocaris.

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, thesaurum hic dicitur *theca* et repositio auri. Thesaurum autem appellat Apostolus isto in loco sacramentum cognitionis sanctæ Trinitatis, et mysterium incarnationis Filii Dei: quia, sicut thesaurus in occulto et secreto ponitur loco, ita istud mysterium in cordibus illorum erat reconditum. Vasa fictilia vocat corpora fragilia, quæ ex limo terræ facta sunt, et variis passionibus et infirmitatibus subjacent, fami, siti, nuditati, cæterisque talibus; *ut sublimitas sit virtutis Dei* in *nobis*, *et non ex nobis*, id est, ut altitudo virtutis Dei anuuntietur per nos et appareat, quia non est ex nobis, neque illa sapientia, neque virtus miraculorum, sed ex Deo, quæ per nos tamen ministratur, ac si diceret aliis verbis: Thesaurum gratiæ spiritalis quod prædicamus, et quod signa miraculorum facimus in corpore fragili bajulamus, et quod etiam frequenter dum alios sanamus ipsi infirmamur, subjacentes fami, siti, ut quod facimus, non nostra virtute, vel nostris meritis, sed sublimitas potentiæ Dei esse intelligantur.

In omnibus modis et locis *tribulationem* diversam *patimur*, *sed non angustiamur*: id est, licet tribulationes et angustias sustineamus, tamen non ita constringimur sive angustiamur, ut cedamus loco a prædicatione, et cessemus a nostro proposito. *Aporiamur*, id est conjiciamur, et improperia sustinemus, vel quod melius est, quasi pauperes abjicimur; *sed non destituimur*, id est, non derelinquimur a Deo, sed positis in paupertate et inopia, adest nobis pastor Deus. *Apros* Græco vocabulo Latine dicitur pauper, inde aporiare, proprie quasi pauperem abjicere.

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, sive portantes, id est, semper sumus mortificantes membra nostra cum vitiis et concupiscentiis, *ut et vita Jesu*, qua ipse modo vivit immortalis *in corporibus nostris manifestetur* post generalem resurrectionem, aliter Christus sicut pascitur et vescitur in suis, sicut dicet electis: Quandiu his minimis meis fecistis, mihi fecistis (*Matth*. XXV), ita occiditur et mortificatur atque flagellatur et persequitur in suis. Nonne in Stephano persequebatur et lapidabatur, quando dicit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act*. IX). Sic dixit etiam Petro: Venio Romam iterum crucifigi in te. Semper, inquit, mortificationem Jesu in corpore nostro sumus circumferentes sive portantes, id est semper mortifica-

tur Jesus in nobis et occiditur, ut sicut ipse in nobis modo occiditur, et nos pro ipso, ita etiam ipse vivat in nobis, et nos vivamus in illo. Et sicut ipse jam non moritur, sed semper vivit, ita et nos post resurrectionem vivamus immortales et incorruptibiles.

Semper enim nos,qui vivimus in præsenti sæculo fide bonisque operibus, *in mortem tradimur propter Jesum*, id est, pericula mortis sustinemus propter nomen et fidem Christi quam prædicamus *ut et vita Jesu*, qua ipse jam vivit, *manifestetur in carne nostra mortali*, ut vita qua Christus resurrexit a mortuis, et qua modo vivit, huic nostræ mortalitati præstetur immortalitas et incorruptio, ut post resurrectionem promissam non timeamus mori.

Ergo mors in nobis operatur,subaudis quod suum est,quia semper mortificat nos per multas tribulationes et angustias, *vita autem*, id est, fides qua justus vivit, *in vobis* operatur quod suum est, et trahit ad vitam æternam, et est sensus : Propter vitam æternam quam nos vobis prædicamus,et fidem quam vobis ministramus, morimur et interficimur, quotidie pericula mortis sustinendo.

Habemus autem nos apostoli cæterique credentes, *eumdem spiritum* Dei, subaudis quem habuerunt patres Veteris Testamenti : quia quod illi prædixerunt de Christo implendum,nos credimus jam adimpletum.Similiter de salute gentium,*scientes quoniam* Deus Pater *qui suscitavit Jesum*, *et nos cum Jesu suscitabit*, in die judicii, et est per virtutem Jesu, *et constituet vobiscum*, in gloria æterna.

Omnia enim, subaudis adversa hujus sæculi, *propter vos* sustinemus, o gentiles, quia vobis fidem et vitam æternam prædicamus: *ut gratia abundans per multos in gratiarum actione,abundet in gloriam Dei.* Gratiam abundantem appellat magnam sapientiam divinam, quæ gratis illis data est. Ordo est iste : Ideo adversa hujus sæculi propter vos sustinemus, ut magna sapientia divina quæ nobis gratis data est, abundet per multos credentes in gloriam : et laudem Dei cum gratiarum actione, videlicet ut plurimi credentes per nostram doctrinam, gratias et laudes referant Deo.Quidam codices habent, ut sapientia divina abundet per multas gratiarum actiones in laudem Dei, quod non discrepat a sensu.

Propter quod, subaudis ut sapientia divina abundet per multos credentes in laudem Dei, *non deficimus* inter pericula mortis a fide. *Sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur,tamen is qui intus est renovatur de die in diem.* Homo exterior appellatur corpus, interior vero anima. Licet autem ex duabus substantiis et naturis constet homo, tamen non sunt duo homines, anima et corpus, sed unus homo. Homo qui foris est, corpus videlicet, quanto amplius corrumpitur tormentis et tribulationibus, eo amplius renovatur interior, id est purgatior exsistit anima.

Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate

A *æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Momentum, brevissimum est spatium temporis dictum a celerrimo siderum motu. Sensus et ordo verborum iste est : Omne tormentum tribulationis nostræ quæ in præsenti est, momentaneum, sive brevissimum et leve ad tolerandum, operatur in nobis æternum pondus gloriæ, id est magnitudinem gratiæ in sublimitate patriæ cœlestis, supra modum et supra omnem mensuram : quia non potest comprehendi quantitas illius gloriæ, neque mensurari tempore : quia sine fine et sine termino erit æternaliter permanens, *non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur,* id est, non considerantibus nobis et attendentibus honores, divitias, et lucra temporalia quæ videntur et nobis promittuntur ab amatoribus
B hujus sæculi, sed gaudia patriæ cœlestis, quæ non videntur oculis corporeis, illa consideramus. Poterat aliquis dicere : Quare non consideratis ista temporalia? Ad hæc Apostolus subdit : *Quæ enim videntur temporalia sunt*, et transitoria :*quæ autem non videntur,* nisi per fidem, *æterna sunt*, ideoque illa postponimus, et ita amplectimur quæ mansura sint.

CAPUT V.

Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, id est,si corpus nostrum terrenum, mortale et corruptibile in quo anima nostra habitat, dissolvatur per ægritudinem, per tribulationes maximas, et per mortem redigatur in pulverem; *quod ædificationem habeamus ex Deo :* sive a Deo, *domum non manufactam, sed æternam in*
C *cœlis.* Quod dicit *ædificationem,* hoc appellat domum non manufactam, corpus videlicet mortale, quod non fiet manu, id est complexione maris et feminæ, sicuti istud, sed in virtute omnipotentis Dei reparabitur, ut sit immortale et æternum, et sit in cœlo semper ; et est ordo atque sensus : Si mortale hoc corpus, ubi modo habitat anima, dissolutum fuerit per mortem, scimus et certi sumus quod a Deo habeamus in cœlis æternam ædificationem, et domum non manufactam : corpus videlicet immortale, virtute Dei reparatum.

Nam et in hoc, subaudis corpore mortali, positi, *ingemiscimus,* id est, cum gemitu postulamus absolvi ab hoc corpore mortali, *cupientes superindui habitationem nostram quæ de cœlo est*, id est, immortale
D corpus cupientes recipere. Quod ideo de cœlo dicitur esse,quia cœleste erit et in cœlis habitabit, superindui autem, id est super animam, sicut modo isto mortali est anima vestita.

Si tamen vestiti, subaudis a Christo, *et non nudi inveniamur,* ab illo, et est sensus : Tunc recipiemus corpus immortale ad gloriam, et tunc erit cœleste si in die mortis nostræ vel in die judicii fuerimus vestiti Christo, ut ipse sit nobiscum, et non fuerimus inventi nudi ab illo, et ab ejus protectione alieni. Omnes enim electi Christo sunt vestiti, quia ipse est eorum protectio, sicut Apostolus dicit : *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis (Gal.* III), id est, Christum habetis protectorem.

Nam et qui sumus in tabernaculo isto, id est in corpore mortali, quasi viatores in papilionibus, *ingemiscimus*, id est, dolemus *gravati*, fame, siti, nuditate, aliisque periculis *eo quod nolumus exspoliari* ab hoc corpore mortali, *sed volumus supervestiri* immortalitate non interveniente morte, *ut absorbeatur quod mortale est, a vita*, id est ut illud quod mortale in nobis et corruptibile, deglutiatur ab immortalitate et vita mansura sicut consumitur parvissima gutta aquæ, avidi ignis projecta in maximum incendium, ac si diceret : Ideo ingemiscimus in hoc corpore mortali, quod gravatur variis angustiis, quia si posset fieri, nollemus mori, sed vellemus ut ipsa mors in nobis deficeret, et reciperemus in præsenti sæculo immortalitatem ut nunquam moreremur: sed nullo modo fiet illud in præsenti sæculo.

Qui autem efficit nos in hoc ipsum, qui perficiet immortales in alia vita, *Deus*, est omnipotens, *qui dedit nobis*, in se credentibus, *pignus Spiritus sancti*, id est vadium dedit nobis tempore baptismatis, gratiam Spiritus sancti, ut securi simus de promissa gloria hæreditatis. Si enim tautum est pignus, quanta erit hæreditas et completio promissionis?

Audentes igitur semper, id est audaciam habemus et ausi sumus dicere habere nos pignus Spiritus sancti et sumus *scientes quoniam dum sumus in hoc corpore* mortali, *peregrinamur a Domino*, id est, longe sumus a Domino. Cum idem Apostolus dicat alibi, confirmans sententiam cujusdam gentilis, quoniam *in ipso*, id est in Deo *vivimus, movemur et sumus* (*Act.* XVII), et cum Deus ubique sit, et etiam omnis locus in ipso sit, unde et ubique præsens est, quare dicit modo nos longe esse a Domino? Nimirum ideo talia dicit, quia proprius locus omnipotentis Dei cœlum dicitur, ibique semper videtur ab angelis sanctis et hominibus justis : et quia hic positi ubi non videtur ipse neque gloria æternæ beatitudinis, longe ab illo dicimur esse, et peregrinari ab illa gloria.

Per fidem enim ambulamus, et non per speciem, id est, per fidem et spem tendimus ad patriam cœlestem, et non per speciem neque per rem, quia nondum videmus quod erimus.

Audemus autem, subaudis dicere, *et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Deum*. In anima, subaudis, quam præsentes esse in corpore : et absentes esse in anima a Deo, id est magis desideramus jam esse in præsentia Dei, alieni a corpore isto mortali, quam esse in hoc corpore mortali, ubi manentes longe sumus a Dei contemplatione.

Et ideo quia hanc voluntatem habemus, *contendimus* et laboramus *placere illi, sive absentes* simus, manentes in corpore mortali, *sive præsentes* in anima: quia qui hic positus placet Deo, illic non displicet ei.

Omnes enim nos manifestari et præsentari *oportet ante tribunal Christi*. Tribunal sedes excelsa est judicum et præsidum, qui dantes judicia populis, in excelso loco resident, ut possint videre reos et innocentes et ut ipsi etiam videri possint ab omnibus. Pro magnitudine ergo potestatis et judicis, magnitudo tribunalis et judicii æstimanda est : quia illa potestas æterna ita apparebit excelsa super cœlum et terram, ut ab omnibus possit videri, bonis scilicet ac reprobis, ut videant in quem pupugerunt ; *ut referat*, id est reportet sive recipiat *unusquisque propria corporis*, subaudis merita, *prout gessit, sive bonum sive malum*. Cum multa et maxima peccata gerantur solo animo, sicut odium, invidia, superbia, et illud quod *dixit insipiens in corde suo : Non est Deus* (*Psal.* XIII), quare dicit de his solummodo hominem judicandum quæ corpore operatus est, videlicet de homicidio, adulterio, et cæteris talibus? Quod ergo dicit ut recipiat propria merita corporis, sic est intelligendum, ut recipiat propria merita quæ gessit eo tempore quo in corpore fuit, ut per corpus, intelligatur corporis tempus. Ex hoc quoque loco proposuit beato Augustino quæstionem Paulinus Nolanus episcopus, quod prodessent homini mortuo orationes et eleemosynæ, quæ post mortem illius a parentibus et amicis pro remedio animi implentur, si homo tantummodo propria merita est recepturus, quæ eo tempore gessit quo in corpore fuit ? Cui respondit beatus Augustinus nullo modo prodesse ea quæ post mortem fiunt a parentibus illi qui jam mortuus est, nisi in hac vita positus, bona intentione et voluntate atque inchoatione hoc promeruerit, ut illa accepta sint Deo, quæ post ejus exitum celebrantur a parentibus. Huic etiam sententiæ concordans Beatus Gregorius, dicit : Sciendum quia saltem de minimis nihil quisque purgationis post mortem obtinebit, nisi in hac vita positus hoc promereatur, ut illic veniam possit assequi. Tria autem sunt quæ prosunt post mortem, ut beatus Augustinus dicit in libro Enchiridion, jejunia videlicet, eleemosynæ, et orationes, quæ autem pro valde bonis aguntur, gratiarum actiones sunt pro non valde bonis ; et pro non valde malis, qui in purgatione aliqua sunt positi, propitiationes sunt et purgationes pro valde malis et æternaliter damnatis, et si nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt. Quibus autem ista prosunt, aut ad hoc prosunt ut fiat illis plena remissio : aut ut tolerabilior fiat damnatio ipsa. Mitissima sane omnium pœna erit, qui propter peccatum quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt: et in cæteris qui addiderunt, unusquisque tanto ibi tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hic minorem gessit iniquitatem.

Scientes ergo timorem Domini, non quo ipse timet, sed quo timendus est, et quo terrebuntur omnes in die judicii, *hominibus suademus* declinare a malo, et facere bonum, ut possint evadere Dei vindictam. *Deo autem manifesti sumus: spero autem in conscientiis vestris*, o Corinthii, *manifestos nos esse*, id est ipsæ conscientiæ vestræ testimonium nobis perhibent, quia recte credimus, sancte vivimus, et bene prædicamus, Deo autem manifesti sumus. Nunc revertitur ad ea unde et superius locutus est, scilicet quod falsi Apo-

stoli dijudicabant, veros, et dicebant Paulum et Barnabam seductores, volentes eis præferre non solum Petrum aliosque apostolos, sed etiam seipsos ac si diceret beatus Paulus : Illis qui nobis detrahunt, incogniti sumus quia nesciunt quales sumus.

Non iterum nos commendamus vobis, id est, non laudamus nos iterum vobis, quasi aliquid utilitatis in ea laude habeamus, *sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, et non in corde*, id est, ut habeatis unde gloriari possitis ad falsos apostolos, habere nos bonos et veraces apostolos, id est prædicatores. In facie gloriabantur pseudoapostoli sive in præsentia multorum, et non in corde : quia, non habentes, unde possent gloriari in corde, laudabant se esse apud alios quod non erant. Electi enim in corde gloriantur, et non in facie : quia, cognoscentes se placere Deo, gaudent in animo, et tamen non requirunt laudari in præsentia : ne forte bonum quod habent, per vanam gloriam amittant.

Sive enim mente excedimus, id est, si contra mentem nostram agimus, aliter prædicando, atque aliter vivendo, vel si superbe nos laudamus ; *Deo*, subaudis relinquendi sumus et reservandi, et non aliquo vestrum judicandi : *sive sobrii sumus*, id est, si habemus sanam doctrinam, vel si sobrii vivimus et temperate, prædicamus vobis, subaudis prosumus.

Charitas enim Christi urget nos, id est charitas Christi qua nos diligimus, compellit nos talia dicere scilicet ut nos laudemus vobis, volentes vos revocare ab amore pseudoapostolorum ad amorem Christi et nostrum : *existimantes hoc*, et certum tenentes, *quoniam si unus*, id est Christus, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, qui ejus adventum præcesserunt et secuti sunt, *et pro omnibus mortuus est Christus*. Omne genus humanum propter peccatum originale quod traxit ex Adam, et in corpore et in anima mortuum est, quia dictum est Adæ : *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen.* II). Mortuus est illo die quando comedit : in anima et in corpore factus est mortalis, quia postmodum mortuus est. Sicut ergo nullus homo extra Adæ progeniem est, ita nullus extra peccatum est illius et mortem, præter unum Christum. Venit ergo Christus sine peccato nascens, sine peccato conversans in mundo, innocenter mortuus est pro omnibus prædestinatis ad vitam et ut Prosper dicit, et Joannes Chrysostomus, aliique doctores, licet omnes non credant, et etiam omnes credentes non salventur, ille fecit quod suum erat, pro omnibus moriens. Verbi gratia : Sicut medicus quilibet componens potionem contra omnes infirmitates, veniat in civitatem quamdam, et dicat omnibus : Quicunque ex hac potione biberit, salvus erit a quacunque infirmitate tenetur : et qui bibit, sanatur : etsi omnes nolentes bibere non sanantur, ille tamen omnibus illis attulit potionem, et fecit quod ad se pertinebat. Ideo autem *mortuus est Christus pro omnibus, ut et qui vivunt* in fide, *jam non sibi vivant: sed ei qui pro omnibus mortuus est, et resurrexit*. Ille vivit Christo, qui non quærit suam utilitatem solummodo, sed aliorum : et qui pro fratribus non dubitat mori : sicut Christus non quæsivit sua, sed nostra : quia pro omnibus mortuus est, et est sensus : Qui Christus innocenter pro omnibus mortuus est : ego aliique apostoli non debemus cessare fratribus impendere hoc quod ab illo accepimus : et etiam si necessitas fuerit, animas pro salute illorum ponere.

Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Perfectos Corinthiorum alloquitur. Sed nunquid illi quando ista loquebatur, non erant in carne ? Erant utique, sed ita est intelligendum : Ex hoc, id est ex quo vocati estis ad fidem, neminem vestrum perfectorum novimus secundum spem carnalium et temporalium rerum vivere, sed in spe cœlestium præmiorum *Et si cognovimus Christum secundum carnem*, subaudis mortalem fuisse et corruptibilem : *sed nunc jam non novimus*, subaudis illum mortalem et corruptibilem, sed immortalem et incorruptibilem et est sensus : Ideo non estis positi in spe rerum carnalium et temporalium, quia in spe et fide jam estis immortales et incorruptibiles securi de præmio. *Si qua ergo nova creatura est*, id est novus populus per fidem et per aquam regenerationis, *vetera transierunt*, illis, id est, lex Veteris Testamenti in sacrificiis, circumcisione, sabbati otio, cæterisque talibus. *Ecce facta sunt omnia nova*, in Evangelio, circumcisio, videlicet spiritalis, quæ fit in baptismate ubi est vera exspoliatio peccatorum. Similiter de cæteris intelligendum : vel, vetera transierunt infidelitas, peccatum, et cætera quæ ad veterem hominem Adam pertinent: et facta sunt nova, fides videlicet, justitia, obedientia, charitas, cæteraque virtutes ad novum hominem, id est Christum pertinentes. Aliter : si qua nova creatura est, id est novus populus, vetera transierunt illis jam in spe, mortalitas videlicet et corruptio, et facta sunt nova similiter in spe immortalitas et incorruptio ; vel, usus est præterito pro futuro, pro eo quod est, vetera transibunt, et fient omnia nova, juxta quod Joannes dicit : Erunt *omnia nova*.

Omnia autem, subaudis genera innovationis, *ex Deo* Patre nobis procedunt qui reconciliavit nos sibi per Christum, id est per passionem Christi, *et dedit nobis* apostolis *ministerium reconciliationis*. Illi reconciliantur, qui antea inimici erant. Et nos inimici eramus Deo Patri, non per naturam quam ipse fecit sanctam et bonam, sed per vitium quod nos addidimus. Ablato ergo peccato quod nos addidimus, per sanguinem Christi reformata est natura ut fuerat creata et reconciliati sumus Deo Patri. Christus ergo procurans nobis reconciliationem per suam passionem, rediit ad Deum Patrem unde venerat. Sed ne imperfectum sive infectum remaneret quod nobis procuraverat, ministerium reconciliationis dedit suis apostolis, ut ipsi nobis annnntiarent redemptos esse sanguine Christi et sua prædicatione

reconciliarent nos. Sicut enim ipse dixit : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (*Joan.* VII) : *ite, docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII).

Quoniam Deus Pater *erat in Christo mundum reconcilians sibi* per illum. Deus Pater in Filio erat, et Filius in Patre, sicut idem Filius ait : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X). Et, *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV). Aliter ergo erat in Christo, atque aliter fuit in prophetis et apostolis per quos loquebatur. In illis erat per gratiam, in Christo erat per unitatem substantiæ, quia unum sunt : mundum reconciliavit sibi per Christum, id est, omnes prædestinatos ad vitam æternam, *non reputans illis*, id est credentibus, *peccata ipsorum*, postquam ad fidem venerunt : quia quales antea fuerant non attendit, sed quales futuri erant ; *et posuit in nobis verbum reconciliationis*, id est doctrinam Evangelii.

Pro Christo ergo legatione fungimur, id est, vice Christi missatico fungimur, *tanquam Deo exhortante per nos*, subaudis homines ad credendum. *Obsecramus pro Christo*, id est, vice Christi *reconciliamini Deo* Patri per fidem et justitiam, auferentes a vobis omne peccatum quod a Deo vos separat.

Eum, id est Christum, *qui non noverat peccatum*. Deus Pater, *pro nobis peccatum fecit*, id est hostiam pro peccato. Sic enim appellatur hostia pro peccato, maxime in Septuaginta interpretibus, qui soliti sunt dicere : *Ponet enim manum suam super caput* peccati (*Levit.* I), id est, super caput hostiæ pro peccato. Sed quæstio oritur in hoc loco. Quomodo judicet Deus et vindicet in homine peccatum, si ipse peccatum non novit? Quæ ita solvitur, quia novit per sapientiam peccatum esse malum, sed non novit experientiam, ut aliquando peccaret ; verbi gratia, sic dicimus : Joannes evangelista quando scripsit suum Evangelium, novit mentiri, id est, novit mendacium per sapientiam, sed non novit per voluntatem ut vellet mentiri, neque per experientiam quando illud scripsit. Ideo fecit Deus Pater hostiam pro peccato Christum : *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*, id est, ut efficeremur justi per misericordiam Dei Patris in ipso, id est per Christum, vel in ipso, id est, in corpore Christi conjuncti, adjuvantes autem vos nostra prædicatione et exemplo.

CAPUT VI.

Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Exhortatio species est doctrinæ, dum quilibet verbo aut exemplo consolationem præstat alicui : verbi gratia ; videt aliquis nostrum fratrem suum in mœrore et tristitia positum propter amissionem filiorum et uxoris, aut propter damnum temporalium rerum, dum ei reducit ad memoriam et in exemplum, quanta et qualia sustinuit beatus Job patienter, et quomodo postmodum meruit propter patientiam suam omnia recipere in duplum : ista talis consolatio et admonitio, exhortatio est dicenda. Videt etiam aliquem contristari et dolere propter amissum

A lumen oculorum, dum ei reducit ad memoriam beatum Tobiam, et consolationem ei ex hoc aliquam præstat, exhortatio est. Dum videt etiam alium dolore nimio constringi propter peccata sua, et pene in desperationem lapsum, si verbo aut exemplo consolationem præbet, ne desperet de venia aut salute dans ei exemplum Mariam meretricem, cui Dominus omnia peccata dimisit (*Luc.* VII), et latronem in cruce, qui ad unam vocem meruit audire : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XIII), exhortatio bona et consolatio est. Dicamus et aliter : Sicut posito aliquo in certamine singulari cum suo inimico, dum ei dicit aliquis ex circumstantibus, Pugna fortiter, noli dubitare, noli deficere, victoriam obtinebis, exhortationem ei præbet et audaciam : sic qui positum in cer-

B tamine bonæ operationis contra diabolum et vitia carnis, admonet ne deficiat neque cesset a cœpto opere, exhortationem bonam præbet. Unde dicit Apostolus modo alloquens Corinthios, et in illis omnes fideles : Hortamur vos nostra prædicatione nostroque exemplo, omnibusque modis, ne in vacuum sive inane et inutiliter gratiam Dei recipiatis, omnia bona quæ generi humano dantur gratia Dei dicitur, quia gratis ei conceduntur. Gratia quippe Dei est, habere fidem, spem, charitatem, sapientiam divinam vel humanam, et bona temporalia. Istam ergo Dei gratiam in vacuum recipit, qui veniens ad fidem et remissionem peccatorum in baptismate percipiens, Dei præceptis inobediens exsistit, non adhibendo studium, ut possit Dei præcepta ipso adjuvante im-

C plere, quoniam fides sine operibus mortua est et inanis (*Jac.* II). In vacuum quoque bona temporalia gratis a Deo data percipit, qui illa hilari mente pauperibus pro Dei amore erogare non studet. Ut ergo non longius protelemus sermonem, dicamus unum ex multis, quomodo gratia Dei in vacuum recipiatur, Dominus dicit in Evangelio discipulis : Ite, *docete omnes gentes* fidem sanctæ Trinitatis, *baptizantes eos, et docentes servare omnia quæcunque mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII). Quicunque ad fidem venit, et non servat ea quæ in lege et Evangelio continentur, in vacuum gratiam Dei recipit.

Ait enim : Tempore accepto exaudivi te : et in die salutis adjuvi te. Hoc Isaias propheta protulit ex persona Dei Patris loquentis ad Filium : Tempus ac-

D ceptum Deo Patri, et dies salutis humani generis, tempus fuit passionis Christi in quo Deus Pater decrevit, disposuit, prædestinavit per passionem Filii sui salvare ac redimere genus humanuum ; isto tempore accepto Deus Pater exaudivit Filium suum, quia quidquid oravit Filius pro salute generis humani totum impetravit. Legimus enim in Evangelio Joannis quod appropinquans passioni, oravit dicens : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum et illi sint mecum, ut videant claritatem meam* (*Joan.* XVII). Si quis vero de apostolis hoc tantummodo dictum asserit, attendat quod ipse alias dicit : *Non pro his rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me* (*Ibid.*). Exaudivit quoque illum de

sua oratione, quando oravit dicens : *Pater, clarifica Filium tuum.* Et venit vox de cœlo, clamans : *Et clarificavi*, subaudis tempore baptismatis et in monte coram discipulis : *et clarificabo* tertia die a mortuis suscitando. Et non solum pro aliis exauditus est, sed etiam pro suis persecutoribus pro quibus oravit pendens in cruce : *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quod faciunt* (*Luc.* XXIII). Multa enim millia post ejus ascensionem ex his prædicationem apostolorum crediderunt. Audivit quoque illum in die salutis generis humani, quia tertia die devicto mortis imperio, eum a mortuis revocavit. Sicut retulimus ista ad caput omnium electorum, id est ad Christum, referamus ea et ad membra ipsius. Tempus acceptum quo exaudiri possumus, et dies in qua salutem nobis æternam procurare valemus, ab exordio Dominicæ prædicationis est, sed maxime ab ejus resurrectione usque ad diem judicii quo tempore per bona opera possumus acceptabiles esse Deo Patri, et placere illi, atque exaudiri ab illo. De quo tempore etiam Apostolus subdit : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Tempus acceptabile ad pœnitentiam agendam vita præsens est usque ad diem judicii, quæ appellatur et dies salutis, in qua nobis salutem æternam possumus promereri, quoniam apta est ad operandum. De qua die dicit Dominus : *Ambulate dum lucem habetis* (*Joan.* XII). Huic diei succedit nox, tenebræ scilicet æternæ damnationis, in qua nemo potest operari sicut Dominus dicit : *Venit nox in qua nemo poterit operari* (*Joan.* IX). Et idem Apostolus : *Dum tempus habemus, operemur quod bonum est* (*Gal.* VI). Modo enim non possumus ad indulgentiam proficere peccatores, modo valemus obtinere veniam : quia secundum quod propheta dicit : In inferno nemo confitebitur Deo ad veniam (*Psal.* VI). Erit enim pœnitentia, sed sera et tarda.

Nemini dantes ullam offensionem. Offensio proprie est scandalum, ruina, vel impeditio pedis : sed in hoc loco pro occasione maxime ponitur : Simus, inquit, nemini dantes ullam offensionem, id est occasionem peccandi aut in verbo, aut in pravæ operationis exemplo, vel neminem scandalizemus in aliquo sermone vel facto ; *ut non vituperetur ministerium nostrum.* Ex persona sua loquitur Apostolus omniumque prædicatorum, jungens se cum Corinthiis. Ministerium prædicatorum vituperatur atque contemnitur : si quod prædicant verbis agendum, destruunt operibus, aliud videlicet prædicantes in publico, et aliud agentes in occulto : bona docentes in propatulo, turpia in conclavi operantes.

Sed in omnibus, subaudis nostris actibus et verbis, *exhibeamus* et præparemus *nos sicut Dei ministros.* Dei minister est, qui Deo militat et Deo servit verbo doctrinæ et fructu bonæ operationis. Quicunque enim Dei minister vult esse, Deo debet in omnibus ministrare, ut in omnibus quæ agit cognoscatur veri Dei esse cultor, verbi gratia, ut doceat inscium, pascat esurientem, potet sitientem, vestiat nudum, calefaciat algentem, colligat vagantem, visitet infirmum, sepeliat mortuum, et in his omnibus non quærat laudem humanam, sed Dei gratiam : non hominibus placere, sed Dei præceptis obedire. Hæc quicunque fecerit, Deo ministrabit, et merebitur ab illo audire cum electis : *Quandiu fecistis uni ex his minimis meis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). *In multa patientia.* Patientia est, non deficere inter adversa hujus sæculi : quam habuerunt sancti martyres. Non in parva, inquit, neque in modica patientia, sed in multa exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros. Patientia quoque est patienter ferre delinquentes, sicut beatus Apostolus sustinebat Corinthios : qui, postquam ad fidem venerant, ad vitia pristina sunt reversi, quos aliquando blande, aliquando improbe corripuit, quousque revocavit eos ad fidem. *In tribulationibus*, subaudis simus in multa patientia, et exhibeamus nos sicut Dei ministros. *In tribulationibus* dicit, id est in fame, siti, nuditate, aliisque afflictionibus. *In necessitatibus.* Necessitas dicitur eo quod in nece sit posita, id est in periculo mortis, ubi præcipit Apostolus patientiam servare *in angustiis.* Omnis indigentia et inopia, angustia vocatur.

In plagis, in carceribus. Sæpe plagis virgarum et gladiorum cæsus est Apostolus, sæpe etiam in carceribus retrusus est pro Christi nomine, ubi non cessavit donum Dei prædicare, contempta sua salute. Admonet autem cum multa patientia, si necessitas fuerit talia pati pro amore Christi et salute fratrum nostrorum, qualia ipse sustinuit usque ad decollationem. *In seditionibus* simus in multa patientia. Seditiones proprie ad cives pertinent, et sunt tumultus et conturbationes sive contentiones. *In laboribus.* Paulus apostolus non solum laborabat in prædicatione, sed etiam in labore manuum desudabat : unde sibi victum et vestitum acquirebat in labore scilicet scenofactoriæ artis, ne gravis esset suis auditoribus, si ab eis aliquid acciperet, certus hoc sibi proficere apud Deum. *In vigiliis* simus dediti. Ipse non solum die non cessabat a labore nec requiescebat, sed etiam tantum erat sollicitus circa officium sibi deligatum, ut nec nocte cessaret aut a prædicatione, aut ab alio opere ; unde legimus in Actibus apostolorum, quia *usque ad mediam noctem* suum *sermonem protraxit* (*Act.* XX), quando Eutychus, qui interpretatur amens, de tertio cœnaculo cecidit, eo quod negligens esset in studio audiendi verbum Dei. *In jejuniis* simus patientes. Aliquando voluntarie, aliquando invitus jejunabat, et ne ventris causa inclinaretur, Deo gratias agebat. Sicut enim medicina archiatri, id est summi medici, necessaria est vulneribus : ita animæ nostræ necessaria sunt jejunia.

In castitate mentis et corporis. Castitas corporis est, immaculate et impollute custodiri ab omni libidinis delectatione. Castitas mentis, integritas est fidei quia illa vera est castitas quæ nec mente polluitur. Vel etiam *in castitate* dicit, id est in sinceritate et integritate verbi Dei simus dediti, ut non

adulteremus verbum Dei, non quærentes gloriam propriam, sed Dei : non pro lucris temporalibus prædicationi insistentes, sed pro remuneratione æterna : non prædicantes alia in publico, et alia agentes clanculum, et sacram Scripturam non interpretantes perverse. *In scientia* Veteris Testamenti et Novi simus occupati, non in simulatione, neque in humana sapientia, quæ inflat hominem sine charitate. *In longanimitate.* Longanimitas est longa animi perseverantia, et patientia in adversis hujus sæculi. *In suavitate*, ut nulli non solum factis, sed etiam nec verbis nostris amaritudinem generemus. *In Spiritu sancto*, id est, tales nos exhibeamus, ut templum simus sancti Spiritus. *In charitate non ficta.* Charitas ficta est, quando quis videns fratrem suum in necessitate positum derelinquit eum quem antea profitebatur se toto nisu mentis diligere. Ficta quoque charitas est, quando quis videns fratrem suum peccare, non corripit eum causa adulationis. Firma vero charitas est, si diligimus proximum ut nosmetipsos et cui tempore prosperitatis adhærere videbamur, tempore persecutionis illum non derelinquimus. De charitate dicit apostolus Joannes : Charissimi, non diligamus solummodo verbo et lingua, sed opere et veritate.

In verbo veritatis. Simus occupati, id est in doctrina Evangelii, vel certe in verbo veritatis, ut veritatem loquamur cum proximis nostris. *In virtute Dei* ponamus spem nostram, non in nostra audacia aut alicujus hominis potentia, quia *maledictus homo qui confidit in homine* (*Jer.* XVII). Vel, *in virtute Dei* dicit, id est, ut non nostris meritis deputemus, si quid boni agimus, sed virtute Dei : quo adjuvante omnia bona implere valeamus. *Per arma justitiæ a dextris et a sinistris*, id est, per arma virtutum incedamus in prosperis et in adversis. Arma ergo, id est custodiam virtutum a dextris habet, cujus animum prospera hujus sæculi non elevant in superbiam, neque emolliunt. A sinistris quoque arma habet, quem adversa non dejiciunt, neque frangunt. Paulus igitur a dextris et a sinistris arma portabat, atque securus in medio incedebat cum talia diceret, quia et in prosperis erat humilis, et in adversis fortissimus. Semper ergo adesse debet mentibus nostris in adversitate fiducia, et spes certa, et in prosperitate timor, ne aut adversa in desperationem nos pertrahant (sicut Cain et Judam proditorem), aut prospera animum in tumorem superbiæ extollant, et in sui fiducia decipiant, sicut et Nabuchodonosor, quando dixit : *Nonne hæc est illa Babylon quam ædificavi?* (*Dan.* IV.)

Per gloriam et ignobilitatem. Sicut nobilis dicitur nominabilis, ita ignobilis sine dignitatis nomine. Sancti apostoli apud fideles gloriosi habebantur, et laudabantur ab illis veraces esse, sancti et justi : apud infideles vero ignobiles et sine aliqua laude. Unde dicit Apostolus : Per gloriam fidelium, et ignobilitatem infidelium : vel, inter illos a quibus gloriosi dicimur, et inter illos a quibus ignobiles, incedamus patienter sicut ministri Dei, ut neque favore et laude fidelium elevemur, neque detractione infidelium dejiciamur. Aliter : Per gloriam sapientiæ divinæ, et gloriam virtutum sive miraculorum, et per ignobilitatem flagellorum, despectionum, et carcerum patienter incedamus *per infamiam et bonam famam.* Infamia est mala fama ; bona vero fama bona est opinio et laus. Et quod superius dixit, per gloriam et ignobilitatem, hoc repetivit explanando, inquiens : Per infamiam et bonam famam patienter incedamus, habentes custodiam virtutum a dextris et a sinistris, credentes plus nobisipsis de nobis quid sumus, quam aliorum verbis. *Ut seductores et veraces.* Modo exponit superiora. Ab infidelibus dicebantur esse seductores, magi et malefici ; a fidelibus vero, propter sanam doctrinam et virtutem miraculorum, non solum veraces et justi, sed etiam dii habebantur, si ut legimus in Actibus apostolorum (*Act.* XIV), quando ei et Barnabe coronas detulerunt, dicentes : Dii sunt in effigie hominum latentes. Et quid mirum si apostoli et servi seductores appellati sunt, cum ipse Dominus et magister omnium seductor sit appellatus, dicentibus Judæis post mortem ejus ad Pilatum : Domine, *recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam* (*Matth.* XXVI). Ut seductores apud infideles, et veraces apud credentes incedamus patienter, protecti undique armis virtutum, *sicut qui ignoti* incredulis *et cogniti* credentibus, id est inter illos qui non cognoscunt conversationem nostram, nec valent penetrare doctrinam nostram, et inter illos a quibus cognoscimur esse veri cultores Dei incedamus patientissime muniti armis justitiæ ;

Quasi morientes, et ecce vivimus. Quasi moriebantur sancti apostoli et martyres, cum per multa tormenta et cruciamenta pene usque ad mortem affligebantur. Sed dum ita essent in periculo mortis constituti et in desperatione vitæ, per flagella, verbera, et lapidationes subito virtute Dei roborati confortabantur, et quasi ex mortuis vitam recipiebant. Sic legimus de beato Paulo, quia cum Listris tandiu esset, flagellatus et lapidibus obrutus, per plateas quoque civitatis tractus quousque quasi mortuus relinqueretur : nocte eadem transcurrente diluculo cœpit in Derben verbum Dei publice prædicare. Illi enim qui decollabantur, quasi moriebantur dum ab hoc sæculo transibant, sed illa mors temporalis erat, cui succedebat vita perpetua. *Ut castigati*, verberibus et verbis, *sed non mortificati.* Quando flagellabantur sancti apostoli et martyres, castigabat quidem illos Deus, ne se extollerent propter maximam gratiam sibi concessam, sed non permittebat eos mori usque ad tempus quo ei placebat. Castigationem quippe in hoc loco pro flagellatione possumus intelligere, sicut legimus Pilatum dixisse de Domino. Castigatum, inquiens, *illum dimittam* (*Luc.* XXIII).

Quasi tristes, semper autem gaudentes apostoli et sancti martyres, dum lacrymabantur inter flagella et cruciatus terribiles, tristes videbantur esse in

vultu, sed gaudebant in corde, securi de spe cœlestium præmiorum, scientes quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in illis : et quoniam tristitia illorum vertenda erat in gaudium æternum. Electi quidquid tribulationis et persecutionis sustinent, quasi est illis, id est tanquam non sit, quia si cæduntur virgis, si excoriantur, et etiam si occiduntur, omnia quasi sunt : quia transitoria sunt et temporalia. Veniet autem verum illorum, id est gaudium æternum et vita sine fine mansura. Sicut enim ille qui seminat, expergefactus solet dicere : Quasi videbam homines æquitare, quasi videbam ante me multas epulas appositas, atque totum dicit, quasi, non est ibi veritas, sed sicut umbra transierunt, ita in omnibus quæ sancti in hoc sæculo patiuntur, quasi est, quia transitivum est. Videbantur enim inter supplicia mori, videbantur tristari secundum fragilitatem, sed quasi erat ibi, quia mente gaudebant. Et si moriebatur ad tempus, subito transibat illorum mors in vitam æternam. Reprobis autem, qui totam spem suam in terrenis rebus ac transitoriis ponunt, nec tendunt ad æterna gaudia, sed in prosperitate felicitateque hujus sæculi lætantur, videtur quod verum teneant, sed non est verum, quia transitivum et temporale est ; et cum ab hac vita transierint, nihil invenient ex his quæ hic quasi vera visa sunt illis, juxta quod Psalmista dicit : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* LXXV). Transibit ergo istorum quasi verum, sed non erat verum, et veniet illorum væ, hoc est æternum supplicium. *Sicut egentes* simus, *multos autem locupletantes.* Quasi egentes videbantur divitiis hujus sæculi, sed abundabant divitiis spiritalibus in prædicatione et miraculis, ex quibus locupletabant alios. Vel revera egentes videbantur substantia temporali, sed multos locupletes reddebant, sicut sanctos qui erant Hierosolymis, qui pro Christo omnia sua reliquerant, vel a Judæis exspoliati fuerant, eo quod in mortuum hominem credidissent, quos alloquitur in Epistola ad Hebræos : *Rapinam*, inquiens, *bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis* (*Hebr.* XII), et de quibus Isaias : *Qui recessit*, inquit, *ab iniquitate et malo, prædæ patuit* (*Isai.* LIX). Istos ergo ditabant et locupletabant apostoli, quia ex omnibus locis ubicunque prædicabant, ministrabant eis quæ necessaria erant. Unde idem Apostolus in Epistola ad Romanos : *Nunc*, inquit, *proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis* (*Rom.* XV). *Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.* Tanquam nihil habentes erant, quia nihil proprium habebant. Omnia autem possidebant, quia erant illis omnia communia (*Act.* II, IV). Sic debent et monachi esse tanquam nihil habentes proprium, et omnia possidentes communiter. Vel tanquam nihil habebant, quia non habebant prædia, non aurum, nec argentum, non servos, aut ancillas, et tamen omnia possidebant ista in possessoribus eorum, quos sibi per prædicationis arma et virtutem miraculorum subjugaverant.

In possessoribus etenim omnia possidebant possessorum. Sicut enim quidam dux Romanorum Tarquinius nomine respondit legatis cujusdam gentis, aurum volentibus dare pro pace ac libertate, Romanos potius velle aurum possidentibus imperare, quam aurum habere aut possidere, ita sancti apostoli magis desiderabant possessores divitiarum per fidem et doctrinam Christi possidere, quam aliquid proprium habere. Possumus etiam dicere quia in hoc sæculo apostoli quasi nihil habentes erant, sed in capite suo Christo omnia possidebant, juxta quod idem Apostolus in Epistola ad Romanos dicit de Deo Patre : *Qui etiam Filium suum pro omnibus nobis tradidit, quomodo etiam cum illo non omnia nobis donavit?* (*Rom.* VIII). Simus ergo et nos tanquam nihil habentes in hoc sæculo, non ponendo spem in transitoriis rebus et caducis.

Possidemus enim omnia cum Christo, insuper et ipsum cum Deo Patre et Spiritu sancto possidebimus. Nam sicut dicit Salomon, qui fidelis est, totus mundus divitiarum illius est, quia non appetit ea quæ in mundo sunt, cognoscens procul dubio quia mundus transibit et concupiscentia ejus, et in hoc quod non appetit nec quærit habere nisi quod habet, quasi omnia possidet. Nemo enim plus habet quam qui nullo indiget ; et tamen cum divites multa habeant, multis indigent quia plus desiderant habere quam habent. Ille autem nullo indiget, qui præter necessaria victus, vestimenti et calceamenti, non requirit, contentus his quæ habet. In his ergo omnibus imitemur sanctos apostolos, doctores et patronos nostros, sicut filii boni imitantur bonos patres, ut inter adversa et prospera patienter incedamus, exhibentes nos sicut Dei ministros, quoniam si participes fuerimus illorum actuum in hoc sæculo, erimus utique consortes illorum æternorum præmiorum.

Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Id est voluntas mentis nostræ et intentio cordis. Prædicatio quoque oris nostri patet, et aperta est jam ad prædicandum, et prompta ad vos docendum. Illius os patet et apertum est ad prædicandum, cujus voluntas est perfecta, prædicatio sancta, conversatio bona. Cujus vero voluntas est tortuosa, conversatio ac vita prava, licet aliquid intelligentiæ videatur habere, deficiunt ei verba cum sensu, ideo quod non patet illius os ad prædicandum, quia timet in aliis redarguere quod cognoscit in se ab aliis intelligi.

Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris ; et est sensus : O Corinthii, si sensum angustum habetis et strictum, ut non possitis recipere latitudinem mysteriorum divinorum, nolite nobis hoc reputare, quoniam non consistit hoc in nobis, qui vobis ministrare debemus, sed in vobis qui debetis accipere. Non quidem multa vobis possumus dicere, et voluntatem propriam ad hoc habemus, sed intellectus vester et voluntas constrin-

gitur in visceribus, id est in interioribus cordis.

Eamdem autem habentes remunerationem, paratam subaudis, quam et nos, qui eamdem fidem habetis, *dilatamini et vos*, id est extendite sensum et intellectum vestrum, ne præ angustia sensus, non possitis penetrare et recipere mysteria divina.

Nolite jugum ducere cum infidelibus. In jugo duo animalia conjunguntur et coæquantur. Jugum vero hic debemus intelligere jugum diaboli, et potestatem quam habet super fideles, ac si diceret : Nolite suscipere jugum diaboli neque æquari infidelibus aut conjungi, ne similes illis efficiamini. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate ?* id est, quæ societas justo homini justitiam habenti cum injusto homine et pagano ? Nulla. *Quæ societas luci*, id est fideli, cum tenebris, id est infideli ? Nulla. Ista est lux, et istæ sunt tenebræ de quibus idem Apostolus dicit : Fuistis *aliquando tenebræ*, id est infideles, *nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v), id est fideles.

Quæ autem conventio Christi ad Belial. Belial interpretatur *absque jugo*, significans diabolum qui jugum omnipotentis Dei de collo suo excussit. Dicitur et in libro Samuelis : Qui dixerunt viri Belial, id est absque jugo Dei. Quæ conventio, sive quæ societas Christi ad diabolum ? Nulla.

Qui autem consensus templo Dei cum idolis ? id est, quem consensum debent habere fideles qui templum Dei sunt, cum idololatris qui sunt templa dæmonum. Nullum. In hoc loco percutit eos qui recumbentes in idolis, comedebant carnes idolothytas, qui debuerant esse fideles et templum Dei. *Vos enim estis templum Dei vivi*, non deorum qui non vivunt. Deus vivus dicitur, ad distinctionem illorum deorum, qui non vivunt, licet dicantur dii. *Sicut dicit Deus*, per Jeremiam : *Inhabitabo in illis*, per fidem et dilectionem per gratiam meam, *et inambulabo inter eos.* Dei Filius qui ista locutus est de credentibus electis, inter homines ambulavit, sicut dicitur, quoniam super terram visus est, et cum hominibus conversatus est, et ipse habitavit in nobis, sicut Joannes dicit : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I), *et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus* peculiaris, sicut olim fuit Israel.

Propter quod exite de medio eorum. Hoc Isaias propheta prædixit longe ante captivitatem Babylonicam quod Apostolus ad Corinthios retulit. Dicit enim propheta ex persona Dei, alloquens Judæos de captivitate revertentes post septuaginta annos : Propter quod, quia populus meus estis, exite de medio Chaldæorum, ut separemini ab eis, *et immundum ne tetigeritis*, id est idolum, quo nihil est immundius, ne adoraveritis. *Et ego recipiam vos*, in terram repromissionis. Referamus et hoc ad Corinthios, et videamus quomodo poterant illi qui crediderant relinquere uxores et liberos suos omnemque substantiam, qui adhuc imperfecti erant, nec poterant implere quod Dominus dicit : *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes* (*Matth.*

A xix), etc. Non ergo hoc præcepit Apostolus, ut corpore recederent ex toto ab eis qui increduli adhuc erant in medio eorum, sed potius ut mente separarent se ab illis. Exite, inquit, de medio paganorum, sed si non potestis corpore, vel saltem mente : et separamini ab eis voluntate, et immundum hominem nolite tangere. Immundum hominem tangit, qui peccatorem imitatur. Et si hoc feceritis, inquit Apostolus, recipiam vos in omnem familiaritatem, et Dominus recipiet vos in æternam beatitudinem.

CAPUT VII.

Has igitur *habentes promissiones*, charissimi, quas supra diximus quod sumus filii Dei, et ipse est B Pater noster, *mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus.* Non dixit simpliciter, mundemus nos ab inquinamento, sed ab omni inquinamento carnis et spiritus. Carnis inquinamentum est fornicatio, adulterium, homicidium, et cætera vitia quæ corpore perficiuntur : spiritus vero, id est, mentis inquinamentum, est ira, invidia, superbia, mala voluntas, et cætera mala quæ in animo cogitantur; *perficientes sanctificationem in timore Dei.* Sanctificationem in timore, id est per timorem Dei perficit, qui ab omni inquinamento carnis et spiritus mundat semetipsum.

Capite nos, id est intelligite quæ dicimus, vel capaces estote sermonis nostri, vel imitamini nos. *Neminem* vestrum *læsimus* verbo aut exemplo, sive C neminem vestrum exspoliavimus nostra adulatione: *neminem corrupimus*, pravo sensu aut exemplo : *neminem circumvenimus*, in negotio, ut evacueremus sacculos vestros. Quasi diceret : Quod nos non fecimus, fecerunt pseudoapostoli, ideoque non recte agitis præponentes illos nobis.

Non ad condemnationem vestram dico, id est, non ad vituperationem vestram me laudo aliosque apostolos, sed ad correctionem. Vel, non vos abjicio talia dicendo, sed ut vos corrigatis admoneo. *Prædiximus enim* in priori Epistola *quod in cordibus nostris estis*, sive in voluntate nostra, *ad commoriendum* in præsenti vita, *ad convivendum* in futura gloria, id est, tanto amore et desiderio erga vos ducimur, ut, si fieri posset, martyrium in hoc sæculo D per multa supplicia pro Christi nomine nobiscum sustineretis, ut coronam et præmium martyrii nobiscum reciperetis.

Multa mihi fiducia est apud vos, subaudis ideo talia loquor, sperans vos mihi obedientes esse : *superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, id est, audiens correctionem vestram et bonam conversationem, ita sum gaudio repletus, ut licet in carcere et vinculis tenerer constrictus, nihil doloris sentirem.

Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra ; sed quod caro non habuit, spiritus habuit qui delectatur inter adversa. Macedonia est regio Achaiæ, in quam cum venissent Paulus et Silas, et cœpissent prædicare et miracula

facere, puella quædam habens spiritum pythonicum, quæ non modicum quæstum præstabat dominis suis divinando, incedendo per plateas, clamabat dicens : O cives, viri isti servi Dei excelsi sunt (*Act.* XVI). Cujus misertus Paulus, fugavit malignum spiritum ab ea. Videntes autem domini ejus, quia exivit spes quæstus illorum, concitaverunt seditionem non modicam in Paulum et Silam, intantum ut cum diu flagellati essent, mitterentur in ima carceris. Et inde subjungit : Non habuit, inquiens, requiem caro nostra ; *sed omnem tribulationem passi sumus. Foris*, subaudis erant, *pugnæ*, *intus timores*. Pugnæ erant foris in corpore, dum sustinebant verbera et flagella, intus timores in animo, timentes ne passione eorum scandalizati hi qui crediderant, a fide recederent. Aliter : Foris, id est, extra carcerem in publico erant pugnæ contra credentes, qui impugnabantur ab infidelibus, intus in carcere erant timores, ubi erant apostoli vincti quia timebant interfici a persecutoribus.

Referens nobis vestrum desiderium, quo desiderabatis vos emendare, vel quo desiderabatis nos videre ; *vestrum fletum*, quo defletis illos qui a fide recesserunt ; *vestram æmulationem pro me*, id est vestrum amorem erga me, quo succensi fortiter defendere voluistis prædicationem meam veram esse, et falsos apostolos a vobis repulistis : *ita ut magis gauderem*, subaudis de vestra correctione, quam tristarer de vinculis meis.

Non quia contristati estis, subaudis accipientes epistolam, ideo gaudeo, *contristati enim estis secundum Deum*. Ille contristatur secundum Deum, qui Deum per pœnitentiam sibi placari desiderat. *Ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis*, id est in nullo eorum quæ vobis imperamus damnum habeatis : quia si contristavimus vos per epistolam, multum prodest vobis.

Quæ enim secundum Deum tristitia est, id est, qui Deo placere desiderat, *pœnitentiam operatur in salutem stabilem*, id est in vitam æternam. *Sæculi autem tristitia*, id est quæ pro amissione rerum temporalium est, vel pro aliquo dolore temporalis rei, *mortem operatur*, subaudis æternam, id est damnationem animæ : plerumque etiam mortem corporis quod in multis expertum habetur.

Ecce enim hoc ipsum, id est ipsa tristitia, *secundum Deum contristari vos*, *quantam sollicitudinem*, id est quantam curam *operatur*, ne denuo in peccata similia cadatis. Ubi enim sollicitudo est, non est somnolentia, securitas, vel inertia ; *sed defensionem*, subaudis operatur, ut vos possitis defendere ab infestatione dæmonum ; *sed indignationem*, quia indignatur homo sibimetipsi dum peccat : qui bonam curam habet, indignatur etiam contra peccantes, vel aliorum indignationes patienter sustinet ; *sed timorem* Dei operatur *sed desiderium* patriæ cœlestis ; *sed æmulationem*, id est amorem Dei, studium bonum, et imitationem bonorum operum, *sed vindictam* in seipso, quia seipsum causa delicti affligit. Dicit beatus Augustinus quod licet ista conjunctio causalis, sed, in hoc loco plenum sensum non reddat, tamen apud Græcos optime resonat. *In omnibus*, quæ vobis præcepi, *exhibuistis* et præparastis *vos incontaminatos esse negotio*, id est impollutos esse a meo præcepto, quia obedistis mihi. Tunc enim discipulus impollutum se reddit a præcepto magistri, quando obedit jussioni illius. Si vero inobediens exstiterit in aliquo, et si ab omnibus alienus culpis exsistit, tamen ex inobediendia maculatur. Aliter : In hoc probatis vos immunes esse a culpa aliorum, quia illorum errorem fortiter corripuistis. Contaminatus enim, auctoritatem non habet in alios vindicare.

Igitur etsi scripsi vobis priorem Epistolam, *non propter eum* solummodo scripsi, *qui fecit injuriam*, omnibus vobis, accipiendo uxorem patris, vel propter illos qui fraudem fecerunt fratribus ; *sed ad manifestandam sollicitudinem nostram quam pro vobis habemus*. Ideoque subdit : *Ideo consolati sumus* de vestra emendatione et obedientia atque receptione Titi.

Viscera ejus, id est Titi, *abundantius in vobis sunt*. Quidquid intra corium continetur, viscus appellari potest. Filii quoque viscera dicuntur. Ponuntur etiam pro nimiæ dilectionis affectu, sicut in hoc loco. Viscera ejus, id est nimia dilectio et affectus charitatis erga vos amplius abundavit.

Gaudeo quod in omnibus confido in vobis, subaudis quia obedientes eritis mihi.

CAPUT VIII.

Notum autem facimus vobis gratiam Dei, id est fidem cæteraque talia, quæ gratis dantur fidelibus, *quæ* gratia *data est Ecclesiæ Macedoniæ*, et *quod in multo experimento tribulationis*, subaudis nostræ et suæ, *abundantia gaudii ipsorum fuit*, *et altissima*, sive profundissima, *paupertas illorum abundavit*, et excrevit, *in divitiis simplicitatis eorum*. Beatus Apostolus cognoscens Corinthios avaros esse et tenacissimos, proponit eis in exemplum charitatem et bonam voluntatem Macedonum, quam habuerunt erga sanctos qui erant Hierosolymis. Cum enim nimium essent pauperes illi Macedones antequam venirent ad fidem, credendo in Christum, excrevit illorum magna paupertas in multas divitias, quia ex eadem paupertate quam habebant statim ut crediderunt, decreverunt sanctis mittere necessaria, qui erant Hierosolymis, et hoc simpliciter, id est bona voluntate et intentione fecerunt. De eleemosyna ergo et donatione quam volebat Apostolus ut Corinthii mitterent illis qui erant Hierosolymis, multa locuturus est in sequentibus.

Quia secundum virtutem testimonium illis reddo, et supra virtutem voluntarii fuerunt. Ordo perturbatus et præposterus : Testimonium illis reddo, Macedonibus videlicet, quia supra virtutem suam voluntarii fuerunt, id est plus voluerunt quam possent, et secundum virtutem possibilitatis suæ dederunt.

Cum multa exhortatione obsecrantes nos, subaudis

ut acciperemus ab eis *gratiam*, id est donationem quam illi gratis dabant, *et communicationem ministerii quod fit in sanctos*, qui sunt Hierosolymis.

Et non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt, id est, non fecerunt sicut timuimus, quando primum nos posuerunt in carcerem : sperare enim hic posuit pro timore sicut et in Virgilio habetur :

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,

pro eo quod est timere : *primum* dederunt se *Domino*, veniendo ad fidem, et corrigendo errores suos, *deinde nobis*, subdendo se nostro magisterio, *ita*, subaudi dederunt se ex toto Domino, et nobis subditi fuerunt : *ut rogaremus Titum*, quando illum ad vos misimus, *ut perficeret in vobis gratiam istam*, largitatis et eleemosynæ, ut sponte mittatis fratribus qui sunt Hierosolymis bona temporalia, sicut isti gratis et sponte mittunt.

Non quasi imperans dico, subaudis talia, *sed per aliorum sollicitudinem etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans*, id est, ut per istorum indulgentiam approbare possim bonum ingenium vestræ charitatis, ut si isti tanta miserunt qui pauperes sunt, vos plura mittatis.

Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quam vobis contulit. Omnia bona quæ humano generi data sunt, gratia Dei est, *quoniam cum dives esset*, secundum divinitatem, possidens omnia cum Patre, *propter vos*, et omnes credentes, *egenus factus est*, et pauper, intantum ut non haberet, quod habent vulpes, *ut illius inopia vos divites essetis*, in cœlo : et factus est homo, ut nos faceret deos, juxta quod per Psalmistam dicit : *Ego dixi : Dii estis* (*Psal.* LXXXI).

Et consilium in hoc do, subaudis ut ejus paupertatem imitemini. *Hoc enim vobis utile est*, subaudis facere quod dico, *qui non solum facere, sed et velle cœpistis ab anno priore*, sive ab anno præterito. Erant aliqui apud illos qui voluntatem quidem habuerunt aliquid mittere fratribus Hierosolymam, sed nihil inde fecerunt. Erant et alii qui aliquid inde fecerunt, sed ad effectum non perduxerunt. Quos omnes hortatur modo dicens : Hoc vobis utile est facere qui velle cœpistis, et qui ex parte fecistis.

Nunc vero et facto perficite, id est, opere adimplete.

Si enim voluntas prompta et parata ad dandum *est, secundum id accepta est quod habet*, subaudis et dat, *non secundum id quod non habet*, quia non valet illud dare quod non habet, licet velit. Hoc quidem apud homines est, cæterum apud Deum ipsa voluntas bona remuneratur.

Non enim, subaudis ideo talia præcipio, *ut aliis sit remissio*, id est, abundantia et refrigerium, *sed ex æqualitate*, subaudis hoc debetis facere, verbi gratia : Qui habet centum solidos, quinquaginta secum retineat, quinquaginta mittat his qui sunt Hierosolymis. Vel ex æqualitate ut aliquid mittat illis, et aliquid retineat ad suos suorumque usus. Hilarem siquidem datorem benevolentia decet, quæ sic suam temperet largitatem ut de illa et pauperum refectio gaudeat, et domestica sufficientia non laboret. Notandum ut hic distinctio sit, ubi dicit, sed ex æqualitate : *In præsenti tempore*, id est in hac vita, *vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia*, quæ spiritalis est, in jejuniis et orationibus, *vestræ inopiæ sit supplementum*, id est, ut quod minus habeatis in rebus spiritalibus, in ipsis habeatis et quod illi non habent in temporalibus, vos eis ministretis, *ut fiat æqualitas* inter vos et illos, dantes vos illis quod non habent, et ipsi vobis quod non habetis, vos illi temporalia, et ipsi vobis æterna.

Qui multum, subaudis collegit, *non abundavit : et qui modicum*, collegit, *non minoravit*. Hoc secundum litteram dictum est de manna. Nam cum præcepisset Dominus per singula capita plenum gomor colligi, quæ est mensura tres sextarios continens, quidam collegerunt plus, quidam minus. Sed cum præparassent sibi cibos in mortario cum pistillo, et ille qui plus collegerat, et qui minus, unam mensuram postmodum reperierunt, plenum scilicet gomor. Spiritaliter autem hic vult ostendere, quia si sunt duo homines, unus dives, et alter pauper, licet dives multa possideat, et distribuat plura pauperibus quam pauper, non tamen superat illius eleemosyna pauperis largitatem, sed plerumque donum parvum pauperis magis est acceptum Deo, quam divitis magnum, quia pauper de victu suo tribuit, dives ex his quibus superabundat. Quod comprobavit Dominus in Evangelio quando videns multa in gazophylacium a divitibus, et vidua Deo diminuta, quod est quadrans, id est quarta pars denarii, dixit (*Luc.* XXI) : *Vidua hæc plus quam omnes misit*, quia illi multa sibi retinuerunt, illa vero totum suum victum misit, nihil sibi retinens : Cor namque, et non substantiam pensat Deus, nec perpendit quantum in ejus munere, sed ex quanto amore proferatur.

Quoniam exhortationem quidem suscepit, a me quam vobis ministravit.

Misimus cum illo, id est cum Tito, *fratrem cujus laus est in Evangelio per omnes ecclesias*. Lucas qui et Lucius tacito hic nomine intelligitur, qui jam Evangelium conscriptum habebat mirifice, quod legebatur per omnes ecclesias, et insuper Actus apostolorum, quo labore ab omnibus fidelibus laudem habebat.

Non solum autem laudabatur per omnes ecclesias, *sed et ordinatus est comes* ac socius *nostræ peregrinationis*.

Devitantes et caventes hoc *ne quis vos vituperet* et reprehendat *in hac plenitudine*, subaudis doctrinæ et miraculorum, *quæ ministratur a nobis*, videlicet ne quis posset dicere : Bene quidem prædicat Paulus, Barnabas, Timotheus, sociique eorum et millia miracula per virtutem Domini perficiunt, sed in hoc non bene agunt, quia non habent curam sanctorum pauperum qui sunt Hierosolymis, sicut alii apostoli habent, et sicut Paulo præceptum est et Barnabæ ab apostolis, quando ad

gentes missi sunt. Unde idem apostolus alias dicit: Constituerunt, inquiens, apostoli, ut nos, ego et Barnabas in gentes operam daremus prædicandi tantum ut pauperum memores essemus.

Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Apostolus Paulus aliique bona eorum coram Deo providebant, quia in omnibus quæ agebant, Deo placere quærebant. Providebant et coram Corinthiis, quia tales fratres ad eos dirigebant ad recipiendas donationes, quæ mittendæ erant sanctis Hierosolymam qui sua pro Christo similiter reliquerant, nec erant cupidi divitiarum, aut amatores terrenarum rerum, ne forte occasionem invenirent Corinthii dicendi: Nos multa misimus, sed illi quos ad nos dixerit, furati sunt ea, cum debuissent illa augere. Aliter. Coram Deo, ut diximus, bona providet, qui Deo placere desiderat: et coram hominibus qui sine querela incidit ne sit nimis justus, sed apud omnes in omni vita sua et conversatione irreprehensibilis habeatur.

Misimus cum illis, cum Tito scilicet et Lucio, *fratrem nostrum*, subaudis Apollo qui vobiscum jam diu moratus est, *quem probavimus sollicitum esse*, subaudis pro vobis postquam a vobis recessit propter quorumdam malam conversationem et duritiam morum: *nunc autem multo sollicitiorem*, subaudis probavimus illum esse pro vobis, quia audivit vos esse correctos et emendatos. Isto in loco est distinguendum et postea ad alia transeundum. *Confidentia*, subaudis mihi est, *multa in vos*.

Sive pro Tito, qui est socius meus in prædicatione, *et in vos adjutor* docendo sicut et ego, *sive fratres nostri* apostoli subaudis adjutores vestri mihi retulerunt correctionem vestram et conversationem sanctam.

In illos, id est in Titum, Lucam et Apollo, *ostendite* charitatem vestram *in faciem ecclesiarum*, id est in præsentia fidelium.

CAPUT IX.

Nam de ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti, id est ex superfluo, *mihi est scribere vobis.*

Quoniam Achaia, id est pars Achaiæ, *parata est ab anno præterito*, illi videlicet, qui extra Corinthum metropolim civitatem habitant.

Un non dicamus vos in hac substantia. Defectus dictionis et sententiæ in hoc loco est non modicus et hujusmodi: Ut non dicamus vos in hac substantia, subaudis carnali et temporali minus fecisse, qui in omnibus perfecti estis, bona voluntate florentes.

Necessarium existimavi rogare fratres, Titum videlicet et Silam, et Apollo, *ut præveniant*, subaudis nos, *ad vos. Sic* subaudis. Date illam donationem, *quasi benedictionem*, id est benevolentiam ex charitate, *non quasi avaritiam*, id est non avare, sed sponte date.

Qui parce seminat, parce et metet. Parce aliquando pro dimitte ponitur, ut illud Virgilii:

Parce metu, Cytherea;

id est dimitte metum: aliquando pro servare, ut ibi: *Hic canere incipiam quanta experientia sit parcis apibus.* Parcæ enim dicuntur apes, quasi servatrices, eo quod servant sua mella. In hoc autem loco per hoc quod dixit adverbialiter parce, voluit significare avarum hominem, cui extorquetur cum violentia ut aliquid largiatur. Ergo qui parce seminat, parce et metet, id est qui parum tribuit pauperi, parum accipiet mercedis, sicut ad litteram ille qui parum seminat, parum colligit. *Et qui seminat in benedictionibus*, id est qui largitur eleemosynam pauperi cum benevolentia, bonaque temporalia distribuit ex sinceritate mentis, ut neque laudem humanam exinde requirat, neque illum cui aliquid tribuit, velit per hoc subditum sibi facere: *de benedictionibus et metet*, hoc est, de bona voluntate mentis accipiet mercedem æternæ beatitudinis. Ille in benedictione seminat, qui bona voluntate sub spe æternæ remunerationis hoc agit.

Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate, id est quantum disposuit in animo suo dare Deo, et pauperibus, tantum tribuat, quia melius est non promittere corde aut verbo quam promissum non adimplere. Docet autem Apostolus læto animo eamdem eleemosynam vel votum perficere quia ex omnibus his qui inferunt aliquid, hunc elegit Deus cui retribuatur qui devoto corde hoc operatur. Unde præcipit non ex tristitia, inquiens, animi hoc faciat aliquis vestrum, aut ex necessitate, id est coactus aut invitus, et non spontaneo desiderio. Ex tristitia hoc adimplet et ex necessitate, qui non sperat se mercedem recipere: sed propter præsentem pudorem et verecundiam invitus hoc agit, ne aliis hoc agentibus ipse avarus et turpis videatur: ideoque ex hoc non fruetur mercede æterna. Dicit enim beatus Augustinus, quia si panem dederis tristis, et panem et meritum perdis: quoniam quod in præsenti tribuis amittis, et in futuro mercede carebis. Læto vero animo eleemosynam erogat pauperi, qui certus est de remuneratione æternorum præmiorum, quem dedit ei Dominus apud quem thesaurizat. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Hilaris debet esse qui Domino fœneratur: et ille placet Deo, qui quod tribuit postmodum non dolet quasi amissum, sed quasi de duplicato gaudet.

Potens est enim *Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam* et abundantiam *habentes, abundetis in omni opere bono.* Nolite, inquit, diffidere neque desperare de remuneratione, si hilari animo eleemosynam impenditis, quia potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, scilicet ut in præsentia abundetis fide, spe, charitate, scientia divina, omnique substantia temporali; et insuper in futuro æternam felicitatem tribuere. Hoc enim erit abundare in omni opere bono, si sibi retinet quod sufficit ad suam suorumque explendam necessitatem, et cætera in usus sanctorum vel pauperum impendat.

Sicut scriptum est in Psalmo de quolibet justo eleemosynas danti, et curam pauperum agenti: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet* in æternum (*Psal.* CXI), justitiam hic appellat largitatem sub-

stantiæ temporalis vel mercedem ejusdem substantiæ distributæ quæ largitas bene justitia appellatur: quia justum est, ut sicut terra omnibus hominibus communiter a Deo data est ad possidendum, et sicut calor solis et humor pluviarum omnibus communiter tribuitur a Deo, ita etiam quæ in terra Dei dono nascuntur, communiter dispensentur et communiter utantur: et hæc est justitia, ut quia Deus illud gratis dat, retribuat ex eo et homo, cui deest. Notandum quod dicitur de viro sancto, qui dispersit et divisit pauperibus substantiam sibi a Deo datam, ac dedit pauperibus qui non habent quod ei redderent in præsenti, et non divitibus hujus sæculi, a quibus speraret eadem iterum aut plura recipere: et quoniam usus est præcepto Domini dicentis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* (*Luc.* XVI), idcirco justitia ejus, id est merces largitatis ejus et retributio ipsius justitiæ manet in æternum, quia ibi posuit divitias suas, et ibi thesaurizavit, ubi fures non effodiunt, nec furantur.

Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ. Hoc dupliciter intelligi potest, et juxta litteram et juxta spiritalem intelligentiam. Omnipotens Deus qui administrat homini semen ad seminandum, si eleemosynæ fuerit deditus, ipse præstabit ei panem ad manducandum ex semine, et multiplicabit semina ejus in terra, ut qui seminavit quinque modios, colligat quinquaginta: qui decem, colligat centum. Et multiplicabit augmenta frugum justitiæ vestræ, id est substantiæ vestræ, quæ bene justitia appellatur. Aliter: Deus qui administrat homini semen ad seminandum, id est substantiam temporalem unde eleemosynam possit erogare; ipse utique ei præstabit in futuro panem ad manducandum, æternam scilicet satietatem, quæ erit visio præsentissimi vultus omnipotentis Dei. De quo pane dicit Dominus in Evangelio: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei* (*Luc.* XIV). Et Psalmista de eadem satietate: *Satiabor*, inquit, dum manifestabitur animæ *gloria tua* (*Psal.* XXI). Et non solum ibi præstabit æternam satietatem, sed hic multiplicabit substantiam ejus, sicut supra diximus, ut habeat unde valeat eleemosynam largiorem impendere pro qua augebitur illi augmentum, id est merces et retributio justitiæ ejus. Ergo quia omnia bona quæ habemus Dei sunt, et semina et nascentia: et Dei nutrescunt, pullulant et multiplicantur ad usus hominum, et ipse præcepit de his communicare eis qui indigent, debemus dare ista temporalia ut mereamur accipere æterna: sicut plurimi sanctorum fecerunt, inter quos partem beatæ remunerationis beatissimus martyr Christi Laurentius obtinet, qui verus dispensator temporalium divitiarum existens, meruit possidere cœlestes et æternas atque immarcessibiles coronas.

Ut in omnibus locupletati et divites effecti *abundetis in omnem simplicitatem, quæ* simplicitas *operatur Deo gratiarum actionem per nos*, qui ejus prædicatores sumus. Ea intentione et simplicitate debet homo eleemosynam impendere, ut non quærat illum sibi subjectum facere cui tribuit, neque laudem ab hominibus quærere.

Glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ. Obedientia confessionem præstat homini quando impletur: quia licet homo taceat cui imperatur, in hoc quod obedit, opus ejus ostendit, et confitetur illum esse valde obedientem; verbi gratia: Præcipitur alicui ire tantum in ambone, licet ipse nihil responderit ei, et tamen ierit cantatum, ipsa cantilena perhibet ei testimonium obedientiæ, et confitetur illum valde esse obedientem. *In Evangelio* quoque *Christi* glorificate Deum quia Evangelium hoc præcipit: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, *et in simplicitate* cordis vestri, subaudis glorificate Deum. De qua simplicitate paulo supra diximus.

Et in ipsorum obsecratione pro vobis quibus eleemosynam præstiteritis, glorificate Deum, quia illi obsecrabunt et laudabunt Deum pro vobis.

CAPUT X.

Rogo autem, subaudis ut corrigatis, *vos*, *ne præsens audeam*, subaudis vos redarguere *per eam confidentiam*, id est auctoritatem, *qua existimor audere in quosdam*, subaudis qui peccaverunt, *qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus*, id est, tanquam carnaliter vivamus, et carnalia præcepta debemus.

In carne enim ambulantes, id est, in corpore vitam, ducentes *non secundum carnem militamus*, id est non carnaliter vivimus, sed spiritaliter. Spiritualiter enim vivit et militat qui facit quod placet Deo; carnaliter autem vivit et secundum carnem militat, qui desideriis carnis obtemperat.

Nam arma militiæ nostræ, quibus militamus contra philosophos et contra dæmones, *non sunt carnalia*, sicut est lorica, galea, mucro, hasta, gladius, clypeus, et cætera talia, *sed potentia Dei*. Quidam codices habent, potentia Dei, quidam potentia Deo quod utrumque accipi potest hoc modo: Arma nostra, quæ sunt arma carnalia, velut singulariter dicamus. Non est gladius noster carnalis, sed potentia Dei, ipsa est gladius noster, quia per virtutem et potentiam illius superamus dæmones et malignos homines. Aliter: Arma nostra sunt carnalia, id est infirma et corruptibilia atque flexibilia, scilicet potentia Dei sunt nostra arma, id est, possibilia sunt et fortia ad pugnandum per Deum. Arma ergo apostolorum quibus militabant contra philosophos, verbum prædicationis erat de quo alibi dicitur: *Et gladius spiritus quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI). Virtus quoque miraculorum gladius erat illorum. Contra dæmones vero oratione, jejuniis et vigiliis pugnabant *ad destructionem munitionum*, subaudis dæmonum et philosophorum, et sumus nos his parati, *destruentes consilia* philosophorum, et consilia dæmonum, qui inspirabant in cordibus persecutorum persecutionem contra nos excitari, et destruentes *omnem altitudi-*

nem, id est omnem superbiam, *extollentem se adversus scientiam Dei* et sumus nos *redigentes in captivitatem omnem intellectum* hominum *in obsequium Christi*, id est in culturam et religionem ejus. Ista captivitas in bonam partem est accipienda. Diabolus ergo persuasione captivavit primum hominem, quando illum sibi subdidit, et postea omne genus ejus in tantum, ut idola ei suaderet adorare pro Deo vero. Sed ipsam captivitatem humani generis quam diabolus captivaverat ad mortem, apostoli per arma prædicationis et virtutem miraculorum captivabant ad Christum et ad vitam æternam. Nam sicut quilibet imperator terrenus armat milites suos, ut per illos subjuget sibi regna, regiones, et provincias; ita Christus armavit milites suos apostolos spiritalibus armis, et per illos subdidit sibi pene omnes gentes. Et sumus non *habentes in promptu*, id est in manifesta voluntate *ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia*. Hoc ita est distinguendum et postea quod sequitur inferendum. Et potest dupliciter intelligi, id est ut dicatur hanc voluntatem habemus, ut ulciscatur vestra inobedientia quam hactenus habuistis per obedientiam bonam. Tunc enim vindicatur et ulciscitur inobedientia quando ei superponitur obedientia. Aliter: Hanc voluntatem, inquit, habemus, et cum vos impleveritis vestram obedientiam qui perfectiores et bonæ voluntatis estis, nobisque in omnibus obeditis : tunc ulciscatur illorum inobedientia per nos, qui dedignati sunt vobiscum aliquid mittere sanctis, qui sunt in Hierosolymis, ut essent participes vestrorum munerum.

Quæ secundum faciem sunt, videte id est quæ in præsentia dicuntur a nobis in superioribus et inferioribus vos intelligite et perpendite.

Ut autem non existimer, subaudis a vobis *tanquam terrere vos* volens, *per Epistolas* istas, *quoniam quidem Epistolæ*, inquiunt, *graves sunt* in correctionem *et fortes* in observatione ; *præsentia autem corporis*, id est forma illius in præsentia posita, *infirma* sive destituta est, *et sermo* illius *contemptibilis* sive despicabilis. Ex persona quorumdam loquitur, qui talia dicebant de illo, et ideo dicit, *quoniam quidem, inquiunt,* illi.

Non enim quasi non habentes potestatem pertingendi ad vos, in prædicatione *superexstendimus nos* prædicando usque ad vos : *usque ad vos enim pervenimus* prædicando Evangelium Christi ad Hierusalem. Habemus etiam *spem* in abundantia *fidei vestræ, etiam in illa*, subaudis loca, *evangelizare quæ ultra vos sunt, non* tamen habemus spem neque voluntatem *gloriari in aliena regula*, id est in his qui per alterius prædicationem crediderunt, et regulam sive rectitudinem fidei perceperunt, neque in his locis quæ præparata sunt ab aliis, volumus *gloriari*, ne super alienum fundamentum ædificare videamur. Ista sententia, licet tota sit in Latino sermone confusa et concatenata, ac multa desint in subauditionibus, tamen apud Græcos plenior et manifestior habetur in sensu. Verum est quoque quod ipse dixit : Et si imperitus sum sermone, sed non scientia.

Qui gloriatur, in Domino glorietur. Beatus Apostolus sciens omnia bona nos a Deo habere quæcunque habere possumus, sive in natura, quia ab illo facti sumus, sive in instituto, sive in omni conversatione sancta in fide, in spe, in charitate, in bonis operibus, in justitia, in timore Dei totumque esse ex illius donis sine aliquo nostro merito, abstulit gloriam humanam et superbiam, qua se dicunt multi a se suisque meritis habere quod habent, et dicit : Qui gloriatur in fide, in prædicatione, in virtute miraculorum aut in aliquo bono quod habet, non in se glorietur, sed in Domino, id est ad gloriam Dei totum referat, et de illius gratiæ reputet a quo accepit illud. Ut ergo essemus, Dei misericordia est. Ergo si omnino nihil eramus antequam essemus, nihil promeruimus apud Deum ut essemus. Fecit nos ut essemus, et non fecit nos ipse ut boni essemus. Dedit ipse nobis ut simus, et potuit alius dare ut boni simus. Si ipse dedit ut simus, et alius dedit ut boni simus, melior est ille qui mihi dedit ut bonus sim, quam ille qui mihi dedit ut sim. Porro quia nemo in misericordia largior, quam ille a quo accepimus ut essemus, ab illo accepimus ut boni essemus ; quapropter omnes debemus cum Psalmista dicere : *Deus meus, misericordia mea* (*Psal.* LVIII.)

Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat. Commendatio plerumque pro laude ponitur, sicut in isto loco, et alibi ubi dicit idem Apostolus : *Ego debui a vobis commendari* (*II Cor.* XII), id est laudari, et non commendamus nos vobis, id est non laudamus nos apud vos. Probatus autem idem est et probus et laudabilis, sive laude dignus. *Non*, inquit Apostolus, *qui seipsum commendat* et laudat apud homines, *ille probatus est*, sive laude dignus est, quia vanam gloriam patitur : *sed quem Deus commendat*, id est laudabilem reddit, ille laude est dignus,

CAPUT XI.

Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ. Venientibus pseudo-apostolis ad Corinthios post discessum Apostoli, et dicentibus Apostolum non esse a Deo missum, quia non fuerat a Christo vocatus ante ejus ascensionem, nec ab illo edoctus, insuper et contraria prædicaret prædicationi aliorum apostolorum, quos magnos apostolos vocabant, averterunt plurimos ab amore Apostoli, quos ad amorem suum traxerunt dicentes se esse missos a magnis apostolis, a Petro, Andrea, Jacobo, cæterisque apostolis. Apostolus ergo volens eos iterum ab amore eorum separare, et ad suum revocare, qui fidem Christi primus in illorum cordibus infixerat, laudabat se coactus verbis, sed non corde neque sensu, quia sciebat se nihil proficere propter laudem humanam, nisi tantum ut illi ab ejus prædicatione non recederent, et quia apud homines stultum et insipientia est ut aliquis se laudet maxime cum Salomon dicat : *Lau-*

det te alienus, et non os tuum ; extraneus, et non labia tua (*Prov.* XXVII). Volens se laudare ipse ob causam supradictam, ne daret aliis occasionem laudandi dixit : *Utinam sustineretis* patienter, o Corinthii, *modicum quid insipientiæ meæ*, id est modicam insipientiam meam quod me laudo, *sed et supportate me*, id est sustinete insipientiam meam in hac parte laudis ; quasi diceret : Si vultis patienter sustinere verba mea, dicam : et si non vultis, utique non ideo omittam dicere quod in animo deliberatum habeo. Et hoc quare ?

Æmulor enim vos Dei æmulatione. Æmulari est invidere, imitari, amare, et studium habere, sed in hoc loco pro *amare* ponitur. *Æmulor enim vos Dei æmulatione*, id est amo vos Dei amore.

Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Paulus apostolus desponsavit Corinthios, non sibi, sed Christo per prædicationem suam, et fidem, sicut Moyses desponsavit in Ægypto plebem Israeliticam non sibi, sed Deo (*Exod.* III). Unde et præceptum est ei ut tolleret calceamenta de pedibus suis. Signum ergo desponsationis et annulus quo despondit sive desponsavit Apostolus Corinthios Christo, fides fuit Domini Salvatoris, quam ministravit eis. Unde dicit : *Despondi enim vos uni viro Christo* exhibere volens vos virginem castam, id est ut præparetis vos virginem castam illi, servantes integritatem fidei. Virginitas enim ista potius est mentis integritas quam corporis. Si ergo attendimus virginitem corporis, multo plures sunt in Ecclesia virgines mente quam corpore ; et multæ sunt ex his quæ integritatem corporis adhuc habent, quæ mente et desiderio jam nupserunt. Quapropter melius est universalem Ecclesiam (quæ constat ex utroque sexu et ex utroque ordine) virginem castam esse appellatam, quæ et sponsa est Christi, de qua Joannes ait : *Qui habet sponsam sponsus est* (*Joan.* III). Quicunque ergo in Ecclesia integritatem fidei habet quam bonis operibus exornat, virgo casta est, et si non corpore, tamen mente : ideoque sponsa est Christi. Qui vero virginitatem utramque, Deo propitiante, caste inviolateque servaverit, sicut plurimi sanctorum fecerunt ex utroque sexu, illi utique palmam obtinebunt quam nemo conjugatorum possidebit. Et si sexus femineus, qui tantum est fragilis et proclivis, hoc observat, quanto magis illi quia virtute viri nuncupantur.

Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, id est ne sicut diabolus indutus serpentem, seduxit mulierem sua calliditate, et per mulierem decepit virum, *ita* modo *corrumpantur sensus vestri* a pseudo-apostolis, qui sunt ministri diaboli, *et excidant.*

Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Apostolo transeunte a Corinthiis ad alias nationes, corruperunt eos pseudo-apostoli a Judæis venientes, qui in hoc appellantur insipientes, quia et circumcisionem volebant observare, et sabbati otium, cæteraque præcepta carnalia legis, et Evangelii gratiam tenere. In hoc quoque insipientes vocantur, quia non pro mercede æterna, neque pro salute auditorum prædicationi insistebant, sed pro lucris temporalibus, ut illos exspoliare possent, et pro laude humana dicentes Apostolum non esse verum prædicatorem, eo quod a Domino per præsentiam carnis non fuerat vocatus, et talia dicebant, volentes eos ab amore Apostoli ad amorem suum retrahere, quod et fecerunt plurimos simplicium decipientes, quos Apostolus ironicos alloquitur, dicens : *Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes.* Quanquam etenim quidam hunc versiculum ita exponant, ut sit sensus, quasi eos veraciter appellet, dicens sapientes : miror, cum sitis ipsi sapientes, quare sustineatis libenter insipientes, sed beatus Augustinus aliter exponit, destruens hunc sensum et ironicos intelligens eos appellatos esse sapientes. *Cum sitis*, inquit, o Corinthii, *insipientes*, putantes vos sapientes, non est mirum si patienter sustinetis insipientes pseudo-apostolos.

Sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit. Judæi qui venerant a Judæa, qui utrumque volebant agere, et judaizare, et Evangelium observare, volebant credentes in servitutem redigere legis, ut observarent sabbati otium, et irent Hierosolymam offerre legales hostias, et maxime ut circumcisionem observarent, dicentes nullo modo posse eos salvari sine circumcisione, præcipue cum hoc non solum sit legis præceptnm, sed longe ante legem familiari allocutione dixerit Deus ad Abraham : *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ejus de populo suo* (*Gen.* XVII). In hanc ergo servitutem legis et impedimentum carnis volebant Judæi Corinthios redigere, quibus ipse dicit : *Sustinetis enim*, id est patienter suffertis, si quis vos in servitutem legis vult redigere.

Si quis devorat, subaudis substantiam vestram, sustinetis. Pseudo-apostoli suis adulationibus et laudibus exspoliabant illos quos decipiebant et in conviviis plurimis diripiebant illorum bona, erantque illi contenti devorari res suas a suis deceptoribus.

Si quis accipit, ac si dicat : Si quis rapit vestra bona a vobis, et accipit sibi, patienter sustinetis. Unde et aves rapacissimæ, quæ Latino vocabulo *accipitres* vocantur, Græcæ *harpiæ*, id est raptores appellantur, eo quod sibi accipiant, et aliis rapiant, atque hoc modo accipere est aliquid dolo capere. *Si quis extollitur* in superbiam. Extollentia est superbia. Hos inquit Apostolus, patienter sustinetis, qui se extollunt de scientia legis, quod in superbiam eriguntur de nobilitate generis. Quod autem sequitur : *Si quis in faciem vos cædit.* Hic est distinguendum, et postea subinferendum *secundum ignobilitatem dico*, et ibi similiter distinguendum. Nam licet per se singulæ sententiæ sub distinctione proferantur, tamen cum dixit : *Si quis in faciem vos cædit*, exposuit quid esset in faciem cædere, cum subjunxit : *Secundum ignobilitatem dico.* In faciem enim cædere, est improperare alicui ignobilitatem generis, sicut Judæi improperabant Corinthiis ignobiles esse genere, quorum pa-

tres semper idololatræ fuerunt, dæmones et lapides pro Deo venerantes, se autem præferebant, jactantes se quod de genere patriarcharum et prophetarum originem ducerent, de quorum stirpe Christus secundum carnem natus esset. Magna siquidem stultitia est et ignobilitas, aliquem per regenerationem aquæ et Spiritus sancti Filium Dei effectum, jactare aliquid de nobilitate generis, maxime cum Dominus dicat omnes nos fratres esse, quamvis aliqui hunc versiculum ita exponant, quasi ad Apostolum pertineat, ut sit sensus. Ignobilem rem ago quod aliquid de nobilitate generis me extollo, non convenit iste sensus, quia nondum pervenit ad illum locum ubi dicturus est se de genere patriarcharum esse, sed eo modo est intelligendus, ut diximus. Et ne forte aliquis putaret, quod pugnis, aut aliquo modo in faciem corporis diceret eos cædi, ideo taliter locutus est. Si quis, inquiens, in faciem, id est in præsentiam cædit, improperando aliquid de ignobilitate generis, patienter sustinetis, et præfertis illos nobis. Secundum nobilitatem autem generis dico, vos in faciem sive in præsentiam cædi, non pugnis, *quasi nos infirmi fuerimus in hac parte*, subaudis generis, sic præferunt se nobis illi, et sic pro nihilo ducimur a vobis. De se loquens Apostolus et sui causa, subintroducit personam Barnabæ socii sui, qui ex eodem genere Judaico erat. Ita ergo præferebant se falsi apostoli ex Judæis apostolo Paulo et Barnabæ, quasi de nobiliori genere orti essent quam illi, et quasi de dispari genere nati essent illi duo, ita despiciebant eos. Inde dicit Apostolus: *Quasi nos infirmi* et ignobiles simus ignobilitate generis, sic se præferunt nobis : et ita etiam a vobis præferuntur nobis, sed revera illi sunt potius infirmi in hac parte generis qua se gloriantur : quia dicentes filios se esse Abrahæ secundum carnem, non sunt veraciter filii Abrahæ, per fidem et operationem, quoniam non sunt imitatores ejus. Nos autem sumus firmi et nobiles, quia existentes filii Abrahæ secundum carnem, sumus et per imitationem fidei et operationis. Et iste versiculus per se est proferendus et distinguendus. *In quo*, subaudis negotio, *quis audet*, subaudis gloriari ; *in insipientia dico, audeo et ego* gloriari : ac si diceret aliis verbis : Audent illi gloriari in nobilitate generis, licet insidienter dicam, audeo et ego gloriari de nobilitate generis. Ideo autem ait, *In insipientia dico*, quia stultum videtur, quantum ad homines pertinet, ut in insipientia aliquis sibimetipsi testimonium laudis ex aliquo perhibeat. Apostolus tamen non erat insipiens, quia non sponte hoc agebat, sed coactus : neque pro laude humana, sed ut Corinthios sua laude ad amorem suum retraheret ab amore pseudoapostolorum, vel in insipientia dicit se audere gloriari de nobilitate generis, ut illorum gloriam evacuet qui se jactabant quod filii essent Abrahæ, quia insipienter agebant. Imprudentem etiam se pronuntiat, et insipienter agere in hoc quod se laudat, ne illi prudentes viderentur in hac parte ac nobiles, qui se extollebant de nobilitate generis.

Hebræi sunt illi *et ego* sum Hebræus. Hebræi dicuntur ab Heber patriarcha suo. Inde dicit Apostolus : Gloriantur illi de nobilitate carnis quod Hebræi sunt, et ego similiter Hebræus sum. *Israelitæ sunt* illi de genere Jacob patriarchæ, qui et Israel est appellatus. *Et ego* vere Israelita sum, quia Deum mente contemplor. *Semen Abrahæ sunt*, amici Dei, *et ego.* Similiter *ministri Christi sunt*, illi, *et ego.* Minister Christi dicitur, quisquis Evangelium prædicat. *Ut minus sapiens dico, plus ego :* subaudis sum minister Christi quam illi : quia ego plus omnibus laboro : et quidquid prædico, operibus exorno. Illi vero, licet in quibusdam rebus bene videantur prædicare, tamen non sunt veri ministri Christi, quoniam quod prædicant ore, destruunt operibus. In hoc autem appellat se minus sapientem esse, quam debebat, quia se laudabat dicens se plus esse ministrum Christi, quam illos : et eo modo quo se dixit supra in insipientia agere, eo nunc minus sapere. *In laboribus plurimis*, subaudis servio Christo, et est sensus : In hoc apparet plus me esse ministrum Christi quam illos, quia licet illi qui se mihi præferunt semper in aliquo laboraverint, tamen plus ego laboravi, quia plurimis laboribus die noctuque deservio. Tradunt sancti doctores, quod Apostolus a mane vel a pullorum cantu usque ad quintam horam labori manuum insistebat, unde victum acquireret, et exinde usque ad decimam horam publice disputabat : plerumque tamen et innocentem protendebat sermonem (*Act.* xx) sicut tunc fecit quando Eutychus somno gravatus, cecidit de solario per fenestram, *in carceribus abundantius*, subaudis suis inclusus quam illi, et est sensus : Et si illi fuerunt in carcere quos vos extollitis, o Corinthii, ego plus quam illi. *In plagis supra modum*, subaudis afflictus sum. Sæpe plagatus est Apostolus a Judæis et gentibus, et sæpe virgis cæsus, et si illi, inquit, plagati sunt, ego amplius Quæstio est in hoc loco : Cum Apostolus alibi dicat : *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere* (*I Cor.* x), quare hic dicat supra modum in plagis esse afflictum ? quæ ita solvitur : quia multa sustinuit ipse supra modum humanum, et supra virtutem humanæ fragilitatis, sed non supra virtutem divinam, ideoque potuit ea sustinere et superare, quia virtus omnipotentis Dei administrabat ei fortitudinem sufferendi. *In mortibus frequenter*, subaudis fui positus. Et si sæpe fuit in mortibus, quomodo vivebat ? *In mortibus* dixit, pro eo quod est in periculis mortis et in desperatione vitæ.

A Judæis quinquies, quadragenas, subaudis plagas *una minus accepi.* Præceptum erat in Deuteronomio, ut quem delinquentem judices verberabant, ita modum vindictæ temperarent, ut plagarum numerus quadragenarium numerum minime transcenderet, ne fœde coram eis frater eorum laceratus jaceret. Quod ego per quinque vices factum est, hic summatim tangit Apostolus : Nam quinquies flagellatus a Judæis, accepit plagas triginta novem secundum le-

gem Moysi, quasi transgressor ejusdem legis (*Act.* XVI). Refert autem beatus Beda librum delatum esse a Roma per Chidonium orientalium angelorum antistitem in quo erant omnes labores, passiones, et pœnæ Apostoli depictæ per loca opportuna, inter quæ omnia erat depictus Apostolus quasi denudatus jaceret in terra, et super astabat ei tortor quadrifidum habens flagellum in manu, sed unam e fidibus in manu sua retentam, tres reliquas ad feriendum habebat extentas. Si enim quaternis fidibus percuteret decies, quadraginta plagas faceret. Si vero undecies feriret, quadraginta quatuor ictus impleret. Vel si nonies feriret quaternis fidibus, et decima vice ternis, una minus quadraginta plagas daret.

Ter virgis cæsus sum: hoc a gentibus passus est. Hic autem in Actibus apostolorum non omnia reperiuntur : quoniam nec in eis Epistolis omnia continentur, quæ in eadem historia habentur. Invenimus tamen ibi, quia cum venisset in partes Macedoniæ, et esset in civitate Colonia, jussus est virgis cædi : et alia vice jussit tribunus eum gentilium introduci in castra, et flagellari, ac torqueri flagris. *Semel lapidatus sum.* Lapidatus est Lystris, civitate Macedoniæ, pro puella de qua ejecit spiritum divinationis, quæ magnum quæstum præstabat dominis suis. *Ter naufragium feci.* Naufragium dicitur navis fracta : et quod dicit, *ter naufragium feci*, sic videntur verba sonare, quasi ipse fecisset illud naufragium, sed sensus est, ter naufragium feci, id est ter naufragium pertuli. Qui ergo sæpissime navigio vehebatur per mare, non est mirum si toties naufragium passus est. *Nocte ac die in profundo maris fui.* Licet quidam dicant Apostolum non esse in mare demersum, ibique in profundo aquarum negent nocte ac die mansisse, tenenda est tamen certa sanctorum Patrum traditio, quia in veritate casu prolapsus est in profundum maris, ubi circumseptus fluctibus die simul et nocte, post, Deo gubernante, liber ad terram rediit. Nunquid ergo ipse qui in exitu filiorum Israel de terra Ægypti mare divisit in divisiones, et postea Jordanem et torrentem Arnon (*Exod.* XIV), qui etiam servavit Jonam in ventre ceti (*Joan.* II), et Petro mare calcabile præbuit (*Matth.* XIV), non potuit etiam militem suum egregium prædicatorem Paulum in profundo maris servare, ut neque a circumpositis præfocari aquis, neque a belluis marinis devorari potuerit? Potens utique potuit, ideoque fecit. Denique non est amplius mirandum Petrum super undas maris non infusis vestigiis ambulasse, quem Paulum nocte ac die in profundo maris illæsum custoditum esse. Mystice vero per Paulum qui nocte ac die in profundo maris fuit, et tamen Domino se protegente ad terras liber pervenit, intelliguntur illi justi qui de profunditate periculorum et perturbationum sæculi a Domino quotidie educuntur, sed plenius in die judicii liberabuntur, atque ad littus æternæ soliditatis perducentur : quia positi inter fluctus hujus sæculi, non dubitaverunt in fide de misericordia Dei. Petrus vero qui primum non infusis vestigiis incessit, sed post modum dubitans cecidit inter fluctus : sicque postea a Domino elevatus, et ad terram est perductus, significat semetipsum qui dubitavit quando negavit, sed a Domino revelatus est ad fidem, et significat omnes martyres omnesque justos, qui in primordio fidei fortiter incedunt, pro nihilo deputantes sævitiam persecutorum; sed postea ingruente tempestate gravissima persecutionis, dubitant in aliquo ; sed Domini gratia protecti sublevantur, ne penitus cadant in desperationem et vincantur a procellis atque ad terram electorum perducuntur.

In itineribus sæpe, periculis fluminum, subaudis fui. Iterum convertit se ad alia pericula memoranda, volens se ostendere vexantem secundum carnem pro Christo in terra et mari, et multo plura se sustinuisse, quam pseudoapostolos. Solent tempore hiemis et pluviarum transgredi flumina alveos suos, et nimium intolerabile præbere iter viantibus : quia ergo Apostolus hiemali tempore solitus erat transire de loco in locum per pedes, sæpe incurrebat fluminum pericula. *Periculis latronum* sæpe interfui. Pseudoapostoli et Judæi increduli immittebant ei latrones ut quia ipsi nec poterant, nec audebant eum publice interficere, ab illorum ministris interficeretur. *Periculis ex genere.* Sustinuit ipse pericula a Judæis fratribus suis secundum carnem, qui dolebant quod derelicta lege ad Evangelium se converteret. Unde legimus quia quadam vice *Ananias princeps sacerdotum præcepit astantibus sibi percutere os ejus* (*Act.* XXIII), et longum est enarrare quoties hoc factum est. *Periculis ex gentibus.* A philosophis gentium et principibus multa incommoda passus est propter mysterium incarnationis Filii Dei, passionis, resurrectionis, ascensionisque ad cœlos, et propter unius Dei culturam quam prædicabat. *Periculis in civitate.* Sæpe interfuit, quod longum est enarrare. *Periculis in solitudine.* Pericula in solitudine sustinuit a Judæis, quando factis insidiis voluerunt eum occidere in via : vel etiam periculis in solitudine interfuit, quia diabolus invidens ei non solum per homines ministros suos eum persequebatur, sed etiam bestias ferocissimas contra eum excitabat, ne auderet de loco ad locum transire. *Periculis in mari.* Non solum quando ter naufragium pertulit, et quando lapsus in mare, ubi fuit inter medios fluctus die ac nocte et illæsus permansit, verum etiam sæpissime pericula in mari sustinuit. Unde quadam vice impegerunt navem ad littus, quando prora fixa manebat immobilis : puppis vero solvebatur a vi maris; et quando milites volebant omnes custodias occidere, ne quis possit natus pervenire ad littus. Sed centurio hoc prohibuit propter Apostolum, volens eum servare (*Act.* XXVII). *Periculis in falsis fratribus.* Sæpe interfuit. Falsi fratres hi sunt, de quibus dicit in Epistola ad Galatas (*cap.* II), *quia subintroierunt falsi fratres explorare libertatem nostram.* Hi enim partim Christiani erant, partim Judæi, in neutro tamen

perfecti : qui zelo legis et circumcisionis Apostolo invidentes, insidias ei prætendebant.

In labore et ærumna. Ærumna est miseria et molestia. Potest esse labor sine ærumna, id est sine molestia et miseria, atque sine aliquo tædio : et ideo addidit ærumna, ut laborem Apostoli ostenderet esse non sine molestia et afflictione. Solent autem homines laborare in hortis, in viridariis cum delectatione causa exercitandi, sicut legimus de protoplasto : quia *posuit eum Deus in paradiso ut operaretur et custodiret illum* (*Gen.* II). Iste enim labor sine aliqua molestia erat. *In vigiliis multis.* Aliquando sponte et voluntarie vigilabat, aliquando non sponte, sed ex necessitate, quia positus in pressura et angustia, necesse erat ut vigilaret Dei implorans auxilium : sicut quando positus in carcere, cum Sila hymnos Deo cantabat, quando custos carceris splendorem videns in carcere et ostium apertum volebat se interficere, putans omnes victos fugisse, sed hoc Apostolus prohibuit (*Act.* XVI). *In fame et siti.* Persequebatur a Judæis de loco in locum, et ideo famem sæpissime patiebatur per inopiam et sitim. *In jejuniis multis.* Multa fuerunt ejus jejunia quæ sustinuit, aliquando volens, aliquando nolens. *In frigore et nuditate.* Maximum frigus et maximam penuriam propter nuditatem tunc sustinuit, dum duceretur navigio Romam, eo quod appellasset Cæsarem quando exeuntes e navi, venerunt in insulam Mitilenam ubi *cum congregasset sarmentorum multitudinem* ut se calefaceret, *vipera a calore ignis procedens invasit manum ejus* (*Act.* XXVII).

Præter illa quæ extrinsecus sunt, id est præter illa pericula quæ in corpore sustineo, *instantia mea quotidiana*, id est perseverantia mea ; *et sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Quia longum erat enarrare omnia pericula, et omnes angustias et tribulationes quas passus fuerat, conclusit, dicens : Præter illa quæ extrinsecus in corpore sustineo, perseverantia mea est semper sollicitudinem habere de omnibus Ecclesiis quibus prædicavi. Timebat enim ne forte quibus prædicaverat a falsis apostolis deciperentur, vel etiam ne propter nimias tribulationes quas videbant et audiebant Apostolum pati, deficerent a fide.

Quis infirmatur, et ego non infirmor. Propter nimiam dilectionem in tantum compatiebatur infirmis, ut etiam ipse videretur infirmari, illorum infirmitatem suam reputans, more medici et procuratoris infirmi agens, qui videns ægrum tristari et dolere, particeps est ejus doloris mœrorisque. *Quis scandalizatur : et ego non uror?* Quantum ad hunc locum pertinet, scandalizari est carnis pati desiderium, et contristari atque affligi calore corporis et ardore vitiorum accendi. Uri similiter est calore libidinis totiusque corporis ardore æstuari. Scandalizatur ergo aliquis, quando non sponte illectus pulchritudine mulieris, aut propriæ carnis calore, provocatur ad libidinem perpetrandam : sed dum invitus et impræmeditatus hoc agit, scandalizatur sibi et irascitur atque contristatur. Hanc infirmitatem humanæ naturæ considerans Apostolus, quæ nimiæ fragilitatis est, dicit se uri ut consultat talibus compatiens infirmitati eorum, nec condemnat hujusmodi talia sustinentes ; sed commonet in humilitate sermonis, dicens se similia pati, ut si ille qui tantam gratiam consecutus erat adhuc desideria carnis patiebatur, et magister gentium erat, non desperarent illi qui infirmioris gratiæ adhuc erant, si talia paterentur ; sed spe promissi præmii repugnarent stimulis carnis, sicut ille repugnabat, ne qui eorum hæc ab illo audiebant, desideriis carnis victi in desperationem laberentur. Plus enim est uri quam scandalizari ; ac si diceret : Patitur aliquis et affligitur a desiderio et nimio ardore concupiscentiæ, et ego non solum affligor, sed etiam, quod est majus, uror, et quodammodo incendor. Nimiam enim concupiscentiam carnis patiebatur, quando dicebat : *Infelix ego homo*, id est miser ego, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Et illud : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ* et captivum me ducentem (*Ibid.*), id est captivare volentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Nos igitur si volumus conorari cum Paulo apostolo, certemus viriliter, sicut ipse certavit, quatenus omnia oblectamenta vincamus : quia non potest coronari nisi qui legitime certaverit.

Si gloriari oportet quæ infirmitatis meæ sunt, subaudis in his, *gloriabor.* Oportebat illum utique gloriari et enumerare suas passiones non pro se ut ille aliquid exinde cresceret apud Deum, sed pro illorum salute quos volebat ab amore falsorum apostolorum ad suum revocare, et ut se etiam aliis in exemplum præberet et imitabilem. Infirmitatis autem nomine comprehenduntur omnia incommoda et persecutiones atque passiones quas pro Christo libenti animo pertulit, et est sensus : Si gloriari volunt hi qui vos seducunt et retrahunt ab amore meo, mihi detrahendo, in his glorientur in quibus et ego glorior, licet invitus et provocatus. Manifestum est autem non posse illos gloriari in infirmitatibus et passionibus quas pro Christi amore et pro mercede æterna, et pro salute fratrum, sustinuerint, ac tantum gloriatur de nobilitate generis quod filii sunt Abrahæ, de qua ego nolo gloriari, quanquam ex eodem genere originem ducam. Quærunt nonnulli cum Deus per Salomonem dixerit : *Laudet te alienus et non os tuum* (*Prov.* XXVII), quare justi atque perfecti viri aliquando bona et virtutes narrent, quas divinitus perceperunt, verbi gratia : Sicut beatus Job quoque qui dixit : *Pes fui claudo et pater* orphanorum, *causamque quam nesciebam diligentissime investigabam* (*Job.* XXXIX), cæteraque hujusmodi ; et David : *Si reddidi retribuentibus mihi mala* (*Psalm.* VII), id est non reddidi. Apostolus quoque isto in loco multipliciter. Quibus respondendum est, quod perfecti dum virtutes proprias prædicant, et se apud homines laudant, non idcirco hoc faciunt ut ipsi apud homines sua ostensione aliquid proficiant, sed ut eos quibus prædicant exemplo suo ad vitam trahant. In

hoc quoque omnipotentis Dei sunt imitatores, qui laudes suas hominibus loquitur, quatenus ab hominibus agnoscatur. Nam Deus qui nos prohibet per Scripturam dicens : *Laudet te alienus et non os tuum* : ipse per Scripturas sacras laudes suas loquitur, dicens ad Moysen : *Ego sum Deus omnipotens, et nomen meum Adonaï non indicavi eis* (*Exod.* VI) ; et per Isaiam : *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit* (*Isa.* XLIII), quare ergo facit ipse quod prohibet ? Nimirum si virtutes suas et miracula ipse taceret, nequaquam eum ullus cognosceret. Si nullus eum agnosceret, nullus amaret. Si nullus amaret, nullus ad vitam rediret ; unde per Psalmistam de eo dicitur : *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo : Ut det illis hæreditatam gentium, opera manuum ejus veritas et judicium* (*Psal.* CX). Virtutes ergo suas annuntiat non ut laudibus suis ipse proficiat, aut indigeat, sed dum suam nobis magnitudinem narrat, nostram ad se imperitiam sublevat. Justi itaque cum virtutes suas prædicant, reprehensibiles non sunt, quia dum vitam suam referunt, aliorum animas ad vitam quærunt. De quibus tamen sciendum est, quia nunquam bona sua detegunt, nisi eos aut proximorum utilitas, aut certe nimia necessitas cogat, sicut tunc Apostolum coegit, unde ipse dixit : *Si gloriari oportet*, et revera oportebat. Ergo si gloriandum est Christiano, in humilitate est gloriandum.

Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi scit quia non mentior. Dicturus rem pene incredibilem quod Judæi increduli contra eum principes gentium concitassent, regnaque terræ contra eum insurrexerint nihilque ei nocuerint, Deum testem invocat, ut facilius credatur. Ideoque talia commemorat, ut ostendat quanta distantia est inter veros apostolos qui tanta pro Dei amore sustinebant, quærentes salutem auditorum, et pseudoapostolos qui auditores suos exspoliabant, non quærentes salutem illorum.

Damasci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum ut me comprehenderet. Damascus civitas est metropolis Syriæ, quam ædificavit Damascus Eliezer, servus Abrahæ, et interpretatur Damascus sanguinem bibens, quod bene convenit illi loco, quia ibi effusus est sanguis Abel. Illa autem quæ hic dicuntur de Apostolo, in exordio fidei ejus facta sunt, quando cæcatus a Domino in itinere productus est Damascum, ubi mansit diebus tribus non bibens neque manducans. Postea vero baptizatus, et accepto pane confortatus, introivit statim in Synagogam Judæorum et cœpit publice prædicare nomen Domini Jesu. Quod videntes Judei succensi sunt zelo, et quærebant occasionem quomodo eum perderent ; sed dum per se minime hoc auderent agere, adierunt præpositum civitatis super hac re : quatenus illius auxilio et permisso valerent illum occidere. Qui volens placere Judæis, et strenuus in officio sibi credito apparere, præcepit custodiri undique civitatem ne ullo modo vivus effugere potuisset : sed Dei auxilio procurante effugit eo modo quo sequentia manifestant.

Et per fenestram, inquit, *in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus.* Sporta vas est ex junco et palmarum foliis contextum in quo deorsum cum funibus dimissus est per murum a fratribus fidelibus. Quæstio est in hoc loco quare Apostolus de Damasco fugerit, qui dicebat : *Ego non solum alligari in Hierusalem, sed et mori pro nomine Domini Jesu paratus sum* (*Act.* XXI) ; quæ hoc modo solvenda est : quia non ideo fugit ut martyrium horreret accipere, sed maluit campum certaminis quærere, et latitudinem gentium petere, quam inter claustra civitatis teneri, et occidi, ubi perpauci erant credentes, qui ejus martyrio corroborarentur et informarentur, ut similia pati non dubitarent. Quod postea implevit ipse dum martyrium sustinendo plurimos ad hoc informavit. Implevit ergo præceptum Domini dicentis : *Cum vos persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam* (*Matth.* X). Et revera servavit pariter exemplum martyrii et utilitatem prædicationis suæ quam postea implevit. Hujus ergo exemplo erudimur adversariorum pugnam et constanter appetere, et prudenter aliquando declinare.

CAPUT XII.

Si gloriari oportet, non expedit quidem. Si gloriari me oportet propter salutem aliorum et necessitatem supradictam, qua compellor, in hoc possum gloriari, quia evasi manus persequentium, tamen non expedit, id est non est mihi necesse ut glorier : quia non elegi superbiam et jactantiam, sed humilitatem.

Veniam autem ad visiones et revelationes Domini, subaudis de quibus potero gloriari. Visiones et revelationes Domini dicit, quod unum est, quas ei ostendit Dominus. Nunc in sequentibus dicturus est quo sit elevatus, ut per hoc possimus intelligere quanta et qualia ei ostensa et dicta sunt : ne sicut pseudoapostolis aliisque incredulis videbatur, minor cæteris apostolis in gratia crederetur, quamvis novissimus sit vocatus, et Dominum præsentem in carne non viderit.

Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hominem usque ad tertium cœlum. Mos et usitata consuetudo est scriptorum, qui nobis sacras litteras ministrant ut quando ab aliquo eorum narratur historia cum ad seipsum venerit, sic de se tanquam de alio loquatur ; sicut fecit Moyses qui dixit : *Erat autem Moyses vir mitissimus super omnem terram* (*Num.* XII) ; et Job : *Vir erat in terra Hus nomine Job* (*Job.* I) ; sic beatus Matthæus, cum in textu narrationis suæ venisset ad seipsum, vidit, inquit, publicanum nomine Matthæum (*Matth.* IX), non dixit, vidit me, sed sic se inseruit ordini narrationis suæ, cum venisset ad seipsum tanquam rerum gestarum scriptor, non tanquam suipsius prædicator. Inusitatius tamen beatus Apostolus non in historia, ubi rerum gestarum suscipitur explicanda narratio ; sed in Epistola hoc fecit, sicut isto in loco apparet ubi loquitur de se causa humilitatis quasi de alio, inquiens,

Scio hominem in Christo manentem ante annos quatuordecim raptum usque ad tertium cœlum. Ex quo Apostolus raptus est usque ad tertium cœlum usque ad istud tempus quo ista conscripsit quatuordecim anni completi sunt, unde liquido apparet, quia magna necessitas compulit illum patefacere quod per tot annos in intimo cordis arcano celaverat. Igitur de his verbis Apostoli, diversi diversa sentiunt, quorum opiniones huic loco perlongum est inserere, et ad præsens narrare, nisi tantummodo pauca ex pluribus. Julianus Pomerius, vir sanæ prudentiæ, primum cœlum dicit isto in loco appellatum esse aerium, a quo aves cœli vocantur : secundum sidereum, ubi continentur duodecim signa cæteraque astra, præter septem planetas, quod et firmamentum appellatur : tertium intelligit spiritale sive mentale, ubi angeli et animæ sanctorum in contemplatione Dei sunt positæ, contemplantes super se Deum omnipotentem, qui omni creaturæ præsidet : ita tamen præsidet ut in præsidendo omnia sustineat, sustinendo circumdet, circumdando impleat. Secundum illius intellectum ad istud tertium cœlum mentale raptus est Apostolus. Et in hoc quidem bene sensit. Sed secundum beatum Augustinum adhuc necesse est ad altiora conscendere, et profundiora scrutari, qui in elucidandis quæstionibus omnes doctores post Apostolos præcellit. Quia ergo Apostolus non humanas, neque angelicas visiones dicit se enarrare, alius ista inquirenda sunt. Tria igitur genera esse visionum manifestum est. Est visio corporalis quæ corporeis oculis fit, qua videmus cœlum et terram atque omnia visibilia et corporea. Et est visio spiritalis, qua ea quæ videmus et audimus in præsenti, memoria recondimus : et ea quæ audivimus vel vidimus in præterito, modo quasi præsentia cernimus. Et cum alicubi sint a nobis posita ea quæ vidimus corporaliter, nunc absentes quasi præsentia cernimus ; verbi gratia : Sum modo per præsentiam corporis Romæ, et cerno ita Carthaginem quam dudum vidi quasi in præsentia mea sit posita, cum longe sim ab illa remotus. Quæ duo genera visionum communia sunt nobis cum pecoribus et avibus, quæ vident per corpus, et eorum quæ videntur imaginaliter spiritus informantur. Unde et pecora præsepia recognoscunt, et aves ad nidos suos revolant. Nisi enim partem spiritalis visionis, id est memoriæ haberent, quæ constat solummodo in anima, nequaquam recedentes aves a nidis suis recordarentur illorum : neque animalia recognoscerent præsepia. Est et tertia visio intellectualis, quæ nihil est aliud nisi rationabilitas et excellentia animæ, per quam ea quæ corporaliter videmus et imaginaliter in memoria retinemus, intellectu discernimus. Intellectu igitur discernimus quod illud sit corpus, illud similitudo corporis, et plerumque quid significet. Hanc intellectualem visionem nullatenus pecora aut volatilia habent : quia nec seipsa intelligunt, nec illa quæ oculis cernunt. Postremo corporalis visio sine spiritali esse non potest, quæ et in anima solummodo. Spiritalis vero

A sine corporali esse potest, unde absentes homines recordamur, et in tenebris ea quæ videmus imaginaliter cernimus, insuper et somnia : intellectualis nempe nec corporali indiget, nec spiritali. Intellectu namque nec corpus videmus, nec imaginem corporis. Per hunc quippe videtur justitia, charitas, ipse Deus, ipsa mens hominis, quæ nullum habet corpus, nullam soliditatem corporis. Quapropter ista visio intellectualis transcendit et præcedit illas duas præmissas, corporalem scilicet ac spiritalem. Quod probare possumus ex volumine Danielis prophetæ, ubi legimus, quia cum Balthasar epularetur et potaret opipare sive splendide in vasis templi Domini quæ asportaverat Nabuchodonosor avus ejus de Jerusalem, vidit articulos manus scribentis in pariete aulæ regiæ.
B Vidit corporali visione, continuoque per corporis sensum imago rei corporaliter factæ spiritui ejus impressa est : atque ad alia dum se verteret, licet corporaliter illa non cerneret, sed spiritali visione et memoria videret, videbat in spiritu, id est in anima et non intelligebat quid significaret : quia non pleniter habebat intellectualem visionem, licet aliquid inde haberet. Unde apparet quia non in omnibus hominibus viget. Intelligebat signum esse quod videbat, id habens ex mentis officio, id est ex intellectuali visione : et quia requirebat quid significaret, etiam ipsam inquisitionem utique mentis intellectus agebat. Quo non comperto, Daniel accessit : et quia intellectualem visionem habebat, spiritu prophetico mente illustrata, perturbato regi quid illo signo
C portenderetur aperuit. Ipse potius propheta per hoc genus quod mentis est proprium, potuit intelligere ac dicere quid significaret, quam ille qui in signum factum corporaliter viderat, et ejus imaginem in spiritu cogitando cernebat, nec aliquid intellectu nosse poterat nisi signum esse, et quid significaret ut intelligeret inquirere. Tres igitur cœli non absurde possunt intelligi tria genera visionum, de quibus hactenus locuti sumus ita tamen ut per primam visionem intelligamus quidquid infra ambitum siderei cœli continetur pariter cum ipso, quod et firmamentum appellatur : Per secundum cœlum spiritale, ubi angelica natura et animæ sanctorum in contemplatione Dei sunt positæ. Per tertium vero cœlum intelligitur jam intellectualis visio et rationalis, qua
D intelligendo conspicitur charitas, pax, gaudium, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia, cæteraque hujus modi quibus propinquatur Deo, et qua ipse Deus videtur, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ad quam, id est intellectualem visionem, quæ designatur per tertium cœlum, raptus et elevatus est apostolus Paulus, ubi, id est in intellectuali visione, non solum ea quæ in spiritali cœlo sunt intelligendo vidit, sed etiam ipsam Dei substantiam. Verbum Domini, per quod facta sunt omnia, in charitate Spiritus sancti, non per corpus, non per similitudinem corporis, sed sicut est ipsa Veritas, contemplatus est in hac vita, videlicet quod Deus omnipotens trinitas sit in per-

sonis et unitas in substantia : sicut videndus est ab omnibus sanctis post generalem resurrectionem. Quæstio vero non modica isto in loco oritur, quomodo ipsa Dei substantia a quibusdam in hac vita positis videri potuerit, propter illud quod dictum est ad Moysen (*Exod.* xx), nemo potest faciem meam, id est invisibilitatem meam, videre et vivere : et propter illud, *Deum nemo* hominum *vidit unquam* in mortali vita ex toto positus : Quæ ita solvitur, quia potest humana mens, id est intellectus et rationabilitas animæ divinitus rapi ex hac vita ad angelicam vitam antequam per istam communem mortem carne solvatur, sicut credendum de beato Apostolo, ubi a Deo facta est ab hujus vitæ sensibus, quædam intentionis aversio. Tam evidens tamque manifesta fuit eadem visio intellectualis, ut sive in corpore, sive extra corpus fuerit, id est utrum sicut solet in vehementiori exstasi vel excessu ab hac vita mens in illam vitam fuerit alienata, manente corporis vinculo, anima videlicet in corpore, an omnino talis resolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit, anima recedente ipse se nescire profiteatur : Quapropter nec nobis est quærendum nec contra illud agamus quod dicitur (*Eccli* III) : *Altiora te ne scrutatus fueris*. Ita fit ut et illud verum si quod dicitur : Nemo potest faciem meam videre et vivere, quia necesse est ab hac vita abstrahi mente sive intellectu, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur. Et non fit incredibile quibusdam sanctis nondum ita ex toto defunctis, ut sepelienda cadavera remanerent, etiam istam excellentiam visionis fuisse concessam.

SUPERIORUM EPILOGUS.

Tres cœli significant tria genera visionum quarum prima est corporalis, qua videmus cœlum et terram cæteraque corporea et visibilia : Secunda spiritalis quæ fit in anima sine intellectu, cum imagines eorum quæ vidimus, memoria recondimus, et in tenebris ea qua videmus imaginaliter cernimus : insuper et somnia et ædificia et homines quos dudum vidimus, sic spiritali visione videmus in anima quasi præsentes sint nobis. Istæ duæ visiones communes sunt nobis cum pecoribus et volatilibus, quæ et corpora vident et loca propria recognoscunt. Sic pecora agnoscunt præsepia sua et aves ad nidos suos redeunt quia recordantur illorum. Est et tertia visio intellectualis, quam nullatenus habent pecora et volatilia, sed angeli et homines ratione utentes. Unde intellectus, id est ratio ; tamen non in omnibus hominibus æqualiter viget. Intellectu autem sine ratione discernimus, quod illud sit corpus, illud similitudo corporis, et per hanc visionem videtur justitia, charitas, ipse Deus. Ad istam ergo visionem intellectualem, quæ est tertia, et quæ designatur per tertium cœlum, quæ etiam transcendit sua excellentia duas præmissas, ita raptus et elevatus est divinitus Apostolus, ut Deum non per corpus, non per similitudinem corporis, sed sicut est ipsa Veritas cerneret : et sicut videndus est post hanc vitam ab omnibus electis. Quæ visio tam evidens tamque manifesta fuit, ut ipse Apostolus se profiteatur nescire, utrum quando raptus est in tertium cœlum, in corpore fuerit, quomodo est anima in corpore, cum corpus vivere dicitur, sive vigilantis, sive dormientis, sive in exstasi a sensibus corporis alienata, an omnino de corpore exierit, ut mortuum corpus jaceret, donec peracta illa demonstratione membris mortuis anima redderetur : et non quasi dormiens evigilaret aut exstasi alienatus, denuo rediret in sensus, sed mortuus omnino reviivisceret.

Et scio hujusmodi hominem, sive in corpore sive extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba quæ non licet homini loqui. Bis raptum se dicit Apostolus : primum ad tertium cœlum, postea in paradisum, non in illum paradisum terrenum, ubi quondam fuit protoplastus, sed in cœlestem paradisum. Nam paradisus interpretatur *hortus deliciarum*, et significat beatitudinem electorum, cœlestem scilicet requiem, ad quam raptum se dicit Apostolus eo modo quo ad tertium cœlum, audivit arcana verba, id est occulta, secreta atque ineffabilia, quæ nonlic et homini loqui. Inter ipsos spiritales viros cœlestem vitam ducentes, sunt utique alii aliis capaciores, atque meliores in tantum ut ad ea pervenerint quæ non licet eis aliis loqui. De talibus erat Apostolus, qui audivit in paradiso ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, id est, aut ille qui audivit non potest ea aliis narrare propter ineffabilitatem illorum, aut non permittitur ei. aut si tantæ dignitatis est ut permittatur ei loqui, et possit aliis narrare, illis qui audiunt non licet ea loqui, quia non valent ea capere ob magnitudinem mysteriorum.

Pro hujusmodi, subaudis visionibus Dei manifestissimis, *gloriabor*, lætabor, gaudebo et exsultabo, *pro me autem*, id est pro mea extollentia et laude vel pro meis meritis, *nihil gloriabor*, quia gratia Dei sum id quod sum, *nisi infirmitatibus meis.* Infirmitatis nomine comprehendit omnia incommoda et passiones quas sustinebat pro Christi nomine, in quibus ipse gloriabatur.

Nam et si voluero gloriari, subaudis propter meritum quod habeo apud Deum, *non ero insipiens*, illud narrando. Quare? *Veritatem enim dicam.* Hoc dicit, quia si meritum suum profiteatur quod habet apud Deum, non erit imprudens quia veritatem loquitur. Ergo si quis pro utilitate et ædificatione aliorum bonum sibi divinitus concessum cum humilitate narrat, non agit insipienter, quia veritatem loquitur. Qui vero bonum quod habet, propter jactantiam aliis prædicat, deputans illud suis meritis, vel quod non habet dicit se habere, insipiens et nimium est imprudens ; quia mendacium loquitur : *Parco autem*, id est dimitto narrare gloriam meam et meritum atque gratiam, *ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Nolebat Apostolus narrare gratiam sibi largitam, quia nolebat major apparere et sanctior quam erat. Inde dicit:

Idcirco nolo gloriari, et dimitto omnem gratiam mihi concessam, ne quis putet me meliorem sanctioremque esse supra id quod videt in mea conversatione : aut supra id quod audit ex me ab aliis.

Et ne magnitudo revelationum extollat me, subaudis in superbiam, *datus est mihi*, a Domino, *stimulus carnis meæ*, *angelus Satanæ qui me colaphizet*. Quidam dicunt Apostolum dolore capitis laborasse, quidam a diabolo de ardore libidinis tentari et affligi, quod verius est. Ne ergo in superbiæ tumorem extolleretur, permissus est tentari a diabolo de ardore libidinis, quam appellat stimulum carnis. Ut enim dicunt doctores, stimulus proprie tumoris et libidinis est, ipsumque stimulum carnis a quo pungebatur et accendebatur, vocat angelum Satanæ, id est nuntium diaboli, quia a diabolo immittebatur ei illa talis stimulatio concupiscentiæ. At quandocunque Apostolus patiebatur illam stimulationem, sciebat illam a diabolo sibi immitti. Sed Dominus qui permittebat eum colaphizari, id est affligi et tribulari a tentatione diaboli, ne in superbiam erigeretur, cognoscendo suam fragilitatem, ipse utique custodiebat eum ne in vitium libidinis caderet. Unde apparet, quia per venenum fugabat venenum. Veneno libidinis et tentatione carnis fugabat ab illo venenum superbiæ. Dedit namque ei Dominus antidotum tyriacum, quod de serpente conficitur, qui vocatur Tyrus, sive Tyriacus, a quo et tyriacnm appellatur, et fugat venenum aliud. A quo tentabatur de libidine, ab illo sanabatur a vitio superbiæ, quia a Domino acceperat contra venenum superbiæ, antidotum tyriacum, quod gustatum venenum pellit. Erudire quippe volens Dominus electos suos, et custodire in humilitate virtutum permittit eos tentari sæpe, sicut egregium prædicatorem a diabolo permisit tentari, ne magnitudine revelationum extolli potuisset : ipsamque tentationem sic disponit, ut qui elati perire poterant in humilitatis gradu consistentes, a perditione et præcipitatione serventur. Quapropter si quis tentationem aliquam sustinet, non debet desperare neque deficere, sed cum Dei adjutorio decertare ut vincat.

Propter quod, subaudis impedimentum libidinis, *ter Dominum rogavi ut discederet a me* stimulus carnis, sive angelus Satanæ. Quæri potest isto in loco, cum Dominus dicat per prophetam (*Isa.* LVIII) de quolibet electo : Adhuc te clamante dicam : Ecce adsum ; et in Evangelio (*Joan.* XIV) : *Omnia quæcunque petieritis in nomine meo fiet vobis*, quare eximius apostolorum, orans liberari a tentatione diaboli et stimulatione carnis, non sit exauditus? Sed sciendum est, quia ideo non est exauditus, quia non petebat in nomine Jesu, id est quod ad salutem suam pertinebat. Nesciebat enim petere pro se quod sibi utile erat, sicut alias ipse dicit : *Nam quid oremus sicut oportet nescimus* (*Rom.* VIII). Si ergo esset exauditus, ut ab illo recederet tentatio diaboli, concupiscentiaque carnis poterat evenire ut cito in superbiam extolleretur. Et ne nimium contristaretur, au-
A diamus quid ei dixerit Dominus, sive per angelum, sive in corde, aut alia revelatione. *Sufficit tibi gratia mea.* Gratia isto in loco intelligitur quidquid donorum gratis datum est apostolo Paulo, videlicet quod de cœlo vocatus est, quod fidem accepit ut crederet, quod remissionem omnium peccatorum in baptismate percepit, quod ad gratiam apostolatus et prædicationem gentium electus est, quod sapientiam præ omnibus apostolis a Deo percepit, et quod ad visiones et revelationes Domini ad tertium cœlum raptus est, necnon quod verba ineffabilia audivit in paradiso, de ista gratia dixit ei Dominus : Sufficit tibi gratia mea. Ideo noli orare pro stimulo carnis, ne forte in superbiam labaris. *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Virtus, id est perfectio virtu-
B tum, in infirmitate carnis et labore atque tentatione perficitur, si ipsa infirmitas patienter sustinetur, et contra tentationem concupiscentiæ viriliter pugnatur. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Postquam cognovit prodesse sibi quod nocere putabat, responsumque accepit a Domino quod perfectio vitæ omniumque virtutum in infirmitate perficitur, libenter se dicit gloriari, id est gaudere et lætari in suis infirmitatibus, id est in suis passionibus quas pro Christo sustinebat, ut in eo dignaretur habitare virtus et gratia, sive perfectio omnium donorum Christi. Ergo quia aliter perfectionem virtutum habere non possumus, nisi tentamenta et oblectamenta carnis patienter sustinuerimus, pugnando tamen contra vitia cer-
C temus cum Apostolo, ut in nobis habitet virtus et gratia donorum Christi, pariterque cum illo coronemur in cœlesti regno.

Propter quod, subaudis ut inhabitet in me virtus Christo, *placeo mihi in infirmitatibus meis*, non in prosperitate et divitiis hujus sæculi, sed *in contumeliis*, id est flagellationibus vel opprobriis, non in honoribus sæculi, sed *in necessitatibus*, non in epulis vel otio, sed *in persecutionibus*, non in salutationibus, sed *in angustiis*, non in jactantia elationis, et hoc *pro Christo* patior, non pro aliquo crimine. *Cum enim infirmor*, subaudis in corpore, *tunc potens sum*, subaudis in anima. Unde caro atteritur, affligitur, et infirmatur, inde anima roboratur et crescit.

Factus sum insipiens, subaudis mea merita et vir-
D tutes proprias narrando, sed tamen *vos me coegistis* ad hoc, quos ab amore falsorum apostolorum ad nostrum volui reducere. Incipientem se dicit, sed utique non est insipiens, quia vera locutus est : et licet pro salute aliorum coactus suas virtutes narraret, tamen de humilitatis gradu non cecidit. *Ego enim debui a vobis commendari*, id est laudari : *Nihil enim minus fui* in prædicatione, in virtute miraculorum, *ab his qui sunt supra modum apostoli*, id est a Petro, Jacobo et aliis prædecessoribus meis, qui a meis detractoribus dicuntur supra modum meum esse magni apostoli. *Tametsi nihil sum*, id est quamvis nihil sim comparatione illorum, *signa tamen apostolatus mei*, id est miracula, *facta sunt* a me *super vos*, sive

in vobis, quia mortuos vestros suscitavi, et infirmos A curavi.

Quid minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod non gravavi vos? nihil accipiens a vobis. *Donate*, id est indulgete *mihi hanc injuriam*, si injuria dicenda est. Ironice loquitur. Re enim vera injuria non erat, sed consideratio.

Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos. Quæri potest : Cum non legamus illum venisse ad eos nisi tantummodo una vice, quando moratus est apud eos anno uno et dimidio, neque posteaquam ab eis discessit, sicut ipse in priori epistola dicit, quia, testor Deum, non veni Corinthum postquam a vobis recessi, parcens vobis, id est ne vobis oneri essem, quare modo dicat se tertio venire? Sciendum est quia per præsentiam carnis una vice tantummodo B venit, quando eis prædicavit : secundo per priorem Epistolam venit, non per semetipsum. Tertio per istam secundam Epistolam dicit se venire : quasi enim in Epistolis suis veniebat ipse. *Et non ero gravis vobis*, id est nihil accipiam a vobis. *Non quæro vestra, sed vos*, id est vestram salutem.

Ego libentissime impendam, subaudis vobis omnia quæ mea sunt in prædicatione, in miraculis, *et superimpendar* id est morti me tradam *pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar*, subaudis a vobis.

Sed esto. Ego vos non gravavi. Esto proprie adverbium est concedentis, et ponitur pro si : isto autem in loco hunc obtinet sensum : Sed esto, id est si C minus diligar a vobis, ego tamen vos non gravavi in aliquo. *Sed cum essem*, inquit, *astutus, dolo vos cepi?* Increpative atque interrogative est legendum : Cum essem, inquit, callidus et ingeniosus, dolo et fraude vos cepi ad fidem Christi? Non, sed per prædicationem veram et virtutem miraculorum adduxi vos ad fidem cooperante Christo.

Olim putatis quod excusemus nos apud vos, subaudis non facimus, quia non est necesse : Hoc dupliciter intelligi potest. Nunquid a præterito tempore dubitatis de nobis, arbitrantes nos ideo talia loqui, quasi non simpliciter agamus erga vos et idcirco nos excusemus? Non loquimur ideo talia ut nos excusemus quia simpliciter incedimus. Aliter : Olim putatis quod excusemus nos apud vos, et est sensus : A D præterito tempore cognoscitis conversationem nostram et prædicationem, et ideo non indigemus ut nos excusemus. *Coram Deo*, Patre, *in Christo loquimur*, id est, honorem Christi quærentes. Testificatur illis ad satisfaciendum, quia vera dicit : Testis est mihi Deus Pater et Christus, cujus honorem quæro, quia simpliciter incedo erga vos. *Omnia autem*, subaudis incommoda, *sustinemus propter vos. Neiterum cum venero, humiliet me Deus apud vos*, id est affligat in jejuniis et fletibus propter vestram incorrectionem. Apostolus non habebat peccata propria quæ delleret, et ideo aliorum deflebat.

CAPUT XIII.

Ecce tertio venio ad vos, primum per memetipsum, deinde duabus vicibus per Epistolas meas, *ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Tres testes comparat tribus suis adventibus. Sicut in lege aut tribus testibus defendebat se aliquis aut tribus testibus convincebatur, ita isti aut tertio adventu illius correcti et emendati laudati sunt : aut correcti manserunt, acrius reprehensi ab Apostolo, vindictam perceperunt.

An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? ac si diceret : Nunquid quæritis probationem Christi qui in me loquitur utrum valeat peccata vestra punire per me, qui in vobis non est impotens miraculis et virtutibus faciendis? Utique potest.

Nam etsi crucifixus est Christus ex infirmitate, carnis, *sed vivit ex virtute Dei*, id est in divinitate sua manet impassibilis.

Nam et nos, apostoli, *infirmi sumus in illo*, id est tribulationes et angustias sustinemus propter illum, *sed vivimus cum eo ex virtute Dei in vobis*, id est propter vos quibus prædicamus. Vivimus jam cum illo in spe per virtutem Dei quæ est in nobis, vel propter vos speramus vitam habere cum Christo.

Oramus autem non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis, nos autem ut reprobi simus. Probus sive probatus apparet judex, quando invenit quod puniat in subjectis, per quod ostendat suam potestatem. Tunc vero videtur reprobus, quando non invenit quod vindicet, ubi suam ostendat auctoritatem, et probet judicium, ac si diceret : Non oramus ut in vobis aliquid inveniamus ad puniendum, sed vos quod bonum est facientes, nos reprobi inveniamur in hac parte, non invenientes ubi ostendamus nostram potestatem.

Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate, id est non possumus nostram potestatem ostendere contra hominem veritatem habentem, sed pro veritate decertamus.

Gaudemus quoniam nos infirmi sumus, non corpore, sed potestate, quia tunc est judex quasi infirmus, dum suam potestatem non potest ostendere : et tunc subjecti sunt potentes, quando non timent judicem.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio, id est societas et conjunctio, *Spiritus sancti cum omnibus vobis*, subaudis *sit*. Amen. Fiat, ut diximus, etc.

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

ARGUMENTUM.

Primo quærendum est in exordio hujus Epistolæ unde Galatæ sint appellati : Rex Bithyniæ, quæ est provincia Græciæ, habens bellum contra hostes suos, misit ad Gallos circa mare habitantes, promittens ut si venirent in auxilium ejus, pacto bello et potita victoria, regnum divideret cum eis. Qui cum venissent et victoria potiti essent, regnum cum eis divisit ut promiserat, appellatique sunt primum Gallogræci, hoc et Galli misti Græcis, parsque regni quam ipsi tenuerant appellata est Gallogræcia, id est Galli commorantes in Græcia. Postea autem (ut sapientioribus videtur) appellati sunt Galatæ a candore corporis : nam Græce lac γάλα dicitur. Unde et candida zona cœli quæ Latine lacteus circulus vocatur, Græce γαλαξίας nuncupatur, ut Martianus asseverat. Sunt ergo strenuissimi bellatores, sed stulti et facile a proposito mentis recedentes. Unde cum accepissent verbum prædicationis ab Apostolo, et Apostolus ab eis ad alios transiret, seducti sunt a falsis apostolis et a Judæis, qui volebant eos sectari circumcisionem et sacrificia legalia, dicentes : Licet baptizati sitis et in Christum credatis, tamen aliter non potestis salvari per passionem Christi, nisi circumcidamini et legalia sacrificia offeratis : quod audiens Apostolus, scripsit eis ab Epheso hanc Epistolam.

CAPUT PRIMUM.

Paulus. Quod nomen suum in omnibus Epistolis præponit in titulo : auctoritatis causa id egit sicut reges et principes hujus sæculi solent agere. *Apostolus :* dignitatis nomen et Græcum est, licet quidam dicant Hebræum illud esse. Apostolorum genera quatuor sunt : Primum est quod *neque ab hominibus, neque per hominem*, sed a Deo tantummodo : de quorum numero fuerunt Moyses, Isaias, Jeremias, aliique prophetæ quamplurimi, licet non omnes : et apostoli etiam, qui quamvis ab homine Christo essent missi, tamen ipse homo erat, et verus Deus. Secundum, quod a Deo quidem est, sed per hominem, de quorum numero fuerat Josue, qui Deo volente per Moysen missus est, et alii multi qui electione populi pro vitæ meritis Deo volente eliguntur, quia voluntas Dei aliquando voluntas populi est. Tertium, quando ab homine tantummodo et non a Deo cum favore hominum aliquis eligitur non pro bona conversatione, vel quando pretio subrogatur in sacerdotium, de quibus dicebat beatus Ambrosius : O episcope, certe nisi centum solidos dedisses, hodie episcopus non fuisses. De quibus etiam in libro Regum dicitur (*III Reg.* XIII) : Temporibus Jeroboam *quicunque implebat manum suam* muneribus, *fiebat sacerdos* idolorum. Ideoque isti tales inter eos sunt reputandi, de quibus Dominus per prophe- A tam dicit : Ipsi veniebant et ego non mittebam eos (*Jer.* XXIII). Omnes quotquot venerunt fures sunt et latrones. Quartum genus est quod neque a Deo, neque per hominem fit, sed a seipso, ut sunt pseudoprophetæ et pseudoapostoli, qui dicunt : Hæc dicit Dominus, cum Dominus non miserit eos. Sciendum etiam, quia inter ipsos prophetas quidam tantæ dignitatis sunt, ut prophetæ et apostoli sint, ut Moyses, Isaias, Joannes Baptista, et apostoli : quidam vero solummodo prophetæ sint. Et quia erant apud Galatas quidam Judæi qui dicebant beatum Paulum non esse verum apostolum Christi, neque doctorem veritatis, eo quod a Christo non fuerat vocatus et doctus sicut alii apostoli, idcirco volens Apostolus Galatas confirmare in doctrina sua, et se verum apo- B stolum ostendere et prædicatorem Christi, dixit se non ab homine mortali in terris esse doctum et constitutum, sed ab omnipotenti Deo de cœlis, non quod neget Christum verum hominem, sed jam immortalem effectum. Qui ergo docuit Petrum per præsentiam suam in terris adhuc mortalis, ipse docuit Paulum jam immortalis de cœlo, et ideo dicit : *Non ab hominibus*, subaudis constitutus sum, ut Matthias, qui sorte ab apostolis est electus, *neque per hominem*, subaudis jam mortalem, *sed per Jesum Christum et Deum Patrem*, quia una est operatio Patris et Filii. Et ut ostenderet unius esse dignitatis illas duas personas, præposuit personam Filii Dei Patris personæ, pariterque Arianorum destruit errorem, qui dicunt Filium creaturam esse, ideoque C minorem Patre. *Qui suscitavit eum a mortuis.* Deus Pater tertia die Filium suum a mortuis suscitavit, et ipse Filius potestate Verbi a quo assumptus est, seipsum suscitavit : *et qui mecum sunt fratres omnes*, id est omnes condiscipuli et credentes, eadem sententes de circumcisione. Quid est quod in aliis Epistolis quorumdam discipulorum suorum nomina ponit, et hic specialiter non quemlibet, sed generaliter omnes comprehendit? Ideo hoc egit ut majoris auctoritatis esset ejus Epistola, vel ut demonstraret omnes condolentes de illorum seductione, et quod omnes æqualiter sentirent de circumcisione quod non deberent circumcidi, neque sacrificia legalia offerre. Quid est etiam quod in hac Epistola, episco- D porum, presbyterorum, diaconorum mentionem non facit sicut in aliis ? quia necdum habebant episcopos ordinatos, neque alios rectores : ideoque seduci facilius potuerunt.

Gratia vobis et pax, quare conciliamur Domino, qui pro peccatis nostris tradidit se morti, *ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam.* Sæculum dicitur a sequendo, quia semper sequitur et in se revolvitur. Sæculum ergo non potest esse nequam neque malum, quia semper servat ordinem suum et cursum secundum dispositionem Dei, alternantibus diebus

ac noctibus : sed sicut dicitur mala domus, non quod mala sit per se, sed quod malos habeat habitatores, ita sæculum vel tempus dicitur malum esse, non quod malum sit, sed quod pessimos et malos homines in se habeat. Et bene addidit *secundum voluntatem Dei Patris*, quia voluntas Dei Patris fuit, ut Filius per passionem suam genus humanum repararet. *Amen*. Amen Hebræum est, et est confirmatio Epistolæ. Sonat ergo Amen, vere, sive fideliter et fiat.

Miror quod sic tam cito transferimini. Mirari se dicit Apostolus quare tam cito potuerint solis verbis a veritate Evangelii seduci, et a libertate in servitutem redigi, et quod ab Evangelio Christi quod eis tradidit, potuerunt mutari et transferri in aliud Evangelium, id est in aliam doctrinam. *Quod non est aliud*, subaudi Evangelium, propter illud quod prædicavi. Evangelium autem dicitur bona annuntiatio ; et si aliqua doctrina est quam per se Dominus, aut per aliquem non dederit, jam nec Evangelium dici potest, sed error. Transferimini, id est transducimini vel seducimini *ab eo*, id est a Deo Patre, *qui vos vocavit in gratiam*, id est in remissionom peccatorum, quam nobis Deus Pater gratis dedit, sive per passionem Filii sui, sive per baptismum, *in aliud Evangelium*.

Aliud evangelium *non est*, nisi Christi. Traditio ergo Judæorum et doctrina qua dicebant debere circumcisionem servare, et cætera quæ lex præcipit in mysteriis error est, postquam Christus venit. *Nisi sunt*, id est sed sunt *aliqui qui vos conturbant*, id est commovent a rectitudine fidei, *et volunt convertere*, volunt quidem mutare *Evangelium Christi* a spiritalibus ad carnalia, sed non valent, quia firmissimum et verum est. Evangelium enim si mutatum fuerit, non erit jam Evangelium. Et licet aliqui possint mutari a rectitudine Evangelii, semper Evangelium immutabile manet.

Sed licet nos, id est ego et apostoli Christi, Petrus et alii, *aut angelus de cœlo*, Michael, aut Gabriel, *evangelizet vobis præterquam*, id est præter hoc Evangelium, *anathema sit*. Anathema varias habet significationes. Aliquando ponitur pro occisione, ut idem Apostolus alibi dicit : *Optabam* ego *anathema* fieri *pro fratribus meis* (*Rom.* IX), id est : cupiebam occidi corporaliter pro eis ; aliquando pro maledictione, ut in canonibus habetur : Si quis hoc vel illud fecerit anathema, id est maledictus sit ; alio loco pro separatione, ut hic.

Sicut prædixi, subaudis præsens, ita modo absens, vel sicuti prædixi paulo superius in præcedenti versiculo, *ita nunc iterum dico*, *præter quod accepistis* subaudis a me.

Modo enim hominibus suadeo an Deo ? Sensus talis est : Suadeo, id est hortor modo homines credere in Christum, et perseverare in fide ejus, an suadeo Deo aliquid novi facere, cui omnia patent præterita atque futura ? Hominibus suadebat in Christum credere, Deo vero non suadebat ut aliquid novi faceret. Tunc suaderet Apostolus Deo aliquid novi facere, si circumcisionem ipse primus destrueret. Sed quia Christus legem implendo evacuavit illam, ideo non suadebat Apostolus Deo, sed quæ ostendit ipse debere servare, illa dicebat. *Si adhuc hominibus placerem*, id est si placerem Judæis a quibus ortus sum permanendo in judaismo, vel hominibus malis, ut hæreticis, *Christi servus non essem*. Hoc debet unusquisque prædicator attendere, ut Christum et prædicationem ejus quærat placere auditoribus suis, non seipsum. Si vero utrumque potest fieri, ut et Deus diligatur et ipse bonum est. Quod si Christus non placet eis, nec ipse placabilem se præbere debet illis.

Notum vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me, id est prædicatum et probatum, *quia non est secundum hominem*, id est secundum traditionem scribarum et pharisæorum. Evangelium quod secundum hominem dicitur esse non est Evangelium. Omnis enim homo mendax, et quidquid invenitur in homine veritatis non est ab homine, sed a Deo per hominem.

Neque enim ego ab homine accepi illud, id est ab aliquo apostolorum ; et si accepi a Domino Jesu Christo de cœlo, jam immortalis erat. Inter accipere et discere Evangelium, hoc interest : quod accepit Evangelium cui primum insinuatur, et fidem ejus accipit : discit vero, qui ea quæ in eo per ænigmata et parabolas a Domino prolata sunt, Deo revelante, vel homine docente penetrare valet, *sed per revelationem Jesu Christi*, id est manifestatione didici Evangelium. De qua revelatione dicit ? Tradunt doctores plenitudinem evangelicæ doctrinæ per illud triduum, Spiritu sancto revelante, Paulum didicisse, quando mansit in Damasco tribus diebus non videns lucem solis neque diei, sed neque manducans neque bibens. Vel etiam tunc accepit, quando (sicut ipse dicit) quadam die cum esset in templo, in exstasi positus est.

Audistis enim conversationem meam, quomodo vivebam sine querela in lege, ut mihi videbatur, quando adhærebam legi et circumcisionem servabam et sabbatum, et cætera quæ lex præcipit, propter quod Christum non cognoscebam : *quoniam supra modum*, id est plus omnibus Judæis, *persequebar Ecclesiam Dei*, id est credentes in Christum, *et expugnabam illam*, id est valde pugnabam contra illam, *et proficiebam in judaismo supra multos coetaneos meos*, id est super omnes coævos, et qui meæ ætatis erant. Proficiebam ego in doctrina legis secundum traditionem Pharisæorum, de quorum genere ortus eram, et nullus poterat coæquari mihi in studio lectionis atque quæstionum, sed neque in persecutione Christianorum, ita poterat crescere pro statu Synagogæ. *In genere meo*, id est genere Pharisæorum, *abundantius*, id est amplius, *æmulator*, id est imitator et studiosus, *existens* ad statuendam Synagogam, *paternarum mearum traditionum*, id est Pharisæorum.

Cum autem placuit ei qui me, id est qui me fecit, nasci ex utero materno, vel qui me in præsentia sua *segregavit*, et separavit *ex utero matris meæ*, ad prædicationem Evangelii sui, vel ex utero matris, id est ex consortio Synagogæ me abstraxit, *et vocavit per gratiam suam,* id est, per misericordiam suam ad Evangelium suum prædicandum, *ut revelaret Filium suum in me*, id est per me gentibus. *Ut evangelizarem illum in gentibus continuo*, id est cum placuisset Deo Patri ut revelaret Filium suum per me in gentibus, *non acquievi carni et sanguini*, id est non consensi in judaismo manere : vel non acquievi carni et sanguini, id est Scribis et Pharisæis de quibus ortus sum, licet aliquis apostolos velit intelligi, quod falsum est. Beatus Hieronymus ita hunc versiculum dividit secundum istum sensum. Petrus aliique apostoli, postquam vocati sunt a Domino, non statim profecti sunt prædicare, sed neque post ressurrectionem ejus, usquequo Spiritum sanctum acceperunt, ideoque quasi multam moram fecerunt. Paulus vero, statim ut baptizatus est, sine aliqua mora ingressus Synagogam Judæorum, cœpit publice prædicare. Potest tamen et ad sequentia jungi, quod dicit continuo ; sed melius est ita ut diximus, ut revelaret Filium suum in me, id est per me. Aliter : Verbum Dei Patris, id est Filius, cum Deo Patre et Spiritu sancto cœlum et terram continet, et omnia implet. Non est enim locus quem non impleat per plenitudinem potentiæ suæ, ac per hoc quod ubique est per potentiam Divinitatis et omnia loca impleat, erat etiam in Paulo licet a Paulo non sciretur. Quando ergo Filii sui fidem dedit ei, tunc utique Filium suum manifestavit ei, et ipse Filius ibi erat, ubi ipse revelavit. Sicut, verbi gratia, in utero virginis Mariæ ubi erat, ibi carnem assumpsit.

Neque veni Hierosolymam. Quæstio est : quare dicat se non venisse Hierosolymam, nisi post tres annos, cum in Actibus apostolorum legatur quia, postquam baptizatus est, cœpit prædicare in Synagogis Judæorum, insurrexerunt contra eum Judæi, ob quorum persecutionem venit Hierosolymam? Quæ quæstio ita solvenda est : Non veni, inquit, Hierosolymam ad apostolos gratia visitandi eos, neque causa discendi, sicut nec hic habetur, sed causa persecutionis veni Hierosolymam, sicut ad aliam quamlibet civitatem irem, si in meo itinere esset, verbi gratia, ut in Samariam aut in Bethleem. De qua vice dicit Lucas in Actibus apostolorum, *ad antecessores meos apostolos*, veni, subaudis neque causa discendi, neque visitandi eos ista vice ; *sed abii in Arabiam*, de Hierusalem subaudis fugerat. Dicit beatus Hieronymus : Quid mihi prodest si audio Paulum abiisse in Arabiam, et reversum inde Damascum, si nescio quid ibi fecerit? Forsitan prohibitus est a Spiritu sancto ibi verbum loqui, sicut in Asia : ideoque non dixit Scriptura quid ibi fecerit ; sed si perpendimus interpretationem nominum itus et reditus illius, aliquantulum utilitatis invenire poterimus. Quod autem per Arabiam intelligamus Vetus Testamentum, ipse Apostolus ostendit alibi, ubi loquitur de Agar et Sara (*Gal.* IV) : *Hæc enim*, inquit, *sunt duo Testamenta,* et *Sina mons est in Arabia.* Damascus vero, quæ interpretatur *sanguinem bibens* vel *effundens,* quia ibi interfectus est Abel a Cain, ubi postea ædificavit servus Abrahæ illam civitatem, vocans eam de nomine suo Damascum, significat Novum Testamentum ubi continetur passio Christi. Abiit ergo Apostolus in Arabiam, quia scrutatus legem et prophetas, ibi invenit Christum promissum, non tamen datum. Reversus est Damascum, quia transiit ad Evangelium, ubi Christum jam passum invenit, et credidit in eum.

Diebus quindecim. Quindenarius numerus pertinet ad Vetus Testamentum et Novum, propter septenarium numerum et octonarium ; septenarius ad Vetus Testamentum refertur propter sabbatum, octonarius ad Novum, propter Dominicam resurrectionem, quæ octava die celebratur. Et quia Apostolus doctrina Veteris et Novi Testamenti repletus erat, ideo non indiguit amplius manere cum Petro, nisi quindecim diebus.

Et iterum reversus sum Damascum, etc., usque *mansi apud eum diebus quindecim. Abiit in Arabiam ;* de Arabia reversus est Damascum, et expleto triennio in Arabia et Damasco, venit Hierosolymam altera vice videre Petrum, non causa discendi, sed causa commendandæ charitatis, et ut humilitatis formam præberet aliis dum honorem præstitisset priori apostolo. Ex hoc apparet eum non causa discendi venisse, quia in tam paucis diebus non poterat doceri, et quia poterat aliquis etiam dicere : Ecquid si non didicit a Petro, didicit ab aliis? Huic objectioni Apostolus subjunxit :

Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini, filium scilicet Mariæ Cleophæ, materteræ Domini, quæ genuit de Alphæo.

Ecce coram Deo, quia non mentior, id est digna sunt conspectui Dei, quia vera sunt.

Deinde veni in partes Syriæ provinciæ, *et Ciliciæ,* subaudis patriæ, ubi est et Tarsus, civitas Pauli. Venit Apostolus in Syriam quæ interpretatur elevata, ut humiliaret illam ad Christum ; venit ad Ciliciam quæ interpretatur assumptio lamentabilis, ut illam assumeret ad fidem Christi, et eam doceret habitum pœnitentiæ et lamenti.

Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, etc. Ignotus quidem erat facie, sed nomine et fama erat notus. Jam enim per quatuordecim annos Evangelium prædicabat. Non ideo dicit pluraliter ecclesiis, quod Judæi et gentes misti essent, sed tanta erat multitudo Judæorum credentium, ut plures ecclesias facerent, *quoniam qui persequebatur nos*, id est credentes in Christum, *aliquando*, subaudis quando erat in judaismo *nunc evangelizat fidem quam aliquando expugnabat*, id est contra quam valde pugnabat. *Et in me clarificabant Deum*, juxta illud : *Ut videant opera vestra bona* (*Matth.* V), et qui de persecutore fecerat prædicatorem (*I Tim.* I).

CAPUT II.

Deinde post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam iterum. Juncti tres anni superiores cum his quatuordecim fiunt septemdecim. Ex quo colligitur quoniam decimus septimus annus prædicationis suæ, quando tertia vice venit Hierosolymam. Sed quæ causa exstitit illum venire Hierosolymam ? Seditio erat inter Judæos credentes et gentiles ; dicebant enim Judæi : Estis baptizati, et creditis in Christum, non potestis salvari aliter, nisi circumcidamini et legem observetis. Ideo ut hanc seditionem compesceret, revelante sibi Spiritu sancto, venit Hierosolymam, *cum Barnaba.* Barnabas erat Judæus et circumcisus. Titus gentilis et incircumcisus. Ideo ergo cum istis duobus ascendit, ut si apostoli aliique Judæi dicerent illum non recte prædicare in gentibus, istorum testimonio tueretur, dum dicerent illi : Vere sicut vos prædicatis, ita et magister noster : et sic sentit in omni fide sicut et vos. Ideo dicit : *et contuli cum illis Evangelium,* ne videretur ab aliis aliquid accepisse. Nam inter se conferre, et docere, ac discere hoc interest, quia conferunt coæquales, docent et discunt superiores et inferiores. Contuli cum illis, hoc est cum Petro, Joanne et Jacobo. *Seorsum autem cum illis qui videbantur aliquid esse,* in Petro aliisque apostolis locutus sum, non in conventu Judaici populi, sed separatim. Quare seorsum ? quia multa sciebat ille quæ generalis multitudo non poterat capere : vel seorsum, ne dum prohiberet penitus circumcisionem, persecutionem Judæorum contra se excitaret. *Videbantur,* inquit, *aliquid esse* a semetipsis. Videbantur enim doctrinam habere a se et virtutem, sed neque doctrinam neque virtutes, neque boni aliquid habebant a se, neque a suis meritis : ideo licet populo viderentur aliquid esse, nihil erant. *Ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem ?* Licet videatur durum, tamen beatus Hieronymus hunc versum interrogative dicit esse legendum, quia hujuscemodi sensus est : Nunquid ideo contuli cum illis seorsum quod timerem ab illis reprehendi, quasi mea doctrina non esset vera, et illorum roboratione indigeret, aut quasi inaniter currerem prædicando de loco ad locum? Non ; sed potius ut illi a me alta et profunda mysteria audirent, quod minus capaces non poterant capere, et non possent dicere Galatis : Nolite credere Paulo, quia mendacium prædicat ; aliud enim apud nos prædicat vel docet, aliud apud vos : apud vos prædicat circumcisionem non observandam, apud nos circumcidit Titum. Unde Apostolus volens eos confirmare in fide, et a circumcisione ducere, dixit : Si *Titus,* cum esset mecum, *non est compulsus* ab apostolis *circumcidi,* neque minis, et terroribus, ac multitudine Judæorum, quare vos seducimini solummodo verbis ?

Sed neque Titus, qui mecum erat cum esset gentilis, compulsus est circumcidi. Cum venisset Apostolus Hierosolymam, Judæi curiositatis causa submiserunt viros in secreto loco, de quibus non poterat suspicio esse, qui considerarent utrum Apostolus illorum timore perterritus circumcideret Titum.

Introierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu. Libertas maxima est in Christo Jesu, id est in fide Evangelii, quia per fidem Domini Salvatoris liberi efficimur in baptismate, non solum a peccatis, sed a servitio etiam legis.

Neque ad horam cessimus, id est non consensimus eis vel ad tempus, ne servituti legis subjiceremur, ut fides *Evangelii,* quam vobis prædicavimus *maneat* semper in vobis, et non circumcidamini.

Ab his autem qui videbantur. Ab his, id est Petro, et Jacobo, et Joanne, *qui* videbantur *aliquid esse* a semetipsis, sicut supra diximus, *quales aliquando fuerint,* antequam per adventum Spiritus sancti corroborarentur, non pertinet ad me ut dicam, sed hoc solummodo dicam, quia *nihil mea interest,* hoc est : nulla distantia inter me et illos est; et hoc ideo, quia non est Deus acceptor personarum. Fuit Paulus persecutor Christianorum, Petrus negavit postquam ab illo doctus est. Joannes et Jacobus tempore passionis, relicto eo, fugerunt cum aliis apostolis. *Qui videbantur aliquid esse,* id est Petrus, Jacobus et Joannes, *nihil mihi contulerunt, sed e contra,* subaudis ego contuli illis ; vel aliter : cum putassent aliqui reprehensores mei esse, non solum reprehensores non fuerunt, sed etiam laudatores et fautores exstiterunt meæ prædicationis. Ita dividunt et distinguunt Augustinus et Hieronymus hunc versiculum cum tali subauditione : *cum vidissent,* subaudis a subsequentibus, Jacobus et Joannes, qui videbantur aliquid esse, *quod ita datum,* id est concessum est mihi *Evangelium præputii,* id est gentium, *sicut Petro* creditum est Evangelium, *circumcisionis,* hoc est Judæorum.

Et cum cognovissent gratiam quæ data est mihi, dexteras societatis mihi dederunt et Barnabæ. Cætera per parenthesim dicta sunt sicut Petro circumcisionis ; hanc autem habet consuetudinem Apostolus, ut circumcisionem Judæos et gentiles præputium appellet. *Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter gentes.* et est sensus : Qui Petrum magistrum et principem fecit esse omnium Judæorum credentium, me etiam in prædicationis officio præposuit omnibus gentibus. Dicit beatus Augustinus quodam loco beato Apostolo majorem sapientiam præ omnibus apostolis concessam esse, et hoc ideo, ut quia ipse omnibus gentibus et philosophis prædicaturus erat, omnibus gentibus et philosophis ejus prædicatio sufficere posset. Sed dicet aliquis in isto loco : Nunquid ergo Petrus magister Judæorum, si videret aliquem gentilem velle converti ad fidem, non suscipiebat eum, nisi circumcideretur, aut Paulus magister gentium suscipiebat aliquem Judæorum circumcisum? Utique Petrus suscipiebat gentilem, non cogens eum circumcidi, ut Cornelium, et Paulus non respuebat Judæum propter circumcisionem, sed tantummodo legales observationes docebat non esse abservandas carnaliter. *Qui*

videbantur columnæ esse. Dicit beatus Augustinus: A Columnæ videbantur esse illi, sed non erant. Sed videamus quæ sint solidissimæ columnæ. Salomon dicit: *Sapientia*, quæ est Verbum Dei Patris, *ædificavit sibi domum*, in utero videlicet virginali excidit *columnas septem* (*Prov.* IX), id est septem Ecclesias, ad quas scripsit Joannes in Apocalypsi sua (*cap.* I); quæ septem Ecclesiæ vel columnæ faciunt unam Ecclesiam et unam columnam, de qua dicit Apostolus Timotheo: *Ut scias*, inquit, *quomodo oporteat te in domo Dei conversari*, *quæ est columna et firmamentum* (*I Tim.* III). Si ergo isti columnæ non fuerant, quid est quod Dominus dicit: *Qui vicerit*, *faciam illum columnam in templo meo* (*Apoc.* III)? Ut ergo dicit Apostolus et beatus Augustinus assentit, columnæ a semetipsis non erant, licet viderentur a B simplicibus a se esse quod non erant, et columnæ erant a Domino solidatæ sine suis meritis, et fundatores Ecclesiæ erant et sustentatores. *Dexteras dederunt mihi.* Quod dicit *dexteras societatis dederunt mihi et Barnabæ*, nihil est aliud nisi in suam societatem receperunt nos et familiaritatem. Tractum est hoc a negotiatoribus, qui causa negotiationis venientes ad exteras regiones, in primis ut ibi advenerint, ad eos præfectus loci et homines accedunt ibi habitantes, et interrogant illum qui præest illis: Pacificusne est ingressus tuus? Et ille: Pacificus. Tunc mutuo dant sibi dexteras manus, et alternatim se osculantur, ac deinceps cum pace negotium suum explent, libere incedentes, et cum securitate in judicium illorum. Sic etiam et illi cum Apostolo C fecerunt pacem, ut ille et Barnabas inter gentes prædicarent, ipsi autem inter Judæos.

Tantum subaudis præceperunt nobis, *ut pauperum* illorum *memores essemus*, qui propter Christum sua reliquerant, vel qui spoliati fuerant a Judæis, ut Nicodemus et alii. Quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere mittens eis quæ necessaria erant, a gentibus fidelibus munuscula accipiens.

Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem, id est præsentiam, *restiti ei, quia reprehensibilis erat*, id est reprehensione dignus.

Prius enim quam venirent quidam, subaudis Judæorum, *ab Jacobo*, id est ab Hierosolymis, ubi erat Jacobus constitutus episcopus credentibus ab Apostolis, *cum gentibus edebat: cum autem venissent*, D *subtrahebat se et segregabat*, *timens eos qui ex circumcisione erant*, hoc est timens reprehendi ab illis.

Sed cum vidissem quod non recte ambularent. Non recte ambulabant, qui segregabant se a gentibus quasi immundis, eo quod non essent circumcisi.

Dixi Cephæ coram omnibus. Ideo publice eum redarguit, quia ipse publice peccavit, ut et ejus correptione cæteri corroborarentur in fide. Publica enim culpa publica eget castigatione coram omnibus, ut in canonibus habetur. *Quomodo gentes cogis judaizare?* Non cogebat eos circumcidi verbis, sed operibus, per hoc quod se ab illis segregabat. Poterant enim gentiles dicere: Si essemus salvati et mundati per baptismum, nequaquam nos quasi immundos reputaret: melius est ergo ut circumcidemur. *Si tu cum sis Judæus.* Judæus erat Petrus natura, et gentiliter vivebat non adorando idola, sed non credens salvari posse per circumcisionem, sed per baptismum, sicut et gentiles salvabantur non per circumcisionem, sed per baptismum.

Nos natura Judæi sumus, et non ex gentibus peccatores, quia gentiles peccatores appellabantur, et est sensus: O Petre, si nos qui Judæi naturaliter sumus, justificati non sumus per legem, quare cogis gentes judaizare, non verbo, sed opere, ut credant se salvari non posse per baptismum sine circumcisione. Nos scimus quia *non justificatur homo* per observantiam legalium mandatorum; *ex operibus legis* dicit, id est per oblationem sacrificiorum carnalium, per observationem mandatorum, per circumcisionem *non justificabitur omnis homo*, id est nullus justificabitur.

Quod si quærentes, nos qui natura sumus Judæi, *justificati in Christo*, id est in fide Christi, in baptismate, *inventi sumus peccatores* dum venimus ad baptismum. *Nunquid Christus* fecit nos peccatores ut peccata haberemus, et inveniret in nobis quod mundaret? *Absit.* Sed quia lex non poterat nos justificare, ideo venimus ad Christum, ut credentes in eum justificemur.

Si enim quod destruxi hoc iterum reædifico, prævaricatorem me constituo. Id est, si circumcisionem quam prædicavi dimittendam iterum prædico observandam esse, transgressorem me facio, tam legis Mosaicæ, quam Evangelii, quia si circumcisio poterat justificare, imo quod illam destruxi transgressor exstiti: et si postquam veni ad Evangelium, iterum redii ad carnalem legem, similiter prævaricator exstiti. Et notandum quia contra Petrum ista loquebatur, qui cogebat gentes circumcidere non verbo, sed opere, subtrahendo se ab illis, cum et ipse circumcisionem prædicaverat non observandam.

Ego enim per legem, subaudis Evangelii, *mortuus sum legi* Moysi, id est nihil illi debeo, quia non sum subjectus ei; vel per legem spiritaliter intellectam mortuus sum legi carnali, quia carnaliter illam non observo. *Ut Deo vivam* per fidem et justitiam.

Christo confixus sum cruci, id est confixus sum in cruce Christi, quia peccata mea in cruce illius affixa sunt, id est deleta et mortificata.

Vivo autem jam non ego. Vivebat quiden substantialiter, sed non vivebat in illo malitia, sed justitia. Esxtinctus et mortuus erat in illo sævissimus persecutor, et vivebat in illo piissimus prædicator. *Vivit vero*, sive regnat *in me Christus* per fidem et per omnes virtutes.

Non abjicio gratiam Dei, id est non repello fidem Christi, Evangelium et remissionem peccatorum: quæ omnia nobis gratis data sunt. *Si enim per legem justitia*, id est si lex poterat justificare, *Christus sine causa mortuus est*, et ejus passio nec profuit, nec obfuit.

CAPUT III.

O insensati Galatæ. Unaquæque gens suam proprietatem in conversatione et moribus habet. Unde Galatis proprium est ut, licet feroces sint, sint etiam stolidi sive stulti, facileque transferri possint de una re ad aliam: *quis vos fascinavit?* id est quis vobis nocuit, vel qui vos decepit? Fascinari dicuntur pueri, et parva animalia, pullique avium, hominum visu et incantatione. *Ante quorum oculos Christus Jesus præscriptus est, in vobis crucifixus.* Ante illorum oculos erat Christus Jesus crucifixus præscriptus, quia illi non solum quatuor libros Evangelii habebant, ubi passio Christi continetur completa, sed etiam libros Veteris Testamenti Græco sermone secundum septuaginta Interpretes habebant, in quibus pronuntiabatur et prædicabatur passio Christi, in quibus quasi ante oculos ipsorum erat Christus crucifixus.

Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. Id est cum spiritualiter cœpissetis conversari, vel cum per Spiritum sanctum cœpissetis loqui variis linguis, nunc carnali observatione deficiatis, postponentes omnia spiritalia, et transeuntes ad carnales observationes, id est ad circumsionem carnis, et ad legalia sacrificia. Aliter: in primordio fidei, omnes credentes in Christum accipiebant Spiritum sanctum, sicut modo, et insuper accipiebant diversitatem linguarum per quod ostendebatur eos habere Spiritum sanctum. Quod nullo exemplo melius probari potest quam illo quod in Actibus apostolorum dicitur: quod cum dixisset Paulus quibusdam baptizatis, qui baptizati erant in Joannis baptismate, si Spiritum sanctum accepistis credentes? responderunt: Sed neque si Spiritus sanctus est in nobis audivimus, quia non possumus omnibus linguis loqui. Et cum baptizasset eos in nomine Jesu, cœperunt loqui variis linguis, et isti Galatæ non acceperunt Spiritum sanctum et diversitatem linguarum ex operibus legis: sed quia crediderunt in Christum, audientes ab Apostolo fidem Domini prædicari. *Ex auditu fidei* dicit, quia audit homo quid credere debeat, et interrogatur ad fontem quomodo credat, et sic baptizatur.

Tanta passi estis sine causa? Multa mala passi fuerant a Judæis et a persecutoribus pro fide Christi, eo quod nolebant circumcisionem servare. *Si tamen sine causa.* Si affirmativa conjunctio est, id est certe sine causa patimini, si iterum ad carnalium desideria et circumcisionem servandam revertimini.

Qui ergo tribuit vobis spiritum, subaudis sanctum, *et operatur virtutes in vobis,* subaudis miraculorum et linguarum. *Ex operibus legis,* subaudis hoc facit, *an ex auditu fidei?* subaudis: non propter observantiam legis hoc præstitit nobis, sed propter fidem; quia per fidem justificati placemus Deo.

Igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham, id est qui fidem Abrahæ habent benedictionem Abrahæ consequentur.

Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub male-

A *dicto sunt,* id est qui per legem putant se justificari, sub maledictione legis sunt, quia non possunt omnia implere quæ ibi continentur. Unde Petrus Judæis: Cur, inquit, tentatis imponere nobis jugum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus. Sub quo maledicto sunt? sub illo: *Maledictus omnis,* et cætera. Lex autem non est ex fide, fides est ea credere et sperare quæ non videntur; lex ergo non complebatur fide, sed opere: Evangelium autem completur fide magis quam operibus, quia sola fides salvat. Quicunque ergo faciebat ea præcepta quæ lex præcipiebat, vivebat in illis, quia protelabatur ei præsens vita usque ad statutum finem a Deo: qui vero transgressor erat legis jubebatur interfici, dicente lege: Qui hoc vel illud fecerit occidatur.

B *Christus nos redemit de maledicto legis.* De quo maledicto? de illo quod dictum est ad Adam: *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen.* II). De hoc maledicto, id est de hac morte redemit nos, revocando ad vitam: quia morte sua simpla duplam nostram destruxit: et quomodo? *factus pro nobis maledictum.* Non est ipse factus maledictus, sicut beatus Ambrosius dicit, ut peccatum haberet, sed factus est maledictum, id est hostia pro maledictis et peccatoribus, pro nobis videlicet, qui sub maledicto primi hominis et sub morte tenebamur. Vel, ut beatus Augustinus dicit: Factus est maledictio, id est factus est mortalis, sicut et nos, licet sine peccato esset.

Quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Euticus hoc modo exponit hunc versiculum:
C Maledictus omnis nocens qui culpa sua et peccato suo pendet in ligno; qui vero innocens est, si injuste suspensus fuerit, non ideo maledictus erit. Quid ergo si Mardochæus innocenter suspensus esset in ligno, quod ei Aman paraverat, nunquid maledictus esset ideo? minime. Ita Christus, licet maledictum illud sustineret, id est passionem et cruciatum, et peccata nostra assumeret, tamen non ideo fuit maledictus neque peccator, quia sic accepit ipse peccata nostra, non ut haberet, sed ut deleret. Vel etiam quantum Judæis videbatur, maledictus erat, id est peccator.

Fratres, secundum hominem dico, id est secundum humanam consuetudinem, et secundum humanam
D legem, *tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit.* Testamentum dicitur a testibus, quorum nomina ibi scribuntur, et a quibus illud confirmatur testamentum, vel charta, sive scriptum quod pater facit de suis rebus filiis suis, quid unusquisque post mortem ejus possideat de hæreditate paterna. Quod testamentum nemo despicit, ut aliter illud comprehendat et dividat, neque aliter ordinat, nisi ut pater vivens ordinavit.

Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Dicit singulari numero, Abrahæ dicta est promissio et semini ejus; sed quia multæ promissiones ad eum factæ sunt, tam de terra promissionis quam etiam de Domino Jesu Christo, ideo dixit pluraliter: *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus.* Videamus et

consideremus quæ sint illæ promissiones, si forte A inveniamus aliquid de nobis gentibus ei promissum. Prima promissio facta est quando eum vocavit Dominus, promittens ut si egrederetur de terra sua, futurus esset in gentem magnam dicens : *Exi de terra tua et de cognatione tua ; et vade in terram quam monstravero tibi, et faciam te in gentem magnam ;* deinde dixit ei: *Benedicens benedicam tibi, et multiplicabo te*, etc. ; et rursum : *In semine tuo benedicentur omnes gentes ;* et : *Patrem multarum gentium posui te* (*Gen.* XII). Quod autem subjungitur, et semini ejus, subaudis dictæ sunt promissiones; quamvis Apostolus specialiter semen Abrahæ Christum intelligat, possumus tamen simplici modo semen illius accipere Isaac, filium ejus, et Jacob, ne- B potem ejus, ad quos etiam repromissiones legimus factas. Nam legitur in Genesi quod, dormiente Jacob, quodam loco apparuerit ei Deus, dicens : *Terram in qua dormis tibi dabo et semini tuo.* Dicamus modo et secundum Apostolum : *Abrahæ*, inquit, *dictæ sunt promissiones et semini ejus*, id est Christo. Quæ sunt illæ promissiones, quæ dictæ sunt Christo vel in Christo? quod in illo benedicendæ essent omnes gentes, juxta quod jam diximus, inquit : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Semen ergo Abrahæ Christus est, quia Abraham genuit Isaac, Jacob, Jacob autem Juda, de cujus tribu et progenie assumpsit carnem Dominus in utero virginali beatæ Mariæ, et processit velut sponsus de thalamo suo. Sed quæri potest quare omnes gentes dicantur benedictæ in Christo, cum adhuc omnes gentes non credunt in eum, et nulli C dubium sit alium non mereri benedici, nisi qui fidem ejus habet? Quod duobus modis potest solvi : Potest enim synechdochicos accipi, hoc est a toto pars, quia licet omnes non credant, tamen ex omnibus gentibus fidem ejus habent : vel omnes qui merentur benedictionem, in Christo benedicuntur. Subnectit ergo Apostolus, et dicit : *Non dicit*, subaudis Abrahæ dictæ sunt promissiones, *et seminibus* ejus, sed singulari numero dicitur *semini*. Non dicit Scriptura : In seminibus tuis benedicentur omnes gentes, sed in semine tuo, ut de Christo intelligamus dictum. Si enim dixisset pluraliter seminibus, fortasse diceret aliquis contendendo de David et de aliis Judæis esse dictum. Quodam loco, beatus Hieronymus, qui om- D nes scripturas sacras Veteris et Novi Testamenti sensu et memoria peragitabat, dicit : Nusquam potuit invenire semina plurali numero posita, quando de propagatione filiorum res agitur. Si vero ad sementem fructuum pertinet, invenitur pluraliter positum, ut in Genesi habetur : Præcepit, inquiens, Joseph Ægyptiis, ut acciperent semina, et seminarent, ne forte terra redigeretur in nihilum (*Gen.* XLVII).

Hoc autem testamentum, id est illud promissum quod fuerat factum ad Abraham, *dico ego confirmatum a Deo.* Hunc versiculum vario modo in suis scripturis distinguunt doctores. Quidam enim faciunt perfectam distinctionem, ubi dicitur a Deo ; quidam vero mediam ! quod utrumque convenire potest. Testamentum hic appellat promissionem, quæ facta est ad Abraham, quod in semine ejus, hoc est in Christo, benedicendæ essent omnes gentes. Quomodo istud testamentum vel ista promissio est confirmata ? natus est Christus ex virgine Maria de semine Abrahæ ; prædicavit in sæculo, miracula fecit; redemit genus humanum sua passione : misit discipulos suos prædicare et baptizare, et completum est quod promisit Abrahæ quando apostoli profecti prædicaverunt ubique, ipso cooperante, intantum ut in omnem terram sonus eorum procederet, et in fines orbis terræ nominis ejus fama divulgaretur, tunc in semine Abrahæ, id est in Christo, benedictæ sunt omnes gentes, eo modo quo superius diximus, et promissio ejus impleta est.

Lex quæ post quadringentos et triginta annos facta est, vel data in monte Sina, *non fecit irritum*, subaudis testamentum, *ad evacuandam* vel ad destruendam *promissionem* Abrahæ. Irrita res est inanis et vacua ; verbi gratia : sicut solent folliculi esse grani frumenti, aut ciceris, sive alicujus leguminis vel seminis : lex ergo quæ data filiis Israel post factam promissionem ad Abraham, non fecit vacuum et inane illud testamentum, ut illa promissio evacuaretur. De hoc numero quadringentorum et triginta annorum, vario modo doctores disputant, et per longas ambages circuitum illum colligentes ; sed nos omnia illa succincte perstringentes, compendioso utamur exitu, computantes ipsos annos. A vocatione Abrahæ de terra Chaldæorum usque ad ingressum Jacob in Ægyptum computantur ducenti quindecim : iterum ab ingressu Jacob in terram Ægypti usque ad exitum filiorum Israel ex ea computantur similiter anni ducenti quindecim : qui simul juncti complent numerum quadringentorum triginta annorum, post quos data est lex, eo quo repromissio facta est ab Abraham. Dicendum etiam est quomodo illud intelligendum sit quod loquitur ad Abraham Deus in Genesi : *Scito prænoscens quod peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et affligent eos*, maleque tractabunt *annis quadringentis* (*Gen.* XV). Non enim possumus invenire quomodo per quadringentos annos sint afflicti, maleque tractati. Narrat namque Scriptura quia post mortem Joseph surrexit rex in Ægypto qui ignorabat Joseph, et cœpit affligere filios Israel. Sed sciendum est quia quod dixit, Peregrinum erit semen tuum in terra non sua, ad omne tempus quadringentorum annorum est referendum, quo Abraham, Isaac et Jacob in terra non sua peregrini et advenæ fuerunt, filiique eorum post eos longo tempore. Quod autem subjungit, *Servituti eos subjicient*, maleque tractabunt annis quadringentis, ad extremam partem et ad ultimum quadringentorum annorum est referendum, in quo illi afflicti sunt a morte Joseph, usque ad egressionem illorum de Ægyptiaca servitute.

Nam si ex lege hæreditas, jam non ex promissione, hoc est : si per legem data esset Abrahæ hæreditas terræ repromissionis, quam possedit in filiis suis,

vel hæreditas totius mundi, quam possedit in Christo, qui de semine ejus natus est, jam non esset repromissio illa datio, sed lex. Hæreditatem totius mundi Abraham in Christo possidet; *Abrahæ autem* non per legem *donavit Deus* hæreditatem totius mundi, *sed per repromissionem* datum est semen, quod est Christus, in quo benedicuntur omnes gentes.

Quid igitur lex? Beatus Augustinus, exponens hanc epistolam ad Galatas primum ita distinxit: Quid igitur? sed postea relegens ea quæ dictaverat, correxit suum errorem in libro Retractationum, atque ita distingui præcepit: Quid igitur lex, id est ut quod venit lex? aut quid profuit? vel quare data est, si Abrahæ hæreditas per repromissionem data est? Ad hæc sibi respondit ipse Apostolus, inquiens: *Propter transgressiones posita est quoadusque veniret semen*, id est Christus, *cui* Christo, vel semini, *promiserat*, subaudis quod in ipso benedicendæ essent omnes gentes. Transgredi, est ultra ire et prævaricari; ideo ergo data est lex post repromissionem, ut homines compesceret et prohiberet a peccatis, qui proni erant ad transgredienda præcepta omnipotentis Dei et naturalem legem. Statim enim ut egressus est populus de ergastulo Ægyptiorum, antequam transiret mare, murmuravit, rursumque transito mari murmuravit; atque dum pervenissent ad montem Sina, postquam acceperunt decem præcepta, caput bovis quem adorabant Ægyptii coluerunt, et inclinati sunt ante illud. Pro talibus ergo et hujusmodi transgressionibus data est lex, ut prohiberet talia, Deo minante mortem illis. *Ordinata per angelos*, hoc est disposita, et descripta, atque dictata est ipsa lex per angelum. Per subjectam siquidem creaturam loquebatur Deus ad Moysen, hoc est per angelum, sicut Stephanus in Actibus apostolorum dicit Judæis: *Hic est Moyses qui fuit in Ecclesiæ solitudine cum angelo, qui locutus est ei in monte Sinai* (*Act.* VII). *In manu Mediatoris,* id est in potestate Verbi Dei, hoc est Filii Dei, qui postea assumendo carnem, nobis mediator factus est. Nisi enim hominem assumeret, mediator nobis alio modo esse non posset. Sed assumendo carnem nostræ fragilitatis, nobis factus est mediator, assistens nunc vultui Dei pro nobis, et per illum nostras preces dirigimus ad Deum Patrem. Quidam voluerunt interpretari in hoc loco mediatorem Moysen, propter hoc quod ipse dixit: Ego sequester et mediator fui inter Deum et vos in tempore illo. Sed melius est, secundum beatum Augustinum, ut modo superiori intelligamus, referentes ad illum Christum, cujus dispositione ipsa lex data est per angelorum ministerium. Sicut potestate ejus prædicta sunt oracula prophetarum, qui dicebant verbum Domini quod factum est ad Joel, aut Isaiam: ita ejus dispositione conscripta est lex.

Mediator autem unius, subaudis Patris, *non potest esse*, sed inter duas, aut inter plures, ut ipse sit medius: *Deus autem unus est.* Hoc ideo addidit Apostolus, ne quis putaret Christum ab unitate divinæ naturæ penitus esse divisum, quia mediatoris suscepit officium. Licet enim ipse nobis mediator sit per humanitatem, tamen non est abruptus a natura paternitatis divinæ. Sed ipse qui est verus Deus et verus homo in una natura semper, ipse manet æqualis Patri in natura et potestate divinitatis.

Lex ergo adversus promissa Dei, id est nunquid ergo lex contraria est promissioni omnipotentis Dei, quæ facta est Abraham de Christo, quod in semine ejus benedicendæ essent omnes gentes? *Absit.* Non fiat istud ut aliquis credat legem contrariam esse huic promissioni ut illam evacuaret. *Si enim data esset lex quæ posset vivificare,* id est justificare. Anima quandiu non peccat, vivit Deo: cum vero criminibus se implicat, moritur. Lex illa Mosaica non poterat hominem ab hac morte suscitare, quia ostendebat peccata, non tamen tollebat. Impossibile quidem erat sanguine hircorum auferri peccata. Quod si posset vivificare hominem et januas aperire regni, *vere ex lege esset justitia,* hoc est putaretur esse exclusa promissio. Si enim lex posset nos mundare et justificare, quid esset necesse Christum venire? Sed quia illa hoc non valuit, ideo adventus Christi nobis necessarius fuit.

Sed conclusit Scriptura legis *omnia* genera hominum et omnes Judæos *sub peccato*, id est ostendit quod nullus esset qui illam posset implere. Dicebat enim lex: *Non occides*, non adulterabis, non facies hoc vel illud: quia si feceris, morte animæ morieris. Prædicebat ista cavenda; sed si committerentur, non tollebat; et dum aliquis illa perpetrabat, ostendebat illum lex esse peccatorem. Si ergo ostendebat peccata et non tollebat; nunquid erat auctor sceleris et culpæ peccantium? minime. Verbi gratia: sic erat ipsa lex sicut quidam rex, vel quælibet majestas terrena, quæ statuit et proponit legem et edictum, ut si quis hoc vel illud fecerit, aut in carcerem detur, aut capite truncetur. Transgreditur aliquis edictum illud et ponitur in carcerem, nunquid rex auctor est suæ culpæ? quod si inde liberatur, gratia et pietas est regis. Et lex ostendebat peccata et prohibebat, non tamen tollebat; *ut promissio ex fide Jesu Christi*, quæ facta est ad Abraham, *daretur credentibus*, ut in nomine ejus benedicerentur omnes gentes, et in fide ipsius justificarentur, essetque gratia et indulgentia illius, ut quos lex non poterat salvare, ipse redimeret, et qui per legis opera non eramus digni salvari, justificationem per ejus fidem obtineremus, etc.

CAPUT IV.

Quanto tempore hæres parvulus est. Secundum consuetudinem humanæ legis loquitur hic Apostolus. Solent enim patres morituri filios suos parvulos quos hæredes relinquunt committere sub tutoribus et actoribus, usque ad illud tempus quo ipsi possint res proprias regere, hoc est, secundum legem Romanam, usque ad vicesimum quintum annum. Ipsi etiam tutores cum consilio scabinorum in generali malo debent eligi. Quandiu autem sub illorum tutela est

parvulus, *nihil distat a servo*, licet dominus servorum et filius regis, aut comitis, sive alicujus principis sit, quia sicut servus flagellatur, flagellatur et ille plerumque etiam a servo. Tutores sunt defensores rerum causidici et advocati. Quod autem dicitur hic *actoribus*, quidam doctores dicunt melius esse auctoribus isto in loco, quia auctor ipse est tutor sive advocatus : actor vero est patronus, nutritor, qui more paterno nutrit illum, et ad tutorem pertinet defendere et disponere res pueri, victumque et vestimentum ministrare : ad auctorem vero disciplina et honestas morum et conversationis. Similiter Judæi, quandiu fuerant parvuli sensu, sub tutoribus actoribusque fuerunt, usquequo venit dispositum tempus a Deo Patre, quando misit eis Filium suum : tutores vero illorum fuerunt reges et principes, ut David et Zorobabel, quia defendebant hæreditatem : actores vero sacerdotes et prophetæ, qui eos erudiebant secundum legem, et cogebant etiam a Dei cultura non recedere, si aliquis adorare vellet idola.

Ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. Elementa dicuntur quasi elevamenta : eo quod ex illis omnia corporalia et visibilia elevata sunt. Quod vero dicitur hic, *sub elementis mundi eramus servientes*, quantum ad Judæos pertinet, dupliciter potest intelligi : ad primum intellectum elementa vocantur lex et prophetæ, quia sicut elementa initium et fundamentum sunt omnium corporalium, ita lex et prophetia initium et fundamentum sunt omnium divinorum eloquiorum. Sic etiam in Epistola ad Hebræos elementa appellat legem : sub lege vero et prophetia erant servientes, Aliter : sub elementis etiam serviebant, quia sub observationis solis et lunæ degebant, celebrantes neomenias aliasque festivitates. Notandum autem quia non dixit : elementis serviebamus, sed sub elementis eramus, id est sub observatione legis et prophetiæ, vel sub temporum observatione, cursum et ætatem lunæ attendentes ; nam sol et luna elementa sunt : gentiles autem erant elementis servientes.

At ubi venit plenitudo temporis, id est præfinitum tempus a Deo Patre, finiente quinta ætate, et inchoante sexta, *misit Deus Filium suum factum ex muliere*, id est ex semine mulieris opere Spiritus sancti creatum. Quidam volunt dicere natum, sed melius factum ex muliere propter hæreticos, qui dicunt ut ingressus est virginem, statim exiit. *Factum sub lege.* Factus est sub lege, quia octavo die est circumcisus : quadragesimo die sunt pro eo legalia munera oblata, et hoc ideo ut demonstraret legem esse sanctam, justam et bonam : vel *ut eos redimeret qui sub lege erant*, id est qui subjecti erant legi, peccatores non valentes per eam mundari ; *ut adoptionem*, id est electionem *filiorum*, subaudis Dei, quam perdidimus in Adam *reciperemus. Quoniam autem estis filii* Dei adoptivi, non naturales, *misit Deus Spiritum Filii sui.* Spiritus sanctus communis est Patris et Filii, et quando mittitur a Patre, mittitur et a Filio. *Clamantem*, id est clamare nos facientem : *Abba Pater*, subaudis miserere mei. *Abba* Hebræum est et Syrum, *Pater*, Græcum et Latinum.

Itaque qui habet spiritum Christi *non est servus*, subaudis peccati ; *sed filius*, subaudis Dei, *quod si filius*, subaudis Dei, *hæres*, subaudis vitæ æternæ, id est non suo merito, sed gratia Dei per quem est redemptus.

Estote sicut ego, quia et ego, subaudis fui, *sicut vos.* Erant Galatæ infideles et peccatores alienati a Deo ut fuit quondam et Apostolus quando persequebatur Ecclesiam Dei, sed jam Dei gratia fidelis erat et justificatus. Estote vos perfecti in fide, sicut et ego sum modo, et nolite desperare de venia, quia et ego quondam fui infidelis et peccator, sicut vos estis modo et eo amplius. *Obsecro vos, fratres*, subaudis patienter me audiatis ; *nihil me læsistis*, subaudis quando primum vobis Evangelium prædicavi, et sicut tunc me nihil læsistis et patienter audistis, ita et nunc nolite me lædere, sed cum patientia audite quod dicturus sum.

Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri potuisset, sine vestro dispendio, *oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi*, id est : si fieri potuisset ut oculis corporis possem majora de Deo cognoscere, et arcana mysteriorum ejus lumine corporis amplius penetrare, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi, tanta charitate erga me fruentes eratis, et in tantum desiderabatis audire verbum Dei per me.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Parturire est parere velle. Beatus Apostolus jam pepererat Galatas in fide per Evangelium, sicut ipse dixit : *Per Evangelium ego vos genui* (*I Cor.* II), sed illi recesserunt a fide et secuti sunt pseudoapostolos ; dolensque Apostolus de eorum miseria, et volens eos revocare ad fidem Christi, parturiebat illos, id est parere volebat iterum verbo et exemplo, unde et dicit : Filioli mei, quos iterum parere volo mea prædicatione in fide Christi, sicut jam dudum vos parturivi, quando ad fidem vos adduxi donec formetur fides Christi in vobis. Tunc enim Christus in nobis formatus est, quando a nobis ita creditur sicut debet credi.

Scriptum est enim quoniam Abraham duos filios habuit. Non sine causa Apostolus ad memoriam reduxit factum Abrahæ. Judæi namque in hoc maxime gloriabantur, qui filii Abrahæ erant secundum carnem : unde cum Dominus dixisset eis in Evangelium : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII), responderunt illi : *Nos filii Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam.* (*Ibid.*) Ergo Apostolus volens Galatas sollicitos reddere, ne potuissent seduci a Judæis, qui circumcisionem docebant observare, et sacrificia legalia offerre, dicentes: Non potestis salvari per passionem Christi, nec per baptismum, nisi circumcidamini et legalia sacrificia offeratis, ostendit eis quomodo Abraham non per observationem legis meruit justificari, et amicus Dei appellari, sed propter fidem sincerissimam, operationemque probatissimam.

Sed qui de ancilla, id est Ismael qui de Agar *secundum carnem natus est*, id est secundum humanæ consuetudinis usum. Dicit beatus Augustinus quia consuetudo humanæ naturæ est ut senex junctus juvenculæ in coitu filios procreet; econtra senex et vetula copulati, naturale est ut desistant parere. Si vero juvenis, cum veterana mistus fuerit, dicit etiam illos posse propagare filios, licet illud rarissime in usu habeatur. Secundum hunc modum et naturalem consuetudinem quam primo diximus, ut si senex junctus sit juvenculæ, possit juvencula generare, dicit Apostolus Ismaelem natum esse. *Qui autem de libera*, id est Isaac de Sara, *per repromissionem*, subaudis Dei natus est, quæ facta est ad Abraham, non secundum consuetudinem humanam. Sed quæstio oritur in isto loco, quare Apostolus Isaac solummodo per repromissionem dicat natum esse, cum legamus etiam de Ismaele promissionem factam esse. Nam legimus in libro Geneseos (*Gen.* XVI), quia cum esset Agar in deserto Sur, apparuit ei angelus Domini inquiens: *Agar, ancilla Sarai, unde venis et quo vadis? Quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.* Cui *angelus: Revertere*, inquit, *et humiliare sub manu illius. Et rursum: Multiplicans*, inquit, *multiplicabo semen tuum. Ecce paries filium, et vocabis nomen ejus Ismael. Hic erit ferus homo. Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum.* Ad hoc dicendum est, quia quando ista promissio facta est, Ismael jam erat conceptus. Promissio vero quæ de Isaac facta est, antequam conciperetur data est Abrahæ, sicut ex verbis angeli possumus probare, dicentis ad Abraham: Secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ filius (*Gen.* XVIII). Unde apparet Isaac, non secundum naturam humanæ consuetudinis esse natum, sed per repromissionem ex longævo patre et vetula matre: et quod majus est, sterili, Deo operante, natus est.

Quæ per allegoriam sunt dicta, id est quæ superius dicta sunt de Agar et Sara. De Ismael quoque et Isaac spiritaliter sunt dicta, et spiritali indigent expositione. Hanc habet consuetudinem beatus Paulus, ut spiritalem intelligentiam allegoriam appellet. Allegoria autem proprie ad grammaticos pertinet. Est enim tropus quo aliud significatur quod dicitur; et quæ hic dicta sunt, allegorice intelligenda sunt, ut sequentia manifestant. *Hæc*, inquit, *sunt duo testamenta*, id est illa quæ supra memorata sunt, significant duo testamenta. Nam quantum ad sensum pertinet litteræ, Agar et Sara duæ mulieres fuerunt, et Ismael et Isaac duo homines. Quantum autem ad spiritalem intellectum attinet, Agar ancilla, quæ filium genuit in servitute, significat legem quæ genuit et habuit Judaicum populum sub servitutis jugo. In quo ergo fuit Judaicus populus servus? In hoc utique, quia cogebatur servire legi, circumcisionem servare, legalia sacrificia offerre, et cætera innumerabilia custodire, quæ impune non poterant transgredi. Non solum autem corporali vindictæ transgressor subjacebat, sed etiam maledictioni subjiciebatur, quæ et ipsa lege continebatur: Maledictus

A omnis, inquit, qui non permanserit in his omnibus (*Deut.* XXVIII). Et dum hujuscemodi mandatis stringebatur quodammodo servus erat. Sara autem libera, quæ filium liberum genuit, significat gratiam Novi Testamenti quæ genuit populum Christianum liberatum in baptismate, non solum ab originalibus et actualibus peccatis, sed etiam ab omni servitio legis qui hæreditatem Christi, hoc est patriam Christi hæreditabit. Habuit autem et Abraham duos alios filios de Cethura, quam Hebræi Agar dicunt esse, sed tamen illi non fuerunt digni ad hæreditatem paternam admitti. Similiter in sancta Ecclesia sunt multi qui renascuntur in baptismate, et qui filii videntur esse Abrahæ; sed, quia opera non habent Abrahæ, sequendo varios errores, diversaque schismata, et B variis criminibus se implicant, non merebuntur cum electis hæreditate patriæ cœlestis frui. De istis talibus dicit Joannes evangelista: De *nobis* exierunt, *sed non erant ex nobis* (*I Joan.* II). Hæc, inquit, sunt duo testamenta. Testamentum dicitur a testatoribus. Testamentum vero vetus habuit testatores, angelos, et Moysen, aliosque prophetas: Testamentum autem novum, habuit unum verissimum Dominum Jesum Christum, apostolos, quorum ministerio per quadrifidum orbem est divulgatum. *Unum*, subaudis testamentum datum est, *in monte Sina generans*, subaudis Judaicam plebem in servitutem; *quæ est Agar*, hoc est quæ significatur per Agar. Lex per doctores Synagogæ generabat populum in servitutem sibi.

Sina enim mons est in Arabia, provincia, *qui con-* C *junctus est ei quæ nunc est Jerusalem*, hoc est conterminus terræ repromissionis, in qua est Jerusalem, et, ipsa Jerusalem, *servit cum filiis suis*, id est sacerdotibus et doctoribus qui in Jerusalem maxime habitabant, cum subjectis suis omnipotenti Deo sub servitute legali. Arabia, provincia est multas gentes et regiones in se continens, Ammonitas videlicet, Moabitas, Philisthæos, Idumæos et alias quamplures. In qua provincia est Sina mons, tantæ magnitudinis et longitudinis, ut conterminus sit terræ repromissionis, sicut sunt, verbi gratia, montes qui cingunt Italiam, et dividunt ab aliis regnis. Et omnia quæ superius præmisit Apostolus, ideo texuit ut ad hoc perveniret quod modo dicit de Sina monte, qui est vicinus terræ Judæorum, ut ostenderet Ju- D dæos non solum per legem quam acceperunt, servos esse, sed etiam ex vicinitate locorum, et quia mons illis adhærebat, in quo legem servitutis acceperunt.

Illa autem quæ sursum est Jerusalem. Jerusalem quæ interpretatur *visio pacis*, significat sanctam Ecclesiam Deum mente videntem, quæ constat ex angelis et hominibus, quæ partim jam regnat cum Christo, partim autem adhuc peregrinatur a Deo in terris. Sed de illa quæ jam cum Christo regnat in angelis et hominibus justis, partim in corpore, partim in anima, non est dubium quin sursum sit in cœlesti beatitudine. De ista autem quæ adhuc peregrinatur in terris, quærendum est quomodo sursum sit. Sursum dicitur esse, quia licet corpore inhabi-

tet terram, mente tamen inhabitat cœlum, dicens cum Apostolo: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III), et semper cœlestia opera agit, id est illa per quæ ad cœleste regnum possit pertingere. Quæ etiam bene mater nostra dicitur, quia apostoli et martyres, sanctique prædicatores, qui nos præcesserunt, ipsi nos genuerunt in fide Christi sua doctrina, et suis scriptis atque exemplis. De qua generatione dicit Apostolus Corinthiis: *Per Evangelium ego vos genui* (*I Cor.* IV).

Scriptum est enim: Lætare, sterilis, quæ non paris, etc. Hoc testimonium in Isaia nobilissimo prophetarum habetur. Quod dupliciter potest intelligi. Dicit ergo Ecclesiæ de gentibus quæ diu et longo tempore sterilis mansit a bono opere, et Deo filios non generavit, hoc est a destructione turris Babel, quæ nunc est Babylon usque ad adventum Domini. Ibi enim divisum est labium universæ terræ, et tantummodo Dei cognitio in sola domo Hebræorum mansit. Dicatur ergo: *Lætare*, id est gaude et exsulta, o Ecclesia de gentibus, quæ antea sterilis eras, et quæ Deo filios non pariebas, *erumpe* in gaudium, *et clama* præ nimia jucunditate, quæ non pariebas, quia plures filii Deo accepti tibi erunt quam Synagogæ, quæ quondam habuit Deum omnipotentem verum protectorem sui, vel quæ modo gloriatur, et putat se habere verum Deum, cum illum amissum habeat postquam dixit, *non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Dicamus et altius juxta beatum Augustinum, referentes ista ad Ecclesiam, quæ jam regnat cum Christo in cœlis, quæ sterilis appellatur, non a bono opere et laude Creatoris sui, sed carnali propagatione: propter peccatum enim venit mors, quæ nihil aliud est nisi dissolutio elementorum, et propter mortem venit successio filiorum. In præsenti siquidem vita necesse est ut procreentur filii carnales, qui patribus mortuis vel morituris succedant in hæreditatem: in illa autem beatitudine ubi nemo moritur, non est necesse ut fiat successio filiorum per propagationem carnis. Quapropter appellatur sterilis, et dicitur ei congaudendo voce prophetica: Lætare, o Ecclesia, sterilis a carnali procreatione, quæ non paris filios carnales cum dolore et nimia anxietate, quia plures filii desertæ quondam gentilitatis venient tibi, quam ex Synagoga quæ olim habuit Deum omnipotentem virum, vel quæ modo gloriatur se habere. Omnibus enim patet plures ex gentibus transire ad gloriam sempiternam quam ex Judæis Similiter in præsenti Ecclesia plures habet filios fideles ex gentilitate quam de Synagoga. Per omnes enim pene civitates et regiones, vicos quoque et villulas gentiles clamant se credere in Christum, Judæorum autem rarus aut nullus invenitur qui credere in Christum confiteatur.

Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. Jungit se Apostolus Galatis credentibus, et dicit: Nos autem, fratres, id est ego et vos, secundum Isaac promissionis filii sumus, hoc est: Sicut nos qui in Christum credimus, filii Abrahæ sumus, dicente Domino ad Abraham: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII), et sicut Isaac secundum promissionem natus est, ita nos filii sumus promissionis.

Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, etc. Alloquitur Apostolus Galatas ut se custodiant a Judæis, ne possint ab eis seduci: O Galatæ, cavete et declinate a Judæis: quoniam sicut Ismael qui secundum humanæ consuetudinis usum natus erat, eodem modo quo superius diximus, *persequebatur* tunc Isaac, qui secundum spiritalem repromissionem datus fuerat Abrahæ, *ita et nunc* persequitur judaicus populus, qui designatur per Ismaelem natum de ancilla, populum Christianum et alios qui designantur per Isaac natum de libera, ut ad servitutem illos legis inclinent. De ludo puerorum Ismael et Isaac, Judæi varia disserunt. Quidam enim dicunt, quia volebat quodam genere ludi provocare ad saltum, tenens perticam in manu, ubi optabat eum ita debilitari, ut indignus fieret honore primogeniti et hæreditatem paterna. Quidam etiam dicunt, quia volebat ei suadere quibusdam turpitudinibus misceri, pro quo notabilis et despectui haberetur patri et matri, et ut diximus, indignus fieret honore primogeniti. Sciebat enim se nullo modo posse pertingere ad hæreditatem paternam et dignitatem primogeniti, utpote qui ex ancilla erat, licet primogenitus foret, nisi illum ita vituperabilem redderent aut in corpore, aut in levitate mentis, ut patri et matri pro nihilo duceretur. Sed quidquid illud fuerit, plane apparet, illum nudum non simplicem fuisse, pro quo mater indignata; præcepit pariter matrem cum filio, a domo et consortio filii liberi ejici. Beatus etiam Apostolus, doctus ad pedes Gamalielis, legis doctoris, qui omnem scientiam legis et prophetarum quæ tunc temporis penetrari poterat, intellexit, similiter illum ludum non simplicem esse sciebat, quem appellavit persecutionem. Volebat enim eum levem et scurrilem facere, ac dignitate privari, et se sublimari.

Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus. Quantum ad litteram pertinet, ob hujusmodi causam quam diximus, præcepit eam mater ejici: quantum vero ad spiritalem intelligentiam attinet, quandiu Judæi ancillæ filii volunt esse, et filium liberæ persequi, hoc est, quandiu legi volunt esse subjecti in circumcisione et sacrificiis legalibus, non credentes se per passionem Christi posse salvari, et quandiu nos volunt persequi qui jam sumus liberi effecti ab hæreditate Ecclesiæ repellendi sunt. *Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Hoc est, filius peccati et malæ concupiscentiæ, quæ potest intelligi per ancillam, filius carnalis legis, qui legem carnaliter observare nititur, non erit hæres in hæreditate patriæ cœlestis cum filiis liberis, qui liberi efficiuntur in baptismate, non solum ab originalibus peccatis, sed etiam ab omni servitio legis.

Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ. Id est, non sumus jam legis filii, quæ suos observatores servos facit, sed filii novæ gratiæ et filii Evan-

gelii per baptismum et per dona Spiritus sancti, A quæ accepimus tam in baptismate quam per impositionem manuum episcoporum, et per communionem corporis et sanguinis Domini cui participamus, et illa *libertate* sumus liberi, *qua Christus nos liberavit*, per passionem suam et per baptismi gratiam. Omnis enim qui fidem Abrahæ habet, et imitator operum Abrahæ existit, utique filius est Abrahæ, non per naturam, sed per imitationem, sicut alias Apostolus dicit : *Si ergo vos Christi, ergo semen Abrahæ estis* (*Galat.* III). Qui vero fidem quam habet, bonis operibus non exornat, nimirum non reputabitur inter filios Abrahæ, neque accipiet hæreditatem cœlestem cum illis. Quapropter laborandum est omnibus nobis, ut fidem quam habemus exsecutione B bonorum operum studeamus decorare, veri imitatores illius effecti.

CAPUT V.

Dico autem in Christo: *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.* De hac lectione diversi doctores non æqualiter sentiunt, dicentes quidam de spiritu hominis locutum esse hic Apostolum, sicut Cassianus, vir prudentissimus, in Collationibus Patrum, quidam de Spiritu sancto, ut beatus Augustinus. Quod utrumque non incongrue, neque contra rectitudinem fidei accipi potest. Dicamus igitur, juxta Cassianum : Spiritu ambulate, id est Spiritu ducente vivite. Quid est ergo spiritus hominis? Principalitas animæ, quæ et rationabilitas mentis appellatur, per quam possumus cognoscere quid debeamus appetere, et quid C vitare. Si (inquit) spiritu vixeritis, hoc est, si juxta rationabilitatem et intellectum mentis vixeritis, *desideria carnis*, id est desideria carnalis hominis et concupiscentiæ malæ ac desideria delectationis pravæ *non perficietis*. Quæ sint desideria carnis, in subsequentibus manifestabitur. Dicamus et aliter, sequentes sensum beati Augustini. Notum habetur apud eruditos, Spiritu sancto dictante atque revelante (qui unius substantiæ est cum Patre et Filio), Scripturas sacras conscriptas esse, et omnia divina eloquia et præcepta quæ in lege et prophetis et Evangelii gratia continentur, ab illo data esse. Idcirco dicit Apostolus : Spiritu ambulate, id est sicut Spiritus sanctus docet ac præcipit in divinis Scriptu- D ris, ita vivite et conversamini, ambulantes et crescentes de virtute in virtutem, de fide ad spem, de spe ad charitatem, de charitate ad operationem perfectam. Quod si hoc feceritis, *desideria* carnalis concupiscentiæ *non perficietis*. Quid est quod dicit Apostolus?

Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Nunquid potest caro aliquid concupiscere, si defuerit spiritus? Non. Quod probari potest ex corporibus mortuis. Postquam enim spiritum exhalaverint, non solum concupiscere non valent, sed etiam aliquod membrorum per se movere non possunt. Carnem ergo appellat hominem, qui carnalia tantum et corporalia quærit, carnalem quoque consuetudinem et delectationem. Licet enim caro non valeat per se aliquid implere, si defuerit spiritus, tamen quandiu a spiritu vivificatur, semper contraria videtur spiritui, id est rationabilitati mentis. Quapropter dicit Apostolus : *Caro concupiscit*, etc. Quomodo concupiscit caro adversus spiritum audiamus. Caro desiderat semper repleri cibis, inebriari, luxuriare, in omni delectatione manere, quærens semper quod suum est. Ecce quomodo caro concupiscit adversus spiritum. E contra spiritus concupiscit adversus carnem, quia ille delectatur jejuniis, abstinentia, castitate et his quæ carni contraria sunt. Sed sequendus est semper spiritus, quia ille quærit per quod anima vivit Deo. Similiter possumus et de Spiritu sancto dicere. Dum enim carnalis delectatio desiderat transgredi præcepta Dei, adversus Spiritum sanctum concupiscit, et dum Spiritus sanctus prohibet in lege et prophetis atque in Evangelio quæ caro desiderat, adversus illam concupiscit. Unde subdit Apostolus : *Hæc*, inquiens, id est caro et spiritus *sibi invicem adversantur*, etc. Sic sibi invicem contraria sunt caro et spiritus, ut quod vult caro, non consentiat spiritus : et quod spiritus, non consentiat caro, quia caro delectat servire vitiis, spiritus autem virtutibus.

Quod si ducimini spiritu. Id est, si rationabiliter vivitis et conversamini, *non estis subjecti legi*, et non est vobis necessaria lex, quia lex non est justis posita, sed impiis et peccatoribus. Aliter : Si spiritu ducimini, id est si Spiritu sancto gubernamini, et si secundum quod Spiritus sanctus docet in Scripturis sanctis vivitis, non estis subditi legi, sed alieni estis ab ea, nihil ei debentes.

Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt. Omnibus in Christum credentibus, maximeque illis qui spiritalem vitam sectantur, in tantum nota sunt, ut etiam ab illis se alienos reddant, scientes quia mortem generant. *Fornicatio* dicitur a fornicibus, hoc est a locis theatralibus et lupanaribus, quæ fornicibus, id est arcubus, sunt constructa, quæ et si arenaria tunc appellabantur; in quibus erant meretrices, cum quibus commiscebantur spurcissimi quique. Fornicari autem est cum puellis liberis, cum viduis nondum Deo sacratis coire. *Immunditia, impudicitia, luxuria*, potest appellari quocunque modo fiat. Luxuria vero est noxius humor superabundans. *Idolorum servitus* est idololatria, quæ tunc temporis erat pene in omnibus gentibus. Possumus et per hoc quod dicit, idolorum servitus, altiori sensu avaritiam intelligere. Unde in Epistola ad Colossenses *veneficia* sunt maleficia, hoc est maleficæ artes, per quæ coguntur sæpe miseri amare et amari. Unde dicuntur veneficia, quasi veneno infecta. *Inimicitiæ* sunt malæ voluntates. *Contentiones* sæpe ex superbia procedunt quia volunt contendere de quæstionibus divinarum Scripturarum atque etiam humanarum, ut dum illi victores existunt, glorificentur. *Æmulatio* est invidia, de qua legitur, quod æmulantes, hoc est, invidentes Joseph fratres sui, vendiderunt illum. *Ira* est grandis commotio animi. Et hoc distat inter iratum ac iracundum, quia iratus pro tempore est,

iracundus vero facile irascitur, et semper pronus est ad irascendum. *Rixæ* sunt lites et contentiones quæ plerumque sine causa exsurgunt. *Dissensio* est discordia quæ solet oriri inter maritum et uxorem, inter fratres quoque atque contubernales vel commilitones. *Sectæ* sunt divisiones. Idem sunt et hæreses. Dicuntur autem vel a secando, id est dividendo, eo quod dividant se a communione aliorum sicut hæretici faciebant, qui ab Ecclesiæ unitate se segregabant, de quibus Joannes dicit : *A nobis* exierunt, *sed non erant ex nobis* (*I Joan.* II). Vel etiam a sequendo dicuntur sectæ, sicut hæreses ab eligendo, vel hærendo ex eo quod ex multis erroribus unum eligant, et illum sequantur.

Invidiæ. Invidia in geminam scinditur passionem, cum aut is qui in honore est, videns alium attente attendere, invidet ei ne ad eumdem pervenire possit honorem : aut cum aliquis alterius felicitate torquetur, videns illum superiorem se. *Ebrietas.* Briam genere masculino dicimus calicem aptum potioni vini. *Comessatio* dicitur mensæ collatio sive mensæ alternatio. Sunt enim convivia quæ celebrantur alternatim et præparantur a sociis per dies et vices ; sunt alia quæ ex communicatione præparantur, quando unus affert panem, alius vinum, alius aliud. Quæ idcirco appellantur comessationes, hoc est mensæ collationes, quia sicut omnes propriis utuntur cibis et communibus, ita etiam pro libitu suo unusquisque quidquid scurrilitatis et otiositatis ei placet loquitur, ideo vocantur turpia convivia. *Et his similia,* subaudis peccata, opera sunt carnis, *quæ* opera *prædico vobis* modo *sicut prædixi.* Ubi prædixit? *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI), *quoniam qui talia*, subaudis opera *agunt, regnum Dei non consequentur.* Non dixit : Qui talia egerunt, sed *qui talia agunt,* id est qui in talibus permanent usque ad diem mortis suæ, vitam æternam non possidebunt. Sic et Dominus dicet in die judicii reprobis : *Discedite a me, qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII), non qui operati estis, sed qui in peccatis vitam finistis.

Fructus autem spiritus est charitas. Charitas Græcum est, et interpretatur in Latina lingua dilectio. Dicitur autem dilectio, eo quod duos liget, Deum et hominem, vel duos proximos. Quæ merito in numero virtutum primatum tenet, quia ipsa ligat cæteras virtutes. Est autem charitas, amor et dilectio qua diliguntur Deus et proximus et inimicus etiam propter Deum. *Gaudium* est exhilaratio cordis, et hoc distat inter gaudium et lætitiam, quia gaudium nimia est exsultatio cordis et corporis : lætitia vero est mediocriter, et fit solummodo in corde. *Pax* est quies et tranquillitas sive lenitas mentis, a qua Salomon nomen accepit, id est pacificus, eo quod in diebus ejus quies esset data. *Longanimitas* est perseverantia in bono opere, et tolerantia inter adversa : unusquisque enim fidelis longanimis debet esse, ut perveniat ad præmium promissum, juxta quod Dominus ait : *Qui perseveraverit usque in finem*, etc.

A *Bonitas* est bona voluntas. *Benignitas* est voluntas promptissima moribus et dulci eloquio temperata, invitans non solum benevolos ad se diligendos, sed insuper illos qui contrarii videbantur esse. Unde dicitur benignus, quasi valde nimisque bonus. *Fides* est qua credimus Deum omnipotentem trinitatem habere in personis, unitatem in substantia : et qua speramus et credimus ea quæ necdum videmus. Illarum enim rerum quas videmus, neque est fides, neque spes, sed illarum quæ necdum visæ sunt a nobis ; verbi gratia : credimus Dominum Jesum passum esse, resurrexisse a mortuis, et ascendisse ad cœlos, venturum ad judicium reddere unicuique secundum quod meretur. Fides est et credulitas, qua speramus ea quæ non cernimus oculis corporis.

B *Modestia*, est mansuetudo et lenitas mentis, quæ læsa non facile irascitur. *Continentia* est abstinentia qua se cohibet homo a coitu, et mulier vidua similiter ab omnibus illecebris. *Castitas* vero proprie virginum est, unde dicitur castitas quasi castratus. Et hoc est inter continentiam et castitatem, quia continentia potest esse conjugatorum, viduarum et viduorum atque virginum : castitas vero virginum proprie est.

Adversus hujusmodi non est lex, id est hujusmodi hominibus talia operantibus non est lex contraria neque illis necessaria : etenim alieni sunt ab ea. Quare non est lex illis necessaria, aut contraria? dicit illa : Non adulterabis, non occides. Illi non solum hoc non faciunt, sed etiam castitatem servant,

C et custodiunt se non solum ab homicidio, sed insuper inimicos suos dilligunt. *Qui autem sunt* Christi, id est qui pertinent ad sortem Christi, vitia et concupiscentias malas in carne sua mortificaverunt. Quot enim peccata a nobis expellimus, tot vitia in nobis semper occidimus : et carnem crucifigimus et mortificamus, quando delectationi pravæ et voluntati perversæ non consentimus.

CAPUT VI.

Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. Hic de Spiritu sancto loquitur : Si, inquit, spiritu vivimus, hoc est, si per Spiritum sanctum vitam habemus, per quam vivimus Deo, spiritaliter debemus conservari et vivere, ambulantes de virtute in virtutem,

D virtutes sectando, vitia respuendo. Vita animæ fides est, qua credimus Deum omnipotentem : et sicut corpus vivit anima, ita anima vivit fide, juxta quod per prophetam Dominus dicit : *Justus autem* meus *ex fide vivit* (*Habac.* II). Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Quæ fides per Spiritum sanctum nobis tribuitur, qui est unius substantiæ cum Deo Patre et Filio : et non sola fides ab illo nobis datur, sed etiam quidquid boni habemus ab illo nobis administratur.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. Quæ est inanis gloria? Laus humana, favor terrenus, de qua dicit Christus : Si gloriam ab hominibus quæro, gloria mea nihil est (*Joan.* VIII). Quæ recte inanis gloria dicitur, quia

vacua est ab omni utilitate. Est tamen gloria utilis, de qua Dominus dicit : *Qui me glorificaverit, glorificabo eum* (*I Reg.* II). Qui sunt ergo cupidi inanis et terrenæ gloriæ? Qui per hoc quod agunt non quærunt Deo placere, neque mercedem æternæ remunerationis ab eo recipere, sed gloriam et laudem temporalem, de quibus dicit Dominus : Omnia opera sua faciunt ut glorificentur ab hominibus (*Matth.* XXIII). Isti tales audient in die judicii : Recepistis mercedem vestram (*Matth.* VI), quia multi sunt, qui non solum pro bono quærunt laudari, sed etiam pro malo : et non solum ab aliis, sed insuper ipsi se extollunt et gloriantur de virtutibus. Perfecta autem et plena est gloria, ut homo pro bono quod agit, omnipotenti Deo desideret in corde placere, et ab illo mercedem exspectet, et gaudeat in corde quod placeat Creatori suo, et ita agat bonum quod operatur ut opus sit in publico, et intentio in occulto. Qui hoc facit, ille non est cupidus inanis gloriæ. *Invicem provocantes* vos ad iracundiam, ad lites, ad contentiones, *invicem invidentes* vobis. Erant ex Galatis quidam seducti a pseudoapostolis et a Judæis, contendentes de genealogiis et quæstionibus legis. Ex quibus quidam dicebant : Melior est circumcisio quam baptismus. Et e contra alii : Melior est baptismus quam circumcisio : Item alii dicebant : Melior est allegoria quam historia : quia allegoria, id est spiritalis intelligentia vivificat, littera occidit. Et e contra alii dicebant : Melior est historia, ubi veritas continetur, quam allegoria vana et umbratica.

Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto. Præoccupare est prævenire ; unde in psalmo canitur, *præoccupemus*, id est præveniamus, *faciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV), peccatorum nostrorum. Præoccupatur ergo homo in peccato, quando subito et insperato peccat, quod ante non fuerat præmeditatus. Quando vero præmeditatur quomodo perpetret homicidium, adulterium, aut aliquid tale, non est præoccupatio, sed præmeditatio et perpetratio sceleris : et aliter reprehendendus est ille qui insperato peccat, quod ante præmeditatus non fuerat, id est præventus a peccato, et aliter ille, qui diu illud est præmeditatus. Ille enim corripiendus est cum lenitate mentis, ne labatur in desperationem : iste vero acriori indiget castigatione. Et bene addidit homo, quia fragilis est et caducus, citoque labens ad culpam, et maxime ille qui simplicitatem habet sine astutia. *Vos qui spiritales estis*, qui ducitis vitam spiritalem, et solliciti estis in fide et in doctrina, illos qui præoccupantur et simpliciores sunt, *instruite* et corripite leni affectu et cum suavitate mentis, promittentes eis veniam, ne forte in lapsum desperationis ruant, *considerans teipsum*, quia homo fragilis naturæ es, sicut et ille, ideoque potes tentari et præveniri a peccato sicut et ille : et dum consideraveris te posse tentari, et in peccatum ruere, sicuti velles corripi, si talia ageres, et castigari cum lenitate mentis, ita corripe et admone illum.

Alter alterius onera portate. Sunt onera alicujus ponderis, et sunt onera peccatorum, de quibus dicit Psalmista : *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave* (*Psal.* XXXVII), etc. De quo onere et hic dicitur ; et est sensus : Si vis patienter portari et sustineri si peccas, et cum moderatione corripi, porta similiter patienter fratrem tuum, si peccaverit. Potest et alter intelligi secundum sensum beati Hieronymi : Aliter alterius onera portate, hoc est, qui abundas divitiis bonisque temporalibus, sustenta fratrem pauperem. Verbi gratia : habeo sororem pauperrimam cujus paupertas onus meum est, præbendo ei victum et calceamentum, sustento onus ejus. Habeo uxorem quia non possum esse continens ; sed egestate nimia premor : tu qui, Deo donante, continens es et bonis temporalibus abundas porta onus meum. Vide comparationem cervorum in Epistola ad Colossenses quam beatus Augustinus ex hoc donat. Quia et si in animalibus ratione non utentibus illud sit, quanto magis in hominibus debet fieri? Si, inquit, hoc feceritis, *adimplebitis legem Christi*, hoc est, pactum Christi quod ipse dedit discipulis suis, dicens : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem* (*Joan.* XV) ; et *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* (*Joan.* XIII).

Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, hoc est, qui confidens in suis virtutibus et meritis, dedignatur onus fratris portare, castigando cum suavitate et admonitione dulci, cum sit ipse nihil apud Deum et quia ejus opera Deo non placent, *ipse se seducit* et decipit. Ideo autem dicitur nihil esse, quia non adhæret illi qui substantialiter habet esse, et qui nostræ fragilitati condolens, pro nobis humiliari dignatus est, cum Deus esset. Omnis enim creatura quæ non adhæret illi qui semper habet esse, nihil est.

Opus autem suum probet unusquisque, hoc est, consideret quid boni habeat factum, et sic in corde suo gaudeat, eo quod placeat Creatori suo, et non quærat alterius laudem.

Unusquisque enim onus suum portabit. Contraria videntur hæc verba superioribus, ubi dixit : Alter alterius onera portate. Sed sciendum quia pertinent illa ad tempus præsentis vitæ, ista vero ad diem mortis, vel generaliter ad diem judicii, et est sensus : Qualia fecerit unusquisque, talia recipiet : si bona fecerit, bona recipiet, si mala, damnationem æternam recipiet. Et notandum, quia onus in bonam et malam partem in hoc loco potest accipi, quia ad electos et reprobos pertinet. Onus sanctorum erit magnitudo gloriæ : onus reproborum ineffabilis miseria et cruciatus.

Communicet autem is qui catechizatur verbo Dei, *ei qui se catechizat, in omnibus bonis*, id est discipulus vel quilibet auditor qui instruitur et docetur verbo doctrinæ, communicet vel administret magistro vel prædicatori in omnibus bonis qui se instruit et docet. Auditores et discipulos admonet, ut doctoribus suis a quibus accipiunt verbum vitæ et fidei, impendere studeant bona temporalia, hoc est victum

et vestimentum quia dignus est operarius mercede sua : quia Dominus ordinavit de Evangelio vivere qui Evangelium annuntiant. Possumus et per verbum intelligere et devotionis fructum, et rem boni operis et studii, ut illud Moysi : *Quomodo palam factum est verbum istud* (*Exod.* II) ? Ut referamus hoc ad discipulum, communicet autem, id est placabilem se faciat studio, et fructu devotionis discipulus, vel qui catechizatur magistro qui se instituit bonis, et docibilem et obedientem in omnibus bonis quæ Deo non displicent. Poterat aliquis discipulorum dicere : Non habeo quod impendam magistro : quia ager meus, id est annona mea siccitate aruit, vinea mea grandine consumpta est, oves pestilentia correptæ sunt, sues sagina tumescente mortuæ sunt. Sed ut Apostolus omnem occasionem excluderet, dixit :

Nolite errare, Deus non irridetur. Hoc est : nolite mentiri, quia homo potest mendacium suscipere, Deus vero non potest : et Deus qui omnia secreta cordium penetrat, non potest falli. Dicis, o auditor quicunque es, non posset te sumptus ministrare magistro tuo, premente te nimia egestate : noli te decipere quasi fallere possis Deum, sed unde tu vivis, inde sustenta et magistrum, quia si non habes ex præsenti anno fruges, habes ex præterito, potes etiam impetrare mutuo a vicinis de futuro.

Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet, hoc est, qualia fecerit, talia recipiet. Duos agros habemus, corpus et spiritum. *Si seminavimus in carne*, id est si carnalia opera egerimus, et carnalia desideria secuti fuerimus, *de* ipsa *carne metemus corruptionem*, hoc est, damnationem accipiemus, et trademur in die judicii pœnis inferni, ubi corripiemur a vermibus et igni perpetuo. *Si* vero *seminaverimus in spiritu*, hoc est, si spiritalia opera impleverimus et præceptis sancti Spiritus obedientes fuerimus, *de spiritu*, spiritalibus operibus, Spiritu sancto donante, *vitam æternam accipiemus*.

Bonum autem facientes non deficiamus, id est a bono opere quod inchoavimus, non cessemus, sed in hoc derseveremus, ut salutem consequamur quam Dominus promisit, inquiens : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV). *Tempore enim suo*, id est tempore congruo et opportuno, *metemus*, hoc est, mercedem nostri laboris accipiemus, *non deficientes*, a percipienda mercede operis. Modo est tempus seminandi, hoc est, bonum operandi : in die autem judicii vel in die mortis erit tempus messionis et collectionis. Illa nunquam deficiet collectio, quia illa vita sine termino manet, annisque volventibus illa semper juvenescit et pollet.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Tempus seminandi et operandi virtutes, præsens vita est, quia post istam non erit tempus vel spatium pœnitentiæ atque salutis. De hoc tempore dicit Apostolus alibi : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI). In isto tempore debemus operari bonum ad omnes homines, ad fratres, ad hæreticos, ad paganos, tam in eleemosynæ

A officio quam in doctrina verbi. Omnibus enim hominibus misericordia impendenda est, et doctrina fidei imitando patrem nostrum, qui *solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Matth.* V). *Maxime autem ad domesticos fidei* oportet bonum operari. Domestici dicuntur a domo, qui in una domo nutriuntur et conversantur. Ad omnes quidem bonum debemus operari, hoc est, ad hæreticos, ad paganos, sed maxime ad illos qui in una domo, id est in unitate Ecclesiæ nobiscum sunt, et qui eamdem fidem habent, et præcipue ad illos qui iter rectitudinis nobis ostendunt verbo et exemplo.

Videte, qualibus litteris scripsi vobis mea manu. In fine omnium epistolarum suarum Apostolus nomen suum Hebraicis litteris scribebat, ne a pseudo-
B apostolis ejus dicta corrumperentur : in hac vero epistola, sicut tradunt doctores, ab hoc loco usque ad finem propria manu scripsit, ut eos ad fidem Christi plenius traheret, dum viderent ejus amorem erga se.

Quicunque enim placere volunt in carne, hi cogunt vos circumcidi, id est qui volunt placere in carnali circumcisione scribis et pharisæis suis ministris, illi cogebant, circumcidere gentiles, et hoc ideo ut persecutionem crucis Christi non paterentur. Nam Octavianus, Caius, aliique imperatores decreverant, ut ubicunque essent Judæi, suis legibus uterentur, et Judæi qui legem et Evangelium volebant tenere, idcirco se circumcidebant, ne propter nomen Christi persequerentur, dicentes se Judæos esse, et circum-
C cisos, et legem custodire. Sed ideo non custodiebant, quia erant homicidæ, adulteri, invidi, cupidi, aliisque vitiis pleni. *Ut in carne vestra glorientur.* Gloriabantur Judæi, dicentes : Tot gentiles heri coegi ad circumcisionem, tot hodie.

Mihi autem absit gloriari. Nolo gloriari in divitiis hujus mundi et dignitatibus, *sed in cruce Christi*, id est passione illius quæ in cruce est celebrata, gloriabor, unde est mea redemptio et salvatio. Vel in cruce Christi gloriabor, id est, ex hoc gloriabor si potuero imitari passionem Christi, ut qualia ipse sustinuit pro me, talia sustineam pro nomine ejus. Per quem, subaudis crucem vel Christum. Dicit beatus Hieronymus quia crux masculini generis est apud Græcos, et interpres hujus Epistolæ eumdem
D articulum et ejusdem generis transtulit in Latinum quem invenit in Græco. Potest et referri ad Christum, vel pro amore passionis ejus. *Mortuus est mihi mundus et ego mundo*, quia nec quæro nec diligo ea quæ sunt in mundo, nec mundus, id est amator hujus mundi quærit vel diligit me. Verbi gratia : sicut sunt duo mortui, ex quibus nullus tangit vel diligit alterum.

In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, id est utrum sit circumcisus an incircumcisus, nec prodest, nec obest in fide Christi, tantum ut per illam circumcisionem non credat se posse salvari. Si vero hoc credit, tunc obest.

Super Israel Dei, non super Israel carnalem, sed

super omnes gentes veros Israelitas, qui Deum mente vident.

Nemo mihi molestus sit, id est nemo mihi quæstiones moveat de circumcisione et sacrificiis legalibus, quia multum tractavi de his omnibus sæpe vobiscum. *Ego enim stigmata Jesu in corpore meo porto.* Stigmata sunt notæ servilium pœnarum, quibus solent servi fugitivi vinciri comprehensi a dominis suis. Et beatus Apostolus stigmata sive notas ferebat, quæ pro Christo sustinuerat, quia adhuc plagæ virgarum et lacerationum in corpore ejus apparebant, et quomodo catenis fuerat astrictus et per plateas tractus, etc.

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

ARGUMENTUM.

Ephesus civitas est Asiæ et Græciæ, cujus habitatores Ephesii nominantur a nomine suæ civitatis quam incolunt. Ili accepto verbo veritatis ab Apostolo perstiterunt in fide, nec receperunt falsos apostolos sicut et Galatæ et alii. Ad hos ergo cum venisset Apostolus mansit cum eis anno uno et mensibus sex, instanter prædicans verbum Evangelii, et confortans in fide credentes. Erant autem misti in eadem civitate magi et philosophi, judæi et gentiles, contra quos Apostolus viriliter pugnavit pro veritate Evangelii quasi ad bestias, sicut alibi dicit : *Si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgunt?* (*I Cor.* xv.) Ipsos ergo appellavit bestias propter sævitiam et propter bestiales mores. Ephesus interpretatur *voluntas in ea*, et ubi quoniam ira omnipotentis Dei fuerat propter idololatriam atque maleficia, ibi per prædicationem Apostoli, voluntas Dei omnipotentis requievit. Sed et hoc sciendum, quia hanc Epistolam de Roma, positus in carcere, per Tychicum Diaconem misit eis : et pene omnibus Epistolis difficilior est, quia sicut cor in medio ventris, ita ista in medio corpore Epistolarum consistit.

CAPUT PRIMUM.

Paulus. Multi quærunt quare Apostolus, qui ante Saulus vocabatur quam ad fidem veniret, postea Paulus sit appellatus. Ex qua quæstione diversa est auctoritas Patrum. Beatus Hieronymus dicit, quia a primo spolio quod abstulit diabolo, et attulit Ecclesiæ, Paulus sit appellatus a Paulo Sergio, scilicet viro prudenti, quem Christo acquisivit. Dicit etiam beatus Hieronymus quia humilitatis causa appellavit se Paulum, quasi modicum. Nam paulum sive paululum, modicum dicimus, ut in Virgilio habetur de Achæmenide fugiente Polyphemum :

Atque procul paulum conspectu territus hæsit.

Paulum enim pro paululum posuit. Sic et ipse Apostolus alibi ait : *Mihi omnium minimo data est gratia* (*Ephes.* III), et : *Ego sum minimus Apostolorum* (*I Cor.* XV). Quidam etiam dicunt illum fuisse binomium, ut Claudius, quod auctoritate Patrum non roboratur. Auctoritatis autem causa nomen suum posuit in omnibus Epistolis suis, præterquam ad Hebræos, veluti solent facere hoc modo reges : Nero imperator Senecæ suo salutem. *Apostolus.* Hoc nomen Græcum est, licet quidam dicant Hebræum et interpretatur *missus*. Et recte semetipsum nominat apostolum, quia a Domino missus est, dicente ipso ad eum : Ecce ego mittam te longe in regiones et gentes (*Act.* XXII). Hoc etiam nomen apostolatus, dignitatis causa posuit, ut majoris honoris essent ejus Epistolæ apud auditores. Apostolorum autem genera sunt quatuor : Primum est quod neque ab hominibus est, neque per hominem, sed a Deo tantummodo : de quorum numero fuerunt Moyses et Isaias, aliique quamplurimi prophetæ et apostoli : qui quamvis ab homine Christo essent missi, tamen ipse homo erat et verus Deus. Moysi dictum est : *Mittam te ad Pharaonem* (*Exod.* III) ; et Isaiæ (*Isa.* VI) : *Quem mittam ? et quis ibit nobis ?* Et ille : *Ecce ego, mitte me.* Et Dominus : *Vade* (inquit) *ad populum* (*Exod.* XIX) istum. Secundum genus a Deo est, sed per hominem, de quorum numero fuit Josue, qui Deo præcipiente per Moysen missus est, aliique quamplurimi, qui electi vocibus populi pro meritis vitæ Deo volente electi sunt, quia voluntas populi aliquando voluntas Dei est. Tertium genus est quod ab homine tantummodo et non a Deo, cum favore hominum aliquis eligitur, non pro bona conversatione, neque causa religionis, sed pretio subrogatur in sacerdotii dignitatem : de quorum numero dicit uni beatus Ambrosius : O episcope, vere nisi centum solidos, dedisses, hodie episcopus non esses. De istorum etiam numero erant illi de quibus dicitur in libro Regum, quia temporibus Jeroboam implebant manus suas, et fiebant sacerdotes idolorum (*III Reg.* XIII). Quartum genus est, quod neque a Deo, neque per hominem, sed a semetipso fit, ut sunt pseudoprophetæ et pseudoapostoli, qui dicunt : Hæc dicit Dominus, cum Dominus non miserit eos. Sciendum etiam, quia inter istos omnes sunt quidam tantæ dignitatis, ut et prophetæ et apostoli sint, ut Moyses, Jeremias, Isaias, Joannes Baptista, quo dicitur : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam* (*Marc.* I), ex quibus fuerunt apostoli, qui præmia electorum, et mala reproborum suis prædixerunt auditoribus : quidam vero solummodo prophetæ officio funguntur *Jesu Christi.* Jesus nomen est hominis assumpti a verbo, sicut ad Mariam angelus ait : *Vocabitur nomen ejus Jesus* (*Luc.* II) ; Christus vero nomen est dignitatis. A chrismate enim, id est ab unctione dicitur Christus. Nam sicut apud Romanos diadema et purpura reges facit, ita antiquo tempore apud Judæos unctio chrismatis reges et sacerdotes faciebat : et per illam unctionem visibilem, invisibilem merebantur acci-

pere gratiam Spiritus sancti : verbi gratiam : sicut in baptismate modo accipiunt credentes Spiritus sancti dona. Christus vero non est unctus oleo visibili, sed plenitudine Spiritus sanctus repletus, de quo dicit Psalmista : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ* (*Psalm.* XLIV). Paulus ergo apostolus est Jesu Christi, quia ab illo est electus, et ab illo est missus. *Per voluntatem Dei*, subaudis Patris. Ideo autem dicit *per voluntatem Dei Patris,* quia voluntas una est Patris et Filii. Omnis salutatio Epistolarum istarum potest etiam media distinctio in hoc loco esse, ubi dixit *in Christo Jesu*, ut quidam simplicium dicunt, et postea subinferri, *gratia vobis;* sed melius et congruentius est perfectam distinctionem ibi ponere. Et cum subauditione *salutem* dicit, ac deinde alium versum incipere, *Gratia vobis et pax* : quia quod dicit *omnibus sanctis qui sunt Ephesi*, salutem optat, tertia persona est, quam requirit omnis salutatio : et quod subnectit, *Gratia vobis,* jam secunda persona est, ad quam debitus convertitur postea salutationis sermo : quare autem dicit, *cum omnibus sanctis et fidelibus ?* Quia non omnes fideles sancti sunt. Sunt enim catechumeni fideles, quia credunt in verum Deum, sed quia nondum sunt baptizati, non sunt sancti. Ideo addidit *in Christo Jesu*, quia sunt multi qui sunt fideles, sed non in Christo Jesu: sicut sunt servi, qui non ideo sunt fideles dominis suis, ut gratiam Jesu Christi inveniant, sed gratiam dominorum suorum, et quia timent flagellari ab illis. Illis ergo Apostolus optat salutem qua sanctificati sunt in baptismate, et fideles sunt in Christo Jesu, hoc est fidem habent Jesu Christi : et fidem quam habent, bonis operibus exornant.

Gratia vobis, subaudis sit, id est fides, salus et remissio peccatorum, quæ vobis gratis data est in baptismate ; *et pax,* qua reconciliati sumus Deo per passionem Filii ejus *a Deo Patre et Domino Jesu Christo.* Quidam volunt dicere: Gratia vobis a Deo Patre, qui gratis misit nobis Filium suum, et pax a Domino Jesu Christo per cujus passionem pacificati sumus Deo et angelis ; sed utrumque possumus referre ad utramque personam, ut dicamus hoc modo: Gratia vobis et pax a Deo Patre, et gratia et pax a Domino Jesu Christo. Videtur tamen quibusdam personam Spiritus sancti prætermisisse Apostolum, sed subtiliter inspicientibus patebit nihilominus totius Trinitatis mentionem fecisse. In eo enim quod dixit, *Gratia vobis,* comprehendit personam Spiritus sancti, quia gratiam, hoc est remissionem omnium peccatorum, per donum sancti Spiritus accepimus : sive ubi una persona Trinitatis ponitur, ibi tota Trinitas intelligitur, quia sicut inseparabilis est substantia divinitatis, ita inseparabilis est virtus operationis.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi. Hoc dupliciter potest accipi : Benedictus, inquit, Deus, creator omnium rerum, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi et qui illum genuit ante omnia sæcula in natura divinitatis. Aliter : Benedictus Deus Filius, qui erat in principio Verbum, et

A qui est Pater Domini nostri Jesu Christi, hoc est, hominis a se assumpti. Homo siquidem assumptus a Verbo totius Trinitatis operatione formatus est in utero virginali. Et hoc attendendum, quia a laudibus et benedictionibus inchoat Apostolus, sicut soliti sunt agere sancti Patres, et benedixit Deum, a quo omnia quæ benedici merentur, benedicuntur. *Qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo.* Cum dixit, *in omni benedictione,* quid necesse fuit addere, *spiritali* vel *in cœlestibus,* vel *in Christo ?* Quia est benedictio temporalis, non in cœlestibus sive in Christo, et terrena. Benedictio temporalis est turba filiorum, famulorum atque ancillarum : Benedictio terrena, divitiarum exuberantia et frugum. Quæ etiam benedictio usque ad ani-
B mantia pervenit, sicut legitur in Genesi, quod benedixit Deus omni creaturæ, dicens : *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (*Gen.* I). Benedictio vero spiritualis et æterna, et fides, spes, charitas, cæteræque virtutes. In cœlestibus vero subnexum est, quasi de cœlestibus : quia *omne datum optimum et omne donum perfectum, desursum est* (*Jac.* I). Addidit etiam quasi per Christum : quia quidquid boni habemus, non nostris meritis, sed per illum et ab illo habemus. Sed quæstio oritur, quare dixerit in omni benedictione spirituali, cum nullus hominum possit habere in præsenti sæculo omnes benedictiones, id est virtutes sive omnia bona Spiritus sancti, usquequo illud impleatur quod alibi idem Apostolus ait : *Cum tradiderit regnum Deo Patri, tunc erit Deus*
C *omnia in omnibus* (*I Cor.* XV). Nam in præsenti sæculo dona Spiritus sancti singulis dividuntur, non tamen omnia singulis dantur, quia alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, etc., usque dum subjungitur : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult?* (*I Cor.* XII). Quæ quæstio tripliciter solvitur : vel quia quod unusquisque in se habet, in generalitate habet, charitate fraternitatis hoc faciente. Verbi gratia : quia unus habet charitatem, alius castitatem, alius abstinentiam, alius mansuetudinem, alius sapientiam ; vel quia in omni benedictione quam habemus, ab illo benedicimur ; vel tertio modo potest esse præteritum tempus pro futuro, ut sit sensus : Qui benedicet nos post generalem resurrectionem,
D in omni benedictione spirituali. Sequitur :

Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Ex superioribus ista pendent. Sic, inquit, benedixit nos, sicut elegit, hoc est prædestinavit et præordinavit in ipso, hoc est in Christo. Omnipotens ergo Pater ante omnem creaturam spiritualem videlicet atque corporalem, prædestinavit omnes credentes in Christo, ut ipse sit caput omnium in se credentium, et omnes credentes sint ejus membra, et hoc ideo, ut essemus sancti et immaculati in conspectu Dei Patris in charitate et dilectione. qua diligitur Deus et proximus, vel etiam in ea charitate, qua ipse dilexit nos, in ipsa nos prædestinavit. Qui

in tantum dilexit nos, ut Filium suum unigenitum daret pro nobis, sicut etiam Joannes dicit *Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum Filium suum daret* pro mundo (*Joan.* II). Hoc autem distat inter immaculatum et sanctum : quia immaculatus est puer vel aliquis hominum, quando ab omnibus maculis peccatorum mundatur in baptismo : sanctus vero efficitur labore et studio, tradendo corpus suum variis tormentis pro Christi nomine, sicut sancti martyres fecerunt, sive mortificando *sive vitiis et concupiscentiis*. Vel ideo nos elegit, ut sancti et immaculati essemus quod nondum eramus, cum dixit : Sicut elegit nos, id est præordinavit sua dispositione, quia futurum erat ut in Christum crederemus, *qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ*. Prædestinare est præordinare et præfinire, quando illud quod facturi sumus, longe ante præfinimus in corde, quando et quomodo illud opere impleamus. Adoptio autem sive optio dicitur electio. Unde dicimus optimum, hoc est electum. Sic ergo Deus Pater præfinivit, et statuit in voluntate et dispositione sua, ut nos in electionem filiorum ejus reciperemur per Jesum Christum in ipsum, hoc est, ut in ipsum Jesum Christum credentes, filii Dei efficeremur per gratiam, qui non eramus per naturam. Secundum propositum voluntatis suæ, id est secundum quod disposuit in voluntate sua, *in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in* dilectione Filii sui : Deo dicit gloriam et gratiam. Gloria autem referenda est ad redemptionem nostram, qua nos redemit ; gratia autem ad redemptionem peccatorum, quam nobis gratis dedit in baptismo per fidem passionis suæ, et per gratiam sancti Spiritus. Elegit itaque nos in electionem filiorum per Jesum Christum in laudem gloriæ et gratiæ suæ, ut ipse laudetur et gratificetur ab omni creatura rationabili. In qua subaudis gratia, gratificavit nos, hoc est gratis redemit et dedit remissionem peccatorum : et sic postmodum gratos et acceptos nos fecit sibi, et hoc per passionem dilecti Filii sui. Dicit beatus Hieronymus, quia in Græco sermone non habetur, *Filio suo*, sed tantummodo absolute : *dilecto* ut ostendatur dilectus esse omni creaturæ rationabili. Ita autem dicitur a gratia gratificare, sicut a justitia justificare.

In quo, id est Christo, vel per Christum, *habemus* omnes *redemptionem* sive liberationem de morte ad vitam, *per sanguinem* passionis *ejus*, *et remissionem peccatorum*, in baptismate per fidem passionis ejus, sicut Joannes dicit : *Qui dilexit nos*, inquiens, *et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (*Apoc.* I), hoc est per passionem suam et per fidem ; *secundum divitias gratiæ suæ*, subaudis, habemus nos redemptionem et remissionem peccatorum, *quæ*, subaudis gratia, *superabundavit*, id est supercrevit, *in nobis in omni sapientia et prudentia*. Divitiæ gratiæ ejus sunt misericordia et pietas, quæ in tantum crevit in nobis, ut non solum redimeret et remissionem peccatorum per Spiritum sanctum nobis daret, sed etiam mysteria cognitionis suæ nobis revelaret, quæ in Novo et Veteri Testamento continentur, in omni sapientia divina et humana visibilium et invisibilium rerum, et in omni prudentia visibilium mortaliumque rerum. Nam sapientia est, ut quidam dicunt, cognitio divinarum humanarumque rerum, visibilium et invisibilium, mortalium et immortalium : prudentia vero visibilium et humanarum atque transitoriarum. Aliter : Sapientia est cognitio sanctæ trinitatis ; prudentia vero visibilium rerum, elementorumque cognitio, ut cognoscat homo mundum a Deo esse factum, quando ei placuit, et quomodo ei visum est ; ut cognoscat etiam cursum siderum, quantum humanæ fragilitati permittitur, ordinemque temporum, et quomodo facta sunt ista, et ad quem finem tendant.

Ut notum faceret nobis, Deus Pater, *sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus quod proposuit in eo*, id est in Christo. Sacramentum est res secreta, id est mysterium, hoc est aliquid occultum. Quod fuit istud sacramentum quod nobis manifestavit Deus Pater ? Mysterium nativitatis Christi, passionis atque resurrectionis ejus nostræque redemptionis. Voluntas enim Dei Patris fuit quam proposuit, sive disposuit vel decrevit in Christo sive per Christum implere, ut nos per adventum Filii sui redimeremur. Hæc ergo sacramenta voluntatis suæ nobis manifestavit Deus Pater per incarnationem Filii sui, secundum quod ei beneplacuit, et secundum quod ipse in eo decrevit, et quando hoc factum sit manifestavit dicens : *in dispensatione*, hoc est, in dispositione vel ordinatione *plenitudinis temporum* præfinivit ipse Deus Pater *instaurare omnia in Christo*, sive per Christum. Dicit beatus Hieronymus quia præ nimio amore quo Apostolus Christum diligebat, sæpe extraordinarie nominis ejus mentionem, ponebat, sicut et ipse Apostolus de seipso dicit : *Imperitus* fui *sermone, sed non scientia* (*II Cor.* XI). Restaurare est ad instar prioris status aliquam rem quæ lapsa fuerat revocare. Restauravit ergo Deus Pater per Filium suum omnia *quæ in cælo et in terra sunt* quando angelicam naturam et humanam reparavit. Quæ in cœlo sunt reparavit, quando angelorum numerum, qui quondam imminutus fuerit ex lapsu angeli, per reparationem generis humani complevit, et eis lætitiam reddidit, quam amiserunt peccante homine. Ea quæ in terra sunt reparavit, quando genus humanum, quod in mortem ruerat peccando, ipse sua passione sua redimendo, de morte revocavit ad vitam. Aliter : Per cœlum possumus intelligere Judæos, qui cœlestia mandata acceperant ; per terram vero gentiles qui solummodo terrena cogitabant atque quærebant, et pro Deo idola colebant. Reparavit ergo Deus Pater omnia quæ in cœlo et quæ in terra sunt per passionem Filii sui, quando hoc quod periit in Judæis in infidelitate manentibus, ex multitudine gentium venientium ad fidem complevit, et hoc in dispensatione plenitudinis temporum fecit, id

est in ætate sæculi sexta, quam Deus ipse decreverat et statuerat. De hac plenitudine temporum dicit alibi idem Apostolus : Postquam *venit plenitudo temporum*, id est sexta ætas, *misit Deus Filium suum* (*Gal.* IV). Et quod dicit hic pluraliter temporum, et alibi singulariter, tempus unum idemque est.

In quo, id est in Christo sive per Christum, *sorte* sive electione *vocati sumus*, subaudis ad vitam æternam, *prædestinati*, sive præordinati *secundum propositum ejus*, id est secundum dispositionem Dei Patris, qui omnia operatus est secundum consilium voluntatis suæ, hoc est secundum quod ipse vult et ordinat. Ideoque sumus prædestinati sive præordinati ad vitam æternam, ut simus in laudem gloriæ ejus, subaudis nos Judæi qui ante speravimus in Christo, hoc est, ut laudetur et glorificetur ipse ab omnibus. Et laudetur non solum ex salute gentium, sed etiam ex nostra, cum fuerimus justificati per baptismum et per fidem passionis ejus, qui non poteramus justificari per legem, quæ neminem ad perfectum adduxit. Sciendum quia ipse nostra laude non eget, sed nos egemus ut illum laudando perveniamus ad gratiam illius. Verbi gratia : sicut sol non eget nostro aspectu, ut nos claritatem ejus videamus et splendorem, sic nos indigemus illius calore et illuminatione, ut ab illo illuminemur et caleamus.

In quo, id est in Christo sive per Christum *et vos*, subaudis Ephesii, *cum audissetis verbum veritatis*, hoc est, *Evangelium salutis vestræ*, subaudis, recepistis finem ejus, *in quo*, id est in Christo *credentes signati*, id est sigillati vel assignati *estis Spiritu promissionis sancto*, id est per Spiritum sanctum, qui promissus est a Domino apostolis, et per quem nos habemus promissionem vitæ in baptismo. Assignati ergo sumus Deo per Spiritum sanctum, quem percepimus in baptismo, quia signaculum similitudinis Dei, quod perdidimus peccante primo parente nostro, illud recipimus in baptismo, hoc est innocentiam et sanctitatem animæ, in qua homo factus est ad imaginem et similitudinem Dei : non enim in corpore fuit illa similitudo et imago, sed in anima. Habemus siquidem innocentiam animæ receptam, purgati ab omni labe peccati, et immortalitatem in corpore jam tenemus in spe. *Qui*, subaudis Spiritus sanctus, *est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis*. Dicit beatus Hieronymus in explanatione hujus Epistolæ, quia melius est dicere, qui est arrha hæreditatis nostræ quam pignus : quia ita habetur in Græco. Interpres enim qui hanc Epistolam transtulit de Græco sermone in Latinum, non intelligens proprietatem verbi, pro arrha transtulit pignus. Aliud siquidem est pignus, aliud arrha : pignus est vadium sive vadimonium, quod ideo datur ut recipiatur, et solent hoc dare homines, quorum pecora inveniuntur in aliorum segetibus, aut vineis, aut cui aliquod damnum committunt; arrha autem est quam solent negotiatores dare illi a quibus aliquid emunt, quæ ideo datur non ut recipiatur, sed ut quod de est ex pretio compleatur. Unde dicitur arrha a re complenda, pro qua datur. Ipse ergo Spiritus sanctus credentibus est arrha, quia ab illo operationem miraculorum accipiunt, aliasque virtutes, spem videlicet, fidem et charitatem, interpretationem sermonum cæteraque hujusmodi. Et si in præsenti tantam gloriam habeamus ab illo, cum adhuc arrham teneamus, non aliud quid putandum est quantæ dignitatis erimus, cum nobis in æterna felicitate complebitur quod modo deest in qua sine fine præsentia Dei fruituri sumus? Et notandum quia in redemptionem acquisitionis nostræ, et *laudem gloriæ* Christi habemus nos arrham Spiritus sancti, quia per illum acquirimur Deo, redempti sanguine ipsius, id est Christi, et baptizati in fide ejus, ut ipse Deus omnipotens laudetur et glorificetur.

Propterea, subaudis quia vos arrham Spiritus sancti habetis, acquisiti estis Deo, *et ego audiens fidem vestram, quæ in Domino Jesu*, id est quam habetis in fide *et dilectionem* Christi, quam habetis *in omnes sanctos*, hoc est in omnes sanctificatos in baptismate.

Non cesso gratias agens pro vobis, subaudis Deo, *memoriam faciens vestri in orationibus meis*, primum pro me, deinde pro vobis, *ut Deus Domini nostri Jesu Christi*, id est Deus Pater qui est Deus, assumpto homine a Verbo, *et Pater gloriæ*, id est Pater Verbi, *det vobis Spiritum sapientiæ et revelationis* sive manifestationis, *in agnitione ejus*, hoc est, in cognitionem Dei Patris. Quare dixit, *non cesso pro vobis gratias* referre Deo? Nunquid semper poterat insistere laudibus et orationibus? Non, sed propter maximam assiduitatem dixit talia. Ideo autem diximus Deum Patrem Deum esse hominis assumpti a Verbo quia in veritate ita habetur, sicut ipse ex parte humanitatis loquitur in passione, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Matth.* XXVII); et resurgens a mortuis, dixit Mariæ : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* XX). Pater autem gloriæ est, id est Pater Verbi, quia ipse Filius gloria appellatur, dicente Patre ad eum : *Exsurge, gloria mea, exurge psalterium* (*Psal.* LVI), id est chorus omnium virtutum. Per illum enim glorificatus est Deus Pater.

Illuminatos oculos cordis vestri, subaudis et det vobis, *ut sciatis quæ sit spes vocationis* a subsequentibus in sanctis, hoc est ut habeatis spem percipiendi vitam æternam. Sequitur, *et omnia sub pedibus ejus subjecit*. Quæ omnia? scilicet genera hominum, et omnia quæ in terra sunt et in cœlo continentur. Quæstio oritur in hoc loco cum Psalmista dicat, omnia subjecta esse potestati Filii Dei, sicut et in hoc loco dicitur, quare Apostolus in Epistola ad Hebræos dicat, *necdum videmus subjecta omnia ei?* (*Heb.* II.) Quæ quæstio hoc modo solvitur, quia duæ sunt subjectiones, voluntaria sive spontanea, et coactiva sive potestativa. De voluntaria igitur subjectione dicit Apostolus ad Hebræos necdum esse subjecta omnia ei, per fidem et voluntatem : quia necdum omnes gentes crediderunt in eum. De coactiva vero sive po-

testativa subjectione dicit Psalmista, omnia subjecta esse ei, quia per potentiam, velint nolint, Judæi atque pagani et dæmones subjecti sunt ei : quia dæmones per invocationem nominis ejus fugantur ab obsessis corporibus, et pagani illo permittente aliorum regna et terras invadunt. Et *ipsum*, id est Christum *dedit* Deus Pater, *caput*, hoc est principem, *super omnem Ecclesiam quæ est corpus ipsius*, subaudis quæ constat ex angelis et hominibus justis ; Christus ergo caput sive princeps est Ecclesiæ, quia sicut a capite reguntur membra, et a spiritu vivificatur corpus, ita et a Christo reguntur omnes electi et vivificantur : et sicut corpus constat ex ossibus et carnalibus et fortibus atque infirmis membris, et tamen omnia a spiritu vivificantur, ita Ecclesia continet in se fortes in fide et in bono opere, peccatores quoque qui sunt infirmi in fide et in virtutibus : quos tamen omnes vivificavit Christus, qui est caput illorum, dum eos ad fidem vocat. *Et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur*. Subauditiones hujusmodi hic sunt necessariæ : Quæ Ecclesia quæ est corpus Christi, plenitudo ejus, subaudis est, id est plenitudo corporis Christi, quæ per omnia genera hominum in omnibus gentibus hominum adimpletur, hoc est augetur. Dum enim quotidie ex singulis gentibus ad fidem Christi per baptismum concurrit, quotidie corpus illius augetur. Verbi gratia : sicut de quolibet rege dicitur, quia dum ad Deum exercitus et populi diversarum gentium confluunt, augetur.

CAPUT II.

Et vos, subaudis Ephesii, *cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus*, id est secundum desideria amatorum hujus mundi, *secundum principem potestatis aeris hujus*, hoc est voluntatem diaboli : quia in caligine hujus aeris servatur cruciandus, *spiritus*, id est diabolus quem superius appellavit principem, *qui nunc operatur in filios diffidentiæ*, id est, qui suam voluntatem operatur in filiis diffidentiæ, hoc est in paganis et hæreticis atque Judæis, qui fidem rectam et perfectam non habent. Hoc distat inter delictum et peccatum, quia delictum perpetramus quando ea omittimus quæ nobis a Deo præcipiuntur implere, ut est illud : *Diliges, proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XIX). Quando illum non diligimus, et non honoramus parentes, tunc delinquimus. Unde dicitur delictum, quasi derelictum. Peccatum vero est, quando illud perficitur, a quo Deus præcepit observari ; verbi gratia, sicut est : *Non occides, non adulterabis* (*Deut.* V), etc. Aliter : Delictum est in cogitatione, peccatum in operatione. Judæi ergo et gentiles mortui erant delictis et peccatis, quia anima quæ peccaverit, ipsa morietur, non per substantiam, sed peccato, propter quod recedit a Deo qui est vita animæ. Nam sicut moritur corpus recedente anima, ita moritur anima recedente Deo. Quod autem dicit *in quibus*, subaudis delictis et peccatis, aliquando ambulastis, blandiendi causa hoc dixit, et tale est quale et illud : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V). Sequitur : *In quibus*, subaudis delictis et peccatis, *et nos omnes*, subaudis Judæi, aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, id est in carnalibus concupiscentiis et terrenis voluptatibus, *facientes voluntatem carnis et cogitationum*, hoc est, quod cogitabamus corde implebamus opere, adulterium videlicet, fornicationem, furtum, etc., *et eramus natura filii iræ* filiique vindictæ, *sicut et cæteri* subaudis homines. Non debemus putare quod natura humana a Deo mala sit creata et condita, quia bona, sancta et immortalis facta est, sed vitio suo corrupta et depravata est. Ad imaginem et similitudinem Dei factus est homo in anima, non in corpore ; sed peccando perdidit imaginem quam habebat in sanctitate et in innocentia, et similitudinem quam habebat in immortalitate. Ipse autem homo non genuit Filium ad illam similitudinem, qua ipse factus est, sed ad imaginem et similitudinem suam quam ipse jam habebat, hoc est peccatorem et mortalem sicut ipse erat. Dum ergo peccatores et mortales nati sumus ex primis parentibus nostris, qui similes nobis jam erant effecti, quasi natura sive naturaliter eramus filii vindictæ, quia propter prævaricationem mandatorum Dei, qua prævaricati sumus in parentibus nostris, vindictam merebamur accipere.

Deus autem qui dives est, hoc est abundans et multiplex, non solum potentia et virtute, sed *in misericordia propter nimiam*, sive maximam *charitatem* et dilectionem suam *qua nos dilexit, cum essemus mortui peccatis*, eo modo quo superius diximus. Communicavit, id est simul *vivificavit nos Christo* in baptismate per fidem passionis Filii sui : ut sicut ille *resurgens a mortuis, jam non moritur* (*Rom.* VI), sic nos a peccato resurgentes vivamus virtutibus. *Cujus* subaudis Christi, *gratia salvati estis*, o Ephesii, non vestris meritis, *et conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo*, id est per Jesum Christum. Hoc dupliciter potest intelligi. Conresuscitavit, id est simul resuscitavit cum Christo in baptismo, quando, verbi gratia, descendimus in fontem, et mortui sumus peccato ibi, sicut Christus mortuus est in cruce, et depositus est in sepulcrum, et nos resurreximus de morte ad vitam, de immunditia ad innocentiam, procedentes de fonte purificati et mundati ab omnibus peccatis sicut Christus resurrexit de sepulcro, et consedemus jam in cœlestibus per fidem et spem, juxta quod promisit apostolis, dicens : *Vos*, inquit, *sedebitis super sedes duodecim* (*Matth.* XIX). Nam quando Apostolus ista loquebatur, in carcere erat positus, et tamen cum fiducia talia dicebat : possumus et aliter intelligere, accipientes præteritum tempus pro futuro, hoc modo : Conresuscitavit nos Deus Pater per potentiam verbi sui, in die judicii, et consedere faciet in cœlestibus per Christum Jesum. Ineffabilis est ista dilectio, quia Deus Pater non solum pro justis, sed etiam

pro peccatoribus, et quod majus est pro rebellibus A dignatus est mittere Filium suum, *ut ostenderet*, pro eo quod est ut ostendat *in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ super nos*, qui in eum credimus, *in bonitate* sive in pietate, *in Christo Jesu*, hoc est per Christum. Sæcula dicuntur eo quod sequantur et in se revolvantur. Ideo autem dicit, *in sæculis supervenientibus* sive futuris, quia multa sæcula et multa tempora erunt post diem judicii atque innumerabilia, licet continuata sit dies. Non enim sol occasum patietur, juxta illud : Non occidet tibi ultra sol tuus. Istæ sunt ergo divitiæ quas ostendet super nos, quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt (*I Cor.* II), hoc est gaudia æternæ vitæ sine fine mansura, quæ tunc ostendentur nobis per Christum in sæculis venturis, B quia in præsenti sæculo non possunt videri.

Gratia enim, subaudis Dei, *salvati estis* de morte ad vitam *per fidem* in baptismate, non vestris meritis, *et hoc*, subaudis quod salvati estis et fidem habetis *non est ex vobis, Dei enim donum est*, ut salvi sitis et fidem habeatis. Unde Dominus dicit : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum* (*Joan.* VI). Si opus Dei est, non est ex nobis. A nobis siquidem neque fidem, neque salutem habemus, neque aliquid boni: qua *Deus operatur in nobis et velle et perficere* (*Phil.* II). Quia solent plerique dicere : propter bona opera mea veni ad fidem, ideo subjungit Apostolus, *non ex operibus*, subaudis accepistis fidem, *ut ne quis glorietur*, sed per gratiam Dei. Prius præcedit fides, deinde subsequitur operatio. Solent etiam illi qui ex operibus C suis gloriantur, Cornelium centurionem in exemplum trahere, dicentes quia propter bona opera quæ habebat, meruit accipere fidem instructus a Petro. Quibus respondendum est quod Cornelius centurio erat Judæorum, habens cognitionem et notitiam unius Dei : a quo sperabat ipse et credebat pro suis bonis operibus se esse remunerandum : et quia aliquid fidei habebat jam perceptum quam exornabat bonis operibus, meruit instrui a Petro, de cognitione totius Trinitatis, et baptizari baptismi sacramento, sine quo nemo potest mundari a peccatis. *Ipsius enim sumus factura*, hoc est ipso Christo adjuvante effecti sumus boni et facti innocentes, *creati* sive renovati in bonis operibus, *in Christo Jesu*, id est per Christum Jesum, sive per fidem Christi D Jesu, *quæ* subaudis bona opera *præparavit Deus ut in illis ambulemus*, proficiendo de virtute in virtutem. Non de illa factura loquitur hic, qua in principio facti sumus ut essemus, sed de illa qua cum mali essemus, boni effecti sumus ipso operante.

Propter quod subaudis, quia renovati estis in bonis operibus *memores estote* sive mementote *quia aliquando*, id est antequam ad fidem veniretis *vos, gentes* eratis *in carne*, id est in carnali conversatione, *qui dicebamini præputium ab ea*, subaudis gente, *quæ dicitur* a vobis *circumcisio manufacta in carne*. Judæi propter circumcisionem a gentibus appellabantur circumcisio ; et gentes, quia incircumcisi erant, a Judæis appellabantur præputium, qui sunt peccatores et alieni a Deo. Bene autem et circumcisio dicitur esse et manufacta, quia in uno solummodo corporis membro illa circumcisio fiebat manuum operatione : nostra vero circumcisio non fit in exspoliatione unius membri solummodo, sed in toto corpore et in omnibus corporis sensibus, quoniam circumcidimus vitia in nobis et delectationes carnis et concupiscentias pravas, exspoliantes nos ab omnibus peccatis delectationum atque operationum. Sequitur, *qui eratis illo tempore*, antequam crederetis, *sine Christo*, hoc est sine fide Christi, vel sine promissione de Christo, *alienati a conversatione Israel*, id est extranei et alieni a conversatione Judæorum, quia non servabatis circumcisionem, neque sabbatum, neque sacrificia legalia offerabatis, *et hospites testamentorum*, subaudis eratis. Hospes dicitur quasi ostii pes, eo quod quando suscipiebantur in domum, ponebat dominus domus, et qui suscipiebatur, pedem supra ostium : et datis dextris, jurabat quod pacificus esset ejus ingressus: gentiles ergo transeuntes ad judaismum, quamvis circumciderentur, et legalia offerrent sacrificia, tamen non ideo reputabantur ut cives, sed proselyti appellabantur et advenæ, et quasi hospites habebantur : ideoque dicit Apostolus quia hospites et advenæ et proselyti erant testamentorum Dei, *non habentes spem promissionis* vitæ æternæ, vel illius promissionis quæ facta est ad Abraham, quod in semine ejus, id est in Christo benedicendæ essent omnes gentes (*Gen.* XXII). Quamvis enim illa promissio facta esset de eis, tamen illi non habebant spem quod possent pervenire ad societatem Judæorum, quia non habebant legem et prophetas, in quibus ipsa promissio continebatur ; *et sine* vero *Deo*, subaudis eratis, non habentes cognitionem ejus, quia dii quos colebant non erant dii, sed dæmones *et opera manuum hominum* (*Psal.* CXIII).

Nunc autem in Christo Jesu, id est per Christum Jesum, sive in fide Jesu Christi vos gentiles, *qui eratis aliquando longe*, subaudis a Deo non loco, sed merito, *facti estis prope in sanguine Christi*, hoc est in fide passionis Christi.

Ipse enim Christus *est pax*, id est, reconciliatio *nostra*, quia nos reconciliavit Deo per sanguinem passionis suæ. Et *quia utraque* subaudis genera hominum, Judæorum scilicet ac gentilium, *fecit unum*, subaudis ovile, et unum corpus in unitate Ecclesiæ et fidei sicut ipse promisit in Evangelio : *Et fiet*, inquiens, *unum ovile et unus pastor* (*Joan.* X), *et solvens*, id est destruens et evacuans, *in carne sua*, id est in passione sua, *medium parietem maceriæ*, hoc est inimicitias, subaudis quæ erant inter duos populos.

Legem mandatorum in decretis evacuans, id est, in præceptis et statutis Evangelii evacuans legem, *ut duos*, subaudis populos, *condat*, sive perficiat vel ædificet *in semetipso*, id est in unitate fidei suæ. Medium parietem appellat in hoc loco legalia præcepta, circumcisionem, scilicet observationem sabbatorum,

festivitatem neomeniarum et sacrificiorum, quæ dividebant duos populos, Judæos et gentiles, veluti paries dividit ac separat duos homines, sive duas res. Et quod dixit *parietem*, hoc exposuit, cum dixit *inimicitias et legem mandatorum*, quod propter legem et observantiam ejus erant inimicitiæ et contentiones inter duos populos : quoniam Judæi deputabant gentiles quasi immundos. Sed illum parietem sive inimicitiam vel legem mandatorum destruxit ipse in passione sua, quando pro omnibus immolatus est, sic vocans gentiles ad fidem et redimens veluti Judæos, et insuper in decretis Evangelii evacuavit legem in mysteriis : quia non præcipit neque Judæo neque gentili offerre sacrificium et circumcidi postquam ipse passus est, qui præfigurabatur in illis sacrificiis, *in unum novum hominem*, id est in seipso *faciens pacem*. Quomodo factus est ipse novus homo? In hoc quod homo factus est, natus ex virgine, sine semine virili, et conversatus est in mundo sine peccato, quod nemo nec antea nec postea fecit, *ut reconciliaret Deo* Patri *ambos* populos *per crucem*, hoc est per passionem crucis suæ, *in uno corpore*, id est in una Ecclesia, in una fide, in una societate : vel in uno corpore, ut omnes ex Judæis et gentibus credentes, unum corpus ejus sint, *interficiens* et destruens vel evacuans, *inimicitiam in semetipso*. Quam inimicitiam destruxit? Illam quæ erat inter Judæos et gentiles propter circumcisionem et sacrificia legalia, tunc in semetipso evacuavit, quando passionem sustinendo, quæ erant in mysteriis, implevit in veritate, et post non præcepit offerri vel observari.

Et veniens in mundum per incarnationis mysterium, *evangelizavit* per angelos, per se et apostolos *pacem vobis* gentibus, *qui longe fuistis*, a Deo, non loco, sed merito, *et pacem his*, id est Judæis qui erant prope per cognitionem ejus quam habebant, *quoniam per ipsum* Christum *habemus* nos *ambo* populi *accessum* ad Patrem *in uno spiritu*, subaudis confitentes. Vel renati per Christum accedimus ad Deum Patrem, quia ipse est mediator per quod homo et Deus est (*I Tim.* II). Et per illum nostras preces ad Deum Patrem dirigimus, et per illum introducimur in conspectu illius, sicut ille dixit : *Nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV). Fratres, *jam non estis hospites et advenæ*, vel proselyti, vel alieni a consortio Judæorum, vos gentiles, sicut quondam fuistis, eo modo quo superius paululum diximus, *sed estis cives sanctorum*, patriarcharum, prophetarum aliorumque justorum, *et domestici Dei*. Cives dicuntur ab una civitate et communione, domestici a domo, quia in una domo conversantur. Ergo gentiles socii sunt et cives sanctorum, et domestici Dei : quia ad unam civitatem cœlestem Hierusalem pervenire contendunt, et in una domo quæ est Ecclesia Dei, commorantur.

Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum. Fundamentum apostolorum et prophetarum omniumque fidelium Christus est, quia in fide

A illius sunt fundati et stabiliti, sicut ipse dixit : *Super hanc petram*, id est super me *ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI), quæ constat ex angelis et hominibus justis. Omnis enim qui fidem Christi habet, super ipsum est fundatus, *ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. Quomodo est Christus et fundamentum et summus lapis? Per hoc quod ab illo incipitur fides, et in ipso, et ab illo perficitur atque completur ipsa fides ideoque omnes electi in ipso sunt fundati. Ipse enim dixit, pro eo quod est in ipso. Angularis etiam dicitur, quia sicut angularis lapis duos parietes jungit, ita Christus duos populos in unitate fidei suæ conjungendo continet.

In quo Christo *omnis ædificatio* Ecclesiæ *constructa* et ædificata *crescit in templum sanctum in Do-*
B *mino*. In quo Christo, quia quotidie ex omnibus gentibus ad fidem Christi veniunt, fides crescit in ipsa Ecclesia, quæ est templum Christi, sicut alibi dicitur : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Licet enim omnipotens Deus per divinitatis potentiam ubique sit, tamen aliter habitat in electis, atque aliter in reprobis.

In quo Christo, id est in cujus fide *et vos coædificamini in habitaculum Dei*, ut sitis templum Dei vivi crescendo de virtute in virtutem : et hoc *in Spiritu* sancto, id est per gratiam Spiritus sancti.

CAPUT III.

Hujus rei gratia, id est propterea quia vos estis cives sanctorum et super Christum estis fundati,
C *ego Paulus vinctus sum Christi Jesu pro vobis gentibus*. *Vinctus sum* dicit catenis et astrictus pro fide Christi et pro vobis gentibus, quibus prædico verbum salutis : vel, vinctus amore Christi, pro vobis gentibus teneor in carcere; et est sensus : Si voluissem permanere in judaismo, et a prædicatione nominis Christi quiescere, possem esse dives, et magister synagogarum appellari. Sed quia Christum prædico vobis, nunc astrictus teneor in egestate positus, *si tamen audistis dispensationem* sive administrationem *gratiæ Dei quæ data est mihi in vobis*, id est in vestram utilitatem. Si tamen isto in loco potius est affirmativa conjunctio quam dubitativa, et nihil aliud est nisi dicere : Certe audistis officium prædicationis meæ, quod datum est mihi per gratiam Dei ad vestram
D utilitatem. *Quoniam secundum revelationem* Dei *notum mihi factum est sacramentum*, sive mysterium, *sicut supra* in hac Epistola *scripsi* vobis *in brevi*, *prout possitis intelligere prudentiam meam in mysterio Christi legentes* dicta mea. Idcirco hæc Epistola omnibus Epistolis pene difficilior habetur, quia obtinet in se magna et occulta mysteria, brevique sermone comprehensa. De quo sacramento sive mysterio dicat, quod ei per revelationem Dei manifestatum est Paulo in sequentibus panditur, hoc est quod gentes in societatem Judæorum essent venturæ sine aliqua differentia. Unde et sequitur : *Quod*, subaudis sacramentum sive mysterium mihi *revelatum est*. Nunquid non revelatum est patriarchis et pro-

phetis? utique. Illis enim solummodo est revelatum in Spiritu, hoc est per Spiritum sanctum, qui filii Dei erant per adoptionem, sicut et Paulus, non illis qui filii et amatores hujus mundi erant. Aliter : Aliis generationibus filiis hominum, id est patriarchis et prophetis atque aliis hominibus, non est ad liquidum ita manifestatum mysterium fidei gentium, sicut apostolis et prophetis Novi Testamenti, ut fuit Agabus : quorum prædicatione ad fidem venerunt. Quod potest probari ex hoc quod Dominus ait apostolis : *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* (*Matth.* XIII). Majoris enim sapientiæ fuerunt apostoli quam patriarchæ : quia quod illi viderunt a longe in spiritu, viderunt isti et mente et oculis corporeis Siquidem Judæi nullo modo poterant credere gentes venturas esse in societatem suam, sed dicebant illis qui proselyti fiebant: Vitam æternam quidem percipietis, sed non tantæ dignitatis eritis in gloria quantæ nos. Quid ergo manifestatum est apostolis? *esse gentes cohæredes* Judæis in prima cœlesti, in gloria æterna, *et concorporales,* id est, simul corpus Christi esse, vel in uno corpore Ecclesiæ sociari, *et comparticipes promissionis ejus in Christo,* id est consortes esse promissionis Dei Patris, quod in semine Abrahæ benedicentur omnes gentes.

Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc evangelizare, sive prædicare *in gentibus investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes.* Quare dicit modo : Mihi minimo omnium apostolorum data est gratia, cum alibi dicat : *Plus omnibus laboravi?* Utrumque verum est : et unum referendum est ad laborem, quod dicit : Plus omnibus laboravi ; aliud ad tempus vocationis suæ. Plus enim omnibus apostolis laboravit, quia cum cæteri in locis sibi distributis prædicarent, ille non solum Judæis prædicavit, sed etiam omnibus gentibus quibus constitutus est magister et prædicator (*I Cor.* XVI). Minimo autem quod dicit, tale est, ac si diceret, novissimo et ultimo. Novissimus enim apostolorum ipse vocatus est ad gratiam Evangelii, quia illi ante passionem a Domino, hic vero post ejus ascensionem, de cœlo vocatus est. Evangelizare, est bona annuntiare, quia Evangelium est bonum nuntium. Evangelizat ergo, non solum qui Evangelium prædicat Christi ore prolatum, sed qui bona annuntiat, et gaudia patriæ cœlestis promittit, quæ in lege et prophetis et psalmis, dictisque sanctorum Patrum continentur. Quæ sunt istæ divitiæ Christi investigabiles, ad quas missus est Apostolus evangelizare in gentibus? Nimirum illæ, de quibus idem Apostolus alibi dicit : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II), hoc est, gaudia patriæ cœlestis, vita sine fine mansura Quod ergo hoc loco dicit divitias, in subsequentibus appellavit sacramentum, ideoque per divitias non incongrue mysteria incarnationis et passionis Christi possumus intelligere, redemptionem generis humani et fidem gentium, et quo nulla di-

A stantia est inter Judæos et gentiles in gratia Dei. Quæ omnia sacramentum recte appellantur, quia ante Christi adventum occulta et secreta fuerunt. Sed si investigabiles sunt ipsæ divitiæ, quomodo Apostolus missus est eas evangelizare? Nam investigabilis res est, quæ non potest investigari et comprehendi. Quæ dupliciter potest solvi : Investigabiles siquidem ante Domini adventum fuerunt, quia nullus eas potuit ad liquidum cognoscere ; sed quæ erant ante investigabiles, Domino veniente, vestigabiles et comprehensibiles factæ sunt. Aliter : in sua natura investigabiles sunt, per gratiam autem et revelationem sancti Spiritus hominibus fidelibus vestigabiles sunt. Verbi gratia : statua quam non potuit Nabuchodonosor intelligere quid præfiguraret, per revelationem sancti
B Spiritus Danieli vestigabilis et comprehensibilis fuit, qui interpretator ejus exstitit. Data est etiam gratia Apostolo illuminare per fidem omnes qui voluissent credere, quia sicuti ille qui infidelis et incredulus est, in tenebris moratur, ita qui fidelis et credulus exsistit in luce quiescit, et non solum illuminare, sed et evangelizare *quæ sit dispensatio,* id est distributio vel ministratio, *sacramenti absconditi in Deo, qui omnia creavit.* Idem modo appellat sacramentum quod superius divitias, mysterium incarnationis Filii Dei, fidem et salutem gentium, et gaudia vitæ æternæ quod a sæculis, sive ab initio, absconditum fuit in Deo vero qui creavit omnia. Notandum quia non dicit Deo fuit absconditum, sed in Deo usquequo ipse per semetipsum manifestare designatus est. Unde appel-
C latur sacramentum, quod est res secreta et occulta, antequam in publicum deducatur.

Ut innotescat, hoc est, manifesta et nota fiat, *multiformis sapientia Dei, et principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam.* Multiformis sapientia Dei dicitur, quasi multiplex et multas species et formas habens. Videamus quomodo multiformis sit. Filius Dei natus est de virgine sine virili semine, vagiebat in præsepio ut infans, sed ab angelis glorificabatur ut Deus in cœlo ; ab Herode quærebatur interfici ut homo, sed a magis stella ducente quærebatur adorari ut Deus; mortuus est ut homo, resurrexit per potentiam Deitatis. Resurgens a mortuis apparuit discipulis in habitu hominis, sed Spiritum sanctum dedit eis ut Deus. Ecce qualiter multiformis
D est sapientia Dei. Ut ergo ista multiplex sapientia Dei manifestaretur principibus et potestatibus in cœlestibus, quas beatus Hieronymus angelicas virtutes vult intelligi in cœlo residentes, Filius Dei veniens in mundum revelavit eam apostolis suis. Et per Ecclesiam, hoc est, in Ecclesia prædicantibus apostolis manifestavit angelicis virtutibus. Dixit namque beatus Hieronymus, quod quædam angelicæ dignitates erant, quæ mysteria superius memorata ad purum non intellexerunt, donec completa est passio Christi, et apostolis prædicantibus per omnes gentes cœpissent prædicatione sua gentiles trahere ad fidem. Quod probari potest ex hoc quod angeli admirando dixerunt, illo ascendente ad cœlos propria virtute.

Quis est iste qui venit de Edom (*Isa.* LXIII), hoc est, de cruento et sanguinolento mundo? Et in Psalmis: *Quis est iste rex gloriæ* (*Psal.* XXIII)? Illis enim qui majoris dignitatis sunt et per quorum ministerium illa mandata sunt, cognita fuerunt, utpote consiliariis et nuntiis: illis vero qui minoris dignitatis sunt, potest esse ut ex parte incognita essent, et hoc manifestat.

Secundum præfinitionem, vel præordinationem sive prædestinationem *sæculorum*, quod unum est: *quam* præfinitionem *fecit*, sive implevit *in Christo Jesu*, id est per Christum Jesum. Sicut ergo Deus Pater præordinavit ante omnia sæcula, sic complevit et manifestavit multiformem sapientiam suam per Christum. *Propter quod*, subaudis, quia fidem in Christo habetis et accessum ad Deum Patrem per ipsum, *obsecro vos ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis*, id est, ne recedatis a fide Christi, dum me videtis tribulari pro vobis, *quæ* tribulatio *est gloria vestra*. Convenientius diceret, quæ tribulationes sunt gloria vestra. Pro illis ergo Apostolus tribulabatur, quia dum illis prædicabat verbum, comprehendebatur a persecutoribus. Sed ejus tribulatio gloria illorum erat, qui confortabantur in fide, et per passionem suam acquirebant gloriam æternam.

Hujus rei gratia, id est propterea ne vos recedatis a fide Christi, *flecto ego genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*. Sicut sunt exteriores oculi corporis et exteriora genua, cæteraque membra, ita etiam dicuntur esse et interiora. Unde hic Apostolus non loquitur de exterioribus genibus. Per genua ergo debemus intelligere tantummodo submissum et humiliatum sensum mentis. Flecto, inquit, genua mea, id est, submitto et humilio sensum cordis mei, orando Deum pro vobis. Quod sequitur, *ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*, in Græco sermone non habetur, nisi tantummodo *ad Patrem*, ut intelligatur absolute Creator esse omnium rerum. Quod vero in Latinis codicibus additum est, *Domini nostri Jesu Christi*, bene convenit, quia illi est proprie et naturaliter pater, nobis autem adoptivus. Sequitur:

Ex quo, Deo Patre, *omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur*. Sicut in præsenti sæculo habemus quos appellamus patres, et sunt a quibus appellamur patres, ita et in illo collegio sanctorum spirituum sunt qui alios diligunt archangelos vocare patres, sicut prælatos, verbi gratia: angeli diligunt archangelos appellare patres, sic de cæteris virtutibus intelligendum. Ideo dixit, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur, quia et angeli in cœlo et homines in terra ab illo exordium sumpserunt, et ab illo qui est Pater omnium rerum acceperunt ut patres aliorum vocarentur.

Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum sanctum *ejus in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus nostris*. Idcirco, inquit, ego flecto genua mea ad Patrem Domini nostri, ut ipse det vobis virtutem secundum largitatem gloriæ suæ, ut sitis corroborati in fide, et

A possit Christus habitare per fidem in interiori homine, hoc est, in cordibus vestris. Licet enim omnipotens Deus per potentiam divinitatis suæ ubique sit, tamen in illis specialiter dicitur habitare qui fidem ejus habent.

In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere in vobismetipsis cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum. Ex superioribus ista pendent: Ideo etiam submitto sensus cordis mei ad Deum, ut sitis in charitate radicati, sicut arbor plantata radicitus firmatur in terra ut habeat humorem, et a vento facile non eradicetur, et non solum radicati, sed et fundati in ipsa charitate, quasi super solidissimam petram, ut possitis intelligere quæ sit latitudo charitatis. Latitudo

B charitatis est qua diligitur Deus, et non solum amicus, sed etiam inimicus. De quo mandato dicit Psalmista: *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII). Longitudo charitatis est perseverantia in bonis operibus. Longanimitas etiam sive longitudo charitatis est ab initio fidei usque ad finem spei, usque dum perveniamus ad illud, ut quod modo tenemus in spe, tunc possideamus in re, patienter pro Dei amore adversa sæculi hujus tolerantes. Sublimitas sive altitudo charitatis est, ut pro omnibus nostris bonis operibus tam pro latitudine charitatis quam patientia, longanimitate, perseverantia in bonis operibus, sublimitatem patriæ cœlestis quæramus, sperantes nos a Deo remunerandos. Profundum autem sive occultum charitatis est, ut omnia bona quæ habemus

C de alto Dei dono et inspirationem nobis venire credamus. Hæc autem omnia in cruce vel in charitate Christi possumus comprehendere.

Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. Det vobis etiam intelligere charitatem Christi supereminentem scientiæ humanæ, hoc est, det vobis scientiam quatenus possitis intelligere quanta sit charitas Christi qui pro nobis mortuus est, quæ charitas transcendit et excedit omnem scientiam humanam, et non solum humanam, sed etiam divinam quam hominibus largitur. Et quomodo possimus illam scire, si supereminens est scientia quæ omnibus tribuitur? Hoc debemus scire, quia ignoramus illam: quis enim hominum mortalium valet

D comprehendere quanta charitas fuit in Deo Patre, qui pro nobis unicum Filium non solum incarnari, sed etiam mori permisit? Sequitur: *Et impleamini in omnem plenitudinem Dei*. Idcirco, inquit, exoro scire vos charitatem Christi, ut impleamini virtutibus, et mereamini annumerari numero fidelium ex quibus quotidie corpus Christi impletur. Plenitudo enim corporis Christi est Ecclesia, quæ quotidie ex omnibus gentibus impletur.

Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus secundum virtutem quæ operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Jesu in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen. Ei autem, id est Deo Patri qui potest omnia facere quæ vobis sunt necessaria superabun-

danter quam petimus, id est qui potest omnia nobis tribuere plus quam petere sciamus, et petere præsumamus, et hoc secundum virtutem divinitatis potentiæ suæ : quæ virtus divinitatis operatur in nobis miracula, fidem, virtutes et doctrinam, sit gloria in Ecclesia et in Christo Jesu. In Ecclesia est gloria Dei Patris, quia multitudo fidelium glorificat et laudat Deum Patrem in omnibus quæ agit. Per illam etiam glorificatur : juxta quod Dominus dicit : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum* (*Matth.* v). In Christo quoque Jesu est gloria Dei Patris, quia omnia quæ ipse Filius operatus est, ad laudem et gloriam ejus retulit, dicens : *Pater in me manens ipse facit opera* (*Joan.* xv). In omnes generationes sit Deo Patri gloria, id est in præsentes et futuras : vel in generationes gentium, et generationes Judæorum in omnia futura sæcula. Amen.

CAPUT IV.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis. Obsecro, id est deprecor vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis et sancte vivatis illa vocatione qua vocati estis in baptismate. Estis vocati ut sancti essetis et immaculati, sancte et immaculate conversamini, ambulantes de virtute in virtutem Quod autem dicit, ego vinctus, duplici modo intelligi potest : vel vinctus catenis et positus in carcere in Domino, id est pro Domino, sive pro amore Domini ; vel vinctus, id est astrictus amore dilectionis erga vos propter Deum *cum omni humilitate et consuetudine;* subaudis, ambulate et conversamini digne.

Cum patientia supportantes vos invicem in charitate. Humilis dicitur humi acclivis. Mansuetudo est lenitas et tranquillitas animi. Ambulate, inquit, et conversamini cum omni humilitate et mansuetudine mentis, supportantes vos invicem in charitate vel in dilectione Dei et proximi, juxta illud : Alter alterius onera portate, imitantes naturam servorum ; verbi gratia : qui dives est opibus hujus sæculi, supportet illum qui pauper est in substantia præsenti et dives spiritualibus virtutibus : et econtra, ille qui sanctus est sua sanctitate et suis precibus sustineat peccatorem ; vel qui dives est, sustineat sua eleemosyna pauperem. *Solliciti*, id est studiosi, cauti et attenti sitis semper. *Servare unitatem spiritus*, ut unum sapiatis de Christo, ut unam fidem babeatis ; et non sint in vobis schismata atque hæreses, et hoc agite *in vinculo pacis*, id est in dilectione Dei et proximi, sive in concordia fraternitatis. Dilectio etenim vinculum recte appellatur, quia duos ligat et conjungit, Deum videlicet et hominem, vel duos proximos.

Unum corpus Christi vos estis, *et unus Spiritus* sanctus habitat in vobis, *sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ*, sicut sancti vocati estis, uniti in baptismate, secundum illud : *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (*Lev.* xi), ideo sancte vivere debetis. Bene autem dicit, in una spe vocationis vocati estis, quia omnes fideles unam spem habent perveniendi ad patriam cœlestem.

Unus est Dominus omnium creaturarum, *una fides* debet esse in omnibus credentibus, quibus *unum baptisma* est. Licet alii majorem, alii minorem fidem habeant, qui majora et minora de Deo intelligunt, tamen in hoc dicitur esse una fides, quia unum Deum credunt trinitatem habere in personis, et unitatem in substantia. Unum est baptisma, quia omnes æqualiter per universum orbem baptizantur, qui signaculum fidei percipiunt.

Unus est Deus omnium creaturarum, *et pater omnium* rerum, id est creator, *qui*, subaudis Pater, *super omnes* creaturas excellit, *et per omnia* est Filius, quia omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* i) et reparata, *et in omnibus nobis*, subaudis est Spiritus sanctus, qui in cordibus fidelium diffusus est, et in omnibus creaturis, juxta illud : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (*Sap.* i).

Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Loquitur in hoc loco Apostolus ex persona sua aliorumque apostolorum, vel omnium credentium. Data est gratia, fides et remissio peccatorum et redemptio, et quidquid boni habemus. Gratia autem dicitur gratis data. Et hæc omnia gratuito munere omnipotentis Dei largita sunt nobis secundum mensuram donationis Christi : donationem vel donum Patris et Filii debemus intelligere in hoc loco Spiritum sanctum, de quo Dominus dicit in Evangelio mulieri Samaritanæ : *Si scires donum Dei* (*Joan.* iv), id est Spiritum sanctum, etc. Cum vero dicit : data est secundum mensuram donationis Christi, sic videntur verba hæc sonare, quasi Spiritus sanctus mensuram habeat et mensurabilis sit. Sed quomodo potest mensurabilis esse, de quo dicitur : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum?* Notandum ergo quia sicut Deus Pater immensurabilis est qui dicit, *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* xxiii) ; et Filius immensurabilis est, qui est sapientia Dei Patris quæ attingit a fine usque ad finem fortiter : ita Spiritus sanctus immensurabilis est : quia sunt tres personæ, ideoque hanc mensuram donationis ad nostram capacitatem referre debemus, quia juxta quod nos capere valemus, ex donis Spiritus sancti datur mensura. Verbi gratia : mare immensurabile est in longitudine, profunditate, latitudine sui et multitudine aquarum ; et sicut incolæ venientes ad illud, aquam secundum mensuram vasculorum suorum unusquisque deportat, alius plus, alius minus, et tamen mare immensurabile manet, ita et nos secundum mensuram nostræ capacitatis ex donis Spiritus sancti accipimus, et ipse in sua natura immensurabilis manet.

Propter quod, subaudis quia unicuique data gratia secundum mensuram donationis Christi, alii major, alii minor, dicit Psalmista : *Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem ; dedit dona hominibus.* Quidam doctor hoc modo hunc versiculum explanat, quod a veritate non discrepat, et appellat diabolum captivitatem : quia genus humanum de paradiso captivavit. Ascendens Christus in altum, id

est in crucem, juxta quod et ipse ait : *Cum exaltaveritis Filium hominis* (*Joan.* VIII), etc., tunc captivitatem, id est diabolum duxit captivum, et captivavit illum auferendo ab illo potestatem quam tenebat in hoc mundo, juxta illud : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII). Sed quid fecit postmodum? Tertia die resurgens, dona Spiritus sancti dedit discipulis insufflans, et dicens : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XXIX). Aliter : Ascendens Christus in altum, id est in cœlum quadragesimo die resurrectionis suæ, captivam duxit captivitatem, quando naturam humanam quæ de paradiso fuerat a diabolo captivata, ipse iterum captivavit de potestate diaboli abstrahendo illam, et ad cœlestia revocando, ac postmodum decimo die ascensionis suæ dedit dona sancti Spiritus discipulis. Quæri autem potest cum superius dixerit singulari numero, Data est gratia secundum mensuram donationis suæ, quare modo dicat plurali numero : Dedit dona hominibus? Ad quod dicendum, quia licet Spiritus sanctus singulari numero donum vel donatio appelletur, tamen secundum qualitatem meritorum tribuuntur dona ejusdem Spiritus sancti ; unde Apostolus (*I Cor.* XII) : *Alii* (inquit), *datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ*, etc., usque dum subjungit : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Quod autem ascendit, quid est nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Interrogabat Apostolus semetipsum, et dixit : Quid est quod dixi, ascendit? Quomodo potest Deus ascendere, qui ubique est? Certe nihil est aliud nisi quia et descendit. Et primum descendit in inferiores partes terræ ad infernum, ac deinde in cœlum ascendit. Ergo non secundum divinitatem, quæ omnia implet, ascendit ipse neque descendit : sed secundum humanitatem. In anima quidem sola descendit ad infernum, et iterum in corpore et anima ascendit super omnes cœlos. Notandum quia per hoc quod dicit : Descendit ad inferiores partes terræ, ostendit infernum infra terram esse : unde dicitur infernus, quod sit inferior terra, vel infra terram.

Qui descendit, subaudis ad inferiores partes terræ, *ipse est et qui ascendit super omnes cœlos* id est Christus, *ut adimpleret omnia*, id est oracula legis et prophetarum quæ de se erant scripta ; vel omnia, id est quasdam dispensationes, quas ipse cum Patre disposuerat, et quas ipse solus cum illo sciebat. Vel etiam ut impleret omnia cœlestia et terrestria de sua cognitione et revelatione divinitatis suæ, quæ omnia ante illius adventum quasi vacua erant ad comparationem illam, quam postmodum de ejus divinitate cognoverunt. Cœlestia impleta sunt, quia erant quædam angelicæ potestates, quæ mysteria nativitatis Christi, passionis et resurrectionis, ascensionisque ad cœlos, ad liquidum non cognoverunt, quousque impleta sunt. Unde admirando dicitur in psalmo : *Quis est iste rex gloriæ?* Terrestria quoque implevit, quia in hominibus qui Deum ignorabant, suam cognitionem dedit, suaque gratia illos implevit.

Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, ut fuerunt duodecim, et septuaginta duo discipuli, *quosdam prophetas*, ut Agabus et alii Antiocheni, et quatuor filiæ Philippi, *alios vero evangelistas*, ut fuit Lucas et Marcus, Joannes quoque et Matthæus, qui et apostoli fuerunt, *alios autem pastores et doctores ad consummationem*, id est ad perfectionem *sanctorum*, ut illi, qui prædestinati sunt ad gloriam æternam, illorum prædicatione et exemplis perficerentur. Fuerunt in primordio fidei, evangelistæ, prophetæ, pastores quoque et doctores : sunt et modo in Ecclesia. Quicunque bona annuntiat, evangelista est ; quicunque gaudia electorum, pœnasque reproborum suis auditoribus annuntiat, propheta est. De nomine vero pastorum et doctorum interrogatus beatus Augustinus a Paulino, respondit unum esse pastorem et doctorem. Pastor enim non potest esse, nisi habeat doctrinam qua pascat gregem sibi commissum. Quia si caruerit doctrina, licet nomen habeat pastoris, caret tamen officio. Pastores autem et doctores Ecclesiæ, quod unum est, sunt episcopi, presbyteri, aliique rectores et ministri Ecclesiæ, qui tandiu constituti sunt *in opus ministerii et in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in virum perfectum, et in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei.* Ideo constituti sunt pastores et doctores ut corpus Christi ædificent, quod est Ecclesia, quæ quotidie ædificatur ex numero credentium venientium ad fidem, ut habeamus vitam post resurrectionem, et omnes æqualiter Deum cognoscamus. In præsenti siquidem sæculo sicut est diversitas scientiæ, ita est diversa fides : quia alius plus, alius minus de Deo intelligit, et secundum quod intelligit et cognoscit de divinitate omnipotentis Dei, habet et fidem. Post resurrectionem autem jam non erit diversitas fidei, quia sicut omnes æqualiter Deum videbunt, ita æqualem fidem habebunt. Erit enim *Deus omnia in omnibus* (*Cor.* XV). *In virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ex superioribus ista pendent. Ipse (inquit) dedit pastores qui ædificent corpus illius, donec occurramus omnes post resurrectionem generalem in virum perfectum. Quidam hoc modo illud intelligunt, quod in generali resurrectione omnes in eadem ætate resurgent, in qua Christus resurrexit, cujuscunque etiam ætatis fuerint, et in nomine virorum comprehenduntur et mulieres. Quod dicit in virum perfectum, licet contra fidem non sit, tamen hoc melius est ut aliter intelligamus. Virum perfectum appellat Christum cum omni corpore suo, quod non erit perfectum quousque omnes electi compleantur. Completo autem numero electorum, occurremus omnes in virum perfectum, id est omnes electi occurrent capiti suo Christo, ut jam postmodum unus sit vir, Christus et Ecclesia, perfectus et integer. Et in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sicuti homo per ætates singulas crescit, donec perfectus sit vir, sic quotidie crescit utique ad diem judicii Christus, non in se, sed in nobis, qui sumus corpus ejus. Com-

pleta autem mensura ætatis, id est perfecto et integro numero electorum ex quibus plenitudo corporis impletur, obviabimus ei

Ut jam, id est post resurrectionem in qua Christus erit perfectus, *non simus*, subaudis sensu, *parvuli fluctuantes*, huc illucque vagantes, nunc ad illud vitium, nunc ad istud cadentes, *et circumferamur omni vento doctrinæ*. Quantum ad præsentem sapientiam pertinet, beatus apostolus non erat parvulus sensu, quia sapientior erat cunctis mortalibus; quantum vero ad illam perfectionem attinet sapientiæ, quam habituri sunt sancti post resurrectionem, parvulus erat sensu et intellectu imperfectus. Quod vero dicit, *Neque circumferamur omni vento doctrinæ*, ventum doctrinæ appellat dialecticam et sapientiam mundanam, quæ nullius utilitatis est, a qua circumferimur et pulsamur, quia plerumque seducimur per illam, putantes ea esse vera quæ sunt falsa. Et isti Ephesii dialectici erant, per quam seducebant simplices, facientes ea putare vera quæ erant falsa suis fictionibus et astutiis. Unde et sequitur : *In nequitia*, id est in malitia, *hominum et astutia* illorum circumvenimur *ad circumventionem erroris*. Dicit beatus Hieronymus : Quid prodest jugiter dialecticæ arti insistere, et syllabas iamborum componere in diversa carmina, ubi nulla veritas est, sed seductio et error hominum? In præsenti quidem sæculo potest illud esse, sed post resurrectionem cessabit.

Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Hæc verba Apostoli ex superioribus pendent. Nam loquitur ad Ephesios. *Deponite vos*, inquiens, *secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris*, ac deinde subdit : Renovamini autem spiritu mentis vestræ. Pristina conversatio peccatum est, et in peccatis manere : vetus autem homo conversatio veteris hominis Adæ. Quicunque enim in peccato manet conversationem veteris hominis habet. Qui homo, id est conversatio illa, corrumpitur et depravatur secundum desideria errorum et vitiorum. Renovamini igitur spiritu mentis vestræ. Spiritum et mentem, pro uno debemus accipere, secundum beatum Augustinum, id est pro rationabilitate mentis. Duæ sunt autem renovationes : una subitanea, quæ fit in baptismate, in qua renovamur ab omnibus peccatis originalibus et actualibus. Altera, quæ fit per spatium temporis, et per assiduitatem lectionis, et per operationem bonorum operum, de qua hic dicitur. Dum enim animus ea quotidie per studium lectionis de Deo intelligit quæ antea ignorabat, et dum proficit quotidie de virtute in virtutem, quotidie innovatur; tale est ergo ac si diceret : Estis renovati in baptismate, renovamini quotidie per studium lectionis, ea de Deo intelligendo quæ ante vos latebant, et crescendo de virtute in virtutem. Et induite novum hominem : novum hominem appellavit novi hominis conversationem vel ipsum Dominum Jesum. Videamus quomodo sit ipse novus homo et secundum Deum creatus. Conceptus est in utero virginali opere Spiritus sancti, ex semine mulieris, sine semine viri : hoc novum fuit, miracula fecit quæ nemo alius fecit, conversatus est sine peccato in hoc mundo, est verus Deus et verus homo, resurrexit a mortuis, et hæc omnia nova fuerunt et sunt. Secundum Deum creatus in justitia, quia justus est : et in sanctitate veritatis, quia justus et verus est : et non solum justus, sanctus et verus est, sed insuper ipsa justitia, ipsa veritas et sanctitas. Quod ergo dicit, Induite novum hominem, tale est ac si diceret : Induite Dominum Jesum Christum, id est conversationem novi hominis et omnes virtutes, quia intelligitis in Christo esse, quicunque enim assumit justitiam, sanctitatem, veritatem, sapientiam, charitatem, et omnes virtutes quas in Christo cognoscit esse, Christum utique induit.

Propter quod deponentes omne mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quia omne mendacium a diabolo est, qui est mendax et pater mendacii. Quicunque filii veritatis sunt, debent deponere et abjicere omne mendacium, dolositatem et duplicitatem, et loqui veritatem de animo puro cum omni homine, non solum Christiano, verum etiam pagano et hæretico : quia omnes sunt proximi nostri. Et quare debemus loqui veritatem cum proximo? *Quoniam sumus invicem membra*. Est autem Christus caput, membra illius sunt electi. Et sicut membra corporis nostri sunt sibi invicem necessaria, et sibi invicem ministrant, ita membra Christi debent sibi invicem ministrare quæ sunt necessaria; verbi gratia : necessarii sunt oculi manui ac pedi, et manus et pes oculo, ideoque ministrat oculus manui ac pedi lumen, manus autem abstergit illum et lavat a sordibus : sic in Ecclesia sancta prædicator quilibet ministrare debet lumen scientiæ et prædicationis aliis, quæ sunt manus et pedes, id est qui sunt eleemosynarii, et qui currunt ad sepeliendum mortuum, et qui activæ vitæ sunt dediti. Econtra autem illi debent de sua substantia sustentare oculum, id est prædicatorem, præbentes ei cibum et potum, et ministrantes cætera quæ necessaria sunt illi : hoc faciendo, erunt sibi invicem membra. Sequitur :

Irascimini et nolite peccare. Dupliciter possumus hoc intelligere : Si quando peccatis, et a via rectitudinis diabolo suadente receditis, irascimini vobismetipsis et indignamini, ne talia amplius faciatis, castigando corpus vestrum vigiliis et jejuniis. Aliter : etsi, inquit, irascimini, nolite perficere. Permittit quidem irasci, quod humanum est; sed prohibet vindictam expetere, quod jam non est humanum, quia *Ira viri justitiam Dei non operatur* (*Jac.* I). *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Similiter et hoc duplici modo potest intelligi : Dicamus simpliciter, Sol non occidat super iracundiam vestram, id est, si commoti fueritis ad tempus adversus proximum, ante solis occasum reconciliamini,

et recedat ira a vobis. Aliter : Sol appellatur Christus in Scripturis sacris, ut ibi : *Vobis timentibus nomen meum, orietur Sol justitiæ* (*Malac.* IV). Qui sol justitiæ plerumque propter iram quæ vindictam expetit et propter discordiam occidit nobis, id est recedit a nobis, sicut occidit falsis prophetis, de quibus dicitur : *Occidit sol* eis *cum adhuc esset* media *dies* (*Jer.* XV). Sol non occidat super iracundiam vestram, id est, cavete ne propter vestram iram et propter vestrum peccatum recedat sol justitiæ, id est Christus, a vobis.

Nolite locum dare diabolo, id est, nolite vindictam expetere, neque irasci ultra modum, ne recedat sol a vobis Christus, adveniatque diabolus princeps tenebrarum. Quandocunque enim peccamus, locum damus diabolo in nobis.

Qui furabatur bona aliorum, *jam non furetur*, vel qui furabatur verba et doctrinam Evangelii per hæreticam pravitatem, sicut falsi prophetæ de quibus dicitur : Qui furabantur sibi verba, dicentes : Hæc dicit Dominus, cum Dominus non miserit eos, jam non furetur, sed recedat ab errore suo. *Magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti*. Ille qui antea furabatur, non solum debet a furto cessare, sed debet operari manibus suis, ut habeat unde sustentet alios, inopiam patientes.

Nolite contristare Spiritum sanctum Dei in vobis, in quo signati et sigillati *estis*, et designati *Deo in die redemptionis*, hoc est, Nolite per mala opera Spiritum sanctum fugare a vobis, qui habitator esse cœpit vestri in die redemptionis, id est in die baptismatis. Sicut enim contristatur homo quando de propria domo expellitur quam ipse sibi ædificavit ut quiete ibi habitaret, sic Spiritus sanctus contristari dicitur, quando de homine quem sibi mundavit in baptismate, per prava opera ejicitur. Aliter : Nolite constristare Spiritum sanctum Dei, id est spiritales homines, in quibus Spiritus sanctus habitat, nolite contristare per vestra mala opera. Siquidem spiritales viri, si quando vident alios peccare, et a via rectitudinis deviare, contristantur de illorum miseria, et condolent de aliis utpote de se.

CAPUT V.

Estote imitatores Dei sicut filii charissimi. Hortatur Apostolus Ephesios ut sint imitatores Dei, sicut filii charissimi. Imitari autem est sequi. Imitatio autem est quædam imaginatio ; verbi gratia, quando discipulus conatur imitari magistrum in aliquo opere. Quomodo ergo possumus imitari Deum omnipotentem ? Videamus. Est ille sapiens, prudens, misericors, justus et verus : simus et nos secundum modulum nostræ capacitatis sapientes, prudentes, simus justi et veraces et misericordes, diligentes amicos in Deo, et inimicos propter Deum. Sicut, inquit, filius charissimus imitatur patrem bonum in omni conversatione morum et lenitate mentis atque honestate vitæ, ita et vos imitamini Patrem vestrum

A Deum omnipotentem, secundum quod ipse vobis adjutorium bonæ voluntatis et operationis præstiterit. Patrem autem dico non per naturam, sed per adoptionem. Sequitur :

Et ambulate, id est vivite, conversamini et crescite, *in dilectione* Dei et proximi, *sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Magna et miranda et inenarrabilis dilectio ut unicus Filius Dei semetipsum traderet morti, Dominus pro servis, Creator pro creatura. Sicut ergo ille pro nobis animam suam posuit, ita et nos, si necessitas fuerit, pro ejus nomine animas ponere debemus : et non solum pro nomine ejus, sed etiam pro fratribus nostris, propter amorem nominis ejus. Quod vero dicit

B Apostolus, qui se tradidit in odorem suavitatis, licet legamus in Genesi (*Gen.* VIII), quod odoratus est Dominus odorem suavitatis in sacrificio, quod ei obtulit Noe egressus de arca, non debemus putare quod omnipotens Deus, qui spiritus est, fumo et odore carnalium delectetur, sed odorem suavitatis debemus intelligere intentionem bonæ voluntatis et affectum mentis, quibus Deus delectatur : ita et in hoc loco Apostolus intentionem mentis et affectum sincerissimæ dilectionis qua Dei Filius nos dilexit, odorem suavitatis appellat : quia multum in his delectatus est Deus Pater, et quasi multa aromata in conspectu ejus efferbuerunt. Ipse denique fuit oblatio, et hostia, ipse sacerdos et sacrificator, qui semetipsum obtulit Deo Patri in altare crucis pro nobis.

C *Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Fornicatio dicitur a fornicibus, id est, a locis lupanaribus et theatralibus, quæ fornicibus, id est, arcubus sunt constructa, quæ et arenaria appellantur, in quibus erant meretrices, cum quibus miscebantur spurcissimi quique. Fornicari autem est cum puellis liberis et cum viduis necdum Deo sacratis. Immunditia omnis incontinentia ad libidinem pertinens, quocunque modo fiat immunditia et impudicitia atque luxuria appellari potest. Avaritia in hoc loco dupliciter potest intelligi : potest siquidem pro amore pecuniarum accipi, potest et pro adulterio quod et alibi ab Apostolo negotium appellatur, ubi dicit viris et uxoribus : *Nolite fraudare invicem* (*I Cor.* VII),

D *neque circumveniat* aliquis *in negotio*, id est in adulterio, *fratrem suum* (*I Thess.* IV). Præcepit autem Apostolus ut ista quæ diximus, non solum non sint in nobis, sed nec nominentur, quia si fuerint, nominabuntur. Si vero sæpius nominata fuerint nisi pro ædificatione, facilius declinabit animus ad ea. *Corrumpunt* enim *mores bonos colloquia mala*. Estote autem sicut decet sanctos. Quid decet sanctos ? Honestatem morum servare, virtutes appetere, vitia cavere. *Aut turpitudo*. Turpitudo est quando nimis motus carnis nostræ inflammantur ad libidinem, sed plerumque propter mortem Dei, et timorem pœnarum refrenantur. *Aut stultiloquium*. Stultiloquium est otiosus sermo et nullius utilitatis, quando reli-

ctis proficuis et utilibus rebus, de inanibus et inutilibus tractatur. *Aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.* Scurrilitas est jocularitas, quæ risum solet movere. Hoc autem distat inter stultiloquium et scurrilitatem, quod stultiloquium nullius utilitatis est nihilque in se sapientiæ habet : scurrilitas vero plerumque ab ore sapientium procedit, et constat quadam urbanitate, ut illud Virgilii :

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi :
Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos ;

cæteraque talia quæ nihil in se mali habent, nisi tantummodo quia otiosa sunt, et ad rem perfectam non pertinent, sed magis sunt gratiarum actio, id est ideo proferuntur scurrilitates, ut graves apud auditores prolatio sit. Ideoque præcipit Apostolus ea cavere, quia de omnibus verbis otiosis redditurí sunt homines rationem. Potest et hoc aliter intelligi quod dicit, sed magis gratiarum actio. Non sint in vobis ista quæ diximus, sed nec nominentur, sed sit in vobis magis gratiarum actio, ut gratias Deo referentes in omnibus quæ agitis et quæ habetis, vel sitis vos gratiosi et accepti Deo et hominibus.

Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. Superius jam diximus de his vitiis, nunc videamus quare dicat avaritiam simulacrorum servitutem. In hoc ergo dicitur esse avaritia simulacrorum servitus, quia sicut ille servit diabolo, qui omnipotentis Dei culturam et religionem quæ illi soli convenit, et singulare nomen ut solus Deus vocetur, quantum in se est illi aufert et dæmonibus impendit, ita et ille servit diabolo, qui omnipotentis Dei communia, quæ omnibus hominibus communiter data sunt, in proprios sibi usus male usurpat. Aliter : recte etiam avaritia idololatriæ comparatur, quia dum metallis auri et argenti, de quibus simulacra fiunt, homines immoderate serviunt, et denarios constituunt, in quibus imagines fiunt imperatorum, aurum et argentum pro Deo venerantur, quia servi sunt divitiarum. Vel tertio modo, avaritiam idololatriæ ideo comparavit, ut nihil illa scelestius demonstraret. Radix enim omnium malorum est avaritia. Et notandum quia loquens de turpitudine, stultiloquio et scurrilitate, non subjungit quod talia facientes possessuri non essent regnum Christi, sicut de fornicatione, immunditia et avaritia. Quo facto ostendit quidem illa esse peccatum, ista vero magis, eo quod separant a regno Christi. Regnum autem Christi et Dei Patris dixit quia sicut una est substantia Patris et Filii et Spiritus sancti, ita est una potestas, una trinitas, unum regnum.

Nemo vos seducat inanibus verbis. Inania verba loquuntur, id est, quæ nullius utilitatis sunt, qui dicunt apud inferos aliam pœnam non sustineri, nisi conscientia propria torqueri, non attendentes quod dicit Isaias in fine sui voluminis de reprobis : *Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur.* (*Isa.* v). Erit enim ibi pœna intra suam conscientiam qua torquebuntur graviter, erit et extrinsecus vermis et ignis a quibus cruciabuntur durissime. Inania enim verba et seductoria loquuntur, qui dicunt : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI): et si mala opera agat, quod omnino mendacissimum est. *Propter hæc enim*, id est propter fornicationem, immunditiam et avaritiam, *venit ira Dei in filios diffidentiæ,* sive diaboli, id est in illos qui perierunt in diluvio et postmodum in Sodomis aliisque civitatibus. Illi quidem qui in diluvio perierunt, propterea perierunt quia contra præceptum Domini plures uxores acceperunt, et carnes comederunt. Leviori pœna quodammodo perierunt quam Sodomitæ, qui in igne succensi sunt, quia non plures uxores acceperunt, sed insuper contra naturalem usum fornicabantur. Diabolus autem diffidentia appellatur, quia homines diffidere et in desperationem cadere facit.

Nolite ergo effici participes, id est, nolite illos imitari, quia si fueritis socii in opere, eritis et in pœna.

Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* v), id est eratis peccatores et ignorantes Deum antequam ad fidem veniretis, et filii diaboli principis tenebrarum ; modo estis justificati per fidem, per baptismum, et Filii Dei per adoptionem, qui dixit : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII). Quapropter *ut filii lucis ambulate,* hoc est ut filii vitæ, et conversamini sancte et immaculate, ambulantes *de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXIII). Quanta distantia est inter lucem et tenebras, tanta distantia est inter lumen fidei et cognitionis Dei, bonorumque operum, et inter tenebras infidelitatis et ignorantiæ atque peccati.

Fructus enim lucis, id est operatio bonæ conversationis et fidei, *in omni bonitate, et justitia, et veritate* vivere, ut qui fidem habet, lumenque cognitionis Dei, omnia bona opera sectetur, juste vivat, vera loquatur ad proximum, attendens quod Apostolus subdit : *Probantes quid sit beneplacitum Deo.* Sicut trapezita, id est monetarius, probat metalla, pondere, puritate et tinnitu, ita debemus nos opera nostra probare. Debemus illa probare pondere, considerantes quanta et quam magna sint. Puritate, utrum puro et simplici animo, bonaque intentione fiant : tinnitu, utrum bonam famam de se reddant.

Omnia, subaudis opera, *quæ arguuntur*, id est quæ reprehenduntur a bonis et sanctis hominibus in malis ; *a lumine*, id est ab illis qui filii lucis sunt, *manifestantur,* non esse bona. Quandiu enim mala opera non reprehenduntur a bonis, videntur esse bona malis : cum vero boni cœperint ea reprehendere, ostenduntur non esse bona. *Omne enim quod manifestatur lumen est,* id est omne malum opus quod manifestatur per confessionem sive per pœnitentiam, lumen est. Lumen jam incipit esse, quia bonum est ut peccata per confessionem et pœnitentiam manifestentur.

Propter quod dicit : Quis est qui dicit? dicit

beatus Hieronymus, quia neque in Veteri Testamento, neque in Evangelio iste versiculus inveniri potest, nisi tantummodo in isto loco, nisi et ab hoc loco exempli causa sit alibi positus a doctoribus. Sic cum dictaret Apostolus hanc Epistolam, subito Spiritus per eum locutus est hoc, sicut et alia multa, ideoque ait: *Propter quod*, id est quia omne quod manifestatur per confessionem, jam incipit lumen esse, dicit Spiritus sanctus, subaudis per me. *Surge, qui dormis et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Dormire dicitur et mortuus esse qui in peccato jacet, quia anima quæ peccaverit ipsa morietur. Surge de vitiis ad virtutes, qui dormis modo in peccatis, exsurge a mortuis ad vitam, de peccato ad bona opera, et præbebit tibi Christus lumen fidei et cognitionis suæ, lumenque bonæ operationis.

Fratres, videte quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes. Alloquitur Apostolus Ephesios, et in illis omnes homines, hortaturque ut caute et considerate vivant sicut sapientes, et non sicut insipientes. Fratres autem illos vocat in fide et in societate dilectionis, quia unum Patrem omnipotentem Deum omnes habemus: non per naturam sed per adoptionem. Videte, fratres, id est considerate quomodo caute ambuletis et ordinate vivatis et conversamini in medio nationis pravæ et perversæ, non quasi insipientes, id est infideles qui non habent sapientiam veram in se Christum habitantem, sed ut sapientes fideles qui sapientiam substantialem in vobis habetis. Quanta enim distantia est inter lumen et tenebras, inter fidelem et infidelem, tanta differentia est inter sapientem et insipientem, quia lumen et sapientia non potest esse in eo, nisi fidem omnipotentis Dei habeat.

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Quomodo tempus malum: quod secundum dispositionem Dei semper volvitur mensibus, diebus et noctibus, horis, momentisque currentibus? Sicut enim dicitur mala esse domus, quæ malos habitatores habet: ita dicuntur mali dies, in quibus mala fiunt a malis hominibus. Quid est quod dicit, *redimentes tempus?* Id est, vestrum illud facite; verbi gratia: alii vendunt illud, mala operando ad malum suum, vos redimite illud a vobis, talia opera faciendo, pro quibus remunerationem capiatis Quicunque enim hoc facit quod sibi utile est, tempus redimit sibi et acquirit, quia suum illud facit, et in suam salutem illud occupat.

Propterea, subaudis quia dies mali sunt, *nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* Prudens dicitur quasi porro videns, qui a longe considerat quem finem sua opera habitura sint: et qui scit quid debeat appetere, et quid vitare; et qui considerat quæ placeant, aut quæ displiceant Deo. Econtra ille qui inconsiderate et improvide omnia agit et qui non considerat ad quem finem opera sua deducat, et quid placeat voluntati Dei, appellatur imprudens et stultus. Unde dicit Apostolus: *Pro-* A *pterea*, inquiens, quia dies mali sunt, in quibus multa mala fiunt, *nolite fieri imprudentes*, sive non considerantes, *sed* estote *intelligentes quæ sit voluntas Dei*, id est quid placeat Deo, et in quibus operibus voluntas Dei impleatur.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed impleamini Spiritu sancto. Per luxuriam debemus intelligere omnia vitia quæ per ebrietatem solent evenire, quia, ut quidam doctor dicit, ebrietas nullum vitium excusat. Sed notandum quia sicut illi qui replentur vino, replentur inverecundia, impatientia, luxuria, impudicitia, superbia, cæterisque vitiis: ita illi qui replentur Spiritu sancto, replentur castitate, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus, *loquentes vobismetipsis in psalmis* B *et hymnis et canticis spiritualibus.* Nobismetipsis in psalmis loquimur, quando alternatim canimus psalmos. Psalmi dicuntur a psallendo, qui in psalmis, id est in psalterio inveniuntur. Hymnus Græce, Latine eloquio sonat laus Dei. Hymnus autem si componitur et non cantatur, non est hymnus: si componitur et cantatur, sed non in laudem Dei, non est hymnus. Hymnos autem Latinos, Ambrosius et Hilarius, clarissimi viri, composuerunt præcipue. Bene autem, cum dixit *canticis*, subjunxit *spiritualibus*, quia sunt cantica quæ non sunt spiritalia neque in laudem Dei cantantur, sicut sunt cantica sæcularium hominum. Cantica autem spiritalia sunt quæ composuerunt prophetæ afflati Spiritu sancto et repleti, ut sunt cantica Moysi et Annæ et Debboræ, et Isaiæ, et C Ezechiæ, cæterorumque prophetarum. Hoc vero distat inter canticum et psalmum, quia canticum ore solummodo profertur et decantatur; psalmus autem, addito quodam instrumento musicæ artis, id est psalterio. *Cantantes* et *psallentes in cordibus vestris Domino.* Ideo dixit *in cordibus vestris*, quia multi sunt qui cantant ore, quorum mens non concordat voci, et qui magis attendunt ad sonoritatem vocis, ut auditoribus placeant, quam considerent mente quid dicunt. Illi vero cantant in corde, quorum mens concordat voci, juxta illud beati Benedicti: Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ, *gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christo Deo et Patri.* Pro omnibus beneficiis nobis a Deo datis, vel pro omnibus D prosperis et adversis debemus gratias agere Deo Patri, qui omnibus creaturis est Deus Pater, id est creator et factor. Et quomodo? In nomine Domini nostri Jesu Christi, dicentes ei: Gratias tibi referimus, Domine, sancte Pater, qui nos per Filium tuum fecisti et redemisti, et viam patriæ cœlestis aperuisti. Et ideo in nomine Domini nostri Jesu Christi gratias referre debemus Deo et Patri, quia per illum qui mediator est noster, preces et sacrificia offerimus nostra, et transmittimus ad Deum Patrem, dicentes: Suscipe, Domine, preces populi tui per Dominum nostrum Jesum Christum.

Subjecti invicem in timore Christi. Sicut auditores et subjecti suis prælatis subditi sunt causa obedie n

tiæ et reverentiæ, sic debent etiam prælati humiliare se erga subjectos, inquantum vident illos æquales sibi in virtutibus et vitæ meritis: inquantum autem vident illos erigi in superbiam contra se, et vitia sectari, debent officium suæ præpositure ostendere, et fortiter redarguere et increpare, quod probari potest ex factis apostoli Petri. Qui cum vidisset Cornelium centurionem cum omni domo sua humiliter se velle adorare, econtra ille humiliavit se illi, dicens: *Surge, nam et ego homo sum* (*Act.* x). Ubi autem vidit Ananiam et Saphiram a via veritatis recedere, et vitiis subjacere, potentiam sui officii et præpositure ostendit, solo verbo illos interficiens (*Act.* v). Sed ista omnia in timore Christi sunt agenda, id est pro amore Dei, non causa adulationis, nec patrocinationis, quod quidam faciunt ut possint invenire gratiam prælati, et ut liberius quæ eos delectant operentur.

Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret. Sicut Christus dilexit sponsam suam Ecclesiam, intantum ut seipsum traderet Judæis pro ea ut eam sanctificaret, id est, ut sanctam faceret per fidem suam, per baptismi sacramentum, per remissionem peccatorum, ita et vir debet uxorem suam diligere, et castam custodire, ut sit sancta: et si necessitas evenerit, debet pro illa animam suam ponere. Sequitur ergo de Ecclesia, *mundans* eam *lavacro aquæ*, id est lavacro baptismatis, *in verbo vitæ*, id est in sanctificatione sui nominis, per quam sanctificationem accepit homo vitam æternam. Post abrenuntiationem enim diaboli, sanctificat illum sacerdos, dicens: *Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Et quare hoc fecit Christus? Quare mundavit, et quare quotidie mundat in lavacro baptismi per invocationem sui nominis! *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem* peccati *maculam aut rugam* duplicitatis mente, *aut aliquid hujusmodi*, id est aliquid vitii, *sed ut sit sancta et immaculata.* In præsenti quidem sæculo, una modo potest dici et esse Ecclesia gloriosa, videlicet quia reges et principes hujus sæculi habet subjectos, et continet in se diversos ordines et gradus, tamen sine macula peccati et ruga non potest esse, quia multi sunt in ea pœnitentes. *Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*Joan.* I), etc. *Non est homo super terram, qui faciat bonum, et non peccet* (*III Reg.* VIII). Quapropter melius est ut referamus hæc verba ad generalem resurrectionem, quando erit gloriosa, quia fulgebit sicut sol in regno Patris sui, et erit sine macula peccati, et sine ruga duplicitatis: quia incorruptibilis erit in corpore, et incommutabilis in anima. Per hoc etiam quod dicit sine macula et ruga, ostendit etiam Ecclesiam vestimentum esse Christi, juxta quod ei Pater dicit per prophetam: *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut vestimento vestieris* (*Isa.* XLIX). Vestimentum enim quoddam solet habere maculas et quasdam notas ex aliqua tinctione, et solet esse rugatum, id est plicatum et duplicatum per loca. Est et aliud vestimentum, quod neque maculam neque rugam habet, ut est linteum bene extensum. Post resurrectionem siquidem Ecclesia sine macula est et ruga, quia erit sine peccato, et extensa in contemplatione omnipotentis Dei sicut linteum.

Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. Hoc dupliciter potest intelligi, ut sit sensus: Sicut carnem suam odio nemo habet, sic etiam suam uxorem nemo debet odio habere, quia de corpore ejus facta est. Aliter: carnem posuit hic pro uxore, quæ est ex viri corpore sumpta. Nemo enim carnem suam odio habuit, id est nemo uxorem suam odio debet habere: sed debet illam *nutrire et fovere, sicut Christus* tam corporaliter quam spiritualiter fovet et nutrit *Ecclesiam. Membra* enim *sumus corporis ejus.* Sicut generaliter omnis Ecclesia corpus est Christi, ita singuli electorum membra sunt corporis ejus, id est membra Ecclesiæ. Non illius corporis membra sumus quod ipse assumpsit in utero virginali, sed membra Ecclesiæ quæ est corpus ejus. Alius est enim in Ecclesia oculus, sicut quilibet prædicator: alius auris, ut bonus auditor: alius manus, qui est eleemosynator: alius pes, qui curam infirmorum et mortuorum gerit: De *carne ejus et de ossibus ejus* sumus nos. Duplici intelligentia accipi potest. De carne et ossibus ejus sumus, quia sicut nos constamus ex carne et ossibus, ita et ille verum corpus habet ex carne et ossibus. Aliter: in Ecclesia sunt fortes in fide, in opere, in prædicatione, qui designantur per ossa, ut fuerunt apostoli, martyres, et modo episcopi et prælati; et sunt infirmi, qui designantur per carnem, qui indigent sustentari a fortibus, sicut caro ab ossibus. Qui fortes et infirmi sicuti membra ejus dicuntur, ita etiam recte ossa et caro illius appellantur.

Propter hoc, id est, propter hanc dilectionem quam debet habere vir cum uxore, *relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Quantum ad litteram pertinet, ita fit: Relinquit homo patrem et matrem et conjungit se suæ uxori, et sunt duo in carne una, id est de una carne. Vel etiam relinquit in illa conjunctione concubitus, quando simul miscentur, in carne una sunt: spiritualiter autem potest referri ad Christum et ad Ecclesiam, qui propter Ecclesiæ dilectionem reliquit Deum Patrem, per hoc quod non in forma divinitatis, quæ æqualis est Patri, apparuit, sed semetipsum exinanivit, et adhæsit uxori suæ sanctæ Ecclesiæ dilectione, et carne quam assumpsit, et sunt modo duo Christus et Ecclesia in carne una: quia de una carne sunt, et Christus verus est homo, per se verum corpus hominis, et Ecclesia similiter. Hæc autem primo vates Adam de Christo et Ecclesia prophetavit.

Sacramentum hoc, subaudis quod dixi modo, *magnum est.* Sunt sacramenta majora, sunt et minora. Ut ergo Apostolus ostenderet tam secundum litteram, quam secundum spiritualem sensum, hæc debere intelligi, ideo subjunxit: *Sacramentum* sive

mysterium *hoc* quod ego dixi, propter quod relinquit homo patrem et matrem, etc., *magnum est*, quia pertinet ad Christum et ad Ecclesiam : unde etiam subdit : *Ego autem dico in Christo et in Ecclesia*, subaudis id esse completum.

CAPUT VI.

Fratres, de cætero confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus. Post specialia præcepta quibus admonuit Apostolus viros et mulieres, patres et filios, dominos et servos, subjunxit illis ista generalia non solum ad Ephesios, quibus mittebat hanc Epistolam, sed ad omnem sexum et ad omnem conditionem et dixit : De cætero, id est deinceps, et præter illa quæ superius diximus, fratres mei in fide et dilectione, et qui unum Deum omnipotentem habemus, *confortamini in Domino*, et in fide illius, *et in potentia virtutis ejus*. Nolite confidere in vestra fortitudine, neque in meritis vestris, neque in potentia principum hujus sæculi, sed *in Domino et in potentia virtutis ejus confortamini*.

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. In hoc nomine quod est armatura comprehenduntur omnia vasa bellica, lorica videlicet, galea, scutum, lancea, tela, cæteraque instrumenta armorum ; spiritaliter autem quod debemus intelligere per armaturam Dei ? Dominum Jesum Christum cujus protectione defenduntur omnes electi, et quam induunt, juxta quod idem Apostolus alias dixit : Quotquot in Christo *baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III). Tunc enim induunt electi Christum, quando virtutes quæ in Christo sunt, per adjutorium illius assumunt. Quod ergo dicit : *Induite armaturam Dei*, tale est ac si diceret : Induite Dominum Jesum Christum, id est omnes virtutes quas scitis in illo esse, in vobis assumite, verbi gratia : Et ille justus, verus, patiens, castus, mansuetus, appellatus est agnus, et leo, et vitulus : induit vos justitiam, veritatem, patientiam, charitatem, castitatem, mansuetudinem : estote agnus, id est mites : leo, fortes in fide et bono opere contra diabolum : estote et vitulus, mortificantes vosmetipsos cum vitiis et concupiscentiis, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Multis modis insidiatur nobis diabolus. Denique insidiatur nobis per malas suggestiones, insidiatur per vitia carnis nostræ et incentiva malarum delectationum : insidiatur per ministros suos, per hæreticos videlicet et falsos fratres, atque paganos : sed contra hos omnes debemus nos viriliter pugnare, ne possimus superari. Poterat aliquis dicere : O Paule, quare præcipis nos omnem armaturam Dei induere ? Ad hæc ille subjunxit, quia nobis, inquiens, *non est colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*. Carnem et sanguinem appellat in isto loco Apostolus omnes qui constant ex carne et sanguine a quibus plerumque, suadente diabolo, impugnantur, et dicit : Quia non est nobis colluctatio adversus illos solummodo, sed adversus dæmones qui principantur malis hominibus, et potestatem exercent super illos, regunt illos potius ad malum quam ad bonum, ipsique appellantur spiritalia, subaudis dæmonia. Nequitiæ, hoc est malitiæ, qui morantur in hoc aere. Cœli nomine appellatur aer in Scripturis sanctis, unde et aves cœli dicuntur. Qui, ut prophetæ dixerunt et ut doctores etiam nostri opinantur, ita plenus est dæmonibus et malignis spiritibus, sicuti radius solis minutissimus atomis, id est pulvisculis individuis. Contra hos ergo pugnandum est nobis potius quam contra homines constantes ex carne et sanguine, quia quidquid mali contra nos homines machinantur, ab illis suggeritur, et si superavimus illos qui sunt principes militiæ, et quorum instinctu vitia carnis nostræ contra nos sæviunt, tunc facile superare poterimus omnes ministros illius, verbi gratia, sicut superato principe, exercitus facile fugatur. Quod probari potest ex libro Judith, quo narrante, dicimus quia Holoferne principe militiæ interempto, multitudo exercituum in fugam versa est, et a Judæis facillime est superata (*Judith* X). Sed quærendum est quomodo pugnare possumus contra dæmones, qui spiritus sunt ? Nonne omnibus patet contra spiritum armis materialibus non posse pugnare, quia spiritus sunt invisibiles ? Quapropter necesse est ut arma spiritalia formentur, videlicet supra memorata, et decertemus eo modo quo legimus (*Gen.* XXXI) luctatum esse Jacob cum angelo, orando, jejunando, vigilando, cæterisque bonis operibus insistendo, ut sicut ille meruit ab angelo sancto benedici, cum quo luctabatur orando, ita et nos, superato diabolo, a Domino benedici mereamur. Cæterum quæri potest, ubi acceperit Apostolus, ut dæmones et malignos spiritus principes et potestates ac rectores tenebrarum harum, id est hominum infidelium appellaret, Deum ignorantium et peccatorum, de quorum numero fuerant illi quibus quondam dicebat : *Fuistis aliquando tenebræ* (*Ephes.* V), id est infideles et peccatores, Deum ignorantes ? Ad quod dicendum, quia ex libro Danielis illud accepit, ubi legitur : Principes Græcorum et principes Persarum (*Dan.* X); ex libro quoque Ezechielis ubi dicitur ad principem Tyri : *Tu signaculum similitudinis in paradiso Dei fuisti* (*Ezech.* XXVIII) : et cætera quæ ibi dicuntur de hoc et de principibus aliarum gentium, Ægyptiorum videlicet, Assyriorum, Idumæorum. Nam principes illi, id est dæmones, intelliguntur illis gentibus præpositi. Sicut enim unusquisque fidelium habet sibi angelum delegatum ad custodiam sui : ita et pagani habent malos qui eis principantur permissione Dei, et sicut Michael præpositus est genti Judæorum vel Christianorum, de quo dicitur : *Et nemo est adjutor meus nisi Michael princeps vester* (*Dan.* X) : ita habent et gentes in infidelitate manentes malos principes. Dicamus et altius : Apostolus repletus gratia Dei cognovit per Spiritum sanctum, quia sicut boni reges Israelitarum signifi-

cabant Dominum Jesum et principes qui sunt in Ecclesia, verbi gratia, qualis fuit David qui interpretatur manu fortis sive desiderabilis, aliique quamplurimi : et sicut populus Israel significabat populum credentium qui sunt veri Israelitæ, ita mali reges et principes cum suis gentibus, qui contra populum Dei pugnabant, ut fuerunt reges Ismaelitarum, Assyriorum, et Idumæorum, et Philisthinorum, significabant dæmones, qui principantur paganis et hæreticis, qui Ecclesiam Dei semper impugnant.

Propterea, subaudis quia *non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes; accipite armaturam Dei*, illam quam supra diximus, id est, omnes virtutes, *ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare*, id est : in omnibus prosperis et adversis perseverate firmi in fide bonisque operibus. Diem malum appellat præsens tempus, non quod per se sit malum, sed quia multa mala in eo fiant. Vel etiam diem malum dicit, diem judicii, in quo omnes mali damnabuntur.

State ergo succincti lumbos vestros in veritatem. Lumbos succingimus, cum luxuriam refrenamus. State, inquit, in fide, in bono opere, et restringite lumbos a luxuria, ubi maxime viget et hoc in veritate facite, non in mendacio, neque per hypocrisim, neque ut laudem hominum capiatis ; vel in veritate dicit, quasi pro amore nominis Christi, qui est veritas. *Induti loricam justitiæ.* Recte justitia loricæ comparatur, quia sicut lorica multis circulis contexitur, ita justitia multis virtutibus constat. Aliter : justitia etenim loricæ potest comparari, quia sicut lorica pectus munit, ventrem stringit, femora protegit, ita justitia superfluas cogitationes quæ in pectore versari solent, repellit, ingluviem ventris stringit, luxuriam quoque comprimit.

Et calceati pedes, subaudis sint vobis, *in præparationem Evangelii pacis* : et est sensus : Sicut ille qui calceatos habet pedes, serpentes spernit, spinasque omnemque asperitatem vitæ pro nihilo ducit, ita et vos diabolum serpentem antiquum, spinas quoque, id est punctiones passionum, omnemque asperitatem vitæ hujus contemnite, et liberi ad prædicationem Evangelii incedite. Aliter : per calceamenta quæ ex mortuis animalibus fiunt, debemus intelligere dicta et exempla sanctorum patrum præcedentium. Calceatos ergo pedes habemus, cum dictis et exemplis præcedentium patrum muniti, securi ad prædicandum Evangelium pacis accedimus. Evangelium autem pacis dicitur, quia ibi continetur pax quam Christus apostolis commendavit, et in apostolis omnibus fide-

A libus : vel etiam quia propter observantiam Evangelii meremur reconciliari Deo.

In omnibus, subaudis discipulis et certaminibus, *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere.* Quidquid missile est vel jacitur, telum potest appellari : proprie tamen illud quod in longum protenditur, ut lancea. Nam *telon* dicunt Græci longum, unde mustela dicitur mus longus. Sicut ergo scutum se tenentem protegit et tela repellit, ita fides hominem munit, et ab eo diaboli jacula et infestationes repellit, ita tamen si fuerit bonis operibus adornata. Tela denique diaboli ignea appellat suggestionem pravam, quæ nos incendit ad mala opera agenda, et quæ exstinguitur per virtutem

B fidei. *Et galeam salutis assumite.* Galea in capite ponitur, omnesque corporis sensus munit et protegit, visum videlicet in oculis ; auditum in auribus, gustum in ore, olfactum in naribus, tactum in toto corpore. Quid debemus ergo intelligere per galeam, quæ, ut diximus, omnes sensus corporis protegit? Dominum Jesum Christum et protectionem illius ; per caput vero mentem, quia sicut capite reguntur membra, ita cogitationes mente disponuntur. Ponamus igitur galeam in capite, id est protectionem Christi recondamus in secreto mentis nostræ, habentes in illo fiduciam, non in nobismetipsis, et ipse tuebitur omnes sensus nostros, ne a diabolo hoste antiquo possint vulnerari ; *et gladium spiritus, quod est verbum Dei*, subaudis *assumite.* Gladius Spiritus sancti intelligitur verbum Dei, ut Apostolus ait, id est

C doctrina et scientia divinarum Scripturarum, quæ per Spiritum sanctum nobis tribuitur. Idcirco autem gladius appellatur, quia sicuti gladio fugantur hostes, ita per cognitionem divinarum Scripturarum possumus fugare omnes insidias et omnia machinamenta diaboli, appetendo illa quæ Scriptura docet, et vitando quæ prohibet : et non solum dæmones per ejus cognitionem et adjutorium Dei possumus superare, sed etiam auctoritate illius hæreticos convincere, et errorem illorum destruere.

Gratias, id est fides et remissio peccatorum, sit vobis *in incorruptione*, id est in integritate *cum omnibus qui diligunt Dominum Jesum Christum.* Aliter : Gratia, id est fides et remissio peccatorum, societas

D æterna sit vobis cum omnibus sanctis in incorruptione, hoc est in generali resurrectione, ubi accipient omnes electi incorruptionem in corpore et immortalitatem in anima, fulgentes sicut sol in regno Patris sui, cum quo felices in sæcula sæculorum manebunt. Amen.

IN EPISTOLAM PAULI AD PHILIPPENSES.

ARGUMENTUM.

Philippenses sunt Macedones, id est Græci. Græcia enim a diversis regibus diversa nomina sortita est. Vocatur enim Macedonia a Macedone rege, et Æmathia ab Æmatho, et Thessalia a Thessalo : generaliter autem omnis terra Græcorum Græcia vocatur a Græco rege, ut Servius dicit : Hi Phlippenses postquam acceperunt verbum prædicationis ab Apostolo, fortes in fide fuerunt nec receperunt falsos apostolos, sicut in argumento ostenditur.

CAPUT PRIMUM.

Paulus. Quare posuit nomen suum in primordio Epistolæ ? Ut majoris auctoritatis esset Epistola. Sic namque soliti sunt agere reges et principes. Quare non servavit morem suum, ponendo nomen apostolatus sui in Epistola hac, sicut in omnibus, præter in illa ad Hebræos ? In qua ideo prætermisit, ne utilitas lectionis differretur. Philippenses ergo, ut diximus, postquam per illum crediderunt, non dubitaverunt quin ipse esset Apostolus et magister gentium, ideoque non fuit necesse ut eis scribens, apostolum se nominaret. Corinthii vero, seducti a falsis prophetis, recesserunt a fide, et dubitaverunt illum esse apostolum a Deo electum et missum, dicentes : Vere Paulus non vidit Christum in carne, neque ejus doctrina est vera. A quo necesse duxit se apostolum nominare, inquiens ; *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem* (*Galat.* I). Sciendum etiam beato Paulo revelatum esse per visum quod Philippensibus verbum Dei deberet prædicare. Nam apparuit ei, ut legimus in Actibus apostolorum (*cap.* XVI), vir Macedo, deprecans eum et dicens : *Transiens in Macedoniam, adjuva nos.* Qui vir angelus Dei fuisse creditur illi genti positus a Deo. *Et Timotheus.* Quare interponebat nomina discipulorum in Epistolis suis ? Ut majoris auctoritatis esset, secundum quod Dominus dixit : *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum* (*Deut.* XXVII), et ne aliquis diceret, in mendacio ista excogitata sunt, vel etiam complebat ipse Apostolus quod docuerat dicens : *Si cui revelatum fuerit sedenti aliquid, prior taceat* (*I Cor.* XIV). Nam quando dictabat Epistolas, omnes discipuli ejus aderant : et si alicui illorum alia revelata essent, quæ ipse non dicebat, aut aliter quam dicebat, quia idem Spiritus sanctus erat in discipulis, qui et in magistro : sicuti ab illo dicebatur, ita ponebat ille in ordinem, non invidens bonus magister suis discipulis, et insuper nomen illius ponebat in exordio cum suo, quia partem ejus habebat. *Servus.* Sicuti gloriabatur aliquis consulum servum se esse imperatoris, ut Andromachus servus Octaviani, ita et Apostolus, ut ejus Epistola firmior esset, dicebat se servum esse Christi, *omnibus sanctis*, id est omnibus sanctificatis in baptismate, et in ea sanctificatione manentibus, *qui sunt Philippis cum episcopis*, id est cum presbyteris : quia una civitas non potest habere plures episcopos. Philippis est civitas Græciæ, quam ædificavit Philippus pater adoptivus Alexandri, vocans eam nomine suo Philippis ; *et diaconibus*, subaudis sit salus et remissio peccatorum.

Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, id est, in memoria fidei vestræ, in qua solide permanetis, gratias reddo Deo vel memor vestri *semper in meis orationibus* gratias ago illi, qui vos confirmat semper in fide.

Cum gaudio, subaudis spiritali, *deprecationem faciens*, non cum mœrore. Pro illis qui in fide perseverant et fidem quam tenent, bonis operibus exor- A nant, non est necesse cum mœrore orare, sed gratias Deo reddere : pro his vero qui labuntur, cum gemitu et mœrore est orandum.

Super communicatione vestra, id est, de communione quam habetis nobiscum, vel quia recepistis Evangelium et participastis fidei ejus : vel etiam de communione et participatione, qua nobis participastis in prædicatione, quia prædicatis jam sicut et nos, *a primo die*, id est a primordio fidei, *fratres confidimus* in Domino Jesu, *quia qui cœpit in vobis opus bonum*, id est Christus qui dedit vobis initium fidei et bonæ conversationis, dabit et perseverantiam usque in diem mortis, vel usque ad diem judicii per successionem.

Sicut est mihi justum, id est justum est mihi hoc B intelligere de vobis, quia permanebitis in fide Christi, et ideo debeo gaudere et *hoc sentire*, id est intelligere, *eo quod habeam vos in corde et in vinculis meis*, subaudis vestri reminiscor.

Testis est mihi Deus quomodo vos cupiam in visceribus Jesu Christi. Viscera dicuntur filii : et viscus dicitur quidquid intra corium est. Ideo duobus modis intelligitur. Cupio, inquiens, omnes vos filios Dei esse, vel cupio ut ipse sit templum vestrum, et vos communicantes corpori et sanguini ejus maneatis in illo.

Et hoc oro ut charitas vestra, et cætera, id est, sicut fides habet initium, habet incrementum et perfectionem, ita charitas. Oro, inquit, ut non solum in Deum et proximum, sed etiam ad inimicos C extendatur charitas vestra, *in scientia*, subaudis legis, *et in omni sensu*, id est doctrina Evangelii, *ut probetis*, id est intelligatis majora de Deo, *ut sitis sinceri*, id est perfecti in Deo, et fide, et in omni bonitate. Sinceris materia est solida et firma, quæ nullius rei varietate maculatur, ita debet et fides solida esse. *Sine offensa*, id est, sine offensione, *in diem judicii, repleti fructu justitiæ*, id est, sitis repleti omnibus virtutibus, de quibus dicit Apostolus : *Fructus autem Spiritus est gaudium, pax* (*Gal.* V), etc. *In gloriam et laudem Dei*, ut glorificetur Deus in vobis et Dominus Jesus laudetur, per quem omnia bona habemus.

Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii. Sciens D beatus Apostolus Philippenses contristari de suis tribulationibus et condolere de suis infirmitatibus, ne illi deficerent in fide audientes eum talia pati, scribebat eis dicens : Scio quidem vos compati afflictionibus meis, sed innotescere vobis *volo quia quæ circa me sunt*, vincula videlicet, carcer et cippus, *magis ad profectum*, id est, ad utilitatem et augmentum sunt *Evangelii*, quam ad contrarietatem. *Ita ut vincula mea in Christo*, id est, quæ non pro aliquo alio crimine sustineo, sed propter Christum, *manifesta fierent in omni prætorio et in cæteris omnibus* locis. Prætor dicitur a præeundo et quasi præceptor, quia præcepta dat populo. Prætorium autem dicitur quasi præceptorium, eo quod ibi prætores sive præ-

ceptores et præfecti sedeant ad discutienda quædam et præcepta danda. Veniente ergo beato Apostolo Romam, vincto pro Christi nomine, cum esset retrusus in carcerem, in domo imperatoris, et cœpisset docere, infirmos curare, multa miracula patrare, multi crediderunt in tantum, sicut beatus Hieronymus dicit, ut domum persecutoris Neronis ecclesiam faceret Redemptoris. Tunc manifestatum est in omni prætorio, id est, imperatori, omnibusque consulibus et principibus, et in omnibus locis propter Christum illum talia sustinere. *Et plures e fratribus*, id est ex credentibus *in Domino*, id est, per Dominum, *confidentes in vinculis meis*, id est exemplo vinculorum meorum confortati, cum vidissent talia pati beatum Apostolum, omni formidine mortis repulsa, exemplo vinculorum ejus confortati atque corroborati, cœperunt audacius *verbum Dei* prædicare *sine timore.*

Quidam quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem. Hi quatuor modi qui sequuntur in duas species, sicuti doctoribus videtur possunt redigi : Prima videlicet et ultima species pro una computata, duæ vero mediæ similiter pro una. Sed tentemus per singulas stilum trahere. Quod dicit primum quidem propter invidiam et contentionem, subaudis *Christum* annuntiant unum esse. Erant quidam ex Judæis credentibus atque gentibus qui invidentes beato Apostolo quod ipse dicebatur solus magister gentium et prædicator, dicebant : Nunquid Paulus solus dicitur magister gentium? Nos doctrinam habemus, prædicabimus sicut et ille, ut appellemur magistri gentium. Et hoc agebant, quia volebant contendere cum illo. Secunda species est : Quidam propter bonam voluntatem, id est, bonam intentionem, cupientes salvare alios sicut et ipsi salvati erant. Tertia species est : *Quidam ex charitate*, subaudis qua diligebant Deum, cupiebant alios salvare et ex charitate qua diligebant Apostolum, volentes ei adjutorium in prædicatione præbere. Quarta species est : *Quidam ex contentione, non sincere.* Sincera res est solida et firma. Et erant quidam qui prædicabant non sincere, id est, non pura conscientia, quia propter commoda præsentis vitæ, et propter lucra temporalia prædicationi insistebant, ut ita a subjectis cibum et vestimentum acciperent, dicentes : *Dominus ordinavit qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere (I Cor.* IX). Et propter contentionis occasionem non cessabat Apostolus positus in carcere, sed etiam discipulos suos per totum orbem mittebat prædicare. Volebant quidam ut occideretur, ut dum ille occisus esset, liberius possent illi exspoliare suos auditores.

Scientes quoniam in defensione Evangelii positus sum, id est in ea defensione quam paulo superius diximus. *Non sincere,* id est non pura intentione, *existimantes se pressuram*, id est persecutionem majorem, *suscitare vinculis meis.*

Quid enim, id est : Quare contristor, aut quare moveor in tristitia? *Sive per occasionem*, id est, per invidiam et non sincere, *sive per veritatem*, id est bonam voluntatem et charitatem, *et in hoc gaudeo*, id est quia Christi nomen per bonam voluntatem et ex charitate prædicatur, *sed et gaudebo*, subaudis propter hoc : quia illis non invideo.

Scio enim quia proveniet mihi hoc ad salutem. Hoc enim proveniet mihi ad salutem, id est ad vitam æternam, quod sustineo pro Christi nomine : vel quia illis mala non opto qui mihi invident : et mihi tribulationem excitant, *Et subministrationem Spiritus Jesu Christi*, id est auxilium ministrante et præbente mihi Christo et Spiritu sancto.

Secundum exspectationem et spem meam. Exspectatio et spes unum est ; quia spes est exspectatio futurorum bonorum. Et beatus Apostolus certus erat quod mercedem erat accepturus æternæ retributionis : propter hoc quod sustinebat pro Christo, et de hoc etiam exspectabat mercedem, quia suis invidis persecutoribus bona optabat. *Quia in nullo confundar*, id est, in nullo horum quæ illi agunt, ut mihi persecutionem majorem ingerant : vel quæ sustinebo : jam positus in vinculis non erubesco. *Sed in omni fiducia*, id est in omni fide mea, *sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.* Si tormenta sustinuero, omnes qui audierint, dicent, Magnus est iste Deus, pro cujus nomine servi ejus non timent mori.

Mihi autem *vivere Christus*, id est, si vixero, Christus mihi vita est : vel si vixero, per prædicationem meam corpus ejus augebo. *Et mori lucrum.* Si sub pœnis mortuus fuero, maximum lucrum est mihi, et magis ac magis prædicabitur. Vel lucrum est mihi mori, quia, si mortuus fuero maximum lucrum percepturus sum, id est vitam æternam.

Vivere in carne, hic mihi fructus est operis, quia quo amplius vixero, mercedem meam augebo. *Et quid eligam ignoro*, id est, utrum mortem appetam an adhuc in carne manere optem. Est autem sic distinguendum. Et quid eligam ignoro, *cum Christo esse, multo magis melius.* Cum dixit multo magis melius esse *dissolvi et cum Christo esse*, et subdit *permanere in carne necessarium,* ostendit quid magis eligat, et bonum quidem esse manere hic, sed melius et optimum manere cum Christo.

Et hoc confidens scio, *quia manebo*, id est, confido et credo, quia manebo quandiu Domino placuerit, *et permanebo*, id est, usque ad perfectionem et corroborationem fidei vestræ manebo *omnibus vobis ad profectum vestrum*, id est ad utilitatem, *et gaudium fidei*, id est, ut ego et vos gaudeamus de vestra fide. *Ut gratulatio vestra*, id est, ut gaudium vestrum, *abundet in Christo Jesu in me per meum adventum iterum ad vos.* Gratulari est congaudere et gratias referre, et est sensus : Ut vos, inquit, gaudeatis de meo adventu et gratias referatis Deo, qui vobis me incolumem reddidit liberatum a vinculis.

Tantum, id est tantummodo, *digne in Evangelio Christi conversamini*, id est, vivite et perseverate.

Digne in Evangelio conversari est Christum secundum quod Evangelium docet, credere, docere, secundum ejus præcepta vivere et quæ promittit sperare, et ex mandatis ejus omnia agere. *Ut sive cum venero et videro vos*, subaudis gaudeam de vestra fide. *Quia statis*, perseveratis, solidi estis, *in uno Spiritu*, in una voluntate. Unde in Actibus apostolorum Lucas, dicit, *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (*Act.* IV), id est una voluntas, una fides. *Unanimes*, id est in uno spiritu, *collaborantes*, id est, simul laborantes in fide Evangelii, bene vivendo, recte credendo et docendo.

Et in nullo terreamini, facto vel negotio. Terreamini dicit, id est paveatis minas et errores hæreticorum paganorum, falsorum Christianorum, quia afflictio qua vos tribulant, ad damnationem est illis, et vobis ad præmia æternæ remunerationis. *Quæ*, subaudis afflictio et tribulatio vestra, *illis est* ad damnationem. *Et hoc* illis *a Deo* fiet ad damnationem, et vobis ad salutem. Aliter : Hoc, inquit, a Deo, subaudis concessum est vobis, ut pro ejus nomine talia patiendo perseverare possitis, ut palmam martyrii obtineatis, quod non concedit nisi amatoribus suis, quos ipse amare se facit. *Sed ut etiam pro illo patiamini*, id est pro illo patiendo perseverantiam habeatis et postea palmam obtineatis. *Idem certamen habentes*, id est agonem contra hæreticos, paganos falsosque Christianos. Si necessitas fuerit, sustineatis qualia sustinui apud vos, quando verberatus sum pro muliere pythonissa, a qua spiritum malignitatis exclusi, quæ magnum quæstum præstabat dominis suis.

CAPUT II.

Et nunc audistis de me, subaudis quæ sustineo Romæ positus.

Implete gaudium meum ut idem sapiatis, id est, quod sapimus in fide, in opere, in doctrina, vel unam voluntatem habeatis, *eamdem charitatem habentes*, *unanimes*, id est, unius voluntatis, *idipsum sentientes*, id est, sapientes quod nos sapimus : vel quod intelligitis de fide sanctæ Trinitatis, qui sapientiores estis, facite ut vestro studio et prædicatione minus capaces idipsum sapiant.

Nihil per contentionem. Omnem hic prohibet contentionem, et voluntariam et necessariam. Contentiosi erant apud Philippenses, qui contendebant de quæstionibus legis, et de genealogiis : hoc ideo, ut dum alios superabant, ipsi gloriosi apparerent. *Neque per inanem gloriam*, id est vanam, *sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*. Omnes enim debemus nobis meliores et superiores existimare : et si videamus aliquem aliquo vitio mancipatum esse et tamen aliqua virtute pollere, propter unam virtutem quam habet, debemus nobis illum præferre : et si non videamus in illo aliquam virtutem, potest tamen habere aliquod bonum quod nos lateat.

Non quæ sua sunt singuli considerantes. Non solummodo sua commoda et suam utilitatem debent quærere, sed aliorum. Utilitas enim multorum multis prodest ; unius vero, tantum uni prodest. *Sed et ea quæ aliorum*, id est, quæ ad multorum utilitatem pertinent quærere debemus.

Hoc enim sentite in vobis, hoc est, intelligite et sapite et complete in vobis, quod intelligitis in Christo esse completum, *quod et in Christo Jesu*, id est, sicut Christus non quæsivit sua, sed nostra, ita nos non solummodo nostra quæramus, sed aliorum. *Qui cum in forma Dei esset*, id est, in æqualitate paternæ Divinitatis, consubstantialis et coæqualis in omnibus illi, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Rapina est quando quilibet homo alienam rem per violentiam sibi usurpat, quæ illi non competit. Et Dominus Jesus rapinam non fecerat, quando dixit se parem esse Deo Patri et æqualem dicendo, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X). Nisi in veritate esset Filius Dei, æqualis illi non esset in omnibus. Præcursor vero illius quando dixit, *Non sum Christus* (*Joan.* I), interrogatus a scribis et Pharisæis et populo, si dixisset, Ego sum Christus, rapinam fecisset. Simon ergo magus rapinam fecit, quando, cum esset filius diaboli, dixit (*Act.* VIII) : Ego sum filius Dei, ego sum paracletus, ego sum filius Dei. *Sed semetipsum exinanivit*, id est, humiliavit, et quasi contraxit et minoravit. Exinanitio est, quando res magna et incomprehensibilis, in parva formula comprehenditur. Verbi gratia : Si quilibet artifex totius mundi machinam, et quæ in mundo habentur, homines, bestias, volucres, montes, arbores, civitates, flumina, pisces, in parvissima formula ad comparationem magnitudinis mundi voluerit comprehendere in pictura vel cera, illud est exinanitio. Similiter Verbum Dei Patris, quod ubique est per invisibilitatem Divinitatis suæ, quando in parva forma hominis dignatus est apparere visibilis, quasi semetipsum exinanivit et humiliavit, atque (ut ita dicam) quodammodo contraxit. Est enim supra omnia, extra omnia, infra omnia, et quidquid est, intra ipsum est. Verbi gratia : sicut beatus Augustinus dicit, dans similitudinem ex spongia, et mari, comparans spongiam mundo positam in medio maris, et comparans mare Divinitati. Sicut, inquit, spongia posita in medio maris et fluminum, undique habet aquam, supra, intra, undique et per medias latebras penetratur, ita mundus comparatione Divinitatis quasi nihil est, et ita circumdat et penetrat Divinitas omnia, sicut mare spongiam. *Formam servi accipiens*, id est, in veritate hominem suscipiens. *In similitudinem hominum factus*. Hic similitudo pro ipsa veritate ponitur, id est, verus homo factus, quia *Verbum caro factum est* (*Joan.* I) id est, Deus homo factus est. *Et habitu inventus ut homo*. Multis modis habitum dicimus. Est autem habitus accidens nobis, qui mutat illum cui accidit, sed non mutatur : sicut est sapientia quæ mutat hominem quem de stulto vel stolido facit esse sapientem, sed ipsa non mutatur. Est habitus secundo modo qui mutat hominem et mutatur, sicut

est cibus, qui de exilitate atque languore mutat nos in robur et valetudinem, et tamen ipse mutatur comestus a nobis. Est habitus tertio modo, qui nec mutat nec mutatur sicuti annulus positus in digito, qui modus rarissime invenitur. Quartus modus est, cum ea, quæ accidunt, nec mutant, nec mutantur, sed tamen aliam speciem et formam accipiunt, sicut vestis quæ aliam speciem habet complexa sive complicata, quam induta. Qui modus congruit huic comparationi. Non sicut vestis cum induitur adhæret quidem corpori, sed non mutatur a sua natura, ut semper vestis non permaneat, licet aliam speciem et majorem honorem assumat quam antea habuisset, ita Verbum Dei Patris assumendo hominem, non est mutatum in hominem, neque ipse homo assumptus est a verbo, mutatus est in Verbo, licet aliam speciem assumpsisset in hoc quia majoris honoris et dignitatis exstitit quam aliquis hominum, quia *speciosus* fuit *forma præ filiis hominum (Psal.* XLIV).

Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. Factus obediens Deo Patri, cujus voluntas fuit ut redimeret genus humanum, et non solum Patri, verum etiam et matri, ut in Evangelio habetur, quia *venit Nazareth, et erat subditus illis* (*Luc.* II) *Mortem autem crucis.* Ideo crucifixerunt eum, quia omnibus mortibus sævior est mors crucis, propter longum cruciatum. Si enim gladio transverberassent eum, cito finiretur, vel, sic placuit ei ut quia per lignum peccavit homo, per lignum redimeretur.

*Propter quod,*subaudis tormentum, vel propterea quia obediens fuit Deo Patri *Deus* Pater *exaltavit illum,* hominem assumptum a verbo, tertia die a mortuis suscitando, et quadragesimo die ad cœlos sublevando, vel supra omnia constituendo, *et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.*Quod nomen dedit illi ? Ut Filius Dei vocaretur et esset, qui Filius hominis erat, secundum quod in die baptismatis innotuit paterna vox, inquiens : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III). Similiter in monte. Vel etiam nomen dedit illi quod est super omne nomen, ut Jesus vocaretur, id est salvator. Licet enim legamus homines in Genesi, et angelos in libro beati Job, filios Dei appellatos esse, tamen nullus illorum appellatus est salvator : neque Filius Dei proprie, sed abusive, quia nemo illorum potuit genus humanum salvare, nisi ille solus. *Ut in nomine Jesu,*id est in invocatione nominis Jesu, *omne genu flectatur,* id est omnia genera hominum subjecta sunt ei, *cœlestium,* id est angelicarum virtutum, *terrestrium,* id est hominum et creaturarum, *et infernorum,* id est dæmonum et animarum quæ in inferno habitant. Aliter : Omnia cœlestia et omnia sub terris, quæ in inferno esse dicuntur, ejus judicio et nutui et imperio serviunt. *Et omnis lingua confiteatur,* id est omnis homo confiteatur *quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris,* in æqualitate potestatis et natura Divinitatis.

Itaque, charissimi mei, in fide et dilectione, *sicut semper obedistis,*subaudis Domino et mihi, *non ut in præsentia mei tantum* id est sicut semper obedientes fuistis in præsentia mea, cum apud vos essem, *sed multo magis* obedite *nunc* verbis nostris *in absentia.* Multi sunt enim qui in præsentia obedientes sunt, et in absentia inobedientes exsistunt, sicut servi qui ad oculum serviunt. *Cum metu,* subaudis, cordis, *et tremore,* subaudis corporis,*vestram salutem operamini,* id est, vitam æternam præparate vobis.

Deus est enim qui in vobis operatur. Ne videretur Deum a nostra salute excludere, et quasi sine Dei auxilio salvari possimus, subjunxit : Deus est enim qui in vobis operatur, etc. Omne ergo bonum quod habemus, tam bona voluntas, quod bona operatio, non est a nobis, sed a Deo. Sed quæstio est : Si ipse dat voluntatem et possibilitatem, qua mercede digni sumus? Prævenit nos siquidem gratia Dei et misericordia,et nos debemus obedire voluntati illius, et ipse postmodum dat possibilitatem. Debemus ergo nos obtemperando obsecundare ei, et dum jungimus voluntatem nostram et obsequium voluntati et possibilitati illius, laudandus est ille qui prævenit, et qui possibilitatem præstat atque perseverantiam, ut nos digni simus mercede æterna. *Et velle,* id est, bonam voluntatem habere, *et perficere, pro bona voluntate,* id est ut semper quod bonum est velimus.

*Omnia autem facite sine murmurationibus,*subaudis bona, quæ Evangelium præcipit, sine murmurationibus, id est, ne dicatis : Gravia nimium sunt quæ Deus præcipit. *Sine hæsitationibus,* id est dubitationibus : id est, ne dubitetis in fide, nec de his quæ Evangelium promittit.

Ut sitis sine querela. Id est sine reprehensione ; *et simplices sicut filii Dei.* Sicut Deus simplex est, ita filii ejus puro et simplici corde debent incedere.*Sine reprehensione.* Id est, sine crimine *in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis.* Quando Apostolus ista scribebat Philippensibus, necdum adhuc renati omnes erant neque fideles, sed multi erant infideles et hæretici falsique Christiani. *Inter quos* omnes *lucetis.*Optabat Apostolus ita illos qui fideles erant vivere, ut sicut sol fugat tenebras,et luna cæteraque sidera illuminant noctem, ita illi lucendo fide, opere, et doctrina, tenebras erroris et nebulas infidelitatis suo exemplo et doctrina de cordibus infidelium fugarent. *Sicut luminaria.*Sol, luna et cætera astra. *In mundo.* Vel in hac vita.

Verbum vitæ continentes. Id est fidem rectam qua vivit justus; vel, illius Verbi memoriam, de quo dicitur : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I). *Ad gloriam meam in die Christi.*Quia vobis præmium erit,si ita vixeritis, et mihi gloria in die judicii, qui verbum vitæ vobis ministravi. *Quia non in vacuum cucurri.* Subaudis de loco ad locum prædicando. *Neque in vacuum laboravi* corporeæ linguæ instantia. Et hoc ad gloriam meam.

Sed et si immolor. Id est interficior a Nerone. Nero ipse fuit sacerdos Petri et Pauli, quia ipse mactavit eos : mactavit quidem, sed non obtulit, quia ipsi seipsos obtulerunt. *Supra sacrificium. Gaudeo.* Quia vos obtuli sacrificium Deo. *Et super obsequium fidei vestræ.* Et supra cultum fidei et religionis quem vos docui. Beatus Paulus qui Philippenses ab infidelitate liberavit, et in baptismate a peccatis purgando sanctificavit, ipse utique obtulit eos et sacrificium ejus ipsi fuerunt. Obsequium etiam appellat cultum et religionem, et alibi : *Rationabile sit obsequium vestrum* (*Rom.* XII), et est sensus : Et si (inquit) interficior a Nerone, non sentio pœnas, neque pertimesco mortem, congaudens *omnibus vobis*, propterea quia vos sacrificium obtuli Deo, et quia vos docui religionem fidei.

Idipsum autem et vos gaudete. Id est, sicut ego gaudeo de vestra fide, ita et vos congaudete de meo præmio quod percepturus sum pro vobis.

Spero autem in Domino Jesu Christo Timotheum, etc. Timotheus erat discipulus Apostoli, omni fide atque doctrina atque operibus bonis adornatus, et per hoc Apostolo admodum charus, in tantum ut unanimis dicatur esse illi, id est, unius voluntatis. Habebat tamen et alios eodem affectu diligentes, ut erat Titus, Lucas, Clemens et alii ; sed quando hanc Epistolam misit illis, non habebat secum de perfectioribus nisi istum : omnes enim erant causa prædicationis dispersi per diversa loca, ideoque dicit neminem habere se in præsenti tamen unanimem. Vel poterat esse ut Timotheus plus omnibus discipulis ejus Philippenses diligeret. *Cito.* Id est, in proximo. *Me mittere ad vos, ut et ego bono animo sim.* Id est tranquillo et securo animo sim. *Cognitis quæ circa vos sunt.* Id est, dum cognovero per illum quæ circa vos aguntur, tam in fide quam in conversatione.

Neminem enim habeo. Subaudis modo apud me. *Qui sincera,* id est pura et firma, *affectione pro vobis sollicitus sit.* Et ea voluntas quæ erat in Apostolo erga Philippenses, erat et in Timotheo. Ideo dicit : *Neminem habeo tam unanimem,* qui eamdem mentem gerat erga vos, et pro vobis ita sollicitus sit. Ideoque ille mittendus est, qui et mihi est charissimus : et curam de vobis maximam gerit. *Omnes enim quæ sua sunt,* subaudis commoda, *quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.* Modo ostendit quare alii qui cum illo erant, non erant ei ita conjuncti sicut iste. Omnes enim sua commoda quærunt aut quietem, nolentes tribulari aliorum salute, nisi ut ab eis lucra temporalia recipiant, non curantes de remuneratione æterna.

Experimentum, id est probamentum, *ejus cognoscite, quia sicut patri filius mecum servivit in Evangelio.* Non mihi, inquit, servivit, sed mecum servivit Christo in Evangelii prædicatione. Servivit tamen et beato Apostolo.

Hunc ergo spero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me sunt. Positus Apostolus in vinculis dubitabat utrum decollandus esset a Nerone, aut dimittendus liber de carcere, ideoque dixit : Cum cognovero quid mihi evenerit. Si de carcere incolumis exiero, mittam eum ad vos.

Confido autem in Domino quoniam et ipse cito veniam ad vos. Sciendum tamen quia postmodum ipse non venit ad eos.

Necessarium autem existimavi Epaphroditum mittere ad vos. Quia Timotheum non possum mittere quousque cognoscam quæ circa me sunt, puto necessarium esse vobis mittere Epaphroditum : qui Epaphras appellatur alio loco, sicut Lucius, Lucas. Apostolus enim non curabat de proprietate nominum. *Cooperatorem,* id est simul laborantem in prædicatione. Et socium sive *commilitonem,* in castris Dei pro fide. *Vestrum autem Apostolum*, vel qui ad vos a me mittitur, vel quem vos de vestris elegisti in apostolum mittendo illum ad me. *Et ministrum necessitatis meæ,* et desiderii qui mihi jam posito in carcere ministrat quæ necessaria sunt, et insuper prædicationi insistit. Apostolum autem illum vocat, quia ab illo missus est. Omnis enim qui mittitur Apostolus vocatur.

Propterea quod audieratis illum infirmatum : nam et infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misertus est ejus, subaudis quia revocavit eum de faucibus mortis ad vitam. *Non solum autem ejus,* subaudis misertus est, *verum etiam mei* misertus est. Quare? *ne tristitiam* mortis ejus *super tristitiam* infirmitatis ejus *haberem*. Beatus Apostolus dolebat de infirmitate Epaphroditi. Sed si ille ab hac luce migrasset, super tristitiam infirmitatis haberet et tristitiam mortis ejus. Vel quia ipse in vinculis astrictus tenebatur, si contigisset Epaphroditum mori, qui ei necessaria procurabat, super tristitiam vinculorum haberet tristitiam de morte illius.

Ut viso eo iterum gaudeatis. Gaudium Apostoli gaudium erat Philippensium, sicut tristitia ejus tristitia illorum : similiter tristitia Philippensium tristitia erat Apostoli, et lætitia illorum lætitia illius : sicut ipse dixerat : *Gaudete cum gaudentibus, et flete cum flentibus* (*Rom.* VII), *et ego sine tristitia sim,* subaudis cum cognovero vos lætificatos illius præsentia : et cum per illum agnovero quæ circa vos aguntur.

Excipite itaque illum cum gaudio in Domino, et ejusmodi cum honore habetote, id est, non solum qui vester apostolus est cum gaudio spirituali suscipite, sed omnes qui eamdem fidem habent, et bonis operibus insistunt, sicut ille. *Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit,* id est, propter charitatem et prædicationem Evangelii usque ad mortem accessit, subaudis prædicando et mihi ministrando contra jussa principum. *Tradens animam suam,* subaudis periculo mortis, *ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.* Philippenses qui ab Apostolo verbum prædicationis audierunt, per quod salvati sunt si facultas eis adfuisset, et longitudo terræ non obstitisset, ipsi debuerant ei omnia subsidia temporalia præbere et ministrare. Quod ergo

illi implere nequiverunt, solus Epaphroditus vice illorum contra præcepta imperatoris adhæsit illi in carcere, et procuravit illi victum et vestimentum, et insuper socius fuit prædicationis. Hic ergo tradidit animam suam periculo mortis, quia contra præceptum imperatoris accessit ad illum, ut diximus, et in hoc quod ei ministravit, implevit quod ex eis deerat, quia quod illi debuerant agere, ipse fecit sicut Apostolus declarat. Ut impleret quod ex vobis deerat, id est quod vos non poteratis implere impediente longitudine terrarum, ipe pro vobis implevit.

CAPUT III.

De cætero, id est deinceps, et præter illa quæ superius dicta sunt, *fratres mei* in fide *gaudete in Domino*, non in rebus temporalibus et terrenis atque caducis. *Eadem vobis*, id est, ea quæ docui præsens, quia vobis et mihi est necessarium, *me non piget scribere*, sed videre ne vobis pigrum sit ea legere et implere.

Videte canes, id est cavete et declinate. Canes appelat Judæos, et *malos operarios* eosdem appellat circumcisionem, quia consuetudo ejus est Judæos appellare circumcisionem, et gentiles præputium. Ideo ergo appellat eos canes, quia sicut canis latrat ac deinde mordet, ita illi loquendo oblatrabant, et seducendo aspere mordebant. Mali operarii erant, quia male suadebant eis operari, dicentes. *Non potestis salvari* per baptismum, *nisi circumcidamini*, sicut lex præcipit (*Act.* XV). quia scriptum est : *Masculus cujus caro circumcisa non fuerit*, peribit *anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit* (*Gen.* XVII).

Nos enim sumus circumcisio. Nos, id est omnes recte credentes, sumus spiritualiter circumcisi, *qui spiritu Deo servimus*, id est spiritualiter et non carnaliter : vel etiam qui mente Deo servimus, sicut in Evangelio habetur : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu*, id est in mente, *oportet adorare* (*Joan.* IV). *Et gloriamur in Christo Jesu,* id est in fide Jesu Christi, *et non in carne fiduciam habentes,* id est carnali circumcisione, quia nos habemus omnes sensus corporis circumcisos. *Quanquam ego habeam confidentiam et in carne,* id est, habere possem in carnali circumcisione, si aliqua ibi esset fiducia.

Si quis autem *alius*, subaudis vestrum gentilium, *videtur confidere in carne, ego magis.* Diceret aliquis: Non es circumcisus neque injussus circumcidi, ideo talia præcipis ? Ad hæc ille : Non ideo, inquit, talia præcipio, id est, ideo præcipio non circumcidi, quasi ego non sim circumcisus, et possim in gloria mea confidere plus quam aliquis vestrum gentilium, si esset in ea aliqua fiducia et justitia, postquam Christus venit : sed quia non est ibi aliqua gloriatio, nolo ut circumcidamini a Judæis. *Ex genere Israel*, subaudis natus sum, *de tribu Benjamin*, quod nemo vestrum est. *Hebræus ex Hebræis*, subaudis natus de tribu Benjamin : *secundum legem pharisæus*, id est doctor legis Mosaicæ, *secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei.* Fui, inquit, doctor legis, et propter studium et amorem Synagogæ, quam volebam statuere, persequebar Ecclesiam Dei. Æmulus dicitur, invidus et imitator, et studiosus, sed in hoc loco pro studioso ponitur. Beatus ergo Apostolus studiosus æmulator fuit in lege, volens Synagogam statuere, ut Ecclesiam Dei destruere persequendo sanctos. *Secundum* illam *justitiam quæ in lege est.* Si aliqua justitia modo in lege est, *conversatus*, subaudis vixi sine crimine et sine reprehensione, ut mihi visum est et aliis : quia circumcisus sum octavo die, et quadragesimo die per me legalia munera sunt oblata, et festivitates, et sabbata observavi, et cætera omnia quæ lex præcipit.

Sed quæ mihi fuerunt lucra, hoc est, quæ putabam quod mihi præstarent magnum quæstum et præmium hæc omnia intellexi mihi futura ad damnum, si ea carnaliter observarem *propter Christum,* id est, postquam in Christum credidi vel propter fidem illius quam teneo, credo omnia illa ad damnum et dispendium esse illorum, qui ea observaverint, et propter hoc Evangelium Christi, secundum cujus doctrinam debemus vivere, quod supereminet atque transcendit sua dignitate et veritate omnem scripturam divinorum eloquiorum.

Verumtamen existimo omnia, subaudis legalia præcepta, *detrimentum*, id est damnum, *esse* suis auditoribus *propter eminentem scientiam*, id est propter Evangelium, *propter quem*, id est propter Christum vel propter fidem ejus, *omnia* quæ lex præcipit carnaliter observare, quasi damnum duxi, et pro nihilo deputo, *ut Christum* mihi lucrer, et acquiram, *et inveniar in illo*, id est in fide ejus perfectus, *non habens meam justitiam quæ ex lege est*, *sed illam quæ est ex fide Jesu Christi.* Justitia quæ in lege erat, justitia hominis dicebatur, quia manibus operabatur, videlicet in circumcisione et oblatione munerum. Istam justitiam respuebat Apostolus, et nolebat eam amplius habere, sed potius desiderabat inveniri in justitia fidei et Evangelii, quæ non est hominis justitia, sed Dei, quia spiritaliter in baptismate fit et in mente.

Quæ ex Deo est justitia, subaudis dico, in fide ad cognoscendum illum, quia per fidem quæ bonis operibus adornatur, cognoscitur Deus : *Resurrectionis ejus virtutem*, subaudis cognoscendam. Quæ est virtus resurrectionis? Ut sicut Christus mortuus et resurrexit, et jam non moritur, ita et nos moriamur in fonte baptismatis peccato, et resurgamus ad vitam, et semper in novitate vitæ ambulemus. Et hæc virtus per fidem cognoscitur, et per fidem ejus pervenitur ad societatem passionum Christi, quia nisi fidem haberemus nequaquam passionem ejus imitaremur. Debemus autem imitari illam, ponendo animas nostras pro illo, si necessitas fuerit, vel etiam in nobisipsis debemus mortificare vitia et peccata. *Configuratus* sum *morti ejus,* id est imitator sum mortis ejus et passionis illius. *Si quo modo,* id est si aliquo modo *occurram et resurrectionem*, subaudis electorum. Ista resurrectio non erit omnium resurgentium,

sed tantummodo electorum, quia licet omnes in momento resurgant justi et impii in die judicii, soli tantum justi occurrunt Domino, in aera deportati ab angelis, sicut alibi idem Apostolus ait : *Rapiemur obviam Christo in aera* (*I Thess.* IV). Impii vero manebunt in terra quousque percipient illam terribilem sententiam judicis : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). *Quæ est*, id est, quæ futura est *ex mortuis* in die judicii.

Non quod jam acceperim, id est non ideo talia dico de resurrectione quod jam perfectionem acceperim, quia non sum adhuc perfectus, aut etiam justificatus *perfectus sim*. Quantum ad sapientiam illam pertinet, quæ mortalibus hominibus datur, beatus Apostolus sapientissimus omnium hominum erat, qui tunc temporis in carne morabantur : quantum vero ad illam perfectionem pertinet quam recepturi sunt sancti post generalem resurrectionem, perfectissimus non erat, quia *videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII), quia *videbimus* Deum *sicuti est* (*I Joan.* III). *Sequor autem*, id est imitabor Christum, *si quo modo comprehendam*, subaudis perfectionem, *in quo et comprehensus sum.* Omnes electi prædestinati ad vitam æternam in passione Domini sunt comprehensi, quia per illam sunt redempti non solum qui post resurrectionem ejus salvandi erant et purgandi per baptismum, sed etiam omnes justi qui præcesserunt ejus adventum. Sed dicit aliquis : Si ego comprehensus sum in passione ejus, id est redemptus, et baptismate purgatus, quare non habeo modo in præsenti perfectionem fidei, sapientiæ atque justitiæ? Cui respondendum est, quia baptismi renovationem polluisti male vivendo, non poteris illam perfectionem obtinere, quousque iterum mundatus per pœnitentiam venias ad illum qui te in baptismate mundavit.

Fratres, ego non arbitror me comprehendisse, subaudis perfectionem, quia in præsenti sæculo non possumus esse perfecti. *Unum autem*, subaudis verbum dicam, *quæ quidem retro sunt obliviscens*. Quæ sunt illa quæ retro sunt? Omnia temporalia et transitoria, prædia, divitiæ, et commoda præsentis vitæ. Quæ ideo dicuntur esse retro, quia cum ab hac vita transierimus per mortem carnis, omnia post nos relinquemus. *Ad ea quæ sunt priora extendens me.* Quæ sunt priora? Præmia et gaudia patriæ cœlestis, quæ nobis futura sunt et sine fide mansura. Aliter beatus Apostolus omnia bona quæ in hoc sæculo habebat perfecta, ad comparationem æternorum pro nihilo deputabat, et sic quotidie vivebat quasi semper insipiens, ideoque dixit : Obliviscor præteritorum, desiderans semper ad alia tendere.

Ad destinatum persequor, id est ad promissum tendo, *ad bravium*, id est ad coronam *supernæ* remunerationis *in Christo Jesu*, id est per Christum Jesum.

Quicunque ergo perfecti sumus, ad comparationem aliorum, *hoc sentiamus*, subaudis, quia non sumus perfecti. Quicunque sumus perfecti, id est, qui perfecti arbitramur esse ad comparationem fidelium et minus intelligentium hoc sapiamus, quia non sumus perfecti ad illam comparationem quam percepturi sumus in die judicii. *Et si quid aliter* sentitis, vel sapitis de hoc quod diximus, et hoc non ex vobis, sed Deus illud manifestabit. Beatus Beda loquens quodam loco ex dictis Apostoli ait : Unusquisque in suo sensu abundet et si aliud quid sapitis, *et hoc vobis Deus revelabit.* Quid ergo : Si hæreticus est, debet in suo sensu abundare? Minime. Non de hæretico loquor, sed de Christiano. Unusquisque, inquit, fidelis in suo sensu abundet, id est, quod credit opere impleat studeatque abundare virtutibus : et si quid aliud sapit quod contra fidem fit, propter bona opera quæ habet, revelabit illi Deus, ut illud corrigat, sicut fecit Cypriano Carthaginensi episcopo, qui unam mersionem tantummodo dabat baptizandis, ignoranter hoc agens. Sed quia bonis operibus inserviebat, et quod intelligebat opere implebat, meruit revelationem percipere a Domino, ut trinam mersionem daret baptizandis.

Ad quod pervenimus, id est in fide ad quam perveni ego, docente Domino et vos me prædicante, in ea maneamus ambulantes de virtute in virtutem, *ut idem sapiamus*, subaudis de Christo, id est unam fidem habeamus, *et permaneamus in regula*, id est in rectitudine fidei.

Frtares, imitatores mei estote. Imitatio est cujusque rei quædam cognitio : imitari est sequi et est sensus : Si Christum non potestis imitari et sequi, saltem me imitamini discipulum ejus in fide, in opere, in doctrina : ut sicut ego credo, operor, doceo, ita et vos credatis, operemini, doceatis. *Et observate eos.* Hoc verbum, quod est observare, varias habet significationes. Aliquando significat declinare et cavere, ut ibi, observate eos qui dissensiones et offendicula faciunt, id est declinate ab eis. Aliquando insidias moliri, ut ibi : Et ipsi observabant, id est insidias tendebant. Aliquando imitari, ut hic, observate, id est imitamini tale qui formam doctrinæ nostræ habent, qui ita credunt, vivunt et docent, *qui ita ambulant*, id est qui ita vivunt sicut et ego, *sicut habetis formam nostram*, id est formam doctrinæ nostræ.

Multi enim ambulant, id est non recte vivunt, sicut pseudoapostoli, *quos sæpe dicebam vobis*, id est, quos sæpe prædicabam vobis cavendos esse, cum apud vos essem præsens. *Nunc autem et flens dico.* Imitanda est charitas Apostoli, qui etiam inimicos crucis Christi deflebat : sicut Samuel inimicum suum Saul ; et sicut idem Apostolus Corinthios alibi, qui post fornicationem non egerunt pœnitentiam. *Inimicos crucis Christi flens dico*, ut declinetis ab illis, *quorum finis*, id est mors præsentis vitæ, *interitus*, est illis, id est perditio æterna : quia ut ab hac vita transierint, tradentur pœnis sempiternis. Inimicos crucis Christi appellat Judæos et alios infideles, qui dicebant non posse hominem salvari per fidem Dominicæ passionis sine circumcisione. *Quorum Deus venter est*, subaudis ab illis declinate. Quorum Deus venter est? Illorum qui ideo prædi-

cant, ut ventrem suum possint implere. *Et gloria in confusione ipsorum*, id est, in verecundo et pudendo membro genitali, quia gloriantur se circumcisos esse. *Qui terrena sapiunt*, id est, qui legem non spiritaliter, sed terrene intelligunt : vel qui carnalem circumcisionem in se et in aliis observare volunt.

Nostra autem conversatio in cœlis est. Jungit se cæteris sanctis, qui terram corpore, cœlum vero mente inhabitant. *Unde*, id est de cœlis, *etiam Salvatorem exspectamus*, subaudis venturum ad judicium, *qui reformabit*, id est renovando formabit, *corpus humilitatis nostræ.* Corpus nostrum corpus humilitatis est, quod per mortem in pulverem et vermes humiliari potest. Istud corpus primum formavit in utero materno, sed iterum reformabit illud per gloriam resurrectionis. *Configuratum*, id est assimilatum *corpori claritatis suæ*, id est in gloria et immortalitate : quia illam claritatem habebunt corpora sanctorum post diem judicii, quam habuit corpus Christi clarificatum in monte, quia similes angelis erimus et poterat aliquis dicere : Quomodo poterit corpora nostra reformare, quæ a vermibus erunt corrupta, et in pulverem redacta? Ad hæc beatus Apostolus : *Secundum* illam, inquit, potestatem qua semetipsum tertia die ressuscitavit, et qua sibi potuit omnia subjicere, corpora etiam nostra in die judicii reformabit ad claritatem suam. *Operationem qua possit*, id est, potest vel potuit, *subjicere sibi omnia.*

CAPUT IV.

Itaque, fratres mei in fide, *charissimi* in dilectione, *et desideratissimi* opere vel affectu, *gaudium meum*, subaudis in præsenti.

Et corona mea, subaudis in futuro, quia vos Deo acquisivi, *sic state*, id est sic perseverate in fide, in opere, in doctrina, sicut a me audistis et vidistis.

Evodiam rogo et Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino, subaudis quod nos sapimus, ego aliique fideles, quia ita sapiunt et credunt perfecte sicut et ego. Sapientes et religiosæ mulieres erant apud Philippenses quæ prædicabant domi in suo sexu· parvulos etiam et parvulas docebant, non tamen in ecclesia, quia idem Apostolus hoc præcipit ut mulieres in Ecclesia taceant.

Et te, Germane compar. Germanus comes erat ipsius in fide, in officio prædicationis, et tamen dives : ideoque præcepit ut ipse qui abundabat opibus, vel etiam in prædicatione adjuvaret illas. Compar, comes in fide et officio. *Adjuva illas*, subaudis supra memoratas, quæ mecum laboraverunt, subaudis docentes in suo sexu. *Cum Clemente.* Clemens philosophus fuit, sed postea discipulus apostolorum Petri et Pauli factus, præfuit Ecclesiæ Romæ præsul, et pro Christi nomine in mare est præcipitatus. *Et cæteris adjutoribus meis.* Ne Philippenses dure acciperent, quod illorum nomina in hac epistola non continerentur, ideo subjunxit : Et cæteris adjutoribus meis, *quorum nomina sunt in libro vitæ*, et est sensus : O Philippenses, nolite graviter ferre quod omnes vos in Epistola mea non nominavi, quoniam etsi in mea Epistola non estis scripti, in libro tamen vitæ continemini, quia mei adjutores estis. Iste est liber vitæ de quo Dominus dicit : *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* x), id est in libro vitæ, id est in memoria omnipotentis Dei.

Gaudete in Domino semper. Vos qui non gaudetis in temporalibus rebus, negotiis terrenis, caducis, et transitoriis, gaudete in Domino, in fide, in ore, et opere : mente, et corpore.

Modestia, id est mansuetudo et humilitas, *vestra nota sit omnibus hominibus*, fidelibus et infidelibus hæreticis falsisque fratribus. Fidelibus nota sit, ut vestro exemplo coroborentur in omni bonitate, imitatores vestri facti, ut vos mercedem recipiatis. Infidelibus nota sit, ut videntes vestram religionem et bonam conversationem, non possint infamare vestram fidem et nomen Domini salvatoris, sed potius vestro exemplo revocentur ab errore. Dominus, prope est omnibus videlicet qui recte credunt, juste vivunt, bene docent et cor immaculatum habent : vel prope est, ut vos ab hac vita abstrahat per mortem carnis : vel prope est, ut ad judicium veniat.

Nihil solliciti sitis de mundanis terrenisque rebus. Sollicitudo est superflua cura. Sed justi non debent superfluam curam habere de rebus transitoriis, sed in Domino omnem spem ponere, juxta quod Psalmista ait : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet* (*Psal.* LIV) : *Sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione.* Oratio est pro præteritis excessibus et delictis, obsecratio pro adipiscendis futuris, gratiarum actio pro collatis beneficiis. Ideo debemus omnipotenti Deo gratias referre pro beneficiis collatis, ut cum de perceptis muneribus non inveniamur ingrati, de percipiendis non judicemur indigni. *Petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Nolite, inquit, superfluam curam assumere pro temporalibus rebus, sed petitiones vestræ innotescant apud Deum, id est notæ fiant Deo per ministerium angelorum. Si ergo omnipotens Deus omnia non solum præterita et præsentia, sed etiam futura cognoscit, et non solum opera, sed etiam cogitationes discernit, et totus ubique est, quid necesse est ut per ministerium angelorum renuntientur ei quæ agimus? Non ergo ideo illi nuntiant, quod illum aliquid lateat, juxta quod Salomon ait : Tu solus nosti corda filiorum hominum, sed ut officium et ministerium suum adimpleant, quia nuntii sunt.

Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum. Exsuperat, id est transcendit omnem sensum et angelorum et hominum, non tamen Dei. De qua pace loquitur? Qua reconciliati sumus Deo per passionem Filii ejus. Ante adventum siquidem Domini longe eramus a Deo, et discordes eramus tam Deo quam angelis, sed per passionem Filii Dei reconciliati sumus Deo. Ista reconciliatio necesse est ut semper nos custodiat. Exsuperat autem omnem sensum præter sensum Domini, quia nemo angelorum, nemo hominum potest penetrare mysterium passionis Filii Dei

et nostræ reconciliationis, et quanta fuerit charitas in illo : quia cum Deus esset, pro vobis homo fieri dignatus est. *Custodiat corda vestra et intelligentias vestras*. Cor et intellectus pro uno est accipiendum. *In Christo Jesu*, id est per Jesum Christum. vel in fide Jesu Christi.

De cætero, fratres, præter illa superius memorata, *quæcunque sunt vera, quæcunque pudica. quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia*, id est omnia quæ in Evangelio habentur cogitate, et cogitando opere implete, quia illa sunt vera. Omnia vera sunt pudica et casta, quia ab omni mendacio sunt, inviolata et incorrupta. Illa sunt justa et sancta, quæ sanctitatem et justitiam docent. *Quæcunque* sunt *bonæ famæ*, id est, quæ bonam famam nos faciunt habere, omnia ista cogitate et perficite. *Si qua virtus*, subaudis fidei, operationis, doctrinæ, et unde laudari Deus potest, illa Deo applicate, non vestris meritis.

Quæ audistis, subaudis per litteras nostras, vel a meipso, *et vidistis*, in opere, *hæc agite : et Deus pacis erit vobiscum*, hoc est, Deus qui est pater pacis, id est, Domini nostri Jesu Christi qui est pax nostra, qui fecit utraque unum.

Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando, etc. In principio prædicationis Apostoli, quando Philippenses crediderunt, maximam humanitatem præbuerunt ei, ministrantes ei læto animo quæ necessaria erant ; sed cum cœpissent persecutionem pati a suis civibus infidelibus, et tribulari a persecutoribus, cessaverunt a ministratione : neque enim poterant in seditione ac persecutione positi, officium charitatis ita implere, sicut tempore pacis. Cum vero reddita esset illis tranquillitas Domino suffragante, reversi sunt ad pristinam conversationem, cœperuntque ministrare Apostolo aliisque sanctis quæ necessaria erant. Quapropter congaudet Apostolus illorum bonitati, et dicit : Gavisus sum valde, quoniam tandem, id est ad ultimum, aut vix aliquando *refloruistis*, id est florem virtutum, protulistis, reversi ad priorem conversationem et consuetudinem. Floruistis, id est florem bonæ operationis protulistis, id est affectum dilectionis erga me exhibere cœpistis, sicut ante exhibebatis. *Occupati autem eratis*, subaudis in persecutione civium. Excusat eos modo, dicens : Indulgeo vobis si ad tempus illud omisistis, quia detenti eratis in persecutione inimicorum.

Non quasi propter penuriam, id est indigentiam, hoc *dico; ego enim didici in quibus sum, sufficiens esse*, id est, ego scio in quibus possum sufficientiam habere, quia scio indigentiam patienter ferre, et abundantiam cum temperantia disponere. Multi sunt qui positi in paupertate, nesciunt eam patienter ferre : et sunt multi qui positi in abundantia, nesciunt temperantiam habere, sed comedunt et bibunt ultra modum, et utuntur his quibus abundant intemperate : quorum numero erat Apostolus alienus.

Scio et humiliari, id est scio penuriam patienter sustinere : *scio et abundare*, id est in abundantia temperans esse, ne corrumpar ab ea. *In omnibus institutus sum, et satiari*, id est abundare, *et esurire*, id est penuriam pati.

Omnia possum in eo qui me confortat. Ne videretur sibimetipsi tribuere hoc quasi suis viribus potuisset in penuria patiens esse, et in abundantia temperans, ait : Omnia autem ista in eo possum implere qui me confortat, id est in Christo, qui mihi possibilitatem tribuit.

Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ, id est, quamvis ego nullo indigeam, bene fecistis vos, charitatis officium in me adimplentes, compatiendo passionibus meis, et mittendo mihi quæ erant necessaria.

Scitis autem, etc., usque, *profectus sum a Macedonia*. Macedonia provincia est Græcorum, dicta a Macedone, et Thessalonica civitas est a Thessalo rege dicta. In hoc ergo quod laudat Philippenses, qui ei necessaria miserunt, vituperabat alios qui ei nullum obsequium præbuerunt. *In ratione dati et accepti*. Quidquid accipitur vel datur ratio inde potest esse. Ratio dati est quia scit dator quod dat, aut quantum dat, aut cui dat, utrum aurum, an vestimentum det, libram auri, aut equum. Ratio accepti est, quia scit ille qui accipit metallum aliquid aut vestimentum, quantum accipit, et a quo accipit; et est sensus : Ex omnibus de quibus potest esse ratio dati et accepti, non ministraverunt mihi, quia ipsi nihil dederunt, et ego nihil accepi.

Non quæro datum, subaudis tantummodo, *sed requiro fructum*, id est benevolentiam et benignitatem animi, *abundantem in oratione vestra*, id est ad utilitatem vestram. Quidam codices habent : Abundantem in oratione vestra. Oratio Apostoli, oratio Philippensium erat, quia pro illis orabat. Et quando quilibet orat pro aliquo, si vita illius munda fuerit, pro quo oratur, sublevat orationem deprecantis, ut a Deo exaudiatur, sicut e contra vita mala ejus pro quo oratur impedit orationem illius qui pro ipso orat. Unde dicit Dominus Jeremiæ : *Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te* (*Jer.* VII) Ergo beati Pauli oratio quam pro illis fundebat, bona vita illorum sublevabatur. Unde dicit : Non requiro tantummodo datum, sed requiro benevolentiam et benignitatem abundantem in oratione vestra, id est ut vestra voluntate sublevet oratio, quando pro vobis fundo.

Habeo autem omnia, et abundo. Ille omnia habet qui nullo indiget, qui præter necessaria nihil requirit. *Repletus sum*, inquit, subaudis omni abundantia, *acceptis ab Epaphrodito*, subaudis muneribus, *quæ*, subaudis munera, *misistis mihi*. Miserant illi Philippenses aut aurum, aut argentum, aut vestimenta, per Epaphroditum, in quibus ille multum lætatus et gratulatus est, non tam pro sua quam pro aliorum necessitate. *In odorem suavitatis*. Odor suavitatis est apud Deum, intentio bona et voluntas promptissima offerentis, de qua legimus in Genesi, quia odoratus est odorem suavitatis Dominus,

quando Noe obtulit sacrificium Deo, egressus de arca. Non enim est putandum quod Dominus omnipotens sacrificio victimarum et fumo carnium atque nidore pinguedinis delectetur, sed intentione bona et voluntate promptissima offerentis. Si enim fumo et nidore carnium delectaretur, nequaquam diceret per prophetam : Sacrificia vestra odivit anima mea.

Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum. Tale desiderium habebant Philippenses, ut socii et comparticipes merentur fieri beati Apostoli, id est sensus : Concedat, præstetque Deus meus, ut sicut participes estis passionis meæ et condoletis tribulationibus meis, ita sitis participes præmiorum meorum, et congaudeatis lætitiæ meæ. Et qualiter fiet istud? *Secundum divitias suas in gloria* æterna. Quæ sunt illæ divitiæ? Quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, id est, gaudia æterna et præmia sine fine mansura. Et hoc in Christo Jesu, hoc est, per Christum Jesum.

Deo autem et Patri nostro, id est sanctæ Trinitati quæ unus Deus est, maneat honor in sæcula sæculorum, id est per omnia futura sæcula.

A *Salutate omnem sanctum*, id est omnem sanctificatum in baptismate, vel qui sine crimine, et sine graviori peccato florent. *Maxime autem qui de Cæsaris domo sunt.* Quare addidit : Maxime autem illos qui de Cæsaris domo sunt? ut illos Philippenses acueret et instigaret ad fidem servandam, et bonis operibus laborandum, quasi diceret : O Philippenses, attendite : si illi qui apparitores sunt imperatoris, et ei semper assistere debent in palatio illius, veniunt ad fidem pro nihilo deputantes iram imperatoris, et viriliter in fide et doctrina laborant, quanto magis vos debetis ferventi animo fidem servare, bonis operibus insistere, qui longe ab aula regali remoti estis, neque terremini jussu malignorum principum. Nam manente Apostolo in carcere in do- B mo imperatoris, multi ex domo Cæsaris veniebant ad eum : et docti ab illo, baptizabantur in tantum ut (jam diximus) domum persecutoris facerent Ecclesiam Redemptoris.

Gratia Domini, id est fides vel salus, et redemptio atque remissio peccatorum maneat *cum spiritu vestro*, id est in corde vestro et mente : quia si manserit in mente, manebit et in corde, etc.

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

CAPUT PRIMUM.

Mysterium quod absconditum fuit a sæculis et generationibus. Mysterium incarnationis passionisque Filii Dei et redemptionis generis humani absconditum fuit ab initio mundi sapientibus hujus sæculi, patriarchis autem et prophetis aliisque quamplurimis justis patefactum est.

Quod est Christus, in vobis spes gloriæ. Christus est spes gloriæ electorum, quia quicunque firmiter in eum credunt, sperant se accepturos vitam æternam, et gloriam quam ipse promisit.

Corripientes omnem hominem. Omnem hominem debemus hic intelligere Judæum et gentilem, dominum et servum, ditem et pauperem, omnemque sexum et conditionem, quibus præceptum est apostolis prædicare. Sed quod dicit : *Corripientes omnem hominem*, pertinet ad ingratos et superbos ; et quod dicit, *docentes*, pertinet ad humiles et subjectos. *In omni sapientia.* Id est in fide sanctæ Trinitatis, in qua est omnis sapientia. *Perfectum in Christo Jesu.* Hoc est in fide Jesu Christi, secundum quod in præsenti sæculo potest quilibet electus perfectus esse. In præsenti etenim sæculo nemo potest esse perfectus ad comparationem æternæ perfectionis. Unde idem Apostolus alibi : Quotquot perfecti sumus, hoc sapimus (*Philip.* III), quia subaudis non sumus perfecti. Quod enim nunc videmus in ænigmate et tenemus in spe, tunc possidebimus in re, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III).

In quo et laboro, certando. Duo dicit laborem et certamen, ex quibus unum refertur ad prædicationem, alterum ad conflictum hostium. Laboro, in- C quit, ad prædicationem, certando contra hostes Christi, et hoc non meis viribus, neque mea virtute, sed secundum quod ipse mihi opem tribuit.

CAPUT II.

Volo enim vos scire, o Colossenses, *qualem sollicitudinem habeam pro vobis.* Sollicitudo est maxima cura. Beatus ergo Apostolus eamdem sollicitudinem et studium gerebat de illis qui docebantur ab ejus discipulis, et ad quos ipse mittebat epistolas, licet ipse eos corpore non vidisset, quam habebat ex his quos proprio ore docebat. Ideo autem talia loquebatur blandiendo, ut illorum animos mulceret, et Epistolam ejus reciperent. *Et pro his qui sunt Laodiciæ.* Laodicia est civitas Græciæ. *Instructi.* Id est D firmati et docti. *In charitate.* Id est in dilectione Dei et proximi, *in agnitionem mysterii Dei*, id est in cognitione sanctæ Trinitatis, et fide Domini salvatoris, credentes eum pro salute nostra venisse in carnem.

In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ. Sapientia refertur ad humanam rem, scientia ad divinam : et in Christo Jesu est sapientia, qualiter temporalia et humana dispenset, et quomodo divina ordinet. Vel sapientiam in humanis, et in divinis scientiam abscondit quia non omnibus patent. Ante Domini adventum, nomen Domini Patris incognitum fuit cunctis retro generationibus, non illud nomen quod Deus, sed quod Pater vocatur, sicut ipse Filius ait : *Pater, manifestavi nomen tuum* (*Joan.* XVII).

Hoc autem dico, subaudis ut sitis firmati in chari-

tate, *ut nemo vos decipiat in* subtilitate, id est in tenuitate sermonum, et in calliditate, vel in syllogismis. Quidam codices habent in sublimitate, quod idipsum est in altitudine.

Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens de fide vestra *et videns ordinem vestrum*, id est, revelante Spiritu sancto qui in me est, cognosco omnia quæ circa vos aguntur in fide, bonisque operibus, quasi præsens sim in corpore. Dicit namque beatus Hieronymus quodam loco, tantam ei gratiam datam esse ut cuncta cognosceret, quæ circa illos agebatur, quos vel ipse vel discipuli ejus docuerunt. *Et firmamentum ejus*. Firmamentum fidei Christi appellat firmam perfectamque fidem, quæ operibus bonis ordinatur.

Sicut ergo accepistis, id est acceptum habuistis, *in ipso*, id est in fide ipsius, *ambulate radicati*. Quod dicit radicati, id est ædificati in Christo, *et confirmati* in *fide* illius, unum et hoc est, ut fidem quam habetis bonis operibus exornetis. *Sicut et didicistis*, subaudis a discipulis nostris, *abundantes*, hoc est in fide illius, *in gratiarum actione*, id est semper reddentes illi gratiarum actionem ex omnibus quæ habetis.

Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, id est humanam sapientiam *et inanem fallaciam*, per quam falluntur homines. Prævidebat Apostolus qui erant philosophi gentium, insuper et Judæorum, qui volebant Colossenses per sublimitatem humanæ sapientiæ a fide separare. Dicebant enim quia sicut nihil est corporeum quod possit gignere per se aliquod corpus sine commistione corporalis rei quæ est femina, ita femina non potest gignere sine commistione viri. Et hoc dicebant, attendentes ad naturam elementorum, non ad potentiam divinitatis, quæ naturam elementorum potest mutare. Naturam autem dixi, id est ordinem. Nam natura est, ut omnis creatura Creatori suo obtemperet. Sic etiam dicebant quia si beata Maria virgo concepit, et virgo peperit, tamen post partum virgo non fuit. Ideoque illos alloquitur, ne ab his deciperentur. *Quia in ipso*, id est in Christo, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Non ideo dicit corporaliter, quod ipsa divinitas sit corpus, licet quædam substantia sit viva, sed corporaliter posuit pro eo quod est veraciter, substantialiter, pleniter. Aliter enim habitat in singulis electorum, aliter in Christo, quia illis datur spiritus ad mensuram, in illo autem pleniter. Habitavit enim in Salomone per sapientiam, in Daniele per castitatem, in prophetis per sanctitatem, in Moyse per mansuetudinem, in Christo vero per omnem virtutem et innocentiam. Aliter: Corporaliter, id est sicut in templo suo, qui habitatio totius divinitatis corpus Christi fuit. Plus enim habitavit in illo, quam in templo Judæorum.

Et estis in illo, id est Christo, *repleti* vel per illum est repleti fide, *qui est caput*, id est principium et initium: quia ipse tenet principatum super omnia cœlestia et terrestria. *Omnis principatus et potestatis*. Potestates autem sunt per quas sancti ejiciunt dæmones de obsessis corporibus: principatus qui principantur aliis ordinibus.

In quo, id est in Christo, *circumcisi estis*, id est mundati ab omnibus peccatis in baptismate Christi, *non* circumcisione *manufacta* qua ipse circumcisus est octava die secundum morem Judæorum. Illa petra fiebat, et ista mundatio per Christum, qui est petra.

Consepulti ei, id est sepulti simul in baptismate ei *in quo*, id est in Christo, *et resurrexistis* a peccato et vitiis *per fidem*. Quomodo sumus consepulti ei? Verbi gratia: Mortuus est in cruce Christus, positus est in sepulcrum, de sepulcro vivus surrexit, et jam non moritur. Similiter et nos quando interrogante sacerdote juxta fontem stantes abrenuntiamus diabolo et omnibus pompis ejus, quasi tunc morimur, cum vero in fontem descendimus, quasi tunc, in sepulcro sepelimur: et cum de fonte eximus mundati, tunc quasi resurgimus. Sed cavendum est, ut sicut Christus jam non moritur ita et nos non moriamur in peccato. *Per fidem operationis Dei*. Virtus Divinitatis quæ tertia die Christum resuscitavit, ipsa operatur in nobis fidem.

Et vos cum essetis mortui in delictis, et præputio carnis vestræ. Delicta et præputium pro uno, id est pro carnalibus peccatis, vel delicta ad transgressionem post peccata pacta, *donans*, id est indulgens.

Delens quod adversus non erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis. Chirographum dicitur manuscriptio. Nam χείρ manus, γραφή scriptura. Decretum autem vocat legem et statutum quod Deus præcepit Adæ, dicens: *Ex omni ligno paradisi comede*, etc. Usque *morte morieris* (*Gen.* II). Peccatum ergo quod primus parens noster commisit, in quo omnes peccavimus, mortalesque effecti sumus, appellat modo chirographum decreti, quia in memoria omnipotentis Dei mansit scriptum, usque dum Filius Dei veniret qui illud daret: Unde dicitur a Deo in psalmis in cantico Moysi: *Nonne hæc condita sunt apud me et signata in thesauris meis* (*Deut.* XXXII)? Per manum enim intelligitur operatio, et quando extendit manum, ut contingeret lignum vetitum, quasi tunc scripsit chirographum decreti, id est manuscriptionem quod tunc ageret contra Dei decretum: Quod chirographum contra nos erat, quia omnes trahebat ad mortem et nemo poterat justificari quoadusque per Dominum deletum est. Quomodo ergo delevit illud? Innocenter et sine peccato vivendo in mundo, vel, innocenter in cruce moriens pro peccatoribus. *Ipsumque*, subaudis chirographum vel peccatum, *tulit de medio, affigens illud cruci*, quia sicut diximus, tunc crucifixit illud, id est occidit in semetipso, quando sine peccato vixit, vel quando innocens pro peccatoribus mortuus est. Alia translatio habet: Exspolians se carne moriendo in cruce, et exemplavit, id est exemplum dedit innocenter vivendo, triumphans de principatibus ac potestatibus tenebrarum. *Et ipsum tulit de medio*, subaudis no-

strorum, quia factus mediator noster abstulit peccata nostra quæ quasi in medio erant quando nos separabant a Deo.

Exspolians principatus, id est dæmoniacas potestates exspoliavit animabus hominum mortuorum, et potestatem de hoc mundo auferendo, *et potestates traduxit*, id est superavit cum fiducia, *palam triumphans illos in semetipso*, quia per se vixit innocenter, et palam est crucifixus. Triumphans, devincens, superans in semetipso iisdem modis quibus diximus.

Nemo ergo vos judicet, id est nullius judicium attendatis in hac parte : ut abstineatis ab his quæ Deus mandavit. Nam *non quod intrat in os, coinquinat hominem* (*Matth.* xv). *In cibo aut in potu*, *aut in parte diei festi*, dicentes alios dies festos esse. Dies ducunt et sabbata observant quiescendo a vitiis, et transeundo de vitiis ad virtutes.

Quæ sunt umbra futurorum, subaudis omnia superius dicta de cibo et potu, quæ in lege habentur, umbræ sunt aliarum rerum quæ in Christo et in Ecclesia completa sunt, et complentur. *Corpus autem Christi*, id est veritas et corpus illarum rerum vel umbrarum, Christus est et Ecclesia. Erant enim Judæi qui voluerunt simul observare legem et Evangelium, et ipsi suadebant Colossensibus similia agere, hoc est, in circumcisione, in celebratione festivitatum legalium. Dicebant enim : Estis baptizati, debetis circumcidi, communicastis jam corpori et sanguini Domini, debetis sacrificia legalia offerre, comedere debetis quæ lex præcipit, et abstinere ab his quæ prohibet : et si ceciderit mus in puteum, non debetis bibere. Sed ut ab illis non seducerentur, scribebat Apostolus eis talia, quia in Domini adventu omnia mundata sunt, et cessavit lex in mysteriis.

Nemo vos seducat, vel separet a fide, *volens*, subaudis vos, *in humilitate*, subaudis sensus decipere. Humilis dicitur humi acclivus. Volens vos decipere in humilitate, id est humili sensu et humili doctrina quæ utilitatem non habet, sicut est in differentia ciborum et de observatione. *Et religione angelorum*, id est in cultura angelorum. Erant philosophi gentium et aliqui Judæorum qui dicebant : Sicut sunt quatuor elementa, ita sunt quatuor angeli, qui præsunt singulis elementis. Hi ergo dicebant ad illos qui crediderant volentes apparere religiosi : quia ex quatuor elementis constatis, debetis angelis illis qui præsunt elementis aliquam culturam et sacrificia offerre. Sed quia nihil erat, quod dicebant, subjunxit Apostolus : *Quæ non vidit*, subaudis docens, *ambulans*, *frustra*, *inflatus sensu carnis suæ*, id est, de suo errore et mendacio ambulans inflatus. Ex hoc enim quod videbantur aliquid scire, superbiebat in mente, præferens humilitatem in vultu. Vel, sicut alia editio habet, quæ non vidit inculcans, id est replicans frustra. Licet enim illam religionem falsam vidissent a quibusdam celebrari, tamen ipsos angelos non viderunt, neque ea quæ docebant.

Et non tenens caput, id est non adhærens capiti, id est Christo, qui est caput omnium sanctorum. *Ex quo totum corpus subministratur*, id est multitudo sanctorum angelorum et multitudo hominum augmentatur. *Et* construitur *per nexus*, id est copulationes et connexiones et conjunctiones, *crescitque* sive augetur *in augmentum Dei*. Sicut ergo corpus construitur ex multis membris multisque compagibus, ita ex multis gentibus, multisque provinciis ac multis generibus hominum augmentatur et crescit, quando quotidie numerus fidelium crescit.

Si mortui estis cum Christo, subaudis tempore baptismatis, *ab elementis hujus mundi*, id est erroribus pompisque, *quid adhuc tanquam viventes in mundo*, subaudis in mundo, *decernitis*, id est cur discretionem facitis inter cibos. Aliter : Si mortui estis ab elementis hujus mundi : elementa mundi sunt omnia corporalia et visibilia et transitoria. Quando vero gentiles Deum ignoraverunt, elementis mundi servierunt quia illis serviebant et ea adorabant. Venientes autem ad fidem mortui sunt elementis hujus mundi, id est erroribus et superstitionibus, sive variis et vanis culturis, abrenuntiantes diabolo et omnibus pompis ejus atque erroribus ejus. Possumus autem et per elementa mundi intelligere legem quæ præcipiebat discretionem facere inter pecus et pecus, et inter cibos et cibos. Sed postquam Dominus dixit : *Non quod intrat in os*, *coinquinat hominem* (*Matth.* xv), statim omnis illa discretio cessavit. Unde dicit Apostolus tam Judæis quam gentibus : Si mortui estis cum Christo ab elementis, id est erroribus atque pompis et vanis religionibus tempore baptismatis, quid adhuc discretionem facitis ciborum, cum Deus omnia munda esse dixerit?

Ne tetigeritis, *neque gustaveritis, neque contractaveritis*. Hæc vox illorum est qui dicebant : Ne tetigeritis, ne contrectaveritis mortuum, neque scabellum ubi sedit mulier menstruata, quia immundi eritis, neque gustaveritis carnem suillam neque leporinam, quia immunda est, et cætera talia.

Quæ omnia, subaudis quæ lex concedit seu prohibet, *sunt in interitum ipso usu*, id est ipsa consuetudine edendi in interitum sui vadunt, quia in stercus rediguntur omnia statim ut comesta fuerint. *Quæ sunt quidem rationem habentia sapientiæ*, subaudis mundanæ, *secundum præcepta et doctrina hominum*, id est secundum traditionem Scribarum et Pharisæorum, et secundum illos qui causa infirmitatis nolunt ea comedere, dicentes : Nolo comedere carnem suillam quia melancholicus sum, neque anguillam. Sed ista sapientia non secundum Deum, quia non pertinet ad religionem *in superstitione et humilitate*, subaudis quæ est etiam in superstitione, id est vana religione et superfluo timore : hoc est enim superstitio, subaudis humilis sensus. Superfluus timor est vana religio atque humilis sensus, ea nolle comedere, et dicere immunda, quæ Deus sanctificavit : nisi causa abstinentiæ aliquis se ab his observet, sicut et a vino. Quæ sunt etiam *non ad parcendum corpori*, id est non ad conservandam sanitatem corporis : quia dum non vult comedere quæ habet

et appetit quod non habet, dicens : Noli comedere A hoc, quia immundum est, sed si haberem carnem arietinam, illam comederem, infirmatur et debilitatur qui talibus escis sustentatur. Quæ sunt etiam, *non in honore aliquo*, sed *ad saturitatem carnis*, id est nullum majorem honorem præstat aries corpori quam lepus præstaret, si eum comederet, tantummodo ut venter repleatur.

CAPUT III.

Fratres *si consurrexistis cum Christo*, id est de morte ad vitam tempore baptismatis, *quæ sursum sunt sapite*, id est gaudia patriæ cœlestis. Christus est sursum habitans in plenitudine paternæ majestatis, et ubi est, illuc debemus anhelare : et quæ sursum sunt sapere, id est perpendere et intelligere, et B in his animum ponere, *non* in his *quæ supra terram* sunt transitoria.

Mortui enim estis. Mortui estis peccato tempore baptismatis, sicut paulo supra diximus, *et vita vestra*, id est beatitudo, *abscondita est cum Christo in Deo*. Vita enim vestra et beatitudo Christus est, sicut ipse dixit : Hæc est vita æterna, *ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Ideo ubi ille est, ibi est vita et beatitudo nostra abscondita, non ut nobis denegetur vel occultetur, sed ut potius conservetur nobis ad salutem.

Cum Christus apparuerit vita vestra, subaudis in judicio gloriosus et fulgidus, *tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria*, gloriosi et fulgidi, sicut ipse promisit.

Mortificate ergo membra vestra, id est malos usus C membrorum. In Epistola ad Corinthios multitudinem peccatorum appellat Apostolus, corpus, dicens ita *ut destruatur corpus peccati* (*Rom.* VI). Sicut enim multa membra faciunt unum corpus, ita multa peccata faciunt unum corpus, id est unam summam; et est sensus : Mortificate membra, id est malos usus membrorum, et malam consuetudinem peccandi per efficientem, id quod efficitur, ostendens. Neque præcipit ut mortificemus gladio materiali corpus nostrum et membra nostra, sed peccata. Tunc enim mortificamus membra nostra, cum desistimus peccare : et quod peccata in nobis mortificamus, quasi tot membra occidimus, *quæ sunt super terram*, id est quandiu estis in mundo. *Fornicationem.* Fornicarii sunt cum puellis D liberis, aut cum jumento, aut aliquid tale. Adulterare vero est, alterius torum violare, id est cum alterius uxore, aut cum Deo sacrata, quæ Dei uxor est. *Libidinem.* Omnis incontinentia libido appellatur. *Concupiscentiam malam.* Ideo dicit *concupiscentiam malam* quia est et concupiscentia bona de qua dicitur : Fili, concupisce sapientiam, serva mandatum; et : Cupio dissolvi, et esse cum Christo. Concupiscentia mala est, appetere mala. *Et avaritiam quæ est simulacrorum servitus.* Quomodo est simulacrorum servitus, avaritia? Ideo, quia sicut ille servit diabolo, qui omnipotentis Dei culturam et religionem, quæ illi soli convenit, et singulare nomen ut Deus vocetur, quantum in se est, illi aufert, et dæmonibus impendit, ita et ille servit diabolo, qui bona omnipotentis Dei communia, quæ omnibus hominibus communiter data sunt, in proprios usurpat usus. Recte etiam avaritia idololatriæ comparatur, quia dum metallis, auri et argenti, de quibus simulacra fiunt, homines immoderate serviunt, aurum pro Deo venerantur (*Exod.* XX) : quia servi sunt divitiarum. Vel tertio modo avaritiam idololatriæ comparavit, ut nihil scelestius demonstraret. Radix enim malorum est avaritia, ideoque monet illam omni ratione fugiendam.

Propter quæ facinora, id est superius dicta, *venit ira Dei super filios* qui perierunt in diluvio et in Sodoma aliisque civitatibus, et super filios *incredulitatis*, id est super illa sexcenta millia quæ in deserto mortua sunt, incredulitatem cordis habentes, *in quibus*, subaudis peccatis, *et vos ambulastis aliquando cum viveritis*, peccato ante fidem, et essetis mortui Deo, sed nunc jam non ambulatis :

Nunc autem deponite et vos omnia, subaudis superius dicta, vel ea quæ sequuntur : *iram*, quia ira viri, justitiam Dei non operatur; *indignationem*, id est nolite indignari minoribus, si reprehendimini ab illis *Malitiam*. Malitia est mala voluntas. *Blasphemiam*, id est derisionem in Deum et proximum; *turpem sermonem*, id est otiosum verbum vel joculare *de ore vestro*, subaudis deponite.

Nolite mentiri invicem : Omne mendacium a diabolo est : quia ipse mendax est, et pater ejus, ideoque filii veritatis veritatem debent loqui cum proximis, *exspoliantes vos veterem hominem*. Veterem hominem appellat hic Veteris hominis conversationem et vitam. Quæ est conversatio veteris hominis? infidelitas, inobedientia, concupiscentia mala, rapina, adulterium, homicidium, et cætera talia. Quousque ergo renovetur in baptismate regenerationis : semper in vetustate erit, quia originalibus peccatis et actualibus tenetur obnoxius. Sed debet baptizari et induere novum hominem, id est novam mentem, et novam novi hominis conversationem. Quæ est conversatio novi hominis? Virtutes sectari, et omnia bona in se habere. Et ne putaremus quod hominem exteriorem præciperet renovari ad alicujus rei similitudinem, subjunxit : Eum hominem, inquit, præcipio renovari, *qui renovatur in agnitionem* Dei *secundum imaginem ejus qui creavit eum*, id est hominem interiorem : anima et mens quæ ad imaginem Dei facta est, sancta, justa et rationabilis et immortalitas. Homo autem exterior, id est corpus, non est ad imaginem Dei factus, quia Deus spiritus est. Duæ autem sunt renovationes, una momentanea, quæ fit in baptismate, altera quæ fit quotidie, quando pro studium legendi Scripturas sacras ea studet intelligere de Deo, quæ antea ignorabat, ex quo quotidie mens renovatur. Potest fieri etiam tertia renovatio post lapsum per pœnitentiam, *in agnitionem*, id est ad cognitionem, *secundum imaginem ejus qui creavit eum*, quia homo ad imaginem Dei factus est.

Ubi non est gentilis et Judæus. Ubi, id est in mente hominis ubi est imago Dei, non præjudicatur apud Deum sexus vel conditio, aut genus, aut provincia, id est nulla distantia est hominum apud Deum, quia in anima non est sexus, nisi tantummodo sola bona conversatio cum fide recta requiritur : *Barbarus et Scytha.* Plus est nobis Scytha alienus quam barbarus. Barbarus siquidem nobis potest esse quilibet cujus linguam ignoramus : Scytha autem dicitur a Scythia provincia, quæ est remota ad septentrionem, fulgoribus rigens, moribus barbara, *sed omnia et in omnibus Christus.* Ideo non est ulla differentia, quia omnia, subaudis genera hominum fidelium, Christum habent caput, et in omnibus illis est Christus.

Sancti dilecti unum est. *Viscera misericordiæ,* id est misericordem voluntatem. Viscera dicuntur filii. Viscus etiam significat singulariter promptissimam et bonam voluntatem ; *benignitatem,* id est magnam et bonam voluntatem ; *modestiam,* id est mansuetudinem ; *patientiam,* subaudis in tolerandis adversis.

Supportantes invicem. Supportare nos præcipit Apostolus invicem secundum illud : Alter alterius onera portate. Verbi gratia : Ille qui continens est, et est sine uxore et filiis, et abundat divitiis bonisque temporalibus, debet illum qui incontinens est et habet uxorem et filios, sustentare si necessitas fuerit. Sic de cæteris necessitatibus intelligendum imitando cervos, qui transeuntes per aliquod fretum ad insulam, aut ultra fluvium, sustentantur et supportantur ad invicem, mentum ponens sequens super clunes prioris, et lassato qui prior incedebat, dat locum ut transeat, et ipse ponat iterum mentum super clunes ultimi ; *et donantes,* id est indulgentes, *si quis adversus aliquem habet quærelam,* id est veram causationem. Verbi gratia : Abstulit mihi aliquis equum meum, dum recordabor quod Dominus dixit : Si quis abstulerit quæ tua sunt, ne repetas, debeo ei dimittere, sic de omni re et commisso. *Sicut Dominus donavit vobis, ita et vos.* Sicut Christus qui cum non haberet quod ei dimitteretur, dimisit nobis omnia peccata in baptismate, ita et nos dimittamus proximo in nos peccanti, qui habemus quod nobis dimittatur et a Deo et a proximo.

Super omnia autem hæc superius dicta, *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Vinculum enim perfectionis est charitas, quia per illam omnia bona ligantur ne pereant ; sic homo pro dilectione Dei et proximi omnia agit : unde dicitur dilectio, quia duo homines ligat, vel hominem et Deum ; *in qua,* subaudis pace vel charitate, *vocati estis in uno corpore,* ut unum corpus Christi sitis, *et grati estote,* id est gratiosi estote et accepti tam Deo quam hominibus.

Et *verbum Christi,* id est evangelica doctrina, *habet in vobis,* id est in corde, ore, et opere vestro, *et pax Christi exsultet,* ita etiam vos, in quantum humana fragilitas potest servare, sine peccati macula manentes, ut habeatis in vobis Spiritum sanctum,

A *in omni sapientia,* in omni doctrina Evangelii, et in fide sanctæ Trinitatis, *docentes et commonentes vosmetipsos.* Vos qui sapientiores estis, docete alios et commonete, atque exhortamini vos invicem, in *psalmis,* subaudis Davidicis, *et hymnis,* trium puerorum et sanctorum, *in gratia cantantes,* id est semper reddite Deo gratias, ita ut quod ore canitis, corde intelligatis, et mens concordet voci.

Omne quodcunque facitis in verbo, id est in doctrina, *aut in opere,* subaudis aliquo, *in nomine Domini nostri Jesu Christi,* in omnibus semper dicite: *Deus in adjutorium meum intende* (*Psal.* LXIX), et semper nomen Domini invocate ; *gratias agentes Deo et Patri per ipsum,* id est per Christum : quia ipse est mediator noster et in fide ejus salvamur.

B *Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino.* Mulier, propter culpam, subdita est viro, *sicut oportet, in Domino,* sicut præcipit Dominus in Genesi: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui* (*Gen.* III). In primordio siquidem fidei erant multæ mulieres, quæ se causa religionis abstinebant a consortio maritorum, quas modo alloquitur Apostolus specialiter, ne propterea quia a coitu virorum se abstinebant, resisterent viris, rebellarent, sive repugnarent. Sicut enim sancta Ecclesia subjecta est sponso et viro suo Christo, ita debet esse unaquæque mulier. Erant etiam multi viri, qui similiter abstinebant a coitu vel qui cum aliis mulieribus coibant, et verberabant uxores suas, ne illæ similiter cum aliis agerent, nec aliquid auderent murmurare contra eos, C quos similiter alloquitur.

Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas, id est si sustinetis ad tempus a coitu causa religionis vel quia cum aliis concubitis, nolite eas propterea ad amaritudinem provocare. Sed quæstio hic oritur, quare Apostolus uxorem diligendam prædicet : cum Dominus dicat: Qui... *non odit... uxorem.. non potest meus esse discipulus ?* (*Luc.* XIV). Quæ hoc modo solvitur, ut quantum nobis pater et mater, frater atque uxor per cognationem carnis proximi sunt, diligamus eos, et in quantum nobis adversarios in via Dei cognoscimus esse, odiendo malum eorum, et fugiendo nesciamus.

Filii, obedite parentibus, id est patri et matri, *per omnia,* subaudis quæ Deo placent. Si autem D præceperint vobis homicidium, furtum, rapinam, aut aliquid tale perpetrare, nolite obedire illis. *Hoc enim placitum est in Domino,* subaudis ut obediatis eis. Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant, id est ut non exasperati a vobis fiant iracundi, id est leves ad irascendum, sed vestro exemplo discant esse patientes.

Servi, obedite dominis per omnia, subaudis quæ Deo non displicent. Servi non sunt per naturam, sed per culpam et propter peccatum, sicut Chanaan, filius Cham. Propter peccatum enim venit captivitas et per captivitatem servitus. Unde illi qui servabantur ab hostibus, a servando dicti sunt servi, et man-

cipia quasi manu capta, quia manibus capiebantur; *non ad oculum servientes*. Ille ad oculum servit, qui aliud in secreto agit, et in præsentia Domini servitium explet quolibet modo : absente autem illo, non curat de utilitate illius : *sed in simplicitate cordis*, id est non duplici animo, neque mala voluntate, *sicut Domino, et non hominibus*. Servus qui pro Dei amore Domino carnaliter servit, sperans se inde mercedem recepturum a Deo, illud servitium non homini, sed Deo impendit : ideoque mercedem licet ab illo non recipiat præsentem, tamen non debet se a servitio subtrahere ; *retributionem æternæ hæreditatis*, id est æternam retributionem. *Domino Christo servite*, licet hominibus temporale servitium exhibeatis, tamen pro amore Christi illud implete.

Qui enim injuriam facit, id est si Dominus injuste affligit servum et non reddit ei dignam mercedem, damnationem inde suscipiet. Et si servus fuerit furtivus et de servitio Domini se in aliquo subtraxerit, etiam inde damnabitur. Ne servi dicant : Nos qui servi sumus non merebimur venire ad gloriam sanctorum : dicit Apostolus : *Non est personarum acceptio apud Deum*, id est, si dominus male egerit, et servus bene, dominus damnabitur, et servus glorificabitur.

CAPUT IV.

Domini, quod justum est et æquum, servis præstate, id est nolite tenere eos ut servos, sed estote eis ut patres : quia inde appellati sunt patresfamilias quidam, quod omnes in domo sua æquali amore diligebant ut filios, ita et servos.

Orationi instate vigilantes. Ille vigilat in oratione, et in gratiis, Deo reddendis, qui non cum tempore neque cum desidia illud implet, sed cum hilaritate. Si enim ab homine non potest impetrari hoc quod petitur, si cum desidia illud agitur, quanto magis a Deo ?

Orantes simul et pro nobis, subaudis, qui verbum vitæ administravimus, *ut Deus aperiat nobis ostium verbi*, id est, ut corda et sensum auditorum nostrorum aperiat, ut ea quæ loquimur, et quæ ab ore nostro emittimus, ad corda et ad sensum eorum possint intrare, et intelligant quæ docemus. Tale quid legimus in Actibus apostolorum de muliere nomine Lydia, purpuraria civitatis cujus Dominus aperuit cor, ut intelligeret ea quæ a Paulo dicebantur. Aliter : ut aperiat nobis ostium sermonis, id est sensus et intelligentiam divinorum eloquiorum, ut prompti simus ad loquendum mysteria incarnationis Christi et divinitatis, *propter quod*, subaudis Evangelium, *ita ut oportet me loqui*, id est ut sciam cui et quid et quando, vel quantum debeam loqui.

In sapientia ambulate ad eos, id est in fide sanctæ Trinitatis, ubi est omnis sapientia, et bona conversatione ibi vivite et conversamini ad eos qui foris sunt, id est ad paganos, hæreticos, et falsos Christianos, ut non possint vos reprehendere, *redimentes tempus*, id est vestrum facientes, et vobis bene vi-A vendo et recte loquendo lucrantes. Tempus enim sibi redimit, qui suam utilitatem in illo operatur.

Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, id est, ut semper gratiam et utilitatem præstet auditoribus, et gratiosus sit omnibus ; et sicut sal condimentum præstat omnibus escis, ita et ille cunctorum mentes condiat, *ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere*, id est quomodo hæretico, quomodo Christiano, ut si vos interrogaverit hæreticus, quomodo respondeatis, vos credere in Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et his tribus trinitatem habere in personis, et unitatem in substantia et Dominum Jesum Christum, verum Deum et verum hominem esse : similiter et Christiano est respondendum.

B *Quæ circa me sunt* vincula, carcerque, *omnia nota faciet vobis Tychicus*. Iste prædicator erat Colossensium, *charissimus*, subaudis in fide, quia unius fidei sumus, *minister*, subaudis Evangelii prædicatione *et conversus* in labore, quia simul laboramus in prædicatione *et consolentur* consolatione *corda vestra*, id est suo adventu et meo exemplo, ut non deficiatis in fide, sed potius consolidemini, ut si necessitas fuerit, talia sustinere possitis, qualia et ego sustineo *cum Onesimo charissimo*. Hic ostenditur Philomenem Colossensem fuisse dominum Onesimi et ipsum Onesinum ; *nota faciet vobis*, subaudis Tychicus et Onesimus.

Salutat vos Aristarchus. Aristarchus discipulus fuit beati Pauli et comes in prædicatione, *concaptivus meus*, C id est qui in vinculis tenetur sicut et ego pro Christi nomine, *et Marcus*. Iste est pro quo dissensio facta est inter Paulum et Barnabam, sicut in Actis apostolorum legitur qui recessit a beato Paulo de quodam conflictu, quem habuit cum persecutoribus : et ut quidam dicunt, ipse scripsit Evangelium, quia licet cum beato Paulo fuisset, fuit et cum beato Petro. *Consobrinus Barnabæ*. Consobrini dicuntur quasi sororii, quia de singulis sororibus nascuntur. Ideo dicit consobrinum illum esse, ut majoris honoris haberetur apud illos propter Barnabam, et nisi dixisset, suscipite illum, nequaquam auderent suscipere illum : quia jam audierant illum ab eo discessisse. Emendatus et correctus iterum sociatus est ei, *de quo*, subaudis Marco, *mandata* D *accepistis*, id est scriptum, quia jam redeunt ad nos. *Hi soli sunt* superius memorati, *qui sunt ex circumcisione*, id est ex Judæis.

Ipsi sunt auditores mei in regno Dei, hoc est in prædicatione Evangelii, quod observatores suos perducit ad regnum Dei. *Ut stetis perfecti*, subaudis in fide, et pleni bonis operibus.

Qui sunt Laodiciæ, quæ est civitas Græciæ, Hierapolis est civitas Græciæ.

Salutat vos Lucas medicus. Iste est Lucas qui Evangelium scripsit, et Actus apostolorum ; qui fuit genere Syrus ; *et Demas*. Hic ad tempus discessit ab illo, sed emendatus rediit.

Salutate fratres qui sunt Laodiciæ. Salutare est sa-

lutem optare; *et Nympham.* Nympha nobilis erat A quædam matrona, in cujus domo multitudo erat fidelium.

Et cum lecta fuerit apud vos Epistola, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur. Et epistolam istam quam Colossensibus dixerit, ideo præcipit legi in ecclesia Laodicensium, et eam quæ erat Laodicensium ideo præcipit Colossensibus legi, quia licet perparva sit, et in canone non habeatur, aliquid tamen utilitatis habet.

Dicite Archippo. Archippus episcopus erat illorum. *Vide ministerium tuum,* id est custodi et intellige subaudis episcopatum.

Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola mea. *Memores estote vinculorum meorum,* id est accipite me in exemplum, ut sicut ego non timeo pro Christi nomine vincula et carceres sustinere, ita nec vos timeatis, si necesse fuerit. *Gratia* Domini nostri Jesu Christi cum omnibus *vobiscum. Amen.* Gratia dicitur gratis data : et gratia est qua accepimus remissionem peccatorum in baptismate, et est sensus : Gratia Filii Dei et salus ac remissio peccatorum maneat semper vobiscum. Amen.

IN EPISTOLAM I AD THESSALONICENSES.

ARGUMENTUM.

Macedonia provincia est Græcorum in qua est civitas metropolis Thessalonica, quæ postquam a Paulo apostolo fidem percepit, licet multa pericula sustinuissent a suis civibus non credentibus et a pseudoapostolis voluissent seduci, nullo modo tamen a veritate fidei recesserunt. Hos collaudat Apostolus, scribens eis Athenis per Timotheum, etc.

CAPUT PRIMUM.

Paulus et Silvanus et Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium salutem. Nomen suum suorumque ponit in exordio epistolæ ob causas in aliis epistolis memoratas. Generaliter omni Ecclesiæ scribit, quia C forsitan tunc temporis non habebant episcopum sibi ordinatum. Licet apud Judæos nomen Synagogæ et Ecclesiæ habebatur in usu, sicut legitur in libro Regum quia benedixit Salomon omni Ecclesiæ Israel, tamen apostoli maluerunt in suis epistolis Ecclesiæ nomen inserere quam Synagogæ, propter interpretationem nominum. Ecclesia namque interpretatur *convocatio*, quæ non potest fieri nisi ex rationabili creatura : Synagoga autem, quæ interpretatur *congregatio*, potest consistere ex irrationabili et inanimata, sicut congregatur grex ovium, congregantur lapides. Et ut ipsos ostenderet gentiles credentes amplius esse rationabiles quam Judæos infideles, qui hoc nomine Ecclesiæ maxime utuntur.

Gratias agimus Deo, id est laudes referimus illi, *semper pro omnibus vobis.* Et non solum pro Thes- D salonicensibus, sed et pro omnibus qui prædicationem eorum receperunt,

Memores operis fidei vestræ. Duo conjungit, opus et fidem, quæ perfectum hominem reddunt. Fides namque bonis operibus adornata placet Deo : quæ vero sine operibus est, mortua et inanis est. *Et sustinentiæ spei Domini nostri.* Sustinentia est exspectatio. Unde dicimus in Psalmis (*Psal.* XXIV) : *Etenim qui te sustinent*, id est qui te exspectant, *non confundentur.* Sustinentiam spei Domini nostri appellat exspectationem futurorum honorum, quæ per Domi- B num dantur, et exspectationem adventus Domini ad judicium. *Ante Deum,* id est coram Deo Patre : quia in præsentia et in conspectu Dei Patris judicabit Filius mundum.

Scientes autem, subaudis sumus, *electionem vestram,* qua a Deo estis electi ante constitutionem mundi, *quia Evangelium nostrum non fuit in sermone* sive in verbo, *tantum, sed in virtute et in Spiritu sancto,* id est in virtute miraculorum, quæ per Spiritum sanctum operati sumus, *et in plenitudine multa* doctrinæ et bonorum operum. *Scitis quales fuerimus in vobis,* id est humiles fuimus, *propter vos.* ut vos potuissemus Deo lucrari, *et facti estis imitatores nostri et Domini,* quia qualia sustinuit Dominus, et nos propinquis nostris Judæis, talia et vos sustinuistis patienter, *excipientes verbum* fidei et doctrinæ *in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti,* quia Spiritus sanctus, qui erat in vobis, faciebat vos gaudere inter tormenta persecutionum : *ita ut facti sitis forma* et exemplum fidei et doctrinæ *omnibus credentibus in Achaia et Macedonia* duabus provinciis.

A vobis enim diffamatus est sermo Dei. Diffamatio maxime pro vituperatione ponitur et in contrariam partem. Sed Apostolus non curans de proprietate verborum, cum debuit dicere, a vobis manifestatus et divulgatus est sermo Dei, dixit diffamatus. *Non* est *necesse quidquam loqui* vobis, subaudis, quia vos estis Dei prædicatores effecti. *In omni loco,* subaudis vobis vicino, etc.

CAPUT II.

Exhortatio nostra, id est doctrina nostra, non fuit *de errore,* id est de mendacio, *neque de immunditia,* quia non fuimus luxuriosi, *neque in dolo,* id est fraude, astutia ; nec in hypocrisi, id est simulatione, ut vos exspoliaremus.

Ita loquimur, non quasi hominibus, subaudis malis, *placentes :* ille quærit hominibus placere, qui adulatur et favet aliorum peccatis, sed apostoli non hoc faciebant alicui, sed publice increpabant.

Neque in occasione avaritiæ prædicavimus, aut propter cupiditatem prædicaremus vobis

Tanquam si nutrix foveat filios suos, subaudis non alienos, ita diligimus vos. Solent mulieres luxuriosæ divites et incontinentes committere filios suos aliis mulieribus ad nutriendum, quæ licet pabulum eis ministrent, tamen non eo affectu diligunt illos ut proprios, sed ut mercedem temporalem accipiant. Pseudo ergo apostoli non affectu materno diligebant eos, sed ut lucra temporalia ab eis acciperent Apostolus autem Paulus sociique ejus non ut nutrix aliena diligebant illos, sed ut mater unicum filium fovet affectu materno, ita ipse diligebat eos, quia ipse primus genuit eos in fide Christi.

Memores estis, fratres, laboris nostri et fatigationis. Laborabat Apostolus in prædicatione et opere manuum eo modo quo sæpe diximus. Et quare laboravit ipse? Ut non esset otiosus. Omnis otiosus in desideriis est: et ut ipse prava desideria vitare posset, labore manuum insistebat.

Cum accepissetis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum. Verbum prædicationis quod Apostolus prædicabat, a Deo audierat. Et sic perceperunt illud Thessalonicenses, quasi ab ipso Christo audirent per præsentiam.

Quia eadem passi estis a contribulibus vestris quæ et ipsi a Judæis. Contribules dicuntur qui ex una tribu sunt. Crescente igitur fide Domini in Judæa, persecutionem sustinebant credentes ab incredulis, Rubenitæ a Rubenitis, Gadditæ a Gadditis, similiter ex omnibus tribubus: ita et Thessalonicenses credentes a non credentibus suis contribulibus, id est suis civibus et vicinis persequebantur.

Ut impleant, subaudis ipsi Judæi, *peccata sua.* Expleto tempore quadragesimi anni, quod Dominus dedit Judæis ad pœnitentiam, post passionem suam illis nolentibus credere completa sunt peccata eorum, de qua completione dixit eis Dominus: Implete mensuram patrum vestrorum: quando autem Apostolus ista loquebatur, adhuc stabat Jerusalem et templum: ideoque necdum erant completa peccata eorum quæ completa sunt advenientibus Romanis. Unde enim sequitur: *Pervenit enim ira Dei*, id est vindicta Dei *super illos usque in finem.* Vindictam Dei appellat adventum Romanorum: quando perditi sunt fame, pestilentia, gladio, captivitate. Quæ vindicta manebit super illos usque in finem sæculi, quia semper erant captivi. Vel si dixerimus, prævenit sive antevenit illos ira Dei, sicut quidam codices habent, erit sensus: Prævenit eos vindicta Dei in hoc sæculo, quæ permanebit usque in finem. Quæ idcirco dicitur prævenire illos, quia vindictam futuri judicii, in qua æternaliter damnabuntur prævenit ista temporalis.

Desolati a vobis ore, id est, sermone, collocutione familiari, *aspectu*, id est præsentia corporis, sed *non corde*, id est affectu dilectionis.

CAPUT III.

Placuit nobis solis, subaudis mihi et Silæ vel Sil-
A vano, *remanere Athenis, et misimus ad vos Timotheum.*

Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus, subaudis a Deo, ut persecutiones et tribulationes istius sæculi patienter sufferamus, quatenus per ista temporalia perveniamus ad gaudia æterna.

CAPUT IV.

Rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu. Postquam laudavit Apostolus Thessalonicenses de perseverantia fidei, quam tenuerunt, non recipientes falsos apostolos, cœpit eos exhortari, ut semper in melius proficerent, bonisque operibus fidem exornarent, inquiens: Rogamus et obsecramus. Hanc habet Apostolus consuetudinem, ut verba sua duplicet ac triplicet unum sensum habentia, sicut in hoc
B loco. Quod enim est rogare in hoc loco, hoc est et obsecrare: et quod dixit in Domino Jesu, tale est ac si diceret, per Dominum Jesum. Tale quid invenitur in epistola ad Hæbræos: *Locutus est nobis in Filio* (*Hebr.* I), id est per Filium. *Ut quemadmodum accepistis a nobis*, audiendo et intelligendo a me et Silvano *quomodo oporteat vos ambulare*, id est vivere, et cursum hujus vitæ in bonis operibus perducere, *et placere Deo*, fidem quam habetis bonis operis exornando, *sicut et ambulatis*, vivitis et conversamini modo, *ut abundetis magis*, scilicet magis ac magis crescatis in fide et bonis operibus. Ille enim placet Deo, qui fidem rectam quam habet exsecutione virtutum decorat. Et ille bene abundat qui crescente ætate fidei in se, studet etiam abundare in
C sanctis operibus, et in studio virtutum.

Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum, id est in Domino Jesu per me loquente. Quæ fuerunt illa præcepta quæ dedit eis? Præcepta fidei fuerunt et conversationis Christianæ, in quibus exhortatus est eos servire Deo vivo et vero, et exspectare Filium ejus de cœlis ad judicium, quem suscitavit Deus Pater. Jesum dico qui eripuit nos per passionem suam et per gratiam suam ab ira ventura.

Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, id est hæc est voluntas Dei ut sanctificetis vos eo modo, quo sequentia manifestant, videlicet *ut abstineatis vos a fornicatione.* Fornicatio isto loco tripliciter potest intelligi. Fornicari est per culturam idolorum
D a Deo recedere, et idola pro Deo vero colere. De qua fornicatione dicit Psalmista: *Perdes omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* LXXII). Et illud: Fornicatus est Israel cum gentibus, id est idola coluit. Et est alio modo fornicatio quando homo amorem terrenarum rerum, filiorum videlicet, possessionum, divitiarum, præponit amori omnipotentis Dei, et recedit a Deo per talia, qui vir animæ est. Tertio est fornicatio corporalis, quia quis coit cum meretricibus, vel quocunque modo libidinem suam explet.

Ut sciat unusquisque vestrum suum vas, id est corpus suum et corpus uxoris suæ, *possidere in sanctificatione*, id est in castitate, *et honore.* Tunc honorat quisque

corpus suum, et corpus uxoris suæ, quando abstinet a coitu: quia corpus castum servando, ejus oratio castior et acceptior est Deo. *Non in passione desiderii.* Passio desiderii est quando homo velut equus et mulus, qui sunt sine intellectu, præceps fertur ad libidinem, nec frenat ardorem libidinis, respectu et timore omnipotentis Dei. *Sicut gentes quæ ignorant Deum.* Gentes quæ ignorant Deum fornicatrices sunt, et nimium libidini deditæ, utpote non habentes cognitionem Dei, sicut sunt Mauri, Vandali, et maxime Sarraceni, intantum ut plurimi illorum sexaginta et eo amplius uxores habeant, et est sensus: Cavete et observate ne nimium et immoderate libidini servientes, efficiamini similes gentibus, qui Deum castitatis amatorem ignorant, et cum eis damnemini, et multo amplius, quia servus qui scit voluntatem Domini sui, et non facit vapulabit multis: et melius est viam veritatis non cognoscere, quam postea retrorsum abire.

Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum. Beatus Apostolus sociique ejus prædicabant atque suadebant suis auditoribus, diebus festis et diebus jejuniorum abstinere ex consensu ab omni coitu, quod et multi faciebant obedientes præceptis et monitionibus ejus. Et ne forsitan aliquis post devotam continentiam instigante diabolo provocaretur ad coitum illis diebus quibus habebant devotum, ait Apostolus: Et ne quis vestrum supergrediatur, neque circumveniat in negotio isto coitus, id est ne aliquo circumventione violentiam inferat aliquis pari suo, volenti votum servare, provocando eum ad coitum, sed ex consensu ab omni coitu abstineant, sicut devoverunt, quia melius est non vovere, quam votum non implere. Cum enim omni tempore oratio munda placeat Deo, tunc est acceptior et gratiosior apud Deum quando mundo corde et corpore funditur, diebus scilicet jejuniorum. Unde Dominus ait per prophetam: *Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo* (*Joel.* II), sponsum et sponsam in hoc loco conjugatos debemus intelligere. Dicit enim beatus Hieronymus, quia frustra assumitur pœnitentia in voce et habitu, nisi etiam abstineatur a delectatione carnis et coitus. Potest et de omni negotio et mercimonio intelligi, ut nemo debeat fraudem facere fratri, neque circumvenire illum. *Quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Non solum de fornicatione et publica turpitudine, sed etiam de transgressione omnis boni propositi, verbi gratia, sicut de illis qui faciunt votum, ut ex consensu abstineant a coitu tempore jejunii et postmodum non adimplent promissum. *Sicut prædiximus vobis*, subaudis præsentes, *et testificati sumus*, ita erit Dominus vindex de omnibus.

Non enim vocavit nos Deus, ad fidem suam et gratiam, et ad patriam cœlestem, *in immunditiam*, ut immunditiæ serviamus, *sed in sanctificationem*, ut sancte vivamus, sancti simus, imitantes eum qui dixit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (*Lev.* XI). Immunditiæ nomine intelligitur omnis incontinentia et impudicitia, et quocunque modo aliquis semetipsum polluat. Sanctificatio autem ista constat in orationibus, in jejuniis, in eleemosynis, in hospitalitate, in charitate, cæterisque virtutibus. Beatus Apostolus more sanctorum Patrum volebat sanctificare Thessalonicenses, sicut legimus quod Moyses legislator, daturus legem, sanctificavit populum, id est monuit ut sancte viventes et mundi manentes, digni essent audire vocem Domini, et percipere ejus præcepta, dicens: Sanctificamini, lavate vestimenta vestra, abstinete ab uxoribus vestris. Si ergo Deus illos vocavit in sanctificationem, quanto magis nos quos redemit sanguine suo, et mundavit per baptismi gratiam, in sanctificationem vocavit, quatenus digne possimus accedere ad sacramentum corporis et sanguinis ejus? Similiter beatus Job mittebat per singulos dies ad filios suos, qui forsitan uxoris extra domum ejus habitabant; et sanctificabat eos, id est monebat eos sancte vivere, quatenus illorum sacrificia et vota accepta essent. Samuel quoque cum venisset ungere David in regnum, vocavit Isai et filios ejus ad sacrificium et sanctificavit eos, id est monuit ut tales se præpararent, quatenus digni essent tanto honore, quorum frater a Deo in regnum erat electus. Sic quotidie nos sanctificant apostoli et sancti doctores suis dictis admonendo ut sancte vivamus, quatenus digni simus non solum Christiani vocari, sed et filii Dei, et ut Deus omnipotens dignetur in nobis habitare.

Itaque qui hæc, subaudis verba, *spernit*, despicit, et contemnit, *non hominem spernit*, id est non me despicit, *sed Deum*, cujus verba recito, et qui loquitur per os meum.

Nolumus ignorare vos de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent. Philosophi et gentiles infideles non credentes resurrectionem, multos ex hoc decipiebant, negantes resurrectionem, et faciebant contristari et dolere de morte propinquorum. Et non solum infideles, sed etiam multi fidelium apud Macedones et Thessalonicenses contristabantur de morte parentum, non credentes eos resurrecturos. Pagani ergo et infideles merito contristabantur de morte suorum, quia per mortem temporalem perveniebant ad æternam. At vero credentes et infideles, merito contristabantur super recessu fidelium, quia per mortem temporalem perveniebant ad vitam æternam. Quapropter volens eos Apostolus certificare de resurrectione, et consolari super morte propinquorum, ait: Nolo vos ignorantes reddere de dormientibus, quia resurrecturi sunt, ut non contristemini super morte eorum, sicut infideles qui non habent spem resurgendi.

Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus Pater *eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo.* Miram rem ait Apostolus. Christum qui jam vivit, et resurgens a mortuis jam non moritur, dicit fuisse mortuum, et electos mortuos appellat dormientes. Christum ergo appellat mortuum, ut dum audimus et scimus illum fuisse mortuum et re-

surrexisse, nos quoque speremus resurrecturos per virtutem divinitatis ejus. Electos vocat dormientes, quoniam nemo hominum tam facile potest socium suum excitare a somno, quam facile omnes suscitabuntur a somno mortis. Quod autem dicit, quia Deus Pater eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo, id est cum Jesu, ad judicium, tale est ac si diceret: Qui dormierunt in Jesu, illi nempe venient cum Christo in gloria ad judicium, qui mortui sunt ante ejus adventum, et postea in fide passionis ejus, et qui signo crucis sunt muniti, atque sacramento corporis et sanguinis ejus die mortis muniti, credentes suam salutem ibi contineri. Dicit beatus Augustinus merito pro illis post mortem offerri sacrificium Deo et corpus Domini consecrari, qui positi in sæculo, devotissime illud perceperunt.

Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, id est in sensu Domini, quia Deus omnipotens loquitur per os nostrum, *quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt* in Christo, modo supra dicto. Sic videntur hæc verba Apostoli sonare quod Apostolus suo tempore demonstraverit diem judicii venturum. Unde et Thessalonicenses legentes hanc epistolam putaverunt tempore Apostoli diem judicii venturum. Quapropter alloquitur et exhortatur eos in secunda epistola, inquiens : Nolite terreri per Epistolam quasi instet dies Domini. Considerandum est ergo, quod ex persona electorum loquitur, qui vivi in corpore inveniendi sunt in adventu Domini, qui residui dicuntur esse patriarcharum, prophetarum, apostolorum, omniumque sanctorum qui eos præcesserunt per spatia temporum et præcedunt modo atque præcedent usque ad diem judicii, ad requiem animarum, quia post illos relicti erunt. Tam velox ergo erit et celerrima resurrectio mortuorum electorum ut illi qui in corpore vivi inventi fuerint et super terram, non potuerint prævenire eos, eundo obviam Domino in aera, qui in pulvere terræ jacebant.

Quoniam ipse Dominus Jesus *in jussu,* id est in jussione Dei Patris descendet de cœlo, *et in voce archangeli et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt,* mortui eo modo quo supra diximus, *resurgent primi.* Idcirco dicit, in jussu, quia, jubente et disponente Deo Patre, veniet Filius ad judicium. Per unum archangelum debemus juxta Augustinum, intelligere omnes virtutes angelicas quia angeli personabunt vocibus eo veniente. Per tubam autem intelligitur uno modo magna vox angelorum et sonus, de quibus Matthæus ait: *Mittet* Filius hominis *angelos suos cum tuba et voce magna* (*Matth.* XXIV). Quod per tubam intelligatur vox angelorum ostendit Psalmista loquens de Domini ascensione : *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ* (*Psal.* XLVI). Sicut enim ibi tubam appellat vocem angelorum dicentium : *Viri Galilæi, quid* admiramini *aspicientes in cœlum* (*Act.* I), etc., ita in hoc loco, vocem angelorum tubæ comparat dicentium : *Ecce sponsus venit, exite obviam illi* (*Matth.*

A XXV) : et : Exsurgite de sepulcris vestris, occurrite ad judicium Redemptori vestro. Ista vox qua omnes resuscitabuntur bene potest appellari tuba. Alio modo tuba pro manifestatione ponitur, ut in Evangelio ait Dominus : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te* (*Matth.* VI), id est noli manifeste facere, ne lauderis ab hominibus sicut hypocritæ. In tuba ergo Dei descendet Dominus de cœlo, id est manifeste veniet ad judicium, ut ab omnibus possit videri, secundum illud : Videbit omnis caro salutare Dei (*Luc.* III) Licet ergo quidam pueriliter intellexerint, quod dictum est in Joel propheta : Judicium Domini veniet in valle Josaphat, quasi in illa valle judicaturus sit omnes gentes, non est ita intelligendum, quoniam non pro loco, sed pro interpre-
B tatione illud nomen posuit ibi propheta. Josaphat namque interpretatur *vallis judicii,* et Domini adventus ad judicium in valle erit reprobis, quia electis elevatis ad superna cum Domino, illi remanebunt in imis et in inferioribus inferni partibus. Dicamus et tertio modo secundum beatum Ambrosium, hoc quod dicit in tuba Dei descendet de cœlo. Legimus quod Moyses legislator Domino præcipiente fecerit tubas argenteas et postea Salomon in templo Domini, quibus concrepabant in solemnitatibus et in præliis, sicut factum est quando muri Jericho corruerunt, et postea a Gedeone, et sicut de solemnitatibus dicit Psalmista : *Buccinate in neomenia tuba* (*Psal.* LXXX). Recte ergo Dominus in tuba dicitur venire ad judicium, quia ipse ad hoc veniet, ut quasi
C in prælio debellet adversarios suos, Judæos, paganos, hæreticos, falsos Christianos, et victoriam sumat ex eis, dicens illis : Ite in ignem æternum ; et ad hoc etiam ut remuneret electos suos introducendo illos ad solemnitatem æternæ gloriæ et felicitatis.

Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. Ex persona illorum loquitur, sicut et superius, qui vivi inveniendi sunt, qui dicunt : Simul rapiemur cum illis, subaudis qui nos præcesserunt ad requiem animarum, sed tunc pariter veniemus obviam Domino. Hoc verbum quod est rapere, pro velocitate sæpe ponitur. Et in hoc loco nimiam velocitatem resurrectionis et diem judicii designat, de qua supra jam diximus. Nam
D sicut Deus in momento cuncta fecit, ita in momento cuncta dijudicabit. Cum dicit : Rapiemur ab angelis cum illis qui nos præcesserunt obviam Domino in aera, ostendit quia non descendet Dominus ad terras, sed in altitudine istius aeris sedebit ad judicandum, et cum addit : *Et sic,* id est cum corpore et anima immortales effecti, *erimus semper cum Domino,* non debemus putare quod in aere cum Domino simus regnaturi, quia finito judicio, revertetur cum omnibus electis ad beatitudinem æternam, de qua descendit ad judicium. Si electi qui vivi reperti fuerint, rapientur in aera obviam Domino ab angelis, quærendum est quomodo complectitur quod dictum est a Deo primo homini Adæ, et in ipso

omni semini ejus : Terra es, et in terram ibis, cum illi mortem experti non fuerint? Quæ hoc modo solvitur secundum beatum Augustinum. Homo de terra factus est in corpore, et antequam inspiraret Dominus in faciem ejus spiraculum vitæ, id est antequam daret ei animam, illud corpus terra erat, et electi qui vivi reperti fuerint, in ipso raptu dum angelicis manibus portabuntur subito morientur, subitoque resurgent : et dum anima in ipso raptu exierit a corpore, remanebit corpus terra, sed tamen brevissimum spatium tenebit ipsa mors, in tantum ut nec cogitari nec perpendi possit.

Itaque consolamini vos *invicem*, o Thessalonicenses, de resurrectione, *in verbis istis*, et nolite dolere super morte parentum.

CAPUT V.

De temporibus, subaudis diei judicii, *et momentis*, utrum æstate an hyeme, vere an autumno veniat, vel qua hora diei vel noctis, *non indigetis ut scribamus vobis*. Quare? *Ipsi enim diligenter scitis*, *quia dies Domini sicut fur in nocte*, *ita veniet*, id est, sicut fur subito et insperate intempesta nocte venit dormiente domino domus, ita insperate veniet dies judicii et Domini adventus. Dominus requisitus post resurrectionem de die illa, de regno videlicet electorum, ab apostolis dicentibus : *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel*, ait: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta* (*Act.* I), et ante passionem suam de eadem die ait : *De die illa*, inquiens, *nemo scit, neque angeli qui sunt in cœlo, neque Filius*, nisi Pater solus (*Matth.* XXIV). Ergo si Pater novit, utique et Filius novit, qui unius substantiæ est cum eo. Sed idcirco dicitur Filius ignorare, quia discipulos ignorantes reliquit.

Cum enim dixerint, subaudis reprobi, *pax et securitas*, tunc repentinus illis superveniet interitus, id est subitanea perditio diei judicii, *sicut dolor* est *in utero habenti*, subaudis partum, *et non effugient*. Sicut mulier prægnans imminente tribulatione et persecutione, non valet effugere persequentium insidias, ita et illi non poterunt effugere, de quibus ait Dominus : *Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus* (*Marc.* XIII). Sicut in verbis Danielis prophetæ invenimus, regnante Antichristo et ministris ejus tribus annis et dimidio, et interfectis ab illo Elia et Enoch sicut in Apocalypsi habetur, quo tempore erit persecutio talis, qualis non fuit antea nec postea subsequetur, interficietur ipse Antichristus, et maxima pars membrorum ejus a Michaele, ut beatus Gregorius dicit, et ut beatus Paulus dicit : Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui, id est in verbo suo in virtute sua. Quod utrumque verum potest esse : quia si Michael illum interfecerit, non sua, sed Dei virtus erit et jussio. Post mortem autem ejus remanebunt quadraginta quinque dies, in quibus multa erit pax, ut in illis electi qui aliquid titubaverunt in persecutione, pœnitentiam agant et salventur, ministri autem Antichristi qui remanserunt post mortem ejus, gaudebunt per illos quadraginta quinque dies, ducentes uxores et convivia celebrantes, et jocos diversi generis exercentes, ac dicentes: Licet princeps noster sit mortuus, modo nos habebimus pacem et securitatem. Et cum talia dixerint, subito veniet eis subitaneus interitus.

Vos autem non estis in tenebris infidelitatis. *Qui enim dormiunt*, et quiescunt in peccatis, *nocte dormiunt*, id est in peccatis et vitiis quiescunt et jacent. *Induti loricam fidei et charitatis, et galeam spei et salutis*, id est habemus fidem in Deum charitatem in Deum et proximum, spem et exspectationem futurorum bonorum in capite : quia de cœlis veniet nobis salus : et his armis muniti, securi et liberi erimus in adventu Domini.

Non posuit nos Deus in iram, id est non ideo nos posuit Deus in fide sua, in Ecclesia et cognitione sua, ut in nobis suam vindictam exerceat, *sed in acquisitionem salutis* posuit nos, ut salutem nobis inveniremus per fidem Jesu Christi, *ut sive vigilemus*, id est vivamus in hoc sæculo, *sive dormiamus*, id est moriamur in corpore, *simul cum illo*, id est cum Christo, *vivamus* in anima et in spe resurrectionis.

Propter quod, id est propter illa quæ superius diximus de resurrectione, *consolamini* vos *invicem*. *Rogamus vos ut noveritis eos*, id est diligatis, honoretis, et necessaria eis ministretis : *qui laborant inter vos*, in prædicatione et doctrina.

Rogamus eos, corripite inquietos, consolamini pusillanimes. Ad Thessalonicenses erant quidam vagi, et ut ita dicamus, gyrovagi otiose viventes, et non laborantes manibus suis unde viverent, neque orationibus aut psalmodiis vacantes, sed circuibant domos aliorum, atque peragrabant de loco ad locum, quærentes unde vivere possent, cujus rei causa multos inquietabant. Vel etiam inquietos vocat superbos, qui causa superbiæ alios inquietabant. Iterum erant illi pusillanimes et timidi, qui bonum timebant inchoare, ne forte non possent illud ad effectum perducere : vel si inchoabant, non libere illud agebant, sed verecundabantur ex hoc in præsentia aliorum ipsique pusillanimes erant, quia adversa hujus sæculi patienter ferre non volebant citoque scandalizabantur in verbo et facto aliorum. Inquietos ergo, id est vagabundos, otiosos et instabiles, vel superbos qui alios molestabant, præcipit Apostolus corripi a prælatis et magistris, quatenus desisterent ab otiositate quæ est inimica animæ, et deponerent superbiam radicem omnium vitiorum. Pusillanimes autem præcipit consolari blandius, ut per exhortationem et consolationem præpositorum roborarentur in omnibus bonis. *Suscipite*, subaudis in officium charitatis, *infirmos* in fide, in corpore. *Patientes estote ad omnes*. Modo admonet prælatos ut subjectorum improbitatem et impatientiam patienter ferant, dum in aliquo contra eos murmurant. Solent enim inquieti et immodesti seu impatientes, quando corripiuntur a prælatis, insurgere contra eos, et impatienter ferre illorum correptionem, no-

lentes ab eis corripi, sed suam voluntatem implere. Quorum animositatem debent prælati ad tempus sustinere, et iterum tempore opportuno et congruo cum consilio et auxilio emendare

Videte, id est cavete, *ne quis* vestrum *malum pro malo alicui reddat*. Hoc vult ostendere Apostolus isto in loco, ut non solum malum pro bono non debeamus reddere, sed nec malum pro malo. Quatuor modis redditur, aut bonum pro bono, aut malum pro malo. Bonum pro malo redditur, sicut Redemptor noster nobis qui mortui et perditi eramus, atque propter peccata a Deo alieni, quando per passionem suam et baptismi gratiam nos redemit. Bonum pro bono, sicut in die judicii dabit electis, dicens eis : Quia *esurivi et dedistis mihi manducare, percipite regnum vobis paratum* (*Matth.* xxv). Malum pro bono redditur, sicut Judas et Judæi Domino reddiderunt. Unde ipse dixit eis per Zachariam prophetam : *Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam*, et est sensus : Infirmos vestros curavi, leprosos mundavi, mortuos suscitavi, esurientes pavi, date mihi ex hoc mercedem, si dignum et bonum est : *et appenderunt mercedem meam triginta argenteos* (*Zach.* xi). Malum pro malo reddet Dominus reprobis in die judicii, dicens eis : Quia *esurivi et non dedistis mihi manducare, ite in ignem æternum* (*Matth.* xxv). Quapropter non debemus vindictam expetere, ut reddamus malum pro malo, quia non possumus hoc tranquilla mente agere, sed debemus illi reservare qui semper idem et æqualis manet : et qui dixit : *Mihi vindictam* reservate *et ego retribuam* (*Rom.* xii), illis supplicia, vobis autem præmia. Malum siquidem pro malo reddere non est bonum, malum vero pro bono, valde nimiumque malum est. *Semper quod bonum est sectamini*, id est imitamini et perficite *in invicem*, sive alterutrum, *et in omnes*, hoc est, non solum in credentes, sed etiam in non credentes, quia fratres sumus omnes secundum carnem

Semper gaudete. Non in divitiis caducis et temporalibus honoribus, sed in Domino gaudete, et bonis operibus : et quia filii Dei estis.

Sine intermissione orate. Quis hominum mortalium potest semper orationi insistere? Aut ergo totum tempus pro parte posuit Apostolus, ut dicat illum semper orare, qui canonicas horas observat, secundum morem et consuetudinem sanctorum Patrum : aut etiam illum, qui semper de Deo cogitat, et Deo placere desiderat. Quandiu enim quis bene cogitat, et bonum desiderat, semper orat. Nam quidquid boni justus agit, ad orationem est referendum, et nunquam desinet orare, nisi desierit justus esse.

In omnibus gratias agite, id est in fide, spe, charitate, cæterisque bonis operibus, et in prosperis, et in adversis semper gratias et laudes agite Deo, quia neque prospera nisi eo donante, neque adversa nisi eo permittente evenient. *Hæc enim est voluntas Dei in omnibus in Christo Jesu*, id est per Christum Jesum, a quo omnia bona nobis donantur, et sine quo nihil boni agere valemus, sicut ipse dixit : *Sine me* A *nihil potestis facere* (*Joan.* xv). Hæc est, inquit, voluntas Dei, ut malum pro malo non reddatis : bonum semper sectemini, sine intermissione oretis, ut gaudeatis in Domino, et in omnibus ei gratias referatis.

Spiritum nolite exstinguere. Dicamus hoc secundum Ambrosii sensum : Spiritum nolite exstinguere, id est si aliquem ad horam Spiritus sanctus repleverit sua gratia, ut possit interpretari divinas Scripturas, et divina mysteria loqui, nolite eum prohibere quin loquatur et doceat : quia Deus qui os asinæ aperuit, quæ seni non aperit revelat sæpe juniori quod melius est. Aliter secundum Augustinum : Spiritus sanctus qui unius substantiæ est cum Patre et Filio in sua natura, non potest exstingui, sed per B vitium nostrum exstinguimus illum in nobis, dum illum a nobis excludimus peccando. Spiritus sanctus, inquit, disciplinæ effugiet fictum. Dum ergo tradimus corpus nostrum libidini, et conjungimus illud meretrici, quod tempore baptismi et manus impositionis factum est templum sancti Spiritus, excludimus illum a nobis, et fugamus, et quantum est in nobis, ut Augustinus dicit, exstinctores sumus ejus. Sed ne hoc agamus, ait Apostolus, Spiritum sanctum qui in vobis cœpit habitare tempore baptismatis, nolite fugare a vobis neque exstinguatis illum in vobis peccando et tradendo corpus vestrum diversis turpitudinibus quod templum ejus debet esse.

Prophetias nolite spernere, id est, si aliquis valet C explanare dicta prophetarum, sicut Hieronymus cæterique doctores ad ædificationem auditorum loqui et prædicare : nolite illum despicere, nolite contemnere, sed humiliter attendite quæ docet.

Omnia autem probate; quod bonum est tenete, hoc est, attendite omnia quæ ille loquitur. Probate utrum dicta illius et verba conveniunt dictis Evangelii, dictis prophetarum, et dictis apostolorum. Quod si probaveritis non discrepare a sensu sanctorum patrum verba illius, quod bonum est tenete corde, et opere perficite.

Ab omni specie mala abstinete vos, id est ab omni re mala, et cogitatione prava, et opere perverso abstinete vos.

Ipse autem Deus pacis, id est Dominus Jesus, qui D pacem reliquit discipulis suis, et in omnibus nobis dicens : *Pacem relinquo vobis* (*Joan.* xiv), et qui etiam nos pacificavit et reconciliavit Deo Patri per passionem suam, ipse *sanctificet vos per omnia*, id est sanctos faciat in omnibus quæ cogitatis et opere perficitis ; *ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur*. Quod dicit ut integer spiritus vester et anima et corpus servetur, dupliciter possumus intelligere. Homo constat ex corpore et anima et spiritu, tamen in eo non sunt tres substantiæ, sicut Didymus contendit, nec est tertius in substantia hominis spiritus, sed spiritus ipse est anima, unde dicitur in Evangelio : *Inclinato capite emisit spiritum* (*Joan.* xix), et idcirco appellatur anima spiritus, eo quod spirita-

lis naturæ est, vel quod spiret in homine : anima vero dicta est eo quod ad vivificandum animet corpus, et ad videndum corpori data sit. Ita etiam rationabilitas et excellentia animæ qua sapimus, et discernimur ab aliis creaturis, spiritus appellari solet, sicut ostenditur ibi : *Benedicite spiritus et animæ justorum Domino* (*Dan.* III), tamen quia spiritus et anima unum sunt, inde apparet quia corpore incedimus anima vivimus, spiritu intelligimus et sapimus. De quo spiritu sive rationabilitate animæ, quæ rationabilitas etiam mens appellatur, loquitur hic Apostolus cum ait : Ut integer spiritus vester et anima, etc. Orat ergo Apostolus ut spiritus, id est rationabilitas nostra, integra, et incorrupta, atque inviolata permaneat : et anima et corpus similiter incorrupta et immaculata permaneant usque in diem mortis nostræ, vel in diem judicii, sicut ab omnibus sordibus peccatorum mundati sumus tempore baptismatis ; quia ergo potest corpus mundum esse, et anima ac spiritus inquinari per malum cogitatum et desiderium, ideo dicit totum in homine mundum esse debere. Aliter : Spiritus sanctus sæpe ponitur pro gratia et donis suis, sicut in epistola prima ad Corinthios : *Spiritus*, inquit, *prophetarum prophetis subjectus est* (*I Cor.* XIV), id est dona Spiritus sancti, quia non cogunt hominem loqui sicut arrepti-

A tium et dæmoniacum. Sic in isto loco potest intelligi pro gratia sua quæ nobis datur tempore baptismatis, qua mundamur ab omnibus inquinamentis vitiorum, quam orat Apostolus ut integra, et incorrupta, atque immaculata maneat in nobis, ne nostro vitio et immunditia corrumpatur, aut minuatur, vel fugatur a nobis. Si enim mala vita aut cogitatio incidit, non est jam integra ipsa gratia, quia deserit hominem obnoxium peccatis ; nam dum ea agit homo quæ odit Spiritus sanctus, recedit ab eo ejus gratia ex toto, aut minuitur illi qui peccat. Deus, inquit, pacis sanctificet vos per omnia, id est totum hominem, ut gratia Spiritus sancti, quam percepistis tempore baptismatis, non recedat a vobis, sed integra maneat

B vobis, et anima incorrupta sit, corpusque immaculatum, et totus homo mundatus integer servetur sine querela. Non dicit sine peccato, quia non est homo qui faciat bonum et non peccet, et *in multis offendimus omnes* (*Jac.* III). *Si* enim *dixerimus,* quia *peccatum non habemus, veritas in nobis non est* (*I Joan.* I).

Fidelis est, id est verax in promissionibus suis, *qui vocavit vos* ad fidem et gratiam suam ; *qui etiam faciet*, subaudis id quod promisit. Fidelem dicit Deum in promissionibus suis, ut securi de præmio recte conversentur.

IN EPISTOLAM II AD THESSALONICENSES.

ARGUMENTUM.

Thessalonicenses accipientes priorem epistolam, cum pervenissent legendo ad illum locum ubi loquitur Apostolus ex persona electorum, qui in die judicii inveniendi sunt vivi, inquiens : *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera* (*I Thess.* IV), conturbati sunt, nimiumque perterriti, putantes Apostolum ita esse locutum, quasi suo tempore et illorum venturus esset Dominus ad judicium, et timebant illi mitti cum diabolo in carcerem æterni supplicii, eo quod, tarde venientes ad fidem, imperfecti essent. Quapropter Apostolus, ut comperit illos super hoc tristari, scripsit eis istam epistolam secundam, in qua significavit eis nondum imminere diem judicii suo tempore, et ostendit eis quod antea destruendum esset regnum Romanorum, tamen occulte et obscure. Neque enim audebat aperte scribere de abolitione regni Romani, ne forte in credentes persecutionem excitaret. Denuntiat etiam adventum Antichristi et interfectionem ejus.

CAPUT PRIMUM.

Paulus et Silvanus. Idem est initium, idemque sensus quem in priori exposuimus.

Supercrescit fides vestra Fides augmento eget ; unde apostoli dicunt Domino : *Adauge nobis fidem* (*Luc.* XVII). Et quidam alius : *Credo, Domine, adjuva* infidelitatem *meam* (*Marc.* IX).

C *Gloriemur in tribulationibus quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei.* Sicut ex verbis Prosperi aliorumque doctorum colligere possumus, nihil agitur in hoc mundo, nisi aut Deo faciente, aut ipso permittente. Sancti ergo martyres aliique fideles, Deo permittente, multa pericula et adversa in hoc mundo ad exemplum justi judicii Dei patiebantur, quoniam in ipsis ostendebatur quia si illi qui dilecti Deo erant talia patiebantur, multo ampliora et graviora reprobi et inimici illius in die justi judicii Dei suscipient. Justum Dei judicium dicit, quia tunc judicabit Deus orbem terræ in æquitate.

Si tamen justum est apud Deum retribuere malis mala, et bonis bona. *Si tamen* conjunctio causalis in hoc loco non pro dubitatione ponitur, sed pro affirmatione, quasi diceret : Quoniam justum est Deo ita

D agere. *In revelatione*, id est in manifestatione, *Domini Jesu de cœlo* venientis ad judicium, *cum angelis virtutis ejus*, sicut ipse dixit : *Cum venerit Filius hominis, et omnes angeli cum eo* (*Matth.* XXV), et in revelatione Domini Jesu *dantis vindictam* reprobis, *in flamma ignis his qui non noverunt Deum*, id est paganis, *et qui non obediunt Evangelio*, hæreticis videlicet, et falsis Christianis, atque Judæis. Bene in flamma ignis dicit daturum Dominum vindictam reprobis, quia ignis præcedet eum, tantum spatium aeris occupans, quantum occupavit aqua in diluvio, qui ardebit terram et crassitudinem aeris, et purgabit electos ; reprobi autem audientes a Domino : Ite

in ignem æternum (*Matth.* xxv), involventur ab isto igne, et trahentur ad supplicia inferni.

Qui reprobi *dabunt pœnas æternas in interitu*. Dabunt pœnas aliis, sed sibi dabunt et inferent: quia mala fecerunt pro quibus talia recipient. Dare etiam aliquando ponitur pro sustinere, sicut in Virgilio:

Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.

id est sustinet pœnas, ita et hi dabunt pœnas, id est sustinebunt.

Cum venerit glorificari in sanctis ejus, id est clarus apparere eis et blandus, reprobis autem terribilis et sævus *Quia creditum est testimonium nostrum super vos*, id est quia receptum et creditum est Evangelium et prædicatio nostra in nobis et a vobis. *in die illo*, id est propter illum diem, ut Evangelium perhibeat vobis testimonium credulitatis in die illo, et recipiatis mercedem æternam. *In quo*, subaudis negotio, *oramus*, vel ad hoc oramus *semper pro vobis*, etc.

CAPUT II.

Rogamus vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi et nostræ congregationis in ipsum. Duos Domini adventus legimus, primum in humilitate, secundum in potentia, quando veniet ad judicium, de quo hic ratio agitur. Congregationem suam appellat multitudinem electorum, vel quæ cum eo veniet, vel quæ ei obviabit ad judicium. In ipsum dicit quasi in ipso, quia in Christo sunt omnes electi, utpote membra adhærentes illi. Rogamus vos, fratres, per adventum Domini Jesu, ad judicium, et per adventum nostræ congregationis in ipsum, id est omnium sanctorum qui in ipso consistunt, *ut non cito moveamini*, id est ut non cito conturbemini, *neque terreamini, quasi instet dies Domini, neque per spiritum*, id est si aliquis se dixerit admonitum a Spiritu sancto, quod dies judicii immineat, nolite illi credere, neque terreamini ejus verbis, *neque per sermonem*, id est per tractatum. Si aliquis explanator et tractator prophetiarum vobis dixerit: Collegi sensum prophetæ Isaiæ, et Danielis, aliorumque prophetarum, et prævideo diem judicii imminere, et Christum venire ad judicium, nolite ideo terreri. *Neque per epistolam tanquam per nos missam*. Si aliquis pseudoapostolus hoc finxerit, nolite ei credere.

Quoniam nisi venerit discessio primum, ut discedant omnia regna a regno et imperio Romanorum: *et revelatus*, sive manifestatus, *fuerit homo peccati*. Antichristus videlicet, qui licet homo sit, fons tamen erit omnium peccatorum. *Et filius perditionis*, id est filius diaboli, non per naturam, sed per imitationem. Qui ideo appellatur perditio, quia per illum venit perditio, et ipse perdidit humanum genus.

Qui adversatur, id est contrarius est Christo omnibusque membris ejus, *et extollitur*, sive erigitur in superbiam *supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur;* non est verum quod ait: *Quod dicitur Deus, aut quod colitur*. Extollet se Antichristus supra omne quod dicitur deus, id est supra omnes

A deos gentium: Herculem videlicet, Appollinem, Jovem, qui falso dicuntur dii, et supra omnes electos qui nuncupative vocantur dii ut Moyses, qui dicitur: *Ecce constitui te deum Pharaonis* (*Exod.* VII): et in lege: *Diis ne detrahas* (*Exod.* XXII), id est sacerdotibus; et: *Ego dixi: Dii estis* (*Psal.* LXXXI). Igitur super omnes istos extollet se Antichristus, et majorem se dicet omnibus istis, et non solum super illos, sed etiam (quod majus est) supra omne quod colitur id est supra sanctam Trinitatem, quæ solummodo colenda et adoranda est ab omni creatura. Ita se extollet ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit deus. Hoc dupliciter potest intelligi: Nascetur Antichristus in Babylone de tribu Dan, juxta quod Jacob dicit: *Fiat Dan coluber in via, cerastes*
B *in semita* (*Gen.* XLIX). Et cum venerit Hierosolymam, circumcidet se, dicens Judæis: Ego sum Christus vobis promissus; tunc confluent ad eum omnes Judæi, et reædificabunt templum, quod est destructum a Romanis, sedebitque ibi, dicens se esse Christum. Vel etiam, *in templo Dei*, id est in Ecclesia sedebit, ostendens se tanquam sit Deus. Nam sicut in Christo omnis plenitudo divinitatis requievit, ita in illo homine qui Antichristus appellatur, eo quod sit contrarius Christo, plenitudo malitiæ et omnis iniquitatis habitabit, quia in ipso erit caput omnium malorum diabolus, qui est rex super omnes filios superbiæ. His verbis demonstravit Apostolus Thessalonicensibus, non prius venturum Dominum ad judicium, qui regni humani defectio fieret, quod jam
C nos impletum videmus, et Antichristum apparere in mundo qui interficiet Christi martyres.

Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? de adventu Antichristi et de die judicii.

Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Dicit: Scitis quid detineat et non demonstrat quid. Quod nihil melius ibi intelligitur voluisse significare quam destructionem regni Romanorum de qua obscure hic locutus est, ne forte aliquis Romanorum legeret hanc epistolam, et excitaret contra se aliosque Christianos persecutionem illorum, qui se putabant semper regnaturos in toto mundo. Vos *scitis*, inquit, *quid detineat* illum Antichristum, et quid moretur illum, quia necdum destructum est
D regnum Romanorum, nec recesserunt omnes gentes ab illis. *Ut reveletur*, sive manifestetur ipse Antichristus, *in suo tempore*, id est congruo tempore et a Deo disposito, postquam omnia regna discesserint a Romano imperio.

Nam mysterium iniquitatis jam operatur. Mysterium Græce, Latino vocabulo dicitur aliquid occultum et secretum. Mysterium ergo iniquitatis appellat interfectionem sanctorum martyrum et persecutionem, quam inferebant Nero et principes ejus fidelibus Christi. Quæ ideo appellatur mysterium, quia quod diabolus operatus est manifeste per Antichristum, interficiendo sanctos martyres Eliam et Enoch, aliosque plurimos, hoc operatur jam occulte per

membra sua. Neronem ac principes ejus, interficiens A per illos principes, martyres apostolos. Istud mysterium iniquitatis cœptum est a Nerone, qui occulte instigante patre suo diabolo, zelo idolorum interfecit sanctos martyres, et pervenit usque ad Diocletianum et Julianum apostatam, qui plurimos sanctorum peremerunt. Sicut ergo Christus, qui est caput omnium electorum, longe ante suum adventum, occulte et per mysterium præfiguratus est, sicut in morte Abel, et immolatione Isaac, et in David rege, qui Goliam interfecit, qui diabolum significabat, quem Christus in sua morte et passione debellavit, ita diabolus qui in Antichristo erit, in membris suis, malis, scilicet regibus, præfiguratus est occulte et per mysterium. *Tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* Id est hoc solummodo restat, ut Nero, qui nunc tenet B imperium totius orbis, tandiu teneat illud donec de medio mundi tollatur potestas Romanorum. In Nerone comprehendit omnes imperatores Romanos qui post illum imperii sceptra tenuerunt. Ideo dicit : *Donec de medio* tollatur, quia undique ex omnibus gentibus confluebant Romam, et quasi in medio mundi erat, habens in circuitu suo omnes gentes ; vel quidquid intra initium et fines continetur, medium potest dici.

Et nunc. Subaudis cum ablata fuerit potestas a Romano imperio, *revelabitur*, sive minifestabitur *ille iniquus*, Antichristus, *quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*, sive Dominus Jesus interfecerit illum potentia jussionis suæ, sive Michael interfecerit eum, virtute Domini Jesu occidetur, non virtute C Michaelis. Occidetur autem (sicut doctores tradunt) in monte Oliveti in Babylone et solio suo, illo in loco contra quem Dominus ascendit in cœlos. Quod vero dicit Apostolus : Tunc revelabitur ille iniquus postquam fuerit destructum Romanum imperium, non est ita intelligendum, quod statim dixerit illum venturum, sed primum illud destruendum, ac deinde Antichristum venturum, tempore a Deo disposito. *Et illustratione*, sive claritate *adventus sui destruet* Dominus Jesus *eum*, id est Antichristum.

Cujus est adventus secundum operationem Satanæ. Hoc ad ipsam diem judicii pertinet, quando destruetur ipse Antichristus cum omnibus membris suis. Audient enim a Domino : Ite in ignem æternum. Notandum quia non statim veniet Dominus ad judi- D cium, ubi fuerit Antichristus interfectus, sed (sicut ex libro Danielis intelligimus) post mortem illius concedentur electis ad pœnitentiam dies quadraginta quinque. Quantulumcunque vero spatium temporis sit usquequo Dominus veniet, penitus ignoratur. Quodque dicit : Cujus adventus erat secundum operationem Satanæ, intelligendum est quia quidquid operabitur, diabolo instigante et cooperante, implebit, qui ex toto illum possidebit, tamen non amittet sensum, ut ignoranter dicat se nescire Deum, neque vexabitur a diabolo, sicut phrenetici : quia, si ita esset, nequaquam peccatum haberet quidquid ageret ; sicut illi non habent qui phrenesim patiuntur, qui nesciunt quid agant. *In omni virtute, signis et prodigiis mendacibus*, subaudis erit adventus Antichristi. Signa et prodigia pro uno accipiuntur. In signis ergo et prodigiis mendacibus operabitur, quia videbit mortuos suscitare, et alia multa signa facere, sed mendacia erunt et a veritate aliena, quia per magicam artem et phantasiam deludet homines, sicut et Simon magus delusit illum qui, putans eum occidere, arietem decollavit pro eo. Vel etiam in signis et prodigiis mendacibus erit adventus ejus, quia per signa et prodigia falsa quæ videbitur operari, tradet homines ad mendacium colendum, id est ad semetipsum, qui est mendax et pater ejus. *Et omni seductione* sive deceptione *iniquitatis* erit *his qui pereunt*, id est Judæis et paganis, eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, id est spiritum Christi qui dixit : *Ego sum veritas* (*Joan.* XVI), per quem Spiritum sanctum infunditur dilectio Dei et proximi in cordibus nostris. Ideo quia neque Christum neque Spiritum sanctum voluerunt recipere, *mittet illis Deus operationem erroris*, id est permittet ad eos venire Antichristum operatorem mendacii. Plus est quod dixit operationem, quam operatorem, quia ipsam rem mittet eis, id est ipsum mendacium et patrem omnis malitiæ et iniquitatis. *Ut credant mendacio*, id est diabolo, *ut judicentur*, sive damnentur, *omnes qui non crediderunt veritati*, Christo, *sed consenserunt iniquitati*, diabolo, quod elegerit nos apostolos primitias in salutem omnium gentium. Apostoli primitiæ fuerunt, quia primi crediderunt. *In acquisitionem gloriæ Domini Jesu*, id est ut vos acquisiti ad fidem nostra prædicatione, augmentum faciatis corpori Christi, et glorificetur per vos atque laudetur juxta illud : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V).

Deus Pater qui intantum *dilexit nos*, ut Filium suum pro nobis daret, *et dedit consolationem æternam* promittendo nobis regnum cœlorum, *et spem bonam*, exspectationem futurorum bonorum, *in gratia sua*, non in merito nostro, *exhortetur*, id est doceat corda nostra.

CAPUT III.

De cætero orate pro nobis, ut sermo Dei currat, ab ore nostro ad aures vestras, et ab auribus ad cor, sicque vertatur in operationem. *Ut liberemur ab importunis*, qui non stant in portu quietis.

Dominus autem dirigat corda vestra, id est : si quid fortitudinis in vobis habetur, augeat, et faciat vos, per rectitudinem vitæ ambulare, et rectos gressus figere in bono opere. *In charitate Dei* et proximi, *et patientia Christi*, ut patientes sitis inter adversa hujus sæculi, sicut Christus pertulit patienter opprobria, irrisiones, flagella, crucem : vel (sicut quidam codices habent) in exspectatione Christi, ut exspectetis Christi adventum ad judicium.

Gratis panem non manducavimus, id est sine labore.

Si quis non obedit verbo, subaudis nostro aut vestro, ut non sit otiosus, *per epistolam*, subaudis vestram, *hunc notate* nobis, et nos aspere increpabimus illum.

Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in A *omni epistola*. In fine omnium epistolarum Hebraicis litteris et Græco sermone nomen suum scribebat, ne illud quod sequitur ab aliquo pseudoapostolorum potuisset corrumpi. *Ita scribo.* Quomodo : *Gratia Domini nostri Jesu Cristi cum omnibus.* Amen.

IN EPISTOLAM I AD TIMOTHEUM.

ARGUMENTUM.

Timotheus filius fuit mulieris viduæ, patre gentili Græco procreatus. Quæ mater, dum vellet circumcidere secundum præceptum legis, pater prohibuit, qui erat incircumcisus, ut pote gentilis. Traditus autem litteris, eruditus est tam divinis Scripturis quam liberalibus artibus : sociatusque beato Paulo, factus est ei comes in prædicatione : ac postea ab illo ordinatus et constitutus episcopus. Cui Apostolus direxit hanc epistolam, instruens eum de ordinatione episcopatus, diaconii, omnisque ecclesiasticæ disciplinæ et ordinis : et quomodo deberet docere populum.

CAPUT PRIMUM.

Paulus Apostolus Christi Jesu secundum imperium Dei, id est secundum jussionem et voluntatem Dei Patris *Salvatoris nostri* et secundum jussionem *Christi Jesu spei nostræ*, salutem refert ad Deum Patrem, et spem nostram ad Christum : quia Deus Pater dedit nobis salutem per Filium suum quem dignatus est mittere nobis, et per Spiritum sanctum, quem nobis tribuit tempore baptismatis, et tempore manuum impositionis. Per Christum autem habemus spem, id est exspectationem futurorum bonorum ; quia sicut ille resurrexit a mortuis et ascendit ad cœlos, ita nos speramus resurrectionem vobis profuturam per ipsum, et ad gloriam æternæ beatitudinis ascensuros. *Timotheo dilecto filio* in spiritu, in doctrina, *in fide,* non carne, *Gratia*, qua gratis dimittuntur peccata, et *misericordia et pax*, qua reconciliamur Deo Patri. Misericordiam mediam interposuit, ut ostenderet quia gratia, et pax per misericordiam Dei nobis confertur : non per meritum nostrum.

Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi, quæ est civitas metropolis Asiæ, *cum irem in Macedoniam,* provinciam Græcorum, *ut denuntiares quisbusdam*, id est Judæis judaizantibus, et non recte credentibus, *ne aliter docerent*, subaudis, quam nos docemus, *neque intenderent fabulis et genealogiis interminatis*, id est generationibus quæ terminum non habent : *quæ* fabulæ et genealogiæ, *quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide.* De Judæis loquitur, qui præter Pentateuchum et prophetas, aliasque scripturas, habent quasdam traditiones, non scriptas, sed memoriæ commendatas ex traditione patrum, quas Apostolus fabulas, id est fictiones et cogitationes appellat, quæ nullam utilitatem habent in se, nisi contentiones generant et quæstiones. Ex quibus pauca de pluribus dicamus : Traditio illorum est in exordio duas mulieres esse factas, Evam, et alteram, ex quibus dicunt multos
B filios esse natos, quod nusquam sacra Scriptura narrat. Tales etiam erant illi, de quibus dicit Dominus (*Matth*. XV ; *Marc.* VII) : Væ vobis, Pharisæi et scribæ, qui supponitis traditiones vestras mandatis Dei, dicentes patri Corban, id est donum vel munus quodcunque ex me tibi proderit, et multa his similia. Similiter de genealogiis proponebant quæstionem, quot annis vixerit Mathusalem. Heber, Noe cæterique patres ; et quid fecerint, et quomodo vel quando : unde proponunt quæstionem, si Salomon duodecimo anno ætatis suæ unctus est in regem, et quadraginta annis regnavit, et Roboam, filius ejus, quadragesimo similiter anno ætatis suæ suscepit regnum, quomodo Salomon duodenis potuerit filium procreare ? Quæ traditiones et genealogiæ nullam
C ædificationem Dei præstant, quæ est in fide, id est quæ ad fidem Dei pertinet. Ædificatio Dei est, quando quis ea loquitur quæ aliquid utilitatis habent per quæ præparat et ædificat Deo templum in cordibus auditorum ; sed figmenta Judæorum quæ memoriter recitant nullius utilitatis sunt. Dicit enim beatus Hieronymus : Quid mihi prodest scire quot annis vixerint Mathusalem, Noe, Sem, aliique patres? nihil. Sic intelligendum est de fictionibus illorum, a quibus Apostolus præcipit eis per Timotheum ut desistant.

Finis enim præcepti est charitas. Finis et terminus, finis est consumptio qua consumitur cibus, ut ultra non sit quod erat : unde dicimus : Finitus est cibus. Finis etiam est completio, perfectio, consummatio, qua consummatur tela : unde dicimus :
D Finita est tela, id est, texendo perfecta est et consummata. Sic finis præcepti, sive præceptorum perfectio et completio est charitas. Totam enim magnitudinem et latitudinem divinorum eloquiorum secura possidet charitas, qua diligimus Deum et proximum. Omnis igitur præcepti finis sive completio charitas est, id est ad charitatem refertur omne præceptum, quia qui Deum diligit, non peccat : et qui proximum amat ut seipsum, non delinquit : quia non adulterat uxorem ejus, quoniam non vult suam adulterari : non occidit alium, quia non vult occidi : sic de cæteris intelligendum est præceptis. Et ipsa charitas *de corde puro* debet esse non de ficto, *et conscientia bona et fide non ficta.* Conscientia sæpe ponitur pro spe, sicut in hoc loco. Charitas ergo de

spe bona debet procedere, quia ideo debet Deum et proximum diligere, ut æterna præmia se speret exinde recepturum. De fide etiam non ficta, ut quod credit et intelligit, opere perficiat. Nam fides ficta est quæ confitetur ore, sed non tenetur corde, neque exornatur operibus, quam multi habent, de quibus dicitur: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Fides vero vera est quæ tenetur corde, profitetur ore, perficitur opere.

A quibus subaudis virtutibus, id est a charitate, spe bona, et fide non ficta, *aberrantes quidam* Judæorum *conversi sunt in vaniloquium*, loquentes ea quæ vana sunt, nullamque utilitatem in se habentia.

Volentes esse legis doctores, non intelligentes ea sicut intelligenda sunt, *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Judæi si quando de prava et falsa opinione sua, et de fabulis et traditionibus suis vanis reprehendi et convinci cœperint, ad defendendum id quod lævissima temeritate et cogitatione, necnon et apertissima falsitate, dixerunt eosdem libros suos, unde id probant proferre conantur: vel etiam memoriter, quæ ad testimonium valere arbitrantur, multa verba inde pronuntiant, non intelligentes sicut intelligenda sunt, neque quæ loquuntur, neque testimonia quæ proferunt, de quibus volunt affirmare suam falsitatem, ponentes incongrua exempla.

Scimus autem quia bona lex est, si quis ea legitime utatur. Ille utitur legitime lege qui intelligit quare sit data, videlicet ad reparandam et roborandam naturalem legem, quam genus humanum jam conculcatam habebat, et qui intelligit quandiu observari debuit, in figura scilicet usque ad Christi adventum, et qui ea quæ in lege præcipiuntur carnaliter et in figura post Domini adventum spiritaliter intelligit: et jam non in figura, sed in veritate adimplet, videlicet ut circumcidat se, id est exspoliet per baptismum et per pœnitentiam ab omnibus peccatis, et celebret sabbatum spiritaliter, quiescendo a pravo opere, et præcepta moralia teneat. Qui taliter utitur lege, bona est illi lex.

Sciens hoc quia justo non est lex posita, id est justificato per fidem et gratiam baptismatis, et legem volenti implere non est lex posita, id est imposita ut supra illum sit. In illam enim est potius, et cum ipsa quam sub illa, quia amicus legis est Unde si omnes justi essent, nequaquam esset lex data. *Sed justis et peccatoribus* data est lex, ut illi ejus timore desinant peccare; *plagiariis*, subaudis posita est lex: plagiarii sunt seductores, qui homines seducendo furantur et vendunt.

Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. In Græco habetur humanus sermo, id est jucundus, gratus et acceptus. Quid enim jucundius, quid gratius vel acceptius, quam audire quia Christus Jesus venit peccatores salvos facere? Si ergo est humanus, nunquid est et divinus? Est A utique, quia nisi esset divinus, nequaquam potuisset peccatores salvos facere. Sed humanum illum dixit alio modo, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; vel fidelis sermo est, id est verus et dignus est, ut ab omnibus acceptus habeatur, quia Christus Jesus venit peccatores salvos facere: sicut ipse dixit: *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* IX), ad pœnitentiam, et venit Filius hominis salvare quod perierat. Sed quærendum est quare dicat Apostolus: Quorum primus ego sum. Nunquid ante eum non fuit peccator Cain? Nunquid ante eum non fuerunt peccatores Sodomitæ et Judæi, qui crucifixerunt Dominum? Vel nunquid illum primum venit vocare et salvare? Nunquid ante eum non est vocatus et salvatus Petrus, aliique apostoli, multi- B que credentes? Sunt utique. Notandum quia sicut dicitur primus in bono inter alios, ita etiam et primus inter alios in malo; et ponitur aliquando pro ordine vel dignitate. Sed in hoc loco Apostolus causa humilitatis primum se dixit, quasi pejorem aliis, aut pessimum omnium. Sic enim soliti sumus dicere, verbi gratia: Transit rex aut quælibet potestas per quemdam locum, et invenit turbam latronum, et dicit: Quis est primus in vobis, adducite illum, id est quis est primus ad malum, adducatur, cujus auctoritate alii latrocinium exercent. Sic etiam dum invenit aliquis artifices laborantes, dicit: Quis est hic primus? Non interrogat quis prior sit ætate, sed quis prior sit arte; sicut ille prior est in arte, ita latro primus est in iniquitate. Et beatus Aposto- C lus hoc modo de se dicit causa humilitatis: Quorum primus ego sum, id est de illorum peccatorum, quos venit Christus salvare, ego sum pessimus. Re enim vera multum erat imbutus, iniquitate, qui Christum jam in cœlo sedentem persequebatur in terra in membris suis.

Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primum ostenderet Christus Jesus omnem potentiam [Vulg., *patientiam*] *ad informationem*, sive ad exemplum *eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam*. Quare sit misericordiam consecutus, exponit causas: D Christus, inquit, daturus veniam conversis ad se peccatoribus, extendit charitatem suam usque ad inimicos suos, me primum elegit acriorem inimicum, quem cum sanaret, ne me in cæteris desperaret, egit Dominus more peritissimi medici qui veniens ad illum locum ubi antea ignotus erat, et ubi plurimi infirmi sunt, quemcunque graviori infirmitate laborantem, et in desperatione positum invenit, illum assumit primum ad curandum, ut in illo ostendat peritiam suæ artis, et ut alii infirmi videntes illum sanatum qui graviori morbo gravabatur, non desperent de salute, sed unusquisque illo in loco dicat proximo suo: Vade ad illum medicum, securus esto, sanabit te; sic Dominus Jesus Christus verus medicus, ostendit in beato Paulo gratiam suæ medicinæ, id est misericordiam suæ pietatis, sanando illum a languore infidelitatis et morbo vitiorum, ut in illo ostenderet quia si illius misertus est, qui ejus fuit perse-

cutor in sanctis martyribus, utique et aliis miserebitur.

Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Quidam regem sæculorum in hoc loco intelligunt Deum Patrem, pro eo quod ait Apostolus invisibili, dicentes in Deo illum appellatum esse ab Apostolo invisibilem quod ejus persona in Veteri Testamento per aliquam subjectam creaturam et similitudinem non fuerit ostensa, sed Filii, sicut ostensa est Isaiæ, qui vidit illum in habitu regnantis sedere, et Danieli qui dixit (*Dan.* VII) : Aspiciebam in visu noctis, et ecce Filius hominis venit, et data est ei potestas. Quos beatus Augustinus reprehendit, affirmans regem sæculorum invisibilem sanctam Trinitatem appellatam esse, Patrem videlicet, et Filium, ac Spiritum sanctum, quæ trinitas personarum unitatem Deitatis facit, quæ est unus Deus, et sicut est Pater invisibilis, ita Filius invisibilis, et Spiritus sanctus invisibilis, quia Deus spiritus est. Illi ergo qui dicunt personam Patris non esse ostensam in Veteri Testamento, attendant quid dicat Daniel : Aspiciebam, inquit, et ecce Antiquus dierum sedit (*Ibid.*). Quapropter rex sæculorum sancta Trinitas est, quæ est unus et verus Deus, immortalis, immutabilis et invisibilis in sua substantia. Pater igitur, et Filius, et Spiritus sanctus, unus Deus rex est sæculorum præteritorum et futurorum; homo vero assumptus a Verbo ex eo tempore rex est futurorum ex quo assumptus est a Verbo; nam præteritorum sæculorum non fuit rex ille homo quia non erat. Soli Deo, id est sanctæ Trinitati honor, laus, jubilatio, et gloria in omnia sæcula sæculorum sit.

Hoc præceptum, superius dictum, quia Christus Jesus venit peccatores salvos facere, vel etiam hoc præceptum *commendo tibi* quod dicturus sum, *fili Timothee*, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam. Prophetias præcedentes appellat intelligentiam prophetarum, quam habebat Timotheus antequam ordinatus esset episcopus: Commendo, inquit, tibi hoc præceptum, subaudis intelligentiam prophetarum, quæ præcessit in te antequam episcopus ordinatus a me, ut milites, id est certes in illis prophetiis bonam militiam, id est pugnam, docendo te et alios quod prædicas ore perficiendo opere : nam militia dicitur pugna, et miles pugnator.

Habens fidem, subaudis rectam, *et conscientiam bonam*, id est bonam spem, quæ intelligitur per conscientiam, sicut paulo superius prædiximus. Ille ergo habet bonam spem qui talia opera agit pro quibus sperat se præmia æterna percepturum. *Quam*, subaudis fidem vel spem, *repellentes quidam, circa fidem naufragaverunt.* Naufragium dicitur navis fracta : et sicut ille nudatur a substantia sua quam habebat in navi qui naufragium patitur, et insuper ipse perit, ita qui repellunt fidem nudantur a veritate fidei, et pereunt insuper æterna perditione. Circa fidem naufragaverunt, id est nudi et alieni a veritate fidei remanserunt vel etiam perierunt.

Ex quibus, id est ex his qui a veritate fidei recesserunt, *est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ ut discant non blasphemare.* Alexander quidem fuit faber ærarius, veniens ad fidem Christi, sed postea reversus est ad apostasiam suam, qui postea erat apud Athenas faciens ædes Dianæ, quando commovit totam civitatem contra Apostolum. Unde ipse dicit in epistola sua ad Timotheum : *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit* (*II Tim.* IV). Multi ergo fuerunt qui a fide recesserunt, ex quibus fuit Simon magus, et Hymenæus, atque Alexander, quos duos tradidit Apostolus diabolo ad vexandum et puniendum, quo suadente et instigante a fide recesserunt, et nomen omnipotentis Dei blasphemabant, ne alii auderent similiter facere. Nam tantæ potestatis erat Apostolus, tantamque gratiam habebat, ut recedentes a fide solo verbo traderet diabolo.

CAPUT II.

Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate constituti sunt. Beatus Apostolus dirigens hæc verba Timotheo, in illo tradidit omnibus episcopis et presbyteris, omnique Ecclesiæ formam quomodo deberent missarum solemnia celebrare, et pro omnibus hominibus orare ; quam formam vel exemplum omnis Ecclesia modo retinet. Nam obsecrationes sunt quidquid præcedit in missarum solemniis, usque ad illum locum ubi incipit sacerdos consecrare mysteria corporis et sanguinis Domini, inquiens : Te igitur, clementissime Pater, petimus... Orationes sunt quas fundit sacerdos in consecratione Eucharistiæ usque ad fractionem corporis Domini, videlicet quando particulam quamdam sacerdos in calicem ponit. Postulationes sunt benedictiones episcopales, quas dicit episcopus super populum, invocans nomen Dei super illum, quod tractum est ex Veteri Testamento. Per Moysen namque dixit Dominus sacerdotibus : Invocabitis *nomen meum super filios Israel et ego benedicam eis* (*Num.* VI). Gratiarum actiones sunt laudes quas communicato populo refert sacerdos Deo Patri, qui dignatus est mysteria corporis et sanguinis Filii sui dare eis ad salutem et redemptionem. Et ne forte diceret aliquis : Non debemus orare pro regibus infidelibus et judicibus ac ducibus, quia pagani sunt, præcepit Apostolus pro omnibus hominibus orare, eodem Spiritu sancto afflatus, quo et Jeremias propheta, qui misit epistolam Judæis qui erant in Babylone ut orarent pro vita regis Nabuchodonosor filiorumque ejus, et pro pace civitatis ad quam ducti erant captivi, inquiens (*Jer.* XXIX) : Ideo debetis orare pro eis, quia in pace illorum erit pax vestra. Similiter et Apostolus reddit causas quare talia præcipiat: *Ut tranquillam et quietam*, id est pacificam, *vitam agamus in omni pietate et castitate*. Pietas est cultus et religio omnipotentis Dei,

Ideo ergo orandum est servis Dei pro regis vita et pace regni, ut ipsi liberius possint dediti esse cultui et religioni Dei, quia plerumque dum hostes fugant servos Dei a propriis sedibus, et desæviunt bella et seditiones per regna, non possunt in cultura Dei esse intenti per omnia sicut tempore pacis. Pietas etiam est misericordia quam debemus impendere pauperibus et indigentibus. Si ergo deprædamur ab hostibus, non possumus opus misericordiæ exercere, quia non valet misericordiam impendere alteri, qui non habet unde miseriam suam vel semetipsum sustentet. Sed ut habeamus unde eleemosynam tribuamus, orandum est pro vita regis ac principum, et pro pace regni, et ut agamus vitam nostram, id est ducamus in omni castitate corporis. Tempore pacis utcunque et cum minima difficultate servari potest castitas, quando vero deprædatur regnum a prædonibus et hostibus, nequaquam potest servari, quia Domini qui deprædati sunt captivos, explent voluntatem suam et immunditiam cum eis ut libet, nec valent resistere. Quapropter orandum est pro salute et vita fidelium regum et principum, ut longo tempore conservati, pacem habeant et regnum, et magis ac magis proficiant in melius. Pro infelicibus quoque orandum est, ut resipiscant ab infidelitate, et transeant ad fidem.

Hoc enim bonum est coram Salvatore nostro Deo, subaudis ut pro omnibus hominibus oremus, *qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*. Cum Psalmista dicat: *Omnia quæcunque voluit* Dominus *fecit* (*Psal.* CXIII) ; et Apostolus : Qui vult omnes homines salvos fieri, quærendum est quare omnes homines non salventur? Ad quod dicendum, quia verum est quod Psalmista dicit, *Quia ipse dixit et facta sunt* (*Psal.* XXXII), similiter omnes homines vult salvare qui salvantur, et qui per misericordiam quærunt salvari. Totum enim pro parte posuit Apostolus, sicut et in Evangelio, ubi dicit Dominus : Si *exaltatus fuero a terra*, *omnia traham ad me* (*Joan.* XII). Non enim omnes homines traxit, aut trahit ad se, sed omnia, subaudis electa, et ex omnibus generibus et gentibus, et ex omni sexu et conditione a regibus usque ad mendicum, a perfectis usque ad puerum vel infantem unius diei. Nemo tamen potest salvari nisi quem Dominus vult, quia ipse cujus vult miseretur (*Rom.* IX). Si enim omnes homines in sua perditione mansissent, rectum Dei judicium esset; sed ut ejus misericordia et potentia ostenderetur, quia ipse potens est omnes homines salvare, in illis qui pereunt ostendit suum rectum judicium et in his qui salvantur suam misericordiam. Prævenit enim nos ejus gratia ut velimus, debet nostra voluntas voluntati illius concordare, et tunc ipse dabit posse, atque ex hoc quod ejus voluntati jungimus nostram voluntatem, digni sumus remuneratione. Tamen totum illius gratiæ est retribuendum quidquid boni agimus. Qui vult, inquit, omnes homines salvos fieri, subaudis qui salvantur, et ad agnitionem sanctæ Trinitatis venire, quæ est summa et substantialis veritas.

Unus enim Deus, Pater, et Filius, ac Spiritus sanctus, *unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*. Dominus Jesus in una persona verus Deus et verus homo est : si solummodo Deus esset, non poterat esse mediator noster : quia ipse in natura Divinitatis, unius substantiæ est cum Patre. Econtra, si solummodo homo purus esset, nequaquam mediator esset inter nos et Deum Patrem, quia peccator esset et similis nobis omnibus. Accepit ergo humanitatem nostram qui Deus erat : et per hoc quia sine peccato conceptus, natus, et conversatus est, Deus verus et homo existens, innocenter pro nobis mortuus, factus est mediator noster, quia nemo est Deus et homo, nisi ipse solus, nam mediator non potest esse nisi inter duas partes. Est autem mediator malus qui generat discordias inter duos; bonus vero mediator generat et procurat pacem, sicut Dominus Jesus inter nos et Deum Patrem.

Qui dedit redemptionem pro omnibus, subaudis electis. Quam redemptionem? *semetipsum*. Qui dedit etiam *testimonium*, subaudis resurrectionis nostræ et ascensionis ad beatitudinem æternam, temporibus suis, id est tempore quo resurrexit et ascendit ad cœlos. Testimonium resurrectionis dedit, quia sicut ipse mortuus est, et tertia die resurrexit, atque postmodum ad cœlos ascendit, ita nos credimus resurgere in die judicii, atque ad gaudia cœlestis regni transire, sicut ipse promisit.

In quo testimonio, id est in spe resurrectionis, *positus sum ego prædicator*, ut illam annuntiem.

Volo ergo viros orare in omni loco. Si Apostolus vult, Deus vult qui habitat in eo; quia vas electionis est ille. Ne forte putarent aliqui non esse orandum nisi tantummodo in Ecclesia, ait Apostolus : Volo homines orare in omni loco : in agris, in silvis, in domibus, in itinere. Tamen non præcipit orare in turpibus locis, sicut est sterquilinium, neque in publicis locis, in foro videlicet, aut in plateis, nisi causa itineris, ut in itinere sit positus, ne reprehendatur ille talis cum Pharisæis, quibus Dominus ait : Væ vobis, Pharisæi hypocritæ, qui oratis in angulis platearum. *Levantes ad cœlum puras manus*, ab homicidio, a rapina, a furto, a perjurio, *sine ira et disceptatione*, id est discordia.

Similiter volo *et mulieres* orare *in habitu ornato*, non ornato auro, vel gemmis aut margaritis, sed ornato dicit, id est congruo sibi ; quia nullus est plus congruus quam candidus, sicut est sindon, *sed quod decet mulieres*, subaudis illud indumentum habeant, *promittentes pietatem per bona opera*, id est ostendentes religionem et cultum Dei se tenere per bona opera.

Mulier in silentio discat, subaudis quod ignorat, *cum omni subjectione*, non in ecclesia, neque cum superbia, sed in domo.

Docere autem mulieri non permitto. In suo sexu permittitur mulier docere in domo sua, et pueros

etiam: in ecclesia autem prohibetur. Et hoc quare? A quia subjecta debet esse viro, quia de corpore ejus facta est; vel etiam idcirco non permittitur ei docere, quia fragilior est sexu quam vir, et cavendum ne, sicut Eva per serpentem seducta mortem attulit mundo, ita etiam facile ad errorem lapsa, alios ad eumdem errorem pertrahat.

Adam non est seductus, subaudis primus, per serpentem : *mulier autem seducta*, subaudis prima, *in prævaricatione fuit*, id est prævaricationis pœnæ subjacuit.

Salvabitur autem, subaudis mulier, *per filiorum generationem, si permanserit* eadem mulier *in fide* perfecta *et dilectione* Dei et proximi ac *sanctificatione*, ut præter virum per proprium alterum non cognoscat, *cum sobrietate* sive cum temperantia. B Salvabitur mulier per filiorum generationem, id est per bona opera, si habuerit charitatem, misericordiam, hospitalitatem, cæteraque talia, quæ beatus Gregorius intelligi vult per filios. Aliter : nunquid salvabitur mulier amplius, si permanserit in castitate? Utique; sed si genuerit filios, et eos in fide et religione omnipotentis Dei educaverit, atque ad perfectionem bonæ vitæ perduxerit: si quid deliquit, salvabitur pro labore quem illis impendere studuit. *Fidelis sermo*, id est verax, sive præcedens, sive subsequens, vel humanus sermo, ut in Græco habetur, id est jucundus, gratus et acceptus.

CAPUT III.

Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. C Opus non dignitatem, laborem non honorem; ideo debet aliquis episcopatum desiderare, ut aliis doctrinam verbi Dei annuntiet, ut bonum exemplum ostendat : et si necessitas fuerit, ut primus ad palmam martyrii currat.

Oportet episcopum irreprehensibilem esse, id est sine crimine et capitali peccato. Non dixit sine peccato, quia non est homo super terram qui faciat bonum et non peccet; *ornatum* moribus, et virtutibus, atque doctrina, non auro redimitis vestibus aut castoriis; *pudicum*, id est castum ab omni immunditia; hospitalem, laicus aut quilibet ecclesiasticus, si duos aut tres pauperes hospitio colligit, hospitalitatis officium implet : episcopus vero, si omnes non receperit, D inhospitalis reputatur; *percussorem*, ut non sit pugil, sicut judices istius sæculi : vel si percussus fuerit, non reddat vicem, vel etiam pravo suo exemplo aut doctrina perversa, non percutiat animos subjectorum; *non cupidum*, morbo cupiditatis penes omnes laboret *unius uxoris virum*, id est antequam ordinetur unam uxorem debet habere, ut non sit bigamus aut trigamus; postea vero penitus abstinere debet.

Suæ domui bene præpositum, id est suæ familiæ antequam ordinet; *non neophytum*, id est novellum conversum, id est noviter venientem ad fidem, vel noviter deserentem militiam sæcularem, *ne in superbiam elatus, in judicium* incidat diaboli, id est in damnationem, in quam diabolus incidit per superbiam, et dicat : Indigebat Ecclesia mea sapientia vel meo auxilio, ideo me ad fidem adduxit, et super se constituit.

Oportet etiam illum et testimonium bonum habere ab his qui foris sunt, id est ab hæreticis et paganis, qui extra Ecclesiam sunt debet habere bonum testimonium, sicut de beato Basilio legimus.

Similiter diaconos, subaudis oportet esse pudicos. Quare tacuit de presbyteris? quia in ordine episcopali comprehenduntur presbyteri. Omnis enim episcopus presbyter est, et tamen non omnis presbyter episcopus est; *non turpe lucrum sectantes*, turpe lucrum est, per usuram et quasdam inventiones lucra temporalia cumulare.

Habentes mysterium fidei in conscientia bona. Mysterium dicitur res occulta, et mysterium fidei appellat hic ipsam fidem qua credimus in Deum, quæ occulta est, quia non videtur nisi in corde. Conscientiam bonam dicit spem bonam, ut per bona opera sperent percipere præmia æterna. Habentes mysterium fidei, id est fidem perfectam in spe bona.

Similiter mulieres oportet esse *pudicas*. Quidam voluerunt hic intelligere diaconissas, sed non est illud, ut beatus Augustinus dicit.

Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. Ecclesia, et columna, et firmamentum veritatis appellatur, quod unum est propter firmitatem fidei, et quia doctrinis cœlestibus et divinis miraculis firmata est.

Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestum est in carne, justificatum est in spiritu. Sacramentum dicitur occulta res, idem est et mysterium, sive mysticum aliquod. Sacramentum autem isto in loco appellat Apostolus Verbum Dei Patris, quod in natura Divinitatis in qua quod æquale est Patri invisibile manet. Sacramentum vero pietatis dicit, id est religionis et veræ culturæ, quia illi soli competit religio sancta, et illum convenit venerari. Istud magnum sacramentum pietatis manifeste est, id est manifestatum est in Ecclesia, in cordibus fidelium, quod Filius Dei est. Et hoc est quod subjungit : quod manifestatum est in carne, id est istud sacramentum quod in natura Divinitatis non poterat videri, visibile factum est per carnem et per doctrinam cœlestem, et per miracula divina. Unde dicitur in Evangelio : *Hoc fecit initium signorum Jesus, et manifestavit gloriam suam (Joan.* II). Justificatum est istud sacramentum in spiritu, id est justum apparuit esse per plenitudinem Divinitatis, quæ erat in illo, et quæ custodivit eum a peccato. *Apparuit angelis*, id est apostolis et prædicatoribus per carnem et miracula, *prædicatum est gentibus* ab apostolis quando profecti prædicaverunt ubique, *creditum est in mundo*, id est ab habitatoribus mundi creditum est quod ipse esset Verbum Dei, *assumptum est in gloria* paternæ majestatis. Ordo præposterus est : apparuit enim apostolis, ac deinde assumptum est ad dexte-

ram Patris, et sic postmodum prædicatum est ab apostolis, et creditum est a gentibus.

CAPUT IV.

Spiritus autem manifeste dicit, subaudis per me ; tale est ac si diceret : Hæc dicit Spiritus sanctus per me, *quia in novissimis temporibus*, id est in hac novissima ætate in qua modo sumus, *discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris*, id est dæmonibus in errorem illos trahentibus. Idem est quod subdit : *et attendentes doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium*, id est in simulatione veritatis. Dæmones enim loquuntur per ora hæreticorum simulate, quasi vera sit eorum prædicatio : *et cauteriatam habentium suam conscientiam*. Cautere vel cauterium est ferramentum medici, a quo corrumpitur et uritur cutis et caro hominis ; et sicut cauterio cutis et caro corrumpitur, ita illorum mens qui a fide recedunt corrupta est prava doctrina et perverso opere, et hoc est quod dicit Apostolus : Corruptam habentes mentem.

Prohibentium nubere, id est nuptias celebrare, dicentes nuptias a diabolo esse inventas, non recolentes neque intelligentes quod dixit Dominus primis hominibus : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I), et : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ* (*Gen.* II). In his locis notavit Apostolus per Spiritum sanctum hæreticos qui post discessum ejus fuerunt, Marcion videlicet, Hebion, Cherinthum, Manem, cæterosque perversi dogmatis doctores.

Ineptas autem, id est non aptas et non congruas fidei, *et aniles fabulas devita*. Aniles fabulas appellat deliramenta, quæ solent anus et vetulæ mulierculæ excogitare et narrare juvenculis. *Exerce teipsum ad pietatem*, id est extende ad cultum et religionem omnipotentis Dei, et ad misericordiam.

Nam corporalis exercitatio ad modicum, id est ad aliquid *utilis est*. Verum est quia exercitatio corporalis quæ fit in aliquo opere, levamen præstat corpori ; aliter : corporalis exercitatio quæ fit in jejunio, in vigiliis, id est abstinentia, in refrenatione corporis, parum prodest illi qui habet unde faciat eleemosynam pauperi, et retinet illam. *Pietas autem*, id est misericordiæ opus, *ad omnia utilis est*, *promissionem habens vitæ* præsentis, *quæ nunc est et futuræ* etiam vitæ. Qui eleemosynam impendere pauperi curat, et in præsenti ministrat ei Deus temporalia subsidia, et in futuro vitam æternam, et hoc est quod dicit : *Promissionem habens* præsentis *vitæ et futuræ*.

Qui est Salvator omnium hominum maxime fidelium. Sicut omnipotens Deus creator est omnium creaturarum, ita etiam salvator, quia ipse salvat illam in hoc sæculo. Maxime tamen fidelium salvator est, quos salvat in hoc sæculo et in futuro.

Nemo adolescentiam tuam contemnat. Adolescentia et juventus pro uno accipiuntur. Et Timotheus juvenis jam erat, ideo dicit : Talem te præbe, ut æta-
A tem tuam nemo possit spernere. Es juvenis ætate, sis senex mente et moribus.

Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri. Gratiam appellat hic fidem, et sapientiam, atque remissionem peccatorum, et gratiam episcopatus, quæ per prophetiam data est illi, quia prophetiæ spiritu revelante cognovit beatus Paulus Timotheum dignum esse episcopali honore.

CAPUT V.

Seniorem ne increpaveris, quia solent senes dure accipere, quando increpantur a junioribus. Sed dicit beatus Gregorius, quia licet Apostolus dicat : *Seniorem ne increpaveris*, senior tamen stultus vehe-
B menter est increpandus, etc.

Viduas honora, quæ vere viduæ sunt, id est talem quæ sexaginta annorum est et fuit unius viri uxor, et quæ desolata est a filiis, et filiabus, omnique substantia. Honor autem hic pro dono et muneribus accipitur.

Nam vidua *quæ in deliciis est virens* corpore, *mortua est* in anima apud Deum, licet apud homines videtur vivere.

Si quis fidelis vel si qua vidua *suorum* filiorum, *et maxime domesticorum* qui in domo ejus sunt, *curam non habet*, ut illos doceat recte vivere et conversari, *fidem negavit* per mala opera, *et est infideli deterior ;* quia melius est viam veritatis non cognoscere quam postea deviare.

C *Vidua eligatur*, subaudis ad sustentandum de substantia Ecclesiæ non minus sexaginta annorum, id est sexagenaria.

Cum enim luxuriatæ fuerint illæ adolescentiores viduæ *nubere volunt in Christo*, id est in fide Christi, et fidelem Christianum accipere in maritum. Solent multæ mulieres mortuis viris suis promittere Deo viduitatem, castitatem, et accipere velamen super caput suum, postea vero miscent se servis suis, et aliis et fornicatoribus, atque ad ultimum in Christo volunt nubere, id est aliquem Christianum accipere, dicentes : Quia non possum me continere, nubam alicui Christiano fideli. Istam talem juvenculam præcipit Apostolus devitare, *habentes damnationem, quia primam fidem* et promissionem, quam Deo pro-
D miserunt permanere in viduitate, *irritam fecerunt* accipientes postea maritum.

Volo nullam occasionem dare adversario, id est volo ut occasionem non dent diabolo *gratia* sive causa, *maledicti* ut maledicantur et blasphementur ab illis.

Si qua *fidelis* mulier *habet viduas* filias aut neptes *subministret illis* quæ necessaria sunt.

Qui bene præsunt præsbyteri, duplici honore digni habeantur. Duplicem honorem præcipit exhiberi presbyteris, in salutationibus videlicet ut humilient se illis subjecti, et exhibendis donis subsidiisque temporalibus.

Sine præjudicio nihil facias in aliam partem declinando, id est nihil facias nisi prius tuo judicio

discretione examines, et discernas utrum faciendum sit nec ne.

Manus cito nemini imposueris, donec probes vitam illius et fidem, utrum rectam fidem teneat atque doctrinam illius ut possit populum docere. Sine his tribus nullus est ordinandus episcopus aut presbyter, id est sine fide catholica, conversatione bona, et doctrina sana.

Neque communicaveris peccatis alienis. Peccatis communicat episcopus, id est particeps est peccatorum alicujus, quando cognoscit aliquem veraciter criminosum esse, vel audit malam famam illius, et ordinat illum episcopum vel presbyterum. Si vero ignorat peccata illius, nec audit illius malam famam, neque videt illum confessum aut convictum testibus, licet sit peccator qui ordinatur, non est episcopus particeps peccatorum ejus.

Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates. Solent homines qui cum vino nutriti sunt, infirmari quando abstinent a vino, quia quasi natura est illis vinum bibere. Similiter de cæteris rebus cum quibus homo nutritus est, et quæ in usu habuit : si quando ab illis abstinet, debilitatur corpus, et non valet explere ita divinum officium, et Dei servitio esse deditus. Quapropter ne Timotheus nimium abstinendo a vino infirmaretur amplius, et non posset postmodum divino operi insistere, præcipit ei Apostolus modico vino uti, quoniam si vinum cum temperantia et sobrietate quis biberit, levamen præstat corpori. Sed quid est quod patrem Publii dyssenteria laborantem solo verbo sanavit Apostolus, et discipulum suum Timotheum non sanavit, nisi tantummodo medicinam quodammodo ostendit, per quam possit aliquid corpus allevare? Pater Publii quia infidelis erat, necesse habebat sanari per miraculum, ut per sanitatem corporis sibi præstitam perveniret ad sanitatem animæ : Timotheus vero qui fidelis erat, non indigebat sanari per miraculum, quia fidelissimus erat.

CAPUT VI.

Si quis aliter docet, subaudis quam nos prædicamus, non debere servos fideles servire dominis infidelibus; *et non acquiescit sanis* sive veris *sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei* etiam doctrinæ non acquiescit, *quæ secundum pietatem*, id est secundum religionem est, subaudis de vita. In hoc loco Judæos notat, qui dicebant non temere servum in servitio teneri nisi sex annis, secundum legis præceptum. Sed dicit beatus Augustinus quia illud spiritaliter est intelligendum, magnumque mysterium in se continet, quod illi carnaliter observabant, et dicit omni tempore quo vixerit servus, debere dominis suis servire, nisi ab eis libertatem promeruerit.

Superbus est ille talis qui aliter docet *nihil* boni *sciens, sed languens* in animo *circa quæstiones et pugnas verborum*, quod unum est. *Ex quibus* quæstionibus *oriuntur blasphemiæ*, quia blasphemat sacram Scripturam per malam interpretationem: *suspiciones malæ* ad invicem, quia unus suspicatur alium non recte intelligere *conflictationes hominum mente corruptorum*, quia confligendo inter se de quæstionibus, corrumpunt hominum mentes, *et* illi tales *a veritate privati sunt*, id est longe separati sunt, *existimantium quæstum* sive lucrum temporale *esse pietatem* sive prædicationem, id est qui ideo prædicant ut lucrum temporale possint accipere ab auditoribus.

Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia. Ac si diceret : Vis scire, o Timothee, quod sit lucrum magnum seu quæstus? Pietas, id est fides et cognitio sanctæ Trinitatis est lucrum magnum cum sufficientia, quando homo non desiderat plus habere quam necesse est ad corporis necessitatem implendam.

Nam qui divites volunt fieri incidunt in tentationes diversas, quia diu noctuque cogitant quomodo possint ditari, et incidunt etiam in *laqueum*, id est in damnationem diaboli.

Radix sive initium *omnium malorum est cupiditas*, id est amor pecuniarum et honoris : quæ et avaritia nominatur, quia omnia mala de illa procedunt Videamus quomodo? verbi gratia : Volo adulterium perpetrare, occido virum mulieris, et hoc cupiditas agit : volo abundare divitiis, aufero equum alicujus, et exspolio alios, et in hoc cupiditas est; similiter de cæteris vitiis intelligendum est. Sed quæstio est in hoc loco : quare dicat Apostolus : Radix omnium malorum est cupiditas sive avaritia? cum sapientia dicat : initium sive radix omnis peccati superbia : quomodo ergo erit utrumque et avaritia radix peccati, et superbia initium peccati. Utrumque verum est, quia ista duo conjuncta sunt, et unum sine altero nequaquam sit. Avaritia etenim non solum divitiarum est, sed altitudinis et dignitatis. Omnis namque superbus ideo se extollit ut major appareat aliis, et avarus ideo congregat divitias ut altior et potentior sit aliis in dignitate, et præcellat eos in multitudine divitiarum; *quam*, subaudis cupiditatem sive avaritiam, *quidam appetentes*, id est ultra modum quærentes, *erraverunt a fide*, etc.

Apprehende vitam æternam, recte docendo et bene vivendo, *ad quam* percipiendam *vocatus es et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Apprehende vitam æternam.* Timotheus quando baptizatus est, tantæ ætatis erat, ut interrogatus utrum crederet Deum omnipotentem, et quomodo crederet, ipse ore proprio confiteretur se credere.

Præcipio tibi coram Deo Patre *qui vivificat omnia*, subaudis quæ vivificantur, *et coram Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem.* Quod fuit illud testimonium, sive illa confessio ? quod unum est, istud Pilato interrogante, utrum ipse esset rex Judæorum ? ait : Tu dicis : Ecce testimonium. Similiter quando dixit : Ego testimonium perhibeo veritati. Et quid præcipio tibi ?

ut serves mandatum tibi a me commendatum, *sine macula, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi*, id est usquequo ab illo voceris per mortem corporis, vel usque ad diem judicii servet unusquisque fidelium hoc mandatum, quod supra tibi commendavi, *quem*, subaudis adventum Domini nostri Jesu Christi, *suis temporibus*, id est congruis et dispositis, *ostendet beatus et solus potens Rex regum et Dominus dominantium.* Beatum et solum potentem Regemque regum ac Dominum dominantium debemus intelligere hic sanctam Trinitatem, Patrem videlicet, Filium, ac Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, qui adventum hominis assumpti a Verbo ostendit congruis temporibus, *qui solus habet immortalitatem*, id est immutabilitatem. Angeli et animæ hominum immortales sunt, sed comparatione omnipotentis Dei, cujus immutabilitas neque initium, neque finem habet, isti immortales non sunt quia eorum immortalitas ex tempore cœpit esse. Vel ut amplius dicamus, in hoc quod mutari potuerunt angeli et animæ, quasi immortales non fuerunt. Quando enim angelus peccavit, in superbiam erigens se, cujus rei causa mutatus est de bono in malum, quasi in mortem cecidit, quia mutari potuit; similiter homo, quando peccando mutatus de bono in malum in mortem corporis et animæ cecidit, ideoque solus omnipotens Deus et immortalis manet in æternum, *et lucem habitat inaccessibilem.* Deus omnipotens lux est substantialis, quia illuminat omnem hominem; sed si inaccessibilis est, quare dicit Psalmista : *Accedite ad eum et illuminabimini* (*Psal.* XXIII)? In hoc ergo est inaccessibilis, quia nemo potest accedere ad eum, nisi a Deo attrahatur. Qui vero a Deo attrahitur, illi est accessibilis, *quem nullus vidit hominum*, subaudis corporeis oculis, *sed nec videre potest*, sicut est corporeis oculis, videtur tamen ex parte mentis intuitu. Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, id est non superbire, neque in superbiam erigi, neque sperare in incerto divitiarum. Divitiæ hujus sæculi incertæ sunt quia transitoria sunt' quam plerumque amittet illas homo ante mortem, ex toto autem in ipsa morte. Ideoque nemo debet spem suam in illis ponere, *sed in Deo*, subaudis debet sperare, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, id est qui omnia bona nobis administrat, quæ possumus ita disponere in præsenti, ut in futuro fruamur remuneratione eorum. Præcipe etiam illis *bene agere*, videlicet ut bene agant, *communicare*, id est mortales se recogitare et socios esse aliis hominibus in fragilitate, et thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, id est divitias sibi præparare in futurum, faciendo amicos de mammona iniquitatis, juxta quod Dominus ait : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo : ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. O Timothee, depositum*, sive commendatum *custodi*, id est gratiam fidei et sapientiæ doctrinam quam tibi commendavi *devitans*, sive declinans *profanas*, id est irreligiosas *novitates* vocum. Sunt enim novitates vocum non profanæ, sed religiosæ, sicut legimus quod in Antiochia primum Christiani appellati sunt, et sicut sancti Patres in synodo novum quoddam nomen adinvenerunt *homousion*, id est unius substantiæ : quod in tota serie divinarum Scripturarum ante non est inventum. Istæ tales novitates vocum non sunt contra religionem, sed religiosæ, quia ad religionem pertinent. Econtra sunt novitates vocum profanæ, quas adinvenerunt hæretici, a quibus præcepit Apostolus declinare Timotheum. *Et devita etiam oppositiones*, id est quæstiones *scientiæ falsi nominis*, id est quæstiones Judæorum, quas solent opponere, quæ videntur quæstiones esse scientiæ, sed falso nomen scientiæ habent, quia non est ibi scientia, *quam*, scientiam falsi nominis *quidam promittentes*, id est ostendentes, tanquam vera scientia sit *circa fidem exciderunt*, id est a veritate fidei alieni pejerunt. *Gratia* Dei *tecum*, subaudis sit. *Amen*, id est fiat quod oro, vel verum est quod hactenus dixi, etc.

IN EPISTOLAM II AD TIMOTHEUM.

ARGUMENTUM.

Secundam Epistolam Timotheo scripsit ab urbe e carcere de exhortatione martyrii, et quid futurum sit temporibus novissimis, et sua passione; et ut perseveraret in officiis rectæ prædicationis, et sancta operatione, etc.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus. Cujus Apostolus? *Christi Jesu per voluntatem Dei* Patris, *secundum promissionem vitæ quæ est in Christo Jesu.* Deus omnipotens Pater ad hoc voluit eligi per Filium suum Paulum apostolum, ut per illum annuntiaret promissionem vitæ æternæ, quæ est in Christo Jesu, id est quæ datur per fidem Christi Jesu electis. Vita enim æterna per Christum datur, quia in illo consistit, sicut ipse dicit : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV); et : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum*, unum et *verum Deum* (*Joan.* XVII).

Timotheo charissimo filio, in Græco habetur germanissimo fratri; *gratias ago Deo* meo, *cui servio a progenitoribus*, sive a patribus meis, *in conscientia pura*, id est in mente pura ab omni fictione et simulatione, quod sine intermissione habeam tui memoriam. Quidam codices habent: quam sine intermissione, sed melius est dicere quod legimus in Genesi (*cap.* XIV), quod Abraham revertente a cæde quatuor regum, occurrerit ei Melchisedech, sacerdos Dei summi, et obtulerit ei panem et vinum, cui Abra-

ham dedit decimas de prædis omnium hostium: et dicit idem Paulus apostolus in epistola ad Hebræos, quod Levi, qui decimas accepit a fratribus suis, ipse decimatus est in proavo suo Abraham. Adhuc enim in lumbis erat Abrahæ, quando decimas dedit Melchisedech sacerdoti. Unde considerandum est, quia sicut Levi in proavo suo decimatus est, ita Apostolus in Abraham, Isaac, et Jacob, aliisque patribus Deo servivit. Et hoc est quod dicit: *Gratias ago Deo meo cui servio a progenitoribus* meis. Hoc autem ideo dicit ut ostendat eamdem fidem habuisse ut veteres patres qui Domini adventum præcesserunt, quam habebat ipse aliique apostoli, et ab illis patribus descendit ad apostolos, et ab aliis ad nos, sicut et a nobis descendit ad illos qui futuri sunt. Refert autem gratias Deo, quo donante semper erat memor discipuli sui Timothei, nec poterat illius oblivisci: vel etiam in hoc referebat ei gratias, quia serviebat illi a progenitoribus suis, *desiderans te videre ut gaudio replear* de tuo adventu, *memor lacrymarum tuarum* quas fudisti a me recedendo. Quando Apostolus ista scribebat, Timotheus erat ultra mare, et ipse jacebat in carcere constrictus catenis et cippo: ideoque tantum desiderabat illum, ut in illo haberet aliquam consolationem. Nam quando ab illo discessit Timotheus, amarissimas fudit lacrymas. Recordationem accipiens, sive habens *ejus fidei quæ est in te non ficta*, quia bonis operibus illam exornas, *quæ fides habitavit primum in avia tua Loide et in matre tua Eunice*. Genealogiam Timothei ad memoriam reducebat Apostolus, ut ostenderet amorem suum quem habebat non solum erga illum, sed etiam erga parentes ejus, quorum memoriam habebat; *certus sum autem quod et in te*, subaudis habitat eadem fides.

Propter quam causam, quia fidem veram habes, *admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Quia Timotheus mansuetissimus erat et nimiæ patientiæ, hortatur illum Apostolus quatenus fortiter consistat in prædicationis officio, et fortiter redarguat negligentes, inquiens: Ideo admoneo te ut evigilare facias in te gratiam Dei, ut sine timore prædices, et corripias peccantes. Gratiam autem Dei appellat fidem, doctrinam, et operationem, quæ omnia gratis dantur. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis. Duo sunt timores, unus bonus, alter malus: malus timor est qui a diabolo immittitur, quem habuit Petrus quando Dominum negavit, et de quo dicit Dominus: *Nolite timere eos qui occidunt corpus* (*Matth.* X); bonus autem timor a Deo datur, quem dicit Isaias super Dominum requievisse. *Et requiescet*, inquiens, *super eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI), et de quo Dominus in Evangelio: *Timete*, inquit, *eum qui potest animam et corpus perdere*. De malo ergo timore, per quem quis discedit a fide, dicit Apostolus hic: *Non dedit nobis spiritum timoris*, ut timeamus persecutores hujus sæculi, et cessemus propter hoc a prædicatione, *sed spiritum virtutis*, id est fortitudinis, ut constanter annuntiemur verbum fidei et dilectionis, ut diligamus Deum et proximum; *et sobrietatis*, ut in omnibus sobrie et temperate agamus.

Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri. Erant quidam illo tempore qui erubescebant dicere Christum esse hominem verum, et mortuum, et passum: quidam etiam negabant illum natum esse de virgine, et resurrexisse a mortuis. Quapropter alloquitur Timotheum, inquiens: Nolite verecundari testimonium præbere Christo, quia natus est de virgine, quod passus est, quod mortuus est, quod resurrexit, atque ascendit in cœlos, ubi sedet nunc in gloria paterna. Sed *neque me vinctum ejus* erubescas aut despicias, quia non causa furti aut homicidii teneor astrictus vinculis, sed pro veritate. *Sed collabora Evangelio*. Laboro ego, collabora tu mecum, *secundum virtutem Dei, qui nos liberavit* a morte *et vocavit vocatione sua sancta*. Hic jungit se omnibus Apostolis, quia Domino sunt vocati. Nam sicut Petrus, Andreas, Jacobus et Joannes a Domino vocati sunt, quibus dixit: *Venite post me, faciam vos piscatores hominum* (*Marc.* I), ita apostolus Paulus vocatus est de cœlo, dicente Domino: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* IX). Ista ergo vocatio sancta fuit quia per illam sanctificati sunt *non secundum opera nostra*, id est merita nostra vocavit nos, *sed secundum propositum suum*, id est, secundum quod ipse definivit et prædestinavit, vocavit nos, et secundum *gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu, ante tempora sæcularia*. Tempora sæcularia debemus hic intelligere tempora et sæcula quæ ex eo tempore esse cœperunt, quo mundus factus est, et dies, et nox. Nam antea non erant sæcula neque tempora, quousque venit vicissitudo diei et noctis, et mutabilitas temporis, sed quasi ævum erat. Igitur ante omnia sæcula et tempora, data est apostolis gratia in prædestinatione Dei, quod apostoli Christi essent futuri, et omnes etiam electi a Deo prædestinati sunt in Christo ante initium mundi, sicut in epistola ad Ephesios dicitur: Qui prædestinavit nos in ipso, id est in Christo ante mundi constitutionem: de qua prædestinatione dicit Dominus in Evangelio: *Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate quam habui* in prædestinatione, *priusquam mundus esset* (*Joan.* XVII). *Manifestata est autem*, subaudis eadem gratia, nunc in ultima ætate, *per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi*, id est per doctrinam et miracula illius qui lux est, *et qui illuminat omnem hominem* (*Joan.* I). Ostensa est et manifestata illi gratia in mundo, quæ est prædestinata ante exordium mundi, *qui destruxit quidem mortem*, resurgendo a mortuis et electos suos de morte revocando: *illuminavit autem vitam et incorruptionem per Evangelium*, id est vitam æternam, et incorruptionem, atque immortalitatem quam habet in se, ex quo resurrexit a mortuis, quia resurgens a mortuis, jam non moritur. Vel ostendit et manifestavit, sive illuminat per prædicationem Evangelii, quoniam sicut

ille vivit, ita speramus nos resurgere et vivere sine fine feliciter cum illo, *in quo*, subaudis Evangelio, *positus* et constitutus *sum ego prædicator*.

Ob quam causam, subaudis quia ego constitutus sum prædicator Evangelii, *etiam hæc patior, sed non confundor*, id est non erubesco. Quid patiebatur Apostolus ? persecutiones, flagella, carceres, vincula, cippum, famem, sitim, et cætera talia incommoda. *Scio enim cui credidi*, id est Christo, ideoque non confundor inter tormenta, *et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem*. Depositum posuit per commendatum, et quid Apostolus habebat commendatum Christo ? salutem suam habebat apud illum commissam; inde dicit : Certus sum quia Christus cui credidi, potens est servare salutem meam in illum diem, id est in diem judicii, quia salutem in spe et in fide illius collocavi.

Formam habens, id est exemplum *sanorum verborum quæ a me audisti*. Sana verba sunt sive sana doctrina, quando hoc quod prædicatur operibus impletur.

Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis, id est doctrinam et operationem quam tibi commendavi, custodi per virtutem Spiritus sancti, qui est in nobis ; vel depositum quod accepisti per Spiritum sanctum custodi.

Scis quia aversi sunt, id est recesserunt *a me omnes qui in Asia sunt*. Si Apostolus interim prædicavit in Asia, donec omnes Asiani crederent, sicut in Actibus apostolorum Lucas dixit, quare hic dicit Apostolus a se omnes recessisse ? Et ibi ergo et hic totum pro parte positum est. Crediderunt ergo omnes Asiani electi et prædestinati, recesserunt omnes reprobi et non prædestinati, *ex quibus est Phygelus et Hermogenes*. Alter fuit Phygelus, et alter fuit Philetus, et tamen uterque apostata Phygelus et Hermogenes socii fuerunt, de quibus hic dicitur, et Philetus similiter et Hymenæus, de quibus in subsequentibus sermo habebitur. Phygelus ergo et Hermogenes adhæserunt non simpliciter beato Apostolo, sed ut explorarent ejus prædicationem et conversationem, et reprehenderent eum; sed cum hoc non potuissent, recesserunt ab illo, quia non erant rectæ fidei.

Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, id est familiæ illius. Iste Onesiphorus Asianus fidelis erat affectus per prædicationem Apostoli. Cui cum sui causa venisset Romam ad imperatorem, ut pote quia nobilissimus erat magnæque dignitatis, requisivit ubi esset Apostolus ; et cum reperisset illum esse in carcere, non est dedignatus ad illum venire, sed consolatus est illum, et præbuit ei quæ necessaria erant. Inde dicit Apostolus : *Sæpe me refrigeravit*, suo colloquio et consolatione, *et catenam meam non erubuit*.

Det illi Deus Pater *invenire misericordiam in illa die a Domino*, subaudis Filio, id est in die adventus Filii Dei ad judicium, *det illi* Deus Pater *misericordiam invenire*. Tale est hoc quale et illud quod legitur in Genesi : Pluit Dominus Filius a Domino Patre. *Quanta Ephesi ministravit*, idem Onesiphorus non solum mihi et tibi, verum etiam aliis fidelibus; *tu melius nosti*, subaudis quam alius.

CAPUT II.

Tu vero, *fili mi, confortare in gratia* Dei vel in sapientia Dei, *quæ est in Christo Jesu, et quæ audisti a me per multos testes*, sive quæ audivisti coram multis testibus, *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere*. Illis debet committi prædicatio divina qui apti sunt illi officio in omni conversatione sua, videlicet ut quod prædicant ore, confirment operibus.

Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, quia nemo potest duobus dominis servire (*Luc.* XVI), Deo et sæculo. Sæcularia negotia sunt, per usuras et adulationes lucra temporalia acquirere, sicut faciunt illi qui regibus et comitibus ideo serviunt, ut ab eis temporalia accipiant beneficia. A talibus debent se custodire episcopi, qui (ut canones dicunt) prædicationi debent semper insistere et orationibus. Et non solum episcopi, sed etiam omnis ordo ecclesiasticus debet se inquantum valet ab his immunem reddere : ideoque debet qui Deo militat ab his se removere, *ut ei placeat* Deo, *cui se probavit*, id est cui se devovit tempore baptismatis.

Laborantem agricolam oportet primum de fructibus sui laboris *percipere*. Quantum ad litteram pertinet, dignum est ut agricola et vinitor primum fructus sui laboris degustent : altiori autem sensu, ager est hic mundus vel Ecclesia : agricolæ et vinitores sunt prædicatores, qui ligone verbi Dei excolunt corda auditorum; qui debent fructus sui laboris, id est victum, et calceamentum, et vestimentum accipere ab auditoribus suis, quia dignus est operarius mercede sua. Et primum debent illi suam necessitatem implere ex his quæ accipiunt, et sic postmodum aliis de his quæ supersunt ministrare. Fortasse quærit aliquis quare Apostolus, qui labore manuum suarum vivebat, talia præceperit Timotheo, videlicet ut acciperet ab auditoribus suis ea quæ necessaria sibi erant? Cui respondendum est Timotheum bonæ voluntatis atque intentionis fuisse; et quia ipse sciebat beatum Apostolum labore manuum suarum vivere, nihilque accipere a subjectis, volebat imitari magistrum ; sed non valebat operari, gravatus infirmitate stomachi. Quapropter scripsit ei Apostolus quatenus acciperet a subjectis subsidia, consulens infirmitati illius. Unde et subdit : *Intellige quæ dico*, subaudis quia ad te pertinent. *Dabit enim tibi Dominus intellectum*, non solum in hoc, sed etiam *in omnibus*.

Memor esto Dominum Jesum resurrexisse a mortuis, ex semine David, id est de progenie David : *secundum Evangelium meum*, id est secundum prædicationem meam. Non oportet Timotheum, ita scribebat Apostolus, ut ipse ignoraret, sed propter hæreticos quos pervidit futuros, qui dicturi erant

Christum non resurrexisse a mortuis, neque natum de virgine. Si enim de virgine natus non est, utique nec de semine, id est de progenie David descendit. Sed veritate roboratum illum de semine mulieris esse natum sine semine viri, et tamen virgo permansit.

In quo Evangelio *laboro usque ad vincula quasi male operans*, id est quasi latro aut homicida ; *sed verbum Dei non est alligatum*, id est licet ego sim alligatus corpore, tamen verbum Dei non est illigatum ; quia semper prædico positus in vinculis.

Ideo, subaudis quia verbum Dei non est alligatum, *omnia* incommoda *sustineo propter electos*, id est propter illos qui electi et prædestinati sunt ut salutem consequantur.

Nam si commortui sumus, et convivemus, id est si morimur peccatis in baptismate, sicut Christus mortuus est carne sine peccato, vivemus utique cum illo vita æterna, si in bonis operibus permanserimus, et supervivemus in spe.

Si sustinebimus, subaudis tribulationes et passiones pro Christo in hoc sæculo, sicut ipse sustinuit pro nobis, *et conregnabimus cum illo* in æterna beatitudine ; *si negaverimus*, subaudis illum coram hominibus, *et ille negabit nos*, sicut ipse dixit : *Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo* (*Matth.* x).

Si non credimus illum, subaudis Filium Dei esse et verum Deum, *ille fidelis manet*, id est verus Deus manet. Sicut Deus omnipotens non eget nostra laude, sic etiam si adhæremus illi non crescit, neque recesserimus decrescit, quia semper manet idem. *Negare seipsum non potest*, id est negare seipsum non vult quod non sit Deus, ut beatus Augustinus dicit : nec enim decet Deum ut semetipsum neget.

Hæc commone, testificans coram Deo, id est testem Deum invocans. *Noli verbis contendere*, subaudis neque cum gentibus neque cum Judæis ; *ad nihil enim utile est* contendere, *nisi ad subversionem* sive ad deceptionem *audientium*. Sæpe dum contendunt homines de quæstionibus Scripturarum, maxime illi qui sapientes videntur esse decipiunt corda auditorum simplicium, quia plerumque talia proferunt quæ contra salutem sunt et contra veritatem, non curantes nisi tantummodo ut vindicant. Attamen si aliquid disputandum est de Scripturis divinis, inter sapientes potius collatio est habenda cum ratione, quam contentio cum furore.

Sollicite, id est studiose, *cura teipsum probabilem*, id est probatum et laudabilem, *exhibere Deo operarium inconfusibilem*, sive irreprehensibilem, *recte tractantem* et cum veritate exponentem *verbum veritatis*.

Profana autem, id est irreligiosa et veritati contraria, *et vaniloquia* quæ nullam utilitatem habent, *devita* et fuge. *Multum enim proficiunt ad impietatem* id est multum prævalent ad irreligiositatem vaniloquia, *et sermo eorum*, id est sermo hæreticorum *ut cancer serpit*. Sicut morbus qui appellatur cancer, quando nascitur in membro hominis, totum membrum occupat, et plerumque totum corpus mortificat, quia magis ac magis servit, id est crescit, carnemque comedit, ita sermo hæreticorum vitam animæ comedit, id est fidem comedit et mortificat ipsam animam suo errore : et sicut cancer serpit, id est crescit de membro in membrum, ita error crescit de uno transeundo in plurimos. *Ex quibus* hæreticis vaniloquia sive inaniloquia habentibus *est Hymenæus et Philetus*, qui a veritate fidei *exciderunt*, sive ceciderunt, *dicentes resurrectionem jam factam*. Duæ resurrectiones a Domino sunt prolatæ et a nobis creditæ : prima est quæ fit in anima et in fide, quando homo qui mortuus est in infidelitate, in inobedientia, in injustitia, omnibusque peccatis, venit ad baptismum, et per fidem qua credit in Deum omnipotentem, et per gratiam baptismatis resurgit ad fidem et obedientiam. De qua resurrectione dicit Dominus : *Venit hora, et nunc est quando mortui audient vocem Filii Dei ; et qui audierint*, id est qui obedierint, *vivent* (*Joan.* v). Altera est generalis corporum quid erit in die judicii, de qua etiam ait Dominus: *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei*, et procedent (*Ibid.*). De illa resurrectione quæ fit in anima et in fide loquitur hic Apostolus quam Hymenæus et Philetus dicebant jam esse. Et nunquid verum non dicebant? Verum utique, neque propter hoc reprehenduntur ab Apostolo; sed propterea quia istam solummodo confitebantur, alteram quæ erit in corpore denegantes. Omnes enim sectæ quæ suum errorem hominibus inserere præsumpserunt, non negaverunt istam mentium resurrectionem, ut beatus Augustinus dicit, sed corporum, ne dicerent eis : Si non resurget anima, quare mihi talia loqueris? Quid in me facere vis? Si non facis ex deteriore meliorum, quare mihi loqueris ? Multi tamen carnis resurrectionem negaverunt, sicut Hymenæus et Philetus, qui a fide et societate beati Pauli recedentes seminabant errorem hujusmodi : Quicunque baptizatus est jam resurrexit in anima. Non est necesse ut timeat aliquis, quia non erit resurrectio corporum.

Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Quasi diceret aliquis . Et quis poterit resistere eis, Phileto scilicet et Hymenæo ? Ideo subjecit statim : Firmum autem fundamentum Dei stat. Firmum fundamentum Dei appellat fidem firmam qua credimus Deum omnipotentem, sicut credendum est, et qua credimus resurrectionem animarum in præsenti et corporum in futuro. Istud fundamentum stat in cordibus fidelium habens hoc signaculum, subaudis quod sequitur : *Novit Dominus qui sunt ejus*. Ista est impressio sigilli, quia novit, id est elegit Dominus illos qui ad ejus hæreditatem pertinent. Et hoc est signaculum fidei, quia aliis recedentibus a fide, illi qui electi sunt, nullo modo possunt seduci. Nam Dei cognoscere, eligere est. Et si ita est, id est si Dominus eligit illos qui sunt ejus, *discedat ab iniquitate*, id est ab hominibus iniquis, et si non valet corpore, saltem mente. Vel etiam ab

omni iniquitate et errore recedat *omnis* electus *qui nominat nomen Domini*, sicut nominandum est. corde videlicet, ore et opere.

In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia. Quantum ad litteram attinet : in magna domo regis, aut alicujus hominis magni sunt vasa aurea et argentea in honorem in quibus ipse comedit et potat : sunt lignea et fictilia in contumeliam ubi concoquuntur carnes et defertur aliquid. Altiori autem sensu, ista magna domus sancta Ecclesia est, quæ tantæ magnitudinis est ut ab oriente usque ad occidentem, a meridie usque ad septentrionem protendatur. In qua sunt vasa aurea et argentea, electi : sunt lignea et fictilia, reprobi. Per aurum intelliguntur illi qui spiritalem sensum habent, per argentum minoris dignitatis qui habent eloquium et sermonem. Isti sunt in honorem, quia ad honorem et gloriam patriæ cœlestis sublevabuntur : lignea et fictilia sunt reprobi, qui demerguntur in supplicium damnationis.

Si quis ergo se emundaverit ab istis, subaudis hæreticis et erroribus, *erit vas in honorem*. Juvenilia autem desideria, id est adulterium, immunditiam, luxuriam, furtum, rapinam, venationem, vagabunditatem, omnemque lasciviam, devita et fuge. *Sectare*, id est amplectare justitiam, ut recte vivas : ac si diceret : In locum juvenilium desideriorum insere istas virtutes.

Stultas autem quæstiones Judæorum, hæreticorum atque gentilium, *et* quæ sunt *sine disciplina*, id est sine aliqua utilitate, *devita*, *quia generant lites*, lites vero generant odium.

Servum autem Domini oportet docibilem esse. Quantum ad proprietatem verborum pertinet, hoc distat inter docilem et docibilem, quia docilis est qui alios potest docere : docibilis qui facile potest doceri ; unde dicitur : *Erunt omnes docibiles Deo* (*Joan.* VI), id est facile docebuntur a Deo. Sed Apostolus non curans de proprietate verborum, videtur in hoc loco docibilem posuisse pro docili : quia episcopus docilis debet esse, id est alios debet docere.

Cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, *ne forte det illis Deus pœnitentiam*, subaudis de pristinis erroribus et peccatis, *ad agnoscendam veritatem*. Hic sermo quo dicit ne forte, vel sicut quidam codices habent, ne quando det illis Deus pœnitentiam, pro si forte ponebatur antiquitus, sed modo inusitatus habetur. Corripientem, inquit, eos cum modestia, si forte det illis Deus pœnitentiam. *Et resipiscant a diaboli laqueis*, id est ut recedant ab erroribus diaboli, quibus illaqueati tenentur et incipiant iterum sapere veritatem. Nam resipiscere est quasi resapere. *A quo*, id est a diabolo, capti tenentur *ad ipsius* diaboli *voluntatem* peragendam.

CAPUT III.

In novissimis diebus, id est in ultima ætate, *erunt homines seipsos amantes*, subaudis, non Deum. Seipsum amat qui sibimetipsi placet, qui desideria et voluntates proprias implet, non Dei : nec potest dicere cum Petro veraciter : *Tu scis quia amo te* (*Joan*, XXI). Nam ille Deum amat qui non quærit suam voluntatem, sed Dei. Paulus apostolus propheta erat, ideoque prophetavit quæ modo sunt in ecclesia, et quæ adhuc futura sunt. Qui enim hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Christum. Et erunt *cupidi*, id est amatores pecuniarum ; *elati*, volentes aliis dominari : *superbi*, gloriantes de honoribus quos a subjectis accipiunt : *blasphemi*, Deum blasphemantes per hæreses ; *parentibus non obedientes*, id est patribus spiritalibus vel etiam patri et matri ; *ingrati*, beneficiis Dei, vel malum pro malo reddentes ; *scelesti*, patrem et matrem non honorantes, modum peccati transcendentes, vel interficientes animas suas et alienas ; *sine affectione*, id est sine dilectione, non compatientes infirmis ; *criminatores*, id est detractores, famam sanctorum maculare conantes ; *incontinentes*, id est cupiditates pessimas non refrenantes ; *immites*, id est sævi, lites generantes ; *sine benignitate*, id est sine benevolentia, nescientes neque volentes subvenire aliis ; *proditores*, id est facta bonorum hominum, quæ occultanda sunt, inimicis indicantes et manifestantes : quia non est homo qui faciat bonum et non peccet ; *protervi*, id est procaces, verecundiam humanam inverecunda excogitatione perturbantes : *voluptatum amatores magis quam Dei*, id est spiritalibus gaudiis lætitias temporales anteponentes, et desideria carnis perficientes. Hæc omnia vitia ex illa radice pullulant quod sunt homines seipsos amantes.

Habentes quidem speciem pietatis, id est exemplum religionis, *virtutem autem ejus abnegantes*. Virtus religionis sive pietatis est finis sive completio præcepti, id est charitas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta, id est charitas cum fide, et spe, et cum executione bonorum operum.

Ex his enim, subaudis hæreticis, *sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis*. Prævidit Spiritu sancto repletus Apostolus Manichæos hæreticos futuros et alios, et loquitur de futuro quasi de præsenti. Manichæi enim ingrediebantur in domos mulierum et decipiebant eas, et hoc maxime apud Persidem. Inde dicit Apostolus : Erunt, inquiens, quidam qui penetrabunt mulierum domos, et ducent mulierculas captivas a sensu rectæ fidei ad pravum sensum oneratas peccatis. *Quæ ducuntur variis desideriis atque erroribus ; semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*. Studium videntur habere, sed non perveniunt ad hoc ut discernant inter veritatem et mendacium, inter bonum et malum.

Quemadmodum autem Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati. Animositas hæreticorum semper inquieta est. Quos magi Pharaonis haberent conatus demonstrat Apostolus Jannes et Mambres duo fratres fuerunt magi, quorum

nomina Apostolus non invenit in divinis libris, sed in apocryphis, id est in occultis, qui ab omnibus non sunt legendi, quia inter vera multa continentur falsa. Isti ergo duo magi restiterunt Moysi, quando et virgas suas converterunt in dracones, sicut Moyses suam, et aquam in sanguinem. Sed cum perventum esset ad tertium signum, id est ad cymphes, ibi defecerunt, dicentes : Digitus Dei hic est. Sublato enim signo a terra, sublata est et eorum magica maleficentia. Et bene etiam a tertio signo superati sunt, quia virtute Spiritus sancti, qui tertia persona est Trinitatis, illorum maleficentia est victa. *Homines* dico erunt *corrupti mente reprobi circa fidem*, id est non probi, *sed ultra non poterunt*, subaudis resistere, si adhibita fuerit veritas. Sic factum est statim ut hæretici in concilium verorum doctorum venerunt, et cum illis cœperunt habere narrationem ultra non potuerunt superare suis erroribus alios, sicut Elvidius superatus a beato Hieronymo, et alii hæretici ab aliis veris doctoribus.

Tu autem assecutus es meam doctrinam et institutionem, quod idipsum est. Instituo autem dicitur quasi intus statuo. Et assecutus es etiam propositum meum bene vivendi.

Omnes qui volunt pie, id est religiose ac juste, *vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* aut a diabolo, aut a malis hominibus, vel etiam a suis ipsis membris.

Omnis scriptura divinitus inspirata, id est a Deo data, *utilis est ad docendum* alios, *ad redarguendum* negligentes, *ad corripiendum* volentes in malitia permanere, *ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*.

CAPUT IV.

Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judicaturus et vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus, prædica verbum Evangelii : *Insta* in admonitione *opportune* volentibus et in portu quietis consistentibus, importune nolentibus : *argue* peccantes, *obsecra* bene laborantes ut in melius proficiant, *increpa* illos qui nolunt corrigere se *in omni patientia et doctrina*. Quid est quod ad Titum scribens præcepit illi, inquiens increpa cum omni imperio, et ad Timotheum similiter epistolam dirigens dicit, increpa cum omni patientia, nisi quia medicus erat amborum ? Nam Titus nimiæ erat patientiæ, ideoque præcepit ei et instigavit ad hoc ut increparet cum omni imperio, ne forte propter suam mansuetudinem non corriperet delinquentes. Timotheus autem quia acrioris animi erat, necesse habebat admonere, ut cum omni patientia increparet delinquentes, ne forte ultra modum dure increpans, in desperationem aliquem pusillanimem poneret.

Ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, id est veritatis magistros contemnentes, congregabunt sibi magistros qui illa loquantur quæ ipsi desiderant, et ad voluntatem ipsorum pertinent. *Prurientes auribus*. Prurire est scalpere ; illi pruriunt auribus qui semper aures habent intentas ad hoc ut aliquid novi audiant.

Opus fac evangelistæ. Opus evangelistæ est docere et operari, sicut legimus de Christo, quia *cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Qui ergo bonum aliquod denuntiat, sed ipse idipsum opus non implet quod docet, evangelista quidem appellari potest, sed opus evangelistæ non facit. *Ministerium tuum imple*. Ministerium illius erat alios docere, ut eo recedente a corpore, remaneret aliquis qui in ejus locum subrogari potuisset, et est sensus : Tempus meæ passionis jam imminet, in proximo est et tuus recessus. Sicut ergo te docui, ut remaneret post me qui ministerium meum impleret, sic et tu alios instrue qui tibi succedant ; et quasi ei diceret Timotheus : Quare mihi præcipis ut ministerium meum impleam ? subjunxit, inquiens :

Ego enim jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat, sive imminet. Libare dicimus degustare, et fundere, vel immolare : inde componitur : *delibo, delibas*, et *delibor, delibaris*, hic autem pro sacrificatione et immolatione ponitur, ac si diceret : Ego enim jam immolor. Sacerdos Petri et Pauli exstitit Nero, sed ejus immolatio non est reputata ad gratiam, mors autem illorum gratissimum sacrificium fuit Deo.

Bonum certamen certavi, id est bene pugnavi, *cursum consummavi*. Sicut ille qui in stadio currebat, perveniens ad locum destinatum, bravium sibi promissum accipiebat, sic beatus Apostolus inter metas fidei currens, pervenit ad coronam sui laboris. Unde ipse dicit : *Fidem servavi*.

In reliquo, sive de reliquo vel de cætero, *reposita est mihi* et reservata apud Deum, *corona justitiæ* quam reddet mihi Dominus in illa die, id est in die judicii, *justus judex*. Sic loquitur de die judicii absolute, quasi de re omnibus nota. Re enim vera omnibus certa et nota debet esse illa dies, et ab omnibus exspectanda. *Non solum autem mihi*, subaudis reddet coronam, *sed et his qui diligunt adventum ejus*. Illi diligunt adventum ejus qui securi de præmio sperant se remunerari ab illo. Sicut rex quilibet aut imperator alicui suorum principum coronam tribuebat antiquitus victoriam reportanti ab hostibus, ita Dominus suis victoribus et militibus præmia æterna et bravia sine fine mansura donabit.

Demas me reliquit diligens hoc sæculum magis quam Deum, *et abit Thessalonicam*. Iste adhæsit beato Apostolo per multum tempus, sed cum tempus persecutionis advenisset, recessit ab illo, factusque est apostata.

Crescens in Galatiam. Iste exstitit fidelis, et causa prædicationis abiit ad alias nationes, Apostolo volente : similiter et Titus.

Marcum assume, et adhuc tecum. Est enim mihi utilis in ministerio prædicationis. Iste est Marcus evangelista, qui cum Petro et Paulo multo tempore mansit, aliquando morans apud Petrum, aliquando apud Paulum.

Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, ve-

niens affer tecum, et libros, quos ibi dimisi, *maxime* A *autem membranas* defer, ubi scribam meas epistolas. Penula vestis erat consularis, qua induebantur consules Romani quando ingrediebantur in curiam. Sed forte quæret aliquis quomodo vel unde acciderit hoc genus vestimenti beato Apostolo? Cui respondendum est: Romanos ante adventum Domini hunc habuisse morem sive consuetudinem, quando monarchiam totius orbis sibi acquirebant, ut quæcunque gens eis cum pace et coronis occurrisset, darent ei libertatem, intantum ut fratres eorum dicerentur, civesque Romani appellarentur, dabantque eis potestatem ædificandi curiam et habere consules, sicut et illi habebant. Pater igitur Pauli de Giscali oppido terræ repromissionis fuit, ubi natus translatus est in Tarsum Ciliciæ. Quodam tempore B venientibus Romanis per Ciliciam occurrit eis ipse cum aliis Tarsensibus, utpote qui nobilis inter illos habebatur: excepit eos cum pace. Tunc Romani dederunt eis libertatem supradictam, et potestatem ædificandi curiam, vestesque induere consulares, ut penulati intrarent in curiam more Romanorum, ibique Pater beati Pauli penulam accipere meruit causa dignitatis. Post cujus mortem Apostolus ob memoriam ejus recordationis, hanc vestem sibi retinuit.

Alexander ærarius multa mala mihi ostendit. Iste est Alexander de quo jam supradiximus, qui reversus est ad apostasiam. Et quia erat artifex, fabricabat ædes Dianæ apud Athenas, unde et ipse commovit omnem civitatem contra Apostolum; resistens C fortiter prædicationi ejus. *Reddet ei Dominus secundum opera ejus.* Non ait: Reddat optativo modo, sed reddet indicativo, quod verbum prænuntiantis est, non imprecantis. Sic dicit et de illa hypocrisi Judæorum, cui eversionem imminere cernebat: *Percutiet te Deus, paries dealbate* (*Act.* XXIII). Prophetæ namque solent maxime figura imprecantis futura prædicere, sicut figura præteriti temporis ea quæ ventura erant, sæpe cecinerunt.

In prima mea defensione nemo mihi affuit. Defensionem in hoc loco appellat persecutionem atque pressuram, quam sustinuit quando in primordio suæ fidei missus est cum Barnaba a Spiritu sancto ad prædicandum. Quam persecutionem bene vocat defensionem, quia tribulatio temporalis defendet electos in die judicii a pœnis inferni. *Omnes me dereliquerunt; non illis imputetur* Non orat pro Alexandro qui invidentia fraternitatem oppugnando peccaverat, sed pro his orat qui non abruperant amorem, sed timore succubuerant ut eis ignoscatur. Quapropter interest multum cum post agnitionem Dei quisquam oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo, invidentiæ facibus agitatur.

Dominus autem mihi astitit, ut audiant omnes gentes verbum prædicationis de ore meo, *et liberatus sum de ore leonis,* id est insidiis diaboli, de quo dicit Petrus: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (*I Petr.* V). Vel etiam leonem appellat Neronem, de cujus manibus liberavit eum Dominus quando venit Romam, adductus ab his qui præerant Judææ, ob hoc quia Cæsarem appellavit. Nam cum venisset Romam, duobus annis mansit in libera custodia, et in suo conductu, et postea transivit ad alias nationes quæ erant in circuitu Romæ. Nam quando ista scribebat, in libera custodia erat: et quæ statim ut adductus est, non est interfectus idcirco dicit se liberatum.

Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo, sit. Dominus Jesus Christus, Deus et homo est, ideo orat Apostolus, ut Verbum Dei Patris, Dominus videlicet Jesus, sit cum spiritu illius. Et si fuerit cum spiritu, erit et cum corpore. *Gratia vobiscum,* id est remissio peccatorum et reconciliatio Dei Patris omniaque bona quæ divinitus gratis largiuntur, sint vobiscum. *Amen.* Id est fiat, vel vera sint quæ hactenus scripsi, etc.

IN EPISTOLAM AD TITUM.

ARGUMENTUM.

Transiens Apostolus a Creta insula ad alias nationes et civitatum incolas, reliquit Titum discipulum suum Cretæ vice sua ut haberent nuper ad fidem venientes protectorem, ne forte Judæorum garrulitate, aut hæreticorum latratu, a statu rectæ fidei subverterentur. Sed ut illum sollicitiorem redderet, præsertim cum castigatio seu hortatio magistrorum studiosorum studiosiores efficiat discipulos, commonefacit eum et instruit ad plenum de constitutione presbyteri et de spiritali conversatione, et de hæreticis vitandis qui Judaicis fabulis credunt, scribens, ei a Nicopoli civitate.

CAPUT PRIMUM.

Paulus servus Dei. Cum Dominus ac Redemptor D noster apostolis suis dixerit (*Joan.* XV). *Jam non dicam vos servos, sed amicos* meos, quæri potest quare egregius prædicator et magister gentium servum se postmodum vocaverit? Sed si bene perpenderimus, duo esse genera servitutis, sicut et timoris, procul dubio luce clarius patebit, quia non exstitit contrarius verbis Dominicis. Si quidem servitus timoris est, qua timet servus Dominum suum, et ancilla dominam suam, timentes ab eis flagellari: servitus autem amoris est, qua timet bonus filius patrem suum, metuens animum ejus offendere in aliquo, atque hæreditate privari. De servitute ergo illa quæ pertinet ad timorem pœnalem, dicit apostolis quia jam non dicam vos servos timoris, sed amoris. De illa vero quæ pertinet ad amorem filiorum, loquitur

alibi dicens : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus* (*Luc.* XVII). Et Psalmista : *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII). Hunc namque timorem habent et sancti angeli, quem profecto habuerunt apostoli per adventum Spiritus sancti, per quem diffusa est charitas in cordibus eorum, quem et nos summopere debemus habere. Quæri etiam potest, quid sit quod in Epistola ad Romanos servum se Jesu Christi vocat, hic autem servum Dei Patris : nam cum dicit Paulus, servus Dei, nomine Dei, persona Patris accipitur. Ad quod dicendum, quia ut demonstraret in tribus personis unam essentiam unamque deitatem, atque unam potentiam esse, aperte ibi servum se dixit Jesu Christi, et hic Dei Patris : quoniam sicut illæ tres personæ regnant et dominantur omni creaturæ, ita inseparabiliter omnem servum sibi devotum possident ; ac per hoc quicunque servus est Christi utique servus est Patris ac Spiritus sancti. *Apostolus autem Jesu Christi* dixit : Sicut servitus Apostoli indifferenter ad totam Trinitatem refertur, ita quoque apostolatus ejus in commune ad totam Trinitatem est referendus. Tota enim Trinitas elegit illum ad prædicationis gratiam, dicens ad apostolos : *Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus quod assumpsi eos* (*Act.* XIII). At vero considerate discrevit servitutem ab apostolatu, quoniam non omnis qui servus, statim et Apostolus, sed quicunque apostolus, utique et servus. *Secundum fidem electorum Dei.* Electos hic accipere debemus illos de quibus Dominus dicit : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* XV), et de quibus idem egregius prædicator, Qui elegit nos in Christo ante mundi constitutionem (*Ephes.* I) eos videlicet, qui non tantum vocati, sed insuper electi sunt ad gloriam sempiternam, secundum quorum electorum fidem Paulus Christi Jesu apostolus est, quia ad rectitudinem fidei quam ipsi apostoli tenuerunt, missus est ipse gentibus prædicare. *Et agnitionem veritatis quæ secundum pietatem est.* Ex superioribus pendet hoc modo : Apostolus Jesu Christi secundum fidem electorum Dei, et secundum agnitionem veritatis, quæ veritas secundum pietatem est. Veritas est Christus, qui dixit : *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* VII) : secundum cujus agnitionem Paulus apostolus officium implevit, imo secundum agnitionem totius Trinitatis, quæ summa veritas est. In hoc enim secundum agnitionem veritatis Apostolus exstitit, quia agnovit omnipotentem Deum trinitatem habere in personis, et unitatem in substantia deitatis. Et hæc agnitio veritatis, bene secundum pietatem (hoc est cultum et religionem Dei) dicitur constare, quoniam ea docet, et ea amando amplectitur, quæ ad religionem veri Dei pertinent. Est namque veritas carens pietate, sicut in liberalibus artibus. Grammatica enim atque dialectica, veritatem recte loquendi habent, et inter falsa et vera syllogismorum argumentatione dijudicat, sed tamen agnitionem pietatis minime in se habent, dum de

A religione veri Dei et salute animæ non disputant. Geometria quoque et arithmetica simulque et musica, quæ numerorum subtilitate consistunt, agnitionem veritatis in se quidem habent, sed non est illa scientia pietatis agnitio. Ut ergo Apostolus ostenderet se agnitionem illius veritatis habere, quæ secundum pietatem est, idcirco provide ista protulit. Sequitur :

In spem vitæ æternæ. Fides electorum et agnitio veritatis, quæ secundum pietatem est, in spem vitæ æternæ remunerationis posita est : quia quicunque fidem rectam habet atque agnitionem omnipotentis Dei, quam pie et religiose vivendo exornat, utique spem æternæ remunerationis possidet. Neque enim aliquis valet habere fidem agnitionemque veritatis,
B si defuerit spes certa. *Quam promisit, qui non mentitur, Deus, ante tempora sæcularia.* Certum omnibus fidelibus est, quia omnis homo mendax, solus autem Deus verax, qui potest cuncta implere quæ promisit. Ipse ergo qui non mentitur, quia summa veritas est, ipse promisit fidelibus suis vitam æternam ante tempora sæcularia. Sæcularia dicuntur a sequendo, quod in se resolvantur : Varrone teste. Sæcula autem computantur ex eo quo materies informis per species discreta est, et ex quo Deus dixit : *Fiat lux, et facta est lux* (*Gen.* I). Ex eo enim cœpit varietas temporis et vicissitudo horarum pariterque dierum in semet resolvi : antea vero, ut doctores dicunt, non erat tempus sed ævum, quod solummodo esse habebat.
C Nam inter tempus et ævum hoc distat, quia ævum stabile est, tempus vero mutabile. Sed si hominibus promisit vitam æternam, quod omnino non dubium est, quomodo promisit illis qui necdum erant creati ante tempora sæcularia, nisi quia in ejus æternitate in præscientia et prædestinatione jam fixum erat quod congruo tempore futurum erat. Quamvis igitur humana divinis ex toto non sint comparanda, dicamus aliquid sub exemplo, ut lucidius comprehendatur quod dicitur : Quilibet hominum cupidus filii, multo antequam habeat illum, procurat domos, familiam, possessiones prædiorum, disponens in animo suo omnia illa dare filio, necdum adhuc nato : ita et omnipotens Deus in præscientia et prædestinatione sua promisit fidelibus atque electis suis ante omnia
D tempora vitam æternam dandam. Sequitur :

Manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei. Verbum Dei Patris, Filius est, de quo Joannes : *In principio*, inquiens, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). Istud Verbum quod in natura Deitatis invisibile erat, manifestavit Deus Pater per humanam naturam, in qua homo factus, visibilis mundo apparuit temporibus suis, id est congruis et ab illo dispositis, de quibus idem Apostolus alias dicit : *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* (*Gal.* IV), etc. Vita ergo æterna quam promisit Deus Pater electis ante omnia sæcula, Verbum illius est, quod de seipso dixit : *Ego sum via,*

veritas et vita (*Joan.* VI). Et qui Filium promeretur habere qui est vita, habet utique Patrem cum Spiritu sancto, quæ tota Trinitas una vita æterna est, sicut ipse Dominus ait : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII), cum Spiritu sancto unum et verum Deum esse. Vitam igitur æternam, quam promisit ante omnia sæcula, id est Verbum suum, manifestavit Deus Pater temporibus suis, eo modo quo dictum est. Manifestavit quoque nobis, quoniam vidimus illum præsentem in prædicatione sive per doctrinam Pauli apostoli, quæ credita et commendata est ei secundum præceptum Salvatoris nostri Dei, qui dixit Apostolis : *Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos* (*Act.* XIII). Salvator A autem Deus non alius intelligitur quam Filius. Ipse enim cum Patre et Spiritu sancto unus et verus Salvator et Deus est.

Tito, dilecto filio. Filium suum eum vocat doctrina, exemplo, eruditione, atque disciplina, non tamen natura. Eodem modo Titus filius ejus erat quo et Corinthii, quibus ipse dicebat : *Per Evangelium ego vos genui* (*I Cor.* IV). Nam ipse ad fidem Christi eum adduxerat. *Secundum communem fidem.* Non secundum omnium credentium fidem Titus filius ejus erat, quoniam non omnium fides perfecta est. Sed secundum communem fidem dicit, hoc est secundum suam et illorum, quorum fides perfectissima erat. *Gratia et pax a Deo Patre nostro et Christo Jesu Salvatore nostro.* Amen.

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

ARGUMENTUM.

Beato Apostolo prædicatione evangelica intonante in Asia, credidit inter cæteros quidam vir nobilis, nomine Philemon, divina gratia illustratus, et baptizatus est in sacro ac vivifico fonte. Apostolo autem degrediente ab illis partibus, non est prosecutus eum Philemon, sed remansit in propria regione, ministrans de suis facultatibus fidelibus. Dives enim erat, abundans multis opibus. Habebat tamen servum nomine Onesimum, adhuc infidelem, qui eum fugiens, furatus est bona ejus. Et quia Dominus illius magnæ potestatis erat atque nobilitatis, timens comprehendi ab illo multisque tormentis affici, ut pote cui non parvum dispendium intulerat, transiit mare, et a Græcia venit Romam; ibique reperiens Apostolum retrusum in carcerem pro fide in Christo, accessit ad eum, quoniam agnoscebatur ab illo : sicque ab Apostolo instructus credidit, et baptizatus ministrabat ei. Et quia Apostolus prædicabat servos debere esse subditos dominis suis, duxit indignum servum alterius sine voluntate domini sui secum retinere. Quapropter dimisit illum ad dominum suum, scribens ei familiares litteras de carcere per eumdem servum, quatenus susciperet illum cum affectu dilectionis, non inferens pœnas pro bonis ab illo sublatis : cujus Epistolæ principium illud est.

CAPUT UNICUM.

Paulus vinctus Jesu Christi. De nomine Apostoli sæpius in aliis Epistolis disputatum est. Nunc videamus quare in exordio hujus Epistolæ, vinctum Christi Jesu se dicat, et nomen apostolatus reticeat, quod in aliis solite ponere consuevit. Plus ergo videtur dicere vocans se vinctum Christi Jesu quam apostolum: quoniam multi fuerunt qui dixerunt se esse apostolos Christi, dum prædicarent, qui noluerunt esse vincti Jesu Christi, refugientes tormentum passionis. Non tamen omnis vinctus Christi Jesu vinctus dici potest, quoniam multi sunt qui latrocinio, aut sacrile- B gio, aut aliqua culpa promerentur mitti in carcerem, vinculisque astringi : qui vero pro veritate fidei vinculantur, dubium non est quin vincti Christi Jesu existant, sicut Paulus aliique apostoli, qui gloriabantur vincti Christi Jesu apellari. Digni enim habiti erant pro nomine Jesu contumelias pati (*Act.* V). Dicit ergo se vinctum Jesu Christi, ut nullo modo auderet inexpletum dimittere neque denegare quod miles tanti regis rogabat. *Et Timotheus frater.* Timotheus coepiscopus ejus erat ab illo ordinatus, ideoque frater in fide. Ponit autem cum nomine suo nomen coepiscopi sui, ut majoris auctoritatis esset ejus Epistola. Potest et aliter intelligi : Quandocunque Apostolus Epistolas suas dictabat, erant in circuitu ejus discipuli consedentes, et si alicui aliquid relatum C esset, ita ponebat in corpore Epistolæ ut pote sua verba, recogitans quia sæpe Dominus juniori revelat quod melius est. Quapropter quia particeps erat illius Epistolæ, ponebat nomen illius ut suum.

Philemoni dilecto et adjutori nostro, et Appiæ sorori charissimæ. In Græco non habetur dilectus, sed diligibilis. Non enim dilectus potest dici qui diligitur, et non diligit, neque est dignus dilectione. Diligibilis autem qui et diligitur et diligit, dignusque est dilectione : quod isti Philemoni satis congruit. Ipse enim dignus erat dilectione, ideoque diligebatur ab Apostolo, diligens et ipse Apostolum. Adjutorem eum vocat, quia opere prædicationis collaborabat illis, et administratione facultatum suarum subveniebat fidelibus. Appia quam vocat sororem charissimam reli- D giosa femina creditur fuisse. Quam causa dignitatis sororem appellat in fide, non quod revera soror ejus exstiterit in carne. Fuit autem aut revera conjux Philemonis, aut etiam soror natura. Inseritur nomen illius in medium inter duos viros apostolicos, inter cooperatorem videlicet Pauli, Philemonem, et commilitonem ejus Archippum, ut tali ex utroque latere fulta comitatu, non videatur ordinem sexus habere, sed meriti. Hic autem Archippus arbitrandus

est cum Paulo et Timotheo contra adversarios pro Christi nomine aliquando dimicasse et victor exstitisse. Quapropter nunc commilito illorum nuncupatur, sive quod in eodem certamine belloque victor exstiterit, sive quod adhuc commilitaret illis in prædicatione assidua. *Et Ecclesia quæ est in domo tua.* Philemone ad fidem veniente, credidit uxor illius et liberi et maxima pars servorum illius, quibus omnibus Apostolus verba salutatoria dirigit, et quia plures erant, Ecclesiæ nomine designavit illos. Ecclesia siquidem Latino vocabulo dicitur convocatio fidelium. Ut ergo putaretur certius non ad Archippi, sed ad Philemonis referendum esse personam, aperte patefacit, dicens : Quæ in domo tua est, o Philemon !

Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo, subaudis sit. In omnibus Epistolis æquale principium ponit, gratiam eis et pacem optans quibus scribit. Gratia autem est fides et remissio peccatorum, quam gratis consequimur in baptismo. Pax vero qua reconciliamur Deo Patri et angelis. Potest quidem et ita intelligi, ut ad Deum Patrem referatur quod dicit, Gratia vobis a Deo Patre nostro, et pax ad Dominum Jesum Christum, qui per sanguinem passionis suæ factus est nobis pax et reconciliatio ; sed quia una est Patris Filiique natura, melius est ut simul ad utrumque referamus et gratiam et pacem, sicut aliis Epistolis meminimus plenius exposuisse. Persona vero Spiritus sancti in donis suis intelligitur, vel ubi una persona Trinitatis auditur, ibi tota Trinitas intelligitur.

Gratias ago Deo meo semper memoriam tui faciens in orationibus meis. Hactenus Paulus et Timotheus Philemoni, Appiæ et Archippo pariter scripserunt, tamen in sequentibus approbatur Apostolum tantummodo ad Philemonem scribere, et unum cum uno sermocinari. Hunc etiam morem in aliis Epistolis ejus invenire possumus, ut cum plures in præfatione ponuntur postea per totum corpus Epistolæ unus disputans inducatur. Quod autem ait, Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, ita accipiendum est, ut semper gratias ageret Deo pro illorum salute, quos Domino acquisierat semperque illorum memoriam ageret in orationibus, quatenus in fide recta bonisque operibus perseverarent. Nec mirum si ille qui alios hortatur, dicens : *In omnibus gratias agite, et sine intermissione orate* (*I Thess.* v), ipse etiam hoc opere primum impleverit. Et notandum quia cum dixisset, gratias ago Deo, statim subintulit meo, quoniam cum omnipotens Deus omnium communiter Deus sit, tamen illorum specialiter dicitur Deus esse, qui per fidem et vitæ meritum eum venerantur et colunt, ut Abraham, Isaac, et Jacob, de quibus ipse dicebat Moysi : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III), per fidem videlicet rectam vitæque meritum : et quia beatus Apostolus fidem constantissimam habebat, per quam sciebat Deum sibi placabilem fore, vitæque meritum, quod non ignorabat illum delectari, cum fiducia dixit:

A Gratias ago Deo meo, id est laudes refero illi cum gratiarum actione pro salute tua.

Audiens charitatem tuam et fidem quam habes in Domino Jesu et in omnes sanctos. Philemon qui tanta laude dignus erat apud Apostolum, haud dubium quin charitatem haberet erga Deum et proximum, fidem quoque haberet in Domino Jesu credendo in eum et in omnes sanctos, imitator fidei illorum existendo. Ille enim fidem et charitatem habet in Deum et in omnes sanctos, qui ipsam charitatem et fidem in operationem vertit. Sequitur : *Ut communicatio fidei tuæ*, subaudis quas communicas et participas fidei apostolicæ, *evidens fiat in agnitione omnis operis boni in Christo Jesu.* Potest ergo ex superioribus ita conjungi : Gratias ago Deo meo, au-
B diens charitatem tuam et fidem quam habes in Domino Jesu et in omnes sanctos, semperque memoriam tui facio in orationibus meis, ut participatio fidei qua participas fidei apostolicæ, evidens seu manifesta fiat omne bonum in se habere. Communicatio siquidem hic pro participatione fidei apostolicæ accipitur, cui ille participabat : quanquam et ad communionem possit referri, qua participabat fidelibus de facultatibus suis.

Gaudium enim magnum habui et consolationem in charitate tua, quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater. In carcere erat beatus Apostolus, ibique famam Philemonis audiebat, quia maximum refrigerium præstabat sanctis in tribulatione positis. Unde et plenius inculcat quare dixerit, Gratias ago Deo
C meo, memoriam tui faciens in orationibus meis. Dignum siquidem erat gratias agere Deo meo pro charitate illius, qui interno cordis affectu et profundo, animos sanctorum preces suscipiendo refrigeraverat. Viscera siquidem aliquando ponuntur pro filiis, aliquando pro interno et immenso dilectionis affectu, hic autem pro utroque accipi possunt. Viscera, inquit, sanctorum requieverunt per te, frater, id est filii sanctorum in tribulatione et egestate positi, refrigerium acceperunt in consolatione tua, et in subministratione, qua eis ministrasti, sive interni sensus et magni affectus sanctorum requieverunt per te. Magnum etenim refrigerium habent in tribulatione et egestate positi, dum aliquem repererint
D consolantem, quod aperte invenitur implesse iste Philemon.

Propter quod, subaudis quia interni affectus requieverunt per te, *multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet*, hoc est, ad utilitatem tuam. *Propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem vinctus Jesu Christi.* Idcirco toties se repetit vinctum Christi Jesu esse, ut illum in fide perfectissimum redderet, nec desperaret si in eum aliqua contrarietas prorumperet, sive etiam quia illi aliter subvenire non poterat positis in tribulatione, saltem quod obsecrabat pro servo facilius impetraret. Poterat autem illi imperare sicut ipse manifestat, ut pote Apostolus subjecto, præsertim cujus studio ad fidem ve-

nerat: sed quia maximam charitatem habebat erga omnes sanctos, maluit obsecrare quam imperare. Nec enim erat necesse ut ex auctoritate apostolica ei imperaret. In hoc autem quod dicit, cum sis talis, ut Paulus senex, ostendit illum coævum sibi, ac per hoc quasi honorabilius alloquitur illum, quam si esset junior ætate.

Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo. Volens impetrare quod postulabat, jam non pro servo Philemonis, sed pro suo filio precatur, ut dum audit illum ab Apostolo filium vocari, magis diligat illum ut fratrem, quam tormentis afficiat pro fuga et furto ut servum. Genuerat autem illum in vinculis positus, non carne, sed prædicatione, sicut et Corinthios, quibus dicebat: *Per Evangelium ego vos genui (I Cor.* IV). In vinculis enim tenebatur, quando ad illum venit Onesimus, *quia tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis:* inutilis autem exstitit Onesimus domino suo Philemoni, quando non solum de servitio illius fuga se subtraxit, sed insuper illius bona furatus est. Tibi, inquit, soli inutilis, non cæteris, nunc econtrario utilitatis compensatione qua et ipsi domino et Paulo utilis est cæterisque, per Paulum plus charitatis meretur quam odii ante meruerat. Domino suo in hoc erat jam utilis, quia serviebat Apostolo pro domino suo, quod utique dominus ejus debuerat agere, si præsens esset. Apostolo in hoc erat inutilis, quia illo in carcere posito, vinculisque detento, ministrabat ei, prout in temporalibus, et insuper in spiritualibus, deferens litteras Apostoli huc illucque.

Tu autem illum ut viscera mea suscipe. Viscera, sicut jam diximus, significant internum cordis affectum, et plenam ex animo voluntatem: cum totum quidquid in nobis est suscipitur a rogante: aliquando tamen intelliguntur et filii. *Suscipe*, inquit, *illum ut mea viscera*, hoc est ut filium meum charissimum, vel in illo suscipe internum affectum dilectionis meæ.

Quem ego volueram mecum retinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii. Idcirco filium suum et filium vinculorum et ministrum Evangelii in vinculis constituti toties replicat, ut Philemon prudens dispensator tantum in præfatione laudatus non auderet negare, ne suis laudibus videretur indignus. Ut pro te, inquit, mihi ministraret, quia si fieri posset, tu debueras mihi in vinculis posito ministrare.

Sine consilio autem tuo nihil volui facere, hoc est, nolui eum sine tuo consensu retinere, *uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Poterat quidem Apostolus sine voluntate Philemonis Onesimum sibi in ministerium retinere: sed si hoc sine voluntate ejus fecisset, bonum quidem erat ejus, sed non voluntarium: quod autem non esset voluntarium: ostenderetur non esse ex toto bonum. Nihil quippe perfectum bonum est nisi quod ultroneum est. Ex quo Apostoli consideranda est prudentia, qui idcirco fugitivum servum remittit ad dominum, ut posset domino suo prodesse, dum ab eo fuerit remissus: qui prodesse non poterat si teneretur, domino ignorante neque volente. Quo loco quærunt nonnulli, quare omnipotens Deus non creaverit Adam ita ut non posset peccare. Quibus respondendum est, quia si talem fecisset eum, ut non posset peccare, bonum illius non esset perfectum, quod præmium mereretur, sed necessarium, neque etiam liberum arbitrium haberet. Creavit enim hominem ad imaginem et similitudinem suam, ut sicut ipse voluntate est bonus, non necessitate, ita et homo voluntate esset bonus, non necessitate.

Forsitan ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes, jam non sicut servum, sed pro servo charissimum fratrem. Pulchre adverbium dubitativum addens forsitan, sententiam temperavit; occulta quippe Dei judicia sunt, et temerarium est quasi de certo pronuntiare quod dubium est. Caute ergo et timide, et non fixo gradu locutus est, ne videretur omnibus servis occasionem fugiendi dare, ut prædicatorum discipuli fierent. Quod autem dixit, *ad horam*, pro tempore posuit. Omne enim tempus præsentis vitæ ad comparationem æternitatis, aut nihil est, aut brevissima hora. *Ut æternum*, inquit, *illum reciperes.* Nullus dominus æternum servum potest habere, quoniam uterque illorum et conditio utriusque morte finitur. Onesimus vero qui per fidem Christi factus est æternus æterno Philemoni, quia et ipse in Christum crediderat, spiritu libertatis accepto, jam non servus, sed frater in fide cœpit esse, de servo frater charissimus et frater æternus; unde et Apostolus dicit: *ut æternum illum reciperes*, hoc est æternaliter cum Christo regnaturum: et non sicut servum, sed plus servo, id est magis quam servum, charissimum scilicet fratrem. Plus enim ad nos pertinet frater in affectu charitatis quam servus. Habent et quidam codices ut pro servo charissimum fratrem reciperes. Quod utrumque accipi potest: quoniam quando fugit, servus erat, adhuc infidelis existens; quando vero reversus est, jam frater erat in fide fidelis effectus. Et ut Philemon non dedignaretur illum vice fratris tenere, addidit *et maxime mihi*, subaudis charissimus frater est, *quando magis tibi et in carne* et in spiritu; et est sensus: Si mihi charissimus est, quanto magis tibi et in carne et in spiritu debet esse charus? Mihi quidem spiritu est conjunctus propter unitatem fidei; tibi autem et in fide, et in spiritu, et in carne debet esse charus, quia ad te pertinet. Fide enim est frater tuus, carne autem et conditione servus tuus: quapropter magis a te diligi debet. Siquidem quando erat ei subjectus in carne, non erat ei junctus in Domino, nunc autem et in carne et in Domino. Ex quo colligitur servum qui crediderit in Christum duplici domino suo lege constringi, ut ei et in carnis necessitate jungatur ad tempus, et in æternum spiritu copuletur.

Si ergo habes me socium, in fide *suscipe illum sicut me*, quasi diceret: Si me vis habere socium, habeto et Onesimum, quem ego et consortem et

socium habeo. Quem si nolueris habere ut fratrem et socium, attende quia et me habere non poteris.

Si autem aliquid nocuit aut debet tibi, hoc mihi imputa. Ego autem Paulus scripsi mea manu, ego reddam. Ego, inquam, qui alias epistolas meas non scribo, sed dicto, causa amoris tui ut obtinere possim quod postulo, scripsi istam tibi : *ego reddam* quod Onesimus furto rapuit. Hujus responsionis Epistola ista testis est : quam non solito more dictavi, sed manu mea scripsi, unde poterat ei reddere quod Onesimus abstulerat, siquidem in carcere tenebatur ? Quid ergo divitiis temporalibus pro Christi amore carebat, securus erat posse ei recompensare ex dono divitiarum cœlestium. *Ego*, inquit, *reddam tibi* obtentu mearum precum thesauros indeficientes. Noli morulas facere in indulgendo Onesimo : securus esto de præmio. *Ut non dicam tibi quod et teipsum mihi debes.* Si hoc, inquit, feceris quod peto : tunc non dicam tibi quod et tu omnia tua mei debes et in potestate mea debes consistere. Propter sermonem enim Christi quem tibi evangelizavi, et quod Christianum filiumque Dei te effeci, teipsum mihi debes. Et si tu meus es, non solum Onesimus, sed etiam omnia tua mea sunt, et ad me pertinent. Poteram, inquit, eo uti ut meo, sed voluntati tuæ relinquo, ut, mercedem habeas ignoscendo.

Ita, frater, subauditur fac ut populo : *ego te fruar in Domino.* Frui est cum delectatione uti et possidere, unde dicitur in lege : Si non feceris quæ tibi percepta sunt, generabis filios, et non frueris illis, hoc est cum delectatione non videbis illos : quoniam captivi ducentur coram te. *Ego*, inquit, *fruar te in Domino*, hoc est delectabor in dilectione tua. *Refice viscera mea in Domino*, id est filium meum Onesimum, vel internum amorem et affectum dilectionis meæ.

Confidens in obedientia tua scripsi tibi : sciens quoniam et super id quod dico, facies. Qui præsumit de illo quem rogaturus est, ipsa quodam modo præsumptione prædicat, ne ei negare liceat quod rogatur.

Simul autem et para mihi hospitium. Spero enim per orationes vestras donari me vobis. Idcirco præcipit sibi hospitium parari, ut audiens eum ad se venturum Philemon indulgeat, et dum eum exspectat, facilius faciat quod rogatus est. Et quia ubicunque Apostolus erat, multitudo ad eum confluebat, necesse erat ut magnam domum haberet, et quæ remota esset a circo, a theatro et a spectaculo, ubi lascivi discurrentes, turpia quæque sectabantur.

Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu. Iste Epaphras prædicator Evangelii existens, adhærebat beato Apostolo, et fortassis cum illo fuerat captivus ductus de Hierosolymis Romam, vel certe tunc cum illo tenebatur in carcere. Marcus ipse est qui Evangelium scripsit. Demas ipse est de quo alibi dicit : Demas me dereliquit, Lucas ipse est scriptor Evangelii, Actuumque apostolorum, de quo et in alio loco dicit : *Misimus cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio* (*II Cor.* VIII). Et sicut apostoli de piscatoribus piscium, facti sunt piscatores hominum, ita hic de medico corporum, in medicum conversus est animarum. Quotiescunque enim dicta illius leguntur medicinam præstant intelligentibus.

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen. Gratia hic accipitur fides, remissio peccatorum, et donum Spiritus sancti, quæ orat Apostolus esse cum spiritu illorum quibus ista scribebat. Per spiritum autem, sive animam sive etiam rationabilitatem possumus intelligere. Cum enim in anima sive rationabilitate gratia divina fuerit, totum hominem replet faciens eum spiritalem, ut adhæreat Domino mente et corpore, et impleatur illud quod scriptum est : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (*I Cor.* VI).

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

PRÆFATIO.

In primordiis hujus Epistolæ dicendum est, quæ causa exstiterit, cur apostolus Paulus morem suam in hac Epistola non servaverit, videlicet ut vel vocabulum nominis sui, vel ordinis describeret dignitatem. Hæc igitur causa exstitit quod nomine suo non titulavit eam, quia Judæis scribebat suis fratribus, quibus odiosus erat, eo quod circumcisionem et sabbatum et sacrificia, cæteraque quæ lex præcipit observanda, ipse doceret non debere carnaliter observari post Domini passionem. Nam illi qui crediderant Judæi, contendebant utrumque teneri, baptizari scilicet secundum gratiam Evangelii, et circumcidi, sabbatum quoque observare secundum legis præceptum. Quapropter si posuisset nomen suum Apostolus in exordio hujus Epistolæ, poterat evenire ut ejus æmuli nomen illius in prima fronte legentes, dignarentur eam recipere, sicque utilitas lectionis differretur. Nomen autem apostolatus idcirco non posuit, quoniam ipse apostolus gentium constitutus, si nomine apostolatus sui prætitularet Epistolam ad eos directam, vocans se apostolum, videretur illis fortasse quod se vellet apostolo præferre Petro, qui princeps illorum erat a Domino ordinatus, sicut idem egregius prædicator alio in loco dicit: *Qui operatus est Petro,* inquiens, *in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes* (*Galat.* II). Fortassis etiam dicerent : Quid est quod Paulus, doctor gentium, præfert se apostolis nostris Petro et Jacobo ? Scribat suis gentibus, non indigemus ut scribat nobis. Habemus enim apostolos nobis a Domino constitutos, qui nos abunde possunt docere. Quo facto ostendit

se non ignorare illorum superbiam, pariterque suam exhibuit humilitatem. Simili modo etiam et apostolus Joannes causa ejusdem rationis et humilitatis, nomen suum in Epistola sua prætermisit. Vel certe, ut dicunt quidam, quod propterea quia Christum in hac erat Epistola nominaturus apostolum, dicens : Habemus pontificem et apostolum confessionis nostræ Jesum justum, noluerit nomen apostolatus sui in primordio hujus Epistolæ nominare. Non enim congruum duxit, ut ubi Christum dicturus erat apostolum, inibi etiam se apostolum nominaret, maximeque in titulo, ne cuilibet videretur se præferre Christo, sed maluit tacito nomine de figuris legis eos instruere, et ad veritatem quæ Christus est, perducere. Hanc autem Epistolam quidam dicunt esse Barnabæ apostoli, quidam Lucæ, quidam Clementis, dicentes quoniam si Pauli esset, ipse utique more solito sicut in aliis, ita etiam nomen suum in ista præponeret. Sicut si Pauli non erit, quia ejus nomine non est titulata, ergo nec Barnabæ, nec Lucæ, neque Clementis, aut alicujus erit, eo quod nullius nomine titulatur. Cui ergo illorum ascribenda est ? Utique egregio prædicatori : quippe quæ ex lucido sensu et genere locutionis comprobatur illius esse, quanquam subtiliori atque apertiori stylo comprehensa sit omnibus ejus Epistolis. Nam fertur Apostolus hanc Hebræis missam Hebræo sermone eam conscripsisse, in quo ipse peritissimus exstitit, cum reliquas Græco sermone scripserit. Post discessum vero Apostoli, Lucas evangelista Græco sermone eam comprehendit, ex quo postmodum translata est in Latinam linguam sicut et reliquæ.

CAPUT PRIMUM.

Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio. Omnis intentio beati Apostoli in hac Epistola est, ut Judæos cognatos suos, qui et Hebræi ab Heber appellantur, in quo assumpti sunt a lege Moysi transire faciat ad gratiam Evangelii, ab observatione carnali ad spiritalem : simulqne eminentiam gratiæ quæ per Filium data est fidelibus, discernit a legalibus umbris, quæ angelicis ministrationibus exhibitæ fuerunt. Unde et primum ponit prophetas diversis modis variisque locutionibus patribus fuisse locutos dicens : *Multifariam*, id est multis locutionibus : *multisque modis*, hoc est, multis qualitatibus: *olim*, id est in præterito videlicet tempore loquens Deus Pater per prophetas patribus nostris. Deinde ut ostenderet quanta differentia esset gratiæ inter illos et patres illorum, subjunxit : Novissimis diebus istis ultimæ ætatis, locutus est nobis per Filium. Dicendo autem: *Locutus est in prophetis et in Filio* tantumdem valet, quasi diceret : Per prophetas et per Filium : quia *in* præpositio pro alia præpositione *per* accipitur : sicut multis in locis Epistolæ ejus invenitur his præpositionibus indifferenter uti. Consideremus ergo, quomodo multis locutionibus, multisque qualitatibus locutus sit Deus Pater patribus Ve-

A teris Testamenti, multis vero locutionibus, multisque qualitatibus locutus est eis, quia non semper uniformiter secreta sua eis revelavit. Aliquando enim aperte et per angelum locutus est eis ut Abrahæ cui dixit: Secundum hoc tempus veniam, eritque Saræ filius (*Gen.* XVIII); Moysi quoque præcepta legalia dando, Non occides, non adulterabis (*Deut.* V), cæteraque hujus modi ; Loth quoque de Sodomis eum educendo (*Gen.* XII), aliisque quampluribus. Aliquando vero obscure, et per ænigmata, et per ignem, ut Moysi, cui dixit : *Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III). Aliquando in habitu militis, ut Josue : Aliquando in corde, ut David, quod dicebat : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV), cæterisque prophetis.

B Aliquando per somnium, sicut Daniel, quod genus prophetiæ est : *Novissime* autem, id est in fine temporum *locutus est nobis* apostolis suis, cæterisque credentibus per Filium suum, et est sensus : Patribus nostris, utpote servis, locutus est olim per servos suos angelos, et per conservos illorum prophetas, novissime autem diebus istis ultimæ ætatis, locutus est nobis apostolis, omnibusque aliis fidelibus per Filium, utpote filiis. Nam quanta distantia est inter gratiam Evangelii, quæ per Filium data est, et legem quæ per servum administrata est : tanta differentia est inter ministros et auditores legis, quoniam servi ad servos missi sunt, et inter promissionem et gratiam, quæ per Filium data est filiis, ac postmodum per filios filiis administrata. Sequitur :

C *quem constituit hæredem universorum.* Hæres dicitur ab hero, id est domino, eo quod libera potestate in hæreditate paterna dominetur. Constituit ergo Deus Pater Filium suum hæredem universorum, hoc est totius mundi, seu omnium creaturarum, non tantum secundum divinitatem, qua coæternus est Patri et coæqualis est illi in omnipotentia deitatis, et in qua æternaliter ipse possidet omnia cum Patre, sed potius secundum humanitatem assumptam a Verbo, constitutus est ille dominus et hæres super omnem creaturam, sicut illi Deus Pater promisit, dicens : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ* (*Matth.* II). Et ipse Filius resurgens a mortuis, sic loquitur ex persona humanitatis : *Data est mihi*, inquiens, *omnis potestas*

D *in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). Non ergo dividimus personas, sed distinguimus naturas. Unde animadvertendum est solerti indagine : Apostolum in hac Epistola, nunc de substantia humanitatis loqui, nunc vero de substantia deitatis. Nam quod dixit illum constitutum esse a Deo Patre hæredem omnium creaturarum, ad humanitatem illius retulit : Volens autem discretionem facere inter divinitatis naturam et humanitatis ejus, et ostendere quid proprie pertinet et ad unamquamque naturam, subintulit, dicens: *Per quem fecit et sæcula.* Sæcula dicuntur a sequendo, eo quod se sequantur, in semetipsa revertendo ac redeundo. Hic autem per sæcula debemus intelligere omnia quæ facta sunt in tempore. Ut ergo ostende-

ret Apostolus eumdem novissimis diebus venisse in A mundum, ac temporaliter hæreditatem percepisse, qui ante omnia sæcula erat cum Patre, dixit : *Per quem fecit Deus Pater omnia quæ in tempore facta sunt*. Nam quod evangelista Joannes dicit : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I), hoc Apostolus significavit, dicendo : *Per quem fecit et sæcula*, referens hoc ad divinitatem ejus. Deinde vero quibusdam gradibus ascensionum eleganter utens, pervenit ad id quod omnibus his majus est, et insonuit, dicens : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.* Deus Pater lux est, sicut idem Apostolus ait, loquens de Filio : *Qui habet*, inquit, *lucem inaccessibilem*, et Filius lux est, et Spiritus sanctus lux (*I Tim.* VI), ita et Pater splendor, et Filius splendor, et Spiritus sanctus splendor. Sed B quomodo lux nascitur ex luce, et splendor procedat de splendore, non crescente numero, impossibile est definire. Idcirco autem appellatur Filius splendor Patris, quia sicut in igne tria sunt inseparabilia, ignis videlicet, calor, et splendor, et tamen splendore ostenditur nobis ignis et calor, licet humana non sint comparanda divinis, ita natura Patris et Filii et Spiritus sancti inseparabiliter conjuncta et unita est, et per verbum suum quasi per splendorem dignatus est semetipsum ostendere, et insuper mysterium totius Trinitatis, dicente ipso Filio : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X); et iterum : *Baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Mirabili igitur modo Apostolus unam substantiam deitatis Patris et Filii ostendit, ut duas C personas aperiret in gloria et splendore. Per splendorem quippe, unitatem declaravit essentiæ cum Deo Patre : in nomine autem gloriæ, personas Dei Patris expressit : in splendore autem, personam Filii. Et sic est Filius splendor de splendore, sicut lux de luce, Deus de Deo, lumen de lumine, principium de principio. Sequitur : *et figura substantiæ ejus.* Quantum ad homines pertinet, aliud est figura, aliud est substantia, quia dum pingitur imago et figura alicujus hominis in pariete, non est illud figura, quod est substantia. Apostolus autem figuram in hoc loco pro ipsa substantia et pro æqualitate essentiæ posuit, et quod hic dixit figuram, alias dixit formam, inquiens : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam* D *arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philip.* II). Forma enim illic, et figura hic, unam declarant æqualitatem essentiæ, Christus ergo splendor Patris est, et figura substantiæ ejus, quia per illum Pater manifestatus, sicut ipse dicit : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus* (*Joan.* XVII), et æqualis est illi in substantia deitatis. Sequitur, *portansque omnia verbo virtutis suæ.* Dicendo *portans*, facilitatem continendi voluit exprimere : posuitque *portans* pro eo quod est gubernans et regens. Verbum igitur Dei Patris omnia quæ fecit verbo virtutis suæ portat, hoc est potentia virtutis suæ, et verbo jussionis suæ omnia gubernat et regit. Non enim minus est gubernare mundum quam creasse. Nam in creando ex nihilo substantiæ rerum productæ sunt, in gubernando vero ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur. Ergo dum hæc omnia reguntur, et ad invicem sibi repugnantia coaptantur, magnum et admirabile virtutis Dei judicium declaratur. Post tantam divinæ majestatis in Filio claritatem, ad humilia incarnationis ejus descendit, pariterque discernit naturam divinitatis atque humanitatis, dicens : *Purgationem peccatorum faciens.* Nam quod dixit, *portans omnia* gubernatione sua, et regimine *virtutis suæ*, ad divinitatem retulit : quod vero subdidit, *purgationem peccatorum faciens*, ad humanitatem ejus proprie pertinet. Quomodo fecit purgationem peccatorum ? Per redemptionem utique passionis suæ, et per aquam baptismatis, juxta quod Joannes in Apocalypsi sua dicit : *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (*Apoc.* I). *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Considerandus est ordo verborum. Primum siquidem perhibuit purgationem peccatorum Dominum sua passione nobis procurasse, ac deinde dixit illum sedere ad dexteram majestatis in excelsis. Nam Christus primum nos redemit sanguine passionis suæ, et sic postmodum altitudinem cœlorum penetravit, ubi nunc ad dexteram Patris sedet. Sedere autem illius pro habitare et esse ponitur isto in loco, sicut et dextera pro honore et dignitate summa. Nam non est putandum quod omnipotens Pater, qui spiritus est incircumscriptus, omnia replens, dexteram aut sinistram habeat : sicut et nos habemus aut quod ita sedeat in dextera illius Filius ejus, sicut solent filii regum sedere juxta patrem, opposito sibi solio : sed sicut diximus, dextera pro gloria et dignitatis honore accipitur. Siquidem et Pater a dextris esse scribitur Christi, ut in psalmo habetur : *Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges* (*Psal.* CIX). Ambo ergo a dextris sunt, quia nihil est in divinitate sinistrum : quia unum est cum Deo jam in gloria homo assumptus a Verbo, et quadragesimo die exaltatus ad cœlestia. Quid est ergo, *sedet ad dexteram majestatis ?* nisi ut dicatur, habitat in plenitudine paternæ majestatis. Et cum dicit, *in excelsis,* ostendit illum hominem super omnem creaturam angelicam et humanam exaltatum esse. Unde et sequitur :

Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Factum autem vel effectum, pro susceptum debemus hic accipere, tanquam diceret : Tanto melius atque honorabilius præ angelis a Deo Patre susceptus est in gloria majestatis, quanto præ illis differentius atque excellentius nomen filiationis hæreditavit. Nam quanta distantia est inter nomen filii et servi, tanto ille majoris dignitatis est præ angelis, quoniam ille Creator, secundum divinitatem dico, illi creaturæ. Ipse quoque homo in hoc est major omnibus angelis omnique creatura, quia potestas quæ erat in Verbo ante omnia sæcula, requievit in illo homine assumpto a

Verbo ex tempore conceptionis. Quapropter illi sunt ministri et famuli, sicut in ejus tentatione et passione, in resurrectione quoque et ascensione declaratum est. Ille autem Filius proprius et hæres exstitit, quod nobis et Apostolus innuit, dum subjungit:

Cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te ? subaudis, nulli angelorum hoc dictum est. Hoc de Verbo Dei intelligendum est, quod coæternum et consubstantiale est Deo Patri, non de qualibet creatura, licet legamus in libro Job angelos appellatos esse filios Dei : in Genesi quoque filios Seth : quod utique quando fit, abusive fit. Quando ergo dixit ei: *Filius meus es tu ?* Tempore baptismatis et in monte quando intonuit vox paterna cœlitus, dicens : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* XVII). Et in hoc quod dicit, *Filius meus es tu*, manifestat ex ipsa sua essentia illum esse genitum. Notandumque quia non dixit, ante omnia sæcula genui te, vel in præterito tempore, sed *hodie*, inquit, *genui te*, quod est adverbium præsentis temporis. In Deo enim nec præterita transeunt nec futura succedunt, sed omnia tempora simul ei juncta sunt, quia omnia præsentia habet ; et est sensus : Sicut ego semper æternus sum, neque initium, neque finem habens, ita te semper Filium coæternum mihi habeo. Tale est et istud, quod alibi dicit : *Ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX), id est ante angelicam creaturam, et ante omnia sæcula. *Et rursum : Ego illi ero in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Videsne quomodo discernit geminam naturam in Christo? Nam quod dixit paulo superius, *hodie genui te*, ad divinitatis retulit naturam : at vero quod subintulit, *ego ero illi in patrem*, ad humanitatis essentiam refert sine aliqua dubitatione. Unde et congrue verbo futuri temporis usus est, dicens, *ero*. Quoniam Deus Pater quando dixit ad David (*II Reg.* VII) : *Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum, quod egredietur de* lumbis tuis, *et firmabo* thronum ejus super thronum tuum, ipseque erit mihi filius, *et ego ero illi in patrem*, futurum erat adhuc ut Verbum Dei Patris assumeret hominem ex utero virginali in unitate personæ suæ, qui Filius Dei in veritate esset, non adoptivus, sed proprius. Hæc autem sententia et ad superiora potest respicere, ut ita legatur sub interrogatione rursum cui angelorum dixit: *Ego ero illi in patrem ?* et subauditur nulli ; vel certe absolute et affirmative hoc modo, rursum de illo dicit Deus Pater : *Ego ero illi in patrem.*

Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit : *Et adorent eum omnes angeli Dei.* Omnis unigenitus potest dici primogenitus, eo quod primus aperiat vulvam matris, non tamen omnis primogenitus unigenitus, quia habet alios fratres sequentes se. Dominus autem Jesus tam secundum divinitatem quam secundum humanitatem, et unigenitus et primogenitus dici potest. Unigenitus est secundum divinitatem, quia in natura divinitatis non habet fratres sequentes se. Secundum humanitatem quoque unigenitus est beatæ Mariæ, quia post illum alios non genuit, sicut calumniatur Helvidius dente viperino. Primogenitus est secundum divinitatis essentiam, sicut per Salomonem testatur, dicens : *Ego sapientia ex ore Altissimi, prodivi primogenita ante omnem creaturam* (*Eccli.* XXIV). Secundum humanitatem quoque primogenitus est in multis fratribus adoptivis, de quibus ipse dicit Mariæ : *Vade ad fratres meos et dic eis* (*Joan.* XX). Quod autem dicit Apostolus, cum iterum introducit Deus primogenitum Filium suum in mundum, sic videntur hæc verba sonare, quasi jam altera vice introductus esset. Sed quomodo hoc sit intelligendum, evangelista Joannes ex parte manifestat, dicens : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I). Verbum ergo Dei Patris per quod omnia facta sunt unius essentiæ existens cum Deo Patre et Spiritu sancto, ubique est et omnia implet : quia cingendo implet omnia, implendo cingit, gubernando præsidet, præsidendo gubernat. Et quia in mundo erat, ubi carnem assumpsit, et tamen inaccessibile erat nostris aspectibus, quia non videbatur : ipsam assumptionem carnis appellat alterum introitum. Dum enim qui invisibilis erat humanis aspectibus, assumpta carne, visibilem se præbuit quasi iterum introductus est. Notandumque quia quod Apostolus introitum nominat, hoc in Evangelio ipsa Veritas exitum vocat, dicens: *Exivi a Patre, et veni in mundum* (*Joan.* XXVI). Merito ergo exitum vocat incarnationis suæ assumptionem, manifestationemque, quia non foris eramus a Deo expulsi extra aulam paradisi et palatium regis æterni positi in carcere hujus mundi, et in auxilio relegati. Verbi gratia, sicut excluduntur ab aula regia, regis offensam incurrentes, et destinantur in exsilium atque in carcerem clauduntur : sed sicut bonus mediator volens eis veniam impetrare, non eos primum introducit in aulam regis, sed ipse foras egreditur, ibique cum eis miscet sermocinandi negotium, sicque correctos et castigatos introducit eos in conspectum regis : eo modo Dominus Jesus exivit ad nos. Nam egressus est ad nos a conspectu paternæ majestatis carnem assumendo, visibilemque præbendo, et collocutus est nobiscum præcepta regis æterni, sicque nos suis prædicationibus et miraculis correctos et castigatos, atque sua fide confirmatos, suaque passione a peccatis emundatos, introduxit in aulam et in conspectum paternæ majestatis, quando ascendendo ad cœlos patefecit nobis aditum regni cœlestis. Dicendo autem *introducit eum in orbem terræ*, hoc significat, cum ei committit orbem terræ, et cum manifestat illum Dominum esse totius mundi. Tunc enim possedit orbem, cum ab universis est agnitus Dominus totius orbis. Hoc autem non de substantia Verbi, sed de essentia hominis accipe dictum. Quodque sequitur, *et adorent eum omnes angeli Dei*, tale est ac si diceret, omnes angeli mei et ipsius, quia per eum sunt facti. Tunc ergo adoraverunt eum, quando nativitatem illius annuntia-

verunt, et quando illo esuriente accesserunt et ministraverunt ei, sive quando sepulcrum ejus custodierunt, quotidie quoque adorant eum, quia jussioni illius obtemperant. Sed nunquid solis angelis præcepit Deus Pater illum adorare? Non, quin potius omni creaturæ.

Et ad angelos quidem dicit : Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Quod dicit, *et ad angelos quidem Deus Pater*, vel Scriptura divina, tale est ac si diceret de angelis, *ad* ponens pro *de*. Non enim servat Apostolus ordinem sive sensum præpositionum, et est sensus : Ipse quem præcipiuntur angeli adorare, de ipsis suis spiritibus quotiescunque vult facit angelos. Ministros etiam suos facit flammam ignis : quia qui in conspectu illius assistunt, in amore suo incendentes et inflammantes reddit, juxta quod alibi dicitur, *in quem desiderant angeli prospicere*. Nam quod dixit, *qui facit angelos suos spiritus*, præpostero ordine protulit. Debuerat enim dicere, qui facit spiritus suos angelos. Sciendum est autem quod angelus nomen est officii non naturæ, qui semper quidem sunt spiritus, sed nequaquam jure semper vocantur angeli, nisi quando mittuntur. Angelis etenim Græco vocabulo, Latino dicitur nuntius. Si quæris nomen naturæ, spiritus est : si officii, angelus est. Ex eo quod subsistit, spiritus est, et ex eo quod mittitur, angelus. Verbi gratia, sicut homo nomen est naturæ, miles autem nomen est officii. Dicatur et alio modo : Angeli et ministri Dei omnipotentis sunt sacerdotes et prælati Ecclesiæ, juxta quod Malachias dicit (*c.* II) : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Sacerdotes ergo Ecclesiæ spiritus sunt, quando gaudia patriæ cœlestis suis auditoribus annuntiant, dicentes : *Pœnitentiam agite : appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III); et *Fulgebunt justi sicut sol* (*Matth.* XIII); *et Erunt sicut angeli Dei in cœlo* (*Matth.* XXII). Flamma vero ignis sunt, quando terrorem ignis gehennæ suis auditoribus minantur, dicentes : *Omnis arbor* non faciens *fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* III).

Ad Filium autem, subaudis dicit Psalmista : *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui.* Intuere quomodo et cum quanta claritate discernat angelicam creaturam a Filio qui cuncta creavit. Thronus Græce, Latine dicitur sedes regia, sicut et solium. Per thronum autem uno modo possumus intelligere regnum, per sceptrum autem quod est virga aurea, potestas intelligitur regni. Dicit ergo Psalmista loquens ad Filium Dei : O Deus, regnum tuum et potestas imperii tui in sæculum sæculi manebit! Tale quid et Gabriel dicit ad Mariam : *Ipse regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I). Istud est regnum, de quo turbæ clamabant benedictum quod venit regnum patris nostri David; et de quo ipse Dominus Pilato : *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII). Aliter : Thronus sive sedes judicantium solet esse. Unde et in
A lege humana præcipitur, ut non detur judicium nisi sedendo. Quapropter non incongrue per sedem possumus intelligere judicium quod procedit a sede. Istud est judicium, de quo ipse Filius dicit : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V), et de quo Psalmista ad Deum Patrem : *Deus, judicium tuum regi da* (*Psal.* LXX), id est Christo. Thronus ergo Dei in sæculum sæculi manebit, quia judicium novissimum quod dabit electis, dicens eis : *Venite, benedicti, percipite regnum vobis paratum* (*Matth.* XXV) ; et reprobis dicit : *Ite in ignem æternum* (*Ibid.*), æterna discretione stabit inter utrosque, eo testante in Evangelio ac dicente : *Tunc ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* (*Ibid.*) Quod vero sequitur. Virga æquitatis
B virga regni tui, per virgam æquitatis intelligitur rectitudo sententiæ et judicii illius, sive potestas regni justa, quæ virga regit justos in justitia, et percutit impios juste et recte, sine aliqua personarum acceptione, cunctos gubernans et judicans.

Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem. Ista est virga recta, ut diligatur justitia, et odio habeatur iniquitas. Nemo enim perfecte potest diligere justitiam, nisi odio habuerit iniquitatem. Iniquitas autem quæ et anomia nominatur, intelligitur quidquid contra legem divinam fit. Veritatis etenim amor odium est falsitatis. Et quia Dominus dilexit justitiam, quia non peccavit, et odio habuit iniquitatem, quid præmii meruerit percipere exponit, dicens : *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis*
C *præ participibus tuis.* Psalmista alloquitur Filium Dei, et dicit : O Deus, unxit te Deus Pater oleo exsultationis, propterea quia odio habuisti iniquitatem, et dilexisti justitiam. Non ergo est intelligendum quod Filius Dei, secundum naturam divinitatis, in qua æqualis est Patri, possit Deum habere, quia ipse cum Patre et Spiritu sancto verus est Deus. Secundum autem quod homo est, Deum Patrem habet Deum, quia ab illo est factus, ideoque dicit Psalmista : *Unxit te Deus, Deus tuus oleo* (*Psal.* XLIV). Unctus est Christus non oleo visibili, sed plenitudine Spiritus sancti, qui die baptismi in specie columbæ super eum requievit, nec ex tempore baptismatis solummodo plenitudo Spiritus sancti in eo mansit : sed potius ex tempore conceptionis, juxta quod Isaias
D loquitur, dicens : *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, replebitque eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI). Oleo autem exsultationis seu lætitiæ dicit illum unctum, quia Christus qui nunquam peccavit, nunquam tristitiam habuit ex recordatione peccati. Quid est enim oleo lætitiæ ungi, nisi peccati maculam non habere? Sanctorum etenim conscientia tunc magis ac magis hilarescit, atque in lætitiam magis prorumpit, quando nulla peccati gravioris recordatione mordetur. Spiritus quidem sanctus qui requievit in Christo, custodivit illum, et sine peccato conciperetur, sine peccato nasceretur, et sine peccati macula ab hoc mundo

transiret, juxta quod de illo scriptum est (*Psal.* XXXI). Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Sed quid est quod de illo dicit Psalmista : *Unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV)? Qui sunt ergo ejus participes? In Veteri quidem Testamento fuerunt patriarchæ participes Christi in hac unctione, quia cum non essent oleo visibili uncti, sed dono Spiritus sancti repleti, appellabantur Christi, id est uncti, juxta quod in psalmo scriptum est, dicente Domino de Abraham, Isaac et Jacob ad Abimelech, et ad cæteros reges Palestinorum : *Nolite tangere Christos meos* (*Psal.* CIV). Fuerunt quoque reges, sacerdotes et prophetæ participes illius, quia ad illos specialiter unctio pertinebat, per quam donum Spiritus sancti merebantur accipere. Nam legimus Saulem unctum a Samuele, et David, Salomon quoque unctus est in Sion : Sacerdotes ungebantur, sicut unctus est Aaron a Moyse, dicente sibi Domino : *Unges Aaron et filios ejus mihi in sacerdotes jure perpetuo* (*Exod.* XXX). Prophetæ nihilominus ungebantur, sicut unctus ab Elia est Elisæus, cui dixit Dominus : Unge Elisæum prophetam pro te. Isti tres ordines Dominum præsignabant, qui est verus rex, sacerdos, atque propheta. In Novo autem Testamento participes sunt illius apostoli, martyres, confessores, atque omnes qui per gratiam baptismatis abluuntur, et Spiritus sancti donum consequuntur, et a Christo Christiani dicuntur. Christus ergo præ omnibus participibus suis unctus est oleo lætitiæ, quia omnes ad mensuram accipiunt Spiritum sanctum, ipse autem non ad mensuram accepit, sed ad plenitudinem secundum illud. Non enim ad mensuram dat Deus Pater Spiritum Filio suo, sed *in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* II).

Et tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Post humanitatis Filii Dei excellentiam, convertit se iterum ad æternitatem ejus divinitatis, dicens : Tu, inquit, Domine, in principio creaturarum terram fundasti. Ubi ergo fundavit terram ? Si recte perpendimus, videbimus quia nutu et dispositione divina subsistit fundata super nihili nisi in semetipsa. Et quod dicit, Opera manuum tuarum sunt cœli, non est putandum quod Verbum Dei Patris, quod incorporeum est, manibus operetur, quia non habet lineamenta corporis in natura divinitatis, sicut nos habemus. Opera ergo manuum ejus, virtutem jussionis ejus debemus accipere, quoniam verbo et potentia virtutis ejus suæque jussionis quæcunque vult operatur, juxta quod Psalmista dicit : *Ipse dixit, et facta sunt* ; *ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* XXXII). Virtute igitur Verbi Dei cœlum et terra subsistunt, quia virtute jussionis ejus *omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I). Sed cum Moyses in principio Geneseos cœlum dicat primum factum, ac deinde terram, sic dicens : *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I), quæstio oritur, quare Psalmista primum ponit terram, ac deinde cœlum, quasi terra

A ante fuerit facta quam cœlum? quæ ita solvitur, quod ille præposuit cœlum terræ, iste supposuit, idcirco factum est, ut ostenderetur simul illa duo esse facta, sed quod divina potestas simul fecit, humana vox simul nequivit proferre, quapropter necesse erat unum ante alterum dicere.

Ipsi peribunt, tu autem permanebis. Positus est hic pluralis numerus pro singulari sicut multis aliis in locis divinæ Scripturæ. Non enim de firmamento hoc intelligendum est, ubi sidera continentur, neque de cœlo æthereo, per quod cursus septem planetarum aguntur, sed de isto cœlo aereo, a quo et aves cœli dicuntur, potius accipiendum est : in die ergo judicii peribit istud cœlum aereum unde anhelitum attrahimus et remittimus, non ut penitus desinat esse a B sua natura, sed mutabitur ab hac specie in meliorem, et ab hac densitate in subtilitatem et claritatem ætheris. Unde et Apostolus in alio loco dicit : *Præterit figura hujus mundi* (*I Cor.* VII). Si figura præterit, substantia remanebit. Nam, quantum spatium occupavit aqua tempore diluvii, ita ut altior esset quindecim cubitis super omnes montes sub omni cœlo, et, ut quidam dicunt, pertingens usque ad circulum lunæ, tantum spatium tenebit ignis in die judicii, comitans Domini adventum, juxta quod Psalmista dicit (*Psal.* XCVI) : Ignis ante *ipsum præcedet* qui consumet omnia nubila, omnemque densitatem istius aeris, eritque cœlum novum et terra nova. De hac immutatione et Dominus in Evangelio loquitur dicens : *Cœlum et terra transibunt* (*Matth.* XXIV). Trans- C ibunt quidem ab hac figura et specie in melius per innovationem, et permanebunt in substantia propria, *et omnes ut vestimentum veterascent.* Vestimentum hic debemus accipere corpus humanum, quod consumitur longævitate temporis et dolore infirmitatis, ac redigitur in pulverem. Sicut ergo corpus humanum veterascit quidem, et in pulverem redigitur, sed in die judicii per resurrectionem innovabitur : ita istud cœlum aereum præ nimia longævitate quadammodo jam veterascit, sed in die judicii per inflammationem ignis innovabitur *et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur*. Amictus dicitur ab amiciendo, id est a circumdando. Bene ergo cœlum amictui comparatur quo circumdamur, quoniam sicut amictus humanum corpus hinc inde cingit, ita cœlum D ex omni parte cingit terram, æqua lance libratum. Unde et pelli animantis alio in loco comparatur, dicente Psalmista : *Extendens cœlum sicut pellem* (*Ps.* CIII). Mutabis, inquit, cœlum sicut amictum, ac si diceret : Sicut amictus facile plicatur si fuerit extensus, rursusque plicatus leviter extenditur : et si fuerit sordibus coinquinatus, facile potest mundari, ita cœlum a te facile est extensum atque compositum, sicque facilitate incomprehensibili in die judicii mutabis ab hac figura et specie in meliorem : et ut ostenderet jam deinde facta Domini sub æternitate mansura, addidit : *Et mutabuntur*, quasi diceret : Postquam mutati fuerint, in ea novitate permanebunt, nunquam ad hoc corruptibile rédituri. *Tu au-*

tem idem ipse es, et anni tui non deficient. Ecce differentia inter creaturam temporalem factam et creatorem in sua æternitate æqualiter manentem. In omnipotentem etenim Deum non cadit præteritum vel futurum, neque aliqua mutabilitas, sed omnia sunt ei præsentia, semperque est immutabilis : unde Psalmista æternitatem et immutabilitatem Verbi Dei subtili consideratione perpendens, substantivo verbo præsentis temporis usus est, loquens de illo. Cœlum, inquit, et terra mutabuntur, tu autem idem ipse es modo qui eras ante omnia sæcula, et anni tui, id est æternitas tua non deficiet. Ipse ergo qui semper habet esse, dicit de semetipso ad Moysen : *Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III). Quapropter omnis creatura rationabilis, quæ per se mutabilis est ac temporalis, summopere laborare debet, quatenus ei possit conjungi et adhærere, qui semper idem manet.

Ad quem autem angelorum dixit aliquando : Sede a dextris meis quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ? Postquam autem majestatem divinæ æternitatis ostendit in Filio esse, iterum convertit beatus Apostolus sermonem ad glorificationem ejus humilitatis, dicens : *Ad quem angelorum dixit aliquando : Sede a dextris meis?* subaudis ad nullum. Nulli enim archangelorum, nulli dominationum aut virtutum sive principatuum hanc gloriam concessit Deus Pater, ut ei diceret : *Sede a dextris meis*, hoc est, habita et quiesce mecum in plenitudine meæ majestatis. Victori autem Filio et totius mundi per incarnationis suæ dispensationem triumphatori, post resurrectionis gloriam quadragesimo die dicit ei : Laborasti in passione, laborasti in redemptione generis humani, quiesce mecum in gloria, quoadusque *ponam inimicos tuos*, ut sint *scabellum pedum tuorum* (*Ps.* CIX). Quoadusque vel donec, non significat finem alicujus temporis isto in loco, sed pro infinito et sempiterno positum est, quasi diceret aliis verbis : Tu semper habita in plenitudine majestatis meæ, quia ego subjiciam æternitati tuæ inimicos tuos Judæos, aliosque incredulos. Pedes etenim Domini, stabilitatem æternitatis ejus designant, ubi ille tanquam in vestigiis firmis virtute omnipotentiæ suæ consistit. Possumus et per pedes non incongrue mysterium incarnationis ejus accipere. His autem pedibus, æternitatis videlicet illius, seu fidei ac potentiæ incarnationis ejus, duobus modis quotidie subjiciuntur inimici illius, dum videlicet vitiorum atque infidelitatis contrarietate derelicta, sponte se subjiciunt illi ad salutem, ut sub illo tueantur, vel certe dum nolentes in eum credere, coacti subjiciuntur illi, et calcantur dominio potestatis ejus. Sequitur :

Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Si omnes spiritus cœlestium virtutum mittuntur ad salutem credentium, quid est quod Daniel dicit: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* (*Cap.* X)? Quomodo enim omnes mittuntur, si decies centena millia ei assistunt? In-

A telligendum est ergo quod omnipotens Deus qui Spiritus est incircumscriptus omnia implet, et ubique totus est. Quapropter angelicus spiritus, qui incircumscriptus est, quocunque mittatur, intra Deum currit, Deumque semper præsentem habet, ideoque ipsi qui mittuntur, ipsi etiam et assistunt ei, vel certe ideo omnes mitti dicuntur quia sicut Didymus Græcus in libro de Spiritu sancto ait : Ex omnibus ordinibus cœlestium dignitatum mittuntur, sicut Gabrielem, Michaelem archangelos legimus missos in volumine Danielis, Raphaelem quoque ad Tobiam ; unus etiam legitur de Seraphin missus ad Isaiam, quando calculo tetigit os et labia ejus; et sicut frequenter angeli leguntur ad sanctos missi. Generaliter autem, sicut doctores dicunt, unicuique fidelium ab ortu nativi-
B tatis, vel a tempore baptismatis datur a Deo angelus ad sui custodiam et qui ei suadeat bona agere. Unde Apostolus hic dicit : Missi sunt, inquiens, in ministerium salutis propter electos qui hæreditatem patriæ cœlestis sunt percepturi : In hoc ergo loco : sicuti diximus, omnes mittuntur, ejusdemque dignitatis sunt qui mittuntur, cujus et qui assistunt, vel certe quia omnes ejusdem voluntatis sunt, et dum illi qui semper assistunt, consentiunt cum eis qui mittuntur, quodammodo in illis omnes assistunt, omnesque mittuntur, et est sensus : Quid mirum si unico Filio Dei ministerium suum exhibent angeli, cum etiam nostræ salutis ministros eos constet esse effectos ? Quapropter nemini illorum dixit : *Sede a dextris meis.*

C

CAPUT II.

Propterea abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte supereffluamus. Propterea, inquit, quia Filius Dei excellentior est omnibus angelis, qui nobis Evangelium suum dedit, vel certe quia angelos nobis ministrat, qui Deo semper renuntiant opera nostra, licet ipse ubique sit, abundantius atque plenius oportet nos observare ea quæ audivimus a Christo in Evangelio, et ab apostolis ejus quam in lege solebamus, quæ per servum data est. Et quare abundantius ? *ne forte supereffluamus*, id est ne forte pereamus et a salute excidamus, vel ne forte evanescamus transeuntes in perditionem more fluminis decurrentis in mare, dum sensus nostri per inania quæque discurrunt. Jungit autem personam suam illis more suo agens. Et quare abundantius ?
D Reddit causam, dum in sequentibus verbis explicat, dicens: *Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem ?* Sermo legis et prophetarum per angelos dictus est ad patres nostros : quia per subjectam creaturam locutus est Moysi et prophetis, juxta quod beatus Stephanus in contentione sua manifestat, dicens de Moyse : Hic est Moyses qui fuit cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina. Factusque est firmus, id est verus idem sermo per angelum dictus, quoniam sicut ibi prædictum est, ita omnia evenerunt, sive bona sive mala, omnisque prævaricatio sive transgressio legis, atque

inobedientia contra illum sermonem patrata accepit justam retributionis mercedem, judicium scilicet æternæ damnationis, sicut illis contigit, qui murmurando obedientes exstiterunt. Notandum autem quia cum merces in bonam partem maxime accipiatur, hic pro malo posuit Apostolus more solito, non curans de proprietatibus verborum, sed indifferenter unum pro altero ponens, sicut hic mercedem in malo, et alibi captivitatem in bono, ubi dicit (*II Cor.* x) : *In captivitatem*, redigite *omnem* sensum ad obediendum Christo. Facit ergo Apostolus comparationem a sermone legis qui per angelum dictus, ad gratiam Evangelii per Filium datam, et dicit : Si enim sermo legis per angelum dictus, verus est in omnibus quæ promisit bonis, vel quæ minatus est malis, quanto magis erit firmus sermo Evangelii datus per Filium? Et si illi qui inobedientes exstiterunt legi, damnationem æterni judicii non potuerunt evadere, *quomodo nos effugiemus vindictam Dei, si tantam neglexerimus salutem*, fidem scilicet Evangelii vitamque æternam tam magnam, utpote per Filium nobis annuntiatam atque promissam? Subaudis, nullo modo. His verbis manifestat Apostolus non fuisse tantam salutem in lege, quanta est in Evangelio. Lex enim promittebat terram, dicens : Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis : Evangelium autem promittit cœlum, dicens : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Illa præstabat vindictam de terrenis hostibus, istud præstat de spiritalibus; illa promittebat vitam longævam temporalem : Evangelium concedit vitam sine fine mansuram. *Quæ*, subaudis salus, *cum accepisset initium enarrari per Dominum. ab eis qui audierunt, in nobis confirmata est.* Salus ergo quæ in Evangelio continetur, a Domino accepit initium enarrandi, quia ipse primum annuntiavit eam per seipsum, dicens : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum ;* et, *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI). Deinde vero confirmata est, hoc est credita est ab eis qui audierunt eam, ab apostolis videlicet qui cum Domino fuerunt, et successoribus eorum : vel certe confirmata, id est consolidata est et perfecta in nobis ab eis qui ab ipso Domino perceperunt eam, quia salus quæ per Spiritum sanctum nobis data est, permanet in æternum. Causa humilitatis suam jungit personam cum eis, dicens : In nobis confirmata est ab eis qui audierunt. Ad hæc poterat aliquis dicere : Quomodo confirmata est ab eis? Cui ille : *Contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.* Confirmata est, inquit, in nobis, eadem salus ab eis qui audierunt, contestante Deo, id est simul testimonium perhibente eorum doctrinæ ac prædicationi : non voce, sed virtute, sed exhibitione miraculorum et varietate linguarum, quia si dicebat aliquis apostolorum mortuo aut infirmo : Surge, esto vivus aut sanus, statim surgebat incolumis. Signa autem, et prodigia, et virtutes pro uno hic accipiuntur. Quod

A vero subjungit, Spiritus sancti distributionibus, affluentiam significat gratiarum, quam non habuerunt patres Veteris Testamenti, quæ fuit data postquam glorificatus est Dominus Jesus teste evangelista, qui dicit : *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum fuerat Jesus glorificatus* (*Joan.* VII). Istæ sunt distributiones seu divisiones quas Apostolus alio in loco commemorat, dicens : *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* (*I Cor.* XII), etc., quæ in sequentibus enumerat, usque dum subjungit: *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*Ibid.*); unde et hic dicit, *secundum suam voluntatem.* Divinæ enim voluntati atque consilio cuncta tribuit, ne quis in suis meritis confideret. Ipse Spiritus sanctus novit quid cuique prosit, vel quid cuique sit commodum.
B

Non enim angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Ad ea quæ superius dixit Deum Patrem dixisse Filio : *Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX), pertinet hoc quod modo dicit. Orbem autem futurum appellat homines babitantes in orbe, de quibus tunc temporis futurum erat ut in Christum crederent, vel de quorum salute prædictum est a prophetis quod futura esset. Non, inquit, angelis subjecit Deus Pater orbem crediturum de quo loquimur, dicendo ex persona Dei Patris ad Filium, *ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, sed Filio suo tradidit illum, cui ipse dicit in psalmo : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II).
C Unde et ipse Filius congratulans sibi traditum orbem crediturum, dicit : *Ego autem constitutus sum rex ab eo* (*Ps.* II), id est a Deo Patre.

Testatus est autem in quodam loco quis dicens : Quia nomina prophetarum reticet in hac Epistola, quorum testimonia ponit, non causa invidiæ, aut abscondentis affectu hoc agit, sed narrantis voto et ostendentis intuitu, Hebræos multam habere scientiam divinarum Scripturarum, quibus ista scribebat, in tantum ut nec opus haberet nomen ponere dicentis. Hoc ergo testimonium ex Psalterio Davidico sumptum, est qualiter loquitur ad Deum Patrem : *Quid est homo ?* Suppresse et cum despectu pronuntiandum est istud, quid est homo ? subaudis fragilis, mortalis, cuducus et sequax Adæ, qui in veteri pec-
D cato originali pronitate est devictus. *Quod memor es ejus?* subaudis ita ut misericordiæ tuæ dona largiaris, tua est gratia, non illius meritum. Hominis memor est Dominus, quando ei peccata dimittit gratuita misericordia, et misericordiæ suæ dona largitur. Sequitur, *Aut Filius hominis*, subaudis quid est? Hoc quidem doctores referunt ad Christum, qui in Evangelio sæpissime filium hominis, id est filium Mariæ se vocat, ac propterea sub interrogatione sursum erigenda est vox, et est sensus : Quid promeruit ille homo assumptus a Verbo, ut Filius Dei fieret ? Quodque sequitur, *quoniam visitas eum*, ad genus humanum refertur, de quo paulo superius sub nomine hominis dictum est, quid est homo ; et est sensus :

A Quoniam visitas genus humanum per Filium tuum, et perpetuo largiris beneficia, non est meritum illius, sed tua gratia, ideoque subsistit, quia a te visitatur. Visitatio ad medicum et ægrotum pertinet. Nam visitationis officium dicitur medicus implere, quando ad infirmum quempiam ingreditur. Et genus humanum, quod infirmum et languidum erat, Deus Pater tunc visitavit, quando misit Filium suum, *qui Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (*Joan* I), de qua visitatione dicit etiam Zacharias pater beati Joannis Baptistæ : Visitavit nos Oriens ex alto (*Luc.* II): quidam doctores hoc quod dicit : *Quid est homo quod memor es ejus, aut Filius hominis, quoniam visitas eum ?* totum referunt ad genus humanum, hoc vero quod sequitur, referunt concorditer ad Christum.

B *Minuisti eum paulo minus ab angelis.* Per mortem corporis et opprobria passionis, minorem fecit Deus Pater Filium suum angelis, qui secundum divinitatem æqualis ei erat in omnipotentia deitatis, quia angeli immortales et impassibiles existunt. Minoratus est autem non necessitate, sed spontanea voluntate, sicut idem Apostolus alias ait : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit*(*formam servi accipiens, factusque est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II). Ex ea enim parte qua mori potuit Creator angelorum, minor factus est angelis. Bene autem dixit paulo minus et si mortale corpus assumpsit: peccati tamen maculam non habuit, *gloria et honore coronasti eum.* Psalmista loquitur ad C Deum Patrem de humilitate et exaltatione Filii Dei, dicens: *Minuisti*, inquit, *Filium tuum paulo minus ab angelis*, dum eum mortalem creasti, sed quia ille obediens tibi exstitit usque ad mortem, gloria et honore coronasti eum. Tale est illud quod Apostolus dicit in alio loco : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Ibid.*) Gloria ergo coronavit filium Deus Pater in resurrectione, honore autem in ascensione quando quadragesimo die resurrectionis suæ exaltavit illum super omnem creaturam. Aliter: Gloria coronatus est in multitudine credentium, videlicet cum post resurrectionis triumphum, credulitatem totius mundi in hoc quod homo est accepit, D honore autem in confessione paternæ majestatis, hoc est in eo quod in plenitudine paternæ gloriæ habitat; *et constituisti eum super opera manuum tuarum.* Per hoc quod homo factus est, constitutus est a Deo Patre super opera jussionis ejus, supra cœlestia videlicet, terrestria, et infernalia, qui secundum divinitatis potentiam, sicut cum Deo Patre omnia creaverat, ita cum illis omnia possidebat. Dicendo enim, *Constituisti eum super opera manuum tuarum*, omnis creatura monstratur subjecta esse illi, quia sicut potestate Verbi omnia creata sunt, ita ille homo assumptus a Verbo cum Verbo possidet cuncta.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, id est æternitati illius et potestati, ut omnis creatura illum adoret, et hoc est quod ipse post resurrectionis gloriam apparens discipulis suis dixit eis : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). *In eo enim quod omnia ei* subjecit, *nihil dimisit non subjectum ei.*. In eo, id est in hoc dono vel facto, quod ei omnia subjecit, nec cœlestia videtur excepisse, nec terrestria, ut diceret præter angelicam creaturam: sed ita conclusit, dicens : Omnia subjecit ei. *Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei.* Quid est quod Beatus Apostolus loquitur, nam cum dixisset, omnia subjecta esse Christo, statim subintulit, dicens : Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei? si omnia sunt ei subjecta, quomodo non sunt subjecta? Intelligendum est ergo hoc modo ut superius ubi dixit : Nihil dimisit non subjectum ei, ut intelligamus universalem subjectionem et voluntariam, scilicet per fidem, et necessariam, qua cogitur omnis creatura subjecta esse suo Creatori. Hic vero ubi dicitur : Necdum videmus omnia subjecta ei, tantummodo de voluntaria subjectione accipere debemus : qui per fidem constat quo in eum credere nolunt. Quia enim tunc temporis quando Apostolus ista loquebatur, Evangelii necdum prædicatio per totum mundum divulgata erat, necdumque omnes prædestinati ad vitam credebant, recte dixit : Necdum sunt ei omnia subjecta, et non solum tunc, sed etiam adhuc omnes prædestinati non credunt.

Eum autem qui modicum quam angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum. Hic aperte manifestat quia gloria et honor Christi crux ejus fuit, pro qua modicum minoratus est ab angelis moriendo pro nostra salute. Unde et Apostolus alibi cum dixisset, *factus obediens* est Patri *usque ad mortem, mortem autem crucis*, statim subsecutus est, dicens : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.* etc. Sic etiam ipse Dominus provocabat apostolos dicens : ut glorificetur Filius hominis. Sed si ille qui Dominus est ea quæ pro servis passus est gloriam vocat, multo magis tu homo quæ pro Domino pateris, tibi ad gloriam sempiternam pertinere non dubitare debes. Eum, inquit, Jesum videmus coronatum non oculis corporeis, sed oculis mentis: dum sedet in plenitudine paternæ majestatis, *ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Gratia Dei Patris appellatur Filius, eo quod nobis a Deo Patre gratis sit datus, et quod gratis pro nobis mortem sustinuit. Non enim debebatur nobis nostro merito, ut Filius Dei pro nobis gustaret mortem, sed ineffabilis gratia hoc fecit. Quod autem dicit pro omnibus illum gustasse mortem, quidam doctores ita absolute intelligunt ut dicatur pro omnibus pro quibus gustavit, id est pro electis ad vitam æternam prædestinatis. At vero quidam ita generaliter accipiunt, ut dicatur pro omnibus fidelibus atque infidelibus mortem gustasse, dicentes : Ipse quidem pro omnibus mortuus est, licet omnes non salventur. Et si omnes non credunt, ille tamen quod suum erat fecit. Unde beatus Prosper hanc ponit similitudinem : Est quili-

bet medicorum peritissimus qui veniens in civitatem A populosam ubi multi infirmi habentur, temperat potionem contra omnia genera infirmitatum, et convocat omnes, dicens : Venite, omnes populi qui variis infirmitatibus laboratis, et bibite ex hac potione, quam causa salutis vestræ præparavi : spondeo vobis cum obtestatione, quod si quis biberit ex ea medelam statim consequetur. Qui credunt verbis illius, accedunt, bibunt et sanantur : qui vero renuunt bibere, non sanantur, sed in sua infirmitate contabescunt. Quantum ergo ad medici devotionem pertinet, pro omnium illorum salute potionem temperavit, licet aliis non prosit, nisi his qui ex ea biberunt, ita et Christus, quantum in se fuit, pro omnibus mortuus est, quanquam non prosit ejus passio nisi solummodo his qui in eum credere voluerunt. Simulque no- B tandum quia non dixit Apostolus, subjacuit morti, sed proprie gustavit mortem, per quod velocitatem resurrectionis voluit ostendere. Brevi etenim tempore a morte potuit teneri, ut ea devicta, confestim victor resurgeret.

Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum consummari per passionem. Decebat, inquit, eum auctorem, scilicet salutis eorum, per passionem consummari, id est perficere omnium salutem per passionem Christi, qui est auctor salutis omnium credentium, et qui ante passionem suam multos filios adoptivos adduxerat in gloriam fidei, spei et charitatis, qui certam spem habebant gaudia patriæ cœlestis et æterni regni hæreditatem se posse C percipere; vel certe per passionem decebat eum perficere omnia quæ de illo prædicta erant. Unde ipse dixit pendens in cruce : *Consummatum est* (*Joan.* XIX). Propter, quem omnia id est per mortem ejus restaurata sunt omnia cœlestia et terrestria : homo scilicet redemptus et numerus angelorum redintegratus. Per quem omnia, subaudis facta sunt, juxta quod Joannes dicit, *omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I). Videsne quantum est in medio nostri, nobisque conjunctus est ? Ipse Filius et nos filii, ille proprius et nos adoptivi : sed ille salvat et nos salvamur. Vides quomodo nos conjungit et discernit ? Nam cum dicit, *multos filios adduxit in gloriam,* hic conjunxit : cum vero addit, auctorem salutis eorum, hic discernit. D

Qui enim sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes. Quis est qui sanctificat? Christus per fidem passionis suæ et per donum baptismatis. Qui sunt qui sanctificantur? Omnes credentes qui sanctificantur fide passionis Christi et gratia baptismi. Sed qui sanctificat Christus, et nos qui sanctificamur, ex uno Deo Patre omnes sumus, quia ab illo omnia originem acceperunt. Unus est enim Deus, per quem et a quo omnia. Sed aliter ille, aliter nos. Ille quasi proprius Filius potest sanctificare, nos vero quasi adoptativi ab illo sanctificamur. Attamen unum habemus Patrem in cœlis, ille proprium, nos adoptivum. *Propter quam causam,* subaudis quia et ipse et nos ex uno Deo Patre sumus, licet discrete, *non confunditur fratres vocare eos,* qui sunt filii adoptivi, *dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* Cum dicit, non erubescit fratres eos vocare, ostendit nos esse eamdem fraternitatem nostræ humilitatis, sed in misericordia ejus multa, et humilitate maxima qui nos fratres elegit sibi : hoc quoque prophetico affirmat testimonio ne quasi novum putaretur, et non multo ante prædictum. Ait enim : *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* Post sacram passionem et venerandam resurrectionem, promittit se gloriam divinitatis paternæ, et nomen ejus quo pater dicebatur toto orbe divulgaturum. Nuntiabo dicit, id est narrari faciam a prædicatoribus meis mihi a te datis. Nam resurgens a mortuis dicit mulieribus : *Ite nuntiate fratribus meis,* (*Matth.* XXVIII) ; et ad Mariam : *Vade ad fratres meos* (*Joan.* X), *et dic eis.* Fratres autem dicuntur et qui diligunt et qui diliguntur; addit vero : *In medio ecclesiæ laudabo te.* In medio Ecclesiæ, hoc est in cœtu fidelium laudavit Deum Patrem Filius quando apostolis reversis a prædicatione dixit : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ,* id est laudo et glorifico te, quia *abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Luc.* X). Ipse quoque quotidie in medio Ecclesiæ laudat Deum Patrem, dum fideles quique ejus passione et resurrectione redempti, ejusque baptismate abluti, indefessas laudes Deo Patri referunt corde, ore et opere: his enim tribus modis laudandus est Deus. *Et iterum : Ego ero fidens in eum,* hoc est in Deum Patrem. Vox est Filii Dei de Deo Patre ex parte humanitatis loquentis. Nam homo susceptus a verbo, totam confidentiam suam in Deum Patrem positam habebat, unde dicebat : *Pater, clarifica Filium tuum* (*Joan.* XII). Et pro fidelibus suis supplicans aiebat : *Pater, volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum* (*Joan.* XVII). Quos etiam exhortans ut confidentiam haberent, dixit : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI).

Et iterum : Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Deus. Hæc duo testimonia sumpta sunt ex oraculo Isaiæ prophetæ loquentis in persona Filii Dei. Isti autem sunt pueri, sancti videlicet apostoli, quibus Dominus ait : *Pueri, nunquid pulmentarium habetis* (*Joan.* XXI) ? Qui bene pueri vocantur propter innocentiam et humilitatem, de qualibus ipsa Veritas dicit : *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum* (*Matth.* XIX).

Quia ipse pueri communicaverunt carni et sanguini : et ipse similiter participavit eisdem. Hoc de apostolis, omnibusque fidelibus dictum est, quia per hoc fratres fuerunt Domini, quia verum corpus et sanguinem habuit, sicut et illi habuerunt. Quo loco confunditur Manichæus cum suis, qui ausus est dicere Deum verum corpus non habuisse, cum Apostolus dicat, quia assumendo carnem particeps exstitit illorum. Sicut enim illi pueri, et nos carne et sanguine, constamus : sic et Christus participavit carni et sanguini, homo factus, et sicut Christus communicavit

nostræ substantiæ per assumptionem hominis, sic et nos participes ejus sumus per assumptionem corporis et sanguinis ejus. Quare autem communicaverit Christus carni et sanguini, in sequentibus manifestat, dicens : *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam erant obnoxii servituti*. Admirabile, quiddam hic demonstrat Apostolus, ostendens diabolum per hoc devictum a Christo, per quod potestatem tenebat in mundo. Arma quæ fuerunt illi quondam fortia adversum mundum, hoc est mors, per ea illum Christus percussit, sicut David abstracto David Goliæ gladio, in eo caput illius amputavit in quo quondam victor ille solebat fieri. Quia ergo diabolus, per mortem hominis in mundo principatum præsumpserat, per mortem Christi temporalem vinci debebat. Quapropter participavit Christus carni et sanguini, ut mori potuisset ad tempus, sicque dum mortuus est, qui peccatum non fecerat, destruxit diabolum qui peccatum attulerat, per quod mors in orbem venerat. Sive etiam in hoc destruxit diabolum et mortem, qui semper mortuus est peccato, dum non peccavit. Destructo autem imperio diaboli, liberavit electos suos, qui timore mortis per totam vitam suam quandiu vivebant in hoc sæculo, obnoxii, id est debiti et astricti erant servituti mortis et diaboli. In hoc enim timebant mortem, quia servi erant mortis, dum omnes morti subjacebant.

Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Quod superius dixerat, pueros communicasse carni et sanguini, et quia Christus participaverit eis, exsequitur amplius hunc sensum, volens ostendere unde participaret eis, et dicit : Nusquam, id est in nullo loco, neque in cœlo, neque in terra angelicam creaturam assumpsit, sed corpus humanum de semine Abrahæ assumpsit. Quibus verbis favet illis blandiendo, quod semen illorum assumpserit. Quia ergo homo redimendus erat morte Filii Dei, non angelus, idcirco non angelicam naturam assumpsit, quæ mortem non potest pati, sed humanam in qua mori potuisset. Nec angelis tanta est dignitas collata, ut in una persona eorum naturæ Filius Dei conjungeretur : quam dignitatem et honorem humanæ naturæ divina gratia contribuit, ut Deus et homo una esset persona. Et quare dixit apprehendit, quod pertinet ad fugientem, quia nos quasi recedentes a se, et longe fugientes insecutus apprehendit.

Unde debuit per omnia fratribus assimilari. Pro hac, inquit, ratione, quia non assumpsit angelicam naturam, sed humanam de semine Abrahæ, debuit per omnia assimilari fratribus. Quid est per omnia? id est natus est, educatus, crevit, esuriit, passus est ac mortuus, ut per omnia ista similis esset fratribus, qui hujusmodi conditioni subjecti sunt et connexi. Sed fortasse quærit aliquis, quare homo sit reparatus potius quam angelus lapsus? Cui respqndendum est, hominem non tantum deliquisse, quantum diabolum. Ille enim diabolo suadente peccavit, diabolus vero A nullo suadente, sed superbiendo corruit. Homo quoque, quia corpus habebat, manducare indigebat : diabolus autem, quia spiritus est, totus inexcusabilis est. Fuit et tertia causa, videlicet quia homo necdum pervenerat ad locum ubi æternaliter cum Deo regnaturus erat, sed in paradiso terreno morabatur, de quo transferendus erat in cœlum completo numero electorum : diabolus autem in cœlo jam erat collocatus, *ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Misericors dicitur a misero corde, videlicet quia miseriam sustinet et cognoscit per experimentum misereri. Itaque non fuit alia causa illum per omnia fratribus assimilari, nisi ut misericordiam nobis præstaret nos redimendo, et fidelis fieret verusque et potens pontifex ad Deum B Patrem interpellando pro nobis, nostrisque propitiaret peccatis. Hæc enim hujus miserandæ dispensationis causa fuit : vidit quippe humanum genus humo intentum, peccatorum vinculis ligatum, et misertus est ejus sicut fidelis pontifex, reconcilians nos Deo Patri, et reconciliando purgans. Ministerium etenim sacerdotis atque pontificis est fidelem esse, ut possit eos quorum sacerdos est liberare a peccatis. Pontifex quoque dicitur eo quod pontem, id est viam præbeat suis sequacibus suo bono exemplo, ita et Dominus pontem fecit nobis, id est bonam viam ostendit, cum diceret : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Pontem etiam nobis fecit, quando aperuit nobis januam regni cœlestis. Ubi modo consistit, Deum Patrem interpellans pro nobis.

C *In eo in quo passus est ipse et tentatus, potens est eis qui tentantur auxiliari.* In eo, inquit, in homine in quo tentatus est ipse a diabolo, sed non superatus, et passus a ministris illius, potens est vinctos liberare, tentatosque adjuvare ne vincantur : quia tentationes nostras et passiones, non solum sicut Deus cognoscit, sed etiam sicut homo experimento probavit, ac propterea non solum per hoc quod Deus est potest nobis auxiliari, sed insuper per hoc quod homo est, quoniam ejusdem potestatis est homo assumptus a verbo, cujus erat et idem verbum.

CAPUT III.

D *Unde, fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut et Moyses in omni domo ejus.*

Fratres eos vocat tam carne quam spiritu, qui ex eodem genere erant, eamdemque fidem habebant; sanctos quia sanctificati fuerant fide passionis Christi et aqua baptismatis, qui participes erant cœlestis vocationis, hoc est patriæ cœlestis, ad quam Dominus omnes vocat, dicens : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Considerate apostolum et pontificem fidei nostræ Jesum. Apostolus Græce, Latine dicitur missus. Et Dominus Jesus apostolus noster est, quia gratis a Deo Patre nobis missus est, sicut ipse testatur, dicens : *Non sum*

missus nisi ad oves perditas *domus Israel, et sicut misit me Pater et ego mitto vos* (*Matth*, XV; *Joan.* XX). Unde et idem egregius prædicator alio in loco dicit: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* (*Gal.* IV). Pontifex autem confessionis nostræ est, quia confessionem fidei nostræ prætendit ante Deum Patrem qui fidelis est ei, id est Deo Patri qui fecit illum, juxta quod alibi dicitur, quia factus est ei ex semine David secundum carnem. Notandum autem de humanitatis essentia hoc esse dictum in qua ipse fidelis fuit Deo Patri, *obediens* ei *usque ad mortem* (*Phil.* II). Nonne fidelis erat Deo Patri, quando omnia quæ agebat, non suæ gloriæ reputabat, sed Patri dicens: *Pater in me manens ipse facit opera?* Sicut et Moyses, inquit, fidelis erat in omni domo ejus. Domum Dei hic populum debemus intelligere, plebem scilicet Israeliticam, cui Moyses præpositus erat a Deo, de qua domo dicit Isaias: *Vinea Domini domus Israel est*, et iterum exhortando: *Domus Jacob, venite et ambulemus in lumine Dei* (*Is.* II, V). In qua domo Moyses fidelis fuit, id est devotus et bonæ voluntatis, defendens ea quæ Dei erant, sibique non usurpans gloriam Dei.

Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam. Hoc in loco aut erit hypallage in sensu, aut satis necessaria subauditio supponetur hoc modo. Tanto majoris gloriæ Christus præ Moyse dignus inventus est, quanto majorem honorem habet, subaudis Dominus domus qui fabricavit eamdem domum, sive tanto majori gloria Christus præ Moyse dignus inventus est, quanto majorem honorem habet fabricator a domo, quam ipse fabricavit. Redditque causam quare majoris gloriæ sit fabricator domus quam domus ab eo fabricata.

Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creavit, Deus, subaudis est. Hic factorem a factura discernit, utriusque domus auctorem Deum esse intelligi volens, et populi scilicet Israelitici, et gentilis.

Et Moyses quidem fidelis erat, hoc est, devotus et bonæ voluntatis *in tota domo ejus, tanquam famulus in testimonium eorum*, subaudis verborum, *quæ dicenda erant; Christus autem tanquam filius in domo sua* habitat, ordinans et disponens illam. Quanta differentia est inter famulum quem paterfamilias præponit domui suæ, et filium quem derelinquit hæredem, tanta distantia est inter Moysen et Christum. Moyses enim fidelis et devotus famulus fuit in domo Dei omnipotentis, hoc est in plebe Israelitica in testimonium eorum verborum, quæ per illum dicenda erant ad populum, quoniam testis erat verborum Domini ad populum, iterumque populi ad Deum; Christus vero libere ordinat domum suam, hoc est Ecclesiam suam, tanquam filius hæreditatem paternam. De qua domo subjungit Apostolus, dicens: *Quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.* Hortatur iterum Apostolus Hebræos fortiter stare in fide, et perseverare in bono opere, jungens se more

A solito illis. Domus, inquit, Dei sumus, si fiduciam, id est fidem rectam et gloriam spei nostræ firmam retinuerimus usque ad finem mortis nostræ, vel usque ad diem judicii. Gloria spei nostræ est, qua gloriamur nos in spe jam esse filios Dei, et quod modo tenemus in spe, credimus nos possessuros in re. Bona enim quæ nobis promissa sunt, in hac pœnali vita habere nequaquam possumus, quamobrem habentes fidem rectam, spem certam, exspectemus patienter præmia nobis a Domino promissa. Sequitur: *Quapropter, dicit Spiritus, hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, etc., usque ad *si introibunt in requiem meam.* De spe paulo superius locutus fuerat beatus Apostolus, quod oporteat sperare ea quæ futura sunt, et dat inde

B testimonium propheticum sub comparatione quodammodo illi perierunt, qui desperaverunt de potentia Dei, et quid promeruerunt pauci qui sub spe certa promissis Dei crediderunt. Quia ergo obscure beatus Apostolus locutus est, necesse est replicare hostiam Veteris Testamenti, ut manifestior fiat oratio. Eductus populus Israeliticus de Ægyptia servitute in signis et mirabilibus Domini, cum multam viam deserti perambulassent, pasti a Domino manna, aqua de petra potati, ejusque protectione tutati, consilium inierunt omnes mittere de singulis tribubus principes speculatores, qui deberent speculari atque considerare terram a Domino sibi promissam. Qui pergentes lustraverunt terram; reversique sunt post spatium quadraginta

C dierum ad multitudinem, nuntiantes terram fertilissimam, magnorumque fructuum procreatricem, sed habere urbes munitas, virosque inexpugnabiles esse in ea, ut pote de stirpe Enachim, hoc est gigantum. Israelitæ vero ingrati et insensati, quos oportebat recordari tantorum Dei beneficiorum, quomodo eos clausos in medio tanti exercitus Ægyptiorum eripuerit de periculis, fluviorumque fontes de petra sine defectu donaverit, manna tribuerit, aliaque innumerabilia beneficia eis contulerit, nec Deo crediderunt, desperantes de ejus potentia, nec horum aliquid rememorati sunt, sed timore desperabili perterriti, murmurando dixerunt: Utinam non introducat nos Dominus in terram illam, revertamur in Ægyptum. Deus igitur iratus quod sic cito obliti

D fuissent beneficiorum ac mirabilium ejus, juravit quod non esset intratura generatio illa in requiem et patriam olim patribus promissam, sicque illa sexcenta millia quæ egressa sunt de Ægypto perierunt, præter duos tantummodo: Caleph videlicet filium Jephonæ, et Josue filium Nun, qui seditionem populi compescere nisi sunt, creduli promissionibus Domini. Notandum autem tres requies ab Apostolo in hac Epistola commemorari: unam sabbati, qua requievit Deus ab operibus suis; secundam in Palæstina, in quam ingressi Israelitæ requieturi erant a miseria et laboribus multis; tertiam quoque quæ vera est requies, regnum videlicet cœlorum, ad quam quos pervenire contigerit, plenissime requiescent a laboribus ærumnisque hujus sæculi, de

qua hic Apostolus prophetando spiritaliter loquitur, A dicens: Quapropter, subaudis quia domus Dei sumus: si fidem rectam et gloriam spei firmam retinuerimus, *nolite obdurare corda vestra*, ne similia patiamini, qualia progenitores vestri passi sunt privati requie promissa. Hortabatur his verbis Apostolus Hebræos, ut non essent infideles et increduli, ne perderent requiem æternam sibi a Domino promissam, sicut perdiderunt patres eorum requiem temporalem, *Nolite*, inquit, *hodie obdurare corda vestra*, *sicut*, subaudis, obduraverunt patres vestri *in exercebatione*, in amaricatione, quando me ad amaritudinem provocaverint *secundum diem tentationis eorum in deserto*, *ubi tentaverunt me patres vestri* multis modis, dicentes : Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Et nunquid poterit nos introducere in B terram patribus promissam? Quod autem dicit *hodie*, non loquitur jam Psalmista ad illos qui mortui sunt in deserto murmurando contra Dominum, et increduli existendo, sed potius ad illos qui dominicæ prædicationis tempore fuerunt, apostolorumque, et usque ad finem sæculi futuri sunt. Hodie, inquit, id est in die Novi Testamenti, vel omni tempore quandiu dicetur hodie : Nolite obdurare corda vestra. Hodie namque pro sempiterno ponitur, id est, donec mundus et vita præsens manet. Sequitur : *Probaverunt et viderunt opera mea quadraginta annis*. Quod dicit, probaverunt opera et mirabilia mea, non est ita intelligendum, ut dicatur probaverunt, id est elegerunt causam gratiarum actionum, sed potius probatio hæc ad curiositatem est referenda et tentationem. Pro- C baverunt, inquit, opera mea, hoc est curiositatis causa exquisierunt tentantes utrum Omnipotens essem. Sed quid factum est? viderunt illa per quadraginta annos, et permanserunt ingrati. Potest quod dicit quadraginta annis, et ad sequentia jungi. Quadragenarius autem numerus mysticus in divina Scriptura habetur : Quadraginta diebus Dominus in deserto jejunavit, ut triumpharet de illo, per quem illi quadraginta annis murmuraverunt in eremo contra Dominum, consummataque tota gloria victoriæ in passione et resurrectione, quadraginta diebus D fuit cum discipulis antequam cœlorum altitudinem penetraret. Primis vero diebus quadraginta tentationem hujus sæculi ostendit, posterioribus quadraginta diebus consolationem, qua consolandi sunt in patria. Corpus enim ejus, id est Ecclesia, necesse est ut tentationes patiatur in præsenti sæculo (*Matth.* XVIII), ut postmodum pervenire possit ad gaudia patriæ cœlestis. Tamen et in præsenti non deest ille Consolator, qui dixit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Sequitur :

Propter quod, subaudis quia tentaverunt me causa curiositatis, et opera mea quadraginta annis probaverunt, *infensus fui generationi huic*. Plus est dici offensum sive infensum quam dicere iratum, quoniam qui irascitur facile potest ab ira removeri : qui vero infensus sive offensus fuerit, aut vix aut nullo modo potest placari ; ita omnipotens Deus offensus, id est valde et implacabiliter iratus fuit illis sexcentis millibus qui perierunt in deserto. Et dixit ad Moysen et Aaron, vel etiam ad Josue : *Semper hi errant corde*. Multis modis castigavit eos Dominus Deus omnipotens, sed illi semper corde erraverunt, a via veritatis et rectitudinis deviantes. Quicunque enim voluntati Dei non obsecundat, errat a rectitudine justitiæ. *Ipsi vero non cognoverunt vias meas*. Non cognoverunt dicit, hoc est non approbaverunt, nec elegerunt actiones meas et præcepta mea ; vel non cognoverunt, quia noluerunt ad hoc cognoscere ut tenerent et observarent illa. *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*. Si, aliquando ponitur pro affirmatione, aliquando pro dubitatione, aliquando pro negatione, ut in præsenti loco pro non, et in Psalmo dicente Propheta : *Si reddidi retribuentibus mihi mala* (*Psal.* VII), id est, non reddidi. Ordo verborum est : Non introibunt in requiem meam, sicut juravi in ira mea, hoc est in vindicta mea. Ira enim Dei vindicta est illius. Loqui Deum, magnum est : jurare vero, nimis metuendum. Cum enim omnis sermo illius pro juramento accipi debeat, quoniam semper verus est, dicitur aliquando jurare ad exaggerandam vim rei, et ut terrorem incutiat auditoribus. Sic dicitur et irasci more humano, cum semper ipse idem maneat, quatenus dum audivimus illum iratum, metuamus peccare. Quod autem dicit, non introibunt in requiem meam, hic (sicut supra dictum est) geminam requiem debemus intelligere ; unam terram repromissam Abrahæ, quam illi perdiderunt propter infidelitatem suam : alteram vero, vitam æternam de qua Apostolus spiritualiter loquitur, dicens : In qua non introibunt Judæi in infidelitate manentes.

Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo. Hortatur iterum Apostolus eos blandiendo, vocans eos fratres, et dans consilium quomodo intrare possint in requiem veram. Fratres mei carne, fratres etiam fide, videte, id est cavete, summaque diligentia attendite, ne forte sit in aliquo vestrum voluntas non bona, et cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo, sicut fuit in illis qui erraverunt in deserto adorando idola, et pereatis, sicut illi perierunt.

Sed exhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, *ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*. Quia illis Judæis scribebat, qui jam crediderant et inter quos tales erant qui alios in fide, spe, bonisque operibus exhortari poterant, ideo taliter loquitur : Exhortamini, inquiens, vos invicem, et corrigite vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur ; id est omni tempore præsentis vitæ in quo est spatium pœnitendi. Si quisquam peccaverit, non desperet de venia quandiu vivit, nec obduretur aliquis vestrum fallacia peccati ; id est, desperatione decipiente peccato infidelitatis, quasi per pœnitentiam non possit promereri indul-

gentiam. Ille enim qui satis perfecte non credit, solet plerumque in desperationem ruere, redditque causam, quare nemo debeat desperare de venia dicens:

Participes enim Christi effecti sumus. Christo participamur et conjungimur, ut pote unum cum illo existentes. Si quidem in hoc participamur illi, quia ipse caput nostrum, et nos membra illius, cohæredes et concorporales illi, secundum spiritalem hominem qui creatus est in ipso. In eo etiam participamur illi, quia corpus et sanguinem ejus sumimus ad redemptionem nostri, quapropter non est desperandum. *Si tamen initium substantiæ usque ad finem firmum retineamus, dum dicitur : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* contra Deum in infidelitate, *quemadmodum in illa exacerbatione*, subaudis obduraverunt patres vestri corda sua. Initium substantiæ Christi dicit fidem Christi, per quam subsistimus et renati sumus, quia ipse est fundamentum omnium virtutum. Et bene substantiam eam vocat, quia sicut corpus anima subsistit et vivificatur, ita anima fide subsistit in Domino et vivificatur, ac sine fide quasi nihil est. Unde dicit per prophetam (*Habac.* II) : *Justus autem* meus *ex fide vivit.* Et idem egregius prædicator : *Sine fide*, inquit, *impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI). Substantia autem Christi appellatur fides, vel quia ab illo datur, vel certe quia ipse per eam habitat in cordibus fidelium ; juxta quod idem Apostolus alias dicit, optando *in interiore homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (*Ephes.* III). Tunc ergo veraciter Christi participes sumus, si fidem ejus usque ad finem mortis nostræ, vel usque ad diem judicii firmam retinuerimus omni videlicet tempore, quandiu dicitur nobis per prophetam : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non omnes, *qui profecti sunt ab Ægypto per Moysen.* Illius historiæ tacite mentionem facit, quando reversis exploratoribus dixerunt murmurando (*Num.* XIV) : *Utinam non introducat nos Dominus in terram illam ;* Josue autem et Caleb glorificaverunt Deum dicentes ad omnem multitudinem : *Potens est Dominus introducere nos ad terram illam.* Quidam ergo audientes verbum Dei de promissione et sermone exploratorum, ad amaritudinem provocaverunt eum ob incredulitatis et desperationis malum, sexcenta videlicet millia, quorum corpora prostrata sunt in deserto ; sed tamen non exacerbaverunt eum omnes qui profecti sunt ex Ægypto : quoniam Josue et Caleb ex tanta multitudine glorificaverunt illum, unde et meruerunt terram repromissionis non solum possidere, sed etiam aliis per sortem dividere. Quare autem Apostolus hoc prosequatur sensus est : Audierunt illi omnes verbum Dei de promissione terræ repromissionis, sicut et nos audivimus de patria cœlesti ; sed, quid profuit illis sermo auditus ? Nolite ergo putare quod ex auditu tantum prædicationis introitus sit in requiem Dei, nisi adhibita fuerit fides de corde puro.

Quibus autem infensus est quadraginta annis? nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto? Quibus autem *juravit non introire requiem suam nisi illis qui increduli fuerunt ?* Id est, illis qui dubitaverunt quod potuisset eos Dominus inducere in terram repromissionis. *Et videmus*, id est intelligimus, quoniam *non potuerunt* intrare in requiem ipsius illa sexcenta millia *propter incredulitatem.*

CAPUT IV.

Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ipsius, existimetur aliquis ex vobis deesse. Timeamus, inquit, perditionem illorum, justumque judicium Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua, ne forte relicta et neglecta pollicitatione fidei, quam Deo dedimus in baptismate introeundi in requiem patriæ cœlestis, et revertamur iterum ad opera infidelitatis, quæ abdicavimus coram multis testibus. Potest et de illa pollicitatione intelligi, quam Dominus promisit nobis dicens : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Et ipse ergo nobis illam requiem promisit et nos spopondimus nos intraturos in eam tempore baptismatis. Quamobrem laborate, ne existimetur aliquis ex vobis deesse ab illo regno, hoc est, ne aliquis vestrum minus dignus inveniatur introeundi in requiem Dei. Loquitur Apostolus more viatorum proficiscentium de una regione in aliam, quibus solet dicere is qui omnibus dicit : Videte ne quis vestrum in itinere remaneat, ut simul omnes pervenire possimus quo tendimus ; sed etsi cujus jumentum præ lassitudine defecerit, sublevate invicem ejus sarcinas, ne forte ob hoc in via remaneat. Electi enim in præsenti sæculo, quasi in via sunt tendentes ad patriam ; sed ne aliquis remaneat, qui non possit pervenire ad patriam cœlestem, simplices quique et infirmi sublevandi sunt opere et auxilio fortium, juxta illud : *Alter alterius onera portate* (*Gal.* VI).

Etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodum et illis. More solito jungit se Judæis qui tunc temporis erant, et dicit : Etenim omnibus nobis Judæis nuntiatum est ut intremus in requiem patriæ cœlestis quemadmodum et illis qui egressi sunt ex Ægypto, nuntiatum est ut intrarent in requiem terræ repromissionis ; nobis tamen per Filium, illis autem per famulum. *Sed non profuit sermo auditus non admistus fidei ex his quæ audierunt.* Sermo quem audierunt illa sexcenta millia per Moysen de requie terræ Palestinæ, non profuit illis, quia non fuit admistus et conjunctus fidei, et contemperatus fide ex his promissionibus quas audierunt. Tunc enim prodesset eis sermo auditus si credidissent, quoniam tunc esset contemperatus fide. Quoniam vero non crediderunt, non fuit conjunctus fidei, ideoque nihil eis profuit quod audierunt, quoniam in eam intrare non meruerunt. Post hæc verba exhortationis subjunxit Apostolus, dicens :

Ingrediemur enim in requiem ejus qui credidimus: quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Isto in loco ad completionem sensus, necesse est aliquid adjicere. Ingrediemur inquit in requiem patriæ cœlestis, a Deo nobis promissam subaudis, ne forte dicatur nobis si increduli fuerimus, quemadmodum dixit illis qui non introierunt, si introibunt, id est, non introibunt in requiem meam. Quibus verbis hortatur omnes intrare in requiem Domini, ne forte nobis dicatur ob infidelitatem quod illis dictum est. Nam sicut certum est quod increduli non introibunt, sic certum fixumque habetur quod creduli introibunt. *Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis*, id est ornatu mundi perfecto.

Dixit quodam loco de die septima sic : Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. In Genesi dixit Deus per Moysen istud (*Gen.* II). His verbis vult Apostolus ostendere, aliam esse requiem meliorem ad quam vocati sumus, quam fuerit illa in Palestina, ad quam Judæi vocati sunt; nec dicit nos intraturos in illam quæ fuit in Palæstina, sed ostendit illos non intrasse propter duritiam cordis sui, nec in Palæstinam, nec in requiem cœlestem. Dicit ergo de prima requie sic : Requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Requievit quidem a conditione novarum creaturarum, sed non requievit a gubernatione eorum quæ fecerat, et ut quotidie ex ipsis etiam nova producat. Unde Veritas in Evangelio Judæis dicit: *Pater meus usquemodo operatur et ego operor (Joan.* V). Non enim plus est Deo mundum ex nihilo creare, quam factum gubernare. Præmissa ergo prima requie septimi diei, in qua requievit Deus, subjunxit secundam quæ promissa est populo Dei dicens : De illa quidem quodam loco ita dixit Deus per Moysen *et in isto* loco *rursum* dicit : *Si introibunt in requiem meam. Si* vero conjunctio, sicut jam supra dictum est, pro affirmatione, pro dubitatione et pro negatione accipi potest. Superius namque pro negatione duobus in locis posita est ; ubi ait jurasse Deum propter incredulitatem illorum, si introibunt in requiem meam, id est non introibunt : hic vero pro affirmatione potest accipi, sub alio sensu, sicut Joannes Chrysostomus aliique doctores exponunt, quasi diceret : Si introibunt in requiem meam, subaudis bene habebunt, et hoc de requie quæ fuit in Palæstina accipe. Unde protinus additur :

Quoniam ergo superest quosdam introire in eam, et hi quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem, ideo dixit : Quoniam superest vel restat quosdam intrasse in requiem terræ promissionis, et quia pauci intraverunt in eam requiem quæ fuit in Palestina, id est duo tantum Caleb et Josue, ex omnibus illis qui de Ægypto exierunt, hi, id est sexaginta millia quibus prioribus annuntiatum est, non intraverunt in eam, sed cadavera eorum prostrata in deserto. *Iterum terminat diem quemdam hodie in David dicendo, post tantum* A *temporis, sicut supra dictum est : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Ordo verborum est : Post tantum temporis quo illi murmuraverunt, et mortui sunt in deserto, terminavit, hoc est statuit et definivit Spiritus sanctus iterum quemdam diem ; tempus videlicet Novi Testamenti, dicendo per David : *Hodie*, sicut supra dictum est, ubi Apostolus ex persona prophetæ locutus est : *Hodie si vocem ejus audieritis* etc., quasi diceret aliis verbis: O Judæi concives mei, nolite putare quod istud quod David dixit: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, ad illud tempus pertineat quo illi murmuraverunt in deserto, vel quod causa salutis illorum dixerit, qui jam mortui erant : quoniam ad aliud tempus pertinet, ad tempus videlicet B Novi Testamenti. A die enim murmurationis eorum in deserto, multum tempus est usque ad David et usque ad nos, quibus David ista proloquebatur. Considerandumque simul diem pro tempore Dominici adventus, Novique Testamenti accipiendum, et quid dicit in David, tale est quasi per David. Mutavit enim propositionem more solito. Potest et ita intelligi quod dicit : Terminat diem quemdam, hoc est, terminum et finem imponit Spiritus sanctus præterito tempori, quod fuit a die murmurationis illorum, et dat initium alteri tempori, dicendo per David, *Hodie*, etc. Sequitur:

Nam si eis Jesus filius Nave, ductor populi Israelitici, *præstitisset requiem*, subaudis veram, *nunquam de alia* requie *loqueretur* David, *posthac die*, id est C deinceps, postquam illam adepti essent. Hic ostendit tertiam quamdam requiem de qua David dixit, *Hodie*, etc., non illam significans, ad quam Jesus filius Nave populum introduxit, sed aliam quamdam multo excellentiorem, ad quam non typicus Jesus, sed verus introducit quotidie eos qui sunt ejus. Si enim Jesus filius Nave veram præstitisset requiem populo, cujus ductor existitit, nequaquam de alia requie loqueretur David postea. Certum est enim quia futurum est quosdam accipere, quæ per illam significata est, quæ fuit in Palæstina.

Itaque, subaudis quia Jesus filius Nave non præstitit veram requiem populo cui præerat, *relinquitur*, id est reservatur in futurum, *sabbatismus populo Dei.* Veram requiem patriæ cœlestis sabbatismum vocat, D alludens ad nomen, quoniam Judæi requiem sabbatismum dicebant. Requies ergo cœlestis sabbati populo Dei credenti veraciter reservatur in futurum, vita scilicet æterna, quæ præcellit sabbatum legis ; quoniam in illo requiescebant tantum corpora, in ista autem animæ populi Dei. Unde sequitur :

Qui enim ingressus est in requiem ipsius, hoc est, Dei omnipotentis, quæ est vita æterna, *etiam ipse requievit ab operibus suis*, terrenis omnibusque laboribus, *sicut a suis Deus*, requievit die septima. Requies Dei perfectio operum illius intelligenda est, videlicet dum sexto die finita primordiali rerum creatione, in septimo cessavit a creatione novarum rerum. Per illam vero requiem Dei, quæ est æterna,

studiose provocat nos ut ad requiem æternæ beatitudinis illam, quam sabbatismum appellat, totis nisibus anhelemus. Quisquis ergo istud Dei sabbatum intraverit, requiescet perpetuo ab omni labore et opere, sicut Deus requievit a creatione novarum rerum.

Festinemus ergo ingredi in illam requiem ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Magna quidem res et salutaris est fides, quoniam sine hac non est salvari possibile alicui, sicut scriptum est: *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI). Quisquis Deo non credit, non salvatur; sed ad salutem non sufficit sola fides. Necessarium est etenim cooperari per dilectionem fidei, et conversari digne Deo, quia fides sine operibus mortua est. Proinde Apostolus, considerans felicitatem perpetuæ vitæ, hortatur dicens: Festinemus fide recta, operatione sancta introire in illam requiem patriæ cœlestis nobis promissam, ne aliquis nostrum incidat in idipsum incredulitatis exemplum et desperationis, in quod illi ceciderunt. Festinemus, inquit, quoniam non sufficit sola fides, sed debet addi et vita fidei condigna. Sufficienter enim exemplo parentum nostrorum docemur, ne in idipsum infidelitatis exemplum incidentes, in quod illi ceciderunt, talia patiamur, qualia illi passi sunt.

Vivus enim est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. Apostolo dicente et hortante, festinemus ingredi in requiem patriæ cœlestis, fide et operatione, ne aliquis nostrum incidat in idipsum infidelitatis exemplum, in quod illi ceciderunt, et eveniant nobis talia qualia illis evenerunt; qui prostrati sunt in deserto, poterant illi Judæi respondere: Nequaquam nobis talia evenient, quia non habemus prophetas et judices, per quorum ora nobis loquatur Dominus, sicut illi habuerunt: ideo quidquid egerimus, excusabiles erimus. Ad hæc Apostolus volens ostendere eumdem habere nos judicem quem illi habuerunt, qui illos propter incredulitatem damnavit, dixit, Non est ita: Vivus est enim sermo Dei et efficax. Sermo Dei Patris et Verbum Filius est, qui potentialiter interfecit illa sexcenta millia in deserto ob infidelitatem, quia ei noluerunt credere. Hic est sermo qui nunquam moritur, sed semper idem manet, juxta quod Psalmista dicit: *Tu autem idem ipse es, et anni tui*, id est anni æternitatis tuæ, *non deficient* (*Psal.* CI). Hic est sermo qui de seipso dicit: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum* (*Joan.* VIII). Si enim illi istum sermonem Dei servassent recte credendo et bene vivendo, viverent utique temporali et æterna vita, terramque repromissionis intrarent. Similiter et nos si servaverimus sermonem ejus vivemus, requiemque cœlestem intrabimus. Iste sermo Dei Patris, qui semper vivit cum Deo Patre, et per quem Pater omnia judicat, efficax est, hoc est ad operandum facilis, quia sine labore operatur: *Ipse enim dixit, et facta sunt*; et: *Omnia quæcunque voluit, fecit*, (*Psal.* CXXXIV, CXLVIII). Penetrabilior quoque est omni gladio ancipiti, hoc est ex utraque parte acuto, quia gladius materialis utraque parte acutus membra quidem dividere potest a corpore et penetrare secreta carnis, adeo ut animam a corpore faciat exire, ipsumque corpus in mortem redigat, sed tamen ipsam non potest dividere minutatim, neque secreta ejus penetrare. Unde Dominus dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X). Sequitur: *Pertingens* idem sermo Dei *usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.* Anima vivimus, spiritu, id est rationabilitate intelligimus. Vita nobis carnalis cum bestiis communis, ratio spiritalis cum angelis. Et sunt quædam peccata quæ pertinent specialius ad corpus quam ad spiritum: ut est homicidium, fornicatio, adulterium, furtum, sacrilegium, et cætera talia, quæ actu corporis perpetrantur. Iterum sunt alia quæ pertinent specialius ad spiritum quam ad corpus, ut est odium, ira, dolositas, invidia cæteraque hujusmodi quæ sine actu corporis constat. Et quia corpus anima vivificatur, non incongrue per animam possumus intelligere peccata corporalia: per spiritum vero peccata spiritalia, quæ in secreto mentis versantur. Iterum per compages debemus intelligere cogitationes quæ sibi invicem compaginantur et conjunguntur, dum una alteram subsequitur: per medullas vero subtiles intentiones, et hoc est quod subjungit, discretor cogitationum et intentionum cordis, cogitationes referens ad compages, intentiones ad medullas. Ita autem jungendus est iste versiculus: Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et divisionem spiritus, et pertingens usque ad divisionem compagum, et divisionem medullarum, et discretor est cogitationum et intentionum cordis. Sermo ergo Dei Patris intantum est efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, ut discernat inter opera carnis et opera spiritus, inter carnalia peccata et spiritalia, inter cogitationes bonas malasve, et intentiones bonas vel malas. Potest etenim cogitatio utcunque bona esse, et intentio mala. Verbi gratia, ut sub comparatione loquamur: Est quædam vidua, cujus possessio hæreditaria a fortiore invaditur, accedens autem ad judicem legisque doctorem, deprecatur quatenus suscipiat ejus causam sitque ei in auxilium, quatenus obtinere hæreditatem sibi abstractam possit, promittens ei, aut centum solidos aut etiam non modicam partem hæreditatis ejusdem. Qui judex ingrediens ecclesiam Dei, prosternit se in faciem, orans et dicens: Deus æterne, qui omnia juste judicas, et qui dixisti, judicate pupillos, defendite viduam (IV *Esd.* II), præbe mihi hodie auxilium, quatenus causam hujus viduæ obtinere possim. Hæc dicens, cogitatio quidem et verba bona sunt, sed intentio nequam; quoniam nisi vidua aliquid promisisset quod ille speraret se accepturum, nequaquam causam illius suscepisset. Hanc subtilitatem cogitationum et intentionum cordis discernit et

dijudicat sermo Dei, considerans quo animo vel quo desiderio quisque serviat in corde; tamque penetrabilis est sermo Dei, et ejus intuitus, ut omnia nostra quæ agimus vel cogitamus certius ab illo quam a nobis ipsis cognoscantur. Illum ergo habeamus semper in testimonium actuum nostrorum, cogitationumque vel intentionum nostrarum, quem judicem habituri sumus. Timeamus ejus præsentiam, cujus scientiam nullatenus effugere valemus. Unde sequitur.

Non est ulla creatura, invisibilis in conspectu ejus. Neque angelica creatura, neque humana invisibilis est in conspectu ejus. *Omnia autem nuda*, id est manifesta, *et aperta sunt oculis ejus*, hoc est, præsentiæ illius. Quomodo ergo potest illi aliqua res incognita esse a quo omnia facta sunt? Nec mirum si totus ubique totam suam cognoscat creaturam. Hinc maxime terruit Apostolus Judæos, dicens: *Omnia nuda et aperta* esse *oculis ejus*, *ad quem nobis sermo*. Quis est ad quem nobis sermo? ad quem nisi Filium, cui ipsi reddituri sumus rationem actuum nostrorum simulque cogitationum et intentionum.

Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus spei nostræ *confessionem*, id est fidem nominis ejus. Paululum in superioribus de divinitate Filii Dei disserens dixit omnia nuda esse et aperta oculis ejus. Nunc autem quia de carne loquitur, et de pontificatu illius disputat, qui semetipsum obtulit in ara crucis causa nostræ salutis. Ipse enim pontifex sive sacerdos, ipse et sacrificium. Pontifex namque dicitur eo quod pontem et viam præbeat populo. Et ipse Dominus viam rectitudinis nobis exhibuit per quam ambulare debemus, dicens nobis: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Et pontem ad patriam cœlestem perveniendi præstitit sanguine passionis suæ, et per undam baptismatis: vel quia ipse primus cœlos penetravit. Ergo Moyses ductor populi, cui promissa est requies transitoria, non intravit in requiem, quam sæpius populo promisit. Iste vero noster sacerdos melioris promissionis sponsor, faciens viam credentibus in se, primus intravit in requiem populo sibi credito promissam. Unde et magnum pontificem eum appellat, qui habet sempiternum sacerdotium, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Sic enim dixit de illo angelus ad Mariam: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur* (*Luc.* I). Ostendens etiam illum esse Filium Dei, dixit Jesum Filium Dei, quod nusquam de Moyse dicere voluit, sed potius eum famulum ejus dixit. Sequitur:

Non enim habemus pontificem qui non possit compati sive condolere *infirmitatibus nostris*. Hoc est dicere: Non ignorat quæ nostra sunt; venit enim per viam humanæ conditionis per omnia sine peccato. Quapropter non solum per hoc quod Deus est et omnia novit, cognoscit infirmitatem fragilitatis nostræ et potest misereri, verum etiam per hoc quod homo est nostri particeps factus in fragilitate carnis absque peccato, et cognoscit et indulgere valet.

A Multi pontifices ignorant eos qui in tribulatione sunt constituti, neque quæ sit tribulatio in quolibet sciunt. Impossibile est quippe eum afflictiones afflictorum scire, qui in experimentum afflictionis non habuit, et sensibiliter omnia non sustinuit. Pontifex autem noster competenter omnia sustinuit quæ fuerunt illata humanæ miseriæ post peccatum primi hominis et tunc in interiora velaminis ad thronum paternæ majestatis ascendit. Unde et sequitur: *Tentatum autem* habemus pontificem *per omnia* testamenta *pro similitudine*, subaudis carnis peccati, *absque peccato*. Tentatus quidem est Christus multis modis per omnia tentamenta, sed non est superatus in tentationibus, quin potius probatus victor gloriosus exstitit. Tentamenta autem quibus tentatus est, hæc fuerunt:
B Esuries, sitis, tentatio diaboli, persecutio plurimorum, sputa, accusationes, calumniæ, repulsio a propria gente, ad ultimum crucifixio. Tentatus est siquidem his modis pro similitudine carnis absque peccato. Sed cum in veritate Christus veram carnem habuisset, quare dicit pro similitudine carnis absque peccato illum esse tentatum? In hoc enim, quia homo factus est, veram carnem habuit: in hoc vero quia peccati carnem non habuit, absque peccato similitudinem carnis nostræ habuit, quæ est caro peccati. Nam *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore* ipsius (*I Petr.* II). Quod si peccatum habere potuisset, haberet utique jam non similitudinem carnis peccati, sed proprietatem carnis peccati. Caro enim nostra, caro peccati est, quia cum peccato concipimur,
C cum peccato nascimur; illius autem caro non fuit caro peccati, sed munditiæ et castitatis atque innocentiæ: quia sine peccato natus est, conceptusque, et sine peccato ab hoc mundo transiit. Quapropter non est tentatus in carne peccati, ut peccatum faceret, sed in similitudine carnis peccati, ut absque peccato maneret.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quia pontificem habemus qui scit compati infirmitatibus nostris, per hoc quod similia sustinuit, et potest adjuvare per hoc quod Deus est, quia jam penetravit propria virtute altitudinem cœlorum, hortatur Apostolus accedere nos ad
D thronum ejus cum fiducia, et dicit: Adeamus mente et contemplatione, per fidem quoque bonis operibus exornatam, ad thronum gratiæ, hoc est ad sedem Filii Dei, qui nobis gratis datus est a Deo Patre: et qui sedens in plenitudine paternæ majestatis, gratis potest dimittere nobis peccata nostra. Gratia namque Dei Filius illius appellatur, nobis gratis datus, juxta quod idem Apostolus in hac eadem epistola manifestat dicens (*Hebr.* II): Gratia Dei pro omnibus gustavit mortem. Et quare debeamus accedere ad thronum ejus fide et devotione, subsequitur, inquiens: Ut misericordiam consequamur, id est remissionem peccatorum et gratiam donorum Spiritus sancti, sive indulgentiam inveniamus in auxilio opportuno, id est in præsenti sæculo. Nunc enim opportunum tem-

pus est auxilii et misericordiæ ipsius, de quo idem Apostolus alias dicit : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (II Cor.* VI); et de quo propheta : *Tempore*, inquit, *accepto exaudivi te (Isa.* XLIX). Cui enim in præsenti sæculo misericordiam præstat, dimittendo ei peccata, et gratia donorum spiritalium replet, illum utique in futuro regno secum regnare promittit. Et quia pontifex noster est sedens in throno gloriæ paternæ, omnia tribuit quæ nobis ad salutem provenire certissimum est.

CAPUT V.

Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ pertinent ad Deum ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, qui possit condolere his qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate ; propterea debet quemadmodum et pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. In his verbis quædam ponit Apostolus communia Christo et sacerdotibus legis, quædam vero altiora pertinentia proprie ad Christum : et iterum quædam humiliora pertinentia solummodo ad sacerdotes veteris legis. Nam quod ait, omnis pontifex ex hominibus assumptus, sicut Aaron et Christus, pro hominibus constituitur in his officiis quæ ad Deum pertinent, orando pro illorum salute, hoc commune est Christo et illis sacerdotibus. Pontificis enim officium est inter Deum stare et populum, et Deum deprecari pro populi delictis. Hoc et Christus per hoc quod et homo et Deus est fecit, seipsum offerens pro peccatis nostris, *semper vivens ad interpellandum* Deum Patrem *pro nobis (Heb.* VII). Semel quidem ex hominibus assumptus, semper pro hominibus interpellat. Iterum quod dicit, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, ex parte commune est, et ex parte minime, atque dissimile. Nam in hoc quod Christus sacrificium obtulit pro populi delictis, quod et illi agebant quædam communio est : sed in hoc quod ille pro se non obtulit, sicut illi pro suis delictis hostias offerebant, jam non est communio. In hoc quoque dissimilitudo existit, quia illi irrationabilia offerebant sacrificia, boves scilicet, arietes, hircos, et cætera talia ; Christus vero rationabile animal pro totius mundi salute obtulit, hoc est, seipsum, qui est agnus immaculatus, juxta quod Joannes, dicit : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (Joan.* I). Reliqua quæ jam sequuntur, non sunt communia. Etenim quod dicit, qui possit condolere his qui ignorant et errant, hoc est qui ignoranter peccant et errant : quoniam et ipse circumdatus est infirmitate carnis, in qua tentari potuit per omnia pro similitudine carnis peccati absque peccato. Hic jam excellentia est pertinens ad Christum, de qua paulo superius plenius disseruimus. Per hoc enim quod similia passus est, potens est compati ; et per hoc quod Deus est, in utraque substantia potens est misereri. Quod vero adjunxit, et propterea debet quemadmodum et pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis, hoc ad sacerdotes legales sive nostri temporis, magis pertinet quam ad Christum, qui peccatum non fecit. Potest et illud quod dixit, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, referri ad sacerdotes legis, sive nostros, ita ut infirmitas accipiatur pro peccato : et quia ipsi circumdati sunt infirmitate carnis, hoc est peccato, indigent ut pro populo, ita et pro se offerre. His verbis ostendere voluit Apostolus quod sit pontifex, et demonstrare quæ pertineant ad pontificem, et quid sit ejus ministerium, et quæ sint signa pontificatus, videlicet ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, sciens condolere his qui ignorant et errant. At deinde disputare aggressus est, quomodo quis ad sacerdotium accedere debeat, dicens :

Nec quisquam sumet sibi honorem sacerdotii, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron, subaudis vocatus est signo florentis virgæ, sive signo incendii illorum, qui ejus pontificatui invidentes, dignitatem sacerdotii affectando invadere moliebantur. His enim duobus signis ostensis, demonstratus est sacerdos a Deo electus. Confundit autem ac percutit beatus Apostolus sacerdotes cupidos honoris, et sacerdotii avidos, qui sponte immittunt se et ingerunt ad ministerium sacerdotale, non vocatione Dei vel voluntate, sed potius interventu munerum : quia non pro salute populi, sed pro ambitione sæculi hoc agunt.

Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed ille *qui locutus est ad eum : Filius meus es tu ; ego hodie genui te*. Glorifico, honorifico, clarifico, tria quidem sunt verba, sed unum sensum habentia : quod uno verbo Græce concluditur, dicendo ἐδόξασε : unde in interpretum varietate aliter atque aliter in Latino positum habetur. Nam quod in Evangelio evangelista dicit Dominum dixisse : *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est (Joan.* VIII), hic Apostolus clarificationem nominavit. Christus ergo semetipsum non clarificavit, id est non glorificavit, ut a semetipso pontifex fieret, pontificatusque honorem haberet, quia non erat a seipso. Et hoc est quod ipse in Evangelio dicit : *Non veni a meipso, sed ille me misit (Joan.* VII). Et iterum : *Ego gloriam meam non quæro, est qui glorificat me, Pater meus (Joan.* VIII). Sicut ergo a seipso non venit, quia a seipso non erat, suamque gloriam non quærebat, ita semetipsum non clarificavit, ut pontificatus honorem a seipso haberet, sed a Patre clarificatus est, qui locutus est ad eum die baptismatis, dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (Matth.* III). Quæ clarificatio sive glorificatio multo ante per prophetam, Spiritu sancto inspirante, prædicta est, loquentem in persona Filii Dei, et dicentem : *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te (Psal.* II). Et quia omnipotenti Deo omnia futura, quasi jam præterita aut præsentia sunt, quod ei post baptismum dicturus, quasi jam dictum habebat. Quapropter merito præterito tempore usus est, inquiens : Dominus dixit ad me. Nomine autem Domini Deum Patrem intelligere debe-

mus. Et ut in Christo unam personam esse credamus, adjecit : Ego hodie genui te ; hoc est dicere : Ego semper et æternaliter manens, semper te habeo Filium coæternum mihi. Hodie namque, adverbium est præsentis temporis, quod proprie Deo competit. Sequitur :

Quemadmodum et in alio loco dicit : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ex superiori versiculo ista pendent, ubi dicit Apostolus, quia Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed Deus Pater qui locutus est ei, *Filius meus es tu*, ipse clarificavit eum, quemadmodum et in alio loco dicit ipse ad Filium : *Tu es sacerdos in æternum*, etc. Considerandum autem Christum non esse sacerdotem secundum id quod genitus est a Deo Patre ante omnia sæcula, coæternus gignenti et consubstantialis verus Deus manens apud Patrem, sed secundum hoc quod natus est ex utero virginali in fine temporum homo factus, necnon propter victimam quam pro nobis obtulit a nobis acceptam, carnem videlicet ac sanguinem suum. Sed quare secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaron, dicatur existere sacerdos, diversæ causæ existunt. Et prima quidem est, quia Melchisedech secundum legalia mandata non fuit sacerdos, sed secundum cujusdam singularis sacerdotii dignitatem, panem offerens Deo et vinum, et non brutorum animalium sanguinem. In cujus ordine sacerdotii Christus factus est sacerdos, non temporalis, sed æternus : nec offerens victimas legales, sed instar illius, panem et vinum, carnem videlicet ac sanguinem suum, de quibus ipse dixit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (Joan.* VI). Ista quoque duo munera, panem videlicet et vinum, commisit Ecclesiæ suæ in memoriam sui offerenda ; unde patet sacrificium pecudum perisse, quod fuit ordinis Aaron et illud manere potius, quod fuit ordinis Melchisedech: quia et Christus illud corroboravit, et Ecclesiæ suæ tenendum reliquit. Secunda autem causa est, quia Melchisedech rex et sacerdos fuit, unctusque fuit non oleo visibili sicut sacerdotes legis, sed oleo Spiritus sancti. Et Christus hac gemina dignitate insignitus manet. Nam quod regiam dignitatem possideat, ipse manifestat dum dicit : *Ego autem constitutus sum rex ab eo (Ps.* II), id est a Deo Patre. Et post resurrectionem suam dixit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). Psalmista quoque dicit ad Deum Patrem : *Deus, judicium tuum regi da* (*Psal.* LXXI). Quod vero sacerdos existat, satis patet, quoniam seipsum obtulit in ara crucis pro nobis, et nunc interpellat Deum Patrem pro nostra salute. Quod etiam unctus sit non oleo visibili, sed plenitudine Spiritus sancti, Psalmista nobis innuit, dicens ad ipsum : O Deus, *unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV), hoc est, plenitudine Spiritus sancti. Tertia quoque causa est, quare secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaron Christus dicatur sacerdos, videlicet quia sicut de Melchisedech semel legitur in divina Scriptura, et de ejus sacerdotio, ita Christus semel semetipsum obtulit immolandum pro nobis. Sequitur :

Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Hoc non de Melchisedech dicit Apostolus, sed de Christo, volens certius exprimere quod pontifex noster egisset in suo vero sacerdotio. Quid est : In diebus carnis suæ? Hoc est, quandiu habitavit in corpore mortali, preces, supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerens ad eum, hoc est ad Deum Patrem. Dies carnis Domini nostri, dies sunt in quibus carnem assumpsit, in quibus tentatus est et passus, et in quibus mortale corpus inhabitavit. Omnia autem quæ ipse egit in carne, preces, supplicationesque fuerunt pro peccatis humani generis. Sacra vero sanguinis ejus effusio clamor fuit validus, in quo exauditus est a Deo Patre pro sua reverentia, hoc est voluntaria obedientia, et perfectissima charitate. Nonne cum lacrymis preces fundebat, dicens : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI ; *Marc.* XIV); et : *Pater, si fieri potest, transfer calicem istum a me?* (*Marc.* XIV ; *Luc.* XXII). Et quia voluntarie obediens fuit Deo Patri usque ad mortem, exaudivit illum Deus Pater die tertia eum suscitando, juxta quod Psalmista dicit : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV). Dicitur autem fudisse preces supplicationesque non timore mortis, quam sponte suscipiebat, sed potius causa nostræ salutis, voluntatem paternæ dispensationis præposuit voluntati carnis suæ, ut veram ostenderet in seipso naturam humanitatis nostræ. Notandum autem, quia reverentia secundum Cassiodorum duplici modo accipitur : aliquando pro amore, aliquando pro timore; hic vero pro summa ponitur charitate, qua Filius Dei nos dilexit, et pro summa obedientia, qui fuit obediens Patri usque ad mortem.

Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est obedientiam, et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech. Cum esset, inquit, Filius Dei in veritate, didicit obedientiam ex his opprobriis et tormentis quæ passus est, hanc voluntariam jam exhibuit Patri obedientiam, expertus illa ex parte humanitatis. Hanc obedientiam quam hic didicisse dicit Apostolus Filium Dei, hoc est voluntarie suscepisse, alio loco ostendit, ubi dicit : *Cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, factusque obediens* Patri *usque ad mortem* (*Phil.* II). In eo vero quod ait : Et consummatus, id est perfectus in sacerdotio, omnique obedientia factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, ostendit quantum lucrum sit ejus passio, ejus obedientia, quæ omnibus credentibus sufficit ad salutem æternam. Sequitur :

De quo, id est non de Melchisedech, sed de Christo, *grandis nobis sermo et ininterpretabilis ad dicendum,*

quoniam inbecilles facti estis ad audiendum. Illa difficultas interpretandi sermonem quem de Filio incarnato instituit, non fuit in ejus ignorantia cui revelata sunt mysteria a sæculis abscondita, sed potius in illorum tarditate, qui imbecilles, id est infirmi in fide, et fragiles sensu ad intelligendum profunda mysteria fuerunt, qui etiam pro tempore magistri debuerant esse, unde et ipse reddit causam dicens : Quoniam inbecilles facti estis ad audiendum, ac deinde subjungit :

Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, subaudis quo pene ab initio legem habuistis et prophetas, *rursum indigetis ut doceamini* a me, aliisque apostolis, *quæ sint elementa exordii sermonum Dei, et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Ad eos loquitur qui diu morantes in lege, exercitatum sensum debuerant habere de adventu Christi per dicta legis et prophetarum, per gratiam quoque quæ per eum credentibus allata est. Qui certe cum debuissent magistri esse gentilium propter tempus præteritum, in quo omnia superius memorata habuerunt, rursum indigebant ut docerentur ab illo cæterisque apostolis quæ sint elementa sermonum Dei. Elementa dicuntur quasi elevamenta, eo quod ex ipsis cætera originem sumant, initia videlicet et fundamenta creaturarum. A quibusdam etiam dicuntur elimenta per id est quasi fabricamenta, ab eo quod est elimo elimas, quasi ex eis fabricata sint omnia. Hic autem elimenta sive elementa duobus modis possumus intelligere, id est ut ipsos characteres et pronuntiationes litterarum, a quibus exordium sumunt sermones vel certe ipsa initia et fundamenta fidei. Quasi diceret : Hoc indigetis ut doceamini quæ sint elementa litterarum vel initia fidei, cum deberetis profunditatem mysteriorum intelligendo scrutari, et perfecti esse in fide. Facti estis, inquit, quasi infantes, quibus lacte opus sit, ip est simplici et rudi doctrina, non solido cibo. id est perfecta doctrina profundisque sermonibus vel mysteriis. Beatus Apostolus hanc habet consuetudinem, ut simplicem doctrinam lactis nomine designet, perfectam autem, solidum cibum appellet; unde dicit Corinthiis adhuc minus perfectis (*I Cor.* III) : *Lac vobis potum dedi, non escam,* quia necdum potestis capere. Lac ergo simplicis doctrinæ est incarnatio Filii Dei, passio, mors, resurrectio illius, ascensio in cœlos : solidus vero cibus perfecti sermonis est mysterium Trinitatis, quomodo Filius coæternus sit Patris, quomodo Spiritus sanctus procedat ab utroque, et quomodo tres sint in personis, et unus in substantia Deitatis. Sed qui non potest intelligere quod evangelista ait : *Verbum caro factum est*, quomodo poterit ad altitudinem sermonis ejus pervenire, ubi ait : *In principio erat Verbum? et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). Sequitur :

Omnis enim qui lactis est particeps, id est simplicis tantum doctrinæ, *expers est sermonis justitiæ,* hoc est, alienus est a discretione perfectæ justitiæ, quia nondum potest penetrare arcana mysteriorum nec scit ita ut expedit, discretionem facere inter bonum et malum, redditque causam quare : *Parvulus est enim*, subaudis sensu et intellectu. *Perfectorum autem* hominum *est solidus cibus*, id est qui perfectos habent sensus, illorum est alta et obscura sentire mysteria de Divinitate omnipotentis Dei; unde et sequitur : *Eorum*, dico esse solidum cibum, *qui pro consuetudine* lectionis *exercitatos habent sensus*, hoc est studiis litterarum extensos, *ad discretionem boni ac mali*, necnon ad discretionem veritatis ac hæreticæ pravitatis. Sicut enim parvulus inter cibum et cibum discernere nescit, et sæpe in innoxiis sumendis cibis periclitatur si non prohibeatur a seniore, ita indoctus quisque qui discretionem doctrinarum nescit, facile decipitur atque in via erroris periclitatur. Quapropter dicit, quia omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : quod enim in lacte et solido cibo, hoc in indocto et sapiente differt. Sicut lac parvulis congruit, et solidus cibus ætate perfectis, ita indoctis humilis sermo, et sapientibus arcanum mysterium nosse convenit : qui exercitatos habent sensus studio lectionis. Ex usu quidem lectionis et frequenti meditatione divinarum Scripturarum, efficiuntur sensus nostri exercitati et extensi ad majora intelligenda : unde Psalmista beatum esse virum dicit, *qui... in lege Domini* meditatur *die ac nocte* (*Psal.* I).

CAPUT VI.

Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur. Quapropter, quia exercitatos sensus decet nos habere in lege Domini, intermittentes sermonem inchoationis Christi ad profunda et alta mysteria Deitatis ejus ducamur. Sermonem inchoationis Christi vocat initium fidei, instructionem videlicet de nativitate Christi de passione, de resurrectione, atque ascensione ejus, et gratia baptismatis. Sicut enim eum qui litteris est imbuendus, elementa litterarum oportet primum audire, sic et Christianus debet his instrui primo omnium, et postmodum ad mysteria Divinitatis venire *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei*, fundamentum, subaudis non rursum jacientes, *ad Deum.* Fundamentum pœnitentiæ vocat unde primum instrui debet qui baptizandus est, si tamen ad ætatem intelligibilem pervenit, hoc est ut credat Dominum Jesum Christum genitum ex Deo Patre ante omnia sæcula, natum de Maria virgine in fine temporum pro salute generis humani, sine semine viri : passum, mortuum, resurrexisse tertia die, ascendisse ad cœlos, venturum ad judicium ut reddat unicuique secundum opera sua, resurrectionem corporum et immutabilitatem animarum, bonos in gloria, malos in pœnis manere, omnipotentem Deum trinitatem habere in personis, unitatem in substantia. Postquam ista omnia confessus fuerit se credere, debet confiteri peccata sua, sicque injungenda est ei pœnitentia aut quadraginta, aut viginti, aut septem dierum, sicut

in passionibus sanctorum legimus, ac deinde debet baptizari, abrenuntians diabolo et omnibus pompis ejus, omnibusque operibus ejus. Baptizatus vero debet plenius instrui de Divinitate, ut credat Patrem unigenitum Filiumque genitum, Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum, sed ab utroque procedentem : regula quoque vivendi secundum doctrinam evangelicam atque apostolicam qua debeat agere bona, et vitare mala. Quia ergo Judæi quibus Apostolus ita scribebat jam baptizati erant, jamque fundamentum superius descriptum perceperant, hortatur illos ad ista majora tendere, et opus non esse ut iterum illud fundamentum pœnitentiæ et fidei ad Deum jaciatur in illis. Idcirco autem fundamentum pœnitentiæ id vocat, quia, sicut dictum est, baptizandis pœnitentia prius injungebatur. Unde in Actibus apostolorum beatus Petrus dicit Judæis ad fidem concurrentibus : *Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.* II). Fundamentum quoque fidei ad Deum est, quia fides qua accedimus ad Deum, fundamentum est omnium virtutum. Non debet esse, inquit, necesse ut iterum jaciamus fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fundamentum fidei, per quam accedit ad Deum quod in vobis jactum est antequam ad baptismi gratiam venissetis. Pœnitentiam ab operibus mortuis agere est ipsa opera mala per pœnitentiam delere, quæ animam mortificabant. Opera namque mortis sunt peccata. Nam sicut anima vivificatur fide aliisque virtutibus, ita infidelitate moritur et peccatis. Sequitur :

Non rursum jacientes fundamentum baptismatum doctrinæ. Fundamentum baptismatum doctrinæ est institutio et doctrina baptismatis, videlicet quid contineat in se baptisma, et quid conferat ad fidem accedentibus. Sed quod dixit plurali numero baptismatum fundamentum, pro varietate accipientium posuit, non quod plura baptismata debeant intelligi, sed unum : quia sicut unus est Deus, et una est fides, ita unum baptisma. *Impositionis manuum* fundamentum non debemus rursus facere. Impositionem manuum appellat confirmationem per quam plenissime creditur accipiendus Spiritus sanctus, quod post baptismum ad confirmationem unitatis in Ecclesia a pontificibus fieri solet. His igitur perfecte in Ecclesia perceptis, fides resurrectionis et judicii futuri habenda est. Unde subjungit Apostolus, dicens : *Ac resurrectionis mortuorum et judicii æterni* fundamentum non debetis jacere, ut iterum instruamini de fide generalis resurrectionis et judicii quod dabitur justis pariter et injustis, quasi jam non sitis de his instructi. Notandumque ad omnia semper subaudiendum esse et non rursum jacientes fundamentum.

Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus, hoc est, et ad majora vos ducemus, et de his omnibus quæ enumeravimus, plenissime docebimus vos, ut non sit iterum necesse ex toto et a capite ponere fundamentum. Ne vero nullatenus quis secundum vel tertium existimaret post peccata fieri baptismum, mox subintulit dicens : *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati*, subaudis per gratiam sancti Spiritus in baptismate fidei, *gustaverunt etiam donum cœleste*, hoc est, remissionem peccatorum perceperunt in baptismate, sive communicaverunt corpori et sanguini Domini post baptismum, *et participes facti sunt Spiritus sancti,* in distributione scilicet donorum, *gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum*, id est doctrinam evangelicam intellexerunt, *virtutesque sæculi venturi*, id est glorificationem resurrectionis, vitamque futuram ; *et prolapsi sunt* a fide Christi, negando illum, aut etiam ad criminalia peccata prolapsi, *renovari iterum ad pœnitentiam,* hoc est, novos fieri per pœnitentiam, subaudis a superioribus, impossibile est. Impossibile est, inquit, iterum renovari posse eos per pœnitentiam et per baptismum, qui postquam omnia quæ superius memorata sunt perceperunt, prolapsi sunt ad immunditiam criminalium peccatorum aut etiam ad infidelitatem. Non dixit difficile est, sed impossibile. Quod enim difficile est, utcunque potest agi. Impossibile vero est quod nullo modo fieri potest. Quid ergo ? Exclusa est pœnitentia post baptismum et venia delictorum ? Absit. Duo siquidem genera sunt pœnitentiæ, unum quidem ante baptismum, quod et præparatio baptismi potest appellari, de quo superius diximus quia injungitur illis qui instruuntur, antequam ad baptismum perveniant, quod beatus Apostolus hic excludit dicens, non posse iterum renovari per pœnitentiam, quatenus pœnitentia peracta iterum baptizentur : Alterum autem genus pœnitentiæ est quo post baptismum delentur peccata quæ beatus Apostolus minime excludit. Terret ergo omnes ut timeant post baptismi gratiam gravioribus peccatis se implicare, quia non potest fieri secunda vice renovatio per lavacrum baptismatis. Nam sicut Christus semel mortuus, et semel resurgens, jam non moritur (*Rom.* VI), ita semel gratia baptismatis agenda est, nec potest iterari, nisi dubium fuerit, utrumnam quis captus ab hostibus sit baptizatus. Renovari autem dixit novum fieri. Novum autem fieri hominem sacri baptismatis est, de quo Propheta dicit : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua* (*Psal.* CII). Impossibile est, inquam, iterum renovari posse aliquem per pœnitentiam quæ fit ante baptismum ad hoc ut iterum baptizetur pœnitentia expleta. Qui ea quæ supra commemorata sunt perceperunt, virtutesque sæculi venturi gustaverunt Quod dicit, gustaverunt virtutes sæculi venturi, tale est, ac si diceret : Si cognoverunt quod in resurrectione venturi sæculi sunt electi *sicut angeli Dei in cœlo;* et quod *justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*(*Matth.* XII, XIII), nullo modo possunt iterum ita renovari per pœnitentiam, et per baptismum iteratum si peccaverint criminale peccatum, sicut in primo baptismate novi effecti sunt. Erant enim qui volebant baptismum iterare dicentes : Quidquid peccavero non est mihi curæ, quoniam præcipiam me baptizare rursus, et renovabor totus sicut prius. Quod Apostolus denegat ex toto

nullo modo posse fieri. Et quia virtus baptismatis in cruce et sepultura Christi maxime constat. proinde subjunxit :

Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes. Tamen non ideo denegatur pœnitentia, quia licet non renoventur in baptismate, iterum indulgentiam tamen valebunt accipere per confessionem peccatorum, per humilitatem, per pœnitentiam, per eleemosynam si habetur facultas, et si dimiserint fratribus in se peccantibus. Qui iterum baptizari volunt, quantum in se est, Christum quoque iterum crucifigere volunt et derisioni habere, hoc est enim illum ostentui habere. Sed non potest fieri, quoniam sicut Christus semel mortuus est in carne in cruce, ita et nos semel mori possumus in baptismate peccato.

Terra enim sæpe super se venientem bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Hoc paradigmate arguit Judæos qui sæpe biberunt imbrem cœlestis doctrinæ, sed nunquam germina fidei bonorumque operum protulerunt. Ponit autem primum comparationem de bona terra, ac deinde de mala. Terra, inquit, bibens imbrem, id est sanctæ et bonæ voluntatis anima accipiens gratiam Spiritus sancti, imbremque divinorum eloquiorum et generans herbam opportunam, hoc est virtutes bonas, fidemque perfectam proferens suis prædicatoribus, a quibus excolitur, sive sibimetipsi accipit benedictionem vitæ æternæ, vel abundantiam virtutum, et refert fructus tricesimos, sexagesimos, pariterque centesimos. Nihil enim opportunius fide perfecta fidelium Dei cum vita optima. Proferens ergo Apostolus hoc exemplum de anima florente in virtutibus, Deique benedictione digna, mox subjunxit aliud paradigma de illa quæ suam negligit salutem, dum frequenter imbrem cœlestis doctrinæ possit suscipere :

Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est et maledictioni proxima. Per spinas ac tribulos punctiones peccatorum possumus intelligere, quibus pungitur anima, de quibus Dominus dixit Adæ ; *Terra* tua *spinas ac tribulos germinabit tibi* (*Gen.* III), id est, caro tua punctiones peccatorum et aculeos vitiorum proferet tibi. Sive per spinas et tribulos, curas superfluas, sollicitudinesque istius sæculi debemus accipere, de quibus Dominus in Evangelio dicit : Curæ istius sæculi et sollicitudines divitiarum suffocant verbum, ita ut infructuosum reddatur (*Matth.* XIII). Anima igitur proferens punctiones peccatorum, curisque sæculi et sollicitudinibus divitiarum occupata, reproba est, hoc est, laude indigna et maledictioni proxima. Notandumque quia non dixit, maledicta est, sed maledictioni proxima. Quandiu enim reservatur ad pœnitentiam quasi non est maledicta : sin vero pœnitentiam noluerit agere, jam maledicta erit. Unde et sequitur, *cujus consummatio*, id est finis illius animæ in pravo opere et perseverantia in malo usque ad exitum vitæ, *in combustionem*, subaudis ignis æterni erit. Quasi dice-

A ret : Non quidem quandiu spatium pœnitendi habet maledictioni proxima est, sed si permanserit in iniquitate sua, combustioni æterni supplicii subjacebit. Hæc enim combustio non erit nisi his qui usque in finem vitæ suæ permanserint in peccatis suis : quia in quacunque die conversus fuerit peccator, vita vivet, et non morietur. Postquam sufficienter increpavit eos, terruit ac percussit, blandiendo iterum alloquitur eos, ne desperatos redderet ; sed tamen neque in omnibus adulatur, neque in omnibus percutit. Dicit ergo :

Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Quia non habuit unde eos ad præsens laudaret, laudat eos de spe futurorum quam habebat de illis, quasi diceret : Non B dicimus hoc veluti putantes vos spinis plenos, sed timentes ne tales efficiamini. Melius est enim vos verbis terreri, quam de rebus doleatis. Optima quæque opera de vobis confidimus, vestræque saluti proficua : quamvis ita loquamur. Nam quod superius diximus de reproba terra et combustionibus proxima, non de vobis hoc diximus, quia meliora de vobis credimus. Reduxit quoque eis præterita bona opera illorum in memoriam, et quatenus ex præteritis posset adducere ad bona quæque, ideo subjunxit:

Non enim injustus est *Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ejus, qui ministrastis sanctis et ministratis.* Ecce quomodo recreavit animos eorum et reformavit : præterita bona opera ad mentem revocans ; quia in om- C nipotentem Deum oblivio non cadit, ideo non obliviscitur operum et laborum fidelium suorum, et in hoc est justus, quia remunerat electos suos pro se laborantes. Si enim oblivisceretur operum illorum, nec eos remuneraret, utcunque injustus putaretur, quod omnino nefas est dicere. Unde Apostolus : Non, inquit, injustus est Deus, ut obliviscatur operis laborisque vestri, et dilectionis quam ostendistis pro amore nominis ejus in invicem et in omnes, qui ministrastis sanctis, et adhuc secundum vestrum posse ministratis. De illis sanctis dicit, qui venientes ad fidem Christi, exspoliati sunt ab aliis Judæis, quos laudat in hac Epistola, dicens : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis* (*Hebr.* X) : et D de quibus Isaias longe ante prædixerat : *Et qui recessit*, inquiens, *a malo* Judæorum prædæ patuit (*Isa.* LIX). Istis talibus exspoliatis, hi qui non fuerant exspoliati, prout poterant ministrabant. Quare vero quantumve desiderium haberet de salute eorum, sequentibus verbis ex parte exprimit, dicens :

Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostendere sollicitudinem, subaudis quam retro habuistis, *ad expletionem spei usque in finem* vitæ vestræ, sive diei judicii, *ut non segnes efficiamini*, hoc est pigri et desides in bono opere et in mandatis Dei perficiendis. Desideramus, inquit, vos non tantum circa verba, sed etiam in virtutibus conversari, non quasi præterita opera vestra culpantes, sed ut de

futuris solliciti sitis admonentes; hoc est, quales fuistis primum, tales cupimus et modo esse et in futurum. Et non dixit volo, quod est auctoritatis divinæ, sed quod erat paternæ dilectionis, hoc est: cupimus unumquemque vestrum eamdem erga fratres semper ostendere dilectionem quam olim habuistis ad completionem spei in æternam resurrectionem: expletio enim spei est adeptio rerum quas nos consecuturos speramus. *Veros imitatores eorum*, subaudis cupimus vos esse, *qui fide et patientia hæreditabunt promissiones*. Hortatur iterum eos ut fide non ficta et patientia perfecta exspectent promissiones Dei, et hæreditatem quam sanctis suis promisit. Quod dupliciter accipi potest, scilicet ut referatur ad patriarchas et sanctos Veteris Testamenti, qui multas promissiones acceperunt de Christo, et de hæreditate terræ repromissionis: qui fidem habentes perfectam, qua crediderunt Deum implere posse quæ promisit, et patientiam solidissimam, qua non in se, sed in filiis suis promissiones exspectaverunt implendas, meruerunt amici Dei esse, et in filiis suis easdem promissiones hæreditare. Potest et ad apostolos aliosque sanctos referri, qui per fidem et patientiam meruerunt consequi, et hæreditare promissiones æternæ benedictionis a Domino sibi omnibusque fidelibus promissas.

Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit majorem per quem juraret, juravit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam tibi, et multiplicans multiplicabo te. Ut firmius corroboraret ea quæ superius dixerat de sanctis quod hæreditabunt promissiones Dei fide et patientia, idcirco utitur exemplis. Sed mira est sapientia ejus: Aliquando enim laudibus extollendo blanditur eis, aliquando terroribus terret. Nam in superioribus terret eos, ne infideles essent, et minus creduli promissionibus Dei, nunc autem exemplis hortatur ad patientiam et fidem ut indubitanter credant, non solum Deo dicente, verum etiam jurante per semetipsum. Si promittente Deo iniquum est non credere, quam impium est Deo jurante fidem non accommodare! Juravit autem Deus Pater Abrahæ per semetipsum, quia neminem habuit majorem per quem juraret, dicens: *Nisi benedicens benedicam te*, etc. Repetitio verbi confirmatio est rei. Nisi in hoc loco affirmative ponitur pro certe sive pro quia, et est sensus: Certe semper benedicam te in filiis tuis semperque multiplicabo te.

Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem, hoc est diu per patientiam credendo sustinens consecutus est promissionem in filiis suis de terra repromissionis, quam ei promisit, dicens: *Terram hanc tibi dabo et filiis tuis (Gen.* XIII), et insuper promissionem de Christo, de quo ait: *In semine tuo benedicentur omnes gentes (Gen.* XXII). Sequitur:

Homines enim per majorem sui jurant: et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. Quasi diceret: Si hominibus in futurum creditur, de quibus per Prophetam dicitur, *Omnis* A *homo mendax* (*Psal.* CXV), quanto magis Dei juramento credi debet, qui est veritas, et qui nec falli potest nec mentiri, et cui insuper sine juramento credi oportet! Homines, inquit, per majorem sui jurant, hoc est, per Deum, qui est eorum creator. Juramentum quoque est finis omnis contentionis eorum ad confirmationem, quia per juramentum credendum est, nec debet postmodum querela fieri juramento completo, sed finis contentionis debet esse juramentum sub confirmatione.

In quo, subaudis juramento, vel propterea quia confirmatio rei juramentum est, *volens Deus ostendere abundantius immobilitatem consilii sui hæredibus pollicitationis*, id est patribus sive promissionis hæredibus, *interposuit jusjurandum*, ut per duas res B immobiles, quibus impossibile est Deum mentiri, fortissimum solatium habeamus, id est firmiter illi credamus, *qui confugimus* credendo *ad tenendam propositam spem*, hoc est ad accipiendam promissam remissionem vel remunerationem. Duas res immobiles hic debemus accipere promissionem Dei de Christo, qua dixit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, et jusjurandum illius quod dixit: *Per memetipsum juravi tibi*. Promissio enim illius est immobilis, quia non potuit mutari, et juramentum illius veridicum est. Quidam enim unam rem immobilem intelligi volunt promissionem et juramentum illius: alteram autem completionem ipsius rei. Propositam vero spem, dicit veritatem rerum gestarum, promissionem videlicet patriæ cœlestis, ad quam C percipiendam confugimus per fidem.

Quam spem sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. Sicut anchora projecta a navi non permittit eam circumferri neque periclitari, licet venti commoveant eam, sed jactata firmiter tenet navem inter procellas et fluctus, ita fides spe futurorum bonorum roborata, firmat mentem nostram inter prospera hujus sæculi et adversa, et introducit nos in speciem rerum, quam modo fide et spe tenemus. Ideoque addit Apostolus dicens: *Et incedentem usque ad interiora velaminis*. Interiora velaminis vocat secreta regni cœlorum et gaudia patriæ cœlestis. Velum enim quod erat ante sancta sanctorum, significat D cœlum; quæ vero erant intra velum, secreta sunt regni cœlorum. Spes autem interiora velaminis penetrat, dum per mentis contemplationem futura bona conspicit, dum cœlestia præmia absque ulla dubitatione credit sibi provenire, sperat, amat, operibusque ostendit quod credat et quid speret. Si hanc spem non habuerimus, utique submergemur, non tantum in spiritalibus, verum etiam in carnalibus, sicut submergetur navis non habens jactatam anchoram. Sed si voci Prophetæ obaudierimus dicenti: *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet (Psal.* LIV), tunc nostra spes fixa in interiora velaminis nulla infidelitate mergi poterit. Sequitur:

Ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, pontifex factus, et constitutus a Deo Patre *in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Ut firmiorem nobis spem adde-

ret, ideo hoc de Christo subjunxit. Præcursor autem dicitur a præeundo et præcurrendo, et est alicujus præcursor, sicut Joannes Christi. Considerandum autem, quia non dicit simpliciter, introivit Jesus in inferiora velaminis, sed cum additamento, dicens : Ubi præcursor pro nobis introivit, veluti absque dubio nos oporteat prosequi præcursorem nostrum. Præcursorem vero et consequentes, in eadem via esse convenit. Christus itaque resurgens a mortuis, præcucurrit nos ad altitudinem cœlorum, factusque est nobis præcursor, aperiendo nobis cœlum, et gaudia patriæ cœlestis reddendo. Si ergo volumus subsequi præcursorem nostrum, debemus sicut ille, et ipsi ambulare. Hoc autem ad naturam humanitatis Filii Dei refertur, in qua semetipsum obtulit Deo Patri in ara crucis sacrificium salutis nostræ. Quare Christus secundum ordinem Melchisedech dicatur existere sacerdos, satis aperte, ut reor, paulo superius ostensum est. Sed quod dixit introisse illum in interiora velaminis, more pontificum Judæorum loquitur, qui semel in anno ingrediebantur intra velum in Sancta sanctorum oraturi in templo pro populo, sic et Christus secreta regni cœlorum penetrans, orat assidue pro salute fidelium suorum.

CAPUT VII.

Hic enim Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi, subaudis fuit, *qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum, et benedixit ei, cui et decimas omnium divisit Abraham.* Tradunt Hebræi ipsum Sem primogenitum Noe, filium qui eo tempore quo natus est Abraham, habuerit annos ætatis ducentos nonaginta duos, eoque tempore quo mortuus est Abraham, habuerit annos quingentos sexaginta quinque, et ita supervixerit Abraham annis triginta quinque. Quibus expletis, facti sunt omnes dies vitæ suæ sexcenti anni. Nec esse mirum, si Abrahæ obviam processerit, eique panem et vinum obtulerit, quod abnepoti suo jure paternitatis debebat, et benedixerit ei, decimasque prædæ atque victoriæ ab eo acceperit, sicut sacerdos summi Dei excelsi non falsorum deorum et idolorum, qui fuit etiam rex Salem. Salem autem (sicut beatus Hieronymus dicit) non est putanda Jerusalem, ut Josephus historiographus, nostrorumque arbitrantur plurimi, sed juxta oppidum est Scythopolim quæ usque hodie appellatur Salem sive Salim, de quo (teste beato Hieronymo) in Evangelio legitur : *Erat autem Joannes baptizans in Ænnon, juxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi* (*Joan.* III). Idcirco autem fit ista varietas nominum, quia Hebræi multis in locis per consonantes solummodo scribunt, subtractis vocalibus, atque ita secundum arbitrium legentis pronuntiatur, non uno semper eodemque modo. Ostenditur autem in eodem oppido palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum ostendens veteris operis excellentiam, ad quam civitatem sive oppidum legitur etiam Jacob descendisse, qui fuit in terra Chanaan regionis Sichem (*Gen.* XXIX). Considerandum quoque, quod Abraham de cæde hostium revertens, quos persecutus est usque Dan, non in via reversionis habuit Jerusalem, sed potius Salem oppidum supra memoratum. *Primum quidem qui interpretatur rex justitiæ, deinde rex Salem quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem habens vitæ.* Sæpe beatus Apostolus Melchisedech in typum Domini salvatoris introducit. Quamvis enim pene omnes sancti et patriarchæ et prophetæ prioris temporis, in aliqua re figuram Christi expresserint, tamen Melchisedech specialius, qui non fuit de genere Judæorum, in typo præcessit sacerdotium Filii Dei, de quo Deus Pater dicit in Psalmo : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX). Ordinem autem ejus multis modis interpretari possumus, sicut jam supradictum est, scilicet quod solus rex fuerit et sacerdos, et ante circumcisionem functus sacerdotio ut non gentes a Judæis, sed Judæi a gentibus sacerdotium acciperent, neque unctus oleo visibili, ut mosaica præcepta constituunt, sed oleo exsultationis fideique puritate, neque carnis et sanguinis victimas immolaverit, sed pane et vino simplici puroque sacrificio Christi dedicaverit sacerdotium, sed primum (ut apostolus dicit) in hoc assimilatur Filio Dei, quia interpretatur rex justitiæ : Melchon etenim sive Melchi regem sonat; Sedech vero, justus sive justitia. Et quis est verus rex justitiæ, nisi Christus, qui dicit in Psalmo : *Ego autem constitutus sum rex ab eo* (*Psal.* II). Ipse enim juste et recte regit et gubernat electos suos, justitiæ amatores effectos, deinde autem assimilatur Filio Dei, per hoc quod dicitur rex pacis, quod pertinet ad Christum. Salem interpretatur pax, Christus igitur nos justificat, qui est rex justitiæ, et ipse pacificat omnia quæ in cœlis et quæ in terra sunt, qui nascendo et moriendo et resurgendo atque ascendendo pacem attulit mundo, qui secundum Divinitatem sine initio et sine fine rex est æterno Patri coæternus, quamvis ex temporali matre temporalis esset. Sicut enim istius Melchisedech non legimus initium vel finem in Scriptura sacra, sic non novimus Filii Dei initium vel finem, quia non habet aliquid horum in natura Deitatis, et in hoc est similitudo, quod nec illius, nec istius initium legitur vel finis : illius quidem, quia non est scriptum, istius autem, quia omnino non est. Neque enim sub quo natus est Melchisedech legitur, neque quando mortuus est narratur, sed subito introducitur, sicut et Helias. Nec omnino credendum est quod Melchisedech sine patre, aut sine matre esset, cum Christus quoque secundum utramque naturam, et patrem habuerit et matrem, sed propterea hoc dicitur de illo, quia subito introducitur in divina Scriptura, sicut diximus, et genealogia illius non commemoratur. De quo etiam dicitur quod *assimilatus Filio Dei*, in his omnibus superioribus dictis, *manet sacerdos in æternum*, non in se, sed in Christo. Nam Melchisedech mortuus est, sed figura ejus æternaliter in Christo manet. Similitudo autem hic non pro æqualitate ponitur, sed pro figura.

Intuemini autem quantus sit hic, cui decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Convertit sermonem suum ad eos qui gloriantur se filios esse Abrahæ et nobilitatem generis ab illo ducere se jactant. Unde in Evangelio Domino eum præponere conabantur, cum dicerent : *Nunquid tu major es Patre nostro Abraham?* (*Joan.* IV.) Ut ergo illorum confunderet superbiam, Apostolus dixit : Intuemini et attendite diligenter quantus fuerit hic Melchisedech sacerdos Dei summi, cui decimas dedit Abraham patriarcha de præcipuis, id est de melioribus spoliis. Quibus verbis vult ostendere, majoris dignitatis et honoris fuisse Melchisedech quam Abraham, ac per hoc majus et sanctius fore sacerdotium Christi quam Judæorum, quasi diceret : Quem vos excellentiorem omnibus hominibus æstimatis, hic decimas obtulit Melchisedech, qui in figura Christi præcessit.

Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis, quanquam et ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Tanta est, inquit, excellentia sacerdotii, ut etiam ipsi qui eumdem habuerant progenitorem, et ab uno patre descenderant : propter excellentiæ meritum quo meliores erant fratribus suis, utpote Aaron, qui inter vivos et mortuos stans, iram Domini placavit, sacerdotii dignitatem adipisci mererentur, ac propterea nisi Melchisedech majoris dignitatis esset quam Abraham, nequaquam Abraham alienigenæ decimas dedisset, sicut Aaron majoris meriti fuit quam fratres illius reliquarum tribuum. Dicit ergo, et quidem de filiis Levi accipientes sacerdotium, sicut accepit Aaron et filii ejus, mandatum et præceptum habent secundum legem sumere decimas a populo, quasi meliores illis, et hoc a fratribus suis, cum unum eumdemque habuissent progenitorem, juxta quod Apostolus manifestat, dicens : Quanquam et ipsi fratres Levi exierint de lumbis Abrahæ.

Cujus autem generatio, id est Melchisedech, *non annumeratur in eis*, id est in filiis Levi, *decimas sumpsit ab Abraham, et hunc*, id est Abraham, *qui habebat repromissiones* de Filio Dei, *benedixit* ille Melchisedech. Hic ostendit incircumcisum sacerdotem, circumciso sacerdote multo esse sublimiorem. Quomodo ergo hoc ostenditur? Utique, quia ipse Levi ex quo sacerdotale genus ortum est, decimatus est a Melchisedech in lumbis progenitoris sui, jamque erat Abraham circumcisus, jamque promissionem a Deo acceperat quod in semine ejus benedicentur omnes gentes, quando benedictus est a Melchisedech sacerdote incircumciso, dans ei decimas totius prædæ. Benedicens autem eum Melchisedech, dixit (*Gen.* XIV) : Benedictus Abraham Deo excelso, quo protegente, hostes in manu ejus prostrati sunt, et alia quæ sequuntur in eodem loco.

Sine ulla enim contradictione quod minus est a meliore benedicitur. Quasi diceret : Omnibus luce clarius videtur, quod minor a majore benedicitur. Unde Abraham quasi minor a Melchisedech tanquam a meliore benedictionem percepit. Proinde major ac melior est typus Christi, quam illius qui promissiones de Christo habebat.

Et hic quidem morientes homines decimas accipiunt, ibi autem contestatur, qui vivit. Hic, inquit, hoc est in præsenti sæculo vel in templo quod adhuc stabat, morientes homines, filii videlicet Levi, qui mortales ac moribundi sunt, decimas accipiunt, ibi autem, id est in alia vita, vel loco ubi dicitur de Christo : *Tu es sacerdos in æternum*, contestatur Deus Pater cum juramento, quia vivit Christus. Unde dicit Psalmista : *Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX).

Et ut ita dictum sit, per Abraham et Levi qui decimas accepit, in filiis suis, vel accepit hactenus a fratribus suis, *decimatus est* a Melchisedech, *adhuc enim in lumbis*, hoc est propagine seminis, *patris erat* Levi *quando obviavit ei Melchisedech.* Quomodo dicit Levi decimatum a Melchisedech, cum nondum natus esset, præsertim cum et filius fuit naturalis Jacob? Utique non est in se decimatus, sed in Abraham, de cujus progenie descendit. Quando enim Abraham decimas obtulit Melchisedech, in illo omnes filii ejus dederunt : quapropter dicit Apostolus, quia Levi qui decimas accepit in filiis suis a fratribus suis, decimatus est per Abraham sive in Abraham. Quibus verbis declaratur, quia nisi sacerdotium Melchisedech qui in figura sacerdotii Christi præcessit, majoris dignitatis esset, nequaquam Abraham omnesque filii ejus ab illo decimati essent. Dum enim sacerdotium a sacerdotio decimatur, majoris dignitatis unum altero ostenditur.

Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (*populus enim sub ipso legem accepit*), *quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium exsurgere sacerdotem et non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat.* Hinc incipit jam plenius differentias Novi Testamenti ostendere dicens, si consummatio, id est perfectio vitæ atque justificationis, per sacerdotium Leviticum fuit, quid necesse fuit alium exsurgere sacerdotem secundum ordinem Melchisedech? Nam quia Aaron primum post legem datam sacerdotem fuisse de tribu Levi, nulli dubium est, ideo sacerdotium quo functus est Leviticum nominavit sacerdotium, vel certe, qui ipse Levi in filiis suis junctus est ipso sacerdotio. Nam abnepotes illius susceperunt illud, Moyses scilicet et Aaron, cum reliquis fratribus suis ex eadem tribu. Nam Levi genuit Caath, Caath vero Amram, Amram autem genuit Moysen et Aaron. Ideoque dicit populum sub ipso sacerdotio legem accepisse, quia Moyses et Aaron principes erant illis temporibus in populo; qui ipsam legem administraverunt de tribu sacerdotali exeuntes. Ergo sacerdotio Levitico multo melior est ordo sacerdotii Melchisedech, qui typum gerebat sacerdotis nostri : nequaquam enim dixisset secundum ordinem Melchisedech, si illud

sacerdotium Aaron melius esset, sub quo populus Judæorum legem accepit. Si autem sacerdotium legis translatum est ad Christum secundum ordinem Melchisedech, necesse est ut et legis translatio fiat, hoc est, a lege Moysi necesse est transire ad legem Evangelii. Neque enim potest sacerdos sine lege et sine Testamento esse et sine præceptis. Summis nisibus laborabat Apostolus ut a lege Moysi faceret eos transire ad legem Evangelii, a carnalibus ad spiritualia.

In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit. Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est. In quo enim ait, hæc dicuntur, id est, de quo hic dicuntur, quod est sacerdos in æternum, Dominum significans Salvatorem, de alia tribu est, quam sacerdotali, de illa videlicet de qua nullus altari præsto fuit, hoc est, de tribu Juda. Non enim ordine tantummodo, neque Testamento vel præceptis, mutatum est, sed etiam tribu. Et quomodo translatum est sacerdotium de tribu in tribum, de sacerdotali videlicet ad regalem, ut eadem ipsa sit et regalis et sacerdotalis in Christo, qui est rex et sacerdos? Intuere mysterium. Primo fuit regale sacerdotium in Melchisedech, secundum consequentiam hujus sermonis, secundo autem fuit sacerdotium solummodo sacerdotale in Aaron, tertio autem fuit iterum regale sacerdotium in Christo, sicut et primo. Unde et Ecclesia modo regale sacerdotium habet, dicente Petro : *Vos enim genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II ; *Matth.* XXVIII). Tribus ergo Juda ex qua Dominus ortus est per virginem Mariam, cum semper regia esset, et nunquam sacerdotalis, in Christo fuit utrumque et regalis et sacerdotalis, translato ex toto sacerdotio a tribu Levi, quæ antea sacerdotalis erat.

Et amplius adhuc manifestum est, si secundum ordinem *Melchisedech exsurget alius sacerdos qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim* Deus Pater loquens ad Filium *quoniam tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Defectus dictionis isto in loco habetur satis necessarius, quapropter nunc dicatur ita : *Et amplius adhuc manifestum est*, subaudis, destructum esse sacerdotium legis, per hoc quod Christus non secundum ordinem Aaron dicitur *sacerdos esse in æternum, sed secundum ordinem Melchisedech* ; quapropter hoc : quia de tribu Levi non fuit. Quod enim dicit, si secundum ordinem Melchisedech exsurgeret alius sacerdos, non dubitative loquitur, sed affirmative, quasi diceret : Amplius adhuc per hoc demonstratur destructum esse sacerdotium legis, quia secundum ordinem Melchisedech surrexit Christus alius sacerdos, qui non secundum carnalis mandati legem factus est sacerdos sicut Aaron. Legem carnalis mandati vocat, quia ex maxima parte carnalis erat, carnalia præcipiens : in circumcisione, in mundatione corporis, in hostiis et oblationibus carnalibus, in discretione ciborum, dierum ac temporum, dicens : Mane extra castra, lava corpus tuum : offer hoc vel illud, abstine ab his cibis, observa ista tempora, cæteraque his similia, quæ omnia morte finienda erant ; Christi autem sacerdotium spiritale est, et secundum virtutem vitæ insolubilis, id est secundum potentiam vitæ indeficientis, quæ nullo interveniente mortis metu solvi poterit. Habet enim Christus in se vitam insolubilem, quia quamvis ad tempus mortuus esset in carne, tamen vivit in æternum divinitate, et insuper humanitate ; postquam victor a mortuis resurrexit, unde Deus Pater contestatur jurando, quia vivit, dicens per Psalmistam: Tu es sacerdos in æternum.

Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, hoc est legis Moysi *propter infirmitatem ejus et inutilitatem.* Infirmitatem utique in hoc habebat lex : quia operantes non valebat adjuvare, inutilitatem vero in hoc, quia nemini regnum cœlorum valebat aperire. Unde sequitur : *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Quid enim, nihil profuit lex? profuit quidem aliquid corpora mundando, peccata levia relaxando ; sed nihil ad hoc profuit, ut perfectos facere potuisset servientes in ea, quoniam graviora peccata non tollebat, nec januam regni cœlestis alicui aperiebat. Quapropter reprobata est, ut gratiæ daretur locus, in qua perfectio constat ; utilis quidem fuit fidem habentibus in Christo, non illis qui totam spem suam in ejus carnalibus observationibus ponebant. *Introductio vero melioris spei*, subaudis est modo in gratia, *per quam* spem *proximamus ad Deum.* Habuit quidem lex spem, sed non talem qualem gratia præstitit. Sperabant enim beneplacentes legemque custodientes possidere terram et juxta illud : Si volueritis bona terræ comedetis, nihilque ærumnosum patri prospere vivere, sicut dictum est : Qui fecerit ea vivet. Hic autem speramus : quia placentes et Evangelica præcepta custodientes, non terram possidebimus, sed cœlum ; insuper etiam quod cœlo multo melius est, speramus proximi Deo consistere, ad ipsum paternum solium pervenire et ministrare ei cum sanctis angelis, juxta quod Salvator ait in Evangelio : *Fulgebunt Justi sicut sol in regno Patris sui, eruntque sicut angeli Dei in cœlo* (*Matth.* XIII, 43). Hoc vero sacerdotium, per quod hanc gloriam possessuri sumus, non est sine jurejurando, ut firmam Dei promissionem credamus. Unde Apostolus subdit : *Et quantum est*, subaudis firmum, istud sacerdotium Christi de quo loquimur, utique multum est, quia *non sine jurejurando* firmatum est. *Alii quidem sine jurejurando facti sunt sacerdotes* ut Aaron filiique ejus, quibus Deus non juravit quod essent sacerdotes in æternum secundum ordinem legis, *hic autem*, id est Christus *cum jurejurando* sacerdos factus est *per eum,* hoc est per Deum patrem *qui dixit ad illum : Juravit Dominus et non pœnitebit eum*, id est non mutabit juramentum suum, quoniam *tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. In tantum melioris Testa-*

menti sponsor sive promissor *factus est Jesus*, scilicet in quantum cum jurejurando Dei Patris suum sacerdotium tenet. In quantum sacerdotium Christi, quod juramento Dei est sancitum, sua dignitate præcellit sacerdotium legis veteris, in tantum præcellit etiam gratia Evangelii legem Moysi.

Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem, id est Christus cui Pater dixit cum jurejurando. Tu es sacerdos in æternum, *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*. Duas ponit hic differentias, beatus Apostolus, quia sacerdos noster non habet finem sicut sacerdos legis, et quia cum jurejurando suum sacerdotium possessurus est. Quia enim sacerdotes legis mortales erant, plures facti sunt sacerdotes in ipsa lege, sicut Aaron et filii ejus, idcirco quod morte præventi prohiberentur permanere in sacerdotio. Mortuis enim patribus, succedebant filii in locum ipsorum; Jesus autem solus, quia immortalis est, sempiternum habet sacerdotium, nec ullum habere poterit subsequentem, eo quod ipse maneat in æternum. Sequitur : *Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis;* unde, inquit, quia Christus in æternum manet, et sempiternum habet sacerdotium, semper interpellat pro nobis semperque potest salvare. Quia vero quidam codices habent, accedens per semetipsum ad Deum, quidam vero plurali numero accedentes, utrumque recipi potest. Christus ergo pontifex noster, non per alium pontificem majorem se accedit ad Deum Patrem, sed per semetipsum, ideoque potest salvare in se credentes. Potest et ita intelligi quod dicit, salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum. Nos qui puri homines sumus, per illum accedimus ad Deum Patrem, quia Mediator noster existens assistit vultui Dei pro nobis, dirigens per illum preces nostras ad Deum Patrem. Unde et sacerdotes Ecclesiæ altari assistentes dicunt : Suscipe, Domine, sancte Pater, preces populi tui per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Et quia *semper vivit, semper interpellans* pro nobis. Alii vero pontifices qui non semper erunt, non semper interpellant; interpellat autem pro nobis per hoc quod naturam assumpsit humanam, quam assidue ostendit vultui Dei pro nobis, ut misereatur secundum utramque substantiam. *Talis enim dicebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus.* Non eramus digni, nec promerebamur talem habere pontificem, sed necesse erat nobis ut talem haberemus pontificem, qui esset sanctus in interiori homine innocens manibus, impollutus corpore, segregatus a peccatoribus, id est ab omni peccato immunis et a conversatione peccatorum separatus. In hoc enim fuit separatus a peccatoribus, quia alii homines cum peccato concipiuntur et nascuntur, atque ab hoc sæculo cum peccato transeunt, hic autem sine peccato est conceptus, sine peccato natus, et sine peccato ab hoc mundo transivit, quoniam *peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Factus autem est excelsior cœlis,* quando quadragesima die admirandæ suæ resurrectionis super omnes cœlos, et super omnes ordines cœlestium spirituum elevatus est ad concessum paternæ majestatis, ubi sedet nunc in plenitudine honoris et gloriæ. Potest et ita intelligi quod dicit : *Talis decebat ut nobis esset pontifex*, quasi diceret : Judæi velut servi per timorem legis Deo servientes, legales pontifices habuerunt, sibi conservos mortales ac peccatores, qui pro semetipsis similiter indigebant offerre, nos autem quibus dictum est : *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos* (*Joan.* XV , et qui filii Dei sumus serviendo illi amore filiationis, decet ut habeamus *pontificem immortalem, segregatum a peccatoribus.* Sequitur: *Qui non habet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes legis, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel seipsum offerendo* Dominus noster Jesus Christus. Quid fecit? Utique obtulit sacrificium non pro suis delictis, sed pro nostris, et semel hoc fecit non amplius, quia *semel mortuus pro peccatis nostris, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Magnitudinem sacrificii Christi hic ostendit, quod semel oblatum, tantum prævaluit, quantum omnia sacrificia legalia non valuerunt. Unum enim fuit, et semel oblatum, et sufficit in sempiternum ad tollenda omnia peccata credentium. Pontificem autem Judæorum peccatores erant, et ideo necesse habebant pro suis delictis hostias offerre, et ideo sacrificia illa hominem justificare non poterant, quia inconveniens erat, ut pro homine rationali irrationale animal offerretur. Quærebatur pontifex sine peccato, et hostia rationabilis, nec inveniebatur : inventus est autem unus sine peccato Deus et homo, et obtulit seipsum rationabile sacrificium pro salute hominis rationalis. *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes.* Dicit enim Dominus ad Moysen in lege : Unges Aaron et filios ejus mihi in sacerdotes (*Exod.* XXX, 30) ; sed quia illi infirmitatem, hoc est, peccata habebant quibus infirmabatur illorum anima, necesse habebant ut pro populi, ita etiam pro suis delictis hostias offerrent. Iste autem tam potens est, ut non indigeret pro se offerre, sed insuper semel oblato suæ carnis sacrificio, omnium saluti sufficeret. *Sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum*, subaudis ostendit, sive perfectum constituit sacerdotem non infirmitate gravatum, sicut lex constituit suos. Post legem factus est sermo Dei Patris ad David de Christo cum jurejurando ubi dicitur : Juravit Dominus et non pœnitebit eum, etc., ponit hic amplius Filii nomen ad distinctionem servorum qui fuerunt in lege, qui servi infirmi fuerunt, sive quia peccatores, sive quia mortales erant, Filium vero perfectum ostendit quia semper vivit, et semper sine peccato est.

CAPUT VIII.

Capitulum autem super ea quæ dicuntur, hoc est, repetitio super ea quæ dicuntur de Christo. Quo dicto significat aliquid summum et magnum et quasi per recapitulationem præcedentis disputationis ad rem ipsam deducit auditorem. *Talem habemus pontificem* qualem subaudis superius diximus, sanctum videlicet innocentem, impollutum segregatum a peccatoribus et qualem adhuc dicturi sumus in sequentibus, *qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, et tabernaculi veri quod fixit Deus et non homo.* Sedem magnitudinis in cœlis debemus accipere plenitudinem paternæ majestatis, in qua Filius Dei sedet, quæ etiam designatur per dexteram. Nec est pueriliter accipiendum, quod Deus Pater dexteram aut sinistram habeat, qui spiritus est omnia implens, ut ita sedeat Filius in dextera illius, sicut solet Filius sedere juxta Patrem suum regem; sed sicut diximus, plenitudinem majestatis, summamque gloriam beatitudinis et prosperitatis debemus per dexteram intelligere, in qua Filius Dei sedet. Sedere autem Filii pro habitare ponitur. Pontifex ergo noster qui consedit in summa gloria paternæ majestatis, in cœlis sanctorum minister est. Quod duobus potest modis accipi: veniens quippe Dominus in mundum, per incarnationis exhibitionem, ministravit sanctis apostolis aliisque fidelibus, et etiam qui adhuc futuri sunt, panem refectionis verbi spiritalis, et potum doctrinæ evangelicæ, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat* (*Joan.* VII, 37), et: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (Matth.* XI, 28). Ministravit illis etiam documentum fidei et gratiam baptismatis, et insuper quod majus fuit sacramentum redemptionis per passionem suam et cognitionem mysteriorum in lege et prophetis, ac postea sua ascensione ministravit nobis aditum patriæ cœlestis. Ecce quod et quid ministravit electis suis apparens mundo. Dicatur et aliter: *Sanctorum minister* erit in futurum, quando semetipsum ministrabit illis ut cognoscant eum cum Patre et Spiritu sancto, sicuti est, scilicet cum tradiderit regnum suum Deo et Patri. Unde in Evangelio de se sub persona patrisfamilias loquens dicit: *Amen dico vobis quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis,* (*Luc.* XII, 37.) Transire enim dicitur, quia electos suos de judicio ad regnum transire faciet, vel a contemplatione humanitatis ad cognitionem divinitatis suæ. Ministrabit illis cum se et Patrem cum Spiritu sancto eis monstrabit; nam cibus et vita illorum visio sanctæ Trinitatis erit, sicut ipse dicit ad Patrem: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te cum Spiritu sancto, et Jesum Christum quem misisti unum et verum Deum. Tabernaculi quoque veri minister est quod constituit sive composuit Deus et non homo, id est cœli quod ipse nobis administrat ut claritate siderum illius illustremur. Tabernaculum etenim quod Beseleel composuit in deserto, sive quod a Salomone factum est in terra repromissionis, non fuit verum quia carie et vetustate consumptum est, nec semper durare potuit, ideoque tabernaculum verum cœlum vocat, quoniam in æternum stabit, nullaque vetustate consumetur. Potest et altiori sensu intelligi, ut tabernaculum verum accipiantur animæ justorum, quibus ipse Filius Dei gaudia patriæ cœlestis administrat, et in quibus ipse habitare dignatur, juxta quod per prophetam dicitur: *Inhabitabo in illis et inambulabo (II Cor.* VI, 16). Et Apostolus: *In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris (Eph.* III, 17). Et: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17). *Omnis enim pontifex ad offerenda munera constituitur, unde necesse est et huic habere aliquid quod offerat.* Non enim potest esse sacerdos nisi habeat quod offerat. Pontifices vero veteres sacerdotii secundum præceptum legis munera et hostias pro suis et pro populi offerebant delictis. Christus vero, cum in sempiterna divinitatis suæ natura non haberet quod offerret, sumpsit ex nobis quod pro nobis offerret, id est carnem humanam, seipsum videlicet quem obtulit in ara crucis. Quid ergo tam aptum immolationi quam caro rationalis pro rationali? Et quid tam mundum pro immundis quam carnem sine ulla contagione offerre? Et quoniam quatuor in omni sacrificio consideranda sunt: videlicet cui offerat, a quo offeratur, quod offeratur, pro quibus offeratur, hæc etiam possumus hic reperire satis eleganter. Quia enim nulli sacrificium debetur nisi soli vero Deo, pontifex noster mundam hostiam pro nobis Deo Patri obtulit, idem existens sacerdos et sacrificium. Offert etiam sacrificium Deo Patri acceptum per Ecclesiam suam. Dum enim nos offerimus sacramenta corporis ejus, ipse offert. *Si ergo esset super terram*, subaudis sacerdos terrenus secundum ordinem Aaron, *nec esse sacerdos*, secundum ordinem Melchisedech, *cum essent* sacerdotes Levitici generis *qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium, sicut responsum est Moysi cum consummasset* ac perfecisset *tabernaculum* oraculi. Si esset terrenus pontifex super terram, sicut Aaron, vel aliquis secundum ejus ordinem immortalis et sine peccato, qui suis sacrificiis potuisset mundare genus humanum, perfectumque reddere, non esset utique sacerdos secundum ordinem Melchisedech in æternum, quia satis essent qui offerrent legalia munera. Sed quia Aaron et filii ejus mortales erant et peccatores, quapropter non poterant genus humanum perfectum reddere, ideo venit Christus sine peccato, qui in æternum suum sacerdotium teneret, suoque sacrificio genus humanum perfectissime mundaret, non talis quales fuerunt illi qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium. Exemplar est figura et similitudo per quod alia ostenditur, sicut imago expressa in pariete, exemplar est et figura veri hominis. Sacerdotes igitur Judæorum exemplari, id est figuræ et umbræ cœlestium mysteriorum deserviebant, quia omnia illa similitudines et figuræ erant istorum quæ in Ecclesia modo in veritate aguntur. Cœlestia autem

mysteria dicit spiritalia. quod observatores suos in veritate ad cœlestia ducunt. Nonne cœleste altare est fides nostra, in qua offerimus quotidie orationes nostras Deo? *Vide* (inquit), *omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte*. Quoniam auditus noster minus aptus esse videtur ad disciplinam percipiendam quam visus, non enim in animo commendamus quæ audimus, quomodo illa quæ ipso visu percipimus, ideo non solum auditu, verum etiam visu demonstratum est Moysi a Domino in monte tabernaculum: quod facturus erat cooperante Beseleel. Unde dicit ei: Vide ut omnia facias secundum illam similitudinem quæ tibi in monte ostensa est. Quod autem dicit, intelligendum est tam de tabernaculi constructione vasorumque ejus, quam de sacrificiis et hostiis quæ ibi oblaturi essent.

Nunc autem melius sortitus est ministerium. sacerdotii videlicet dignitatem, *quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est*, hoc est firmatum, statutum et corroboratum: Vides, inquit, quanto melior est ista celebratio illa quæ nunc temporis agebatur. Siquidem illa exemplar et figura, ista veritas est, sicut in Evangelio dicitur: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17). Nunc, hoc est, in hac novissima mundi ætate, tanto melius ministerium sacerdotii sortitus est Christus, quam fuisset illud legale, quanto et melioris testamenti est mediator. Quanto meliora sunt cœlestia terrenis, æterna temporibus, tanto melioris testamenti dator et mediator est Jesus, et tanto melioribus promissionibus confirmatum est istud. Testamentum etenim Vetus terrena ac temporalia promittebat dicens: *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis* (*Is.* I, 19). Et: *Observa quæ præcipio tibi, ut sis longævus super terram* (*Exod.* XX, 12), cæteraque his similia, promittens temporalia atque terrena. Novum vero quod per Christum datum est, promittit ac tribuit cœlestia et æterna, vitamque perfectam per gratiam baptismatis, et fidem Dominicæ passionis, remissionem videlicet omnium peccatorum. Dicit namque evangelista: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2). Et: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (Marc.* XVI, 16). Et: Quia *erunt electi sicut angeli Dei in cœlo* (*Marc.* XII, 25). Et insuper quod majus est, quod dicitur in Evangelio Joannis: *Quotquot*, inquit, *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* XI, 12).

Ecce quomodo *melioris testamenti mediator* et dator est Christus, et quomodo *melioribus promissionibus* confirmatum est. In hoc quoque melius sacerdotium sortitus est, quia illud temporale fuit, istud est æternum; illud non poterat hominem justificare nec regnum cœlorum suis observatoribus reserare; istud vero perfecte justificat hominem, statimque ei regnum cœlorum aperit. Mediator autem testamenti appellatur Dominus, quia sicut Moyses mediator fuit inter Deum et populum, verba Dei ad populum re-

A ferens iterumque populi ad Deum, ita et Christus verba Dei Patris nobis retulit, iterumque nostra refert ad Deum. Transiens Apostolus a sacerdote et sacrificio, tunc demum testamenti differentiam facit, dicens: *Nam si illud prius* testamentum *culpa vacasset, non utique secundi* testamenti *locus inquireretur*, hoc est, si aliud testamentum legis peccata posset auferre ut, observatores sui inculpabiles essent, non secundi testamenti locus non inquireretur. Sed quia illud non fuit perfectorum, illo sublato, inventus est locus aptus secundi testamenti, sicut *vituperans eos*, id est non approbans dignos laude, *dicit* per prophetam: *Ecce dies venient, dicit Dominus; et consummabo super domum Israël et super domum Juda testamentum novum; non secundum testamentum*
B *quod feci cum patribus eorum in die qua apprehendi manum illorum ut educerem eos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, ait Dominus Deus.* Ecce dies Novi Testamenti, et ultimæ sæculi ætatis venient, dicit Dominus, et consummabo, id est perficiam super domum Israel et super domum Juda Testamentum Novum. Quantum ad litteram pertinet, per domum Israel decem tribus intelliguntur, quæ separaverunt se a domo David temporibus Jeroboam: per domum autem Juda, duæ tribus Juda et Benjamin cum tribu sacerdotali, quæ adhæserunt domui David. Altiori autem intellectu per utramque domum debemus intelligere omnes tam ex Judæis quam ex gentibus
C credentes, qui Deum recte confidendo (quod interpretatur Judas) veri Israelitæ sunt, hoc est, Deum mente videntes, quibus Dominus perfecit atque complevit Novum Testamentum, gratiam scilicet Evangelii. Testamentum autem Novum dicitur ad differentiam Veteris. Ut vero altius dicamus, Vetus Testamentum ob hoc dicitur, eo quod hominem in vetustate peccati positum, novum reddere non valebat: at vero Novum Testamentum dictum est, eo quod veterem hominem, id est peccato veteris hominis Adæ commaculatum, novum efficiat in baptismate per fidem Dominicæ passionis, quod non est simile Testamento Veteri, quod fecit cum patribus eorum: quia illud terrena promittebat ac temporalia, et præcipiebat carnalia, istud vero æterna et cœlestia promittit præcipiens spiritualia. Quod vero dicit: *In die qua*
D *apprehendi manum illorum, ut eos ducerem de terra Ægypti* (*Jer.* XXXI, 32), magnam familiaritatem suam omnipotens Deus ostendit, quam exhibuit illi populo. More enim mulierum loquitur sermo divinus, quæ apprehendere solent parvulorum manus, et plerumque ad se conducere, plerumque etiam huc illucque sustentando ne labantur, ut pote firmos gressus non habentes adhuc. Si omnipotens Deus, cum ille populus puerilis ac parvulus esset: quia neque gressus bonæ operationis habebat, neque fortitudinem qua se posset exsolvere a jugo opprimentium, tetendit manum suam ei, magnum videlicet auxilium pietatis suæ, et extraxit eum de fornace ferrea, trahens ad cognitionem suam et amplius amore eum dili

gens gratissimo, simulque deducens per deserti vastitatem, introduxit in terram omnibus meliorem. Sed quia non permanserunt in testamento ejus, id est non observaverunt quæ præcepit in testamento suo, neglexit eos, hoc est *dimisit eos* ire *secundum desideria cordis sui*, juxta quod Psalmista dicit (*Psal.* LXXX, 13). Notandum autem quia cum dixisset sermo divinus : Perficiam testamentum novum, non secundum illud quod pepigi cum patribus eorum, ne forte Judæi possent oblatrando dicere illud testamentum destruendum esse de quo dixit ad Abraham Deus: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXVI, 4), districte manifestavit de quo loqueretur, cum subintulit, dicens : In die qua apprehendi manum illorum ut educerem eos de terra Ægypti. De lege enim dixit hoc, quam quinquagesimo die egressionis illorum de terra Ægypti, datam esse constat in monte Sinai, in qua non permanserunt patres eorum, sed fecerunt vitulum conflatibilem in Oreb, et adoraverunt illum. Nam illud quod pepigit cum Abraham, in Christo completum est in quo benedicentur omnes gentes.

Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel, scilicet credentibus, *post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in mente eorum, et in cordibus eorum superscribam eas: et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum : et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum, quoniam omnes cognoscent me a majore usque ad minorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum non recordabor amplius.* Magna distantia est inter legem et legem, inter scripturam et scripturam, inter doctores legis doctoresque Evangelii, inter litteram et gratiam spiritalis intelligentiæ. Nam littera legis scripta est in tabulis lapideis, gratia autem spiritalis intelligentiæ data est fidelibus per Spiritum sanctum per quem charitas Dei diffusa est in cordibus fidelium. Hoc autem quod dicit, Dabo leges meas in mente eorum, et in cordibus eorum superscribam eas, specialiter ad sanctos apostolos pertinet, qui gratiam Novi Testamenti non habuerunt scriptam in tabulis lapideis, neque in membranis, sed in mente et in cordibus suis divinitus exaratam habuerunt. Primum quidem ante Dominicam passionem quando, sicut Matthæus narrat, ascendit in montem, ibique cum illis illum prolixum sermonem habuit, ubi institutio totius perfectæ vitæ continetur. Secundo vero post resurrectionem suam quando, sicut Lucas testatur, *aperuit illis sensum ut intelligerent omnia quæ scripta erant in lege Moysi et prophetis et psalmis de ipso* (*Luc.* XXIV, 45): deinde vero decimo die ascensionis suæ, adveniente Spiritu sancto in linguis igneis super eos, revelavit eis ut cognoscerent quidquid mortalibus de Deo sciendum erat. Quomodo enim possent evangelistæ tanta miracula et verba cœlestia post ejus ascensionem scribere, nisi ea in tabulis cordis divinitus exarata haberent? et præcipue beatus Joannes, qui sexagesimo quinto anno post Dominicam ascensionem Evangelium scripsit, quomodo posset tanta de divinitate illius proferre, quæ ipse Dominus eis protulit maxime ea nocte qua comprehensus est? Nos autem partim in cordibus, plenius autem in membranis scriptum habemus ab illis nobis relictum ut in illis meditando exerceamur. Quod autem subjungit, Non docebit unusquisque proximum suum et unusquisque fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum, non ad præsens tempus referendum est, ubi invicem docemur, sed (sicut dicit beatus Augustinus) dum loqueretur propheta Jeremias de primo Domini adventu, subito convertit oculum mentis ad secundum, postquam nemo docebit proximum suum ut cognoscat Deum, quoniam electi positi in ejus contemplatione videbunt et cognoscent eum sicuti est. Nam in præsenti (sicut diximus) docemur in invicem. Postea etiam peccatorum illorum non erit memor, quoniam omnes exspoliati ab omni fece mortalitatis et corruptionis corporis, et mutabilitate atque peccato, resurrectionis gloria donati fulgebunt sicut angeli Dei in cœlis.

Dicendo autem novum veteravit prius. Sumens Apostolus fiduciam et auctoritatem ex dictis propheticis, ubi dicitur : Consummabo Testamentum Novum super domum Israel, ostendit verus jam liquidius esse finiendum. Dicendo autem, Consummabo Novum Testamentum, ostendit in vetustatem redigi, sive vetustum effici illud quod erat prius, unde subjungit : *Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est*, quasi diceret : Quia sermo divinus per hoc quod dixit Testamentum Novum futurum, et vetustum esse prius, datur intelligi quia, si antiquatur, et vetustum est prius testamentum, in proximo est ut intereat, finemque recipiat. Hoc vero intelligendum est non de præceptis vitæ ac morum, in quibus lex manet concordans cum Evangelio, sed de mandatis sacrificiorum carnalium, in quibus adveniente Christo quem figurabant, finem acceptura erat lex.

CAPUT IX.

Habuit quidem et prius justificationem culturæ et sanctum sæculare. Prius quidem testamentum habuit justificationes culturæ, quia per divinum cultum justificabantur homines a levioribus culpis : habuit et sanctum sæculare, in quo sæculi homines, hoc est gentiles ad judaismum transeuntes recipiebat. Patebat enim non solum Judæis, sed etiam gentilibus. Sanctum ergo sæculare vocat locum atriorum, ubi gentiles stabant ad adorandum post Judæos. *Tabernaculum enim factum est primum, in quo candelabra et mensa quæ*, subaudis mensa vel propositio panum, *dicitur sancta.* Non de illo tabernaculo disputaturus est hic Apostolus, quod Moyses fecit in eremo. Ubi tantummodo unum candelabrum fuit, sed de templo quod postea Salomon ædificavit in Hierusalem, ubi fuerunt plura candelabra. Unde quod dicit primum, non est referendum ad tempus, sed potius ad locum,

Dividit enim illud templum Salomonis beatus Apostolus in duo tabernacula : et primum quidem tabernaculum appellat illam partem templi ubi erant candelabra et mensa, super quam ponebantur duodecim panes calidi, sex hinc, et sex inde, et super panes duæ patinæ aureæ, plenæ thure : una hinc, et altare inde, eratque sibi a sabbato usque ad sabbatum, et erat ibi altare aureum, ubi offerebatur incensum thymiamatis mane et vespere, cum qua parte templi comprehendit altare holocaustorum, quod erat sub divo ante fores templum Domini, in quod tabernaculum licite ingrediebantur quotidie sacerdotes et reliqui ministri; secundum autem tabernaculum vult intelligi Sancta sanctorum, illam videlicet partem templi quæ dividebatur pariete viginti cubitorum et velo, quod pendebat ante parietem ubi intrinsecus erat arca Moysi, continens in se tabulas legis et urnam auream, in qua erat manna, virga quoque Aaron quæ fronduerat. Ipsa autem arca plano schemate erat facta, ideoque super ipsam erat tabula aurea quæ appellabatur propitiatorium, eo quod inde loqueretur Dominus Moysi et sacerdotibus, et super ipsam arcam erant duo cherubin quæ aliis suis obumbrabant tabulam propitiatorii, versisque vultibus respiciebant in propitiatorium. In istud secundum tabernaculum, hoc est Sancta sanctorum, nemo ingredi audebat, nisi solus pontifex semel in anno, qui accepto sanguine in vasculo ingrediebatur intus oraturus pro populo, septima decima videlicet die septimi mensis a festivitate paschali, quæ dies appellabatur quidem propitiationis, in crastinum autem sequebatur festivitas tabernaculorum. Spiritualiter autem illud primum tabernaculum ubi sacerdotes licite ingrediebantur, statum præsentis Ecclesiæ significat, ubi sunt plura candelabra, sancti videlicet prædicatores, qui sibi et aliis lucent verbo et exemplis, vel etiam ubi sunt dona Spiritus sancti, quibus fidelium corda illuminantur, qui per fidem in Ecclesia consistunt. Et de mensa, divina videlicet Scriptura, de qua Psalmista dicit : *Parasti in conspectu meo mensam.* (*Psal.* XXII, 5). Est et propositio panum in mensa, intellectus videlicet sacræ Scripturæ, quo quotidie reficiuntur animæ fidelium. Possumus et per panem intelligere corpus et sanguinem Domini, quod in Ecclesia consecratur.

Post velamentum autem secundum tabernaculum, subaudis est, *quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro*, in qua urna aurea habens manna, *et virga Aaron quæ fronduerat, et tabulæ testamenti*. De his singulis quomodo et qualiter essent ordinata, secundum litteram paulo superius elucidatum est, quapropter spiritualia mysteria videamus. Velum post quod erat tabernaculum, quod appellabatur Sancta sanctorum, causa suæ dignitatis, sicut et Cantica canticorum, significat cœlum, post quod sunt interiora patriæ cœlestis. Elevato velo, ingrediebatur pontifex cum sanguine in Sancta

A sanctorum, oraturus pro populo, et Dominus noster pontifex cum sanguine passionis suæ, eadem passione peracta, reserato cœlo, Sancta sanctorum penetravit, ubi assidue Deum patrem exorat pro nobis. In Sancta sanctorum erat thuribulum, quia Christus in secretis patriæ cœlestis consistit per quem orationes nostras ad Deum Patrem dirigimus. Arca testamenti circumtecta ex omni parte auro, caro est Domini nostri Salvatoris, qui auctor est utriusque testamenti, et qui interius plenus erat Divinitate, et exterius refulgebat virtute miraculorum verborumque cœlestium. In auro enim solet claritas sermonis designari, sicut Sapientia dicit : Concupisce sapientiam sicut aurum. Urna aurea habens manna, Christus est, in quo manna Divinitatis est, qui

B dixit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41). Virga Aaron quæ fronduerat, sacerdotii dignitas est, quæ semper floret in Christo, sive potentia imperialis. Duæ tabulæ testamenti in arca duo sunt testamenta consistentia in Christo. Sequitur, *super quæ erant*, id est super arcam, duo *cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium.* Duo cherubin tegentia arcam, quæ interpretantur plenitudo scientiæ, duo sunt testamenta, in quibus plenitudo est scientiæ quæ tegunt Christum, qui est propitiatio pro peccatis nostris, quia in divina Scriptura latet : *de quibus,* omnibus subaudis quid mysterii in se habeat, *non est modo dicendum per singula.* Fortassis ideo reticuit, quia multis sermonibus opus habebat, sive quia needum erant capaces

C omnia capere.

His vero ita compositis et ordinatis, quæ diximus esse tam in primo tabernaculo quam in secundo, hoc est in Sanctis sanctorum, *in priori quidem tabernaculo,* hoc est in illa parte templi in qua altare incensi erat, et ante cujus etiam fores erat altare holocaustorum, *semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes.* Non est ita intelligendum quod in templo super altare incensi hostias offerrent aut ubi perficerent sacrificia victimarum, sed potius sacrificiorum officia possumus accipere incensum, ad quod offerendum semper ingrediebantur sacerdotes mane et vespere, sive consummato et perfecto sacrificio ante templum, in

D altari holocaustorum, semper ingrediebantur in templum cum incenso. Potest et tertio modo intelligi, ut (sicut superius diximus) cum templo altare etiam holocaustorum comprehenderit, ac per hoc a parte totum voluerit comprehendere. Utrumque tamen pro vero accipi potest. *In secundo autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine* quem offert pro sua et populi ignorantia. Secundum autem tabernaculum in quod solus pontifex cum sanguine ingrediebatur, significat interiora patriæ cœlestis; ille vero pontifex significat Christum, qui semel ingressus est Sancta sanctorum intra velum, completa passione sua, ut assistant nunc vultui Dei pro nobis orans, non pro suis, sed pro nostris delictis, nisi forte dicatur orare pro suis, propter

communionem quam habet cum corpore suo, quod est Ecclesia : unde dicit in passione: *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum (Psal.* XXI, 1). Quæ sunt enim verba delictorum nisi corporis ejus quod nos sumus? *Ipse enim peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (I Petr.* II, 22), *hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse sanctorum viam*, id est, hoc significante Spiritu sancto ad Moysen, nondum venisse Christum qui semel cum sanguine passionis suæ ingrederetur cœlorum secreta, quasi diceret aliis verbis : Ideo solus pontifex cum sanguine intrabat semel in Sancta sanctorum, ut discamus quia cœleste regnum inaccessibile erat adhuc mortalibus, quoadusque veniret Christus qui, expleta passione sua, aperiret nobis januam patriæ cœlestis, reserato velo, id est cœlo. Nondum enim erat manifestata sanctorum via ingrediendi in patriam cœlestem, sive non manifesta via intelligentiæ, quia ignorabant homines quid significarent illa mysteria. Nec putemus illuc nos non posse ingredi quo pontifex noster prior ingressus est, ipse namque dicit ad Patrem : *Pater, volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum (Joan.* XVII, 24), et alibi, *ubi sum ego, illic et minister meus erit (Joan.* XII, 26). Et quia adhuc templum stabat quando Apostolus ista loquebatur, et munera legalia, quamvis sine causa ibi offerebantur, ideo subjunxit, dicens : *Adhuc priore tabernaculo habente statum quæ*, subaudis res, *parabola est*, hoc est figura et similitudo *temporis instantis* sive præsentis. Quod enim agebatur in templo tunc temporis, figura erat et similitudo istius veritatis, quæ jam in Ecclesia completur. Sequitur, *juxta quam*, subaudis parabolam sive figuram, *munera et hostiæ offeruntur*, adhuc ibi a sacerdotibus, *quæ*, munera vel hostiæ, *non possunt perfectum facere servientem juxta conscientiam*. Conscientia dicitur cordis scientia per quam intelligitur mens hominis ; illa, inquit, munera carnalia non poterant perfectum reddere servientem in lege, juxta perfectionem mentis, quia non valebant mentem justificare dum non tollebant graviora peccata. Neminem enim ad perfectum adduxit lex. Sed in quibus ex maxima parte mundatio legis constabat, subsequenter ostendit, inquiens *solummodo in cibis et potibus et variis baptismatibus et justitiis carnis*, subaudis videbatur perfectum facere servientem, *usque ad tempus correctionis*, id est meliorationis et emendationis, impositis istis scilicet justitiis carnis. Hæ justitiæ carnales in differentia ciborum et potuum, ac variorum baptismatum sive lavationum usque ad tempus Dominici adventus impositæ fuerunt, sicut et reliqua quæ agebantur in figura; Domino autem adveniente correctæ sunt, hoc est emendatæ ac in melius mutatæ. Nam per munda animalia quæ lex præcepit ut edantur, significantur munda opera; per immunda vero animalia, immunda opera intelliguntur, a quibus abstinendum est. Per potus vero mundos, doctrinam ecclesiasticorum virorum, per immundos vero, do-

A ctrinam hæreticorum nihilominus debemus accipere. De baptismatibus vero Judæorum plenius in Evangelio Marci legitur, ubi vituperabant Pharisæi Dominum et discipulos ejus *non lotis manibus manducare (Marc.* VII, 2). Omnes enim lavationes illorum nomine baptismatum designantur. Aliquando autem manus solummodo lavant, aliquando pedes, aliquando totum corpus quando aut aliquid immundum contingunt, aut etiam si ad mortuum accedunt. Sed frustra lavant manus corpusque totum, dum contemnunt fonte Salvatoris ablui. Nam quod propheta dicit : *Lavamini, mundi estote, et mundamini qui fertis vasa Domini (Isa.* I, 16), illi solummodo carnaliter intelligebant, cum potius de lavatione baptismatis Christi et munditia operum dictum

B sit. Ista omnia imposita erant usque ad tempus correctionis, hoc est usque ad tempus Dominici adventus. Postea vero immutata sunt a Christo in melius, quia dum carnaliter observabantur, munditiam corporis adimplebant; dum vero spiritaliter cœperunt observari, munditiam animæ pariter cœperunt operari

Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis. Pontifex Judæorum qui semel in anno cum sanguine introibat intra velum in Sancta sanctorum oraturus pro populo Christum significabat sicut jam multis in locis declaratum est, qui cum sanguine passionis suæ reserato cœlo ingressus est secreta patriæ cœlestis,

C ibi nunc assistit vultui Dei Patris, orans pro nobis. Pontifex autem futurorum bonorum duobus modis appellatur : futura enim bona quæ nobis ipse administravit, fuerunt verba cœlestia, passio illius, resurrectio, baptismus, remissio peccatorum, perfectaque justificatio, quæ idcirco futura bona appellabantur, vel quia mysteriis præfigurata sunt, vel etiam quia prædicta sunt in divinis oraculis. Altiori autem intellectu futura bona possumus accipere gaudia patriæ cœlestis, quæ nobis per Christum administrata sunt. Unde et pontifex appellatur, eo quod potestatem, id est viam justitiæ, viamque ad patriam cœlestem ascendendo nobis exhibuerit. Alia translatio habet, Christus adveniens pontifex futurorum

D bonorum. Nisi enim advenisset, nequaquam hæc futura bona nobis administrasset, neque assisteret vultui Dei Patris pro nobis. Notandumque quia non dixit simpliciter Apostolus illum assistere, sed per tabernaculum, usus etiam comparativo gradu, dicens : *Per amplius et perfectius*. Tabernaculum autem per quod assistit Deo Patri, humanitas illius est quoniam nisi homo fieret, nequaquam Deo Patri assistere posset. Tabernaculum ergo corporis Dominici amplius est tabernaculo Moysi, tabernaculo quoque Salomonis, quia illa manibus carnalium hominum facta sunt, hoc vero intra uterum virginis, sine semine virili, totius Trinitatis opere effigiatum est. Sive in hoc est amplius et majus illis tabernaculis, quia divinitas Verbi, quæ tota non potest

A comprehendi tabernaculo manufacto, in illo homine plenissime requiescit. Perfectius sive sanctius in hoc est illis tabernaculis, quia cum neutrum illorum sibi ministrantes sanctificare perfectosque facere posset, istud vero tabernaculum ad se accedentes et a peccatis mundare, et perfectos facere potest. Quod dixit, *non manufactum*, exposuit ipse, dicens : *Id est non hujus creationis* cujus nos sumus, quia non fuit semine virili concretum. Iste est lapis quem vidit Daniel abscisum de monte sine manibus, hoc est de populo Judæorum, natum sine semine virili et coitu masculino.

Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum sed per proprium sanguinem semel introivit in sancta æterna redemptione inventa, non cum sanguine legalium animalium, a quo perfecta justificatio non po- B terat dari : sed cum sanguine passionis suæ introivit in patriam cœlestem quo sanguine omnes sunt redempti, perfecteque justificati non temporali, sed æterna redemptione. De hac redemptione dicitur per Zachariam patrem beati Joannis : *Visitavit nos et fecit redemptionem plebis suæ (Luc.* I). Redemptio autem ad captivos pertinet, et nos captivi eramus, captivati a diabolo in primo parente nostro.

Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Si sanguis ani- C malium irrationabilium poterat mundare conscientiam nostram secundum carnem, et, sicut tunc temporis videbatur, sanctificabatur si quis immundus aspersus fuisset illo sanguine : multo magis sanguis Christi poterat mundare animam nostram et plenissime justificare. Sed ne quis putaret plenam justificationem et emundationem provenire aspersione illius sanguinis legalis, subintulit Apostolus carnis emundationem secundum legem per illum dari; quasi dicat: Sanctificatur quidem caro et mundatur propter legis præceptum, sed tamen anima non expiatur. Addidit quoque differentiæ causam, per quam demonstravit illum sanguinem animalium non esse immaculatum, dicens de Christo : Qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum D Deo. Spiritus sanctus, qui replevit illum hominem in utero virginali, custodivit eum ut absque peccato ab hoc mundo transiret, essetque immaculatum sacrificium in odorem suavitatis Deo Patri. Emundabit conscientiam nostram, id est mentem nostram ab operibus mortuis. Opera mortua sunt peccata, quæ animam occidunt. Sicut enim anima vivit virtutibus, quæ opera vitæ appellantur, ita moritur vitiis et peccatis, simulque trahitur ad mortem æternæ perditionis. Et bene dixit *ab operibus mortuis :* si quis enim in lege tangebat mortuum, polluebatur, tamen aspersione sanguinis postea mundabatur. Similiter qui imitatus fuerit opus mortuæ animæ, inquibatur : tamen per fidem Dominicæ passionis mundatur. Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea : tamen per fidem Dominicæ passionis mundabitur, hoc est, si per pœnitentiam et gratiam baptismatis quis fuerit ablutus ab operibus mortuis, si eadem iterum attigerit, contaminabitur. Sequitur : *Ad serviendum Deo viventi.* Hic apertissime ostenditur, quia opera mortua habentes non possent servire vivo et vero Deo, quia illi mortui sunt et falsi. Si enim qui mortuum aut aliquod immundum tangebat, non oportebat eum intrare in templum, quanto magis quis opera mortua habens, non poterit intrare in cœlum.

Et ideo Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, sive interveniente *in redemptionem earumdem prævaricationum, quæ erant sub priori testamento repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis : ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat,* seu interveniat *testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin,* id est aliter, *nondum valet* firmum esse testamentum, *dum vivit* ille *qui testatus est.* Leges humanas hic videtur Apostolus tangere, quæ solent testamentum quod alter alteri de hæreditate sua facit, infirmum facere, quousque testator ipsius testamenti morte interveniente discesserit : mortuo vero illo testatore qui testamentum fecit, omnino jam firmum manet. In hunc modum testamentum vitæ æternæ quod a Christo accepimus non aliter nobis firmum manere poterat, nisi ipse morte sua illud roborasset. Tantum enim erat peccatum nostrum, ut aliter non potuissemus redimi et salvari nisi unigenitus Dei Filius pro nobis moreretur. Et quia ad illud consequendum quod ille promiserat indigni eramus, ipse nobis morte sua mediator factus est, ut per mortem suam indebitam illam quæ nobis debebatur auferret. Et quia fortassis poterant multi minus perfecti dubitare de promissionibus Domini, maxime ex eo quod mortuus est quasi infirmus, beatus Apostolus ponit exempla ex communi consuetudine legum humanarum, ostendens quia non viventibus testatoribus, sed morientibus firmantur testamenta, fortitudinemque accipiunt. Quandiu enim vivit testator, potest immutare sententiam suam, et alios atque alios hæredes adducere in hæreditatem suam. Quapropter volens Apostolus firmum esse testamentum, quod Christus nobis dimisit, dicens : Ideo, inquiens, Christus Novi Testamenti mediator est, ut morte sua interveniente in redemptionem illarum prævaricationum, quæ non poterant auferri et deleri in priori testamento deletæ sunt autem per ejus passionem, ut repromissionem æternæ hæreditatis accipiant illi qui vocati sunt æterna vocatione. Nam non loquitur hic de generali vocatione de qua Dominus ait : *Multi sunt vocati*, sed *pauci electi (Matth.* XX), sed illa de qua idem egregius prædicator loquens, ait de electis Dei quos præscivit, hos et prædestinavit et quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, illos et justificavit, et quos justificavit, illos et magnificavit. Titulum autem æternæ hæreditatis ex

parte in præsenti sæculo jam possidemus nobis a Domino datum, Evangelium videlicet illius, quod observatores suos æternaliter cum Deo facit vivere, subministrans gratiam Spiritus sancti, remissionem peccatorum, cognitionem suam et pacem quam nobis reliquit pergens ad passionem suam. *Pacem*, inquit, *relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Istum quidem titulum hæreditatis quasi arrham in præsenti habemus, sed perfectius nobis supplebitur, cum erit Deus omnia in omnibus, cum tradiderit Christus regnum Deo Patri, cum fuerimus perducti ad gaudia patriæ cœlestis, in qua futuri sunt electi sicut angeli Dei in cœlo videntes Deum sicuti est: et hæc erit perfecta hæreditas electorum, quam Christus in morte sua confirmavit.

Unde, hoc est, quia testamentum in mortuis confirmatur, *nec primum quidem* testamentum *sine sanguine dedicatum est*, id est confirmatum et consecratum.

Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit dicens. Omnia ista in figura agebantur. Nam vitulus ille, qui plerumque hostia sacerdotis erat, Christum significabat, qui verus sacerdos existens, vitulum, hoc est semetipsum obtulit Deo Patri in ara crucis. Iste est vitulus quem pius pater mactavit pro reversione filii prodigi. Hircus quoque qui pro peccato offerebatur eumdem Christum significabat, qui pro peccatoribus oblatus est, juxta quod idem apostolus alias ait. Eum qui non noverat peccatum. Deus Pater pro nobis peccatum fecit, hoc est hostiam pro peccato. Quod enim Vetus Testamentum sanguine respersum est ad confirmationem, similiter et populus, typice significabat sanguine passionis Christi Novum Testamentum confirmandum, et populum credentem mundandum: aqua autem qua populus aspergebatur, aqua et baptismatis qua fideles perfunduntur. Lana coccinea charitatem Christi qui pro nobis passus est, et de qua alibi dicitur: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret pro mundo. Hyssopus herba est humilis in petra nascens, per quam humilitas designatur Christi et fortitudo, qua interiora nostra purgantur. Nam hujus herbæ genere, pulmonum vitia purgari solent. Potest et per hysopum pœnitentia accipi, quæ fortiter peracta interiora vitia mentis purgat.

Hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus; ac si diceret: Hæc est confirmatio hujus testamenti quod mandavit ad vos Deus. Iste sanguis præfigurabat illum sanguinem qui de latere Christi in cruce manavit. Hoc sanguine Christus et nos aspersit, et testamentum suum confirmavit, sicut ipse dixit: *Hic est sanguis Novi Testamenti in remissionem peccatorum* (*Marc.* XIV).

Etiam tabernaculum et omnia vasa mysterii, sanguine similiter aspersit. Tabernaculum illi intelligendi sunt, de quibus per prophetam Deus loquitur, dicens: Inhabitabo in illis, et inambulabo. Et de quibus Apostolus alibi dicit: *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos* (*I Cor.* III). Vasa vero diversa, fideles sunt in Ecclesia, diversa officia habentes. Quidam etenim sunt vasa prædicationis sicut Apostolus, de quo Dominus ad Ananiam ait: *Vas electionis mihi iste* (*Act.* IX). Quidam vero diversos gradus ac varia officia habent, quæ idem egregius prædicator commemorans, ait (*I Cor.* XII): *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii prophetia*, alii gratia sanitatum, et alii atque alii diversa dona habent quæ singulis dividit Spiritus sanctus prout vult. Tabernaculum ergo et omnia vasa illius sanguine asperguntur, quia universalis Ecclesia cum omnibus sibi ministrantibus sanguine passionis Christi mundatur. Sequitur: *Et omnia pene in sanguine mundantur secundum legem, et sine sanguinis effusione non fit remissio.* Quare dixit pene in sanguine mundari omnia secundum legem? Quoniam illis non erat perfecta mundatio, neque perfecta remissio: corpora enim quantum ad legem pertinent mundabantur aspersione sive effusione sanguinis animalium, leviaque peccata relaxabantur: sed in hoc quod majora crimina non tollebat, neque perfectum hominem reddebat non erat perfecta mundatio. Perfecta autem mundatio et remissio in sanguine Christi consistit, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum, sine cujus sanguinis effusione nemo redimitur.

Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his sacrificiis et aspersionibus *mundari. Ipsa autem cœlestia, melioribus hostiis* mundantur *quam istis.* Sacrificia legalia, exemplaria, id est figuram et similitudinem vocat: ista autem quæ modo in Ecclesia in veritate celebrantur, cœlestia appellat, id est spiritalia, quoniam spiritualia sunt, et spiritualiter agenda; sive cœlestia, eo quod illos qui in veritate ea celebrant, ad cœlestia perducant. Exemplaria, inquit, cœlestium mysteriorum ac rerum quæ in lege agebantur in figura istorum, quæ modo in Ecclesia complentur, necesse erat mundari talibus sacrificiis typicis, et aspersionibus figurativis, quia non habebantur vera ipsa aut cœlestia, id est spiritalia quæ in veritate modo in Ecclesia celebrantur, melioribus hostiis mundantur quam istis legalibus, sanguine videlicet passionis Christi; nam quia quærebantur vera sacrificia, quibus perfecte potuissent homines mundari, nec inveniebantur, necesse fuit tam diu manere illa, quousque vera advenirent.

Non enim in manufactis Sanctis Jesus introiit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Non introivit, inquit, Jesus in manufactis sanctis, subaudis quæ sunt exemplaria verorum. Manufacta appellat Sancta sanctorum, quæ primum manibus Beseleel facta sunt in eremo, et postea similiter manibus operatorum in templo Salomonis, in quo non introiit Jesus, sed in ipsum cœlum, quod non est manibus hominum factum, sed jussione et voluntate Verbi Dei extensum.

Igitur illa fuerunt exemplaria et figuræ verorum, quia ista vera Sancta sanctorum præfigurabant quæ Christus semel introiit Introire autem dicimus Jesum secundum id quod homo est. Nam secundum id quod Deus est, ubique est, et omnia implet, nec in manufactis hominum introiit sed in ipsum cœlum, jussione Dei creatum. Nec hanc solam differentiam ostendit, sed etiam pontificem proximum primum factorem, ut appareat, inquit vultui Dei pro nobis, hoc est, ut seipsum exhibeat potentiæ paternæ nobisque illum propitium reddat. Unde Joannes dicit : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*Joan.* II). *Neque* enim *ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta sanctorum per singulos annos in sanguine alieno ; alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi.* Non est Christus ad hoc ingressus in Sancta sanctorum, ut sæpe semetipsum offerat quemadmodum pontifex Judæorum ingrediebatur in Sancta sanctorum per singulos annos, neque cum sanguine alieno, sed cum suo, quoniam ipse qui sacerdos est et sacrificium, semel seipsum obtulit in ara crucis : ac vero *resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI) : nec est necesse ut amplius moriatur, quoniam ad salutem omnium credentium satis sufficit una passio ejus.

Alioquin, hoc est si aliter esset, ut semel passus non prodesset omnibus, sæpius oporteret eum crucifigi ab origine mundi, hoc est, quot fuerunt electi et quot futuri sunt pro singulis mori illum oporteret, si eos redimere vellet ; sed noluit nisi tantum semel mori, quia una morte illius redemptio facta est.

Nunc autem semel in consummatione, hoc est in fine *sæculorum* in novissima ætate, *ad* destructionem *peccati per hostiam suam apparuit*, hoc est per corpus suum quod fecit hostiam pro peccato. Semel, inquit, in fine sæculorum ad hoc apparuit, ut per hostiam suam destrueret peccatum. Merito tunc apparuit, quando multa erant peccata, ut ostenderet divitias gratiæ suæ. Si enim in principio fieret, fortassis nullus crederet et hoc semel in consummatione sæculorum, per proprium sanguinem, non per alienum.

Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium : sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata ; secundo sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem. Sicut hominibus statutum et decretum est, ut non possint mori nisi semel, postea autem accipiant judicium, hoc est prout unusquisque gessit in corpore sive bonum, sive malum : sic et Christus semel oblatus est a semetipso ad multorum tollenda peccata, nec potest amplius mori, sed nec indigemus. Notandum autem ad multorum tollenda peccata illum esse oblatum, et non omnium, quia non omnes credituri sunt. Tale est quod ipse Dominus apostolis ait : *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui* pro vobis et *pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI). Quod autem sequitur: *secundo sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem*, tale est ac si diceret : Primum quidem ille apparuit per hostiam suam, hoc est per corpus mortale, quod fuit hostia pro peccato, secundo autem apparebit sine hostia pro peccato, quia jam non erit hostia pro peccato, sicut prius fuit. Non enim poterit deinceps mori. Sicut enim unusquisque nostrum post mortem recipit juxta opera sua : ita Christus devicta morte, et adepto regno, *secundo apparebit exspectantibus se in salutem*, ut juste vindicet suos, qui juste passus est ab alienis. Melior est hæc apparitio exspectantibus se in salutem, quam communis visio de qua dicitur: *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt* (*Apoc.* I). Hoc est ergo secundo apparere sine peccato jam non videri in similitudinem carnis peccati, sed nec aliorum peccata portantem in corpore suo super lignum, sicut in primo adventu fecit, nec intervenire amplius pro peccatis, sed vindictam exercere in peccantes.

CAPUT X.

Umbram enim habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum per singulos annos eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere. Ordo verborum est : Habens lex umbram futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum, nunquam potest accedentes ad se perfectos facere eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter per singulos annos. Futura bona duobus modis intelligenda sunt, videlicet vel sacramenta quæ in veritate in Christo et in Ecclesia completa sunt, quæ futura erant ut venirent, vel etiam gaudia patriæ cœlestis. Umbram autem vocat figuram et similitudinem, imaginem autem pro veritate ponit. Multifariam igitur sacramenta Christi et Ecclesiæ per figuram ostendebat, donec veniret ipsa Veritas Christus, qui interiorem ejusdem figuræ sensum data gratia Spiritus sancti Ecclesiæ suæ patefaceret, simulque moriendo in cruce, omnia illa sacramenta revelaret. Nunquam autem potuit accedentes ad se perfecte mundare eisdem ipsis hostiis quas semper offerebant ipsi sacerdotes per singulos annos. Easdem enim ipsas hostias irrationabiles offerebant omnibus annis, arietes videlicet, boves, hircos, turtures, et columbas. Sequitur : *Alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores illius semel mundati; sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.* Alioquin, hoc est si ab omnibus essent liberati peccatis, cessassent offerri illæ hostiæ eo quod nullam haberent ultra conscientiam, id est memoriam et recordationem peccatorum illorum a quibus cultores illius semel mundati essent. Sed quia hoc non potuit fieri, et nunquam potuerunt majora et criminalia peccata illis sacrificiis mundari ; fit per singulos annos commemoratio peccatorum in ipsis hostiis ; verbi gratia: Si obtulisset quis præsenti anno hostias pro peccato adulterii, aut sacrilegii, aut parricidii, necesse erat, ut omnibus annis id ageret, quoniam non poterat per-

fecte expiari ab illo piaculo. Proinde accusatio peccatorum fuit quod fiebat, non solutio: accusatio infirmitatis, non virtutis ostensio. In eo enim quod semper offerebantur, redargutio peccatorum erat : in eo autem quod semper necessaria, redargutio infirmitatis ejusdem sacrificii. Propter hoc, inquit, impetravit semper offerri propter infirmitatem, quia non poterat perfecte mundare, et ut memoria et redargutio peccatorum fieret. Quid ergo dicendum est? Nunquid et sacerdotes nostri quotidie idem non agunt dum offerunt assidue sacrificium? Offerunt quidem, sed ad recordationem facientes mortis ejus. Et quia nos quotidie peccamus, quotidie indigemus mundari. Et quia ille non potest jam mori, dedit nobis hoc sacramentum corporis et sanguinis sui, ut sicut passio illius redemptio et ablutio fuit mundi, ita etiam ista oblatio, redemptio et mundatio sit omnibus in vestra fide offerentibus, bonamque intentionem habentibus. In hoc enim differt ab illo veteri sacrificio sæpius repetito istud nostrum quod similiter repetitur, quia istud est veritas, illud figura, illud perfectum reddit hominem, illud minime, et istud non causa infirmitatis suæ repetitur : quod non possit perfectam conferre salutem, sed in commemorationem passionis Christi, sicut ipse dixit : *Hoc facite*, inquiens, *in meam commemorationem* (*Luc.* XXIV) : et una est hæc hostia non multæ sicut illæ erant. Quomodo una est et non multæ, cum et a multis et diversis in locis diversisque temporibus offeratur? Attentissime ergo animadvertendum est quia divinitas Verbi Dei, quæ una est et omnia replet, et tota ubique est, ipsa facit ut non sint plura sacrificia, sed unum sacrificium, licet a multis offeratur, ut sit unum corpus Christi cum illo quod suscepit in utero virginali, non multa corpora. Hæc nunc quidem aliud magnum, aliud minus, aliud hodie, aliud cras offerimus semper : sed idipsum æquam magnitudinem habens. Proinde unum est hoc sacrificium Christi, non diversa, sicut illorum erant. Nam si aliter esset, quoniam in multis locis offertur, multi essent Christi : unus ergo Christus ubique est, et hic plenus existens, et illic plenus, unum corpus ubique habens : et sicut qui ubique offertur unum corpus est non multa corpora : ita etiam et unum sacrificium. Sequitur: *Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata*. Quæ ratio esse poterat ut rationabilis homo sanguine irrationabilis animalis mundaretur? Quapropter etsi leviora peccata per illa sacrificia purgabantur, corpusque mundabatur, quantum ad legem pertinet, tamen impossibile erat, criminalia et graviora peccata illis sacrificiis mundari. Unde neminem ad perfectum adduxit lex.

Ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Anteriores hostiæ ostenduntur his verbis inutiles esse ad integram per-

A fectamque mundationem, et forma magis fuisse, nec esse acceptabiles Deo, quoniam ab initio non placuerunt ei. Non est putandum quod omnipotens Deus nidore carnium et concrematione animalium unquam delectatus fuerit, licet legatur odoratus esse odorem suavitatis, sed fide et desiderio offerentis, unde et per Hieremiam dicit : *Holocaustomata vestra non sunt* mihi *accepta, et victimæ vestræ non placuerunt mihi* (*Hier.* VI), et per Isaiam : *Ne offeratis* (inquit) *ultra sacrificium* mihi, *incensum abominatio est mihi. Qui mactat* bovem, *quasi qui excerebret canem* (*Isa.* I; LXVI). Sed quæstio hinc potest oriri non modica, quare imperaverit ut offerri debuissent, si illi non placuerunt, nec voluntatis illius fuit? Quæ gemina solutione potest solvi. Considerans Deus omnipotens

B animos Judæorum pronos ad idola colenda, et ritum gentium imitandum, imperavit eis multa et gravia sacrificia offerre, ne otiosi sine sacrificiis sedentes, in cultum deorum alienorum, cum vidissent alios offerre, inciderent, maluitque sibi offerri a se creata, quam idolis, dæmoniorumque portentis, imposuitque illis in servitutem, non in justificationem, quia non est ejus voluntas talia offerri : tali modo et egregius prædicator, ut pote creatura Creatorem sequens suis in dictis peregit, dicens : *Volo omnes homines esse sicut meipsum* (*I Cor.* VII), id est castos et continentes; et iterum : *Volo* (inquit) *juvenes nubere, filios procreare* (*I Tim.* V), propter fornicationem et adulterium. Ecce duas voluntates constituit, sed tamen non sunt ejus ambæ. Primum dicens : Volo omnes

C homines esse in continentia sicut meipsum, voluntatem suam expressit. Secundo vero, Volo juvenes nubere; indigentiæ causa taliter locutus est propter fragilitatem carnis. Similiter non erat voluntas omnipotentis Dei talia sacrificia offerri, sed propter humilitatem illorum præcepit. Unde superius dixit, quia non solum non voluit, sed nec desideravit. Potest et ita resolvi, ut quia futurum erat verum sacrificium per Christum in Ecclesia, præceperit typica et figurativa sacrificia, præcedere. Et revera ita necesse erat ut, sicut verbis prænuntiabatur, ita etiam et mysteriis præsignaretur, quatenus a figura citius transirent ad veritatem. Sed quia illi non placuerunt illa sacrificia advenit iterum, de quo Apostolus ait : Ideo, inquit, quia impossibile erat san-

D guine hircorum auferri peccata, et quia non placebant Deo talia sacrificia, ingrediens mundum non dubium est quin Christus dicat: Ingressio autem ista nihil est aliud nisi missio ejus, ac participatio ejus, videlicet humanitatis. Quando enim qui ubique præsens erat, sed tamen invisibilis, factus postea homo visibilis, mundo apparuit, quodammodo ubi erat illuc ingressus est. Et quid dicit Deo Patri : *Hostiam*, inquit, *et oblationem noluisti, corpus autem aptasti* sive perfecisti *mihi :* illud tibi offeram sacrificium acceptum. *Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi : Ecce venio* per incarnationis mysterium, ut meo sacrificio redimam genus humanum. Holocaustum dicebatur eo quod totum crema-

retur in altari quasi totum incensum. Nam *holon* dicitur totum, *caustum* vero, incensum. Sed si holocaustomata pro peccato ei non placebant, quæri potest quomodo mundabantur. Ad quod respondendum est : quia fide et pœnitentia digna mundabantur, sicut mundatus est David a peccato adulterii atque homicidii. Perfecta autem mundatio in Christi adventu data est. *In capite libri scriptum est de me : ut faciam, Deus, voluntatem tuam*. De hujus libri capite diverse a doctoribus disputatur. Quidam enim intelligunt hic initium Genesis (*cap.* I), ubi scriptum est, quod in principio, id est in Filio fecerit Deus cœlum et terram ; quidam primum psalmum, quem quidam referunt ad Christum, quidam ad quemlibet electum, in quo dicitur : *In lege Domini voluntas ejus* (*Psal.* I). Sed quia in his nihil de morte Christi præfiguratur, de qua Apostolus sermonem per totum hunc locum habet, melius videtur intelligi de Levitici libri initio dictum, qui liber cum totus de sacrificiis et hostiis contineatur, primum sacrificium de vitulo præcepit offerri, dicens : Si quis ex vobis hostiam offert Domino de pecoribus, masculum immaculatum offerat, hoc est, vitulum de bobus, sive de armento. Vitulus iste de bobus assumptus, atque in sacrificium oblatus, Christus est de genere patriarcharum ortus, ac pro salute generis humani immolatus. Dicit ergo Christus ad Patrem : Quia sacrificia irrationabilium animalium tibi non placent, eo quod perfecte hominem mundare non possunt, ecce venio in mundum per incarnationis mysterium. *In capite* etenim *libri* Levitici *scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam*, hoc est, ut moriar pro salute generis humani. Voluntas enim Dei Patris fuit, ut Filius sua passione genus humanum redimeret. Unde ipse Filius appropinquans suæ passioni dixit. (*Joan.* XIV) : *Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem : et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio Surgite, eamus hinc* ad passionem. *Superius dicens : Quia hostias, et oblationes, et holocaustomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi : Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam : aufert primum*, subaudis testamentum : dum ejus oblationes respuit, *ut sequens* testamentum *statuat*, id est stare et permanere faciat.

In qua voluntate Dei Patris quam Filius adimplevit, *sanctificati sumus* in baptismate *per oblationem corporis Jesu Christi semel*. Quod dicit, *semel*, tale est ac si diceret : Sanctificati sumus in baptismate per passionem, quam Christus celebravit semel.

Et omnis quidem sacerdos legis *præsto est* altari *quotidie ministrans et easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata*, subaudis criminalia atque capitalia.

Hic autem haud dubium quin Christus *unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus*. Ministrare sive offerre, signum est ministrationis, per quod intelligitur humilitas Christi : at vero sedere, signum est judicantis et dominantis, et ut ei ministretur, per quod ostenditur exaltatio et gloria Filii Dei, qui humilis quidem apparuit, nunc autem exaltatus super omnem creaturam, habitat in plenitudine paternæ majestatis, exspectans et considerans tempus de reliquo, quando judicet orbem terræ. Et cujus rei causa fiat subjectio exponit, dicens : Ut *ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus*. Inimici ejus sunt Judæi, hæretici et falsi christiani, omnes infideles qui subjiciendi sunt potestati illius : hic enim et necessaria potest subjectio intelligi, quæ pertinet ad reprobos, in nequitia permanentes, et voluntaria, quæ pertinet ad electos, qui deserentes viam nequitiæ, sponte se subdunt Christi per fidem. Illi sacerdotes Judæorum, multas quotidie offerendo hostias, non poterant auferre peccata : Christus autem semel semetipsum offerens, abstulit peccata mundi, et sedet nunc in gloria Dei Patris.

Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, id est semel se offerens perfectos fecit sanctificatos in sempiternum.

Contestatur autem nos et Spiritus sanctus. Postquam enim dixit : Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas, et peccatorum et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. Contestatur, inquit, nos, et Spiritus sanctus, id est testimonio suo verba nostra confirmat, non solum per Psalmistam, sed etiam per prophetam, quia illæ hostiæ jam non sunt offerendæ. In sequentibus verbis defectus sententiæ est satis necessarius, quapropter dicatur ita : *Postquam enim dixit* omnipotens Deus per prophetam Jeremiam : *Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus ; dabo leges meas in cordibus eorum et in mentibus eorum superscribam eas*, statim subintulit : *Et peccatorum eorum non memorabor amplius*, ostendens jam non fore deinceps necessarias hostias figurativas, quod etiam Apostolus manifestat, dum subdit : *Ubi autem horum peccatorum remissio jam non est* necessaria *oblatio pro peccato*. Nam postquam hoc testamentum adimpletum est quod Deus per prophetam promittebat, statim illæ hostiæ finem acceperunt, quia veniente veritate umbra discessit. Notandum autem, quia ubi recordatio peccatorum non est, quæ in baptismate per fidem Dominicæ passionis dimittuntur, jam non est necessaria oblatio legis pro peccato.

Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum, in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est, carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei. Hactenus ostendit pontificis et hostiarum, tabernaculi quoque et testamenti et repromissionis distantiam; multamque differentiam : nunc invitando hortatur accedere ad ea quæ per Christum in veritate nobis advenerunt, dans auctoritatem de magno pon-

tifice, dicens: Propterea (inquit) plus habemus fiduciam per sanguinem Christi mundari, quam illi qui carnaliter hostias offerebant, quia hostia nostra vera et rationabilis est. In tantum enim majorem fiduciam habemus in ingressu cœlorum per sanguinem Christi, in quantum magis cohæredes effecti sumus. Nullus autem ad dona Spiritus sancti pervenire valebit nisi per fidem sive fiduciam, id est per viam novam et viventem quam initiavit nobis Christus, hoc est initium utendi dedit: viam vero novam dicit fidem novam, quæ per Christum data est, sive exemplum humilitatis, per quod ipse perrexit, humilians semetipsum usque ad mortem. Possumus, et novam viam accipere aditum patriæ cœlestis nobis per Christum reseratum, qui idcirco nova via appellatur, quoniam nulli antea gressibilis fuit. Dicendo autem novam, conatur ostendere cuncta majora nova nos habere. Siquidem nunc aperta est nobis via fidei, per quam plenissimam justificationem accipimus, et apertæ sunt nobis portæ cœli, quod nemini antea concedebatur. Viventem quoque appellavit eam, hoc est semper manentem seu semper patentem, quoniam et fides recta æternaliter manebit et porta cœli semper patebit. Initiavit autem hanc viam nobis Christus, id est dedicavit et confirmavit seu initium utendi dedit, per velamen, id est per carnem suam idemque primo secavit illam viam ascendendo ad patriam cœlestem, et ipsa prima initium nobis dedit utendi. Caro autem Dominica non incongrue velaminis nomine designatur, quia sicut velum celabat arcam et ea quæ intra illud erant, ita intra illam divinitatis Verbi Dei latebat, et sicut per velamen perveniebatur ad interiora ita per humanitatem pervenitur ad divinitatis cognitionem. Sacerdos autem magnus super domum Dei, Christus intelligitur, qui est a Deo Patre constitutus super Ecclesiam, juxta quod ipse dicit: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* (*Psal.* II). Sequitur: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda.* Ex superioribus ista pendent, ubi dixit Apostolus: *Habentes itaque, fratres, fiduciam in* ingressu *sanctorum per sanguinem Christi, accedamus* ad eum *cum vero corde.* Quid esset in vero corde accedere ad Christum exposuit, subjungens, *in plenitudine fidei*, ut credamus resurrectionem generalem futuram; quasi diceret: Jam quia fiduciam habemus ingredi in patriam cœlestem, non debemus hæsitare quod quorumdam sit resurrectio, quorumdam vero non, sed vera fidei debemus credere omnes homines resurrecturos quosdam ad gloriam, quosdam autem ad pœnam. Nam si quis de hoc hæsitat, non habet veram plenamque fidem. Potest et aliter intelligi: Plena fides est quæ concipitur corde, confitetur ore et operibus bonis exornatur. Hac fide accedendum est ad Deum, quicunque vult introitum patriæ cœlestis sibi reserari. Necesse est etiam ut sint aspersi corda a conscientia mala, id est mundati per corda sive mundata corda habentes a peccatis et voluntate mala, simulque ostendit quia non fide sola, sed etiam vita cum virtutibus quæritur, *quoniam fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Judæi corpora mundabant, nos conscientiam. Et abluti, inquit, corpus, id est ablutum corpus habentes aqua munda, hoc est aqua baptismatis. Idcirco autem dicit corpus aqua baptismatis abluendum, quia dum corpus abluitur, aqua Spiritu sancto sanctificatur anima.

Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem. Fidelis enim est qui repromisit. Confessionem spei indeclinabiliter tenemus, si non desperamus de patria cœlesti, et de omnibus quæ nobis promisit Dominus, vel si firmiter ea observamus quæ professi sumus in baptismate. Sicut enim fidelis et verus remunerator est Christus in promissionibus suis, ita fideles nos esse vult in promissis nostris quæ vovimus tempore baptismatis, diabolo videlicet contradicere Christoque servire.

Consideremus invicem in provocationem charitatis et bonorum operum, hoc est consideremus diligenter inter nos, et quemcunque viderimus majorem charitatem habere, et operibus melioribus intentum, provocemur illius exemplo, quatenus eum summopere imitemur, et in eum intendamus, et diligamus: ex dilectione quippe bona opera procedunt. Quapropter magnum bonum est dilectio, nullumque bonum, quod non per charitatem fiat: quia plenitudo legis est charitas.

Non deserentes collectionem nostram, id est congregationem fidelium, *sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolantes*, subaudis vos *invicem.* In hoc loco non solum admonuit, sed etiam culpavit et terruit unitatem charitatis scindentes. Erant enim multi qui conturbabant congregationem fidelium, quasi non possent inter illos habitare causæ suæ sanctitatis, et deserebant collectionem illorum habitantes soli, ut Deo liberius viderentur vacare. Isti tales typo superbiæ distenti despiciebant reliquos et disrumpebant charitatem. Quod Apostolus utrumque et admonet et terret, hortans non deserere societatem fidelium, sed potius consolari simpliciores, et suo exemplo confortare. Si enim tantum valet societas fidelium, ut ubi duo vel tres congregati sunt in nomine Salvatoris, ipse sit in medio eorum: multo magis ubi plures sunt fidelium Christus eis semper præsens aderit. Sequitur: *Et tanto magis*, semper subaudis sectamini charitatem, vosque invicem consolamini, *quanto videritis appropinquare diem* judicii, in quo singulorum merita examinabuntur, vel etiam extremum diem vitæ nostræ. Dicit enim alio in loco: *Nihil solliciti sitis, Dominus prope est* (*Philip.* IV).

Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, id est post notitiam veræ fidei, gratiæque baptismatis, *jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Sponte peccantibus nobis et deliberate postquam accepimus agnitionem veræ fidei, et postquam mundati sumus in baptismate, non reservatur nobis

ultra hostia pro peccato, quæ pro nobis offerantur, sicut in veteri lege donatum est, hostias sæpius offerre pro peccatis. Neque enim Christus qui est hostia nostra, iterum immolandus est pro peccatis nostris : hoc enim semel factum, et secundo opus non est, sed magis opus est post acceptam gratiam permanere in fide recta, et munditia bonorum operum. Mundatus es in baptismate, liberatus es a criminibus omnibusque peccatis, factusque es Filius Dei. Si ad primum vomitum reversus fueris, gravissimum te exspectat judicium, sicut sequentia manifestant, nisi per dignam pœnitentiam revocatus fueris. His autem verbis non pœnitentiam excludit, neque propitiationem quæ sit per pœnitentiæ medicamentum, sed secundum lavacrum baptismi excludit. Non enim ita est inimicus salutis nostræ, ut diceret, non est ultra pœnitentia, neque peccatorum remissio, sed hostia, inquit, ultra non est, hoc est, crux ultra non est secunda ut iterum Christus crucifigatur, iterumque nos baptizemur. Nam sicut Christus semel mortuus est, et jam non moritur, ita nos semel baptizati in fide mortis ejus et sepulturæ, sicut Apostolus alias dicit, consepulti cum illo per baptismum in mortem jam non possumus rebaptizari.

Terribilis autem quædam exspectatio judicii et ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios. Æmulatio aliquando pro imitatione ponitur, aliquando pro invidentia : hic autem pro consumptione et vindicta accipitur. Terret ergo Apostolus omnes, ut metuant post baptismi lavacrum ad vitia relabi, quia non possunt rebaptizari. Terret etiam ut si peccaverint, pœnitentiam statim studeant agere dignam, quoniam quicunque pœnitentiæ medicamentum neglexerit, vindicta et consumptio ignis æterni devorabit eum. Quapropter unusquisque ad pœnitentiæ dum tempus habet medicamentum confugiat, ne igni tradatur æterno.

Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus, subaudis convictus, *moritur.*

Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Lex Moysi dicitur, vel quia per Moysen populo data, vel quia Moysi data est a Domino, sicut et nos soliti sumus dicere in oratione Dominica ad Deum : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Luc.* XI), non quod noster ante fuerit, sed cum ab illo datur, noster efficitur. Incutit autem Apostolus terrorem Christianis, sumens comparationem a lege Moysi, quam si quis transgressus fuisset, irritam eam et inanem faciens, duobus vel tribus testibus convictus, sine ulla miseratione et venia a judicibus dijudicatus, confestim occidebatur. Dicit ergo : Si ille, inquiens, qui legem, quæ per servum data est, transgressus fuerat, sine ulla miseratione occidebatur, quanto magis majora supplicia sustinebit, qui Filium Dei conculcaverit? Utique quanto major est Christus Moyse, et gratia Evangelii per Filium data quam lex per servum administrata, tanto majora merebitur supplicia, qui Christum conculcaverit. Sed quomodo possumus illum conculcare qui in dextera Dei Patris sedet, elevatus super omnes cœlos? Dum enim præcepta illius pro nihilo ducimus, dedignantes ea implere, tunc utique eum conculcamus. Sicut enim ea quæ conculcamus pro nihilo ducimus, et nullius honoris, sic et qui libere peccant, absque timore et absque pœnitentia, Christum conculcant, sive contemnunt, atque despiciunt, eumque judicem futurum minime formidant. Vel certe Christum conculcat, quicunque corpus illius indigne percipit. Sive (ut tertio modo dicamus) Christum conculcat, qui male vivendo de tabernaculo cordis sui eum expellit, qui dixit : *Inhabitabo in illis et inambulabo* (*Levit.* XXVI). Sanguinem quoque testamenti pollutum ducit, sive, ut in Gregorio habetur, communem sive immundum, qui sanguinem passionis Christi pro nihilo ducit, quo Testamentum Novum confirmatum est, quo ipse etiam sanctificatus est tempore baptismatis. Alio enim modo nihilominus sanguinem testamenti pollutum ducere, est mysterium sanguinis Christi indigne percipere, nullamque differentiam inter illum et reliquos potus facere, cum in illo sanctificatus sit tempore baptismatis, et possit etiam quotidie sanctificari, si digne perceperit eum. De talibus dicit Apostolus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus et sanguinem Domini* (*I Cor.* XI), sive discernens a reliquis cibis et potibus, spiritui quoque gratiæ, id est, Spiritui sancto contumeliam facit, qui de tabernaculo cordis sui male vivendo, illum ejicit, vel qui non credit quod per illum in Ecclesia fit remissio peccatorum, vel certe qui blasphemat illum opera ejus denegando, et diabolo tribuendo. Unde Dominus dicit : *Qui blasphemaverit in Spiritum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* XII). Qui idcirco spiritus gratiæ vocatur vel quia per illum nobis gratis dimittuntur peccata, vel certe quia illo distribuente dividuntur gratiæ donorum spiritualium fidelibus, quas Apostolus commemorat, dicens : *Et alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* (*I Cor.* XII), et cætera, usque dum concludit, dicens : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* (*Ibid.*)

Scimus enim qui dixit : Mihi vindictam et ego retribuam. Loquitur omnipotens Deus per Prophetam : Mihi injuriam et contumeliam facientibus vindictam reddam et retribuam eis juxta quod merentur (*Deut.* XXXII ; *Rom.* XII). *Et iterum : Quia judicabit Dominus populum suum.* De inimicis suis hoc dictum est : *Ego retribuam* eis, qui male faciunt, non de his qui male patiuntur, de his videlicet qui negligenter vivunt, et per pœnitentiam se purgare nolunt ; sed cum male faciunt, secure ad mensam Dominicam accedunt. Populum autem quem Dominus judicare dicitur, dupliciter possumus intelligere, et ad electum scilicet populum referre et ad reprobum. Judicabit enim Do-

minus populum suum, hoc est, separabit plebem suam et discernet bonos a malis, fideles ab infidelibus. Quod si ad reprobos relatum fuerit, judicare pro damnare accipiendum erit: populus autem Domini appellatur non per gratiam, sed per creationem.

Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Incidit in manus Domini, qui judicium hominis contremiscit et judicium Dei parvi pendit. Incidit quoque in manus Domini, id est in potestatem et judicium omnipotentis Dei, quisquis post peccatum contemnit pœnitentiam agere. Quicunque ergo peccator est, si non pœnituerit de peccatis suis, incidet in horrendum et valde extimendum judicium omnipotentis Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua.

Rememoramini autem pristinos dies in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum. Optimi medicorum cum vulnus secuerint, et per incisionem augmentum doloris fecerint, solatium et remedium illi loco adhibent, ubi dolor inest, et perturbatam refovent animam. Postquam autem recreaverint illum, alteram jam non adjiciunt sectionem, quin etiam illa quæ secta sunt, medicaminibus mitioribus et valentibus mitigare student, sic et Apostolus isto in loco more illorum egit. Postquam enim concussit animos eorum, et compunxit mentione gehennæ, affirmans omnino disperituros qui gratiæ Dei faciunt injuriam aliquomodo, et hoc ex lege Moysi, aliisque testimoniis edocens, et dicens metuendum esse incidere in manus Dei viventis, protinus ne multo timore in desperationem ruerent, consolatur eos per laudum blandimenta et exhortationes, reducens eis ad memoriam præterita illorum bona opera. Rememoramini, inquit, pristinos dies in quibus illuminati per fidem, et confirmati per gratiam divinam, magnum certamen sustinuistis, ac si diceret: Quando introducti estis in fidem, quando in initio fidei eratis, tantam fortitudinem demonstrastis, ut magnum certamen passionum sustineretis pro Christi nomine a contribulibus vestris; Judæi enim credentes quidam exspoliati sunt ab aliis non credentibus, quidam vero non: illi vero qui non fuerant exspoliati subministrabant aliis de facultatibus suis. Quapropter cum hoc agnovissent infideles, multa mala intulerunt utrisque. Unde non dixit Apostolus simpliciter certamen sustinuisse eos, sed addidit magnum, nec dixit tentationes, sed passiones.

Et in altero quidem, facto vel opere, *opprobriis et tribulationibus, spectaculum facti* estis: *in altero autem socii taliter conversantium effecti.* Ex parte, inquit, opprobriis, id est contumeliis et irrisionibus seu tribulationibus spectaculum facti estis, hoc est, publice in conspectu multorum irrisi; et ex parte altera effecti estis socii in compassione taliter conversantium, apostolorum videlicet et eorum qui sunt exspoliati propriis facultatibus et verberibus afflicti, atque in carcerem retrusi. Duobus modis ostendit eos bene laborasse, scilicet vel quia publice contumeliis et tribulationibus sunt diversis afflicti, quod genus humanum gravius sustinet in conspectu plurimorum aliquid inhonestum, aut verbis aut factis: sive etiam quia positis in carceribus compatiebantur, victumque ac vestimentum prout poterant subministrabant. Unde facti erant eorum socii quoniam mercedem et retributionem quam præcipiet prædicator veritatis pro Christi nomine positus in carcere aliisque tormentis afflictus, eamdem recepturus est ille, qui ei subsidium præbet ne deficiat in tribulationibus, sicut ipsa Veritas promisit, dicens: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet* (*Matth.* x). Notandumque quia non dixit simpliciter tribulationibus afflictos, sed etiam augmentum fecit, dicens: Spectaculum facti estis. Cum enim quis secrete exprobratur, contristatur quidem, sed multo amplius si publice, et in conspectu multorum. Genus enim humanum sicut valde delectatur laude publica, facile captivatur opprobriis aperte sibi illatis. Quod illi ea exhibuerunt quæ enumeravimus apertius jam ostendit, dum sequitur.

Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Mirabiliter laudat eos in fide, quoniam si fidem non haberent meliora se recepturos pro hac substantia subtracta, non cum gaudio suscepissent rapinam ejus. Quandiu enim promissum est eis, compassi sunt aliis exspoliatis, atque aliis in carcere positis: exspoliati vero cum gaudio susceperunt rapinam et damnum sibi illatum, credentes se meliora recepturos. Unde subdit: *Cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam*; quasi diceret: Videntes divitias spiritales vobis pro his temporalibus profuturas, sustinuistis cum gaudio rapinam bonorum temporalium. Hæc autem totum factum fuit apostolicum opus, et dignum fortibus animabus, ut flagellis gauderent, sicut in Actibus apostolorum dicitur: *Euntes autem a conspectu consilii ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt contumeliam pati pro nomine Jesu* (*Act.* v). Et ut demonstraret istam temporalem substantiam non esse semper mansuram, ideo dixit illos meliorem habere substantiam et manentem, prout diceret formam substantialem atque perpetuam quæ perire non possit, sicut ista terrena perit.

Nolite itaque amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem, id est nolite deficere in tribulationibus, quia magna est remuneratio. Apparet autem quia magnam confidentiam habebant ad Deum, quam ne amitterent instantissime eos hortatur. Facilius enim integra conservatur, quam amissa recuperatur. Quapropter quod tenetur et formidinem habet, necesse est ut fortitudinem habeat. Nihil, inquit, vobis necessarium est, nisi ut stetis firmiter in fide vestra, et permaneatis in fortitudine vestra quæ magnam habet remunerationem apud Deum.

Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. O quam magna remunerationis et consolationis fiducia, veluti si quis et athletam ac certatorem hoc diceret, qui cunctos

superasset, nullumque relictum haberet qui sibi decertare posset. Verbi gratia, dum ille diceret : Jam quia omnes superavi nullusque superest qui mecum certet, da mihi coronam, poterat illi quilibet dicere : Sustine parumper usque dum veniat arbiter, aut etiam rex qui tibi bravium reddat pro victoria tua. Quod si ille athleta impatienter ferret, non tolerans sitim atque æstuationes, dicens : Aut date quod merui, aut recedam, diceretur illi : Patienter sustine hanc morulam, in proximo est ut veniat imperator, qui tibi reddet præmium. Isto modo et Apostolus hortatur eos ne deficerent in laboribus, sed patienter exspectarent Domini adventum. Patientia, inquit, vobis necessaria est, hoc est, unum opus habetis, videlicet ut perseveretis in agone, donec recipiatis coronam dignam labore vestro, non enim qui cœpit coronabitur, sed qui perseveraverit in certamine usque in finem, hic salvus erit. In patientia, inquit Dominus, possidebitis animas vestras. Reportetis, inquit, promissionem, id est accipiatis gloriam sempiternæ beatitudinis.

Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est veniet, et non tardabit. Qui venturus est veniet, et non tardabit, haud dubium quin Christum significet. Consolatur eos tanquam parum sit temporis usque dum veniet. Non modica enim consolatio est laboris, cito sperare judicem et remuneratorem, constantiam certaminis remuneratorum.

Justus autem meus ex fide vivit. Quodsi subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Hoc propheticum testimonium intulit Apostolus ad exhortationem fidei in acquisitionem animæ. Sicut vita corporis anima, ita vita animæ fides est, quæ videlicet concipitur corde, confitetur ore, exornatur opere, quoniam fides sine operibus mortua est. A qua fide si quis subtraxerit se, non placebit voluntati Dei. Non est enim putandum quod Deus Pater aut Spiritus sanctus, aut Filius in natura divinitatis habeat animam, sed more humano loquens divina Scriptura, nobis consulendo voluntatem illius animæ vocabulo exprimit. Considerandum autem, quia sicut displicebit qui hæsitaverit, ita placebit Deo qui crediderit, vivens in fide sua recta. Laborastis, inquit, in certamine, exspectate beatam spem. Nolite dubitare quærere quæ speratis : quia justus ex fide vivit.

Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. Non sumus, inquit, ego et vos filii illorum paganorum atque gentilium, qui se subtrahunt a vita fidei et luce sempiterna ad perditionem animarum suarum, sed sumus filii patriarcharum, qui in fide probati sunt, et in fide perfecti fuerunt ut acquirerent sibi suas animas ad salutem et insuper aliorum suo exemplo.

CAPUT XI.

Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Ordo verborum: Est autem fides substantia sperandarum rerum, argumentum videlicet rerum non apparentium. Fides est ea credere quæ non videntur et dum ea credimus in veritate aut fuisse, aut esse, aut futura esse, quæ non videmus, ipsa fides facit ea subsistere in corde nostro, quasi ante oculos corporis. In rebus autem quæ videntur neque credulitas dici potest, neque incredulitas, sed potius agnitio dicenda est. At vero fides est, ita animum firmum esse de his quæ non videntur, sicut de his quæ jam videntur, et dum hoc fit, fides facit ea subsistere in nobis credenda. Verbi gratia, ut ex multis saltem paucis utamur exemplis : resurrectio generalis necdum facta est : et cum necdum sit in substantia, spes facit eam subsistere in anima nostra, quasi præ oculis eam habeamus. Hoc est quod dixit, fidem esse substantiam illarum rerum quæ sperantur necdumque videntur. Et si argumentum est eadem fide rerum quæ necdum apparent, quid est quod eam jam volunt videre? Arguere dicebant antiqui ostendere : a quo venit argumentum, quasi ostensio et præmonstratio futurarum rerum, et illarum rerum quæ non videntur. Est autem proprie argumentum, ratio quæ rei dubiæ facit fidem. Profecto ergo liquet, quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt. Quæ enim apparent, jam fidem non habent, sicut superius diximus, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas (*Joan.* xx), dum palpavit, cur ei dicitur : *Quia vidisti me, credidisti?* Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali enim homine Divinitas videri non potuit. Hominem quippe vidit, et Deum confessus est, dicens: *Dominus meus et Deus meus.* Videndo ergo credidit quia considerando verum hominem, Deum quem videre non poterat exclamavit.

In hac enim fide testimonium justitiæ *consecuti sunt senes.* Senes hic debemus intelligere patres Veteris Testamenti, patriarchas videlicet, prophetas, aliosque justos qui in fide quam crediderunt Deo ejusque promissionibus, testimonium laudis atque justitiæ promeruerunt. Unde Abraham qui credidit Deo, reputatum est ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. Hæc autem fides ita est accipienda, ut credat in corde, confitetur ore, exornetur operibus. Ille enim veraciter credit, qui exercet operando quod credit. Quod contra de his qui fidem nomine tenus retinent, Paulus dicit : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Quid enim quidam Hebræorum adhuc debiles erant et a fide quidem initium sumpserant, ex passionibus autem tribulationum pusillanimes efficiebantur, minusve patienter mala sibi irrogata ferebant, hortatur eos Apostolus primo ex seipso, dicens : *Rememoramini pristinos dies*, deinde ex Scriptura divina dicente, quia *justus ex fide vivit,* deinde autem ex rationibus, ostendens fidem esse substantiam rerum non apparentium. Nunc vero ex progenitoribus incipit loqui, mirabiliter eos in exemplum ponens, quia sicut illi omnes per fidem salvati sunt, ita et nos omnes per fidem salvamur. Cum enim invenerit anima in eisdem pas-

sionibus socium, requiescit ac respirat. Hoc in fide, hoc in tribulatione qualicunque solet accidere. Valde enim est fragile genus humanum nimiumque hæsitans in cogitatione; quapropter necessaria est consolatio ex præcedentium fide et patientia. Apostolus ergo ex patribus eos quidem hortatur, sed primo ex communi initio, dicens: Manifestum est, quia non ex stantibus quæ sunt Deus hæc fecit, sed ex invisibilibus visibilia, ex non existentibus existentia. Ratiocinando hoc invenire non possumus quomodo fecerit ex nihilo omnia, vel ex invisibilibus visibilia, quia non eramus quando facta sunt. Unde ergo certum habetur? Utique manifestum est, quod fidei res est ista credere. Fide quippe credimus aptata esse, id est perfecta seu facta, sæcula, quia non ex visibilibus, sed ex invisibilibus facta sunt quæ videntur Invisibilia autem hic possumus intelligere informem materiam de qua dicitur in exordio Genesis: *In principio fecit Deus cœlum et terram.* In cœli autem nomine non est intelligendum istud cœlum corporale, quod appellatur firmamentum, sed angelica natura, cœlique spiritales: per terram vero intelligitur informis materies, de qua facta sunt postmodum omnia corporalia, quæ tunc quodammodo invisibilia erant, quando tenebræ erant super faciem abyssi. Ex invisibili autem materia facta sunt visibilia, quando per species et formas divisa et discreta sunt omnia. Potest et alio modo intelligi, quod dicit ex invisibilibus visibilia fieri. Invisibiliter mundus antequam formaretur in Dei sapientia erat, qui tamen per expletionem operis visibilis factus est humanis obtutibus. Quod autem dicit, sæcula perfecta esse Verbo Dei, per sæcula debemus intelligere omnia quæ facta sunt in tempore, sive sæcula Verbi Dei Patris, juxta quod Joannes dicit: *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I): sæcula autem, ut Ovidius Naso dicit, dicuntur a sequendo, eo quod sese sequantur, atque in se revolvantur, teste Varrone: sæcula autem ex eo dici possunt, ex quo varietas cœpit esse temporis.

Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, et per illam defunctus adhuc loquitur. Primum ponit eum qui mala passus est, et hoc a fratre, proprium illorum ponens exemplum. Etenim eadem passi illi fuerant a contribulibus suis. Quapropter hortatur eos, ut sicut ille injuste occisus est a fratre, et non recusavit persecutionem, ita et illi non recusarent si injuste paterentur a contribulibus fratribusque suis. Plurimum quippe, id est majorem hostiam Abel obtulit Deo quam Cain, non quod illa hostia in rebus carnalibus major exstitisset, sed quidquid melius habuit Abel per fidem Deo benevolo animo protulit, et exinde ei sua multiplicata fuerunt, et intelligimus ipsum per hoc placuisse Deo. Fide namque hoc fecit, quia credidit hæc quæ bona voluntate offerebat, Deo placere et se remunerandum credebat ab eo. Testimonium quoque Deo perhibente muneribus ejus, sive quod ignis descendit de cœlo, ut in Theodotione legitur, quia inflammavit Dominus super Abel et super munera ejus, seu per illam sententiam qua a Domino in Evangelio est laudatus comprobatusque est esse justus. Sic enim dixit Dominus in Evangelio (*Luc.* XI): *Amen dico vobis, requiretur omnis sanguis justorum qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ* filii Barachiæ. Per illam etiam hostiam adhuc loquitur jam defunctus, ut dicitur: *Sanguis Abel clamat ad me de terra* (*Gen.* IV), sive adhuc loquitur, hoc est, licet interemerit eum corpore, tamen ejus gloriam non potuit interimere cum eo. Dum enim gloria illius in toto mundo prædicatur, dum ejus laus in ore omnium versatur, dum eum omnes admirantur, quotidie adhuc licet defunctus loquitur: qui enim alios suo exemplo admonet ut justi sint, aliquo modo loquitur.

Fide Henoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. Henoch per fidem placuit Deo, quæ fuit bonis operibus exornata, credens se omnino per illam placere Deo. Quapropter translatus est in paradisum terrenum, unde quondam ejectus fuerat Adam: videlicet ne experiretur mortem temporalem, donec tempus a Deo constitutum percurrat. Quo habitu vero vel quo statu modo existat in paradiso, non est nostrum inquirere. Hoc tamen credendum est, quia sine aliqua modestia, et sine aliquo dolore aut labore quiescit in illo paradiso: et sicut ille vivit sine aliqua impugnatione carnis, sine aliqua molestia, ita nisi homo primum peccasset, completo omnium numero electorum, a paradiso terreno transferretur ad paradisum cœlestem Ut autem transferretur, causa fuit quod placuit Deo: sed ut placeret Deo, causa fuit ejus fides. Nisi enim crederet quod redditurus esset ei Deus mercedem, quomodo placeret ei? *Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo*, dicente Scriptura quia ambulavit Henoch cum Deo, obtemperans voluntati ejus.

Sine fide enim impossibile est placere Deo. Credebat Henoch, quia si quis crediderit esse Deum, et ad eum accesserit, retributionem haberet. Quia ergo fides fundamentum est omnium bonorum, ideo sine fide nemo potest Deo placere, *credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Quicunque ad Deum accedit credendo, credere opportet illum quia Deus est, hoc est, semper habet esse, juxta quod ipse dixit ad Moysen (*Exod.* III): *Ego sum qui sum.* Et: *Qui est misit me ad vos.* Credere etiam debet, quia inquirentibus se per bona opera, juxta quod Psalmista dicit, *Quærite Dominum, et confirmamini* (*Psal.* CIV), æternus et verus remunerator sit.

Fide et *Noe*, *responso accepto de his quæ adhuc non videbantur*, hoc est, de imbribus, *metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam*, subaudis fidem, *damnavit mundum*, comparatione scilicet melioris fidei et facti; *et justitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus.* Fide credidit Deo quod inductu-

rus esset aquas super terram, dicente sibi illo (*Gen.* VI): *Finis universæ carnis venit coram me, et inducam aquam super eos: fac tibi arcam de lignis lævigatis et* cætera quæ sequuntur: et ideo salvatus est cum omni domo sua, hoc est, familia sua. Perfectum autem operis aut rationis experimentum, nihil in hac causa profecit. Nubebant, inquit, alii, ut ait Dominus in Evangelio, et aer serenus erat, signa quoque millia apparebant diluvii: verumtamen ille timuit, atque per fidem de his quæ necdum videbantur metuens, construxit arcam in salutem familiæ suæ, per quam fidem damnavit mundum comparatione fidei suæ, quam mundus habere noluit. Ostendit enim eos dignos hoc supplicio, qui neque per centum annorum spatia illius arcæ constructione corrigi voluerunt. Per fidem quoque non per legem hæres justitiæ est institutus, dum ipse solus fidem patrum tenuit, quam ab illo cæteri didicerunt. Hæres autem regni cœlorum vel hæres mundi dicitur, quia de semine sua fuit reparatio mundi, et ex hoc apparuit justus, quia credidit Deo.

Fide qui vocatur nunc *Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, et exivit nesciens quo iret*, quasi diceret, et ipse Abraham per fidem placuit Deo: statim enim ut ei dixit Deus: *Exi de terra tua, et vade in terram quam monstravero tibi, daboque illam tibi et semini tuo* (*Gen.* XII), credidit Deo, et exivit in locum in quem ei præceperat, nesciens quo abiret. Ignotus enim ei erat locus et habitatio illius terræ: et in quantum ambulavit per fidem ambulavit. Sive nesciens quo iret, quoniam quem imitaretur non habebat.

Fide moratus est in terra repromissionis tanquam in aliena in casulis ab inhabitando cum Isaac et Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem. Casula diminutivum est a casa, id est domo, hic autem pro tentoriis tabernaculisque positum est, in quibus Abraham cum Isaac et Jacob habitavit more viatorum et peregrinorum, docens eos fidem Dei, utpote cohæredes promissionis suæ. Ea enim promissio quæ facta est ad Abraham, facta est ad Isaac et Jacob, omnesque qui simul cohæredes sunt in repromissionibus Abrahæ. Abrahæ namque dictum est: *In te benedicentur omnes gentes terræ* (*Gen.* XXII); et *in Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen* XXI). Ad Isaac autem inquit: *Complens Deus juramentum quod spopondi Abrahæ patri tuo, multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, daboque posteris tuis universas regiones has* (*Gen.* XXVI). Ad Jacob quoque dixit: *Ego Deus omnipotens. Crescere et multiplicari ex te gentes faciam, daboque tibi terram quam dedi Abraham et Isaac* (*Gen.* XXXV). Ecce quomodo omnes cohæredes sunt in repromissionibus Abrahæ. Notandum autem quia fides Abrahæ duplicatur pro magnitudine fidei. Unde et caput fidei dicitur. Nam sicut fide exivit de terra sua nesciens quo iret, sic fide mansit et demoratus est in terra sua quasi in aliena. Vidit filium ibi ut peregrinum habitantem, vidit nepotem, vidit seipsum in aliena terra peregrinantem, et nihil turbabatur. Quanquam enim ad ipsum dictum esset, quia tibi dabo et semini tuo, non per semen tibi, sed tibi et semini tuo, tamen neque ipse, neque Isaac, neque Jacob potiti sunt hac promissione, sed successio illorum. Et quia quando obedivit Deo, exiens de terra sua, non vocabatur Abraham, sed Abram. Ideo considerate, dixit Apostolus: *Fide qui vocatur* nunc *Abraham*, tunc autem vocabatur Abram, *moratus est in terra repromissionis quasi in aliena.* Primum quidem vocabatur ille Abram, deinde vero Abraham.

Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus. Civitas superna fundamenta habere dicitur propter stabilitatem et firmitatem sui. In qua qui semel locum invenerit, nunquam poterit exhæreditari neque evelli. Ideo, inquit, illi fide morati sunt in terra repromissionis quasi in aliena, quia repromissiones in terra factas non attendebant, sed futuram quietem quærebant. Ostenderunt enim seipsos majoribus esse dignos, idcirco non permisit eos accipere ista, quia majora dare volebat.

Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis generavit, *quoniam fidelem credidit qui repromiserat.* Quæstio hic oritur quare dicat fide accepisse Saram virtutem concipiendi, cum ab angelo reprehensa sit, cur riserit causa infidelitatis? Risus enim ille etiamsi gaudii et plenæ fidei non fuit, risus autem Abrahæ et gaudii et plenæ fidei sunt. Quæ ita solvitur: Quia etsi primum dubitavit, postmodum tamen verbis angeli solidata est in fide, et evacuata dubitationis causa, introducta est fides. Virtutem in conceptione seminis accepit, quia jam mortificata erat ætate et sterilis. Duplex enim erat præclusio: Una temporis, senuerat quippe jam; alia vero ex natura, sterili enim erat; sed ad suscipiendum et retinendum semen accepit virtutem. Mulieres namque ex duabus præcipue rebus steriles esse solent, sive quia in vulva caloris virtutem non habent, qua excoquant semen, quod et in senectute evenit cum deficiunt muliebria; sive quando vulva concluditur etiam in juventute, ut non perveniat semen ad loca conceptionis. Contra quæ dedit Deus virtutem: hoc est, contra sterilitatem, stabilitatem et senectutem. Ad locum etenim conceptionis satis pervenit semen: et postquam pervenit, dedit partus soliditatem mulieri. Factumque est ut fidei soliditate uteri insolida confortarentur, et omnia possibilia fierent credenti.

Propter quod et ab uno orti sunt et hoc emortuo, tanquam sidera cœli in multitudine facti sunt, *et sicut arena quæ est ad oram maris, innumerabilis.* Propter hoc, inquit, quia uterque veram fidem habuit, Abraham videlicet et Sara, ab uno corpore Abrahæ et Saræ orti sunt innumerabiles populi. His verbis voluit ostendere, quia non solum Isaac genuit Sara, verum etiam plures quam aliqua fecundarum mulierum. Unum autem corpus dicit habere illos duos,

propter hoc quod in Genesi dicitur, quia *erunt duo in carne una (Gen.* II). Addidit quoque adhuc, et hoc, inquiens, corpore emortuo nati sunt non vita mortua, sed semine. Senex enim homo semen quidem jam fundere potest: sed tamen soliditate seminis caret, ut filios procreare possit, nisi forte de adolescentula, ut alii fuerunt. Sicut sidera, inquit, cœli vel arena maris. Hyperbolice hoc dictum est. Per sidera autem cœli, boni intelligendi sunt ex utroque populo filii Abrahæ per fidem, at vero per arenam maris reprobi accipiuntur ex Judaico populo filii Abrahæ per carnem, qui terrena semper quærentes, pondere peccatorum gravantur. Et si hominibus stellæ cœli, sive arena maris vel etiam illi qui designati sunt per hoc, innumerabiles sunt, Deo autem cui omnia patent numerabiles existunt.

Juxta fidem, id est cum fide, *defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus : sed a longe eas aspicientes, salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt,* scilicet: quia peregrini sunt super terram, *significant se patriam inquirere. Et siquidem* illius terræ *meminissent de qua exierant,* ad hoc ut vellent reverti, *habebant utique tempus revertendi: nunc autem,* quia nolunt reverti ad eam de qua exierunt, sed morantur in aliena quasi peregrini, *meliorem appetunt id est cœlestem.* Duo quædam hic dignum est quærere. Cum enim supradixisset, translatus est Henoch ne videret mortem, et non inveniebatur, hic dicit, quia secundum fidem mortui sunt omnes isti. Et cum iterum dixisset, non accepisse eos repromissiones, sed a longe aspexisse, superius dixit de Abel, quia testimonium consecutus est quod esset justus : et de Henoch, quia translatus est. De Noe quoque quia salvatus est de condemnatione mundi, de Abraham, etiam Isaac et Jacob, nulli dubium quin plurimas promissiones tam de Christo quam de terra repromissionis acceperunt? Quæ duo hujusmodi solutione egent. Quod primum dixit, omnes isti mortui sunt cum fide, ita est intelligendum ; quod omnes illi mortui sunt, præter solum Henoch, quem novimus esse translatum. Quod vero subintulit, non accepisse eos repromissiones, manifestum est, quia in quibusdam rebus acceperunt, in quibusdam minime. Accepit siquidem Henoch ne videret mortem, accepit Noe ut salvaretur, acceperunt et alii plurimi. Sed hæc quidem erant illis libamina quædam, erant et primæ degustationes futurorum, non plenitudo repromissionum. Deus enim non solum quæ futura sunt nobis largitur, sed etiam quæ hujus vitæ sunt necessaria præstat, sicut discipulis suis dicebat : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia,* temporalia vitæ, inquantum expediunt, *adjicientur vobis (Matth.* VI). In hoc enim quia in præsenti sæculo ex parte laudem justitiæ promeruerunt, nec cum impiis perierunt locupletesque fuerunt bonis temporalibus, licet peregrini essent, ut pote legitur de Abraham, quia erat dives in argento et auro, aliquas degustationes promissionum perceperunt. In hoc vero quia plenam promissionem patriæ cœlestis non sunt consecuti, quasi non perceperunt promissiones, de longe tamen aspiciebant promissiones, quas veniens Dominus Christus prædicavit, dicens: Quoniam si quis dimiserit *domum aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX). Istam promissionem non sunt consecuti illi ante Domini adventum, licet omnia sua reliquissent, sicut et apostoli : sive etiam promissiones de Domini adventu non sunt consecuti, quoniam, licet eis promissus esset, tamen non viderunt eum præsentem in mundo. Salutabant quoque easdem promissiones, id est optabant et desiderabant, sicut Dominus ait in Evangelio : *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Luc.* X). Ex metaphora navigantium dixit salutantes, quia a longe prospicientes desideratas civitates antequam ingrediantur eas, salutatione præveniunt, easque sibi familiares efficiunt. Aspiciebant autem in fide istas promissiones, salvabant desiderio, et confitebantur sermone quod peregrini essent, juxta quod Psalmista dicit, quoniam *peregrinus sum apud te, sicut omnes patres mei* (*Psal.* XXXVIII). Peregrinus a peregre, id est a longe proficiscendo dictus est. Peragrare enim perambulare dicimus. Nam qui in tabernaculis habitabant, qui sepulcra pecuniis emebant, certumque est quoniam peregrini erant in tantum ut etiam ubi suos sepelirent non haberent. Quapropter prima virtus est peregrinum esse mundi hujus et hospitem, nihilque habere commune cum regibus hujus sæculi, sed removeri ab eis sicut peregrinus.

Ideo non confunditur, id est non erubescit, *Deus vocari Deus illorum. Paravit enim illis civitatem.* Ideo, inquit, quia illi Deo crediderunt, nihilque de terrenis sibi præsumpserunt, ad hoc ut in illis spem suam ponent, idcirco non erubescit omnipotens Deus vocari Deus illorum Sic enim ipse dicit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob.* (*Deut.* III), per fidem videlicet vitæque meritum. Sicut enim glorificatur quando benignorum et optimorum hominum Deus vocatur et colentium virtutem, sic econtrario confunditur et erubescit in actis nefandorum si invocatur ab illis. Unde dicit per prophetam : *Per vos nomen meum blasphematur inter gentes* (*Isai.* III). Illi autem ita erant clari virtutibus et confidentia pleni, ut non confunderetur, sed potius glorificaretur, cum illorum vocaretur Deus Dicitur autem generaliter Deus terræ et Deus cœli, siquidem et Deus gentium, et non solum gentium, sed etiam totius mundi, eo quod ipse omnia condidit. Sanctorum vero illorum non sic dicitur Deus solummodo per creationem, sed sicut amicus, dicitur et nunc Dominus Deus Christianorum. Paravit, inquit, illis civitatem Jerusalem, scilicet cœlestem, ideoque non dedit illis in præsenti sæculo hæreditatem, vel etiam ideo non erubescit vocari Deus illorum, quia secum prædestinavit illos regnare in cœlesti civitate.

Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur et unigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones, ad quem dictum est quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus. Quid est quod beatus Jacobus in epistola sua mentionem Abrahæ faciens laudat eum summopere ex operibus suis: beatus vero apostolus non opera illius, sed fidem attentissime commendat? Recte igitur beatus Jacobus ex operibus eum laudat, quem sciebat etiam fide perfectum, quoniam illis scribebat qui fidem quidem videbantur habere, sed eamdem fidem bonis operibus non exornabant. At vero beatus Paulus, qui illis scribebat qui opera bona legis videbantur habere, sed fidem perfectam non habebant, jure fidem Abrahæ attentius commemorat, quatenus studerent eum imitari, vel certe ut ostenderet quia qui filii Abrahæ volunt esse, necesse est fidem et opera habeant, merito unus ex fide, alter nihilominus laudavit eum ex operibus. *Fide*, inquit, *obtulit Abraham Isaac cum tentaretur*, licet non haberet filium liberum nisi illum, et in illo percepisset promissiones quod multarum gentium esset futurus pater, tamen non fuit ideo inobediens Deo: et quanquam contraria iterum audiret, dicente sibi Deo: Offer Isaac filium tuum mihi (*Gen.* XXII), a quo jam audierat: *Quia in Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* XXI), non hæsitavit de promissionibus, credens quia a mortuis posset illum suscitare Deus; et ex eo multitudine populorum multiplicare. Quapropter filium mox offerre voluit, quia a Deo hunc continuo resuscitandum esse credebat. Sed ne posset quisquam dicere quia habebat alterum filium ex quo sperabat repromissionem implendam, propterea confidens obtulit istum, dicit Apostolus: Etiam *unigenitum* obtulit ipse Abraham, *qui repromissiones* de illo perceperat. Quare ergo tentavit illum Deus? Nunquid ignorabat fortem esse virum illum in fide et probabilem? Sciebat utique. Tentavit autem illum non ut ipse cognosceret, sed ut aliis demonstraret, et manifestam ejus fortitudinem faceret sicut ostendit ipse, dicens: *Nunc cognovi quod timeas Dominum* (*Gen.* XXII) id est, alios cognoscere feci quod timeas Dominum. *Unde eum et in parabola accepit.* Parabola Græco vocabulo, Latine dicitur similitudo sive figura. Accepit eum in parabola de morte ab eo qui dixit ei: *Ne extendas manum tuam super puerum* (*Gen.* XXII), quia ariete occiso iste salvatus est. Occisus est Isaac quantum ad voluntatem pertinet patris, deinde redonavit illum Deus patriarchæ in parabola, id est, in figura et similitudine passionis Christi. In similitudine enim erant omnia quæ tunc agebantur in Abraham, quæ pro nobis verus Abraham, Deus videlicet Pater et creator omnium gentium, in fine sæculi agere disposuerat: Abraham siquidem figuram Dei Patris gestabat, Isaac vero figuram Christi. Abraham siquidem portabat, ut Scriptura dicit, ignem et gladium, quia Deus Pater gladium passionis portavit quodammodo, quando eum occidi permisit, unde dicit Filius in psalmo ad eum: *Quoniam quem tu percussisti*, hoc est, percuti permisisti, *persecuti sunt* (*Psal.* LXIII). Et Deus Pater per Zachariam: *Percutiam pastorem* (*Matth.* XXVI), id est, percuti permittam. Ignis quoque quem ferebat, calor et fervor summæ dilectionis illius est, qua nos diligit, de qua dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Unigenitum suum daret* pro mundo (*Joan.* III). Nam sicut Abraham unicum et dilectum filium suum Deo victimam obtulit, ita Deus Pater unigenitum Filium pro nobis omnibus tradidit. Isaac autem ipse sibi ligna gestabat quibus erat imponendus, quia et Christus portabat in humeris lignum crucis in quo crucifigendus erat. Aries significat carnem Christi. Isaac oblatus est, et non interfectus, sed aries tantum, quia Christus in passione oblatus est, sed divinitas illius impassibilis mansit.

Fide et de futuris benedixit Isaac Jacob et Esau. Fide de futuris benedixit eis, quia juxta quod eis imprecatus est, ita postea omnia illius evenire credidit, et quæ futura illis erant, ea benedicendo optavit. Potest et aliter intelligi De futuris mysteriis benedixit eis, quia Jacob figuram Christi sive populi Christiani gestabat: Esau vero Judaici.

Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit, et adoravit fastigium virgæ ejus. Legimus in Genesi (*cap.* XLVIII), quod audiens Joseph ægrotare patrem suum venit ad eum, et obtulit ei duos filios suos, Ephraim et Manassen ad benedicendum, qui fidem habens omnia illis evenire juxta quod illis a Deo inspiratus optasset benedixit eos. Idcirco autem dicitur singulos illorum benedixisse, quia super utrumque propriam benedictionem fudit, posuitque minorem ante majorem, quoniam prævidebat res ita futuras. Quodque sequitur, *et adoravit fastigium virgæ ejus*, id est virgæ Joseph, dupliciter intelligi potest. Spiritu siquidem prophetico afflatus Jacob, cognovit designari per virgam illam Joseph, regnum Christi: per fastigium vero, id est summitatem virgæ potentiam et honorem regni Christi, de qua Psalmista ait: *Virga* recta est *virga regni tui* (*Psal.* XLIV). Ergo non virgam adoravit pro Deo secundum ritum gentilium qui idola colebant, sed in virga Christum, cujus regnum et potentiam prævidebat præfigurari in illa. Quantum vero ad litteram pertinet, fortassis secundum consuetudinem illius temporis adoravit virgam Joseph, quem videbat Dominum esse totius terræ Ægypti, ea, scilicet ratione qua Esther legitur adorasse virgam Assueri (*Esth.* V).

Fide Joseph moriens de perfectione filiorum Israel memoratus est, et de ossibus suis mandavit. De profectione filiorum Israel locutus est, credens omnia vera esse quæ promiserat Deus patribus eorum, præcipue quod dixerat ad Abraham: *Scito prænoscens* quia *peregrinum* erit *semen tuum* in terra aliena, maleque tractabunt illud *annis quadringentis; verumtamen gentem* cui servierint *judicabo ego*, dicit Dominus, *et posthæc* revertentur in terram patrum suorum (*Gen.* XV); nequaquam ergo de suis ossibus mandaret Joseph, nisi plena fide speraret reditum eorum in

terram repromissionis. Dicit enim eis visitans: *Visitabit vos Dominus* post dies multos: efferte *ossa mea hinc* vobiscum (*Gen*. L). Et non solum tribus Joseph ossa patris sui deportaverunt secum per desertum in terram repromissionis, sed etiam reliquæ tribus: omnium patriarcharum ossa secum detulerunt, sepelieruntque ea in Sichem, quæ evenit in possessionem tribus Joseph. Nam Abraham, Isaac et Jacob in spelunca duplici Mambræ vel Arbeæ, quam Abraham emerat a filiis Heth, sepulti sunt cum Sara et Rebecca et Lia, ubi et Adam cum Eva sepultus quiescebat. Fortassis vero quærit aliquis quæ causa exstiterit, ut omnes illi sancti patres in terra repromissionis maluerint sepeliri quam alio in loco? Cui respondendum est, non curam gerendo sepulcrorum hoc agebant, sed potius quia per Spiritum sanctum prævidebant Dominum in ea terra genus humanum redempturum, ibique resurrecturum summo cum desiderio ibi consepeliri optabant, quatenus eo resurgente, pariterque cum eo resurgerent. Nos autem non debemus pusillanimes fieri ubicunque sepeliamur, cum plurimorum martyrum nesciamus ubi eorum corpora gloriose jaceant humana.

Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem et non timuerunt regis edictum. Non sua fide occultatus est Moyses qui adhuc fari non poterat: sed fide parentum suorum, patris scilicet ac matris, qui fidem habentes quod omnipotens Deus posset eum liberare et custodire, custodierunt illum tribus mensibus, deinde vero cum non potuissent eum celare propter vagitus ipsius, posuerunt in fiscellam sirpeam, posueruntque in carecto fluminis. Edictum enim hujusmodi regis erat, ut omnes pueri in fluvium jactarentur. Sed quid est quod dicit, non timuisse hos regis edictum? Si non timuerunt, quare custodierunt? In hoc ergo timuerunt, quia non sunt ausi retinere eum: in hoc vero quasi non timuerunt, quia non projecerunt illum in apertum fluvium, sed in fiscella posuerunt eum, sicque immiserunt carecto fluminis, habentes spem atque fiduciam quod omnipotens Deus custodiret illum, quapropter ac si non timuissent, ita reputatum est illis. Unde ergo isti speraverunt salvare puerum, nisi per fidem? Viderunt, inquit, elegantem infantem. Siquidem ab ortu nativitatis magna fuit illi infusa gratia venustatis, non natura hoc operante, quod natus est honestus infantulus: sed gratiæ divinæ dono quæ etiam barbaram illam mulierem Ægyptiam, filiam videlicet Pharaonis, ad hoc excitavit, ut amaret eum, ut sumeret et nutriret.

Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem Tanquam si diceret ad eos quibus hæc scribebat: Nullus vestrum dimisit aulam regalem amplam et claram, neque regios thesauros, sicut Moyses fecit, qui non solum contempsit, sed etiam abnegavit. Cœlo quippe

A præposito, noluit admirari Ægyptiaci regni pulchritudinem, magis eligens cum populo Dei affligi quam temporalis peccatoris habere jucunditatem. Peccatum namque deputavit, si maneret in aula regis, lætitia temporali fruens, suosque fratres in tribulatione relinqueret. Non affligi, inquam, cum aliis peccatum esse judicavit. Si igitur ille nova affligi acriter cum aliis peccatum esse judicavit, quantum cumulum peccati habituri sunt, qui congregationem fidelium deserunt? Vos, inquit, pro vobisipsis patimini, ille autem non solum pro se solo, aspiciens in remunerationem, sed etiam pro aliis hoc elegit, ut majorem mercedem reciperet, ultroque se projecit in tanta pericula, cum ei liceret pie vivere, et sæcularibus bonis perfrui. Majores, inquit, divitias æstimans the-

B sauro Ægyptiorum improperium Christi. Improperium Christi dicit, quia pro Christo sustinuit Moyses improperium, qui unius essentiæ secundum divinitatem cum Patre est: Sive improperium Christi dicit, hoc est quale Christus sustinuit a suis propinquis. Sicut enim Christus improperium sustinuit a suis quos venerat redimere, quando ei dixerunt: *Dæmonium habes* (*Joan*. VIII), etc., mala ei intulerunt usque ad passionem: ita et Moyses improperium sustinuit a fratribus suis, quos volebat liberare: dicebat enim ei unus ex eis: *Quis te constituit principem aut judicem super nos? num* interficere *me vis sicut* interfecisti *heri Ægyptium?* (*Exod*. II). Similiter quando quilibet a domesticis, vel ab eis quibus beneficium præstitit, improperium sustinet, improperium Christi

C sustinet. Aspiciebat, inquit, in remunerationem suam, et totius populi. Ita quando quisque adversi aliquid patitur, debet reducere ad memoriam quam remunerationem a Domino exinde sit recepturus.

Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis: invisibilem enim tanquam præsentem *sustinuit.* Legimus in Exodo, quia cum Moysi dictum esset a quodam Hebræo qui faciebat injuriam fratri, quem Moyses voluit increpare: *Nunquid* interficere ut *me vis sicut* interfecisti *heri Ægyptium?* Fugit Moyses in verbo isto, eo quod Pharao audito hoc quæreret eum interficere: sed cum manifestum sit fugisse illum in Madian, quid est quod beatus Apostolus dicit: Non veritus animositatem regis? Si enim non timuit, quare fugit? Quod ergo fugit fidei fuit, cre-

D dens liberari a Deo et prætendit exterius timorem cum interius nullum haberet metum, ideoque sic ei reputatur, quasi non timuisset Idcirco enim noluit ibi manere, ne causas jactantiæ videretur se in apertum periculum præcipitare, ac tentare Dominum Deum suum, quod omnino diabolicum est. Sancti etenim viri quandiu habent quod faciant, Deum tentare non debent, sed debent imitari Dominum suum, qui frequenter locum dedit Judæis, audientes quod ipse præcepit, dicens: *Cum vos persecuti fuerint in civitate una, fugite in aliam (Matth.* x). Fuga ergo Moysi tota exterior fuit: quoniam maxime de Dei auxilio fidebat. Unde Apostolus dicit *invisibilem*, inquiens: Deum tanquam præsentem sustinuit, quod

est dicere : Ita erat fisus de Dei adjutorio et ita semper de ejus protectione securus erat, tanquam omnipotentem Deum qui natura est invisibilis, semper præsentem aspiceret.

Fide celebravit Pascha et sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiva, tangeret eos. Fide qua Moyses credidit per illum sanguinem salvandum esse populum, celebravit Pascha et sanguinis effusionem quo linivit postes, ne angelus qui vastabat primitiva Ægyptiorum, affligeret Israelitas, ac si diceret illis: Si sanguis agni typici in medio Ægyptiorum, et in tanta devastatione illæsos servavit Judæos, quorum postes fuerunt respersi illo sanguine, multo amplius salvabit nos sanguis viri agni, hoc est Christi, quorum ostia, id est frontes munita sunt signo passionis Christi. Timuit enim illum sanguinem angelus, intelligens ibi Dominicam mortem, ac propterea non tetigit postes, licet quod fiebat nihil esset: sed quod per illud fiebat, magnum erat. Sanguine agni illinuntur Israelitarum postes, ne vastator angelus audeat inferre mortem ; signantur Dominicæ passionis signaculo fideles populi in frontibus ad tutelam salutis, ut ab interitu liberentur.

Fide transierunt mare Rubrum tanquam per aridam terram, quod experti Ægyptii devorati sunt. Ac si diceret illis quibus ista scribebat: In tantum fidem firmiter tenere debemus, ut quando in desperationem aliquam animus noster fluctuat, tunc quoque fisi simus ut liberemur, ac si usque ad mortem veniamus, et si de nobis desperetur. Quænam spes poterat esse illis ? Ex una enim parte erat mare, ex altera parte cingebantur altissimis montibus, a tertia parte erant hostes. Si vellent fugere, aut in mari erant perituri, aut in manus Ægyptiorum inciderent. Habentes autem fidem cuncta vicerunt. Fide enim qua credidit Moyses Deo, ad verbum illius percussit mare, et divisit illud in duodecim divisiones, juxta quod in Psalmis dicitur: Credentes omnes illæ tribus sicco vestigio posse transire mare, ingressæ sunt: sed prima tribus Juda, juxta quod in Osee legitur: Juda, inquit, princeps cum Deo in mari. Quapropter illud mare Hebræis fuit a dextris et a sinistris pro muro, præbens eis siccum iter : Ægyptios autem submersit. Unde dicit Apostolus quia experti illud Ægyptii devorati sunt, cognoverunt enim quod mare esset. Ex hoc enim apparuit aquam esse, quia illi viventes absorpti sunt, et ex hoc apparuit non esse phantasiam, sed rerum veritatem, quam experti Ægyptii, devorati sunt. Allegorice autem mare Rubrum baptismus est, rubore sanguinis Christi consecratus ; Hebræi qui exierunt de Ægypto et transierunt per mare Rubrum, fideles sunt, qui derelinquentes tenebras infidelitatis, transierunt per fontem baptismatis. Pharao et Ægyptii mortui sunt in mari, quia in fonte baptismatis mortuus est diabolus, amittendo potestatem quam habebat. Mortua sunt etiam peccata originalia et actualia, si qua antea erant.

Fide muri Hiericho corruerunt circuitu dierum septem. Non enim tubarum sonitus murorum saxa dejecit, sed fides qua illi crediderunt Deo, dejecit illos. Legimus quod Domino præcipiente, Josue præcepit arcam Dei portari per septem dies in circuitu Hiericho ac personare tubis. Septimo autem die cum increpuissent tubis, corruerunt muri Hiericho quod a magno mysterio non vacat. Hiericho quæ interpretatur luna, speciem hujus mundi tenet, quia sicut luna menstruis completionibus deficit, ita hic mundus quotidianis defectionibus cadit. In arca vero Ecclesia figuratur, in tubis autem æreis, prædicatores fortes accipiuntur ; Josue, qui circumdedit arcam, Christus est, qui Ecclesiam suam per hunc mundum gubernat. Hanc ergo urbem Hiericho diebus septem Israelitæ ferentes arcam, æneis tubis clangentibus circumeunt, et muri ejus per arcæ præsentiam atque ærearum tubarum sonitum cadunt, quia in hoc tempore quod septem dierum vicissitudine volvitur, defertur arca, id est, dum orbem terrarum circuiens movetur Ecclesia ad prædicantium voces: quasi ad tubarum sonitum muri Hiericho, id est elati hujus mundi et principes, ac superba infidelitatis obstacula corruunt, donec in fine temporum mors novissima inimica destruatur.

Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Magnam consolationem et exhortationem beatus Apostolus isto in loco omnibus præbet : quia si meretrix infidelis et idololatra, sola fide salvata est, multo magis illi salvabuntur, qui ad graviora crimina non sunt prolapsi, ac si patenter diceret: Inhonestum est, si meretrice infideliores estis. Illa tantum homines nuntiantes audivit, confestimque credidit : vos autem non solum homines auditis, verum etiam voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur: et insuper ipsum Filium Dei ad vos missum cognoscitis. Nam Raab effectum fidei consecuta est. Omnibus quippe pereuntibus sola salvata est. Raab autem, quæ interpretatur dilatata, figuram tenet Ecclesiæ quæ dilatata est ab oriente in occidentem, ab aquilone in meridiem, et latitudinem charitatis habet, intantum ut etiam pro ipsis inimicis orationem fundat. Et bene de extraneis atque alienis gentibus erat vivens in desideriis carnis, ac fornicationi deserviens, quia Ecclesia aliena erat ante Domini adventum a Deo, secundum desideria vivens carnis fornicationique atque idololatriæ deserviens. Postquam autem Jesus verus misit ad eam duos exploratores, hoc est Petrum et Paulum, sive duo testamenta, fidelis effecta reliquit fornicationem idololatriæ, sicque salvata est, et salvatur quotidie ne pereat cum infidelibus. Huc usque narravit de legislatore, et de antiquis patribus, nunc dicturus est de judicibus qui fuerunt post Josue, nomina eorum tantummodo commemorans propter brevitatem sermonis, qui per fidem pugnaverunt, et gentes plurimas vicerunt.

Et quid adhuc dicam ? Deficiet enim me tempus enarrantem. Hoc est, deficiet tempus destinatum ad scribendum Epistolam : si cuncta illorum facta pro-

sequi voluero, quos hactenus commemoravi. sive quæ narrare possum de his qui successores illorum fuerunt, *de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, et prophetis qui per fidem vicerunt regna.* Quod omnes siquidem in commune commemorat, illud est quod singulorum opera eadem fide acta sunt : quia omnes illi per fidem simul vicerunt regna. Gedeon siquidem accipiens signum a Domino in trecentis viris, qui manibus aquam hauserunt de quibus Dominus dixit ei : In his superabis Madian, in vellere quoque humido et sicco, fide repletus prostravit Zebee et Salmana, accepitque victoriam ex hostibus. Allegorice autem Gedeon, qui interpretatur in utero circumiens, significat Dominum Jesum Christum, qui per incarnationis mysterium in utero virginis collocatus, plenitudine divinitatis (quæ omnia replet) totum mundum circuibat, quia implendo omnia, circumdat omnia. Trecenti autem viri, qui manibus aquam hauserunt, et accepto igne in lagenis contra Madian profecti sunt, confractisque lagenis ignis resplenduit, tubisque increpuerunt : simulque hostes in fugam conversi sunt, typum tenet sanctorum prædicatorum, qui fidem sanctæ Trinitatis habentes, signo Dominicæ passionis insigniti sunt, quod designatur per *thau* T litteram, quæ suo numero trecentos exprimit, et quæ apud veteres Judæos similitudinem crucis habebat. Lagenæ autem, quæ sunt vascula fusilia vel fictilia, significant corpora eorumdem prædicatorum infirma, de quibus idem egregius prædicator dicit : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus (II Cor.* IV). Sonus tubarum voces prædicatorum exprimit. Fractis ergo lagenis resplenduit ignis, hostesque in fugam versi sunt. Madianitæ typum tenent istius sæculi, quia postquam sancti martyres ab hoc sæculo deficiunt, crescunt miraculo : sicque virtute miraculorum concussi in fugam vertuntur : scilicet, aut fidei subdendo eos, aut etiam a tormentis cessando, victi timore signorum. Illud quoque non vacat a mysterio, quod Gedeone orante vellus primo madidum fuit, et tota terra sicca : secundo vero vellus siccum, et tota terra madida. Vellus enim figuram tenet populi Judaici, terra autem omnium gentium. Jure ergo vellus primo madidum fuit, terra autem manente sicca, quia quando Judaicus populus rore supernæ sapientiæ fuit humefactus ante Domini adventum, omnes gentes siccitate fidei et sapientiæ exsiccatæ erant. Iterum cum post Domini adventum omnes gentes rore sapientiæ fuerunt madidæ effectæ, Judæa ariditate periit. Barac *(Jud.* IV) ipse est Lapidoch maritus Debboræ, qui fide, qua credidit prophetissæ superavit Sisaram omnesque currus ejus, Samson fide qua credidit impetravit a Deo quod orabat, plures interfecit moriens quam vivens. Dixit enim : Domine Deus, memento mei et redde nunc mihi pristinam fortitudinem, Deus meus, ut ulciscar me de inimicis meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem accipiam (*Jud.* XVI). Jephte fidem habuit pugnando contra filios Amon, et filiam suam offerendo, licet in hoc stulte egisset, quod omnipotenti Deo sanguinem humanum fundens putavit placere. Vovit siquidem ut si ei Dominus victoriam daret de filiis Amon, immolaret ei quicunque primus occurreret de domo sua. Quod et ita fecit. Nam occurrit ei filia sua, quam post deploratam virginitatem occidit *(Jud.* XI). Sed potest quæri qua de causa mos inoleverit, ut omni anno virgines Hebræorum plorent filiam Jephte. Quæ ista cognoscitur esse ratio, ut dum cernunt deplorari illam a filiabus suis, nemo ad tantam stultitiam tantumque piaculum audeat prosilire, ut Deo humanum sanguinem fundat. David fide plenus processit contra Philisthæum, et interfecit eum *(I Reg.* XVII). Et quoniam Deo credidit, multas promissiones de Christo promeruit. Samuel propheta et sacerdos fidem habuit perfectam, qua unxit David in regem ad verbum Domini, et occidendo Agag, regem Amalech *(I Reg.* XV), operati sunt justitiam, quia quod crediderunt corde, opere compleverunt, exornantes eamdem fidem, adepti sunt repromissiones de Christo vel de patria cœlesti. Abraham enim de Christo promissionem accepit, dicente sibi Domino : *In semine tuo,* id est in Christo, *benedicentur omnes gentes (Gen.* XXII). David quoque plurimas promissiones accepit, cui Dominus dixit : *Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum quod egredietur de* lumbis tuis, *et firmabo* thronum ejus super thronum tuum *(II Reg.* VII). Et alibi : *De fructu* lumbi *tui ponam super sedem tuam (Psal.* CXXXI). Et cum jurejurando *semel,* inquit, *juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit (Psal.* LXXXVIII). *Obturaverunt,* id est, clauserunt *ora leonum,* ut Samson, David, et Daniel missus in lacum.

Exstinxerunt impetum ignis, sicut tres pueri Danielis socii jussu Nabuchodonosor Chaldaica urgente vesania, missi sunt in fornacem ignis ardentis, quibus nihil molestiæ intulit *(Dan.* III). *Effugerunt* faciem gladii, id est repulerunt fortitudinem hostium a se, valide pugnando, sicut Josue, Gedeon, David, aliique reges et principes Judæorum. *Convaluerunt de infirmitate,* ut Job et Ezechias, qui, cum ægrotasset usque ad mortem, Domino sibi propitio redditus est pristinæ sanitati per spatium quindecim annorum *(IV Reg.* X). Possumus ex infirmitatis nomine malum captivitatis intelligere, de qua liberati sunt, Domino volente, Cyro jubente, Esdra et Nehemia procurante. *Fortes facti sunt in bello,* ut Jesus Nave successor Moysi, Samson qui mandibula asini multos Philistinorum interfecit *(Judic.* XV), David quoque rex, Juda Machabæus et fratres ejus, quorum temporibus etiam sex millia Judæorum interfecerunt centum millia hostium, et tria millia missa Antiochiam in auxilium Demetrii, peremerunt centum viginti millia. *Castra verterunt exterorum* in fugam. Frequenter hoc egerunt. Castra autem dicuntur a castrando, eo quod ibi castretur libido. Non est enim mos militaris ut pergentes in prælium uxores aut feminas alias secum ducant. Duo autem quondam principes terræ cum comitatu uxorum perrexerunt in bellum, Darius vi-

delicet et Antonius, sed uterque inibi corruit. Darius quidem superatus est ab Alexandro, Antonius vero ab Octaviano Augusto.

Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Eas mulieres dicit quarum filii ab Elia et Eliseo suscitati sunt, quos illæ acceperunt post resurrectionem, vel resuscitationem, non ut eos haberent in maritos, sed quos amiserant in morte, receperunt vivos. *Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.* Plurimi sanctorum distenti sunt, hoc est in cruce extensi funibus colligati, sicut beatus Andræas. Seu distenti, hoc est ad capita duarum arborum colligati ac disrupti, vel etiam ad brachia equorum indomitorum extenti : sicque ab eis disrupti vel certe distenti sunt, hoc est decollati, quæ omnia in sanctis martyribus videntur esse completa. Non susceperunt redemptionem, hoc est liberationem in præsenti, ad hoc ut solverentur a tormentis, ut meliorem atque gloriosiorem invenirent resurrectionem in futurum; quoniam quo ampliora quis tormenta pro Deo in præsenti sustinet, eo gloriosior in resurrectione apparebit.

Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres. Ludibria dicuntur a ludo, hoc est irrisione. Primo enim sancti martyres ludibriis et irrisionibus deludebantur, deinde verberibus afficiebantur, sicque vinculis astricti, ponebantur in carceres ; ad postremum vero interficiebantur diversis et exquisitis tormentis.

Lapidati sunt, ut Naboth, Jeremias in Ægypto a reliquiis transmigratorum, Ezechiel in Babylone, aliique quamplures in Novo Testamento. *Secti sunt.* Hic pluralis numerus pro singulari positus est. Neminem enim sanctorum legimus in Veteri Testamento sectum, nisi Isaiam prophetam, quem fecit secari serra lignea Manasses rex, qui filiam ejus habebat in uxorem. *Tentati sunt,* ut Abraham et alii multi, non ad deceptionem, sed potius ad probationem, illa scilicet tentatione de qua dicitur : *Tentat vos Dominus Deus vester,* id est probat vos ; nam *Deus intentator malorum est (Jac.* I). *In occisione gladii mortui sunt,* ut Urias et Josias, et alii multi. *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.* Eliam in hoc loco debemus intelligere, et alios qui taliter egerunt, et qui afflicti undique penuriis et tribulationibus angustiati, fide sustinuerunt omnia, ut ad desideriorum supernorum præmia possent pervenire. Omnis autem indigentia et egestas angustia vocatur, qua angustiatur homo, id est affligitur, seu fame seu alia inopia. Melotam dicunt quidam genus esse vestimenti ex pellibus caprinis, ex uno latere dependens, quo genere vestimenti, propter asperitatem in Ægypto monachi dicuntur uti. Elias quoque legitur usus isto fuisse. At vero quidam dicunt ex pellibus taxi, genus vestimenti est compositum. Est enim animal quod taxus vocatur et melius, solitus habitare in cavernis terræ : cujus pellis hispida esse fertur, a quo nomine de-

A rivatur vocabulum hujus vestis, id est a melo melota.

Quibus dignus non erat mundus. Mundi nomine hic sub una significatione possumus intelligere amatores mundi, qui, terrena solummodo appetentes, ab amore creatoris sui longe remoti erant, ac propterea non erant digni tales socios habere, quales fuerunt illi quarum magnalia Apostolus supra descripsit. Sive mundi nomine possunt accipi omnia quæ continentur in cœlo et in terra, aurum videlicet, argentum, gemmæ atque omnia pretiosa, et ipsi insuper reprobi, amore mundanarum rerum decepti. Istis ergo sanctis non erat dignus mundus, hoc est, si totus redigeretur sub pretio, non poterat uni illorum recte comparari, neque etiam si omnia illa in pretium dari potuissent, talem aliquem virum emere poterant.

B Ut ergo ex pluribus paucorum memoriam agamus, quomodo poterat talis ac tantus vir comparari ut Moyses fuit qui, quando voluit, mare divisit, quando voluit, aquas ejus reduxit, quando voluit, manna de cœlo descendere fecit, aquam de petra produxit, et cætera innumerabilia quæ fecit *(Deut.* VIII). Vel quomodo poterat comparari pretio mundano talis ac tantus vir ut fuit Josue successor ejus, qui, quando voluit, solem ac lunam, illa duo maxima luminaria, uno in loco stare fecit, dicens : *Sed contra Gabaon, et luna contra vallem Aialon ne movearis? (Josue,* X.) Fortassis dicit aliquis : Ideo non poterant emi, quia non poterant inveniri; utique verum est quia non poterant in toto mundo similes illorum inveniri : et si potuissent, nequaquam ullo pretio pos-

C sent comparari, quoniam quod totus mundus nequibat perficere, hoc unus illorum verbo agebat. Nam cum totus mundus temporibus Eliæ laborasset per tres annos et sex menses siccitate, nec potuisset pluviam impetrare, verbo Eliæ apertæ sunt cataractæ cœli, et venit pluvia super faciem terræ. *In solitudinibus errantes, in montibus et speluncis et in cavernis terræ.* Eliam eximium prophetarum hic vult intelligi, et filios prophetarum qui temporibus Achab et Jezabelis fugati sunt, eo quod voluisset eos Jezabel interficere, tunc temporis pavit eos quinquagenos Abdias in speluncis et in cavernis terræ Unde et meruit donum prophetiæ juxta quod Dominus in Evangelio dicit, qui recipit prophetam in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet.

D *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ne sine nobis consummarentur.* Qui sunt isti qui testimonio fidei sunt probati, nisi omnes superius memorati? Quorum tam clara et laudabilis fides commemorata est, stellæ videlicet firmamenti, terreni homines, et cœlestes angeli, vivi lapides et splendidæ margaritæ, quorum opera quæ egerunt fidem eorum confirmant, quoniam absque fide impossibile est placere Deo. Testimonio itaque fidei fuerunt probati, hoc est, operatione sancta, quæ per fidem operabatur, laude digni inventi sunt, fides enim illorum operibus mundis declarabatur. Sed cum ita essent perfecti, repromissionem non acce-

perunt. Dicit ergo aliquis : Quid eis profuit Deo servisse, si hactenus sine præmio manent ? Absit hoc a fidelium cordibus, ut credamus eos sine præmio manere. Adhuc quippe mortali carne circumdati, magnum præmium perceperunt, videndi scilicet, Deumque cognoscendi, multaque mira patrandi, nunc vero quiescunt in anima, in beatitudine regni cœlestis ineffabili lætitia perfruentes. Sed videamus quid Joannes de illis in Apocalypsi sua dicit, sicque nobis manifestabitur quam promissionem non acceperunt : *Vidi*, inquit Joannes, *sub altare* Dei *animas interfectorum propter verbum Dei, quod habebant, et clamabant voce magna*, *dicentes : Usquequo, Domine sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum*, *donec* impleatur numerus conservorum *et fratrum illorum (Apoc.* VI). Singulas stolas modo habent animæ sanctorum de sua immortalitate gaudentes, et de felicitate de qua fruuntur exsultantes. Binas vero stolas habebunt, cum in generali resurrectione receperint immortalitatem et incorruptionem in corpore, quam modo habent solummodo in anima. Hanc ergo promissionem necdum perceperunt, de qua Isaias dicit : In terra sua duplicia possidebunt, scilicet post generalem resurrectionem. Et revera ita dignum est ut qui in corpore et in anima Deo servierunt, in corpore et pariter et anima remunerationem percipiant. Quodque sequitur, *Deo pro nobis aliquid melius providente, ne sine nobis consummarentur*, hoc est, perfectionem consequerentur illi, more humano agitur. Verbi gratia : Sicut quidam filii revertentes de agro, dicunt patri : Pater, laboravimus hodie, æstum solis perpessi sumus *(Matth.* XX), tempus est ut tribuas nobis refectionem ; et ille eis respondeat : Sustinete parumper quoadusque veniant omnes fratres vestri qui nobiscum similiter laborabant, et tunc cum eis plenissime epulabimini ; sic omnipotens Deus quodammodo egit dum non dedit electis immortalitatem in corpore ut major gloria, majusque esset desiderium, cum omnes generaliter in die judicii binas stolas acceperint. Et hoc est quod dicit : *ne sine nobis* qui adhuc hic peregrinantur perfectionem consequerentur in resurrectione corporum.

CAPUT XII.

Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Nubem testium appellat multitudinem patriarcharum ac prophetarum reliquorumque fidelium qui testes fuerunt perfectæ fidei, testes etiam Filii Dei, quem prædixerunt in mundum venturum. Qui bene nubes vocantur propter altitudinem ac multitudinem meritorum. Sicut enim nubes a sole illuminatur, ejusque calore perfunditur, sicque postmodum terram calefacit et plerumque imbrificat

A illam, plerumque autem coruscationes emittit : ita illi sancti Patres a vero sole calefacti atque illuminati suo exemplo corda hominum calefaciunt atque illuminant, suoque tempore pluviam emiserunt verbis, et coruscaverunt miraculis. Imposita est ergo nobis in exemplum tam magna nubes testium, ut fidem illorum et opera imitari satagamus. Quapropter simus deponentes omne pondus vitiorum per pœnitentiam, somnum quoque pigritiæ, et cogitationes infirmas. Per hoc autem quod subdidit, et circumstans nos peccatum simus deponentes, ostendit Judæos ex omni parte a diabolo tentari, desideriisque carnalibus deservire, multisque peccatis abundare. Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, ut sicut illi sustinuerunt patienter

B adversa hujus sæculi, ita et nos sustineamus. Non dicit addamus cursui nostro aliquid, sed in eodem manentes, curramus ad destinatum nobis certamen juxta quod Psalmista dicit : *Viam mandatorum tuorum cucurri (Psal.* CXVIII). In præsenti enim sæculo in certamine sumus positi contra vitia carnis, contra dæmones, contra falsos fratres, et necesse est ut patienter curramus, sive expleamus certamen istud, quatenus pervenire possumus ad promissum certaminis præmium.

Aspiciamus *in auctorem fidei et consummatorem Jesum qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Sicut filii parentes, et discipuli magistrorum in studio operis atque in certaminibus attendunt, informantes mentem ex parte

C doctorum, sumentes quasdam regulas ab eis per visum, ita et nos si volumus currere et discere ut bene curramus ad auctorem sive consummatorem Jesum Christum, attendamus qui dixit nobis : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde (Matth.* XI) ; et alibi : *Si me,* inquit, *persecuti sunt, et vos persequentur (Joan.* XV) ; et : *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus ? (Matth.* X.) Attendamus in Christum, et accipiamus in illo exemplum patientiæ, qui dixit : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (Matth.* XXIV). Ipse namque est auctor fidei et consummator. Auctor fidei nobis est, quia ipse nobis fidem infundit. Non enim possumus credere, nisi ab illo præveniamur. Unde ipse fidelibus suis dicit : *Non vos me elegistis,*

D *sed ego elegi vos (Joan.* XV). Ipse consummator fidei, sive perfector est, quia consummationem sive perfectionem nobis præstat in hoc ut in fide perseveremus. Sive in hoc perfector est fidei, quia dat voluntatem atque possibilitatem perficiendi bonum, quo ipsa fides exornetur. *Nam fides sine operibus* perfecta non est : *mortua* enim *est (Jac.* II). In illo enim omnes perfectionem habemus qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Ipse Filius Dei proponens sibi, hoc est in præsentia sua statuens gaudium resurrectionis atque ascensionis in cœlum, totiusque gloriæ quam percepit post resurrectionem sustinuit crucem propter hoc quod in postremo videbat sibi profuturum. Confusione contempta, hoc est pro

nihilo deputata verecundia, quoniam sine erube- A scentia et verecundia illud opprobrium sustinuit. Gaudium namque maximum fuit illi quod pro nobis est passus, ut voluntatem Dei Patris impleret pro quo postea potentiam supra omnem creaturam accepit. Unde ipse dicit : *Desiderio desideravi hoc pascha manducari vobiscum* (*Luc.* XXII). Si igitur ille qui nullam habuit necessitatem ut crucifigeretur, crucifixus est propter nos, quanto magis justum est nos omnia fortiter tolerare ? Ad hoc itaque Dominus apparuit in carne ut humanam vitam admonendo excitaret, exemplum præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. Propter hoc enim morietur, ut doceret nos nihil exstimare gloriam quæ ab hominibus defertur. *Atque in dextera sedis Dei sedet*, hoc est in prosperitate æternæ vitæ et B plenitudine paternæ majestatis. Si nulla esset alia Dei promissio et exhortatio, istud solum exemplum debuerat sufficere, quod in hoc loco de Christo ostendit Apostolus ad persuadendum omnia adversa patienter tolerare, ut cum Christo mereamur considere in gloria. *Recogitate, eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.* Omnia adversa quæ Christus sustinuit a Judæis : plagas scilicet, irrisiones, sputa, colaphos, alapas, blasphemias, ipsamque mortem, Apostolus solo nomine contradictionis ostendere voluit. Rememoramini, inquit, Christum, qui tanta ac talia sustinuit contraria pro peccatoribus, qui peccatum non fecerat : C ut nos qui transgressores et peccatores esse dignoscimini, non fatigemini deficientes in animis vestris : sed imitando illum, sustinete similia patienter. Adversus temetipsum sustinuit Christus contradictionem, id est, dimisit illos secundum quod voluerunt facere contra se : nihil eis contradicens. Hortator autem eos ne deficiant in tribulationibus, dum usque ad martyrium et sanguinis effusionem non adhuc pervenerant. Unde et subdit : *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* Ac si diceret : Et si amisistis facultates terrenas, exspoliati a contribulibus vestris, tamen mortem non sustinuistis. Adhuc enim vivi manetis. Usque ad sanguinem restitit pugnans adversus peccatum, qui pro veritate fidei adversus infideles pu- D gnavit usque ad mortem, sicut sancti apostoli, eorumque successores fecerunt : nam infidelitatis peccatum maximum est : dum autem quis vult decipere aut blanditiis, aut terroribus, pugnans pro fide contra infideles, utique adversus peccatum repugnat. Potest et de omni peccato intelligi, de mala videlicet suggestione, et prava voluntate, immundoque desiderio : quibus qui resistit non consentiendo eis, adversus peccatum pugnat.

Et obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens : Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Sapientia Dei Patris, quæ per Salomonem loquebatur, inter cætera etiam protulit hoc per os illius, quod beatus Apostolus modo in exemplum assumpsit, hortans Judæos ne deficiant in tribulatione : quia a Domino arguuntur causa probationis. Dicit ergo : Fili mi, noli negligere, sive negligenter ducere disciplinam Domini. Disciplina dicta est a discendo, quæ alio nomine correctio morum potest appellari. Dum enim quis angustiis et tribulationibus afficitur, non debet fatigari nec deficere : sed potius patienter sustinere, recogitans quia a Domino corrigitur.

Quem enim diligit Dominus castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit. Ideo hæc testimonia ponit Apostolus, ut sicut filii a parentibus suis flagellantur, ut digni sint ad hæreditatem paternam accedere, unde et plerumque stare tota nocte in frigore jubentur, variisque modis excoquuntur : ita et isti similiter correctiones a Deo alacri animo sustineant, ut ad veram hæreditatem perpetuæ patriæ pervenire sint idonei. Sunt enim multi qui in prosperis Domino serviunt : sed tamen in adversis cedunt. Hi tales non sunt adhuc perfecte probati ad hæreditatem captandam. Unde Apostolus quem in prosperis bene vivere docuit, ne in correctione deficiat hortatur : quoniam filium quem diligit Dominus ad hoc ut hæredem illum regni cœlorum constituat : castigat illum variis diversisque modis, et flagellat aut infirmitate aut paupertate, aut persecutione, aut tormentis. Notandum autem quia non omnis qui flagellatur, filius est : sed omnis filius flagellatur. Quem ergo sanctorum ab hoc sæculo ad hæreditatem sempiternam legimus pervenisse sine flagellatione divina? Quapropter tanto minus de flagello quo castigamur, murmurare debemus : quanto certius in eo paternæ dilectionis affectum sentimus. Unde ipse dicit : *Ego quos amo, arguo et castigo (Apoc.* III). At vero multi flagellabant : ut Antiochus et Herodes, non ut ad hæreditatem assumantur, sed ut hic ex parte demonstretur, quæ mala passuri sint post mortem.

In disciplina perseverate. Tanquam filiis charissimis *vobis offert se Deus*, subaudis : ut hæreditatem patriæ cœlestis capiatis ; ac si diceret : Melius est vobis per disciplinam et correctionem, quæ affectu paterno agitur, transire ad hæreditatem cœlestem, quam extra disciplinam esse, sicque ad pœnas descendere inferni. Putatis enim quod odio vos habeat ac dereliquerit Deus, per hæc quæ passi estis ? Si hæ non pateremini, tunc magis hoc vos cogitare competebat. Nam si flagellat omnem filium quem recipit, qui non flagellatur sine dubio non est in numero filiorum. His verbis ostendit eis, quia unde putabant se derelictos esse : inde magis credere poterant diligi ab illo. *Quis enim filius quem non corripit pater?* Solet aliquoties paterfamilias filios alienos negligere : suos vero castigare et corripere, ne eos opprimat mala negligentia. Nullus est pater sapiens qui non corripiat filios delinquentes, et aliquando bona agentes increpat ut ad meliora accendantur. Unde et Heli, quia filios suos non corripuit,

non meruit eos hæredes sacerdotii post se derelinquere (*I Reg.* I). A

Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes boni filii, vel Patres sancti superius memorati, *ergo, adulterini et non filii estis.* Quisquis extra disciplinam Domini manet, cujus disciplinæ participes facti sunt omnes boni filii pertinentes ad hæreditatem cœlestem, adulterinus filius est, nec pertinet ad hæreditatem paternam, quia non est filius liberæ. Cavete ne sitis adulterini filii. Omnes enim infideles et negligentes disciplinamque Domini contemnentes, adulterini et non filii reputantur. *Deinde patres quidem habuimus eruditores, et reverebamur eos. Num multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?* Deinde, subaudis considerare debemus, quia patres habuimus eruditores, et timebamus eos, nonne multo magis obtemperabimus Deo patri spirituum, et vivemus in gloria æterna? Pater spirituum vel creator animarum, Deus omnipotens est, quia omnia creavit primum ex nihilo, deinde vero ex elementis corpora hominum, alienorumque animalium, animam vero hominis ex nihilo creavit, et creat adhuc. Non est enim putandum, quod anima pars Deitatis sit, quoniam Deitas non est creata, anima autem creata est. Idcirco autem omnipotentem Deum creatorem animarum appellat non corporum, cum omnium creator sit, quia corpus nostrum ex semine paterno simulque materno conficitur: anima vero semper a Deo ex nihilo creatur. Si, inquit, patres carnales timebamus, a quibus temporaliter erudiebamur, ut hæredes illorum mereamur fieri, quanto magis Creatori animarum obedire atque obtemperare debemus, ut cum illo in gloria æternæ beatitudinis vivamus. Nec solummodo differentia est inter eos propter discretionem personarum, quia isti terreni, ille est cœlestis, sed etiam ipsa causa disciplinæ atque eruditionis. Non enim ad eamdem causam, vel ad res spiritales erudiunt, sed ad id quod eis videtur, sicut Apostolus manifestat, dicens: *Et illi quidem*, patres carnales, ex quorum semine corpora sumpsimus, *in tempore paucorum dierum, secundum suam voluntatem erudiebant nos: hic autem,* Pater scilicet spirituum, *ad id quod utile est* erudit nos, hoc est ad salutem et utilitatem animæ nostræ: *in recipiendo sanctificationem ejus.* Illi quidem patres carnales ad hoc erudiunt nos, ut ipsis simus utiles secundum suam voluntatem, quæ in omnibus non est utilis: Deus vero omnipotens ad omnia utilia nos instituit, ut animæ nostræ in salutem consequamur et recipiamus sanctificationem ejus, videlicet ut simus sancti secundum quemdam modum, sicut et ipse sanctus est, juxta quod ipse dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (*Lev.* XI). Ad hoc, inquam, nos erudit et castigat, ut nos efficiat dignos suis muneribus. Unaquæque etenim gens secundum suam voluntatem filios erudit, sicut consuetudo fuit Romanorum suos filios erudire in re militari et Græcorum litteris instituere suos.

Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit justitiæ. Omnis, inquit, disciplina tam humana quam divina, tunc quando discitur, non videtur esse disciplina gaudii, sed mœroris. Ideo autem hanc omnem et divinam et humanam disciplinam vocavit, quia quidquid discitur, disciplina vocatur. Idcirco autem in præsenti non videtur disciplina gaudii, sed mœroris, quoniam flagellatur sæpissime et constringitur, de quo id agitur sustinet famam, patitur frigus omnemque laborem. At vero cum pervenerit ad perfectionem, gaudet, lætatur, gratissimamque mercedem recipit, sicut Apostolus dicit: Postea, inquiens, cum pervenerit ad culmen perfectionis, reddit ei eadem B disciplina pacatissimum fructum justitiæ per eam exercitatis, id est per eamdem disciplinam probatis atque perfectis. Fructum autem pacatissimum vocat gratissimam atque acceptissimam remunerationem quam percipiunt hi qui per eamdem disciplinam exercentur atque probantur. Verbi gratia: Romani tirones, qui in disciplina rei militaris sunt exercitati, multa contraria primum sustinentes postea gavisi sunt, monarchiam totius orbis possidentes. Similiter intelligendum de his qui in disciplina divina affliguntur, qui præmia æterna recepturi sunt, sicut sancti apostoli, martyres et doctores Ecclesiæ. *Propter quod remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Propter quod? C quia propter disciplinam mercedis præmium redditur, gaudiumque subsequitur: vel propterea ut possitis hæreditatem supernam cum bonis filiis percipere, remissas manus a bono opere, et torpentes otio pigritiæ: et soluta genua erigite ad bona opera agenda. Per pedes autem et genua, debemus accipere bona opera, sicut et per manus, per gressus autem intellectum intentionemque mentis, et est sensus: Talia opera agite, quæ perfectum intellectum habeant quod bona intentione fiant. Recte, inquit, ambulate, ne claudicatio plus accrescat, sed potius ad statum rectitudinis erigatur. Remissas manus et genua soluta mandat erigere, sicut et Isaias præcipit, dicens: *Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate* (*Isa.* XXXV, 3), ut non claudicans D quis erret, id est, ut non hæsitans quis in fide bonisque operibus erret via rectitudinis, magis autem sanetur a peccatis credendo recte in Deum, ac si diceret: Qui non recte credit, melius est firmius et tenacius credat quatenus omnibus modis inveniat medicinam animæ suæ. His autem verbis hæsitationes eorum tangit, ad hoc ut sine aliqua dubitatione crederent in Deum.

Pacem sequimini cum omnibus, subaudis bonis, et *sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum.* Plurima quidem sunt, quæ formam discretionemque christianitatis ostendunt, sed plus omnibus ac melius charitatis mutuæ affectus et pax, quæ omnium hominum corda consociat. Quapropter dicit ipsa Veri-

tas : *Pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27) : et iterum : *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Id.* XIII, 35) ; propterea Apostolus dicit : *Pacem sequimini cum omnibus* bonis. Pacis autem nomine intelligenda est dilectio et concordia. Sanctimonia autem dicitur castitas mentis et corporis ac si diceret : Ita diligite omnes bonos ut vosmetipsos, et sic in vobis castitas, sive munditia mentis et corporis, quoniam sine pace et sanctimonia nemo videdit Deum. *Beati enim pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v). *Contemplantes nequis desit gratiæ Dei.* Quid dicit contemplantes, id est diligenter attendentes atque considerantes, ut quis vestrum dicit gratia Dei, sic loquitur cum eis tanquam cum viatoribus, qui cum numero et comitatu in longa itinera permaneant quibus solet dicere is qui eis præest : Videte ne aliquis remaneat qui non pergat nobiscum : veluti si diceret : Non hoc tantum requiro, ut vos soli gratiam consequamini patriamque cœlestem intretis, sed etiam inspiciatis et cæteros. Gratiam autem Dei dicit, fidem, spem, et charitatem, per quas meretur homo gratiam Dei invenire, quia cum istis habet, et reliquas. Sive gratiam Dei dicit remissionem peccatorum, quæ nobis gratis datur a Deo in baptismo. Videte, inquit, ne quis vestrum alienus sit a gratia Dei, quæ datur in baptismate, vel a fide perfecta, cæterisque virtutibus, *ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi.* Radicem amaritudinis vocat voluntatem malam pravamque intentionem, unde procedit peccatum amaritudinis. Nam sicut radix amara fructus dulces non potest proferre, sed sui similes, hoc est amaros, sulphureus quoque fons aquas non emittit habiles ad bibendum, ita mala voluntas et intentio prava malam operationem et peccatum amaritudinis a se emittunt quibus impeditur iter ad patriam ascendendi cœlestem, atque per illam malam voluntatem de qua procedunt semina nequitiæ, inquinantur multi, quia modicum fermentum totam massam corrumpit, et uno peccato infidelitatis, omnia opera quæ poterant bona esse depravantur, et uno peccatore multi coinquinantur. Radix enim amaritudinis specialiter peccatum infidelitatis potest intelligi, licet ad malam voluntatem, atque intentionem nequam, ut diximus, referatur. Et congrue peccatum amarum dixit esse, quoniam nihil amarius est illo postquam fuerit perpetratum. Quod experimento agnoscunt, qui post admissum delictum, conscientiæ mœrore macerantur, diraque satis amaritudine consumuntur in tantum ut amaritudo ipsius delicti, ipsum intellectum, ipsamque rationem aliquoties subvertat, sicut de Cain legimus qui in desperationem ruit.

Ne quis fornicator aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primogenita *sua*. Fornicator appellatur Esau, qui contra voluntatem patris et matris uxores alienigenas duxit (*Gen.* XXXVI). Profanus autem proprie dicitur irreligiosus, quasi porro, id est longe a fano et templo Dei, hic autem pro castrimargo, sive pro illo qui utile pro inutili vendit, ponitur. Quod bene congruit Esau, qui fuit castrimargus atque gulosus, vendens primogenita sua pro vili cibo, pro lenticula scilicet rufa. Primogenita autem isto in loco appellantur honor et dignitas sacerdotii. Ante sacerdotium enim Aaron, quo a Deo constitutum est in lege, omnes primogeniti sacerdotes erant sicut fuit Sem qui et Melchisedech primogenitus filius Noe fuit. Magna etenim dignitas erat habere primogenita, quoniam et de substantia atque hæreditate paterna majorem portionem sumebant, vestimentorumque ornatu locupletior splendebat. Unde legitur in Genesi, quod Rebecca accipiens vestimenta Esau valde bona, quæ apud se domi habebat, induit ea Jacob, sicque adduxit eum ad patrem (*Gen.* XXVII) Qui ut sensit odorem, vestimentorumque ejus fragrantiam, dixit : *Ecce odor filii mei quasi odor agri* (*Ibid.*). Quia ergo inter Judæos erant quidam sectatores Esau in fornicatione atque castrimargia, reducit eis Apostolus ad memoriam factum Esau, hortans cavendum ab omnibus illis, ne quis illi similis fieret qui pro delectatione temporalium rerum, usque ad vendenda sua primogenita pervenit. Propria siquidem negligentia et cupiditate vendidit honorem, quem a Deo perceperat, et pro parva re magnam gloriam perdidit. Postremus factus est, qui erat primus : et qui erat secundus, mansit primus. *Scitote enim quoniam postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est,* subaudis a Deo. Narrat historia Genesis (*Ibid.*), quod Esau revertens de agro, ut comperit se præventum a fratre ad benedictionem patris, dixit cum lacrymis et clamore magno : *Num unam benedictionem habes, pater ?* Benedic etiam et mihi. Cui Isaac : Dominum tuum illum constitui, et ultra, fili mi, tibi quid faciam? (*Ibid.*) Tandem victus Isaac clamoribus illius, dedit ei benedictionem de divitiis hujus sæculi : et ut in his quæ terra profert abundaret dicens : *In pinguedine terræ et in rore cœli desuper, erit benedictio tua* (*Ibid.*). Apparet ergo quia cum voluisset hæreditare benedictionem paternam, dignitatem videlicet sacerdotii recipere, quæ jam amiserat necnon et sanctitatem patris cum spiritu prophetiæ, peccatis impedientibus ad hoc perductus est, ut reprobaretur a Deo, et fraudaretur a fratre benedictione paterna. Unde et sequitur : *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.* Quare non invenit pœnitentiæ locum, id est veniam per pœnitentiam, quam cum lacrymis quæsivit? Quia ita non quæsivit ut debuit. Lacrymæ enim illæ indignationis fuerunt potius amissi honoris et rancoris contra fratrem quam humilitatis veræque pœnitentiæ, unde et dixit : *Venient dies luctus patris mei ut occidam Jacob fratrem meum* (*Ibid.*), quapropter quanquam cum lacrymis inquisisset eam, jam ad illum locum benedictionis non potuit pervenire ut frater suus. Ita enim debuerat pœnitere, sicut de Petro legimus, qui cum *Domi-*

num negasset, egressus foras flevit amare (*Luc.* XXII). Idcirco illi dimissum est tam grande peccatum quoniam sicut debuit pœnitentiam egit. *Non enim accessistis ad tractabilem et* accessibilem *ignem et turbinem et caliginem et procellam, et tubæ sonum, et vocem verborum.* Mos est illorum qui comparationes faciunt, ut alteram partem deprimant atque extenuent. ut res alterius partis emineat Sic et apostolus ex comparatione illorum quæ fuerunt in Veteri Testamento, nostra majora ostendit et clariora, mansuetiora quoque et meliora atque admiratione digna. Facit enim nunc differentiam inter Christum et Moysen, inter Evangelium et legem, inter cœlum et montem Sina, aspersionem sanguinis legalis et emundationem sanguinis Christi. Multo enim meliora sunt ista quam fuissent illa. Ibi enim requiescet umbra, hic veritas tenetur et panditur. Non accepistis, inquit, ad tractabilem et accessibilem ignem, id est, non accessistis ad visibile et palpabile lumen ignis quod visu corporeo tractari possit, sicut de veteri populo Judaico legimus, sed invisibilem et incomprehensibilem Deum. Hæc in Sina monte facta referuntur, quando data est lex, ignis videlicet, turbo, caligo, procella, tubæ sonus, et vox verborum. Visus est, inquit Dominus Deus in monte Sina (*Ex.* XIX, XX). Turbo est ventus validus auferens stipulas et levia quæque ac pulverem terræ involvens, plerumque etiam extollit quæ ponderosa sunt. Caligo est tenebrositas fumi et ignis. Procella est tempestas et pluvia. Facta sunt autem ista quando lex dabatur, ut corda Judæorum prona ad peccandum concuterentur, ne ipsam legem auderent transgredi. Unde et terræmotus exstitit ibi, ut ipsi ex toto terrore percussi, ad Deum cœlorum confugium facerent. Tenebræ autem sicut et caligo obscuritatem ipsius legis designant. Turbo sive commotio ventorum, comminationem ipsius legis, quæ dicit, si quis hoc vel illud fecerit, occidatur. Procella ipsam vindictam: tubæ sonus præsentiam et adventum Dei omnipotentis, unde idem Apostolus alias dicit: *In jussu et in voce archangeli et in tuba Dei descendet de cœlo* (*I Thess.* IV, 16): per tubam autem intelligitur ipsa vox angelorum. Non enim est putandum quod ænea aut cornea tuba angeli increpaverint. Vox quoque verborum non ipsius omnipotentis Dei intelligitur, sed angelorum. Per subjectam enim creaturam, hoc est per angelum, loquebatur Deus ad Moysen. Nam quod non esset vox Dei, Dominus demonstrat in Evangelio, loquens Judæis: *Neque vocem ejus audistis, neque speciem ejus vidistis* (*Joan.* V). Et quod Moyses cum angelo, non cum Domino fuerit locutus ostendit beatus Stephanus in concione sua quam habuit cum Judæis: hic est, inquiens, Moyses, qui fuit cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina. Evangelium autem non fuit datum in tremore neque cum comminatione, sed affectu paterno. Locutus est Dominus fidelibus tanquam filiis. Nam ascendens in montem quando inter cætera præcepta vitæ octo beatitudines eis protulit, non apparuerunt neque visa sunt signa quibus terrentur, sicut quando lex data est. Sequitur: *Quam* vocem tubarum et angelorum, *qui audierunt excusaverunt se, ne eis fieret verbum*, id est, ne eis loqueretur. *Non enim portabant quod dicebatur ad eos*, hoc est non poterant ferre vocem angeli præ timore, unde et dixerunt Moysi: *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur* (*Exod.* XX). Nimio enim timore fuerant perculsi, videntes totum montem Sina fumare procellas quoque et tonitrua et voces tubarum (*Ibid.*). *Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur*, subaudis lapidibus grandinis cœlitus missis. Sic enim præceperat Dominus: Longe se faciant filii Israel a monte, quoniam si homo aut aliqua bestia accesserit ad montem, lapidibus grandinis interficietur. Et ita terribile erat quod videbatur, subaudis ut neque auderent audire, neque accedere ad montem.

Moyses enim *dixit: Exterritus sum et tremebundus.* Si Moyses exterritus est, quid dicendum de aliis? *Sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem.* Ex superioribus ista pendent, ubi dictum est, non accessistis ad tractabilem et accessibilem ignem montis Sinai, sed accessistis ad Sion montem, cætera per parenthesim dicta sunt. Per Sion autem quæ interpretatur speculatio, et per Hierusalem quæ interpretatur visio pacis, vult intelligi cœlestem patriam, Ecclesiam videlicet supernam, quæ constat ex angelis et hominibus justis ad quam acceditur fide et desiderio. Accessistis, inquit, ad Sion montem, hoc est ad civitatem Dei viventis Hierusalem fide et desiderio. Et accessistis *ad frequentiam* sive multitudinem *multorum millium angelorum*, consociati illis in fide, consociandi iterum in gloria, juxta quod Dominus dicit: Erunt electi sicut angeli Dei in cœlo, et accessistis ad *Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis.* Ecclesiam primitivorum debemus accipere in apostolis, qui primi crediderunt, quorum fidei illi adjuncti sunt credendo: et quorum nomina scripta sunt in memoria omnipotentis Dei, juxta quod ipsa Veritas eis dixit: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X). Et accessistis ad *Deum judicem omnium*, id est ad Dominum Jesum qui dicit: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V), per illum enim judicabit Deus Pater non solummodo Judæos, sed omnes homines: et accessistis *ad spiritum justorum perfectorum.* Spiritum justorum vocat Spiritum sanctum, per quem sanctificantur omnes in baptismate accipientes ab illo remissionem omnium peccatorum: et bene perfecti vocantur, quia tunc justi perfecti existent, dum ab omnibus contagiis mundantur, sive spiritum justorum perfectorum dicit, animas sanctorum qui apud Deum probabiles exstiterunt, quibus conjuncti fuerant illi fide et desiderio. Accessistis quoque ad *Jesum mediatorem Testamenti Novi.* Dominus Jesus per hoc quod homo pariter et Deus est, mediator noster est, quoniam sicut Moyses mediator fuit inter Deum et populum verba Dei referens ad populum, rursusque populi ad

Deum secundum quod ipse dicit : *Ego sequester vester medius inter Deum et vos* (*Deut.* v, 5), ita et Dominus Jesus verba Dei Patris retulit nobis, et modo nostra refert ad illum interpellans assidue pro nobis simulque sua passione confirmans nobis Testamentum Novum. *Ad aspersionem quoque sanguinis* accessistis *melius loquentem quam Abel*. More legis aspersionis nomine emundationem Christi sanguinis intimavit, quoniam mundatio quæ per sanguinem fiebat, aspersio vocabatur. Accesserunt ergo illi ad sanguinem Christi sive ad emundationem, hoc est ad passionem ejus quoniam fide passionis ejus mundati sunt. Sanguis vero Christi melius loquitur quam sanguis Abel, quia sanguis Abel vindictam exposcebat homicidæ fratris : sanguis vero Christi vitam et indulgentiam implorabat suis persecutoribus, dicente illo ad Patrem : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Vel certe melius loquitur dum nos loquentes facit quod Jesus ipse est Filius Dei, cujus passione sumus redempti et baptismate abluti : et quia per sanguinem ejus sumus effecti filii Dei, *Videte ne recusetis loquentem*, quod est dicere : Cavete ne contemnatis Jesum loquentem per Evangelium suum, *quoniam in dextera Patris sedet considerans quod unusquisque nostrum agat* (*Luc.* XXIV). *Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos qui de cœlis loquentem nobis avertimus*, subaudis non effugiemus, ac si diceret : Si patres vestri vindictam omnipotentis Dei non effugerunt, qui præcepta illius prævaricati sunt fabricando idolum, quæ per Moysen vel per angelum data sunt illis, quorum uterque in terra loquebatur, multa magis nos non poterimus evadere vindictam illius, si præcepta quæ per Filium data sunt, contempserimus. Illi eum in terra loquentem audierunt, nos de cœlo : propter unitatem autem personæ quam habet Filius Dei in duabus naturis, dicitur de cœlo nobis loqui. In terra enim videbatur loqui per humanitatem, sed erat in terra et in cœlo per divinitatem. Unde ipse dicit : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III). Similiter dum Evangelium prædicatur in terris, ipse quoque de cœlo nobis loquitur : quapropter audiendus est multo melius quam Moyses. Sequitur, *cujus vox movit terram tunc*, subaudis quando lex data est, *nunc repromittit, dicens : Adhuc semel et ego movebo non solum terram, sed etiam cœlum.* Ipse qui tunc jussione movit montem Sina, et terram in circuitu ejus ubi populus stabat, quando Moysi dedit legem, ipse nunc repromittit, non partem terræ movendam a se, neque ipsam totam terram solummodo, sed etiam cœlum. Et ideo quanto majora opera fieri promittit, tanto magis timendus est. Licet enim terræmotus sæpius fuerit in diversis locis diversisque partibus mundi, non fuit tamen per totum mundum, et si mota est terra, non tamem cœlum. Unde bene dicit semel futurum esse hoc in die judicii, ostendens quia nunquam iterum movebuntur. Unde et sequitur : *Quod autem adhuc semel dicit*, ostendit mobilium translationem tanquam factorum, ut maneant ea quæ sunt immobilia. Ista motio cœli et terræ ad innovationem et meliorationem illorum pertinet. Terra quidem, appropinquante die judicii, motum sustinebit, sed pariter movebuntur cœlum ac terra : et mutabuntur ab hac specie in meliorem, juxta quod Apostolus dicit alibi : *Præterit figura hujus mundi* (*I Cor.* VII). Mutata figura, remanebit substantia, eritque postea cœlum novum et terra nova Cœlum autem hic non sidereum neque æthereum, sed istud aereum accipe, a quo et aves cœli dicuntur.

Itaque regnum immobile suscipientes, subaudis nunc in spe, quod percepturi sumus in re, habemus gratiam per quam serviamus placentes Deo cum metu et reverentia. *Regnum immobile*, Ecclesia est cœlestis quæ constat ex angelis et hominibus justis. Regnum autem Dei Ecclesia ista est, et regnum Ecclesiæ omnipotens Deus est. Hoc regnum modo suscipimus in spe, tunc autem percipiemus in re, cum tradiderit Christus regnum Deo et Patri. Idcirco autem appellatur regnum immobile, quoniam sic cœlum et terra immobiliter permanebunt post immutationem, multo magis electi post resurrectionem immobiliter immortalitatem in corpore, et incommutabilitatem in anima percipient, regnaturi cum Deo æternaliter : eruntque ipsi regnum immobile omnipotentis Dei, et regnum illorum contemplatio sanctæ Trinitatis. Et quod istud regnum immobile suscipiamus in re, hortatur Apostolus ut habeamus gratiam, per quam serviamus Deo, placentes illi. Gratiam autem dicit fidem rectam, spem certam, charitatem perfectam, cum operatione sancta, per quæ debemus Deo servire cum metu, timentes illum ut Deum et judicem omnium, et cum reverentia diligentes illum ut patrem. Timere eum debemus, ne et hic flagellemur, et postmodum a requie separemur.

CAPUT XIII.

Etenim Deus noster ignis consumens est. Deus omnipotens ignis appellatur, non ut materiam quam fecit consumat, sed quod exterius homo attrahat, rubiginem scilicet peccatorum. Non enim illud consumit quod ipse fecit : sed quod malitia hominum intulit. Agit et illud iste ignis, dum corda videlicet hominum ad amorem Dei accendit. De quo igne Veritas dicit : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat* (*Luc.* XII, 49)? Terra enim vocata sunt corda terrena, quæ dum semper in infimis cogitationibus desideriisque terrenis versantur, a malignis spiritibus quasi terrena conculcantur. Sed ignem Dominus in terram mittit cum afflatu Spiritus sancti corda carnalium hominum ad amorem Dei et proximi accendit. Ecce quare appellatur omnipotens Deus ignis, videlicet quia rubiginem peccatorum consumit, et corda hominum ad charitatem accendit. Sed potest adhuc quæri quare assimiletur igni? Ad hoc vero respondendum est : quia sicut ignis latet in silicibus et petris, ita omnipotens Deus in

creatura sua manet : sed tamen non videtur.

Charitas fraternitatis maneat in vobis. Quod est dicere : Ita diligite omnes, sicut vosmetipsos, recogitantes vos habere unum Deum Patrem omnipotentem, et unam matrem Ecclesiam, sive ex uno patre Adam, et una matre Eva progenitos esse : *et hospitalitatem nolite oblivisci.* Non dixit : Hospitales estote, sed hospitalitatem nolite oblivisci. Fuerant enim illi satis hospitalitatibus dediti, antequam exspoliati essent propriis facultatibus, sed postquam enudati sunt ex maxima parte propria substantia, erant iterum nimium tenaces. Quapropter hortatur eos Apostolus, ut secundum possibilitatis modum, hospitalitatis officium adimplerent, dicens eis : Hospitalitatem nolite oblivioni tradere pristinam. Hospitalitas autem hilari mente et animo læto est agenda, juxta quod beatus Petrus dicit : *Hospitales invicem sine murmuratione* (*I Petr.* IV, 9). Et alibi : *Hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor*, IX, 7). Sequitur : *Per hanc enim* placuerunt *quidam* Deo, *angelis hospitio receptis*, ut Abraham qui meruit promissionem de filio accipere, et Loth qui liberatus est de excidio Sodomorum, unde ipse judex omnium dicturus est in die examinis : *Quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40).

Mementote vinctorum tanquam simul vincti, hoc est, sicut optaretis vobis subveniri, vestrique meminisse si essetis vincti in carcere, ita mementote illorum qui pro fide Christi vinculati tenentur, videlicet tanquam et vos simul sitis vincti cum illis, *et laborantium*, subaudis mementote, *tanquam et ipsi in corpore* sitis *morantes*, quod est dicere. Quia in corpore adhuc estis morantes, per quod experimento cognoscitis quid necesse est laborantibus, mementote illorum qui laborant in doctrina et operatione sancta, subministrando victum, vestimentum, sicut velletis vestri meminisse, si taliter laboraretis. Per hoc enim quia in corpore mortali manetis, sicut et illi experimento probatis quia *militia est vita hominis super terram* (*Job.* VII, 1), et homo ad laborem nascitur, sicut avis ad volatum.

Honorabile connubium, subaudis sit in nobis, sicut placet Deo, *et thorus immaculatus*. Connubium dicitur a connubendo. Erant quidam tunc temporis qui condemnabant nuptias, dicentes immundum esse conjugale connubium, nec esse mundum posse a lecto conjugis surgentem. Unde beatus Apostolus legitimum connubium, quod causa amoris filiorum sit, non causa libidinis explendæ, non solum concedit, sed etiam dicit Deo illud placere. Honorabile enim connubium est, amore filiorum legitime uxorem ducere temporibusque certis ab ea abstinere, nec plures uxores habere, quoniam in initio (ut Scriptura dicit) creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos dixitque eis : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I). In sequentibus quoque dicitur, quod futuri essent duo in carne una. Hujusmodi connubii thorus immaculatus est, hoc est legitimus

A concubitus absque fornicationis causa et immaculatus lectus, immaculati et illi inde surgentes, hoc est, maculam peccati inde non trahentes. Unde beatus Matthæus apostolus dicit in quodam loco, quia legitimum conjugium et thorus immaculatus, sordes habent quodammodo in commixtione seminis, sed peccati maculam non habent. Melius est enim uxorem legitimam ducere, quam cum meretriculis fornicari, aut etiam aliorum uxores violare. Si vero non fuerit legitimum connubium, neque amore filiorum, sed causa libidinis explendæ, pluresque fuerint uxores, jam non est honorabile connubium, neque thorus immaculatus, *fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.* Fornicari est quoquo modo pollui, libidinemque explere, adulterare vero est alterius
B thorum violare. Unde adulter, quasi alterius thorum violans, sed nunquid omnipotens Deus solummodo fornicatores et adulteros judicabit, hoc est, damnabit, prætermissis homicidis, sacrilegis, furibus, aliisque diversis criminibus involutis ? Minime. Quare ergo Apostolus specialiter fornicatores et adulteros judicandos fore dixit? Nimirum quia de homicidis, sacrilegis, latronibus, parricidis, atque aliis peccatorum pondere gravatis, nulla hæsitatio est quin sint damnandi, de fornicatoribus vero et adulteris erant tunc temporis qui dubitabant, dicentes ad hæc factos masculos et feminas a Deo, ut simul coeant, ideoque non esse peccatum cum qualibet muliere concumbere, quod omnino longe a veritate est. Unde Apostolus, cum primum dixisset honorabile connubium
C et thorum immaculatum placere Deo, mox subintulit, Quia fornicatores et adulteros judicabit Deus, ostendens juste judicari fornicatores et adulteros. Si enim connubium concessum est, juste fornicatores suppliciis afficiuntur, juste puniuntur adulteri.

Sint mores sine avaritia, *contenti præsentibus.* Mos est honestas vitæ et bene vivendi. Non dixit : Nolite possidere divitias, sed sint mores, id est vita et conversatio vestra sine avaritia. Avarus dicitur avidus auri, videlicet quia tenax est in largiendo, et cupidus in accipiendo et qui manum habet collectam ad dandum, et extentam ad accipiendum. De quo quidam sapiens admonuit, dicens : Non sit porrecta manus tua ad accipiendum et ad dandum collecta. Fortassis postquam exspoliati fuerant propria facul-
D tate a non credentibus, cupiebant sub retentu eleemosynæ iterum congregare divitias. Ideoque admonuit Apostolus ut essent mores illorum sine avaritia, contenti tantum præsentibus necessariis, non præcogitantes de futuro, juxta quod ipse alibi hortatus fuerat, dicens : Habentes victum et vestitum, his contenti simus (*I Tim.* VI); et ne forte dicerent : Quid facturi erimus si necessaria nobis contigerit deesse suffragia, proximis consolationem addidit, adhibens testimonium de libro Jesu Nave. *Ipse enim* Deus omnipotens *dixit : Non te deseram neque derelinquam.* Post mortem Moysi dixit Dominus Josue : Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum. *Confortare, et esto robustus* (*Dan.* X); *non te deseram, neque derelinquam*.

Quod exemplum ut pertinet ad Josue, ita et ad omnem electum, qui spem suam in Deo habet positam. Nulla enim ratione mentitur, si in illo spem nostram ponimus.

Ita, subaudis est ille nobiscum, *ut confidenter dicamus, Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo*. Hominis nomine intelligitur hic, non solum carnalis quilibet adversarius, sed etiam hostis antiquus, qui homo appellatur, ab officio suo vocabulum sumens, eo quod hominem decipiat, sicut et Christus leo appellatur propter fortitudinem. Unde Propheta dicit : *Eripe me, Domine, ab homine malo* (*Psal.* CXXXIX), id est diabolo. Oportet ergo nos in omnibus tribulationibus seu tentationibus hunc versiculum Psalmographi seu Apostoli exclamare, dicentes : *Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo*, id est quilibet hostis aut adversarius.

Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei : quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Omnes quidem prælati et doctores in quantum bona prædicant et bona operantur, audiendi sunt et imitandi : in quantum vero aut non recte prædicant, aut male vivunt, neque audiendi sunt neque imitandi ; verbi gratia : Si recte prædicat, et bene vivit, audiendus est et imitandus : si vero neutrum agit, non est audiendus neque imitandus : at vero si recte prædicat, licet male vivat, non est contemnendus ut non audiatur. Unde Dominus dixit (*Matth.* XXIII) : Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. Quia ergo isti bonos præpositos habuerant, sanctos videlicet apostolos eorumque successores, hortatur eos ut memores sint illorum, eorumque conversationis, considerantes exitum, hoc est perseverantiam usque in finem in fide recta, bonisque operibus imitarentur fidem, hoc est firmitatem bonorum. Quia ergo finem bonum habuit eorum conversatio, idcirco imitamini fidem illorum. Fidem autem firmitatem seu perseverantiam illorum dicit.

Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula. Ad superiora pertinent ista, ubi testatus est dixisse Deum : *Non te deseram neque derelinquam*. Poterant illi respondere hoc non pertinere ad Dei promissum, quia non est nobis promissum, sed potius Josue promisit hoc Deus ; ad hæc Apostolus : Nolite deficere, quoniam, sicut pertinet ad Josue ista promissio, ita pertinet ad vos, quoniam Jesus Christus qui unius essentiæ existens cum Patre tunc temporis ipse fuit, ipse est, ipse erit et in sæcula. Nolite putare quasi qui tunc temporis fuit et non sit modo. Idem ei qui fuit heri, idem erit et in sæculum. Heri autem præteritum significat tempus : hodie, præsens : sæcula vero, futurum sine termino, tanquam diceret : Ante sæcula et in sæcula et post sæcula, semper manebit, sicut de illo Propheta dicit : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Hebr.* I).

Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Doctrinæ variæ et peregrinæ, nova dogmata sunt hæ-

A reticorum, quibus abducuntur et separantur simpliciores a veritate fidei, superstitiones quoque Judæorum, qui docent abstinendum a quibusdam cibis, quos lex prohibet, quosdam vero concedunt. Quia ergo inter illos erant quidam carnaliter sapientes, qui escarum observatione et differentia seducebant quosdam, abstrahentes eos a doctrina evangelica, quæ dixit *omnia esse munda mundis* (*Tit.* I), alloquitur illos Apostolus, ne illorum peregrina doctrina abducerentur. Quod et apertius manifestat subjungens : *Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Optimum, inquit, et perfectum est, stabilire et consolidare intellectum animi in gratia Novi Testamenti, ut habeatis fidem perfectam, credentes *omnia*
B *munda mundis*, non stabilire in differentiis et observationibus escarum, dicentes quosdam cibos mundos, quosdam immundos qui nihil profuerunt ambulantibus in illis observationibus. Post Domini adventum omnia illa quæ in figura contingebant, cessaverunt : et maxime postquam Dominus dixit : Non quod intrat in os coinquinat hominem : sed *omnia* sunt *munda mundis*. Vidit siquidem Deus cuncta quæ fecit, erantque valde bona. Melius est enim fidem retinere cum perfecto opere, quem de differentia ciborum disputare, rejiciendo illa quæ Deus munda creavit. Una namque perfecta observantia est, abstinere a peccatis : nihil enim prodest abstinere a cibis si non abstineatur a peccatis. Nam licet
C gererent illi studium circa hujuscemodi observationes, nihil eis profuit, si fidem non habuerunt. In hoc enim quod legem custodiebant, profuit illis : in hoc quod escis non vescebantur, nihil utilitatis perceperunt.

Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. Legalem consuetudinem ad mysterium spiritalemque sensum refert Apostolus. Legis siquidem præceptum erat ut decima die septimi mensis a festivitate paschali, festivitate videlicet propinationis acciperent vitulum et hircum, et immolarent eum extra castra : sanguinem autem illorum animalium ferret pontifex in Sancta sanctorum, oraturus solus pro populo : carnes vero illorum portarentur extra castra, ibique concremarentur, nec esse licitum alicui tabernaculo
D deservienti ex illis comedere. Spiritualiter autem illa duo animalia, videlicet vitulus et hircus, figuram tenent Domini Salvatoris : Ipse est enim vitulus, quem pius pater in regressione filii prodigi immolavit, ipse et hircus qui pro peccatoribus oblatus est. Pontifex quoque ille qui cum sanguine illorum animalium intrabat in Sancta sanctorum oraturus pro populo, typum gerebat istius veri pontificis, qui cum sanguine passionis suæ in interiora patriæ cœlestis intravit, oraturus pro fidelibus suis. Immolabantur illa animalia intra castra, sed carnes illorum extra castra comburebantur, quia et Redemptor noster in Hierusalem quasi intra castra immolatus est vocibus et judicio filiorum Israel, sed carnes illius extra Hierusalem in cruce combustæ sunt

igne passionis : Quando enim adjudicatus est morti, clamantibus Judæis (*Matth.* xxvi). *Reus est mortis : Crucifige, crucifige eum,* quodammodo (quantum ad illos pertinet) immolatus est. Quod Marcus evangelista volens nobis ostendere ita esse, dicit : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum* (*Marc.* xv) : linguis videlicet suis. Nam hora sexta in cruce est levatus extra Hierusalem, ibique corpus ejus combustum est igne passionis. Altare autem illud Judæorum quod fiebat extra castra, ubi consumebantur carnes, altare Ecclesiæ est, ubi quotidie corpus consecratur Christi. Habemus ergo altare Ecclesiæ, ubi consecratur corpus Dominicum : de quo non habent potestatem edere, qui tabernaculo corporis sui deserviunt : fornicatores videlicet, adulteri, ebriosi, immundi, et hi qui seminant inter fratres discordias, omnesque qui voluptatibus et desideriis carnis suæ deserviunt. *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit (I Cor.* xi).

Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Hæc quomodo ad Deum pertineant satis, ut reor, dictum habetur. Sed quia ipse caput omnium electorum, per carnes illas animalium possint intelligi omnes electi qui extra castra, hoc est extra conversationem sæcularium carnalium qui hominum mortificando membra sua cum vitiis et concupiscentiis, sive martyres pro Christi nomine sustinent omnia adversa, et fervore sancti Spiritus accensi consumunt in se quidquid fluidum atque libidinosum invenitur, ardentque pariter amore dilectionis Dei et proximi. Dupliciter enim consumuntur extra castra, sive dum mortificant membra sua cum vitiis et concupiscentiis, ut diximus, sive dum ad exemplum Dominicæ passionis martyrii palmam subeunt, juxta quod beatus Petrus hortatur dicens : *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus (I Petr.* ii). Infertur sanguis illorum intra Sancta per pontificem, dum illorum vita laudabilis Deo Patri præsentatur per verum sacerdotem Jesum qui est advocatus noster interpellans pro nobis. Et congrue per sanguinem juxta accipitur, quia vita hominis in sanguine est. Sive sanguis illorum infertur in Sancta, dum illorum animæ cum triumpho passionis ad cœlestia deferuntur. Bene quoque in altari consumuntur quia omnia ista sancti martyres in fide adimplent, qua se credunt a Deo remunerari. De his quæ in hoc altari consecrantur, non habent potestatem edere qui tabernaculo deserviunt, quoniam ad ea quæ sancti martyres in fide perfecta sustinendo adimplent, non audent accedere hi qui carnaliter vivunt, et amore hujus sæculi tenentur astricti.

Propter quod, subaudis mysterium adimplendum, *et Jesus, ut sanctificaret per sanguinem suum populum* in se credentem, *extra portam passus est.* Sicut liber Evangeliorum testatur, dicens : Extra portam Hierusalem passus est in loco decollatorum, qui vocabatur Calvarius (*Matth.* xxvii). Ut ergo Dominus umbram et figuram in veritatem converteret, quæ de se suisque membris præfigurabantur, suoque sanguine redimeret atque mundaret populum in se credentem, foris Hierusalem passus est.

Exeamus igitur ad Deum extra castra, improperium ejus portantes. Quia ergo Dominus pro nobis passus est, hortatur Apostolus ut imitemur illum, dicens : Igitur, quia ipse extra castra passus est ut nos sanctificaret, egrediamur ad eum extra conversationem carnalium hominum, mortificantes membra nostra cum vitiis et concupiscentiis, et imitemur ejus passionem, martyrium pro illo sustinendo. Hoc est enim improperium illius portare, eadem quæ ille sustinuit pati. Crux enim illius improperium ejus videtur esse paganis, nobis autem est sanctificatio et redemptio. *Exeamus igitur ad eum extra castra,* despicientes præsentia, amantes futura, contemnentes visibilia, desiderantes et amantes æterna. Sequitur :

Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Certum est quia in hoc mundo non possumus habere habitaculum æternum, neque civitatem semper manentem, quoniam mundus transibit et concupiscentia ejus. Quapropter debemus tendere summis nisibus ad civitatem cœlestem Hierusalem, quæ habitatorem habet Deum, æternaliter permansurum.

Per ipsum igitur offerimus *hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Per ipsum, id est Christum, debemus offerre Deo Patri sacrificium laudis et gratiarum actiones pro omnibus bonis ab illo perceptis. Idcirco autem gratiarum actiones fructum labiorum vocat, quia eædem gratiarum actiones fructum præmiorum merentur. Unde Apostolus dicit, quia *ore fit confessio ad salutem (Rom.* x). Illi ergo pecudes offerebant, nos autem nihil horum offerimus, sed solam gratiarum actionem Deo offerre debemus. De hoc sacrificio dicit Psalmista : *Immola Deo sacrificium laudis (Psal.* xlix).

Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus. Beneficus, dicitur homo largus et eleemosynis deditus. Inde beneficentia dicitur largitas eleemosynarum. *Beneficentiæ,* inquit, *et communionis nolite oblivisci,* id est largitatis eleemosynarum, et communionis (qua communicare et participare debetis aliis ex facultatibus vestris) nolite oblivisci. Si alii vestras rapuere substantias, tamen ex eis quas habetis eleemosynas dare nolite oblivisci, sicut Propheta dicit : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem* (*Psal.* xl). *Talibus enim hostiis,* et muneribus eleemosynarum *promeretur Deus* adipisci. Unde dicit propheta : *Misericordiam volo et non sacrificium* (*Osee.* vi). Non est considerandus pauper qui videtur accipere, sed potius qui jussit dare. Eleemosyna enim quæ pauperi largitur in terra, a Deo recipitur in cœlo. Et noli attendere quod hoc tibi sit redditurus quod accepit ;

tu enim terram dedisti, ille cœlum reddet, temporalia dedisti, æterna mercaberis.

Obedite præpositis vestris et subjacete eis. Obediendum est omnibus prælatis et prædicatoribus, inquantum doctrinæ et mores illorum sancte et pie existunt. Si autem a via rectitudinis deviaverint, sicut Scribæ et Pharisæi, non faciamus qualia agunt, sed qualia dicunt, nisi forte in fide contrarii exstiterint. Nam si in fide contrarii exstiterint, non solum vitandi sunt, sed etiam fugiendi. At si bene docuerint, discrepaverint autem moribus a Christo, audiamus eum dicentem de talibus in persona Scribarum et Pharisæorum : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera illorum nolite facere. Dicunt enim et non faciunt* (*Matth.* XXI). *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes.* Omnibus quidem prælatis et præpositis obediendum est, nisi forte a veritate fidei aberraverint : præcipue tamen illis qui pervigilant, hoc est si sine intermissione vigilant in prædicatione, in bono exemplo, et cura exteriorum solliciti existentes, qualiter pro eis rationem reddant. Ideo subditi debemus esse prælatis nostris, qui solliciti sunt de nobis, utpote pro nobis rationem reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes, id est, ut cum lætitia et hilaritate curam nostri agant, et non cum murmure et perturbatione animi, quoniam plerumque mala conversatio et inobedientia subjectorum ad amaritudinem provocant animos prælatorum, adeo ut segniores atque tristiores circa profectum illorum existant : sive obedire debemus illis, ut in die judicii cum gaudio pro nobis rationem reddant securi de præmio, et non gementes anxii de nostra damnatione. *Hoc enim non expedit vobis,* subaudis ut illi gemendo curam vestri agant, vel pro vobis rationem cum tristitia reddant.

Orate pro nobis. Hic superbiam elationemque mentis quorumdam pontificum destruit, qui typo superbiæ inflati dedignantur deprecari suos subjectos, quatenus pro eis orationes fundant. Si ergo ille qui ad hoc vocatus est a Domino, ut doctor et magister omnium gentium fieret, non est dedignatus petere, quatenus pro illo subjecti ejus, quos Domino acquisierat orarent, quanto magis indigent pleni invidia, rapina, aliisque vitiis respersi, orationibus subjectorum subveniri ? Sequitur : *Confidimus enim quia bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conversari*. Culpabatur Apostolus a Judæis, quod non diligeret gentem suam, sicut gentiles, ideoque blande ac deprecatorie alloquitur illos, ostendens se bonam voluntatem habere in omnibus hominibus, hoc est, et in Judæis et in gentilibus. Confidimus, inquit, ego ac socii mei, bonam voluntatem non habere in omnibus hominibus, bene volentes conversari tam Judæos quam gentiles. Nolite aliquas accusationes aut detrectationes proferre, quoniam conscientia nostra in nullo nos reprehendit, neque damnat quod bonam voluntatem non habeamus erga vos.

Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis. Voluntatis quidem meæ est venire ad vos, ideoque attente deprecor vos pro me orare, ut cito desiderium meum impleatur veniendi ad vos. Et notandum quod primo postulabat ab eis orationis suffragium ac deinde non simpliciter, sed tota intentione, et omni prorsus studio piam orationem pro eis ad Dominum fundit, inquiens :

Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni Dominum nostrum Jesum Christum. Deus pacis isto in loco intelligitur Deus Pater a quo vera pax procedit, qui est amator pacis, et qui nos pacificavit per omnia sibi per sanguinem Filii sui, ipse eduxit pastorem magnum ovium de mortuis, id est de sepulcro, qui locus proprie mortuorum est, suscitans illum tertia die, juxta quod ipse Filius appropinquans passioni orabat dicens : *Pater, clarifica Filium tuum* (*Joan.* XVII), id est, suscita Filium tuum. Et quid dicit eidem Deus Pater in psalmo : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium* (*Psal.* LVI), id est chorus omnium virtutum. Cui Filius : *Exsurgam diluculo* (*Ibid.*). Deus ergo Pater eduxit Filium suum de mortuis, hoc est de inferno vel de sepulcro, juxta quod psalmus prædixerat : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV). Et, ut ita dicamus, ipse Filius suscitavit semetipsum per potentiam verbi. Nam sicut tota Trinitas creavit illum hominem in utero virginali, ita tota Trinitas eduxit illum a mortuis, quoniam indivisibiliter operantur illæ tres personæ. Magnus autem pastor est Dominus Jesus qui ad pascua vitæ, et amœna prata virentis paradisi suas oves perducit. Ipse est pastor qui dicit in Evangelio : *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* X). Oves ejus sunt electi, de quibus ipse dicit : *Oves meæ vocem meam audiunt et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis* (*Ibid.*).

Aptet vos, id est præparet vos, perfectosque reddat, *in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum, qui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. Deus,* inquit, *pacis aptet vos in omni bono,* hoc est faciat vos aptos in fide recta, in doctrina, in operatione perfecta, ut possitis *ejus voluntatem* perficere, *faciens* ipse *in vobis quod placeat* illi. A vobis enim nihil boni habere potestis, nisi illo præveniente et subsequente, juxta quod psalmus exorat, dicens : *Misericordia ejus præveniet me, et misericordia ejus subsequetur me* (*Psal.* LVIII). Apostolus quoque alias dicit : *Deus est qui operatur in nobis et velle, et perficere* (*Philipp.* II). Hæc autem omnia per Jesum Christum, in oratione perficit, quoniam per illum facti atque redempti sumus : et per illum quidquid boni habemus, nobis subministratur. *Cui est gloria,* id est Deo Patri et Jesu Christo, in omnia futura *sæcula. Amen.* Amen autem confirmatio est pro eo quod est fiat, vel ita est verum ut dixit.

Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim per paucis scripsi vobis. Nota quod totam Epistolam unum verbum appellavit nec dixit : Rogo vos ut sufferatis patienter verbum admonitionis, quia pusillanimes erant; sed *verbum solatii*, hoc est verbum consolationis, verbumque adhortationis. Non enim scripsi vobis multa, sed pauca, ad comparationem illorum quæ vobis dicerem, si præsens essem, timens vobis oneri esse.

Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum. Timotheus coepiscopus erat beati Apostoli, et adjutor in prædicatione, quem dicit dimissum a se, et ad prædicationem directum, sive Athenis, ubi illum dimiserat fortassis Apostolus. Potest etiam intelligi quod in carcere retentus, tunc fuerit dimissus. *Cum quo*, id est cum Timotheo, *si celerius venerit ad vos, videbo vos.* Mansuetiores eos vult reddere, dicens se paratum ad eos venire.

Salutate omnes præpositos vestros et omnes sanctos. Sicut generaliter omnibus Hebræis hanc epistolam scripserat, ita generaliter omnes salute vigere optabat, non solum prælatos, sed etiam omnes subjectos, quos sanctos vocat, quia sancti fuerant in baptismate, A simulque blanditur eis, dum honorabiliter eos salutat, quatenus animadverterent se diligi ab illo, non ad oculum, sed et ex toto mentis affectu. *Salutant vos de Italia fratres.* Apertissime his verbis nobis innuit quia Romæ hanc epistolam scripserit, quæ in regione Italica sita est, et sicut doctoribus videtur, in carcere erat tunc temporis.

Gratia cum omnibus vobis. Amen. Gratia dicitur gratis data. Gratiæ autem nomine debemus hic accipere fidem perfectam cum exsecutione bonarum operum, remissionem quoque peccatorum, quam percipiunt electi tempore baptismatis, donum etiam Spiritus sancti, quod datur tam in baptismate quam per impositionem manus episcoporum, quæ omnia gratis a Deo dantur. Orat ergo Apostolus ut ista omnia illi B quibus scribebat possiderent. Oremus et nos Dominum pia supplicatione, quatenus per suffragium egregii sui Apostoli horum numerum nos possessores in præsenti efficiat, fidemque quam docuit integerrime custodientes, bonisque operibus exornantes, ad contemplationem supernæ visionis, Christo duce, pertingere mereamur. Amen.

HAYMONIS
HALBERSTATENSIS EPISCOPI
EXPOSITIONIS IN APOCALYPSIN B. JOANNIS
LIBRI SEPTEM

(Juxta editionem datam Coloniæ anno 1531, apud Eucharium, procurante Godefrido Hittorpio.)

HAYMONIS PRÆFATIO.

Legimus in Ecclesiastica historia beatum Joannem a Domitiano impiissimo Cæsare in Pathmos insulam relegatum, exsilio deportatum, metallo damnatum ob insuperabilem Evangelii prædicationem, ut ibi forsitan secreta marmorum, vel terram foderet, aut his similibus præceptis deserviret imperialibus, sicut legimus factum in passionibus sanctorum martyrum. Ubi quanto magis putabatur vinciri custodia humana, tanto magis metas humanitatis transcendens, meruit videre cœlestia. Et cui certa negabantur spatia terrarum excedere, secreta sunt concessa penetrare cœlestia. Et quanto magis destitutus est humano solatio, tanto ei adfuit divinum. Ibique meruit videre hanc prophetiam de statu præsentis et futuræ Ecclesiæ, quæ inter reliquos Novi Testamenti libros prophetia nominatur, sicut in sequentibus dicitur : *Beatus qui legit verba prophetiæ hujus.* Sed tanta distantia est inter hanc pro- C phetiam et eam quæ revelata est ante adventum Domini, quanta distantia est inter servum et dominum, inter legem et Evangelium, inter Deum et hominem : quia quod illi cernebant a longe venturum, hoc iste jam ex parte maxima factum et in præsenti faciendum ostendit. Nam sicut beatus Joannes Baptista idcirco major habetur omnibus prophetis, quia quem illi prædixerunt, iste digito demonstravit, ita et hæc prophetia major est omnibus : quia ea quæ antiqua revelanda prædixit prophetia, hæc revelata ostendit. In hac autem revelatione nihil historicum est accipiendum, quod ipsa verba, si subtiliter inspiciuntur, docere probantur. Neque enim hoc fieri potest, ut pauca e multis dicamus, quod viderit veraciter equos in visione, quorum ascensores ha- D berent loricas igneas et hyacinthinas et sulphureas. Tria namque genera visionum patres nostri intelligenda dixerunt : primum scilicet corporale, sicut

videmus per oculos corporis cœlum et terram, solem et lunam, cæteraque hujusmodi. Secundum spiritale, quod fit in exstasi, id est in excessu mentis, sive vigilantibus, sive dormientibus viris, quando non res corporales, sed similitudines rerum corporalium intuentes, futura ibi præsagant mysteria. Quod genus visionis commune est justis et reprobis, sicut Nabuchodonosor vidit lapidem præcisum de monte sine manibus, et sicut Pharao septem boves crassos septemque spicas plenas, et cætera. Sed uterque quod viderat, non intellexit, nisi et illi Daniel, et isti Joseph mysterium visionis revelasset. Nec mirum si reprobi in his obscuritatibus solutione indigeant, cum etiam Daniel non intelligens quid significarent quatuor venti qui pugnabant in mari magno, accesserit ad unum de astantibus, et quæsierit ab eo de his omnibus. Tertium genus est intellectuale, quod non fit per corporales res, neque A per similitudines, sed ipsa veritas in mente manifestatur videntibus, quod proprie electorum est. Tali modo locuti sunt prophetæ, quia ea quæ dicebant, videbant et intelligebant. Unde et videntes appellabantur, juxta quod libri Regum historia manifestat, dicens : *Qui enim propheta dicitur hodie, olim appellabatur videns.* Unde prophetiæ quæ ab ipsis prophetis videbantur, visiones dicuntur; unde est : *Visio Isaiæ, Visio Amos* et cæterorum. Et quia ista intellectualis est, idcirco utique subtilior aliis habetur. Hoc genere visionis locutus est Joannes, divinitus sibi dum in mente tanta ostensa sunt sacramenta. Facta est autem hæc ipsa revelatio per angelum, sed ipse angelus figuram Christi tenuit, B qui loquebatur per illum, sicut et ille qui olim Moysi loquebatur. Unde idem Moyses aliquando dicit Deum ad se locutum fuisse, aliquando vero angelum.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Apocalypsis Jesu Christi. Planior esset sensus, si dixisset adjuncto verbo : Hæc est Apocalypsis ; sed hunc modum locutionis, qui cum diminutione verbi fit, frequenter invenimus in divinis Scripturis. Unde nec Salomon ait : Hæc sunt parabolæ Salomonis, aut : Hæc sunt verba Ecclesiastis, sed tantum : *Parabolæ Salomonis*, et : *Verba Ecclesiastis regis Jerusalem*. Sic etiam Isaias dicit : *Visio Isaiæ*, absque ullo adminiculo verbi. Sic et reliqui. Taliter autem loquentes, subauditiones necessarias tales sententias habere docuerunt. Verbi gratia, cum legimus : Apocalypsis Jesu Christi, subaudiendum est : Hæc est. Est autem Apocalypsis Græcus sermo, et Latine dicitur revelatio sive manifestatio, eo quod in ea status præsentis et futuræ Ecclesiæ beato Joanni, et in illo, Ecclesiæ sit manifestatus. *Quam dedit illi Deus palam facere servis suis.* Et hic apertius esset, si dixisset, *Qua*; sed et hic modus locutionis sæpe fit in Scripturis. Unde est : *Bonum certamen certavi* (*II Tim.* IV), pro eo quod est : Bono certamine certavi. Hæc autem revelatio ipsius Domini Jesu Christi, quam a Deo accepit, ut sua revelatione manifesta faciat servis suis, quæ oportet fieri cito, sed in his verbis utraque ejus natura designatur : divina scilicet, per hoc quod ipse cum Patre et Spiritu sancto cuncta revelat mysteria : humana autem in hoc quod non solum a Patre et Spiritu sancto, sed etiam a seipso accepit, ut sua revelatione manifestaret servis suis quæ oportet fieri cito. Deus enim in hoc loco tota Trinitas intelligitur, a qua accepit ipse homo assumptus a Verbo Dei, ut ista mysteria suis revelaret servis, ubi etiam ipsa forma servi, domina prædicatur servorum. Servis suis ea manifestavit, id est præcepta sua sequentibus, quibus alibi dicit : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus* (*Luc.* XVII). Non enim servis Mosaicæ legis, id est Judæis, non mundanæ sapientiæ philosophis deditis, sed gratiæ divinæ subjectis, revelatio cœlestis aperitur. Hinc Dominus in Evangelio dicit : *Confiteor tibi, Domine Pater, quia* C *abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). *Quæ oportet fieri cito.* In his verbis duo comprehenduntur, ut ea scilicet quæ finienda sunt cito accipiant terminum : et ea quæ inchoanda sunt, cito sumant initium. Ista tamen nequaquam finem acceptura sunt. Unde nec metuenda sunt tormenta quæ transeunt, sed ea metuenda sunt quæ in æternum perseverant. Nec gaudia fugitiva sunt appetenda, sed jugi statu permanentia. Cito, id est in præsenti tempore. Omne enim tempus præsentis vitæ comparatum æternitati, quasi unius horæ parvissimum est momentum. Unde et idem Joannes in epistola sua dicit de hoc longissimo tempore : *Filioli, novissima hora est* (*I Joan.* II). Revelat ergo Christus Joanni, id est Ecclesiæ D suæ, et ea quæ cito transeunt et ea quæ cito adveniunt, ut dum se temporaliter cernit affligi vel prosperari, cogitet brevitatem istius temporis, et quam velociter transeant gaudia et tribulationes cum tempore, et quam velociter appropinquent eadem sine fine mansura, ac per hoc nequaquam malorum prosperitatibus invideat, sed potius in suis adversitatibus gaudeat. *Et significavit.* Hoc loco, significavit, non ab ostensione, sed a signo positum intelligere debemus, et hoc esse dictum significavit, quod est, sigillavit : signum enim dicitur sigillum. Quo in loco quæstio oritur : quare hoc dicatur cum in sequentibus inveniamus dictum Joanni ab angelo : *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus* (*Apoc.* XXII); sed sciendum est quia sacra Scriptura impiis signo clau-

ditur, fidelibus aperitur. Non enim propter fideles servos, sed propter fures et latrones divitiæ sub signaculo clauduntur Sed dicendo ergo, significavit in infidelibus claudi, et fidelibus spiritali exercitio docuit aperiri. Unde et Danieli dicitur : *Vade, quia clausi sunt signatique sermones usque ad tempus præfinitum (Dan. XII)*. *Mittens per angelum suum servo suo Joanni*. Iste angelus in figura Christi apparuit beato Joanni, quia enim cum Patre et Spiritu sancto Filius unus est Deus, omnia revelans, utique et angelum illum replevit ; atque in illis corde habitans, per eum locutus est Joanni. Ipse autem Joannes figuram Ecclesiæ tenet, sicut in sequentibus videbimus. Cui Christus (sicut dictum est) non in sua natura, sed per angelum apparuit, sicut olim fecit patribus. Expleto enim ministerio propter quod venerat, visus est etiam ab hominibus quandiu oportuit, donec quadragesimo die ascendit in cœlum ; non deinceps per eam substantiam quam sumpsit a nobis apparere voluit. Unde non corporalem ejus præsentiam debemus requirere, sed potius credere eum esse ubique in divina majestate. Totus itaque Filius Dei per divinitatem erat in angelo, totus cum Patre et Spiritu sancto consistebat in cœlo quod nulli alii posse tribuitur, nisi illi incorporeæ et simplici naturæ, quæ tota in cœlis reperitur, tota in terris, tota sine loco in loco, tota sine parte in partibus. Quid est autem mirum, si post ejus incarnationem angelus apparens, similis filio hominis dicitur, sicut in consequentibus invenimus, cum etiam angeli qui multo ante ejus adventum sanctis patribus apparuerunt, viri vocantur ? Quo in loco dicit beatus Ansbertus Ambrosius : Credi etiam potest beato Paulo apostolo Dominum, post suam ascensionem, non in sua natura apparuisse, sed potius per angelum tantum in ea forma, in qua recognosci ab hominibus solet. Quod hinc etiam probari potest, quia si beatus Paulus nuper conversus, in sua cum substantia vidisset, consequens esset, ut præ omnibus dilecto discipulo, sibique ab adolescentia dicato, non per angelum, sed per semetipsum appareret. Quod dicit: Mittens per angelum suum servo suo Joanni, morem sanctorum Patrum tenet, qui in suis dictis sic de se quasi de alio loquuntur. Unde est: *Vir erat in terra Hus nomine Job*, etc., usque, *recedens a malo* (*Job.* I). Et: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes qui morabantur in terra* (*Num.* XII), et idem Joannes sæpe in Evangelio suo: Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus.

Qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi. Perhibuit testimonium verbo Dei Joannes, cum dixit (*Joan.* I): *In principio erat Verbum;* et : *Omnia per ipsum facta sunt ;* et : *Erat lux vera quæ illuminat omnem*, etc., quæ in eodem loco de divinitate Verbi sequuntur. Perhibuit testimonium Jesu Christi, cum dixit : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Non tamen dividimus personas cum ista dicimus, sed utramque ostendimus naturam. Quod vero ait in his *quæcunque vidit*, subintelligendum est quæcunque de incarnato Dei Verbo sive in divinitate, sive in humanitate cognovit. Aliud vero vidit oculis corporeis, atque aliud oculis mentis : oculis mentis vidit divinitatem, oculis corporeis humanitatem. Vidit eum ante omnia sæcula a Patre genitum, cum Patre omnia fecisse. Vidit in fine temporum natum ex matre pro nostra salute, deinde passum, a justo homine sepultum, a mortuis resuscitatum, atque in dextera Patris sublevatum, deinde ad judicium venturum. Vidit itaque hæc omnia, et testimonium perhibuit et scimus quia verum est testimonium ejus. Sed quod fecit Joannes, hoc etiam facit quotidie Ecclesia, cujus membrum ille fuit, et in cujus figura hanc Apocalypsin vidit, a cujus ore testimonium illius non recedit, quia indesinenter doctrinis illius resistit.

Beatus qui legit et audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt. Tempus enim prope est. In his verbis duorum personæ comprehenduntur: doctorum videlicet, qui legunt et aliis exponunt, et auditorum, qui audiunt et retinent, et opere perficiunt ea quæ in ea scripta sunt. Licet enim hic liber multa habeat in se profunda mysteria, tamen multa sunt ibi, quæ etiam ad litteram custodita, magnam utilitatem et salutem præstant suis observatoribus. Servant autem ea quæ in ea scripta sunt, qui fidem Christi et Ecclesiæ non violant, qui cavent prohibita, et implent jussa, metuunt minata supplicia, amant promissa cœlestia. Hinc autem liquido colligitur, quantæ sit auctoritatis, quantæque excellentiæ, cum inter omnes libros Novi Testamenti hic solummodo prophetia nominatur, quam qui observaverit beatus esse perhibetur. Ad quod et subjungitur: Tempus enim prope est, judicii scilicet, quando redditurus est unicuique juxta opera sua. Ac si diceret: Felix qui fidei sacramentis imbutus, et quæ in his jubentur custodit, et quæ prohibentur non præsumit, quia et observationis tempus non longas moras innectit, et retributionis dies quodammodo in januis consistit.

Joannes septem ecclesiis quæ sunt in Asia. Asiæ duæ sunt, major scilicet et minor, quæ minor in sortem venit beato Joanni, in qua sunt septem civitates metropolitanæ quarum caput est Ephesus; sed cum major minori jungitur, pene medietatem mundi occupant. Huic tantæ regioni Deus omnipotens per suam misericordiam præposuit prædicatorem beatum Joannem, et ideo ille specialiter ecclesiis Asiæ suam dirigit prophetiam. Verbum quod loquitur septem ecclesiis Asiæ, utique omni Ecclesiæ dicit. Quæ cum una sit, septenario numero comprehenditur, quo sæpe solet universitas designari, juxta illud: Septies in die laudem dixi tibi, vel propter innumera dona quæ percipit a Spiritu sancto, qui cum unus sit Spiritus replens orbem terrarum, id est universam Ecclesiam ; dicitur etiam septiformis a propheta super Dominum requievisse propter septem, id est multiplicia dona sua, quæ præstat fidelibus. Una est itaque Ecclesia, sicut unus est Spiritus ; unde et catho-

lica Græce dicitur, id est universalis, et septiformis Spiritus munere est repleta. Unde et in Zacharia legimus (*Zach.* IV), candelabrum totum aureum, habens super se septem infusoria et septem lucernas; quam etiam septiformem Ecclesiam Christo conjungi Isaias commemorat, dicens : *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus* (*Isa.* IV), etc. Vir iste unus Christus est quem septiformis Ecclesia complectitur, dicens : Panem nostrum comedemus, corpus scilicet tuum nobis a Deo datum manducabimus, vestimentis virtutum ornabimur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum, ut sis vir noster, ne improperando dicant nobis Judæi quod non habeamus virum. Unde et Solomon dicit (*Prov.* IX), quia sapientia excidit sibi columnas septem, columnas septem excidit, et domum fecit, quia ab amore præsentis sæculi dura corda gentilium septiformi spiritu implenda separavit, atque ad fortitudinem cœlestis ædificii erexit. Recte etiam hoc numero septenario, qui constat ex tribus et quatuor, Ecclesia comprehenditur, quæ in quatuor mundi partes diffusa inconcussa mente et fide observat sanctæ Trinitatis fidem. Cujus numeri mysterium etiam unusquisque homo in se continet, qui utique membrum est hujus Ecclesiæ, dum ex quatuor constat humoribus, quatuor pollet virtutibus, et diligit Deum ex toto corde suo, et ex tota anima sua, et ex tota voluntate sua. Nam tribus spiritaliter, et quatuor corporaliter viget. In dilectione enim Dei, tribus qualitatibus spiritaliter excitatur. Ipse vero corporaliter ex materia calida et frigida, humida et sicca componitur. Asia, interpretatur *elatio*. Elatio autem et in bonam et in malam ponitur partem, nec semper pro vitio ponitur, sed aliquando culmina virtutum designat. In bono ponitur, ut illud Isaiæ (*Isa.* LVIII, LX) : *Ponam te in superbiam sæculorum. Sustollam te super altitudinem terræ.* Altitudines terræ sunt divitiæ, honores, dignitates. Super altitudines has Deus omnipotens posuit Petrum, Paulum, et cæteros qui primum fundamentum Ecclesiæ jecerunt. Nam sicut cum montem quisquis conscendit, eo paulisper cætera subjacentia despicit, quo ad altiora plus gressus tendit, ita qui intentionem nititur figere in summis, eo amplius terrena despicit, quo amplius elevatur ad cœlestia, et quod prius in imo positus super se credidit, post ascendendo proficiens, sub se esse cognoscit. In hac bona elatione consistit Ecclesia, quia terrena omnia calcans, mente cœlos inhabitat, dicens cum Apostolo : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Quod si etiam elationem in contrariam partem intelligere voluerimus, neque in hoc a sano intellectu recedimus, quia multi a sua superbia dejecti sunt per gratiam Christi atque humiliati; ad quos etiam, quia membra sunt Ecclesiæ, hæc pertinet revelatio. Impletum hoc cognoscimus in Paulo, qui prius fuit superbus Ecclesiæ persecutor, deinde factus est piissimus prædicator. De superbis enim atque elatis quotidie Christus suam Ecclesiam per internam gratiam vocans, mitissimam reddit et humilem.

Gratia vobis. Gratia dicitur gratis data, non merces reddita, sed venia gratis collata, quæ gratia specialiter in hoc est accipienda, quia sine merito hominum misit Deus Filium suum, qui nos suo sanguine redemit, et ad filiationem Dei perduxit. Unde et sequitur *et pax*, quia videlicet ipse per suam passionem genus humanum Deo Patri pacificavit. Et notandum quod non dicitur, pax et gratia, sed præmittitur gratia ac deinde subjungitur pax, quia nullus ad pacem reconciliationis venire poterit, nisi hunc gratia misericordiæ præcesserit, quia ut ad pacem Dei venire possimus, a Dei gratia perventi sumus ; generaliter autem omnia quæ a Deo percipimus, sive in fide, sive in opere, in abstinentia, in jejunio et in cæteris, gratis a Deo nobis tribuuntur sola illius misericordia. Quærendum est in hoc loco cur in dato gratiæ, nominato Filio et Spiritu sancto, persona Patris reticetur? Nam cum dicit : *Ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est*, Filium in his verbis ostendit, quod maxime ex hoc probat, cum subjungit : Qui venturus est, ad judicium scilicet, ut reddat unicuique juxta opera sua. *Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V), qui solus cum Patre et Spiritu sancto habet esse, quia semper est immutabilis, unde Psalmista : *Tu autem idem ipse es* (*Psal.* CI). Sunt etiam angeli, sed mutabilitatem passi sunt, quando unus eorum motus per superbiam cecidit. Sunt homines, sed mutabiles, sicut primus homo mutatus est, et ex justo factus est injustus, ex bono impius, ex immortali mortalis. Omnis enim creatura mutabilis comparata æternitati, quasi non est, ideoque specialiter esse habere dicitur, qui semper idem est. Erat vero, quia antequam de beata Virgine nasceretur in tempore, cuncta cum Patre fecit tempora, juxta illud : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I); et : *Omnia per ipsum facta sunt* (*Ibid.*). Venturus est ad judicium, juxta illud angelorum promissum: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I). Cum itaque hæc non nisi soli Filio congruere videantur, et hanc gratiam Ecclesia justorum a Patre et Filio atque Spiritu sancto percipit, quia quorum inseparabilis est unitas, inseparabilis est etiam operatio, quod sibi vult hoc, quod solummodo mentio fit Filii vel Spiritus sancti? Sed sciendum quia mos est sacræ Scripturæ ut ubi unius fit mentio personæ de Trinitate, tota simul Trinitas intelligatur. Ergo ubi in persona Filii fidelibus gratiam tribuere legentes audivimus, simul in ipsa datione Patrem et Filium et Spiritum sanctum intelligere debemus. Iterum quæritur, cum sit unus Spiritus qui replet orbem terrarum, cur Joannes in hac revelatione septem spiritus introducit? nimirum propter septenariam, id est multiplicem ejus operationem. Simplex itaque est proprietate naturæ, multiplex vero gratiarum distributione. Hinc Salomon dicit eumdem spiritum unicum et multiplicem. *Et a septem spiritibus, quæ in conspectu throni ejus*

sunt. Thronus Dei sunt angeli sancti et homines justi, in quorum mentibus per fidem requiescit. Unde est : *Anima justi sedes est sapientiæ (Sap.* VII). In cujus throni conspectu Spiritus sanctus est, quia in sanctorum memoria (ut diximus) requiescit, et illos possidet, eorumque opera disponit, et ad Dei amorem et proximorum accendit dilectionem, ad quem etiam specialiter remissio pertinet peccatorum, quæ fit in baptismate opere Spiritus sancti ; unde Dominus dicit apostolis : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (Joan.* XX). Quare septem spiritus dicantur, supradictum est.

Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis. Quia de Christo erat plura locuturus, iterum repetit ejus personam, dicens : Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, id est verax, quoniam Patri perhibet testimonium, dicens Judæis : *Pater in me manens, ipse facit opera (Joan.* XIV) ; et : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te (Joan.* XVII) ; et : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (Joan.* III) ; et : *Ego a meipso non veni (Joan.* VII) ; et multa his similia. Sed sicut Filius est testis fidelis, ita etiam Pater, ita et Spiritus sanctus. Ait enim Pater de Filio, testimonium illi perhibens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (Matth.* III). Ipseque Filius de Spiritu perhibet testimonium cum dicit : *Spiritus est qui vivificat (Joan.* VI) ; et : *Spiritus ubi vult spirat (Joan.* III) ; et : *Paracletus ipse vos docebit omnia (Joan.* XIV). Spiritus quoque sanctus de Filio testimonium dicit quod sit veritas, sicut scriptum est : *Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas (I Joan.* V) ; et ipse Filius dicit : *Ille testimonium perhibebit de me (Joan.* XV). Unde sciendum est quia sicut hi tres unum sunt, sic eorum testimonium unicum est, quanquam alterius testimonio alter insinuetur. Specialiter autem Filius testis vocatur, quia pro testimonio veritatis usque ad mortem pervenit carnis, quia et cum omnis Ecclesia in prædicatoribus Christo testimonium perhibebat, illi specialiter testes vocantur, qui pro Christi nomine moriuntur. *Primogenitus mortuorum.* Primus homo ea conditione creatus est, ut nisi peccasset, immortalis mansisset ; sed quia peccavit mortuus est, et rediit in matrem suam, hoc est in terram, de qua fuerat conditus, dicente sibi Domino : *Terra es, et in terram reverteris, de qua assumptus es (Gen.* III). Quia formatus ex limo terræ in animam viventem, quasi ex matris utero vivus processerat. Postquam autem factus est ille mortalis, genuit filios mortales et peccatores, qui omnes mortui in matrem suam revertuntur. Veniens Deus ergo in carne, eadem lege mortuus est, atque in utero matris sepultus. Sed quia tertia die a mortuis jam victurus in æternum surrexit, et mors illi ultra non dominabitur, primogenitus mortuorum appellari debuit ; licet enim surrexerint alii ante, sicut Lazarus, tamen non surrexerunt in æternum victuri, quia iterum mortui carnis debitum solverunt. Unde non

A surrexisse vel vixisse computandi sunt. Ille ergo primogenitus mortuorum recte vocatur, quia sic surrexit a mortuis, ut ultra non moreretur. Potest et aliter intelligi : omnes electi qui se mortificant, cum vitiis et peccatis, et voluptates carnis in se occidunt, mortui sunt peccato, et vivunt Deo quorum primogenitus digne vocatur Christus, quia peccatum non fecit, et mortificationem vitæ carnalis ostendit. *Et princeps regum terræ.* Reges terræ appellantur omnes electi qui vitiorum tyrannidem in se consurgere non sinunt, sed eis jure damnantur. Possunt autem et reges terræ specialiter intelligi prædicatores, qui dum corda carnalium a pravitate restringunt, super terram ut reges imperant, cæterum bonis et spiritualibus viris in nullo se

B præferunt. Hinc est quod Petrus Cornelio se coæqualem fatetur (*Act.* X) ; Ananiæ vero animam gladio verbi perimit (*Act.* V).

Sciendum est autem quia prædicatores Ecclesiæ etiam ipsis carnalibus ita dominari appetunt, quatenus et compassionem naturæ, et vitiis rectitudinem exhibeant. Eorum itaque princeps est Christus, qui est rex regum, et Dominus dominantium, de quo adhuc sequitur : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Quo enim amore Filius Dei nos dilexerit, passiones illius ostendunt quas pro nobis pertulit. De hac dilectione ait Apostolus : *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea (Ephes.* V). Ad cujus etiam dilectionem imitandam hortatur fideles, dicens : Ambulate in dile-

C ctione sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis ; dilexit autem nos pulcher fœdos, pius impios, sine peccato peccatores, nec quales eramus nos dilexit, sed quales ipsa dilectione nos fecit ; unde et subditur : et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Iste et amor ineffabilis et incomprehensibilis, quia cum pro justo vix aliquis moriatur, Christus secundum tempus mortuus est pro impiis, ut nos offerret Deo, justus utique pro injustis. Et cum essemus maculati delictis, lavit nos suo sanguine, ut exhiberet sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, vel aliquid hujusmodi. Qui etiam sanguinem suæ passionis vertit nobis in mysterium ablutionis, ut in fide mortis ejus baptizati,

D ab omnibus mundemur peccatis. Hinc Apostolus dicit : *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (Rom.* VI). Est autem et secundum baptismum effusio lacrymarum, quo momentis singulis baptizantur publicani et peccatores, quomodo videlicet Maria post multas criminum lacrymas, et Petrus ablutus est post ternam Domini negationem.

Et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. Per hanc sententiam omnes electi, sacerdotes demonstrantur, qui supra reges fuerant appellati. Quia enim caput fidelium rex est et sacerdos, congruenter et membra capitis, reges et sacerdotes vocantur. Quibus per Petrum dicitur : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium (I Petr.* II). Ipsi enim sunt reges,

ipsi et sacerdotes et sacrificium et altare, quia et tumultus carnalium voluptatum contra se insurgentes ut reges refrenant, et sacrificium laudis et mortificationis Deo immolant, corpusque suum a præsentis sæculi cupiditatibus mortificant, ut hostia viva fiant. Ipse itaque Unigenitus Patris, rex et sacerdos, fecit suos electos reges et sacerdotes, quos reges terræ constituit, et ipso opere sacerdotes monstravit. Quod autem dicitur, Deo et Patri, non duæ naturæ, nec duæ personæ, sed una ostenditur; ubi etiam Spiritus sanctus juxta regulam præmissæ intelligentiæ pariter intelligitur. *Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.* Filio scilicet, qui nos fecit, et qui nos sacerdotes fieri voluit, ubi etiam amborum accipimus charitatem, quæ est Spiritus sanctus.

Ecce venit cum nubibus. In nube venturus est Dominus ad judicium, quia in nube ascendit in cœlum. Sic enim dixerunt angeli apostolis : *Quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (Act.* I). Nubium autem sæpe fit mentio in sacro eloquio, unde legimus in Exodo, quod omnipotens Deus in nube filios Israel eduxit de Ægypto. Tabernaculum quoque Moysi et templum Salomonis nubes implevit, et in Domini transfiguratione Moysen et Eliam nubes obumbravit. In nubibus etiam sancti venturi sunt ad judicium, juxta illud Apostoli, quia *rapiemur obviam Christo in nubibus* (*I Thess.* IV). Illa autem nubes quæ filios Israel illuminabat, et Ægyptios tenebris circumdabat, Domini significat clementiam, quæ illuminat perfectos, et obcæcat reprobos. Ita quippe veniens Dominus ad judicium, apparebit blandus justis quos etiam illuminabit, dum ad contuendam suam majestatem eos perduxerit; et terribilis reprobis, quos in tenebroso carceris loco constituet. De quo in Evangelio dicitur ; *Inutilem servum projicite in tenebras exteriores* ; illis enim dicet : *Venite, benedicti Patris mei*: istis autem : Ite *in ignem æternum, qui paratus est diabolo* (*Matth.* XXV) Nam et hoc quod Ægyptii et filii Israel ad se non poterant accedere, hoc significat quod Abraham diviti respondit : *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est* (*Luc.* XVI). Aliquando etiam nubes corpus Christi significat, ut illud : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum* (*Isa.* XIX). Super nubem quippe levem ascendit, et in Ægyptum venit, quando carnem humanitatis nostræ assumens, sine gravedine peccati in mundo apparuit. Nubes autem pluraliter, sanctos significant prædicatores, qui pluunt verbis, et coruscant miraculis ; de quibus per prophetam dicitur : *Et nubibus mandabo ne pluant super eam (Isa.* V), hoc est, super vineam imbrem. Cum his nubibus, hoc est, cum multitudine sanctorum venturus est Dominus ad judicium, quia in eorum cordibus habitabit ; unde est: *Dominus veniet ad judicium cum senioribus populi sui (Isa* III). *Et videbit eum omnis oculus.* Omnem oculum usitato more locutionum, pro omni homine positum hic accipiamus.

A Omnis itaque oculus, id est omnis homo, qui tunc resurrexerit, videbit eum corporaliter, sive ad vitam, sive ad mortem; non autem animalium quorum vis in sanguine est, et cum moriuntur esse desinunt, oculus enim videbit, sed potius oculus hominum. Alia translatio dicit : Videbit eum omnis oculus talem, qualem scilicet despexerunt, et qualem credere noluerunt, et tunc implebitur : *Videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* III). *Et qui eum pupugerunt,* subaudis videbunt eum, Judæi scilicet, qui crucifixerunt eum lingua, sicut Marcus dicit (*Marc.* XV) : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt illum*, clamantes: Reus est mortis; et milites Pilati videbunt eum quem illudentes crucifixerunt; videbunt autem non ut jam contemnant, sicut prius irridebant, insultent, ac læ-

B tentur, sed ut paveant, gemant, lugeant et tristentur, unde et subditur, *et* tunc *plangent se super eum omnes tribus terræ*, id est, omnes reprobi terrena desiderantes, et per desiderium terram inhabitantes, honoribus semetipsos extollentes, in luxuriis degentes, quibus Dominus dicit : *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram* (*Luc.* VI). Præcipue autem hi plagent se super eum, qui eum pupugerunt. Magis autem dolebunt miseri quia talem perdent Dominum quam quod atrocissimum inciderunt tormentum. *Etiam : Amen.* Quod est apud Latinos etiam, hoc apud Hebræos amen ; utrumque autem est adverbium affirmantis. Dicit ergo : Etiam, amen, ac si diceret ingeminando : Verum est, verum est, et mutari non potest, quia plangent se super eum

C omnes tribus terræ. Cognoscite eum pro certo futurum, quod tali sententia firmat.

Ego sum alpha et omega, principium et finis. Hic jam manifeste ostenditur, quia angelus qui hæc Joanni nuntiavit, personam Dei in se habebat, cum dicit : Ego sum alpha et omega, principium et finis. Similiter et ipse Joannes qui hæc dicit nobis, tale est et quod Paulus dicit: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus ? (II Cor.* XIII) et David: *Attendite, popule meus, legem meam* (*Psal.* LXXVII). Alpha apud Græcos, Latinos, et Hebræos, principium est elementorum; quod enim apud nos A, hoc est apud Græcos alpha, apud Hebræos aleph. Porro omega finalis est elementorum apud Græcos. Quid

D autem sit alpha et omega, manifestat, cum subjungit: Principium et finis ; principium scilicet, ante quem nullus, finis vero, post quem nullus; vel principium, a quo omnia sumunt initium, finis vero, in quem cuncta terminantur ; vel principium, quia in principio erat Verbum, finis, quia Verbum caro factum est, unde et ipse per Isaiam dicit : *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit (Isa.* XLIII). Nam et quod Joannes, imo angelus ex persona Dei hoc dicat, manifestat cum subjungit : *Dicit Dominus Deus, qui erat, et qui est, et qui venturus est omnipotens.* Quod jam supra expositum est.

Ego Joannes frater vester. Hucusque præfatio sequentis libri, exhinc historia incipit. Loquitur autem ecclesiis Asiæ, quibus et se æqualem ostendens, hu-

militatis causa dicit: *Ego Joannes frater vester in fide, et particeps in tribulatione et regno, et patientia in Christo Jesu.* Quo in loco duo sunt simul conjungenda, tribulatio scilicet et patientia. Tribulatio enim et patientia pertinent ad caput et ad membra, regnum autem solummodo ad caput. Particeps Christi fuit Joannes in tribulatione et patientia, quia sicut Christus passus est opprobria, irrisiones, colaphos, et verbera, ita et beatus Joannes qui flagellatur legitur in Actibus apostolorum, et a Domitiano in fluentis olei dolium missus, ad ultimum ab hominibus separatus est. Particeps quoque fuit in patientia, quia sicut Christus patienter sustinuit passionem, et suos crucifixores diligebat, pro quibus orabat, dicens: Pater, *ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.*, VII) : ita et beatus Joannes diligebat eos qui ei mala inferebant, et pro illis orabat. Regnum autem proprie ad caput pertinet, qui est regnum perpetuum sanctorum suorum. Neque enim aliud regnum est suis daturus electis quam seipsum, quibus dicturus est : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXV), quasi dicat : Venite, membra, regnate post tribulationem in capite, quia ego regnum vestrum ; de hoc regno ipse dicit Judæis : *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII). Considerandum denique quia in tribus participem se dicit Joannes, in tribulatione scilicet, et regno et patientia ; sed media horum est regnum, nec potest possideri, nisi et hinc tribulatio exercuerit, et illinc patientia defenderit. Tenet enim in hoc loco personam omnium fidelium.

Fui in insula quæ vocatur Pathmos propter Verbum Dei et testimonium Jesu Christi. Quatuor rebus hic suam confirmat narrationem ; persona, cum dicit : Ego Joannes ; loco, cum se in Pathmos insulam relegatum ostendit ; causa, quare hæc passus sit, propter Verbum scilicet Dei, et tempore, id est die Dominica. Fui in insula quæ vocatur Pathmos ; historia nota est, beatum Joannem scilicet in Pathmos insulam relegatum propter Verbum Dei, cui testimonium perhibebat, dicens : In principio erat Verbum ; et propter testimonium Jesu Christi, quod ei perhibebat, quod scilicet esset verus Deus et verus homo : et cui negabatur terra apertum est cœlum. Interpretatur autem Pathmos fretum ; ibi quippe amplius fervet mare, quod fretum dicitur, ubi angustius est : et ideo non inconvenienter per nomen istius insulæ angustia passionis exprimitur, quam patiebatur beatus Joannes, sicut cæteri quorum personam gerebat. Quanto magis enim sancti in præsenti vita affliguntur, eo amplius illis secreta cœlestia manifestantur. Unde Paulus in carcere positus dicebat: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Sustinent quoque et ipsi mali pœnas, quia homicidæ interficiuntur, in carceribus recluduntur: sed non pœna facit sanctos, sed justitia. Sustinet plerumque justus similia, sed justus propter justitiam coronatur, injustus vero propter iniquitatem damnatur. Hinc Psalmista dicit: *Judica me, Deus, et discerne causam meam* (*Psal.* XLII). Unde bene propter Verbum Dei et testimonium Christi se dicit relegatum, non propter homicidium aut cætera crimina. Ex illis quippe erat unus quibus dicit Dominus : *Beati eritis cum vos oderint homines, et separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter me* (*Luc.* VI), et alibi : *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X). Omnis enim qui idcirco patitur passionem, quia divinitatem et humanitatem Filii Dei prædicat, beatus erit, et talibus secreta cœlestia revelabuntur, cum ad visionem sui pervenerint Creatoris.

Fui in spiritu in die Dominica. Hic jam aperte demonstratur, beatum Joannem hanc visionem non corporaliter, sed in spiritu vidisse. Non tamen in somnis, sed in exstasi raptus est, sicut et Ezechiel, qui cum sederet in domo sua, et senes Juda sederent coram illo, ductus est mente in Jerusalem. Itaque sicut dictum est, nihil per corpus vidit vel audivit, vel sensit, vel intellexit, vel ipsam carnem funditus deseruit, quando hanc revelationem vidit, sed docendus ejus spiritus, a Spiritu docente assumptus est ut alta et mystica posset intueri. Notandum autem quod se non in die sabbati, aut sexta feria, sed in die Dominica raptum fuisse dicit. Solet enim qualitas rerum ostendi pro qualitate temporum. Hinc est quod Abraham in fervore fidei suæ angelos meridie vidit, et Loth in perditione Sodomorum vesperi, Adam post meridiem ; Salomon quoque sapientiam non servaturus in nocte percepit. Ita ergo in hoc loco per diem Dominicam aperte fides intelligitur, quæ jam manifesta erat in toto mundo, quando ista videbat beatus Joannes. Jam enim Apostoli profecti prædicaverunt ubique, et jam corporalis illius vacatio sabbati in spiritalem transierat. Ecclesia quoque quam beatus Joannes significabat, jam facta carnis mortificans, in lucem Spiritus assurgebat : et omnes electi in die Dominica sunt, quia ad gaudia futuræ resurrectionis hilarescunt.

Et audivi post me vocem magnam tanquam tubæ, dicentis mihi: Quod vides scribe in libro. Sicut in spiritu positus spiritualia vidit, sic ea quæ audivit vox spiritualis fuit ; scilicet, qui extra corpus per contemplationem eductus fuerat, quemadmodum dorsum habebatur. Non enim per corpus ista vidit, ut post dorsum corporis aliquid videret ; sed facies illius intelligitur ipsa vis contemplationis, quæ extendebatur ad ea quæ videbat, dorsum vero oblivio de præsentibus, ex quibus eductus per spiritum jam videbat. Idcirco itaque cœlestibus intentus, vocem in his quæ oblitus fuerat audivit, ut faciem mentis ad ea converteret, et ea quæ videbat auditoribus profutura scriberet, ita et sancti post se omnia præsentis vitæ gaudia habent, et in ante se extendunt, pro nihilo ducentes omnia temporalia, dum considerant futuræ vitæ gaudia, juxta illud Apostoli : *Unum* quod *retro* est *obliviscens*, in anterioribus me extendo, sequens *bravium* æternæ *vocationis* (*Philip.* III). Sic autem dicitur ei : Quod vides scribe in libro, ac si diceretur : Quod visurus es. Necdum enim aliquid

viderat, sed tantum ad videndum elevatus fuerat. Librum autem memoriam ejus appellat, id est: ea quæ vides reconde in mente tua, et aliis etiam manifesta, nam quod libri significent corda hominum et conscientiam, testatur Daniel qui dicit: *Antiquus dierum sedit, et libri aperti sunt, et alius liber qui est vitæ* (*Dan.* VII). Sic etiam fidelibus dicitur, ut quod vident, id est quod intelligunt, et ipsi in cordibus suis recordant, et aliis etiam manifestare studeant. Vox autem hæc sive in Joanne, sive in Ecclesia, recte magna vocatur, quia non de mediocribus, sed de summis loquitur. Quæ etiam quasi tuba dicitur, quia per ora prædicatorum sonat, quibus per Isaiam dicitur: *Quasi tuba exalta vocem tuam* (*Isa.* LVIII). Nam et bene vox quam audivit Joannes, et in illo Ecclesia, tanquam vox dicitur tubæ, quæ ab interioribus sine strepitu sonum accipit quem profert exterius, quia videlicet ille sine sono vocis audivit prius in corde, quod postmodum sonuit exterius in voce, quia aliter ad prophetas divina vox sonuit, atque aliter ipsi postea locuti sunt. Deus enim locutus ad illos in corde sine sono vocis, ipsi autem postea locuti sunt, operantes verba cum lingua carnis.

Et mitte septem ecclesiis, id est generali Ecclesiæ; quia sicut supra dictum est, in septenario numero universitas exprimitur fidelium. Nam et quod uni illarum loquitur, utique omnibus ecclesiis, loquitur. Unde et in sequentibus dicit: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis* (*Apoc.* II).

Epheso. Ephesus interpretatur *voluntas* sive *consilium meum*. Quo nomine generaliter omnis Ecclesia comprehenditur, in qua est Dei voluntas per fidem, spem et charitatem, cætera bona opera. Unde et ipsa non suam, sed Dei potius voluntatem in se fieri optans, dicit quotidie in oratione, ut non sua, sed Dei in ea fiat voluntas. Cui etiam a Domino per prophetam dicitur: *Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea* (*Isa.* LXII). Quæ etiam bene consilium meum dicitur, quia videlicet non suum, sed Dei sui sequitur consilium, audiens illud Salomonis: *Audi consilium, et suscipe disciplinam ut sis sapiens in novissimis tuis* (*Prov.* XIX); et iterum: *Omnia facta cum consilio, et post factum non pœnitebis* (*Eccli.* XXXII); quod reprobis contradicitur: *Despexistis omne consilium meum* (*Prov.* I), et alibi: *Non est voluntas mea in nobis* (*Malach.* I), ait Dominus. Sciendum autem quia voluntas pertinet ad charitatem, qua sancta Ecclesia non timore cogente Domino servit, sed sponte Creatori se subdit, dicens cum Psalmista: *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII). Consilium autem ad correctionem, quia quamvis quidam in suis permanere sceleribus omnimodis velint, fit ad eos tamen per Dei misericordiam sermo correctionis, ut rejecto errore consilium salutis percipiant. Sic enim correctus est Saulus, cui erat consilium ut nomen Christi deleret de terra, et ex lupo factus est agnus. Consilium autem Christi sancta Ecclesia accipit, quia et a peccatis se custodit, et ut perfectionem consequatur, sequitur ejus consilium, quo ait cuidam: Si vis esse perfectus, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni sequere me, et habebis thesaurum in cœlo.

Smyrnæ. Smyrna dicitur *canticum eorum*: quorum canticum nisi electorum? Idem est canticum, de quo Psalmista dicit: *Cantate Domino canticum novum* (*Psal.* XCV). Verum hæc verba non uni tantum ecclesiæ dicuntur, sed tantum generaliter Ecclesiæ universali conveniunt. Ad cujus membra pertinebant apostoli, quibus Dominus dicebat: *Mandatum novum do vobis* (*Joan.* XIII). Ipsa enim diligendo Deum et proximum, canticum novum cantat, qui adimplet hoc mandatum. Cantat etiam canticum novum, quando mysterium incarnationis, passionis, ac resurrectionis ejus concelebrat. Perfectius autem in futuro cantabit, quando videbit in re quod nunc videt in spe, et implebitur illud: *Beati qui habitant in domo tua, Domine* (*Psal.* LXXXIII). Unde Ezechiel dicit (*Ezech.* II) se vidisse librum, in quo erat scriptum carmen et lamentationes et væ. Qui enim ibi voluerit cantare carmen, hoc est canticum novum, necesse est ut in præsenti vita habeat lamentationem deflendo sua et aliena peccata. Qui vero in præsenti contempserit habere lamentationem, væ illi sine dubio in futuro erit, ut illis sine fine habentibus væ, isti sine termino Alleluia decantent victuri.

Pergamo. Pergamus interpretatur *divisio cornuum*. Cornua significant regna, ut habes in libro Danielis et in Zacharia: cornua ergo Christi intelliguntur sancti ad regnum illius venturi; sed sicut Christi cornua ejus membra sunt quibus regnum daturus est perpetuum, ita sunt cornua diaboli ejus membra quæ cum eo damnabuntur. Inter hæc itaque cornua, id est inter justos et reprobos, et inter regnum Christi et diaboli, sancta Ecclesia facit divisionem, quia segregat bonos a malis, superbos ab humilibus judicio sententiæ, dicens: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* XVIII). De his cornibus et Psalmista dicit: *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi* (*Psal.* LXXIV). Hinc enim discernitur Christi regnum et diaboli, humilitate scilicet regnum Christi elevatur, superbia vero regnum diaboli dejicitur.

Thyatiræ. Thyatira dicitur *illuminata*; quo nomine generaliter Ecclesia designatur, quæ illuminata est ab eo qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cui Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* IV), de qua et Isaias: *Populus qui ambulabat in tenebris* (*Isa.* IX).

Sardibus. Sardis sonat in lingua latina *principi pulchritudinis*, apta subauditur et ornata. Cui scilicet, nisi illi de quo Psalmista dicit: *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal* XLIV), et in Canticis canticorum: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi* (*Cant.* I). Huic itaque principi pulchritudinis est apta et præparata Ecclesia per ornamenta virtutum; unde et per Psalmistam dicitur: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu*

deaurato (*Psal.* XLIV) ; et in Canticis canticorum : *Murenulas aureas faciemus tibi* (*Cant.* I).

Philadelphiæ. Philadelphia dicitur *salvans hæreditatem Dei.* Ipsa enim Ecclesia hæreditas dicitur, de qua Pater ad Filium : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II), et de qua coloni mali videntes hæredem, dixerunt : *Hic est hæres, venite occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Matth.* XXI). Ipsa est ager Dei, ipsa et vinea, quæ per prædicatores suos ita salvare satagit semetipsum, ut fide et opere Deo placeat, et ab illius voluntate nunquam recedat.

Laodiciæ. Laodicia vertitur in nostra lingua *tribus amabilis Domino,* sive fuerunt in vomitu. Tribus nomine sacra Scriptura sæpe utitur ; unde est : *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini* (*Psal.* CXXI). A tribus scilicet ordinibus, qui forsitan erant in populo Judæorum, sicut fuerunt apud Romanos, in senatoribus scilicet, militibus, et agricolis, ita et Ecclesia eisdem tribus modis partitur, in sacerdotibus, militibus, et agricultoribus, quæ tribus amabilis dicitur, juxta quod Apostolus dicit : Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris. Et ipse Dominus : *Sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (*Joan.* III). Porro quod dicitur fuerunt in vomitu, ad reprobos pertinet, qui simul permixti sunt bonis, sicut in area grana cum paleis. Qui etiam sua præsentia gravant sanctos, veluti noxii cibi. Unde et necesse est ut ejiciantur de corpore Christi. Tales utique fuerunt hæretici, qui ejecti sunt ab Ecclesia, de quibus Joannes dicit : *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis* (*Joan.* II); et Psalmista : *Expelle eos quoniam irritaverunt te, Domine* (*Psal.* V). In quorum etiam persona in sequentibus hujus prophetiæ verbis dicitur : *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III).

Et conversus sum ut viderem vocem quæ loquebatur mecum. Hic liquido claret, non corporalem, sed spiritalem vocem Joannem audisse, quia non ut audiret, sed ut videret dicit se conversum. Quod utique juxta corporis sensus impossibile esse cognoscitur, non enim vox unquam videri potest. Sed ille raptus spiritu ad summa contemplanda, nihil aliud audivit quam vidit, quia hoc est illic audire quod videre, hoc videre quod audire. Ecclesia quoque quæ in Joanne figuratur, post se videt vocem, quia mysteria quæ in se videt completa, in lege et prophetis considerat prænuntiata ; sic enim scriptum est in Genesi : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II), Christus scilicet et Ecclesia. Unde Paulus : *Ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V).

Et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis. Septem candelabra aurea hoc ipsum significant quod septem ecclesiæ, id est universalem Ecclesiam, dum verba eorum lumen scientiæ simul et amoris incendium præbent, donis septiformis Spiritus refertam. Sed non incongrue in septem candelabris aureis figuratur ; habet enim Ecclesia aureum

A colorem, quia refulget divina sapientia, de qua scriptum est : Thesauris desiderabilis requiescit in ore sapientis. Habet lucernam, quia lucet verbo et exemplo, juxta quod Paulus dicit : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes* (*Philip.* II). Habet quoque et longitudinem in longanimitate spei et perseverantiam, dicente Domino : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV). Quia etiam candelabrum tundendo producitur, satis convenit Ecclesiæ, quæ diversis afficitur in hoc sæculo pressuris, inter quas consolationem adhibet illi Dominus dicens : *Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te* (*Isa.* XLIII); et per Prophetam : *Convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam* (*Isa.* I). Et bene in

B medio septem candelabrorum aureorum videt Joannes similem Filio hominis, quia Christus qui Ecclesiæ suæ præsidet, et præsidendo eam protegit, in medio electorum suorum est, secundum illud : *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII) ; et alibi : *Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel* (*Isa.* XII). Intuendum est autem quia non absolute dicit se vidisse Filium hominis, sed similem Filio hominis. Ille enim angelus (ut sæpe dictum est) personam Christi gerebat, qui idcirco non jam Filius hominis, sed similis Filio hominis appellatur, quia devicta morte jam non moritur, mors illi ultra non

C dominabitur ; vel certe similis Filio hominis vocatur, quia etsi carnem nostram accepit, tamen non fecit peccatum, sed apparuit in similitudine carnis peccati. Proprium enim est hominum peccato non carere, unde et quia ipse peccatum non fecit, per Psalmistam dicitur : *Ego autem sum vermis et non homo* (*Psal.* II). *Vestitum podere.* Poderis vestis est talaris, quia et Græci podas pedes dicunt. Per poderem itaque carnem Christi debemus intelligere, quam ipse verus sacerdos obtulit, quando se crucis patibulo Patri pro nobis obtulit hostiam viventem, sanctam in odorem suavitatis. Quæ videlicet vestis usque ad talos pertingit, quia ipse suos usque ad mortem dilexit, dicente Joanne : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (*Joan.* XIII). Sive per poderem possumus intelligere generalem Ecclesiam, quæ vestis est Domini, juxta quod ei paterna voce

D per Prophetam dicitur : *Vivo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris* (*Isa.* XLIX); et Paulus fidelibus dicit : *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*I Cor.* I). Quæ vestis usque ad pedes tendit, quia usque ad novissima membra fidelium in fine sæculi nascitura est. *Et præcinctum ad mamillas zona aurea.* In Veteri Testamento legimus Danieli Dominum præcinctum apparuisse in renibus, ipso attestante qui ait : *Levavi oculos meos, et vide, et ecce vir unus vestitus lineis, et renes ejus accincti* (*Dan.* X). Hic autem Joanni angelus non jam in renibus, sed ad mamillas præcinctus ostenditur. Præcinctio renum cohibitionem significat luxuriæ ;

unde est : Sint lumbi vestri præcincti. Angelus itaque Danieli apparens, jure in renibus cinctus fuisse refertur, quia Scriptura Veteris Testamenti ipsum opus luxuriæ damnat. Joanni vero bene in pectore, quia Novum Testamentum etiam cogitationes nefarias culpat, dicens : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v). In pectore enim cogitationes versantur. Nam et quod fidelibus dicitur : Sint lumbi vestri præcincti, sciendum nobis est quia quisquis adhuc fornicationem carnis non refrenat, ad vitæ veteris hominem pertinet. Possumus et hoc aliter intelligere : per duas mamillas designantur duo Testamenta : per zonam vero auream electorum figuratur Ecclesia, quæ bene per mamillas jungitur angelo, quia per observationem utriusque Testamenti Ecclesia copulatur Christo in vinculo charitatis, hoc est in dilectione Dei et proximi. Vel certe in mamillis angelus zona cingitur, quia ex duobus populis una electorum Ecclesia per charitatis compagem Christo unitur.

Caput autem ejus et capilli erant candidi tanquam lana alba et tanquam nix. Legimus in Danielis volumine (*Dan.* vii) quod Antiquus dierum sedit, cujus vestimentum erat quasi nix candidum, et capilli ejus tanquam lana munda. Ibi itaque his verbis designatur æternitas Patris, quod in sequentibus ostenditur, cum deinde persona Filii commemoratur, dicente eodem Daniele : *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit* (*ib.*), id est usque ad Deum Patrem ; hic autem in candore capitis et capillorum angeli, candor innocentiæ Filii Dei designatur. Et bene ipse candor per lanam exprimitur ; lana quippe ovium est vestis, ipse quippe est ovis, de quo Isaias : *Tanquam ovis ad occasionem ducetur* (*Isa.* liii) ; quia secundum quod ait Apostolus : *Cum malediceretur, non maledicebat ; cum pateretur, non cominabatur* (*I Petr.* ii). Et per caput intelligimus ipsum Christum, de quo Paulus dicit : *Caput viri Christus est* (*I Cor.* xi) ; et iterum : *Ipse est caput omnium ecclesiarum* (*Ephes.* i). Per capillos autem, perfectiores qui capiti suo arctius adhærent ; qui etiam candorem lanæ habent, quia imitantur simplicitatem et innocentiam capitis sui dicentis : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* xi) ; et quibus ipse dicit : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Matth.* x). Per nivem vero, novitas designatur resurrectionis. Unde Dominus claritatem futuræ resurrectionis niveo candore expressit tribus discipulis, quando resplenduit facies ejus tanquam sol, et vestimenta ejus tanquam nix. Hinc est quod testis resurrectionis ejus angelus mulieribus apparens, vestimenta alba tanquam nix figuraliter exhibuit. *Et oculi ejus sicut flamma ignis.* Oculi Domini dona significant Spiritus sancti, de quibus in Zacharia dicitur : *Super lapidem unum septem oculi sunt* (*Zach.* iii) ; et in sequentibus dicitur quod viderit Joannes agnum tanquam occisum, habentem cornua septem et oculos

A septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Et bene flammæ dicuntur, quia accendunt nos ad amorem Dei, et illuminant cognitione divina ; de hoc igne Dominus in Evangelio : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* xii) ; possunt et per oculos angeli intelligi eminentiores et spiritales viri in Ecclesia, apostoli scilicet, quibus Dominus dicit : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* v), qui non solum lucent, sed etiam ardent, dum verba eorum lumen scientiæ simul et amoris incendium præbent. Possunt etiam per oculos eloquia divina intelligi, de quibus scriptum est. *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (*Ps.* cxviii) ; et de Joseph : *Eloquium Domini inflammavit eum* (*Ps.* civ).

Et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti. Pedes Domini aliquando significant stabili-

B tatem æternitatis ; aliquando vero humanitatem, per quam ad nos venit cognitio divinitatis ; aliquando prædicatores, de quibus scriptum est : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem* (*Rom.* x) ; aliquando vestigia imitationis ejus, aliquando vero novissima membra. In hoc autem loco proprie membra ejus significant, quæ tempore Antichristi igne tribulationis probabuntur ; nam sicut aurichalcum multis medicaminibus ex ære perducitur ad colorem auri, ita et illi tribulatione novissimi temporis exurentur, ut probentur velut mundissimum aurum. Et sicut Antichristus crudelior erit omnibus persecutoribus, ita et illi fortiores erunt omnibus retro ante martyribus, nam ipse caminus validissimam tribulationem significat, de qua Dominus dicit : *Erit tunc tribulatio ta-*

C *lis, qualis non fuit, neque fiet* (*Matth.* xiv). Quod autem alia translatio auricalchum Libani posuit, pro eo quod mons ipse in Judæa esse perhibetur, liquido manifestavit novissima corporis Christi membra in illis tunc regionibus vehementius esse vexanda camino tribulationis, ubi et Dominus eorum crucifixus est ab impiis Judæis. *Et vox ejus tanquam vox aquarum multarum.* Superius legimus quod audierit vocem angeli tanquam tubæ, nunc autem tanquam vocem aquarum multarum, quia videlicet prius per paucos prædicatores sonuit, de quibus Dominus dicit : *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Matth.* ix) ; et postea populorum multorum officio resultavit. Aquæ enim multæ populi sunt, sicut in sequentibus legimus, quod enim primum pauci præ-

D dicatores, hoc postea totus mundus clamavit. Potest et vox similis aquarum multarum charitas intelligi, quæ est fons et origo omnium donorum spiritualium, sicut ipse Dominus manifestat, cum dicit : *In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* xxii) ; unde et ipse in die magno festivitatis stans clamabat, dicens : *Qui sitit, veniat et bibat ; et de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* vii). Ac si diceret : Qui intelligentiam Scripturarum sitienter cupit, ad me veniat, veniens Spiritum charitatis bibat, Deus enim charitas est. Bene itaque vox singularis Christi tanquam vox aquarum multarum dicitur, quia cum una sit charitas, si mentem repleverit, hanc ad innumera virtutum opera multiformiter accendit.

Et habebat in dextera sua septem stellas. Quid sint septem stellæ, ipse angelus aperit in sequentibus, dicens : Septem (inquit) stellæ angeli sunt septem Ecclesiarum. Hoc ipsum etiam et superius comprehendit in candelabris septem, id est universalem Ecclesiam, sive omnes doctores. Quod enim singulis angelis dicitur ad universos utique refertur. Hoc quippe Dominus manifestat, qui cum de singulis angelis dicat : Angelo illius Ecclesiæ scribe, in fine ita concludit: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis (Apoc.* II). Stellæ enim in nocte lucent, similiter et candelabra ; atque ideo non inconvenienter persona Ecclesiæ in his verbis exprimitur, maxime vero doctorum, qui in nocte huius sæculi lucent verbo et opere, aliisque exemplum sanctitatis et luminis ostendunt, quibus utique Dominus dicit : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut* videntes *opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (Matth.* VI). Dextera autem Christi, in hoc loco intelligitur summa beatitudo et prosperitas futuræ vitæ, quæ nunc manet in spe, tunc autem erit in re. In hac dextera jam sancti consistunt, quia in Dei prædestinatione jam certum manet, qui sint in dextera collocandi, quando agni separabuntur ab hædis, nequaquam pars sinistra erit, quia infelicitas vel adversitas nulla eos nocebit, quibus et dicturus est : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXIII) et cætera. De hac dextera Dominus per Prophetam Ecclesiæ dicit : *Ne timeas, quoniam auxiliatus sum tui, et suscipiet te dextera Justi mei* (*Joan.* XLI). *Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Gladius utrinque acutus, Scriptura Veteris ac Novi Testamenti intelligitur ; hinc Paulus dicit : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei (Ephes.* VI). Qui gladius de ore ejus procedit, juxta quod ipse Dominus dicit : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (Matth.* IV). Utraque autem parte acutus dicitur, quia videlicet hinc culpas operis, illinc resecat peccata cogitationis ; Vetus enim Testamentum dicit : *Non occides ; non furaberis* (*Exod.* XX ; *Deut.* V) : Novum vero (*Matth.* V) : *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio ;* et : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo.* Vocatur etiam sermo Dei gladius utraque parte acutus, quia dividit bonos a malis. Unde ipse Dominus dicit : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* X). *Veni enim separare patrem adversus filium, et filiam adversus matrem suam*, et cætera. Vel certe ideo gladius bis acutus vocatur, quia et imperfectos secundum litteram exterius informat, et perfectos juxta mysticum intellectum interius erudit. Audit enim simplex quisque ibi: Non adulterabis ; non occides, et cætera, et ponit in animo suo hæc custodire ; dum autem hæc facit, abscidit se per Dei verbum a carnalibus delectationibus, ut hæc divini verbi custodiendo præcepta possit salvus fieri. Sapientior quoque considerat altiora mysteria, cum audit : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I), et cætera. Quibus sublevatus, nihil in hoc mundo ambit, quia desiderat jam frui ejus

A præsentia, cujus tanta in divino eloquio prædicatur magnificentia.

Et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. Quia Christus et Ecclesia una est persona, caput videlicet et membra, per faciem ejus possumus intelligere sanctos, non tamen tales quales nunc sunt, sed quales postmodum futuri, cum ad sui Creatoris visionem pervenerint. Unde et Dominus in Evangelio dicit : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris* sui (*Matth.* XIII). Quod videlicet non de isto sole visibili intelligere debemus, cum et ipse multo tunc majus lumen habiturus sit, juxta illud propheticum : *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis sicut lux septem dierum* (*Isa.* XXX), sed potius de illo de quo scriptum est : *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ*
B (*Malach.* IV). Si autem sancti majus lumen habebunt quam sol iste visibilis, quantum putamus excellentiorem et sublimiorem esse capitis claritatem, a quo membra illuminabuntur ! Unde et cum de sole hic loqueretur Joannes, addidit : Sicut sol lucet in virtute sua, quando scilicet meridiano tempore in centro cœli ita resplendet, ut nullatenus humanus aspectus ferre valeat claritatem luminis ejus. Hanc claritatem ostendit in monte coram tribus discipulis, quando facta est facies ejus sicut sol. Centies enim tantum (sicut dicit beatus Hilarius) fulsit, sed non habuit Evangelista creaturam splendidiorem cui comparare posset eamdem claritatem, idcirco dicit sicut solem resplenduisse faciem ejus. Et qualis tunc apparuit Dominus, talis utique venturus est ad judi-
C cium. Quo in loco quæri potest : si Dominus ad generalem resurrectionem cum tanta claritate venturus est, quare non in eadem claritate post suam resurrectionem apparuit discipulis ? Ad quod dicendum est, ideo post suam resurrectionem claritatem sui vultus discipulis abscondisse, ut eum vel sufferre quivissent vel cognoscere ; quod si non fecisset, mortalium oculi videre eum non possent. Si enim, cum adhuc mortale corpus gestaret, ferre non potuerunt claritatem vultus ejus, quando transfiguratus est in monte, quanto minus hoc possent, si post suam resurrectionem ipse, non ut sol, sed septempliciter sole fulgente suam manifestaret claritatem. Quid autem ista de Domino dicimus, cum etiam nos, miseri atque
D mortales, claritatem sanctarum animarum cum æterno sole fulgentium sustinere non valemus ? Porro quod dicitur, solem sive lunam majorem luminis claritatem habere post diem judicii, utique ad lapsum et reparationem primi hominis pertinet. Postquam enim homo Dei mandatum transgrediendo peccavit, tenebras incurrit, et idcirco etiam ipse sol, qui ad obsequium hominis fuerat conditus, claritatem sui luminis maxima ex parte perdidit. Sed cum reparatus fuerit homo, atque post generalem resurrectionem renovatus, tunc et ipse sol renovabitur, et septempliciter, id est multo clarius quæ modo lucebit. Unde etiam nec postea occasum patietur, sicut Isidorus testatur, ne impii claritate luminis ejus perfruantur. Aliter : Sol habet ortum et occasum, ideo-

A que congrue comparatur Christo, qui habuit ortum nascendo temporaliter ex matre, et occasum per mortem. Porro facies illius, manifesta in carne præsentia intelligitur, quæ abscondita est quando in cruce occubuit, sed iterum resurgens a mortuis, cœpit lucere in virtute sua, in multitudine scilicet miraculorum, et prædicatione doctorum. Nam et de occasu Psalmista dicit : *Iter facite ei qui ascendit super occasum* (*Psal.* LXVII). Super occasum namque ascendit, quia unde occubuit, inde surrexit, Et quando ista dicebat Joannes, jam ortus, jam ad occasum versus, jam surgens iterum lucebat in virtute sua ; id est jam in carne natus, passus, et suscitatus, ipsaque ejus nativitas, passio, et resurrectio totum claruerat per orbem ; et idcirco facies angeli B non simpliciter, sed sicut sol lucet, in virtute sua splendebat.

Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Joannes in hoc loco significat omnem electorum multitudinem, angelus autem solius capitis personam gerit. Non autem hic pedes Domini, sicut superius æternitatem divinitatis ejus, non prædicatores, non denique cætera membra, sed tantum indicia passionis ejus et humilitatis significant, qui se humiliavit usque ad mortem. Ad pedes ergo angeli Joannes cadit, dum sancta Ecclesia vestigia passionis ipsius imitatur, juxta illud Petri : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*Petr.* II), et hoc mortificando se cum vitiis et concupiscentiis. Ad pedes ejus cadit, quia dum C considerat Redemptorem suum mortuum, mox mundo moriens, ad imitanda ejus vestigia semetipsum humiliter prosternit. Bene autem Joannes non mortuus, sed tanquam mortuus cecidisse dicitur ad pedes angeli, quia electi imitantes vestigia passionis Christi, etsi moriuntur mundo, vivunt tamen Deo. Hinc Apostolus dicit : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II) : et iterum : *Obsecro vos ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem* (*Rom.* XII), et cætera. Hostia quippe immolatur, et viva est, quia sancti etsi se mortificant cum vitiis et concupiscentiis, non tamen penitus a corpore recedunt. Vel certe tanquam mortui fiunt, cum se mortificant, quia in spe futuræ resurrectionis jam vivunt, juxta illud Apostoli: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum* D *Christo in Deo, et cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Colos.* III).

Et posuit dexteram suam super me, dicens : Noli timere. Non semper in sacro eloquio unus sermo pro uno accipitur sensu. Legimus quippe superius dexteram significare summam beatitudinem futuræ vitæ et prosperitatem, in qua sancti jam consistunt Dei prædestinatione. Non ergo hic taliter accipienda est dextera, sicut in superiori versu : pedes non priora in se continent mysteria, sed tantum exempla imitationis Christi et passionis significant. Itaque in hoc loco per dexteram angeli debemus intelligere sanctos prædicatores. Unde per Moysen dicitur : *In dextera ejus ignea lex* (*Deut.* XXXIII) ; ac si diceretur : In sanctis prædicatoribus doctrina Spiritus sancti. Notandum autem quia non dicit Joannes quid angelus fecerit, ponens dexteram suam super illum, utrum videlicet levaverit eum a terra, an detraxerit illum ad terram ; sed ex Danielis volumine (*Dan.* X) discimus quod a terra eum levaverit, qui dicit quod angelus qui erat accinctus auro obryzo, et corpus ejus quasi chrysolithus, posuit dexteram suam super eum, et erexit eum super genua sua. Ponit itaque angelus manum super Joannem jacentem ad pedes suos tanquam mortuum, et erigit illum, quando Christus Ecclesiæ suæ, quæ se mortificat, auxilium consolationis porrigit per suos prædicatores. Quasi enim dextera Christi super fidelium corda pressuris et angustiis pressa, Paulus apostolus positus erat ut eos sublevaret, cum eis consolationem adhibebat, dicens : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Non autem Ecclesia ita erigitur a terra, ut penitus ab omnibus angustiis submoveatur ; sed cum talia et his similia audit pro illatis passionibus, cor ad gaudia cœlestis patriæ sublevat. Tale quippe est illud Evangelii : *Nolite timere eos qui occidunt corpus* (*Matth.* X) ; et alibi : *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X). Bene autem illic additur : Nolite timere, ac si electorum Ecclesiæ diceretur : Erige mentis auditum in passionis certamine ad futura præmia, et accepta desuper fiducia, humanum timorem audacter longe propulsa.

Ego sum primus, et novissimus, et vivus ; et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum. Hic manifestissime apparet, quia angelus qui beato Joanni apparuit, figuram Christi tenuit. Non enim alii quam Christo nato, passo, ac sepulto, et resuscitato hæc verba conveniunt. Ipse est primus, in quo facta sunt omnia ; ipse novissimus, per quem restaurata sunt universa : ipse est primus qui ante sæcula natus : in principio erat Verbum ; ipse novissimus, quia in fine temporum natus : Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vivus fui, ait, vel ante omnia sæcula in divinitatis essentia, vel ante mortem in carne. Et mortuus, subaudis post nativitatem carnis. Et ecce sum vivens in sæcula sæculorum, post resurrectionem, sicut Apostolus dicit : *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur ; mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Quo in loco magna consolatio intelligenda est adhibita beato Joanni, cui jacenti tanquam mortuo dicitur : Vivus fui et mortuus, et sum vivens in sæcula sæculorum. Nihil enim hac affectione congruentius quam quod sibi similem in morte Dominum audiret, qui tanquam mortuus jacebat. Ac si diceret Christus tam sibi quam omnibus fidelibus : Nolite timere pro me pati, qui estis membra, cum ego qui sum caput, pro vobis mori non dubitaverim, quia sicut ego post mortem vivo, ita et vos vivetis resuscitati a capite. Attendite ergo quia post mortem vivit vita vestra, quæ constat in capite, exemplum vobis ostendens quandoque in gloriam resurgendi, si modo vano timore non reces-

seritis de corpore. *Et habeo claves mortis et inferni.* Per claves potestas æterna et judiciaria designatur. Unde Petro dictum est : *Tibi dabo claves regni cœlorum (Matth.* XVI). Neque enim pueriliter intelligere debemus claves esse in cœlo, quemadmodum sunt in ostio, sed per claves potestas intelligitur ligandi atque solvendi. Ita ergo et hic clavium nomine potestas æterna ostenditur. Unde et alibi dicitur : *Qui aperit et nemo claudit; claudit et nemo aperit* (*Apoc.* III). Porro mors diabolus intelligitur, quia invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum ; infernus autem, membra illius ad pœnas inferni ventura. Habet itaque Filius Dei claves mortis et inferni, quia sua occulta reseratione dat potestatem diabolo, vel ejus membris, ut sæviant in persecutionem sanctorum, et iterum cum vult, facit omnem conquiescere eorum tentationem. His clavibus conclusus erat diabolus, cum dicente Domino (*Job.* II) : *Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit similis ei in terra, vir simplex et rectus*, tentando eum appetiit, dicens : *Nunquid Job frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus?* et cætera usque : *Mitte manum tuam*, nisi in facie benedixerit tibi (*Job.* I, II). Reseravit ei Dominus clavem, cum potestatem tentandi dedit ei, dicens: *Ecce in manu tua est* (*Job.* II). Et ille, accepta potestate, *egressus, percussit Job ulcere pessimo (Ibid.)*. Sed postea cohibitus est et sub clavi reclusus, quando ipsa tentatio profuit beato Job ad gloriam et restaurata sunt ei omnia duplicia, ipsique tentatori eadem tentatio crevit ad cumulum damnationis suæ. His clavibus fuerat dimissus, quando Petrum timore concutiens, compulit negare Deum : reclusus est iterum, quando Dominus respexit Petrum, et ille flevit amore, ac maculas ternæ negationis lavit amarissimis lacrymis. His etiam lacrymis fuerat laxatus, quando Mariam multis criminibus sibi devinxerat ; sed clausus est quando dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. His quoque clavibus apertis fuerat dimissus, quando tentabat Paulum, cui, ne magnitudo revelationum eum extolleret, datus est stimulus carnis. His divini judicii clavibus quotidie reseratur, cum electos tentationibus fatigare permittitur; iterumque restringitur, cum non supra modum, sed ad mensuram ipsas tentationes exaggerare permittitur, juxta illud : *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere* (*I Cor.* X).

Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc. Hic Joannes typum tenet ordinis prædicatorum, cui dicitur : Scribe quæ vidisti, id est quæ intellexisti, in lege scilicet et prophetis de me, ut ea in corde teneas, et aliis profutura pandas. Vel etiam, si specialiter hæc verba referimus ad apostolos, dicitur illis ut miracula Christi quæ viderunt scribant, et aliis annuntient, et per hæc ad fidem Christi alios trahant; quæ etiam nunc impleta sunt in me, et quæ oportet fieri post hæc in membris meis. Quod autem superius jam dictum est ei, ut scribere debeat ea quæ vidit, et nunc iterata voce ad scribendum compellitur in repetitione verbi, negligentia torporis removetur a studio prædicatorum, ut quæ sæpius admonentur, sine tarditate impleantur. Sequitur :

Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea : septem angeli sunt septem ecclesiarum et candelabra septem : septem ecclesiæ sunt. Sacramentum mysterium est, ubi aliud videtur, et aliud intelligitur, sicut (verbi gratia) in Christi corpore, ubi cum videatur panis, vera est caro. Unde ipsi sacerdotes dicunt : Sacramenta quæ sumpsimus, Domine, proficiant nobis ad salutem corporis et animæ. Ita ergo et hic sacramentum erat, quia in septem stellis vel septem candelabris, universalis Ecclesia exprimebatur. Quod enim significatur per septem stellas, id ipsum significatur et per septem candelabra, id est omnis Ecclesia, vel specialiter sancti doctores, qui nimirum recte per stellas designantur et per angelos, quia et in hujus sæculi nocte lucent per munditiam vitæ, et aliis cœlestia ministrando, angeli veritatis existunt. Quibus Paulus dicit: *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in firmamento cœli.* Hoc etiam sciendum, quia hoc est unus angelus quod septem, hoc septem quod unus, quia quod uni loquitur ad omnes pertinet; et item quod omnibus dicit ad singulos refertur. Quod autem idem angelus qui beato Joanni apparuit quædam exposuit, quædam vero signata reliquit, nimirum idcirco hoc egit, ne nobis lectio illius vilesceret, et ut haberemus etiam ubi sensum nostrum exercitare possemus. Exposuit quædam, quia si ex toto nobis clausus esset liber, tæderet nos eum legere, ad cujus mysteria intima non possemus pervenire. Iterum, si per omnia eum aperiret, facilis nobis esset ad intelligendum, et idcirco etiam minus studiose eum legeremus. Angeli autem quibus scripsit, sicut in consequentibus inveniemus, non cœlestes intelliguntur spiritus, quia absurdum est credere aliquid esse in cœlestibus spiritibus dignum reprehensione, sed potius fideles in Ecclesia consistentes, de quibus scriptum est : *Angeli pacis amare flebunt* (*Isa.* XXXIII); et Malachias : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus* (*Malach.* II) ; quia angelus Domini exercituum est. Sanctos Ecclesiæ doctores angelos vocari, quia ut præmissum est, stellæ et candelabra in hujus sæculi nocte lucent et aliis ministrando cœlestia, angeli veritatis existunt, quos Paulus dicit, sicut luminaria in firmamento cœli in medio nationis pravæ et perversæ, per munditiam sinceræ vitæ lucere. Sequitur :

CAPUT II.

Et *angelo Ephesi Ecclesiæ scribe : Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* Ephesus interpretatur *voluntas vel consilium meum;* quod et ipsi Ecclesiæ convenit specialiter, in qua erat Dei volun-

tas, sicut invenimus in sequentibus, eodem angelo dicente : *Scio opera tua* : et consilium correctionis in hoc quod subjungit : *Habeo adversum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti*, et omni Ecclesiæ generaliter. Quod enim dicitur angelo, id est sacerdoti ipsius Ecclesiæ, in illo omni Ecclesiæ dicitur ; et in Ecclesia Ephesiorum, universæ Ecclesiæ fidelium. Nam et per septem stellas quas tenebat in dextera sua, omnes sancti intelliguntur, qui in prædestinatione æternæ beatitudinis jam tenentur in Dei præsentia. Ipsi quoque designantur et per septem candelabra, in quorum medio ambulat Christus, quia dona gratiæ suæ eis particulatim diffundit. Alii scilicet sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum, alii hospitalitatem, alii abstinentiam, contemplationem, et cætera his similia, *quæ operatur unus atque idem Spiritus* (*I Cor.* XII). Qui cum ubique præsens sit, dum donorum gratiam eis largitur, quasi in medio candelabrorum quotidie ambulat. Vel certe per manum possumus intelligere clementiam divinitatis ejus, quam nullus potest evadere, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ. In hac dextera sunt boni et mali : boni quidem comprimuntur, ne vel ultra mensuram acceptæ virtutis per inanem gloriam transeant, vel ad vitiorum illecebras ruant ; mali autem, ne quantum volunt, nocere possint, hac virtutis dextera retinentur, sed tanquam servi sub potestate Domini, ad mensuram filios verbere cædant. Sunt ergo quidam ad quod Dominus venit per fidem quam habent, et aliquando per bonam voluntatem : sed quia iterum reprobis moribus eum ejiciunt, et ad vitia labuntur, non potest ibi manere, idcirco ambulat, et ad electos transitum facit, apud quos diu manet, et in eorum cordibus moratur. Facit quippe adventus sui præsentiam sentire reprobos : sed quia fidem illorum opera non sequuntur, nequaquam apud eos manet, sed ad electorum corda ab eis transit, in quibus per opera virtutum inhabitet. Hoc enim indicat columba ex arca dimissa, quæ super aquas diluvii volitans, cum non inveniret ubi requiesceret pes ejus, ad arcam reversa est. Hinc in Evangelio dicit : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). In quibus verbis ostendit quia ad eos venit in quibus mansionem non invenit. Bene itaque dicitur : Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. Ac si aperte diceretur : Tandiu inter electos et reprobos exhortationis verbo discurrit, quousque inveniat apud quem per opera virtutum mansionem faciat. Vel certe dum quemlibet electorum intimo discretionis examine probandum ad tempus, in tentatione deserit : atque ut alium a tentatione eripiat, pio favore prosequitur, tanquam in medio septem candelabrorum aureorum discurrere videtur.

Scio opera tua et laborem et patientiam tuam. Hoc autem non specialiter, sed generaliter omnibus electis congruit, quorum opera labor, et patientia Deo sunt cognita. Scire autem Dei, eligere est. Unde in libris Moysi frequenter populo dicitur : *Vos scit Deus ex omnibus gentibus* ; id est : Vos elegit ; et ipsi Moysi : *Novi te ex nomine* (*Exod.* XXXIII), id est : Te eligo specialiter præ cæteris. Aliquando autem scire dicitur scientes reddere ; unde est : Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum an non, id est ut scire vos faciat ; et Abrahæ : *Nunc cognovi quod timeas Dominum* (*Gen.* XXIV), id est cognoscere te feci. Dicitur quoque scire Deus, et ipsa scientia vis divinæ subtilitatis accipitur, cui nuda et aperta sunt omnia, juxta illud : *Tu cognovisti omnia novissima et antiqua* (*Psal.* CXXXVIII). In istis itaque locutionibus Ecclesiæ, pro locorum qualitatibus scire Dei debemus accipere. Dicitur ergo Ecclesiæ a Christo : Scio opera tua, id est approbo et eligo, vel scio opera, id est scire te facio mercedem operum tuorum et laborem. Quia homo operans laborat, idcirco post opera virtutum recte etiam subjungitur et labor, quia sancta Ecclesia sicut magna est in operibus, ita magna est et in labore. Cujus etiam patientia specialiter prædicatur, quæ cunctos tolerat labores patienter, et eos quos male agentes portat, sinceriter amat, et usque ad finem vitæ in hoc perseverat, juxta illud : *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, XXIV). Opera enim et labores communia sunt bonis et malis : patientia autem vera, singulare munus collatum est in cœlestibus ; quæ si desit, multa opera, multique labores subito ad nihilum rediguntur. Patientia autem vera est quæ et mala proximorum æquanimiter tolerat, et eos quos prave agentes portat, sinceriter amat. *Et non potes sustinere malos*, subaudis libenter ; et hic jungendum est scio, sicut supra. In hac enim vita simul misti sunt boni et mali. Ideoque necesse est, quia aliter esse non potest, ut ipsi mali tolerentur a bonis. Debent enim in illis odio habere quod mali sunt, et debent eos diligere per hoc quod homines sunt. Hinc David ait : *Iniquos odio habui* (*Psal.* CXIII). Non quia naturam iniquorum, sed opera iniquitatis odio habuerit. Nonnunquam itaque infirmi quique, malorum pravitates atque eorum consortia gressibus corporis conantur effugere, ignorantes quam impium sit propter pravorum perversitatem relinquere sanctorum unanimitatem, qui si patientiæ studerent, quia alibi locus deest, in semetipsis invenirent ubi eos evadere possent. *Et tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, et non sunt.* Tempore beati Joannis surrexerunt falsi apostoli, id est hæretici. Marcion, Ebion, et Cherintus in Asia volentes corrumpere rectam fidem, et prædicantes Christum minorem Patre, qui utique falsi apostoli erant, juxta illud, apostolus interpretatur missus. Sed isti non erant missi a Christo, sed a diabolo, transfigurantes se in apostolos Christi, a quo et se missos dicebant, cum non veritatis, sed falsorum dogmatum essent. De talibus Dominus per Prophetam dicit (*Jer.* XXIII) : Ipsi veniebant, cum ego non miserim eos. Dicit ergo : Tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, et non sunt, id est probasti fidem illorum et doctrinam. *Et invenisti eos mendaces.* Tentationes enim duæ sunt,

sed hic tentatio ad probationem pertinet, sicut et ibi: *Tentat nos diebus decem* (*Dan.* I). Sic et sancta Ecclesia quotidie tentat, id est probat corda singulorum, ut qui fidem rectam non tenent, aut corrigantur, aut ab Ecclesiæ societate pellantur, sicut ejecti sunt hæretici. Isti enim, id est Ebion et cæteri, antequam examinarentur, occulti erant, sed probati sunt tam a beato Joanne quam ab angelo illius Ecclesiæ. Et quia perversi doctores reperti sunt, damnati sub anathemate, ejecti sunt ab Ecclesia. Similiter Sabellius, Photinus, et cæteri latrones, qui non per ostium intra sinum Ecclesiæ intraverant, latebant quousque ab Ecclesiæ pastoribus probarentur.

Et patientiam habes tolerando patienter illorum perversitatem, qui tibi mala ingerunt. *Et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti.* Ac si electorum omnium Ecclesiæ diceretur: Quia in omnibus patientiam habuisti, idcirco utique ea quæ tibi ab impiis sunt illata tormenta sustinuisti, quia nisi patientiam habuisses, in tot adversis defecisses. Et ideo patientiam habens non succumbis, quia non pro terrena gloria, sed propter nomen meum hæc sustines.

Sed habeo adversus te quod charitatem tuam primam reliquisti. Superius locutus est sanctis, nunc autem loquitur reprobis, quia (sicut supradictum est) sicut sunt misti boni et mali in præsenti vita, ita communiter eos alloquitur divinus sermo: Habeo (inquit) adversus te, id est adversum reprobos qui in te sunt, quia primam charitatem reliquisti, id est fidem Dei et dilectionem, et subdidisti te delectationibus sæcularibus et terrenis, sicut mulier deserit primum viri amorem, et jungit se adultero. Dum enim a quibusdam charitas inchoata repellitur, protinus cupiditas sæculi introducitur, fitque modo miserabili, ut nec ad memoriam illa redeat, cum hæc mentem plene possederit. *Memor esto itaque unde excideris,* id est a qua gratia separatus sis, qui prius mihi conjunctus splendore sanctitatis fulgebas. *Et age pœnitentiam,* pro eo quod me dereliquisti, et terrenum amorem tanquam mulier adulterum suscepisti, et prima opera fac, id est redi in amorem prioris viri; *sin autem, venio tibi,* et præsentiam iræ meæ tibi ostendam, *et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris,* id est movebo te de loco virtutis tuæ, et de societate fidelium. Notandum autem hoc quod non dicit: Ejiciam candelabrum de loco suo, sed tantum movebo; quia videlicet, licet quis peccet, tamen si pœnitentiam egerit perfectam, non amittet pristinam dignitatem suam aut gradum. Unde Petrus licet negaverit Christum, non perdidit apostolicum gradum. Sed dicamus hoc sub exemplo: si enim quilibet hominum grave peccatum admittit in conspectu hominum, de loco suo movetur, at tamen si cito per pœnitentiam surrexerit, non est motus in conspectu Dei, quia licet per peccatum in conspectu hominum motus esse videretur, tamen quia in Dei præsentia resurrecturus erat, non est

A motus, quia nequaquam minoris sanctitatis locum habebit, si perfectam pœnitentiam egerit. Dicatur itaque impœnitenti et ad Deum redire nolenti: Movebo candelabrum tuum de loco suo nisi pœnitentiam egeris, ac si diceretur: Munus sanctitatis post lapsum criminum a me nequaquam recipies, nisi cor ad pœnitentiam emollire curaveris.

Sed hoc habes, bonum subaudis, *quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi.* Iterum in hoc loco vertit sermonem ad personam fidelium, dicens: Odisti facta Nicolaitarum. Nicolaus unus fuit ex septem diaconibus qui electi et ordinati sunt ab apostolis, sed cæteris permanentibus in ministerio suo, ille recessit ab eorum fide et doctrina. Qui cum culparetur eo quod haberet pulcherrimam mulie-

B rem, et nimium zelaretur eam, ut se excusaret ab hac suspicione, respondit: Non est mihi curæ quid faciat; qui vult, utatur illa. Unde et transiit in communem usum; quod factum cœperunt etiam multi sectatores ejus imitari, qui etiam idolothyta comedebant, et cibos suos cibis gentilium commiscebant. Dicebant quoque hunc mundum non a Deo, sed a quibusdam principibus factum, contra quod in Genesi dicitur: *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I) Et hæc facta Nicolaitarum a bonis repudiantur, et veluti stercora detestantur. Videamus autem quos isti spiritu aliter significent. Interpretatur autem Nicolaus populus stultus; quo nomine gentiles figurantur, qui stulti sunt, quoniam veram

C sapientiam, id est Christum, credere nolunt, unde dicit Apostolus: *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (*I Cor.* I). Nam hi communiter utuntur uxoribus, et idolothyta comedunt, atque hujus sæculi conditores homines esse affirmant, id est: Jovem, Saturnum, et reliquos, qui licet ab illis dii putentur, homines tamen fuerunt, et in hac terra, licet turpiter vitam ducentes, regnaverunt. Significat quoque Nicolaus hæreticos, qui cum de sapientia Dei Patris, quæ est Filius, vera non sentiunt, licet secundum sæculum sapientes videantur, tamen secundum Deum stulti sunt. Dum enim Arius vel sectatores Christum creaturam esse affirmant, fatui atque stulti sunt; quia dum Trinitatis substantiam con-

D fundunt, Christum esse Deum contradicunt. De quibus Psalmista dicit: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus* (*Psal.* LII.) Quorum facta duo specialiter notantur, quia et idolorum cultores et fornicarii sæpe vocantur. Quia enim rectam fidem non habent, suus ipse error quem sequuntur, pro cultura idolorum ipsis imputatur. Fornicarii quoque sunt, qui immunditiæ carnis serviunt, et ob hoc maxime pereunt. Judæi quoque sunt stulti, quia in Christum qui est sapientia Patris, nolunt credere, frustraque jactant se habere Patrem, cujus Filium odiis insequuntur: quoniam qui non habet Filium, nec Patrem habet. Sed et (si diligenter inspicimus) intra sanctam Ecclesiam Nicolaitas invenimus, eos videlicet, quos in terreno amore

thesaurizare videmus: quid enim stultius esse potest, quam eo loco tota mentis intentione pecunias recondere, quo non licet in perpetuum sustinere? Unde Dominus discipulos hortatur, dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra* (*Matth.* VI). In hoc autem stultorum numero computatur ille, qui cum diceret: *Destruam horrea mea, et majora faciam, quia non habeo quo fructus meos congregem* (*Luc.* XII), audivit a Domino: *Stulte, hac nocte animam tuam repetam a te: quæ autem congregasti cujus erunt?* (*Ibid.*) Quæ scilicet lucra hominum insipientium, solummodo terrena quærentium, pariunt in illis genimina omnium vitiorum, quia et secundum Apostolum: *Radix est omnium malorum cupiditas* (*I Tim.* VI); quia videlicet per hanc alius ad rapinam, alius ad falsum testimonium, alius rapitur ad perjurium, atque ad cætera crimina: Quæ etiam Judam ad hoc perduxit, ut ipsum Dominum morti traderet. Nam et per hanc homo cupidus animam suam venalem facit, et idololatra efficitur, plus amando creaturam quam Creatorem. Quod enim dicit Apostolus de gulosis, *quorum Deus venter est* (*Philip.* III), potest intelligi de cupidis similiter, quorum Deus nummus est auri vel argenti. Hæc sunt facta Nicolaitarum, id est stultorum hominum, paganorum scilicet, cæterorumque infidelium et falsorum Christianorum, quæ Dominus et quæ ex parte illius sunt, odire probantur. Notandum autem, quia non naturam, sed opera hominum Dominus se odio habere dicit. Unde non dicit: Odisti Nicolaitas, quos ego odi; sed: Odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. Homo enim diligendus est, opus autem illius malum odio habendum

Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Cum in principio locutionis hujus uni angelo, unique Ephesi ecclesiæ scribere Dominus jusserit, hic autem non unum angelum vel unam ecclesiam ad audienda dicta spiritus invitet; patet profecto, quia quod uni dicit, omnibus dicit, et in uno angelo unaque Ephesiorum ecclesia, unitatem Ecclesiæ depingit. Verum quoties hæc admonitiuncula ponitur sive in hoc libro, sive in Evangelio, quod sequitur vel præcedit, spiritualiter est intelligendum: quia non corporis hic auris requiritur, sed cordis, quam videlicet aurem nisi quis habuerit, eloquia spiritus capere non poterit. Sic Dominus loquens turbis in parabolis, cum illic omnes qui aderant aures haberent, monet apostolos dicens: Vobis dico qui auditis, ac si dicat: Verba cœlestium sacramentorum illis aperio, quos eadem interna cordis aure percipere cognosco. Carnis itaque auris ad auditum transit, cordis vero auditu simul et intellectu viget. Intuendum quoque est, quia cum angelus in principio harum locutionum ex persona Filii Dei, imo certe per angelum Filius Dei loquatur, non dicitur hic: Qui habet aurem, audiat quid Filius Dei dicat; sed, quid Spiritus; quia videlicet verba Filii, verba sunt Spiritus sancti. Quo nomine etiam tota Trinitas intelligitur, de qua dicitur. Spiritus est Deus. Ideoque dum Christus loquitur, in eo pariter loquitur Pater et Spiritus sanctus: quia sicut sunt inseparabiles unitate, sic inseparabiliter loquuntur, et docent sanctorum unitatem. Sciendum vero, qui in hac revelatione sicut in sequentibus, aperte monstratur: aliquando loquitur Filius ex persona sua, quod illi solummodo convenit: aliquando vero ex persona Trinitatis. Ideoque singulæ locutiones considerandæ sunt, quæ scilicet referendæ sint solummodo ad humanitatem Filii Dei, quæ autem ad totam Trinitatem. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Lignum vitæ, sapientia est Dei Patris, Salomone attestante, qui ait: *Lignum vitæ his qui apprehenderint eam: et qui tenuerit eam, beatus* (*Prov.* III). Quia utique Apostolus Christum esse testatur, dicens Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Quæ recte lignum vitæ dicitur, quia fidelibus suis vitam æternam tribuit, quos in præsenti satiat suo corpore, in futuro satiabit sua contemplatione. Unde Psalmista dicit: *Satiabor dum manifestatibur gloria tua* (*Psal.* XVI). Bene lignum vitæ vocatur, quia in te præsenti vita electos suos ab æstu vitiorum umbra protectionis defendit, et in futura beatitudine cibum æternæ contemplationis desiderantibus præbet. Dicatur itaque: Vincenti incentiva carnis suæ, tentationes dæmonum, adversitates pravorum hominum, dabo edere de ligno vitæ, id est, meipsum dabo illi in remunerationem, cum eum perduxero ad meam contemplationem. Paradisus autem vel præsens intelligitur Ecclesia, in qua quotidie comedunt fideles ejus corpus et sanguinem bibunt: vel vita æterna, quæ ipse Christus est, sicut ipse Dominus dicit: *Hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Quod autem Deum se habere dicit, in cujus paradiso hoc esse lignum asserit, secundum humanitatem loquitur, quam assumpsit pro nobis. Quæ ergo vincunt oblectamenta peccati in hoc paradiso Ecclesiæ, illa ad accipienda corporis et sanguinis sacramenta digne pertingunt, et ad Dei contemplationem pervenient, ipsumque lignum vitæ in remunerationem accipient, quia et ipse est lignum vitæ quod dat, et ipse de ligno vitæ vincentibus dat, et ipse fructus ligni est quod dat.

Et angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe. Smyrna interpretatur canticum eorum, canticum ad lætitiam pertinet, quod aperte congruit fidelibus, quibus in persona istius ecclesiæ loquitur Dominus. Non enim hæc verba uni tantum dicuntur, sed magis unitati sanctorum.

Hæc dicit primus et novissimus. Primus, scilicet ante quem nullus: novissimus, per quem restaurata sunt omnia. *Qui fuit mortuus et vivit.* Quia etsi mortuus fuit *ex infirmitate*, ut Apostolus dicit (*II Cor.* XIII), *vivit ex virtute Dei.* Hoc enim est primus et novissimus, quia qui semper vivit in sua substantia, primus existendo, mortuus in humanitate nostra in fine temporum, ut homo nascendo.

Scio tribulationem tuam. Scio, id est approbo et eligo. Licet vero hic tribulatio singulariter ponatur, tamen omnifaria et multiplex intelligitur. Unde Psalmista dicit : *Multæ tribulationes justorum* (*Psal.* XXXIII). Sancta Ecclesia, in cujus persona hic loquitur sermo divinus Ecclesiæ Smyrnæ, multas tribulationes sustinet exterius, cum ab adversariis probra, vincula, carceres, cæteraque hujusmodi tormenta excipit, aut cum etiam a dæmonibus interius invisibiliter cruciatur : cum etiam a seipsa, jejuniis, orationibus et vigiliis, lassata, pene succumbit. Affligitur quoque et tribulatur a seipsa, cum caro resistit spiritui. Has omnes tribulationes scit Dominus et approbat, de quibus omnibus in futuro liberabit eos, quando auferet omnem lacrymam ab oculis eorum. *Et paupertatem tuam*, subauditur scio et approbo.

Sed dives es in Deum, juxta illud : *Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* (*II Cor.* VI). Mirum autem est quomodo electi, pauperes et divites sint; quod duobus modis intelligi potest : fuerunt sancti multi divites in hoc sæculo, sicut Abraham, David et alii multi; sed quasi nihil habentes erant, quia terrenas divitias contemnentes, se peregrinos cognoscebant, cœlestes divitias jam mente tenentes. Expleta quippe sua suorumque necessitate ex his quæ habebant, reliqua in usus pauperum consumebant. Vel certe pauperes re, sicut sunt apostoli sancti; divites autem in fide, per spem jam cœlum possidentes, quibus Dominus dicit : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* III). Dicatur itaque : Scio paupertatem tuam, sed dives es, ac si diceretur : Unde te per humilitatem spiritus pauperem existimas, inde per omnia dives comprobaris. Unus enim idemque electus et pauper et dives est : pauper scilicet adhuc peregrinus, dives autem quandoque civis futurus : pauper terrena commoratione, dives beata prædestinatione. *Et blasphemaris ab his qui se dicunt esse Judæos, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ.* Hoc non solummodo ad unam pertinet Smyrnæorum ecclesiam, sed generaliter ad omnem ecclesiam, quæ est in universo mundo, quæ et in singulis locis et in toto orbe blasphematur ab impiis, qui se dicunt esse Judæos, et non sunt, quia Judæus interpretatur confitens, sed sunt congregatio Satanæ. Qui enim vere confitetur Christum, ipse est Judæus. De talibus Dominus dicit : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* (*Marc.* VIII ; *Luc.* XII). Judæorum ergo nominis expressio mediatoris nostri est confessio : ac per hoc quicunque Christianitatis nomine censentur, spiritualiter Judæi appellantur. Quod nomen utique Judæi tunc generaliter perdiderunt, quando Christum negaverunt, dicentes : *Hunc nescimus unde sit* (*Joan.* IX). Quique modo aperte, modo occulte, semper autem corde Ecclesiam Dei blasphemant. Ad quorum societatem pertinent etiam falsi Christiani, qui Christianum nomen quidem habent, sed opera Christianitatis non habent. De quibus per Paulum dicitur : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I). Blasphematur itaque Ecclesia a Judæis falsis, quia electorum verba a reprobis dijudicantur, quia semper eloquia et facta justorum contraria sunt cogitationibus reproborum. Qui licet intra sinum Ecclesiæ consistant, vita tamen et moribus in multas Satanæ synagogas seipsos dividunt : quia quot vitiis serviunt, tot de se partes reddunt. Tales itaque falso Judæorum sibi nomen usurpant, quique vehementius zeli flammis succensi, gravius Ecclesiam blasphemare consueverunt quam hi qui nunquam ad ejus consortia injuriarum accessérunt. Sed usquequo zizania novissime separentur a tritico, nullus horum deserendus est, sed omnes admonendi sunt, omnes tolerandi, in exemplum Redemptoris nostri, qui sacrilegum impiumque proditorem usque ad passionem mortis Judam toleravit. Ad quorum mala perferenda exhortatur Ecclesiam, et quasi armis potentibus adjungit, cum subdit :

Nihil horum timeas quæ passurus es. Id est quidquid a Judæis falsis, quidquid a falsis fratribus vel paganis injuriarum læsionumque pertuleris, pro eo quod transeunt ne formides. Hoc est quod in Evangelio dicit fidelibus : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X). *Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem.* Hinc liquido jam claret diversas in uno angelo personas alloqui. Præmisit enim divina vox quasi ad unum loquens : Nihil horum timeas quæ passurus es : nunc vero adjungit tanquam ad multos : Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, et cætera. Carceris autem nomine omnis tribulatio intelligitur passionum, quam sancti sunt perpessi a diabolo, qui per membra sua diverso modo eos cruciat, recludens in carceribus, et diversis ac variis tribulationibus afficiens. Quod autem non ait : Missurus est diabolus vos in carcerem, sed ex vobis, non ad omne corpus angeli pertinet, quod constat ex sanctis et reprobis, sed illos vult intelligi, qui ex illatis tribulationibus victores exsistunt : qui ideo tribulantur ut probentur, ideo probantur ut coronentur. Dicatur itaque : Ecce, id est in præsenti tempore, missurus est diabolus per membra sua, sicut fuit Nero, Domitianus et cæteri : ex vobis in carcerem, id est in diversas afflictiones : ut tentemini, ut post tentationem victores effecti coronemini, juxta illud : *Beatus vir qui suffert tentationem* (*Jac.* I) : et habebitis tribulationem diebus decem. Per decem dies quibus Ecclesia tribulatur, omnes præsens tempus intelligitur, in quo Decalogi mandata sunt necessaria. Sicuti enim (verbi gratia) mittens quilibet imperator milites contra hostes, omni genere armorum munit, sic Deus omnipotens mittens electos suos ad bellum in hunc mundum, contra dæmones vel perversos homines Decalogi mandatis eos instruit, quibus muniti eis resistere possint. Et quandiu Decalogum habent, necessario in procinctu sunt

positi, recte dicitur : Habebitis tribulationem diebus decem. Acsi dicatur : Nolite quærere in bello vitæ præsentis requiem, quandiu contra tentamenta inimici sive aperta, sive occulta, decem præceptis tanquam milites armamini. Neque enim gaudii locus est, ubi vita hominis tota tentatio est. Quidam dicunt (ut beatus Beda) decem tentationes ad decem persecutiones gentilium referri, et putant a Nerone Cæsare usque ad Diocletianum. Quod quomodo sit, ipsi viderint qui hoc dicunt. Potest autem et hic denarius numerus aliter intelligi. Cunctis autem legentibus liquet tribus tentationibus principaliter primum hominem a serpente in paradiso tentatum ac superatum : quibus etiam tribus modis post secundo homini tentato succubuit, id est avaritia, vana gloria, et cupiditate : contra quas, scilicet principales tentationes, quotidie Ecclesia dimicat. Septenarius autem numerus ad præsens tempus refertur, quod septem diebus volvitur. Quia ergo in omni hujus vitæ termino trina ista tentatio non potest deesse, in quibus cætera vitia potissimum obtinent principatum, et hæc ipsa mortalis vita per septem dierum curricula evolvitur, recte decem dierum numero principalis Ecclesiæ tribulatio exprimitur. Hac enim trina tentatione septem diebus applicata, denarius numerus adimpletur ; dicatur itaque de electis : *Habebitis tribulationem diebus decem*, acsi diceret : Usquequo præsens vita finiatur, quæ per septem dies volvitur, contra diversas tentationes, quæ in tribus suum maxime obtinent principatum, certamen habebitis. *Esto fideli usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ*. Hic jam ostendit aperte ad quos decem dies pertingunt, id est ad omne tempus quandiu fidem servare electi debent. Hoc autem et generaliter omni Ecclesiæ, et specialiter dicitur unicuique fideli animæ. Hinc est quod in Evangelio Dominus dicit : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Esto itaque fidelis usque ad mortem, et inter multas pressuras, inter innumeras clades, semper victoriæ triumphum attende. Quia enim hoc dicturus erat, præmisit superius : *Hæc dicit, qui fuit mortuus, et vivit*. Acsi diceretur : Noli fidem regis amittere, quia si mecum toto belli tempore dimicaveris, post mortem mecum coronaberis : sed et regnandi sortem accipies. Nunc enim est tempus decertandi, tunc autem coronandi. Unde et in sequentibus dicitur (*Apoc.* III) : *Qui vicerit, faciam eum sedere in throno meo, sicut et ego vici, et sedeo cum Patre meo in throno ejus*.

Qui habet aurem cordis et intelligentiam mentis, *audiat* et intelligat ad se pertinere quod dictum est, et *quid Spiritus dicat Ecclesiis : Qui vicerit* tentamenta diabolica, incentiva carnis suæ, *non læditur a morte secunda*, id est a damnatione perpetua. In sacra enim Scriptura tres mortes sæpe ponuntur : una scilicet peccati, altera carnis, tertia vero supplicium æternæ damnationis. Quæ mors hic secunda, non tertia nominatur, quia videlicet de his tantummodo agitur sermo, quæ nocent, de morte scilicet peccati et morte æterni supplicii. Ad quarum comparationem ista quæ communis est, mors non est dicenda. Unde et Apostolus carnaliter mortuos dormientes vocat, dicens : *Nolumus vos ignorare de dormientibus* (*I Thes.* IV). Mors itaque prima, quæ lædit, peccatum est. Huic itaque quæ lædere possit, nulla alia nisi æterna damnatio succedit. Ideoque prætermissa media quæ non lædit, alia debuit vocari secunda, quæ post peccatum lædit. Dicatur itaque : Qui vicerit, non læditur a morte secunda, id est qui mortem peccati in hoc tempore animas necantem superaverit, ad læsionem ejus quæ post hanc et corpora et animas sine fine cruciat, non perveniet. Quæ mors semper occidit, et nunquam ad integrum exstinguit. In læsionis autem verbo, miseriarum debet intelligi corruptio. Lædi enim non potest, nisi quod corruptioni subjacet.

Et angelo Pergami Ecclesiæ scribe. Pergamus interpretatur divisio cornuum. Quod aperte Ecclesiæ congruit, in qua sunt simul boni et mali, et quæ judicando facit distantiam inter bonos et malos, ut confringantur cornua peccatorum, et exaltentur cornua justi. *Hæc dicit qui habet rhomphæam ex utraque parte acutam*. Rhomphæa est gladius utrinque acutus. Gladii autem nomine, Scriptura sacra intelligitur, dicente Apostolo : *Et gladium Spiritus quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI). Qui gladius Veteris et Novi Testamenti bene utraque parte acutus dicitur, quia videlicet hinc peccata operis, illinc resecat peccata cogitationis. Vetus quippe Testamentum dicit : *Si quis adulterium fecerit, morte moriatur* (*Levit.* XX) : Novum vero : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V), et multa his similia. Vel certe utraque parte ideo acutus dicitur, quia sicut gladius biceps carnem dividit, et membra a membris separat, ita gladius verbi Dei separat bonos a malis. Unde Dominus dicit : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* X), et cætera. Sive etiam idcirco dicitur utraque parte acutus, quia et simplices per historiam, et perfectos instruit per allegoriam.

Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ. Et hoc generaliter universali Ecclesiæ dicitur, quæ mixta cum reprobis, ubique per orbem Satanæ tentationibus scit se exercere. Sicut enim sedes Dei sunt electi omnes, ita sunt sedes diaboli cuncti reprobi, in quorum medio habitat Ecclesia, juxta quod Apostolus dicit : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes* (*Phil.* I) : et in Canticis canticorum dicitur : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant.* II), et inde laus electorum amplius crescit, et ubique diffunditur, quoniam in medio malorum innocentiæ servant opera. Hinc est quod Loth sacra Scriptura teste laudatur (*Gen.* XIX), quod esset visu et auditu justus, habitans apud eos qui quotidie affligebant ejus animam injustis operibus. Hinc etiam Ecclesia dicit electorum : *Circumdederunt me sicut apes* (*Psal.* CXVII). Apis quippe in ore mel portat, in cauda ve-

nenum occultat. Sic nimirum hi qui fraudes moliun- A tur, dulcia præponunt, ut amaris inficiant. *Et tenes nomen meum*, id est nomen Christianitatis integra fide colis, etiam in tempore tribulationis. *Et non negasti fidem meam*, afflictionibus perfidorum pressa. *Et in diebus illis Antiphas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos*. Cujus Latinitatis sit hæc locutio, non facile patet, nisi forte per subauditiones intelligatur. Si enim dixisset : Non negasti fidem meam in diebus Antiphæ testis mei, qui occisus est apud vos, planus esset sensus, et facile intelligeretur; at cum dicitur : Non negasti fidem meam, et in diebus Antiphas testis meus, et cætera, obscura est sententia. Ideoque necessariæ sunt subauditiones, ut ita hanc sententiam pronuntiemus : Et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam ; et in diebus illis, in quibus B exstitit Antiphas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, non negasti fidem meam. Tale est et illud in Psalmo : *Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum in iniquitatem* (*Ps.* LXXIV). Si subjungeret statim, *quoniam Deus judex est*, aperta sententia videretur : sed cum in medio interponit : *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus* : et deinde subjungit : *Quoniam Deus judex est*, obscura sententia redditur. Aut ergo vitio scriptorum ista talis facta est locutio, aut certe more Scripturarum, ut dictum est, necessarias habet quasdam orationum particulas. Sed nunc sensum videamus : fuit enim quidam martyr, qui occisus est in ecclesia Pergami, per quem utique omnes martyres intelliguntur, quicunque in hoc mundo, C sive aperto, sive occulto martyrio patiuntur : quia sicut in una Ecclesia omnes, ita in uno martyres omnes Christi martyres reperiuntur præconio laudis attolli. Quod autem apud sanctos suum testem interfectum esse commemorat, sic intelligendum est, non quod ab illis, sed quod inter illos fuerit interemptus, ab his videlicet in quibus Satanas habitat, id est a reprobis, qui sedes sunt Satanæ. In quorum persona statim subjungit.

Sed habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari. Hæc enim verba non ad eum pertinent cui superius dictum est : Tenes nomen meum, et cætera, sed ad eos qui simul misti erant cum reprobis, quos ange- D lus Pergami, id est episcopus ipsius civitatis, prava docere permittebat. Historia patet (*Num.* XXII), qualiter scilicet Balaam a Balac ad maledicendum filiis Israel fuerat evocatus, quem maledicere noluit, cui se etiam similem fieri in morte optavit. Sed postea muneribus victus, in ejusdem populi mortem consilium dedit. Prævidit enim animos filiorum Israel ad fornicationem promptos ; ideoque consilium dedit Balac ut pulcherrimas mulieres coram eis poneret, quarum speciebus illecti, ad illicitos amplexus ruerent, illarumque blanditiis illiniti, de sacrificiis Phegor manducarent, per quod videlicet factum derelicti a Deo, caderent coram illis. Completumque est hoc consilium de filiis Israel, et facile decepti sunt. Egressa itaque ira a Domino, percussit ex illis viginti tria millia, donec Phinees, zelo Dei actus, vindictam exercuit in adulteros. Hæc tunc facta sunt docente impio divino et mago, et hoc specialiter in Pergami ecclesia, generaliter autem fit in toto mundo. Balaam itaque interpretatur populus vanus, Balac elidens, Israel vir videns Deum. Balaam itaque significat hæreticos, qui pondus virtutum et fidei in se non habent, ideoque vani sunt. Balac autem, qui elidens dicitur, hujus sæculi significat principes. Quibus nimirum bene congruit hoc quod Balac elidens dicitur, quia procul dubio dum hujus terræ principes semper aliis superiores existere quærunt, si quem ad dignitatis suæ culmen ascendere nitentem conspiciunt, pro viribus ad terram elidunt, videlicet ad humilia deponunt. Qui plerumque suadentibus hæreticis, contra Israelitas (hoc est viros videntes Deum) pugnant, ut de idolothytis edant, et fornicentur a Deo, illorum prava dogmata sequendo. Dum enim suasoria quædam et dulcia præponunt in suis falsis dogmatibus, quasi per pulchras mulieres eos seducere cupiunt, ut comedant idolothyta, id est ut sequantur idolorum doctrinam plenam omni spurcitia : ibique fornicentur, id est, ut, relicta veritatis doctrina, ardentissimo libidinis incendio, mendaciis perversorum doctorum inhæreant. Aliter : Balaam, qui ut diximus) interpretatur populus vanus, et significat dæmones per inania discurrentes ; Balac autem, qui elidens dicitur, carnem nostram, quæ plerumque animam elidit ad perversa trahendo opera, quæ debuerat Deum videre tota mente. Et hoc per mulieres, id est per hujus sæculi delectationes et voluptates, quarum amore plerumque anima dæmonum insidiis illecta, ad consensum utendi illicitis trahitur. Israel enim significat animam Deum contemplantem. Docente ergo Balaam, misit Balac voluptatum amatrices coram filiis Israel, quarum suasionibus edant de immolatis, et fornicentur cum eis, quia videlicet spirituum immundorum suasionibus caro delectata, ad aspectum mentis ipsarum cupiditatum illecebras deducit, quarum amore (ut dictum est) ad consensum rapitur.

Ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. De factis Nicolaitarum, vel quos significaverint suis actionibus, satis supra dictum est. Ita habes, inquit, et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, id est sicut sunt in te qui sequuntur doctrinam Balaam, ita sunt qui sequuntur doctrinam Nicolaitarum. Quod utique illis dicitur, qui hujus erant imitatores, qui et ad pœnitentiam hortantur, cum dicitur :

Similiter pœnitentiam age a factis scilicet Nicolaitarum, sicut a factis et doctrina Balaam. *Sin autem venio tibi, et pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Hortatus jam fuerat in superioribus angelum ut pœnitentiam ageret eo quod permitteret quosdam tenere doctrinam Balaam vel Nicolaitarum. Unde cum dicit : Sin autem venio tibi ; et deinde subjungit : Pugnabo

cum illis, ita accipiendum est, tanquam diceret pugnabo tecum, quia videlicet hæc verba et ad eos pertinent, qui prædictam doctrinam sequebantur, et ad eos etiam qui eos non corrigebant. Pari enim reatu astringitur et ille qui prava docet, et ille qui prava doceri tacens permittit. Talibus itaque dicit Dominus: Venio tibi, id est adventum iræ meæ et vindictam te sentire faciam, et pugnabo cum illis in gladio oris mei, id est acutis eloquiorum meorum sententiis illos damnabo. Gladius enim oris Dei sermonem illius valida præcepta significat, Paulo attestante, qui dicit: *Et gladium spiritus quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI).

Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Qui utique quod uni illarum dicit, omnes Ecclesias cupit audire.

Vincenti desideria propria et dæmonum tentamenta, *dabo* ei *manna absconditum*, id est meipsum tribuam illi qui sum panis vivus de cœlo descendens, quique ideo factus sum homo, ut panem angelorum manducaret homo. Hunc significabat panem olim illud manna, quod filiis Israel datum est in eremo. Quod qui spiritualiter manducaverunt, sicut Moyses, Aaron, et Josue, et si mortui sunt corpore, immortales fuerunt mente. Qui autem nihil aliud præter quod videbant ibi intelligebant, mortui sunt morte æterna. De quibus Dominus dicit Judæis: *Patres vestri manducaverunt manna, et mortui sunt* (*Joan.* VI). Sicut et nunc qui digne corpus et sanguinem Domini accipiunt, vitam ibi sumunt: qui hoc indigne manducant, judicium sibi manducant et bibunt. Istud autem manna quod hic promittitur fidelibus, modo quidem in sacramento accipiunt per fidem, quandoque hoc in veritate per spiritualem sumetur: et quod nunc manet absconditum, tunc erit manifestum. Qui itaque vacerit, dabo illi manna absconditum, id est, meam post finitos hujus vitæ labores contemplationem illi concedam. Unde Psalmista dicit: *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI). Manna etenim interpretatur: Quid est hoc? Nos autem nequaquam dicimus: Quid est hoc, nisi de re quam ante non vidimus. Istud enim manna nunc manet absconditum, juxta quod Apostolus ait: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II).

Et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit. Calculus lapis est pretiosus, qui et carbunculus appellatur, eo quod in tenebris constitutus, sicut carbo succensus fulgere perhibetur. Per hunc autem lapidem ipse intelligitur Christus, qui inter hujus sæculi tenebras refulsit, quando Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Unde et bene candidus dicitur, quia sine ulla peccati offuscatione mundus apparuit inter homines, et divinitatis suæ luce tenebras nostræ mortalitatis illustravit. Dicit itaque: Dabo vincenti calculum aureum, id est dabo ei meipsum, qui de mundo atque auctore mortis triumphat, ut sit scilicet meus frater et particeps regni in

A gloria. Unde Joannes dicit: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I), ut sicut est Filius Dei ipse per naturam, ita sint isti per gratiam. In qua videlicet adoptionis gratia, nomen etiam novum datur, id est nomen Christianum prius inauditum. A Christo enim fideles Christiani vocantur, sicut ab Israel Israelitæ, et a Juda Judæi. De hoc nomine per prophetam Isaiam Ecclesiæ suæ ipse Dominus ante dixit: *Vocabitur tibi novum nomen, quod os Domini nominavit* (*Isa.* LXII). In calculo itaque habet hoc nomen, quia ab ipso cepit exordium, a quo omnes Christiani nominantur. Et hoc nomen solis datur victoribus, id est omnibus ad vitam æternam prædestinatis, qui hujus nominis dignitatem operibus exornant. Unde subjungitur:

B Quod nemo scit, subauditur digne, nisi qui accipit. Scire enim positum est hic pro eo quod est, nisi virtutem hujus nominis expertus fuerit. Tali modo dicuntur mulieres nondum cognovisse viros, id est quæ nondum fuerunt expertæ viri thorum. Nemo ergo scit hoc nomen, nisi qui accipit, id est nemo virtutem hujus nominis et dignitatem moribus et vita defendit, nisi qui ante fuerit prædestinatus a Deo, ut filius Dei non solum nominetur, sed etiam sit. Nosse etenim Christi nomen, ad custodiam mandatorum pertinet. Quo contra Joannes de quolibet reprobo dicit: *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et veritas in eo non est* (*I Joan.* II). Nemo itaque scit hoc nomen, nisi qui accipit, id est qui ad hoc prædestinatus est a Deo,

C ut jure Christianus vocetur et sit. Pot est et per hunc lapidem ignitum charitas intelligi, quæ candorem habet, per hoc quod vestis est operiens nigredinem peccatorum: per ignem autem, amor quo diligitur Deus et homo. Datur ergo vincentibus calculus candidus, ut diligant Deum et proximum. Datur in calculo nomen, ut ipsam dilectionem adimpleant in mandato novo. Scriptum quippe est: *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII). Cujus nominis virtutem solus scit qui accipit, id est qui in novo mandato illud custodit, quod discipulis est collatum.

Et angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe. Thyatira, sicut supra dictum est, illuminata dicitur, significans universam Ecclesiam, quæ illuminata est per Christum,

D qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Ideoque quod uni specialiter Ecclesiæ dicere sermo divinus videtur, generaliter ad omnem Ecclesiam pertinet.

Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos ut flammam ignis. Hic jam aperte ostenditur, cujus typum angelus gerebat, qui hæc ostendebat beato Joanni, cum sua verba, Filii Dei verba, profitetur, dicens: Hæc, dicit Filius Dei, cujus oculi velut flamma ignis existentes, sunt dona Spiritus sancti, quæ totum corpus Ecclesiæ illuminant. Vel certe divina eloquia, de quibus scriptum est: *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (*Psal.* CXVIII); et iterum: *Ignitum eloquium tuum vehementer* (*Ibid.*), Vel etiam, oculi Domini in-

telliguntur doctores, qui nos sua doctrina et exemplo illuminant, et lumen scientiæ præbent.

Et pedes ejus similes aurichalco. Pedes Domini sunt vel sancti prædicatores per quos mundum circuit, tribulationis igne probati, vel certe ultima ac novissima illius membra, extrema persecutione cadentia.

Novi opera tua, id est tua bene gesta approbo, ut pote qui ut eadem ageres gratuite contuli. In hoc autem loco generalis Ecclesiæ persona introducitur.

Et charitatem tuam et fidem, subaudis novi eo modo quo et opera tua. Charitatem, scilicet qua Deum ex toto corde et proximum diligis sicut teipsum; et fidem, qua credis Deum trinum in personis, unum in majestate. Est autem hic præposterus ordo : dum prius ponuntur opera, postea charitas, dehinc fides, cum prius sit utique credere, deinde quod quisque credit amare, inde etiam quod credulitas et amor docuerit, operari. Subjungitur autem ad hæc in laudibus Ecclesiæ et dicitur : *Et ministerium et patientiam tuam.* Ministerium illud intelligitur quo ministrabant Ecclesiæ illis qui erant in Hierusalem nihil habentibus de suis facultatibus, misericordiæ opera illis exhibentes. Apostolo monente (*Gal.* II), ut essent memores fratrum. Patientia vero in hoc intelligitur, quia omnia hujus sæculi adversa libenter pro Christo sustinebant, ut perseverantes usque in finem salvi essent. *Et opera tua novissima plura prioribus.* Quantum ad Ecclesiæ faciem pertinet, bene opera illius plura prioribus commemorantur, quia videlicet Ecclesia prius facilioribus et levioribus præceptis solidata est. Unde et apostoli (*Act.* XV) tantum quatuor capitula illis qui credebant imposuerunt, videlicet ut abstinerent se ab immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. Deinde vero cum multitudo Ecclesiæ crevisset, ad hoc usque perventum est ut omnia relinquerent pro Christo, et ad culmen perfectionis tenderent, habita pauperibus tribuerent, fratres, sorores, patres et matres uxoresque relinquerent. Abhinc etiam exordium sumpsit religio monachorum. Vel certe potest hoc referri ad diem judicii, quando immanissima crebrescente temporibus Antichristi persecutione, amplior in ea virtus enitebit operationis, dum Judæi et gentiles pariter in fide Christi fundati, duplo quam nunc laborabunt.

Sed habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Jezabel quæ se dicit prophetas docere, et seducit servos meos, et docet fornicari, et manducare de idolothytis. Nulla ratio permittit ut hæc verba ad eos pertineant quos superius tanta laude fuerat prosecutus, sed a generali corpore electorum vertit sermonem ad partem reproborum, quæ in doctoribus intelligitur, qui sua negligentia fornicationem et idololatriam in Ecclesia esse sinunt sub nomine Christiano. Sed jam nunc videamus sensum : fuit Jezabel uxor Achab regis Israel, idololatra simul et fornicaria, quæ etiam Dei servos insecuta est. Verum

A hæc mulier non vixit usque ad adventum Domini : nam et in ungulis equorum legimus illam conculcatam. Sed quia erant in eadem Ecclesia qui opera illius mala imitabantur, idcirco in eis mater ipsa fornicationum Jezabel notatur. Sicut enim omnes electi unam vitam ducentes, unum corpus Christi faciunt, sic omnes reprobi unum corpus diaboli de se reddunt, sicque fit, ut præcedentia membra sequentibus, et sequentia præcedentibus inveniantur conjuncta. Unde scriptum est : *Væ illis qui in via Cain abierunt* (*Jud.* I); et Joannes dicit : *Nunc antichristi multi facti sunt* (*I Joan.* II). Potest etiam fieri ut tunc temporis sicut et quidam affirmant, et alia translatio demonstrat. Fuit hæc mulier in eadem Eccle-
B sia, uxor scilicet ipsius angeli, quæ docebat Dei servos edere de idolothytis et fornicari. Ex cujus specie speciali ad generalem totius orbis Jezabel sermo figurate transfertur. Fornicatio vero istius Jezabelis quadriformis intelligitur : primum videlicet in animo, de qua scriptum est : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V); deinde etiam cum animi voluntas ad effectum perducitur; hinc Paulus dicit : *Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (*I Cor.* VI); tertium genus fornicationis est, quando simulacra pro Deo colimus. De qua Dominus per Prophetam contra Jerusalem loquitur, dicens : *Mœchata est cum ligno et lapide* (*Jerem.* III). Quartum vero genus est, quando ter-
C renæ divitiæ immoderate concupiscuntur, et creatura plus quam Creator diligitur. De qua etiam Paulus dicit (*Ephes.* V) : Et avaritia quæ *est idolorum servitus.* Hujus fornicationis tria genera nunc in Ecclesia hujus mundi vigent : id est in appetitu luxuriæ corporalis, et in effectu ipsius obscœnæ commixtionis, atque in avaritia terrenæ felicitatis. Sed nec quartum genus ad plenum exstinctum est, quod constat in simulacrorum culturis. Notandum vero quod Jezabel prophetam se dicit, et idcirco servos Dei seducit. Hoc quippe factum multi imitantur qui divitiis deservientes, ne soli sint, hortantur alios ut cupitis fruantur delectationibus, dicentes quia si hoc fieri Deus voluisset, masculum et feminam non
D fecisset, nec corporis membra tali usui apta formasset. Stultum est ergo abstinere ab hujusmodi delectatione, qua fruuntur non solum aliæ pecudes aut volucres, sed etiam muscæ. Dumque hoc dicunt, fit aliquando ut carnem delectari compellant et ad consensum libidinis pertrahant, sicque perveniant ad opus malum, intantum ut in processu temporis nullam reverentiam habentes pudoris, quod turpiter gesserunt, coram aliis laudibus efferunt. Unde bene Jezabel sanguinis fluxus, aut fluens, vel sterquilinium dicitur. Mulieres quippe per singulos menses (sicut dicit beatus Hieronymus in libris prophetarum) fluxum sanguinis sustinent, quia cum menstruum tempus advenerit, superabundans sanguis egeritur. Sanguinis autem nomine peccata designantur; unde

David dicit : *Libera me de sanguinibus, Deus* (*Psalm.* L), id est a peccato adulterii et homicidii. Dicitur itaque Jezabel sanguinis fluxus, quia videlicet reprobi malam voluntatem, quam prius concipiunt, mox et tempus venerit perpetrandæ iniquitatis, ad effectum perducunt operationis. Dumque opus desideratæ voluptatis ad effectum perducitur, fit mens vehementius anxia quam fuerat, et auget in corde flammas libidinis, totamque se in voluptate corporis dejicit, sicque, ut ita dixerim, totus humor pariter liquescit. Et hic est quod Jezabel fluens dicitur. Quia vero opus malum in consuetudinem peccandi vertunt, unde et absque ulla reverentia opinionem de se emittunt. Bene eadem Jezabel sterquilinium dicitur, quia videlicet ex ipsis perpetratæ luxuriæ inquinamentis longe lateque malæ opinionis fœtorem de se reddunt, unde per Prophetam dicitur : *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel.* I). Jumenta ergo in stercore putrescere est, ut dicit beatus Gregorius, luxuriosum quemlibet in cœno libidinis vitam finire. Talibus quippe congruit illud Psalmistæ : *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Tertio quoque fornicationis genere, multi hæc sectantes solent fideles decipere, dum eos invitant pro quibusdam ægritudinibus, pro quibusdam rerum eventibus ad arbores, ad fontes, cæteraque hujusmodi, dicentes quia hoc agendo tale et tale evasi periculum, talemque consecutus sum prosperitatem, dumque hæc agunt, quasi ad spiritualem fornicationem Dei servos invitant. Sed et in alia fornicationis specie reprobi multos decipiunt, dum perversis suasionibus quosdam ab amore Dei retrahunt, et desideriis terrenis servire compellunt, ideoque væ illis qui toties fornicantur, quoties plus terrena quam cœlestia appetunt, plus creaturam quam Creatorem diligunt.

Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere a fornicatione sua. De talibus Job dicit : *Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam* (*Job* XXIV). Quisquis enim delinquit, et vivit. Ideo hunc divina pietas iniqua agentem tolerat, ut ab iniquitate resipiscat. Unde et talis quo amplius exspectatur, et non vult pœnitere, eo arctius reatus sui vinculis astringetur, et justo judicio punietur. Unde est : *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit* (*Isa.* LXV). Sed quærendum nobis est, cum in præcedenti versiculo negligenti prædicatori atque ab exhortatione torpenti dictum sit : Habeo adversus te quod permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetas docere, et seducit servos meos, cur non subjungitur, dedi tibi et illi, aut certe sub uno, dedi vobis ut pœnitentiam ageretis ? Ad quod dicendum est quia in angelo omne corpus Ecclesiæ comprehenditur, et quando ipse increpatur, ad eos increpatio pertinet, qui rei sunt. Ideoque a specie prædicatorum qui superius fuerant reprehensi, redit sermo ad generalitatem populi, et in eo partem speciei reprobam, quasi ex occulto impœnitentem redarguit, quam supra aperte increpaverat. Hoc autem idcirco ne pars speciei, quæ prius in sanctis prædicatoribus constat, illi quæ in reprobis est, videretur conjuncta. In perversis itaque doctoribus unus idemque angelus, et pro reatu taciturnitatis aperte corripitur in specie, et pro mentis obduratione occulte redarguitur in genere. In sanctis vero nec aperte corripitur in specie, nec increpatur occulte in genere. In eo enim quod divina vox ait : Habeo adversus te quod permittis Jezabel quæ se dicit prophetas docere, et seducit servos meos, torpentium ab exhortatione prædicatorum innotescit silentium. In eo vero quod subjungit: *et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere a fornicatione sua*, a specie ad genus transiens, et specien et genus simul sub uno comprehendit.

Ecce pono *eam in lecto, et qui mœchantur cum eo in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis, et filios ejus interficiam in mortem.* Quod est Jezabel, hoc sunt qui mœchantur cum ea, hoc etiam filii ejus ex fornicatione procreati, id est unum corpus Satanæ. Sed quia reprobi reprobis succedunt, dividitur genus in species, ut ostendatur quibus successibus totum corpus diaboli proficiat, quibus incrementis coalescat. Perfectum autem quo Jezabel cum suis omnibus ponitur, intelligitur audacia et securitas peccandi. Ponitur autem in lecto ista universalis meretrix, non ut quiescat, sed ut febre languescat, ut phrenesim sustineat, quatenus ea jam dicat, vel agat, quæ alii audire erubescant. Sæpe enim justo Dei judicio propter peccata præterita homines ad majora ruunt facinora, dumque sine timore audacter peccant, quasi in lecto, id est, in peccandi securitate quiescunt. In qua securitate Deus eos ponere dicitur, quia justo judicio permittitur ut ibi ponantur ; tale est et illud : *Induravit Dominus cor Pharaonis* (*Exod.* X), id est non emollivit. Sic et hic dicitur : Pono eam in lecto, id est non retraham illam, sed permittam, propter transacta peccata, libere et sine timore peccare, et qui mœchantur cum ea, id est cum seipsis, quia supradictum est quod est meretrix. Hoc sunt illi qui cum ea fornicantur, in tribulatione maxima erunt, hoc est in augmentum peccatorum, per quod venturi sunt ad maximam tribulationem gehennæ. Quasi enim quædam sunt peccatorum supplicia, ipsa vitiorum incrementa, et hoc fiet nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis. Dum enim peccatores quidam de perpetratis criminibus nolunt agere pœnitentiam, fit ut ad alia ruant etiam crimina graviora. Unde Paulus de quibusdam Deum cognoscentibus et non glorificantibus dicit : *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I). Et filios ejus imitatores illius interficiam in mortem. Non enim istam communem hic mortem debemus accipere, qua moriuntur et justi, sed illam quæ post mortem corporis sequitur animam, id est damnationem perpetuam. Nam et per lectum quo Jezabel mitti com-

minatur, æterna pœna potest intelligi, qua miseri et A reprobi cruciandi tradentur. Et qui mœchantur cum ea, hoc est qui fornicationem illius quocunque modo imitantur, erunt in tribulatione maxima post mortem carnis, ubi vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur; et hoc ideo quia pœnitentiam agere negligunt, donec eis repentinus superveniat interitus. Porro filii secundum præcedentem sententiam, vel imitatores malorum intelliguntur, vel opera illorum perversa quæ tunc dabuntur in mortem, quando post lætitiam temporalem pro his miseri peccatores perpetuis tormentis tradentur cruciandi, dum per impunitatem scelerum ad mortem pervenerint animarum. Quo contra electi affliguntur hic, ut postmodum lætentur. Quibus per Prophetam dicitur: *Israel, jam non irascar tibi, quia zelus meus* B *recessit a te* (*Ezech.* XIV): et in hac Apocalypsi: *Ego quos amo, arguo et castigo* (*Apoc.* I). Prosperantur siquidem ad tempus iniqui æterna morte plectendi: affliguntur ad modicum electi, perennibus bonis vegetandi. Dicit ergo, quos amo, arguo et castigo, per flagella scilicet corporis, per damna temporalium rerum, per varias et diversas afflictiones corporum et animarum. Etiam quos despicio in lecto, id est securitate peccandi manere permitto. Agit vero hoc omnipotens Deus more patris duos filios habentis, quorum alterum quidem suæ potestatis esse permittit, sinens eum libere dormire, manducare, bibere, cæteraque quæ sibi videntur facere, quia vult eum hæreditate privare. At contra, alterum excommunicat, verberibus afficit, aliquando tota nocte vigilare C facit, et vinctis pedibus stare, quia vult eum sibi hæredem substituere. Tali itaque modo Deus suos electos, quibus daturus est hæreditatem cœlestis patriæ, arguit et castigat, ut post finitos hujus vitæ labores, ad æternam perveniant possessionem. Reprobis autem permittit suæ voluntatis esse, et in lecto securitatis quiescere, quo postea damnentur omnes cum suis patribus iniquis, ibi erit tribulatio magna, quam nulla carnis explicat lingua, ubi et deficiens quisque non deficit, et moriens semper vivit.

Et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans corda et renes. In renibus delectatio signatur concupiscentiæ carnalis, quia humanæ conceptionis semen de lumbis egreditur. In corde vero cogitationes exprimuntur, quæ de corde prodeunt. Juxta D quod Dominus dicit: *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, furta* (*Matth.* XV), etc. Quia enim præcedenti versiculo dixerat Omnipotens non aperte, sed occulte, idololatras et adulteros morte damnandos, nunc fidem Ecclesiæ demonstrat, quæ etiam non visa credit. Novit enim fidelium Ecclesia Deum scire omnia, qui licet reprobos tolerare videatur, tamen occulte in sua præscientia jam eos damnat. Ait ergo: Scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes et corda, id est, facta et cogitationes singulorum intueor. Hominibus quippe opera nostra et dicta possunt esse nota, Deo autem etiam cogitationes manifestabantur, quoniam ipse videt quod quisque cogitet, vel quod delectet, unde ille sapientissimus orator dicit: *Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum* (*Paral.* VI). Nam et veniens ad judicium non solum opera, sed etiam ipsas damnabit tenuissimas cogitationes cordis. Juxta quod per Prophetam (*Isa.* LXVI) dicit: Ecce *ego venio, ut opera et cogitationes* singulorum *congregem*. Potest et hoc quod in Ecclesia in reproborum ultione Deum scrutatorem esse renum et cordium perhibetur, non incongrue ita intelligi, ut quod nunc fide retinet certa, in futurum cernat rerum experientia, unde Psalmista: *Cognoscetur Dominus judicia faciens* (*Psal.* IX), non quod ante per fidem non sit cognitus, cum occulte judicaret, sed quod tunc judiciorum experientia cognoscatur. *Et dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* Hic aperte demonstratur, quia nomine fornicationis superius omnia comprehendit, quia non per hanc sententiam unius operis, sed multorum futura damnatio prædicitur: punientur enim manifesta crimina, punientur et occulta. atque ideo fornicationem quam supra quadriformem intelleximus, hic omnifariam cogimur confiteri, unde Psalmista: *Perdes omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* LXXII). Dicatur itaque: Et dabo unicuique vestrum secundum opera sua, justis scilicet præmium laboris, impiis vero supplicium æternæ damnationis, ubi quod amplius exponi debeat, non est. sed quod magis timeri. Nam et per prophetiam hic dicitur, quod Noe, Daniel et Job, ipsi soli animas suas salvabunt, filium autem et filiam non liberabunt. *Vobis autem dico et cæteris qui Thyatiræ estis: Qui non habent doctrinam hanc, qui non cognoverunt altitudinem Satanæ.* Superius increpaverat reprobos, nunc autem ad electos verbum vertit. Ideoque bene dicit: Vobis dico et cæteris, id est justis qui supra non estis comprehensi in numero reproborum. Qui non habent doctrinam hanc, id est, quos prava persuasio Jezabelis non inclinat ad malam operationem, ut malos videlicet imitentur. Qui non cognoverunt altitudinem Satanæ, id est superbiam illius non sunt imitati. Sic enim dicuntur altitudinem Satanæ ignorare, sicut sacra Scriptura dicit mulieres non cognovisse viros, quæ necdum sunt expertæ viri thorum, vel sicut nos quotidiana locutione dicimus hominem veracem ignorare mentiri. Altitudo autem Satanæ superbia intelligitur, quia tumens contra Deum voluit similis fieri Altissimo: pro qua ruens ad terram, multas angelorum legiones sibi consentientes secum dejecit. Cujus altitudinem tunc homo cognovit, cum hanc imitando Deo similis fieri concupivit. Juxta promissionem scilicet deceptoris dicentis: *In quacunque die comederitis, eritis sicut dii* (*Gen.* III). Hanc quoque altitudinem illi cognoverunt, qui turrim usque ad cœlum erigere gestiebant. Sed electi notitiam altitudinis Satanæ non habent, quia in cunctis semetipsos humiliant, vestigia Redemptoris sequentes, qui dicit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Attendunt enim quod Dominus dicit: *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se hu-*

miliat exaltabitur (*Luc.* XIV). Hinc ergo rationis accepto consilio, humilitatis semitam arripiunt, per quam ad celsitudinis culmen ascendant, *quemadmodum dicunt*, quidam : *Non ponam super vos aliud pondus, tamen id quod habetis, tenete donec veniam*. De illis hoc dicitur, qui inflati contra Dei Filium, altitudinem Satanæ cognoscentes, nitebantur eos qui crediderant in Christum ex gentibus ad veteris legis cæremonias trahere, de quibus Lucas dicit (*Act.* XV): Quia *quidam descendentes a Judæa, docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum* legem *Moysi*, *non potestis* salvi fieri. Propter quod etiam miserunt Barnabam et Paulum ad apostolos in Hierusalem, a quibus et didicerunt posse sufficere gentibus, ut abstinerent se ab immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. Cumque quidam eis de gentibus dicerent: Nisi circumcidamini secundum legem Moysi, non potestis salvi fieri, ait Petrus : *Quid tentatis imponere jugum cervicibus discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus?* (*Act.* XV.) De illis itaque hæc dicentibus, hic Dominus Ecclesiæ dicit : Non ponam super vos aliud pondus, hoc est observantiam veteris legis, quemadmodum dicunt illi qui sunt synagogæ Satanæ, sed sub levi sarcina vos permittam manere, ideoque id quod habetis tenete, id est onus leve ad quod vocati estis, nolite abjicere. De hoc onere, id est, gratia Redemptoris nostri, Petrus dicit : *Quia per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari* (*Ibid.*). Ad hoc onus ipse fideles suos invitat, dicens: *Tollite jugum meum super vos* (*Matth.* XI), et cætera. Atque post pauca : *Jugum enim meum suave est*, etc. Ab onere ergo ad onus vocat, sed a gravi ad leve, id est a lege ad gratiam, per quam non solum impletur lex, verum etiam transcenditur. Sed dum hoc dicimus, quæstionem nobis ipsi ligamus : si enim, secundum prædictam beati Petri sententiam, lex importabilis est, quomodo transcendi potest? Sed sciendum nobis est quia in observatione carnalium præceptorum eadem lex importabilis est, in custodia vero spiritualium mandatorum, quæ in decem constat verbis duarum tabularum, adimpletur. In actione autem quam illæ victimæ futuram præsignabant transcenditur, quia comparatione illarum quæ nunc in veritate aguntur, vilissima apparent, quæ sola littera exterius prolata ab auditoribus impleri nequeunt. alia enim fuerunt in Veteri Testamento præcepta vitæ figurandæ, id est carnalium victimarum oblationes : alia vero vitæ peragendæ, quod in decem legis verbis impletur lex a credentibus. In mandatis autem vitæ figurandæ, juxta litteram quidem importabilis est, sed juxta spiritum transcenditur lex. Quod autem Dominus, hac expleta sententia, ita concludit, ut dicat donec veniam, nimirum ostendit usque ad instaurationis tempora Ecclesiam sub gratia permanere, ac nequaquam juxta mendacium Judæorum ultra onus legis credentium humeris aggregari.

Et qui vicerit desideria carnis et dæmonum tentamenta, *et qui custodierit usque in finem opera mea*, id est, in fide mea perseveraverit usque ad terminum vitæ, *dabo illi potestatem super gentes, et reget illas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo*. Filius Dei potestatem hanc non per divinitatem, quia æqualis est Patri, super gentes accepisse credendus est, sed per humanitatis formam, qua minoratus est etiam ab angelis. Secundum quam in Evangelio dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XVIII); secundum quam etiam paterna ad eum dicitur voce : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II). Cæterum de potestate quam cum Patre habet ante tempora, Daniel testatur dicens : *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur* (*Dan.* VII). Illam igitur potestatem quam in tempore Christus homo factus accepit a Patre, electis suis se dare promittit, sed in se a quo totum regitur corpus, et cui totum Ecclesiæ adhæret corpus. Cum enim ipse sit caput electorum, electi vero membra illius, quod ipsum caput habet, hoc membra illius hæreditario jure possidere videntur. Dicatur itaque : Vincenti dabo potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea. Hanc potestatem ipsi apostoli primum, deinde sequaces illorum acceperunt, quibus data est potestas ligandi atque solvendi. Sciendum autem quia cum prædicatores potestatem super alios accipiunt, sibimetipsis prius dominantur, qui sic se ab illicitis compescunt, sicut subditos compescere satagunt. Nam et illorum regimen per virgam ferream exprimitur, quæ rectitudinem habet, mollitiem non habet, quia videlicet sancti prædicatores nec sibi nec aliis contra justitiam parcere noverunt, qui et in se et in aliis tantum justitiæ tramitem dirigere student, unde capiti eorum dicitur (*Psal.* XLIV) : *Virga* recta est *virga regni tui*. Quod protinus quod sit, aperitur cum dicitur : *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem*. Quo contra mollis et distorta est virga quorumdam in Ecclesia præpositorum, ipsa justitiæ permutatio. Dum enim æqualiter grex pastorque peccat, et tamen qui prius est molliter delinquens se palpat, subditos vero temporali pœnitentia graviter exaggerat, mollem procul dubio et flexibilem virgam portat. Econtra Dominus admonet dicens: *Nolite judicare, et non judicabimini* (*Matth.* VII), quia videlicet æqualiter quisque prælatus sibi et gregi subjecto parcere, atque æqualiter se subjectumque gregem debet corrigere. Bene autem gentes in Christum credentes, vasis comparantur fictilibus, quia in fragilitate carnis thesaurum a sæculis absconditum habent reconditum. Hinc Paulus dicit : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV). Quod autem vasa tactu virgæ confringi dicuntur, dupliciter potest intelligi, quia quidam dissipantur, ut in melioris vitæ studium commutentur : quidam vero ut æternaliter pereant, atque ideo una eademque virga regit ad vitam præordinatos, destruit et confringit ad mortem præscitos. Hinc est quod Jeremiam Dominus ad domum figuli ire jubet, ibique vas dissipatum atque a figulo in melius reformatum ostendens

dicit : *Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere, domus Israel? dicit Dominus. Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea* (*Jerem.* XVIII). Hinc etiam alibi ipsi figulo humani generis dicitur: *Verte impios et non erunt* (*Prov.* II), id est, post eversionem non impii, sed pii permanebunt. Quo contra alibi dicitur : *Destrues illos, et non ædificabis eos* (*Psal.* XXVII).

Et dabo illi stellam matutinam. Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Stellam matutinam quantum ad litteram, appellat luciferum, qui oriens suo ortu vicinum solis demonstrat adventum. Spiritualis stella matutina Christus intelligitur qui surgens a mortuis tenebras hujus sæculi fugavit, et luce fidei totum replevit mundum, et fulgore sui luminis illuminavit tenebras nostræ mortalitatis. De hac stella Petrus fidelibus dicit : *Donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (*II Petr.* I). Nam in Scriptura sacra cum singulari numero stella matutina ponitur, per hanc homo Christus figuratur. Cum vero pluraliter astra matutina interseruntur, angelicæ creaturæ designantur. Unde est : *Cum me laudarent simul astra matutina* (*Job.* XXXVIII). Sed et cum simpliciter ac sine additamento stellæ ponuntur, doctores Ecclesiæ nonnunquam exprimuntur ; unde est : *Qui docti fuerint fulgebunt* sicut stellæ *firmamenti* (*Dan.* XII). Christus itaque apparens vivus post mortem matutina nobis stella factus est, quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequeretur indicavit. Stellam ergo matutinam vincentibus se dare profitetur, id est semetipsum et gloriam futuræ resurrectionis. Quod tunc implebitur, quando qui in monumentis sunt *audient vocem Filii Dei, et configuratum corpori claritatis suæ, corpus humilitatis nostræ reformabit* (*Mat.* V; *Ph.* III). Mortalitatis etenim tenebris resurrectione fulgente depressis, quasi quidam lucifer apparebit, quæ perfectum æternitatis diem demonstrabit.

CAPUT III.

Et angelo Sardis Ecclesiæ scribe. Sardis, ut supra dictum est, interpretatur principi pulchritudinis, apta subaudis atque ornata. Et hic quoque dicendum, quia sicut superius ex abundanti disseruimus, quod uni ecclesiæ dicitur, utique omnibus convenit.

Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei et septem stellas. Filius Dei septem habet spiritus, videlicet septiformem spiritum æqualem sibi in natura unitatis; unde Isaias (*cap.* XI) : *Requiescit*, inquit, *super* humilem *spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus.* Habet quoque septem stellas, id est septiformem Spiritum sanctum, tanquam ancillam in ditione potestatis. Et bene cum unius sit substantiæ Filius Dei cum Patre et Spiritus sancto, habere dicitur septiformem Spiritum, quia omnis gratia ejusdem Spiritus per Christum credentibus tribuitur.

Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, sed mortuus es. Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant. Ex parte hunc jam mortuum, ex parte vero adhuc vivum esse demonstrat, id est, ex parte criminibus mortuum, ex parte autem vivum bonis operibus ostendit. Dicitur ergo : *Nomen habes quod vivas, sed mortuus es.* Acsi diceretur : Ideo te vivere putas, quia in quibusdam bonis operibus exercitium habes. Sed attende, quia vivere non vales, si vitia prævaluerint virtutibus, quibus vivere videberis. Sunt enim nonnulli, qui eleemosynis insistunt, pauperum curam gerunt, sed ipsi a rapina manus non coercent. Nonnulli autem eleemosynarum largitati inserviunt, et a rapina manus coercent, atque ab adulterii perpetratione se cohibent, sed iræ atque invidiæ stimulis agitati, quorumdam vitam exstinguere quærunt. Sic quoque in similibus, dum se in quibusdam bonis operibus vivere putant, unoquolibet facinore multi moriuntur. De quibus per Jacobum dicitur : *Quicunque servaverit totam legem, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II). Ad quorum personam, videlicet benigna exhortatio dirigitur, qua dicitur : *Esto vigilans et confirma cætera quæ moritura erant*, acsi diceretur : Si vis ut in illis quæ bene gessisti vivas, ab iis quæ male gessisti per pœnitentiam evigila, quia si in illis mortuus permanes, in istis nullatenus vives. Hinc Psalmista admonet dicens : *Declina a malo et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). Nam et in hoc quod dicitur, confirma cætera quæ moritura erant, ostenditur quia si a peccati somno per pœnitentiæ lamentum perfecte quis evigilat, nec illa quæ etiam mortuus bene gessit, post vivens opera amittit, atque ideo illa vivificat, quod ipse a peccati somno evigilat. Sic enim dicitur : *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant*, tanquam diceretur : Si ex ea parte qua mortuus es, reviviscis, cætera quæ adhuc in te vigent, ne moriantur confirma. Possunt et hæc aliter intelligi. Sunt enim multi qui vitam ab omni crimine custodiunt, virtutibus etiam serviunt, sed tamen humanam laudem requirunt. Ideoque quia intentio recta non præcedit in cogitatione, pravum est omne opus quod sequitur in ostensione. Per hoc ergo quod exterius procedit in publicum, vivi apud homines arbitrantur. Ideoque nomen habent quod vivant. Per hoc autem quod latet interius, apud Deum mortui deputantur. Unde pia admonitio subinfertur, qua dicitur : *Esto vigilans et confirma cætera quæ moritura erant*, acsi diceretur : Si vis vivere, cave ne laudem ab hominibus requiras, ne intentionem operis elatio vitiet favoris. Hinc in Evangelio dicitur : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus* (*Matth.* VI.) *Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* Illius opera plena non sunt coram Deo, qui virtutes sibi a Domino datas vitiis commaculat, vel qui de bonis quæ operatur exterius humanam gloriam per elationem quærit. Hinc in Evangelio dicitur : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* VI). Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Cuncta autem hæc quæ sub duplici intellectu discussimus, possunt de his intelligi, qui sine charitate virtutes reliquas habere se jactant. Notandum vero

quod unigenitus Dei Filius unus scilicet cum Patre Deus et Spiritu sancto, Deum se habere dicit per humanitatem, quam ex nobis atque pro nobis assumpsit, secundum quam etiam clamabat in cruce : *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

In mente ergo habe qualiter acceperis et audieris. Hæc sententia singulis superioris intelligentiæ congruit sensibus : et illis enim potest aptari, qui reliquis virtutibus vigent, sed uno facinore tabescunt, et illis qui vitam ab omni crimine custodiunt, sed gloriam humanam inde requirunt. Sed et illis qui sine matre virtutum quæ est charitas, licet operationis genimina pareant, non tamen ad perfectionem perducant. Dicatur ergo : In mente habe qualiter acceperis a sanctis prædicatoribus, et qualiter audieris, quia si quis *totam legem servaverit*, offenderit *autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II) : vel in mente habe, ut prava intentio non præcedat virtutum opera, scilicet ut gloriam requiras humanam, si vis ut ad mercedem retributionis ipsa opera perveniant, vel in mente habe qualiter acceperis et audieris, quia si omnibus virtutibus abundaveris, charitatem autem non habueris, nihil es. Unde est illud Apostoli : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans aut cymbalum tinniens* (*I Cor.* XIII). *Et serva.* Qualiter accepisti, et audisti a sanctis prædicatoribus. *Et pœnitentiam age.* Ut et ea quæ male sensisti, lacrymarum gemitibus diluas, et quæ a prædicatoribus accepisti, operum executione adimpleas.

Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies quando *veniam.* Vigilat qui, ad aspectum luminis divini, oculos mentis apertos tenet. Vigilat qui servat operando quod credit. Vigilat qui a se torporis negligentias repellit. Vigilat qui et bona desiderabiliter providet, et mala solerter cavet. Vigilat qui ex iis quæ gerit non humanam laudem, sed Dei gloriam requirit. *Si ergo non vigilaveris*, ut solo conditoris amore cuncta peragas, si negligentiarum torpores a te non excusseris, atque adventum superni judicis præstolari non studueris, *veniam ad te tanquam fur*, id est subito et insperato. Unde sequitur : *Et nescies quando veniam.* Sicut enim fur improviso adveniens, dormientes jugulat, et bona illorum deprædatur : sic cœlestis judex vel quotidie specialiter quibusdam reprobis insperatus occurrit, eosque a felicitate præsentis sæculi impœnitentes animadversionis sententia perimit : vel generaliter in die judicii hoc facturus est, quando repente veniens ad judicium, omnes reprobos damnabit, eorumque facta velut fortissimus prædo disperdet, secundum quod in Evangelio ipse loquitur, dicens : *Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam* (*Matth.* XXIV). Et admonendo subjunxit: *Ideoque et vos estote parati, quia nescitis qua hora Filius hominis venturus est* (*Ib.*)

Sed habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua, et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Per nomina ipsos homines intelligere debemus. Ideo autem nomina ponit, ut ostendat se non solum numerum, sed etiam nomina scire electorum suorum, qui Moysen novit ex nomine, et suorum scribit in cœlo nomina sanctorum, ut ipse eis dicit : *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X). Habes pauca nomina, id est paucos homines comparatione cæterorum, criminibus et immunditiæ carnis deservientium, *qui non inquinaverunt vestimenta sua*, hoc est vestem baptismatis, vestem scilicet immortalitatis atque innocentiæ. Ista sunt nimirum vestimenta, quibus diabolus in paradiso primum hominem exspoliavit, cum sibi hunc per peccati consensum stravit. Quibus vestimentis tunc homo ornatus exstitit, cum per immolationem vituli saginati, junior filius patri reconciliatus, prima stola rursus indui meruit. Hinc Paulus dicit: *Exuentes veterem hominem cum actibus suis, et induite eum qui renovatur in agnitionem Dei* (*Coloss.* III). Ille autem vestimenta sua sordibus non intingit, qui post baptismatis sacramentum mortale crimen non admittit. Sed quia pauci sunt qui a cognitione criminis se post baptismum immaculatos custodiant, idcirco præmittitur: Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua. De quibus adhuc subditur : *Et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Et illi ambulabunt cum eo in albis, qui innocentiam et sanctitatem illius, quantum eis est possibile, imitantur. Præcedit quippe Christus exempla dando, sequuntur electi exempla ejus imitando. Unde Petrus : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II). Quod autem sequitur, quia digni sunt, subauditur, quia mundi, vel quia in ea dignitate condigni. Sed nunquid illi desperandi sunt, qui post baptismum maculis criminum vitam coinquinant? Non utique, quia et illi si pœnitentiam egerint, lacrymarum fletibus prioris vitæ maculas detergunt, quod est secundum baptismi genus. Sicut enim sunt duo martyrii genera, sic sunt duo baptismata. Hæc itaque vestimenta in aliis immaculata servantur, in aliis post maculas candidantur, quia et alii, ut dictum est, post lavacri undam nullum crimen admittunt, et alii admissum pœnitentiæ fletibus abstergunt. Unde admonendi sunt illi, ut ne post baptismum maculas criminis easdem semper inducant ; exhortandi sunt isti, quibus hoc contingit, ut sine tarditate easdem maculas lacrymarum undis diluant. Unde in hac eadem Apocalypsi dicitur : *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet* (*Apoc.* XVI).

Qui vicerit sic vestietur vestibus *albis.* Acsi aliis verbis diceretur : Qui pro recipiendis vestibus cum inimico fortiter dimicaverit, dimicans vicerit, ita rursus eisdem indutus splendebit, ut illi qui eas aut immaculatas servaverunt, aut post maculas abluerunt. Potest etiam hæc exhortationis sententia et illis aptari, qui adhuc diabolicæ dominationis jugo detenti, fide necdum fuerunt vestiti, hortantur autem ut vincant, id est ut credant in Christum,

quia *hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra* (*I Joan.* v), quatenus in abrenuntiatione antiqui hostis *per lavacrum regenerationis* cœlestis vitæ munditiam ab ipso in quem crediderunt percipiant. *Et non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Hoc est, scribam nomen ejus in libro vitæ. Sic enim dicitur : *Non delebo*, tanquam diceretur, scribam. Quo contra de reprobis qui non vincunt, dicitur (*Psal.* LXVIII) : *Deleantur de libro viventium.* Quod exponens subjungit. *Et cum justis non scribantur.* Librum autem vitæ, quo scribuntur electi, prædestinationem omnipotentis Dei debemus intelligere, quia præsciti et prædestinati sunt omnes sancti ante omnia sæcula ad vitam præordinati, sicut scriptum est : *Cognovit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* II). *De* hoc ergo *libro vitæ*, reproborum nomina deleri dicuntur, pro eo quod est per meritum reprobationis nequaquam scribi, sicut et Pharaonis cor a Domino indurari dicitur, pro eo quod est duritiam cordis ejus per gratiam non emolliri. Dicatur ergo de victore : *Non delebo nomen ejus de libro vitæ;* quod tale est, quale si diceretur : Quem victorem futurum scio, nomen ejus scriptum in cœlis teneo. *Et confitebor nomen ejus coram Patre meo et coram angelis ejus.* Illius nomen coram Patre suo Christus confitebitur in futuro, cujus approbat opera in præsenti. Quæ confessio tunc coram Patre et angelis ejus implebitur, cum ad dexteram positis dixerit justis : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXV). Quæ tunc ab eo laudabilis in publicum proferetur, cum in Evangelio idem Dominus dicit : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est* (*Matth.* x), et coram angelis ejus.

Et angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe. Philadelphia, juxta quod Beda exponit, interpretatur *dilectio fraterna.* Quo nomine universalis Ecclesia designatur, quæ in dilectione Dei et proximi versatur, quæque a Domino diligi probatur, quæ dicit : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI), etc. Vel, secundum Ansbertum Ambrosium, Philadelphia interpretatur *salvans hæreditatem Domini.* Quo nomine ipsa quoque Ecclesia exprimitur, quæ semetipsam salvat cum in fide et opere bono proficit, et a voluntate sui Creatoris nunquam recedit. Ipsa est enim Domini hæreditas, de qua per Psalmistam paterna ad Filium voce dicitur : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II). *Hæc dicit Sanctus et verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit. Scio opera tua*, id est, eligo opera tua. *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere.* Idcirco principaliter ac singulariter sanctum et verum Dominum seipsum appellat, quia et si quosdam inter homines sanctos dicimus et veraces, ad comparationem tamen illius nullus est sanctus et verus, quia ipse est sanctitas et veritas. Unde scriptum est : *Ecce inter sanctos nemo immutabilis* (*Job.* XV). Itemque Apostolus : *Omnis homo mendax* solus *autem Deus verax* (*Rom.* III, 4). *Clavem David* debemus intelligere incarnationem Christi. De stirpe enim David secundum carnem descendit. Ostium autem quod eadem clavis aperit vel claudit, ipsum intelligimus Dei et hominum mediatorem, per quem ad vitam æternam, quæ ipse est, intramus, ipso docente, qui ait : *Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur* (*Joan.* x), etc. Sic enim ipse clavis et ostium dicitur, sicut pastor ostiarius simul et ostium vocatur. Quare cum clavis David ostium aperit, seipsum aperit utique, qui est secundum carnem natus, passus, ac tertia die suscitatus. Quod ostium prius clausum omnibus fuit, exceptis prophetis et sanctis Patribus, qui per Spiritum sanctum cognoscebant ejus adventum, modo autem omnibus in Christum credentibus patefactum est, clausum vero infidelibus manet. Istud ostium nemo potest claudere cui ipse Christus illud vult aperire. Unde legimus in Actibus apostolorum, quia cum cæsis discipulis denuntiarent Judæi, ne loquerentur in nomine Jesu, protinus illo os aperiente, nemo poterat claudere. Unde responderunt : *Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui* (*Act.* IV). Hoc Asianis clausum aperire tentaverant apostoli, sed quia, eo claudente, nemo aperit, prohibuit eos spiritus Jesu, ne in Asia loquerentur verbum Dei. Sive istud ostium possumus intelligere sacram Scripturam, quam ipse Christus aperit fidelibus in se credentibus, et nemo claudit. Claudit Judæis in infidelitate permanentibus, et nemo aperit. Hoc ostium ipse Redemptor noster tunc primum aperuit, quando post resurrectionem suam duobus in via ambulantibus, ut intelligerent Scripturas, sensum aperuit, atque in se adimpleta quæ scripta erant in lege Moysi et prophetis et psalmis edocuit : *Quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum* inter angustias et perturbationes hujus sæculi. Causam ostendit quod ideo hæc dona promereatur Ecclesia, quia non in suis viribus, sed in regis æterni gratia confidit. *Et servasti verbum meum*, id est verbum fidei, *et non negasti nomen meum* inter angustias et perturbationes hujus sæculi. Idcirco autem sancti inter perturbationes hujus sæculi insuperabiles et invicti, modicam virtutem habere dicuntur, cum multa sit, quia multa per Christum, parva autem per se posse præsumunt, unde et dicunt (*Psal.* LIX) : *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet* inimicos nostros. Unde et apostolus Paulus cum dixisset se plus omnibus laborasse apostolis, custos suæ humilitatis statim subnexuit, dicens : *Non autem ego, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* XV). Et alibi : *Omnia*, inquit, *possum in eo qui me confortat* (*Philip.* IV). Sic itaque dicitur : *Modicum habes virtutem*, tanquam diceretur : Parvam te putas habere virtutem, sed in hoc magnam habes, quia me largiente tenes verbum fidei meæ, et non negasti nomen meum, et ideo per me multa potuisti, quia in collatis virtutibus non timuisti. Vel certe modicam virtutem habet sancta Ecclesia in præsenti comparatione illius virtutis, quam habitura est in futuro quando nulla tristitia, nullo labore affligetur.

Ecce dabo de Synagoga Satanæ, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur. Hoc ex parte quidem jam completum est in illis, qui per Christi gratiam illuminati sunt ex Judæis, et dati sunt universali Ecclesiæ, id est in unitatem fidei illius collecti. Generaliter autem in fine sæculi complebitur, quando sicut Apostolus ait : *Cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit* (*Rom.* XI). Modo autem in Synagoga Satanæ, hoc est, congregatione diaboli dicunt se Judæos esse, hoc est confitentes, sed mentiuntur, quia quotidie Christum blasphemant in Synagogis. Judæus namque interpretatur *confitens*, et ideo Judæorum nominis expressio, Christi est confessio. Dicunt itaque Judæos se esse, sed mentiuntur, quia sicut Apostolus dicit (*Rom.* II): *Non qui in manifesto Judæus*, non quæ in carne circumcisio, sed qui in abscondito Judæus, et circumcisio non carnis sed spiritus. Hujus nominis dignitatem tunc perdiderunt, quando Christum negantes dixerunt : *Hunc nescimus unde sit* (*Joan.* IX). *Ecce faciam illos ut veniant* gressibus fidei *et adorent ante pedes tuos*. Id est, ut venerentur opera tua, et venerantes imitentur, qui modo, quia non credunt, et Ecclesiæ opera non solum non venerantur, sed etiam despiciunt. *Et scient quia ego dilexi te.* Tunc scient quod Christus diligat Ecclesiam suam, quando ipsi cum ea una fuerint effecti Ecclesia. Unde per prophetam ad Jerusalem dicitur : *Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et vocabunt te in civitatem Domini, Sion sancti Israel* (*Isai.* LX).

Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, et ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. Verbum patientiæ est quod ipse Dominus monstravit exemplo, cum positus in cruce pro persecutoribus exoravit. Quod videlicet verbum patientiæ in omni pressura et angustiis sibi proponit sponsa Christi, propter quod principaliter quoque hanc ab hora tentationis se servaturum esse promittit. Hora autem tentationis intelligitur omne præsens tempus, in quo, etsi Ecclesia variis tentationibus exercetur, tamen non superatur. De qua tentatione precamur quotidie liberari, dicentes : *Ne nos inducas in tentationem* (*Matth.* VI ; *Luc.* XI), id est in lapsum deceptionis, quo tentantur inhabitantes terram, id est, terrena diligentes, mundi desideriis æstuantes, et vincuntur. Electi autem quorum conversatio in cœlis est, ad hoc tentantur, ut probati coronentur, non ut seducti damnentur. Possumus et hanc horam quæ non jam venisse aut in præsenti esse, sed futura esse prædicitur, referre melius ad tempora Antichristi. Tunc enim veniet illa tentatio, quæ non partes, sed totum simul mundum examinabit, et hinc tormenta sævient, illinc miracula suadebunt. Unde merito de illo tempore a Domino dicitur : *Erit tunc tribulatio qualis non fuit, sed nec fiet* (*Matth.* XXI). A qua tentatione liberabuntur electi, id est non decipientur, propterea utique quia electi sunt.

Venio cito, ne electi, cum viderint se tribulatione tentationis alteri, succumbant, cito se Dominus ad remunerandum venire promittit. Cito enim fit omne quod transit, et ideo omne præsens tempus inde ad finem citius tendit, unde quasi crescere videtur, indeque defectum patitur, unde augmentum percipere videtur. *Tene quod habes.* Id est, cœlestis vitæ conversationem et fidem, per quam regni percipias decorem. *Ut nemo accipiat coronam tuam.* In hac sententia ostenditur, quantum remuneratio quæ superbientibus aliquibus justo Dei judicio aufertur, aliis misericorditer tribuitur. Cum enim certus sit Deo numerus electorum suorum, dum alii remunerationem sibi promissam, ob sui perdunt negligentiam, ne illorum locus vacuus remaneat, alii in locum eorum subrogantur, sicut, verbi gratia, gentes Judæis in infidelitate permanentibus in locum illorum substitutæ sunt. Ideo videndum est unicuique qui stat, ne, vel superbiendo vel alio quolibet modo, cadat, ne videlicet alius coronam ejus accipiat. Qui autem aliquo lapsu cecidit, surgat, ut ad repromissam coronam perveniat.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius. Templum Dei electorum esse Ecclesiam nullus ambigit. Juxta illud Apostoli : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Et beatus Petrus apostolus loquitur fidelibus : *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domos spiritales* (*I Petr.* II). Columnæ autem hujus templi non solum sunt quique perfectiores, juxta quod Paulus dicit : *Petrus et Jacobus et Joannes qui videbantur columnæ esse* (*Galat.* II), etc., verum etiam auditores illorum, de antiquo hoste triumphantes, atque operationis firmitate pollentes. Unde et ipsa Ecclesia generaliter ab Apostolo columna et firmamentum veritatis appellatur. Dicit ergo Dominus : *Qui vicerit*, subaudis testamenta diabolica, et concupiscentias mundanas, et delectationes carnis, *faciam illum columnam in templo Dei mei*, id est faciam eum fortem in opere bono, ut nullam timeat jacturam, sed insuper robore fortitudinis suæ, id est exemplo et doctrina Ecclesiam sustineat. Quod autem dicitur : *Et foras non egredietur amplius*, aperte cognoscitur, quia jamdudum in præcedentibus humani generis membris exierat, in illo scilicet juniori fratre qui, relicta domo paterna, abiit in regionem longinquam, ibique substantiam suam vivendo luxuriose cum meretricibus dissipavit. Ab unitate siquidem fidei atque operationis Ecclesia recesserat in ædificationem turris ; sed occisione illius vituli saginati revocata, foras ultra non exiet, id est a gratia Christi non separabitur. Possumus et hoc de utroque modo intelligere populo. Primus enim homo ad imaginem Dei conditus, in paradisi deliciis est positus, quasi quædam columna felicitatis, sed audiens diaboli vocem a paradisi felicitate ad ærumnam sæculi, et a quiete ad laborem exiit. Quo scilicet ruente, nos quoque pariter ruimus, quo exeunte, nos quoque simul exivimus. Unde est : *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Jericho* (*Luc.* X). Cujus miseriam intuens auctor humani generis, ad hoc unde exierat

effusione sui sanguinis, hominem cum sua progenie reduxit. Quæ videlicet introductio non solum in his intelligenda est, qui jam exuti corporibus in specie lætantur in cœlis, verum etiam de his qui adhuc commorantes in carne per fidem ambulant, spe gaudentes in terris. Ab hoc gaudio spei non egredientur amplius, quia in superna sanctorum gloria solidantur, qui in primo Adam amisisse ac foras exisse probantur. Unde Dominus in Evangelio dicit: *Et eum qui venit ad me non ejiciam foras* (*Joan.* VI). Et Psalmista: *Ipse Deus meus et salutaris meus, non movebor amplius* (*Psal.* LXI). Dicatur ergo: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei;* acsi diceretur: Electorum numerum quem victorem esse prænosco, mandatorum meorum præceptis astringens in cœlestis patriæ ædificio, quod utique ex ipsis constat electis inflexibili amore solidabo. *Et foras non egredietur*, subaudis, nullis inimici suasionibus vel terroribus ab illa cœlestis patriæ communi felicitate avelletur. Quod autem Filius Dei Deum se habere dicit, sicut in præcedentibus jam diximus, secundum humanitatis formam accipiendum est, in qua etiam non solum Patre, sed etiam seipso minor esse probatur. *Et scribam super illum nomen Dei mei, et nomen civitatis novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo.* Calamus quo nomen istud inscribitur, gratia Spiritus sancti intelligitur, per quam Filii Dei efficimur. Hoc est enim quod dicit, *scribam super illum nomen Dei mei*, id est, faciam illum esse filium Dei mei; ut, sicut ego sum filius per naturam, ita et ille sit per gratiam. Quod autem hoc per Spiritum sanctum fiat, Paulus manifestat dicens: *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba Pater.* (*Galat.* IV). Et ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Quod autem dicit: *Et nomen civitatis novæ Jerusalem*, subaudis scribam super eum qui vicerit, ita est intelligendum, quia in numero sanctorum per donum Spiritus sancti consortium Dei merebitur. Jerusalem autem, quæ visio pacis interpretatur, de cœlo a Deo descendere perhibetur, in capite scilicet suo, cui unita est per fidem, secundum quod alibi dicitur: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit* (*Joan.* III), etc. Vel certe in eo de cœlo descendit, quia quidquid habet in fide, in operibus bonis, cœlitus a Deo percepit; juxta illud apostoli Jacobi: *Omne datum optimum* (*Jac.* I), etc. Bene autem nova vocatur, quia videlicet per lavacrum regenerationis simul et spiritum dilectionis vetustate terreni hominis exspoliatur, et cœlesti novitate vestitur. Hinc Paulus dicit: *Exuentes veterem hominem cum actibus suis, induite novum, qui renovatur in agnitionem Dei* (*Colos.* III). Et alibi: *Vetera transierunt, ecce facta sunt nova omnia* (*II Cor.* V). *Et nomen meum novum*, subaudis, super eum qui vicerit scribam, ut scilicet a me qui Christus vocor, ex tempore vocetur ipse Christianus, id est gratia Spiritus sancti unctus. Quod nomen novum non secundum divinitatem, quam æqualis Patri semper et Spiritui sancto mansit, sed secundum formam servi accepit, quam in tempore gratia unxit Spiritus sancti, et a suo nomine nobis hoc privilegium dedit, ut ab ipso Christiani appellemur, de quo nomine Isaias propheta dicit: *Et servos suos vocabit nomine alio* (*Isa.* LXV), id est Christiano. Hinc certe dignitas nobis, hinc celsitudo provenit, hinc reges, hinc sacerdotes, hinc Christiani vocamur. Ubi autem potius nomen salutis sonat, ibi tandem hic liber debitum finem accipiat.

LIBER SECUNDUS.

SEQUITUR CAPUT III.

Et angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe. Laodicia interpretatur *tribus amabilis Domino*, sive *fuerunt in vomitu.* Quæ utique interpretationes ambæ Ecclesiæ Laodicensium aptantur, in qua erant quidam spiritu ferventes, et Dei amore dediti, atque alii tepidi, ideoque ut noxii cibi evomendi. Hæc autem verba quæ Ecclesiæ Laodicensium dicuntur generali Ecclesiæ conveniunt, in qua simul sunt misti boni cum malis, quorum quidam a Deo diliguntur, quidam vero ab ore Dei repelluntur. Sed primum considerandum est quod dicitur Joanni: *scribe*, id est litteris manda ad utilitatem fidelium futurorum. Sive quod illi dicitur, omni ordini prædicatorum congruit, cui dicitur *scribe*, id est manda mente tua, vel in mentibus auditorum tuorum qui audiunt reconde. Libri enim et sanctos significant, et ipsum Dominum. Unde est: *Libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ* (*Apoc.* XX). Ideo dicitur *scribe*, in cordibus scilicet auditorum bonorum, quia ipsi sunt libri, diligenter exara, quæ intelligis. *Hæc dicit, amen, testis et fidelis verus.* Amen Græcus sermo est, Latine interpretatur verum, sive fideliter, quod verbum nemo interpretum in aliam linguam transtulit, sed eisdem litteris apud omnes gentes habetur, veritas autem ipse est Christus qui in Evangelio dicit: *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV). Unde et ipse maxime in Evangelio hoc juramento suum sermonem format, acsi dicat, quia veritas sum incommutabilis, per hujus orationis particulam demonstro. Ipse enim singulariter amen, id est, sempiterna veritas, atque ideo ut incommutabilis ista veritas et æterna ostendatur, etiam ipsum verbum a nullo commutatum est interprete. De quo etiam subditur, *testis fidelis.* Sed nunquid non fuerunt alii testes fideles, id est veri? Nam Jacob perhibuit testimonium Christo, dicens: *Non deficiet princeps de Juda* (*Gen.* XLIX), etc. Moyses quoque ait: *Prophetam vobis suscitabit Deus vester de fratribus vestris* (*Deut.* X). Sic Isaias, Jeremias et cæteri, qui omnes utique testes fideles fuerunt, vel veri, quia verum testimonium de Christo protulerunt. Quare hoc Dominus specialiter de se dicit

cum sint etiam multi testes veri atque fideles, quia videlicet ipse singulariter est testis verus, qui non mutatur aliquando. Sicut enim specialiter sanctus dicitur, cum et alii sancti multi sunt, qui videlicet comparatione illius, qui est sine peccato, homines injusti sunt. Licet enim isti sint sancti, tamen quia homines sunt puri, peccato carere non possunt, et aliquando mentiuntur. Christus autem essentialiter est sanctus, et verus, quia peccatum non fecit, id est mendacium nunquam ullum ab ore suo processit. Testis autem est Christus, qui sibi et Patri testimonium perhibuit, dicens : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x). Similiter et ipse Pater ait : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III). Necnon etiam et Spiritus sanctus, de quo idem Dominus apostolis dicit : *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, ille testimonium perhibebit de me* (*Joan.* XV). *Qui est principium creaturæ Dei*, id est de quo omnis creatura sumpsit initium. Omnia enim quæ sunt in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis, per verbum Dei facta sunt. Cum ergo omnia per illum facta sunt, utique pater quia ipse est ante omnia. Neque enim Pater Filium præcessit tempore vel origine, sicut nec radius solis vel ignis suum præcedit calorem vel splendorem. Semper enim fuit Pater, semper cum eo Filius, qui utique a Patre non est creatus, sed genitus. Principium itaque omnis creaturæ dicitur, quia ab illo cuncta exsistendi habent initium. Unde et ipse interrogantibus Judæis quis esset respondit : *Principium qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII). Unde et Paulus dicit (*Colos.* I): *Qui est imago invisibilis Dei, primogenitus omnis creaturæ*. Quem etiam ne putemus creatum, statim subjunxit : *In quo condita sunt universa*. Primogenitus ergo est omnis creaturæ, a quo et per quem omnis creatura exorta est. Ariani dicunt, quod Filius Dei creatura est in Divinitate, negantes eum ante Mariam fuisse, sed mentiuntur. Filius enim Dei ipse est sapientia, dicente Paulo, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Et Apostolus ad Deum Patrem: *Omnia in sapientia fecisti* (*I Cor.* I). Cum ergo ipse sit sapientia Patris, et isti affirmant eum creatum in tempore, atque ideo dicunt quia erat tempus quando non erat. Propter hoc videlicet quod per Salomonem ipsa Dei sapientia dicit: *Dominus possedit me*, vel creavit, secundum quod alia translatio habet, *in initio viarum* (*Prov.* VIII). Si hoc verum est, utique quod nefas est cogitare, Deus Pater stultus erat, antequam sapientiam suam generaret. Certe ipsi negare non possunt quod ipse sit Dei sapientia, sicut Apostolus ait (*I Cor.* I). Ideoque illis stultissimis hominibus et ratione carentibus dicendum est : Si Deus stultus erat, unde ergo tam sapienter omnia condidit ? Et nos quemadmodum creavit, si ille antequam crearetur sine sapientia fuit, utpote insipiens et nesciens quid faceret ? Non ergo ipsa sapientia creata est a Patre, sed antequam cuncta fierent, erat cum Patre, neque ex alia substantia Deus Pater genuit Filium, sed ex seipso, veluti consilium generatur in mente. Nam quod dicit Salomon ex persona Christi : *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, id est, in principio actionum suarum : *antequam quidquam faceret*, taliter est intelligendum, quod Deus pater omnem creaturam tam humanam quam angelicam sua possideret sapientia, per quam et omnia condidit, sive in cœlo sive in terra. Si autem, sicut in quibusdam codicibus et in alia translatione habetur legeremus, Dominus creavit me, ita est intelligendum, quia antequam quidquam faceret, suam prædestinavit sapientiam incarnandam, ut sua passione et morte genus humanum redimeret, et ad patriam revocaret. Tunc in principio utique suarum actionum in divinitate, suam sapientiam possedit vel creavit sibi æqualem, cum carnem postmodum suscipere voluit. Solet enim plerumque sacra Scriptura ea quæ futura sunt, quasi jam facta narrare. Nam et de nobis dicit Apostolus (*Ephes.* I), quod elegerit *nos in ipso ante mundi constitutionem*. Si ergo omnipotens Deus, secundum Apostoli sententiam, omnes electos ante mundi constitutionem elegit, quid mirum, si ipsum caput electorum in sua prædestinatione antequam quidquam faceret, ordinavit ut esset caput electorum ? De ipso enim dicit Apostolus : *Ut ipse sit in omnibus primatum tenens* (*Colos.* I).

Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses aut calidus! Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Manifestum est, quia ea quæ sunt frigida, vel calida, comedere et bibere possumus, tepida vero corpus nostrum propter vomitum ferre non potest. Tali itaque modo accipiendum est, quod hic Dominus dicit : *utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Frigidi itaque sunt Judæi vel pagani, ab eo scilicet glaciali rigore constricti, de quo dicitur : *Ascendam super altitudinem nubium, ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV). Aquilo enim ventus frigidus diabolus est, cui in Canticis canticorum dicitur : *Surge, aquilo, et veni, auster* (*Cant.* IV). Surge, aquilo, id est, recede, diabole. Veni, auster, veniat Spiritus sanctus, qui suo adventu calefaciat et illuminet corda hominum, ut pariant opera virtutum. Calidi sunt qui in fervore spiritus in Dei et proximi dilectione consistunt. Tepidi, qui nec ex toto infideles sunt, nec avide ad Christum tendunt. Sunt autem et quidam, qui prius quidem fuerunt frigidi, et multis criminibus obnoxii, sed plerumque sanctus Spiritus talium corda tangit. Quo inflammati, ferventes efficiuntur : qui quanto se peccatores fuisse recordantur, eo amplius liberatorem suum diligere appetunt, cum recedente iniquitate, ignescit charitas eorum. De talibus in Evangelio Dominus dicit : *Gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV). Sunt autem et quidam intra sanctam Ecclesiam constituti, qui vitam quidem ab omni crimine custodiunt, sed tamen in agendo quælibet bona non assurgunt. Et hi tales nec frigidi, nec calidi sunt quia non sufficit mala cavere, nisi studeat

quis et bona facere. Juxta illud Psalmistæ : *Declina a malo et fac bonum* (*Psal.* xxxvi) Tales quippe de suis operibus fisi, solent dicere : Ecce aliena non rapio, illicita nulla committo, non adulterium, non homicidium, non denique his similia mala facio, sufficit mihi mala non agere, ideoque et propriis fiducialiter utor. Dumque hoc dicit, indigentibus propria non tribuit. Et qui tenet rapinam, nec metuit tenere tenaciam, nec recordatur quia dives ille non ideo damnatus est quod aliena rapuit, sed quia propria non distribuit Sunt quoque et alii qui aliena non rapiunt, propria distribuunt, sed hoc non causa dilectionis Dei et proximi, sed propter inanem jactantiam, ut ab hominibus laudentur, sicut faciebant Scribæ et Pharisæi, qui dantes eleemosynas ante se canebant tuba, et tales etiam nec calidi nec frigidi esse cognoscuntur, quia qui indigentiam pauperum sublevant, cum amore charitatis hoc facere debent. Audientes illud Apostoli : *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum* (*I Cor.* xiii), et cætera. Sunt quoque et alii, qui opes terrenarum facultatum dimittunt, et ad monasterium venientes, habitum religionis sumunt, deinde torpentes, sibi hæc posse ad salutem sufficere credunt, quod sua dimiserunt, quod varia crimina sub habitu religionis constituti, non admittunt, atque idcirco dormiunt, bibunt et secure vivunt Dumque hoc faciunt, tepidi exsistunt, meliusque fuerat illis morari in sæculo, ubi et peccata sua recognoscerent et aliquando per Dei misericordiam compuncti, bonis operibus studerent quam in monasterio manere, et ita a bonis operibus cessare. Alii quoque sunt, qui ab infantia sua in monasteriis consistunt, bonis operibus abundant in fervore spiritus manent, et circa ultimum tempus vitæ suæ torpescunt, et tepidi efficiuntur. Et talibus utique omnibus satius esset ut vel perfecti boni essent, vel ex toto mali, quam nec boni nec mali. Atque ideo subjungitur : *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* Nullus invenitur calidus qui prius non fuerit frigidus : quia nemo est bonus, qui non fuerit malus. *Omnes enim peccaverunt et egent gratia Dei* (*Rom.* iii). Tepidus ex calido solet fieri et frigido, quia et alius ex frigore infidelitatis conversus ad perfectum justitiæ fervorem non transit, et alius ab ipso justitiæ calore, quod prius fervebat, animum actusque deflectit. Omnes enim, ut dictum est cognoscimus quia frigidum vel calidum facile in corpus trajicitur, tepidum autem cum magna nausea et vomitu ab ipso etiam ore projicitur Os Dei sunt prædicatores sancti, unde sæpe prophetæ dicebant : Os enim Domini locutum est hoc, quia sanctitas tanta erat in illis, ut in eorum cordibus Deus habitaret, et per eos loqueretur. Ora ergo Dei sunt evangelistæ, et cæteri doctores, per quorum ministerium quotidie Deus in corpus suum, quod est Ecclesia, trajicit, et calidos, id est ferventes dum meliores adhuc efficiuntur per divinam prædicationem, et frigidos, id est infideles, quando quilibet vel Judæi vel pagani ad ejus fidem convertuntur, et numero sanctorum sociantur. De hoc esu et Petro dicitur : *Occide et manduca* (*Act.* x, xi). Tepidos autem non convertunt, quia eorum verba despiciunt, dum in sua securitate torpescunt Quos et exhortari, desistunt, et veluti infructuosam terram deserunt, quia ad meliorem vitam nequaquam posse reformari conspiciunt : facilius est enim quemlibet paganum ad fidem Christi adducere, quam talium quemlibet a suo torpore ad fervorem spiritus revocare.

Qui dicis quod dives sum. Multi sunt qui hoc dicunt, dives sum in fide, quia Dominus dicit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit* (*Marc.* xvi). *Et locupletatus* sum. Quia et recte doceo, et malis operibus non servio. Alius dicit : *Nullius egeo*, quia recte credens non solum mala non perpetrat, sed etiam bona quælibet, licet non propter Deum, facit ; unde et adhuc subditur : *nescis quia tu es miser*, dum temetipsum decipis, quia putas te salvari per fidem solummodo, cum scriptum sit : *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa* (*Jacob.* ii). *Et miserabilis.* Quia nec illud intelligis quod semetipsum deludis ; *Pauper*, quia non habes opera quibus diteris in cœlo, neque etiam rectam scientiam ; *Nudus*, quia spoliatus es virtutibus ; *Cæcus*, quia non habes lumen scientiæ. Verum quia Dominus misericors est, etiam tales ut ad fervorem redeant hortatur, cum subjungit :

Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatumque. Per aurum ignitum, id est igne probatum, debemus intelligere Dominum Jesum Christum, qui probatus est igne passionis, sputus, flagellatus, derisus, ad ultimum crucifixus et mortuus, tamen hæc omnia patienter ferens orabat pro persecutoribus suis dicens : Pater, *ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* vii). Dicitur ergo cuilibet : *Suadeo tibi emere.* Eme aurum, id est, si vis virtutibus abundare, studeto imitari Christum, sive cum a Deo flagellaris, sive cum a proximis illata mala sustines, ut et ipse fias aurum incendio tribulationis decoctum, juxta illud Psalmistæ (*Psal.* lxv) : *Probasti nos*, inquit, *Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum.* Et iterum : *Transivimus per ignem et aquam. Ut locuples fias*, id est, ut multis virtutibus abundes. *Et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ.* Vestimenta in hoc loco intelliguntur innocentia baptismatis et ornamenta virtutum, fidei scilicet et charitatis, cæterorumque bonorum operum, quibus operitur confusio nuditatis, id est tepor pristinæ conversationis. Possumus quoque per aurum igne probatum intelligere charitatem, quam qui habuerit, locupletabitur, quia omnibus virtutibus abundabit. Ipsa est enim radix omnium bonorum quæ igne probatur, quia per amorem spiritus veraciter accenditur, quam qui habuerit, vestimentis albis inductur, quia peccatorum nigredine purgatus, per eamdem charitatem quæ operit multitudinem peccatorum, multis virtutibus decorabitur. Alba dicitur charitas, quia peccatorum maculam aut aliquam duplicitatem habere non novit. *Et collyrio inunge*

oculos tuos, ut videas. Per collyrium, quod ex terra nascitur et pulverem terræ ab oculis aufert, debemus intelligere Dominum Jesum Christum, qui natus est de terra, hoc est de Maria virgine, juxta illud : *Deus autem operatus est salutem in medio terræ (Psal.* LXXIII). *Collyrio inunge oculos tuos*, id est imitare paupertatem Filii Dei, qui, cum dives esset, pauper pro nobis factus est, in tantum ut non haberet sicut vulpes ubi caput reclinaret. Unde in hospitio natus est, vilissimis pannis obvolutus et in præsepio positus, quia non erat ei locus in diversorio. *Collyrio unge oculos tuos ut videas*, id est quia oculos tuæ mentis terrenæ clauserant, et excæcaverant delectationes. Redemptoris tui egestatem considera, et sic evigila ad sanctorum futura præmia. Hinc ipse in Evangelio dicit: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII). Vel certe per collyrium quo illuminantur oculi, possumus intelligere divina eloquia, quibus mentis oculi illuminantur, juxta illud : *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos (Psal.* XVIII). *Collyrio unge oculos tuos*, id est adhibe præcepta divina mentis oculis, ut virtutum lucem, quarum pateris nuditatem videas, et videns per bona opera operire festines, ut postmodum Deum videas. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Matth.* V). Cum enim quilibet superna aspiratione per singulas Scripturarum paginas, quod Dominus jusserit legendo, audiendo, ad mentem revocat, videt nimirum quantum ex virtutibus minus habet, vel certe si ex toto nihil habet : sicque quasi ex unctione collyrii reparatur ad videndum clarius, dum per Dei verbum illuminatur intrinsecus. Qui vero ad usus necessarios reservatur, jugo et loris domatur, stimulis pungitur, verberibus cæditur, et ægro cujus vita desperatur, quidquid animo concupierit, etiam saluti ejus contrarium a medico non negatur, imo conceditur. Cujus vero recuperanda salus æstimatur, quæque sunt animo ejus desiderabilia salutique contraria omnino negantur.

Ego quos amo arguo et castigo. Multis modis Deus omnipotens, misericors et miserator arguit et castigat quos amat, ideoque libenter ejus toleranda sunt verba et verbera. Aliquando hoc agit per flagella, aliquando per occultam et divinam inspirationem, seu quibuscunque et variis tribulationum et angustiarum effectibus, hinc per Salomonem dicitur : *Quem enim diligit Dominus corripit* (*Prov.* III), flagellat autem omnem filium quem recipit, facitque Dominus hoc, si humana comparanda sunt divinis, more piissimi patris duos filios habentis, quorum unum quem vult sibi substituere hæredem, diversis modis flagellat, aut cibo aut potu excommunicat, aliquando etiam vinctis pedibus tota nocte immobilem stare facit, incessantibus contumeliis afficit, et aliquando veluti extraneum alieno obsequio subdit. Aterum vero quem sibi hæredem non destinat futurum, suæ voluntatis esse permittit, comedendi et bibendi licentiam tribuit, ad ambulandum quocunque voluerit liberos gressus concedit. Ita et omnipotens Deus facit, justos per innumera tormenta et varias tribulationes affligit, ut postmodum in cœlo requiescant, et hæreditatem æternæ beatitudinis consequantur. Econtra, reprobos in suis voluptatibus remanere permittit, juxta illud : Dimisit eos secundum desideria cordis eorum (*Rom.* I). Reprobos itaque qui nunc mundi desideriis et voluptatibus dediti sunt, æterna exspectant supplicia : justi vero qui nunc flagellis temporalibus atteruntur, ab æterno sunt verbere liberandi, quia et vitulus qui occisioni præparatur, liberius pascuis saginari permittitur : licet autem hoc Dominus multis modis agat, cum quinque sunt modi specialiter, quibus a Domino flagellantur homines. Aliquando ad augmentanda merita, sicut Job et Tobias ; aliquando ad custodiam virtutum, ut Paulus; aliquando ut peccata præterita corrigantur, sicut paralyticus, cui dictum est : *Ecce sanus factus es, vide ne pecces, ne deterius tibi aliquid contingat* (*Joan.* V); aliquando non ut emendentur, sed ut duplici pereant perditione, ut Antiochus et Herodes, de quibus dicitur : *Duplici contritione contere eos, Domine (Jer.* XVII); aliquando ut Dei gloria per hoc ostendatur manifesta, sicut Lazarus et cæcus natus. Sed electi quocunque modo flagellantur, meliores efficiuntur ex flagello, unde et exhortatio subinfertur, cum dicitur: *Æmulare ergo et pœnitentiam age.* Æmulus studiosus, et æmulus invidus, et æmulus imitator dicitur, hic autem pro imitatione ponitur. Erant enim in eadem Laodicensium Ecclesia quos Christus flagellaverat : ideoque ut eos cæteri imitarentur hortatur, acsi eis diceretur : Dum quoslibet ex vobis flagellari conspicitis, eorum imitamini patientiam, sustinentes patienter flagella in præsenti, ut postea consortium mereamini. Et age pœnitentiam propter hoc quod dixisti : *dives sum et nullius egeo*, etc.

Ecce sto ad ostium et pulso. Cum Deus omnipotens ubique per præsentiam suæ divinitatis et cœlum et terram impleat, quid hoc loco per ostium intelligere debemus, nisi intelligentiam cordis ? Stat ergo Dominus ad ostium et pulsat, quando cor hominis, sive per internam inspirationem, sive per prædicatorum doctrinam illuminat. Pulsantem autem illum audit, quisquis illius monita opere custodit. *Si quis* ergo, inquit, *audierit vocem meam*, vel ipse divina eloquia legendo, vel ab aliis exponendo, *et aperuerit mihi januam* cordis sui, ut ea quæ intelligit opere perficiat, *intrabo ad illum*, id est illuminabo secreta illius, *et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* De hoc in Evangelio loquitur, dicens: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Joan.* XIV). Si autem quærimus quid sit cibus Christi, quo eum reficimus, ipse utique manifestat qui dicit: *Cibus meus est, ut faciam voluntatem Patris mei (Joan* IV). Unde legimus in Evangelio : quia appropinquans passioni, dixit discipulis suis : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (Joan.* XIV), et quasi diceret aliquis : Cur ergo morieris, statim subjungit: *Sed ut cognoscat mundus quia diligo Pa-*

trem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic faciam, surgite, eamus (Joan. XIV). Voluntatem itaque Patris implevit, quando pro nobis ad mortis passionem pervenit. Cœna dicitur communis refectio, quia κοινὸν Græce dicitur commune. Item cœnat itaque cum membris caput, et membra cum capite, quia et Christus mortuus est pro electis, et electi moriuntur cum illo, ut et ipsi perficiant voluntatem Patris. Pascit nos Christus, quia illuminat nos fide sua. Pascimus et nos vicissim Christum, quia lætificamus eum nos fide nostra et opere. Dicatur itaque : *Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum ipso, et ipse mecum,* ac si diceretur : Qui operando et amando sermones meos fuerit exsecutus, et ad percipiendam meæ divinitatis dulcedinem dilatatus, hunc per internam gratiam tangens, irradiabo et cœnabo cum illo, et ille mecum, quia in faciendo voluntatem Patris, et ego illius, et ipse meis compassionibus concorporatus uterque delectabitur.

Qui vicerit, faciam illum sedere mecum in throno meo. Quia thronus est sedes judicis. Per thronum judiciaria designatur potestas, in qua venturi sunt sancti ad judicium cum capite suo ; dicatur ergo : Qui vicerit tentamenta diabolica et desideria carnis suæ, faciam illum sedere in throno meo, id est, faciam illum regnare et in judicio judicare. *Sicut et ego vici* diabolum, *et sedi cum Patre meo in throno ejus.* Vicit ipse diabolum, quia sicut legimus in Evangelio, tentavit eum tribus modis, sed superatus est ab illo. Unde *et angeli accedentes ministrabant ei* (*Matth.* IV). Vicit Judæos, qui eum morti tradiderunt, quando post tres dies devicta morte resurrexit in æternum victurus. Sedet et in throno Patris, id est, coæqualis illi et coæternus manet in eadem potentia. Nec moveat quemque quod unus thronus judiciaria potestas intelligitur, cum in Evangelio legimus Domino dicente discipulis : *Vos qui secuti estis me* (*Matth.* XIX), etc. In sequentibus quoque libri hujus legimus viginti quatuor thronos, duodenarius enim bis ductus XXIV reddit. In quo numero comprehenduntur omnes patriarchæ, et apostoli, omnesque perfecti, qui cum Domino venturi sunt ad judicium. Nam in duodecim patriarchis omnes Patres perfecti in Veteri Testamento comprehenduntur : per duodecim apostolos omnes in Novo, sicut per duodecim tribus Israel omnes gentes. Dicitur itaque unus thronus singulariter, propter unam potestatem judiciariam. Dicuntur duodecim propter perfectionem electorum qui judicaturi sunt. Dicuntur viginti quatuor, propter eos qui in utroque Testamento perfecti cum Domino ad judicium sunt venturi. Sed cum constet quia non omnes qui vincunt, in judicio cum Domino sessuri sunt, sed tantum perfectiores, merito quæritur quare hic Dominus promittat, qui vicerit, faciam illum sedere in throno meo : et ut apertius hoc fiat, ponamus duos homines sub exemplo, quorum unus passus est pro Christo, alter autem tantum diabolum et incentiva carnis, mundanamque vicit conversationem, et sic ad æternam pervenit beatitudinem, nunquid ergo æquales erunt in futuro, qui non æqualiter vicerunt in præsenti? Non utique quia *stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum* (*I Cor.* XV). Verumtamen sciendum est, quia quod illi tales et cæteri non habebunt in se, habebunt in prælatis suis. Qui ergo per se non judicabunt, judicabunt utique per suos præpositos. Tanta enim erit in illis charitas, ut quod quisque viderit in altero, suum deputet. Ideoque quod non habebit in se, habebit in altero, sicque omnes electi potestatem habebunt in prælatis, sicut etiam habet potestatem totum corpus hominis loqui per os, videre per oculos, audire per aures, odorari per nares, operari per manus, cum singula membra habeant officia sua, quia quod unumquodque membrum non habet in se, habet in altero. Sed ut ad hanc dignitatem perveniat Ecclesia, in hac interim peregrinatione humiliata gemit, nec quærit celsitudinis culmen, ubi tota vita sanctorum humiliationis obtinet nomen.

Qui habet aurem, id est intelligentiam cordis, *audiat*, id est intelligat *quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Hic aperte monstratur, quia quod unicuique Ecclesiæ dictum est, omnibus Ecclesiis generaliter convenit. Notandum autem quod non dicit angelus, audiat quid Filius dicat ecclesiis, cum specialiter in persona illius apparuit, sed quid spiritus dicat. In quo nomine trinitas tota intelligitur, quia quorum una est substantia, una operatio, una et locutio est. Quod enim nomine spiritus tota significetur trinitas, Dominus in Evangelio manifestat, dicens : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.* IV). Aliquando autem Filius Dei loquitur de sua divinitate specialiter. Unde est : *Oportet Filium hominis pati, crucifigi, mori et sepeliri* (*Matth.* XXVI), quod solummodo ad eum pertinet, quamvis et hæc sine Spiritu dici non possint. Hic autem ex persona deitatis loquitur. Ideoque verba Filii verba sunt Patris et Spiritus sancti.

CAPUT IV.

Post hæc vidi. Mos est prophetarum antiquorum visionis suæ tempora describere per reges, et numerum annorum, et mensium, et etiam dierum. Unde Ezechiel dicit : In anno quinto, transmigrationis Joachim, in mense quinto decima die mensis factum ad se verbum Domini. Similiter Daniel, anno tertio regni Nabuchodonosor, etc. Iste autem novus propheta tempus suæ prophetiæ nequaquam describit per tempora, id est per annos aut menses, sed tantum mentionem facit unius diei, cum dicit : Fui in spiritu in die Dominica, unde datur intelligi, quia omnem hanc prophetiam una die vidit. Ideoque quod dicitur, post hæc vidi, non ad vicissitudinem temporum referendum est, sed ad ordinem visionum. Postea scilicet quam superius viderat, vidit et ista quæ sequitur. Vidit autem hoc non corporeo intuitu, sed mente, sicut post videbimus. *Et ecce*

ostium apertum in cœlo. Cœlum in hoc loco Ecclesiam significat. Dicit enim Dominus per prophetam : *Cœlum mihi sedes est* (*Isa.* I). Salomon quoque dicit : *Anima justi sedes est sapientiæ* (*Sap.* VII). Si ergo anima justi sedes est sapientiæ, quæ Christus est, juxta quod Paulus dicit (*I Cor.* I), Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, et cœlum sedes est Dei, utique Ecclesia est cœlum in quo ipse sedet. In hoc cœlo, id est in Ecclesia est ostium hoc apertum, id est Christus, qui dicit : *Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur*, etc., usque *pascua inveniet* (*Joan.* X). Nemo enim venit ad Patrem, nisi per ipsum, per quem ingreditur ad fidem. Egreditur a fide ad speciem, et inveniuntur pascua æternæ refectionis. Hoc ostium prius erat clausum, quia ante adventum ipsius, ejus mysteria latebant omnibus, nisi tantummodo prophetis qui per Spiritum sanctum illuminati, videbant ejus incarnationem, passionem, mortem et resurrectionem, quia eadem mysteria jam erant revelata per totum orbem, per prædicationem cæterorum apostolorum. Vidit autem Joannes hoc ostium dupliciter, vel oculis scilicet corporeis vidit hæc omnia, utpote qui illi adhærens, miracula illius vidit quando mortuos suscitavit, illuminavit cæcos, et his similia præsente illo complevit. Ad novissimum quando mortuus est, et matrem ejus virginem in suam curam suscepit, vel oculis mentis, sicut in hac prophetia aperte ostenditur. *Et vox prima quam audivi tanquam tubæ loquentis mecum dicens* : Vox prima quam audivit Joannes, Vetus Testamentum intelligitur, ubi mysteria Christi Ecclesiæque sunt prædicta. Omnia enim quæ in hac prophetia vel jam impleta, vel in proximo complenda cognovit, ante in lege et prophetis cæterisque Scripturis Veteris Testamenti sunt prænuntiata. Quæ vox bene tanquam vox tubæ fuisse dicitur, quia per ora prædicatorum sonuit, quibus dicitur : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (*Isa.* LVIII). Tubis quoque Judæi utebantur in prælio, et nos sacra Scriptura admonet in bello, dum pugnamus contra diaboli tentamenta et contra incentiva carnis nostræ. Sed videamus quid ipsa vox dixerit : *Ascende huc*, id est, ad ostium. Omnis enim Scriptura Veteris Testamenti ad mysteria Christi contuenda nos invitat. Unde est illud Michææ : *In novissimis diebus erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et fluent ad eum omnes gentes* (*Mich.* IV). Mons iste Christus est, quem vidit Daniel præcisum sine manibus, qui crevit et implevit universam terram (*Dan.* II). Domus autem Jacob Ecclesia est fidelium. Hoc est itaque Joannem ad ostium apertum ascendere, quod Ecclesia ad montem, id est, ad Christum confluere. Dicatur itaque Joanni, et in illo omnium choro doctorum : Ascende huc, non gressibus corporis, sed gressibus mentis et fidei, et vide in Christo jam omnia completa, quæ prius sunt per prophetas prænuntiata. *Et ostendam tibi quæ oportet fieri cito.* Id est, in præsenti tempore, quod æternitati comparatum, brevissimum horæ momentum est. Sciendum vero, quia in eo

A quod dicitur : Ostendam tibi quæ oportet fieri cito, non quod jam non essent denegatur, sed quoniam deinceps mansura essent declaratur. Dignitas enim Ecclesiæ jam exaltata erat, quando Joannes ista cernebat, quæ usque in finem sæculi, quo cum Domino ad judicandum ventura est, hac sententia perduranda monstratur.

Post hæc statim fui in spiritu. Non est ita intelligendum, quod spiritus ejus a corpore fuerit ablatus, et sic viderit istam visionem, sed sicut jam superius dictum est, mente totum hoc vidit. Vis enim Spiritus sancti sublevavit mentem illius, ad contemplanda mysteria cœlestia, nihilque per corpus vel vidit vel audivit, sed a Spiritu sancto in extasi raptus id est ductus est ut ea videret et audiret, B spiritualiter audiens retineret, possetque ea scribere et ad posteros mittere. Si vero ad electos referre volumus, spiritualis in hoc eorum conversatio declaratur, quibus per Paulum dicitur : Non estis in carne, sed in spiritu. Et alibi : *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis* (*Galat.* V). *Et ecce sedes posita erat in cœlo.* Si sedes est Ecclesia, sicut supra dictum est, anima justi sedes sapientiæ, et cœlum etiam ipsa Ecclesia, videndum est quemadmodum sedes sit in cœlo, quod ita simpliciter dicere possumus, quia Ecclesia quæ est sedes Dei, licet in hac adhuc carne versetur, tamen jam mente cœlum inhabitat. Juxta illud Apostoli : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Et aliter præsens C Ecclesia quæ adhuc corpore peregrinatur a Christo, in cœlo est mente, quæ jam regnat cum illo. Sed melius est ut subtilius hæc verba perscrutemur, quod exemplo Veteris Testamenti melius videbimus, in quo legimus octo animas in arca diluvii tempore salvatas. Quo in loco octo animæ multitudinem significant fidelium, arca quoque universalem Ecclesiam. Sicut itaque ibi, quod est arca, hoc sunt octo animæ, et quod octo animæ, hoc est arca, id est, generalis Ecclesia, ita et hic, quod est sedes, hoc est cœlum, et quod cœlum, hoc est sedes. Sic itaque dicitur, sedes posita erat in cœlo, quasi dicatur Ecclesia in Ecclesia. *Et supra sedem sedens.* Consuetudo est istius prophetiæ, ut aliquando per sedentem Deum Patrem intelligat, aliquando Deum D Filium. Patrem quippe ibi sessorem intelligi vult, ubi dicit : vidi in dextera sedentis librum apertum, dexteram scilicet sedentis in throno Filium appellans, per quem facta sunt omnia, ipsum vero sedentem Deum Patrem intelligens. Hic autem per sedentem debemus intelligere Dominum Jesum Christum, sicut sequentia verba aperte docebunt. Superius legimus quod viderit ambulantem similem Filio hominis in medio septem candelabrorum aureorum, hic autem dicitur quod viderit eum sedentem. Ambulat itaque Dominus in medio electorum suorum, quando dona gratiæ suæ illis diffundit, sedet vero quando singulorum merita dijudicat. De quo subditur :

Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis. Id est, vultus et facies ejus similis erat

aspectui lapidis jaspidis et sardinis. Per lapidem jaspidem, qui utique viridem colorem habet, debemus intelligere claritatem divinitatis Dei Filii, in cujus contemplatione constat satietas et summa refectio omnium sanctorum. Unde est illud : *Per me si quis introierit, salvabitur, et pascua inveniet* (*Joan.* X). Hæc enim erit remuneratio electorum, scilicet Dei vultus, in cujus visione satiabuntur omnibus modis. Unde est : *Oves meæ vocem meam audient, et ego vitam æternam do eis* (*Ibid.*). Sardinis autem lapis terræ rubræ similitudinem habet, et idcirco per eum humanitas Filii Dei signatur, quæ rubore sanguinis perfusa est tempore passionis, unde et angeli interrogantes aiunt: *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* (*Isa.* LXIII.) Qui itaque habet virorem in divinitatis claritate, habet etiam ruborem in humanitate, per quam et Adam, qui rubra testa interpretatur, ad cœlestia revocavit. Aliud est enim quod viret, et aliud quod rubet. Sed hoc tantum non duo, sed unus, quia unus homo et Deus ex duabus constat naturis. Perfectus enim Deus, perfectus est et homo, et ideo quod in eo viret, potentiæ est, quod rubet misericordiæ. Et qui ex eo quod viret, nos creavit : ex eo quod rubet, nos redemit. Possumus et per hos lapides Ecclesiam intelligere, quæ virorem jaspidis habet in contemplatione Dei manens, atque ideo jam hujus mundi prospera pro nihilo deputat, dum pascuis æternæ viriditatis inhæret. Cui in Canticis canticorum dicitur : *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam* (*Cant.* VIII). Habet quoque et sardium, qui lapis, ut diximus, rubrum habet colorem, quoniam electi ne divina extollantur visione, fragilitate humanitatis monentur. Unde et Danieli vel Ezechieli divina mysteria contuentibus angelus dicit, Filii hominis, ac si eis diceret : Et claritatem supernæ gratiæ aspicitis, tamen memores estote quia homines estis, et de propagine hominis peccatoris descendistis, ideoque ex humana infirmitate rubra terra estis. *Et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ.* Ἶρις Græce, Latine dicitur arcus. Arcus autem in die pluviæ paret, et est signum propitiationis, dicente Domino tempore diluvii ad Noe : *Ponam arcum meum in nubibus, et recordabor fœderis mei* (*Gen.* IX). Quid itaque per arcum debemus intelligere, nisi Dominum Jesum Christum ? Quod certe si solerter inspicitur, effectus ipsius iris indicare videtur. Nam ingreditur radius solis in nubem imbriferam, et sic formatus est arcus, quod utique valde Christo congruit. Ipse est enim sol per divinitatem, de quo scriptum est : Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ. Radius istius solis, id est claritas lucis æternæ ingressa est nubem, quando in utero virginis accepit carnem. De hac quippe nube per prophetam dicitur : *Ecce Dominus ascendit super nubem levem et ingredietur Ægyptum* (*Isa.* XIX). Quæ nubes, id est, caro Domini, recte imbrifera dicitur, propter multitudinem scilicet doctrinarum. Est autem arcus signum propitiationis,

A quia videlicet in Christo omnis nostra salus et propitiatio consistit. Unde angeli in ejus nativitate pacem annuntiaverunt, dicentes : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Et ipse ascendens ad Patrem, dicit discipulis suis : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Unde irin si additur una littera in Græco, id est, *i*, ut irini dicatur, hoc ipsum sonat, quia εἰρήνη pax dicitur. Iris itaque erat in circuitu sedis, quia ipse est corona et protectio sanctorum suorum. Nam et in arcu duo sunt principales colores, viridis scilicet, id est aquosus, et rubeus. In quibus nimirum designatur aperte aqua baptismatis et sanguis redemptionis, vel gratia Spiritus sancti. Per hæc enim duo ab omnibus emundamur pec-

B catis. De quibus duobus mysteriis tota Ecclesia cingitur, et per hæc in novitatem gratiæ Dei renovatur. Vel per hos duos colores possumus intelligere duo judicia : unum quod factum est per aquam : atque aliud quod faciendum est per ignem. Sive per nubem imbriferam possumus intelligere sanctos, qui pluunt verbis, coruscant miraculis, et claritate superni luminis irradiati et illustrati piissimis supplicationibus pro nobis justitiam conditoris ad pietatem inflectunt, sicut Moyses, qui intercedens pro populo Israel, dicebat : *Aut dimitte eis hoc peccatum, aut dele me de libro tuo* (*Exod.* XXXII). Quod autem sequitur : Similis visioni smaragdinæ, quia smaragdus lapis est viridis coloris, per hunc lapidem sicut et supra per jaspidem divinitas Filii

C Dei exprimitur, per quem tota Ecclesia mundatur et gubernatur.

Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quatuor seniores sedentes. Dominus in Evangelio duodecim tantum thronos, super quos duodecim testatur sessuros in judicio apostolos dicens: *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX), quare ergo Joannes viginti quatuor commemorat? Nimirum propter geminum Testamentum, Vetus scilicet et Novum. Dicuntur itaque duodecim propter dignitatem apostolicam. Dicuntur et viginti quatuor propter Patres utriusque Testamenti, qui cum Domino venturi sunt ad judicium. Nam et in duodecim tribubus Israel omnes gentes intelliguntur. In duodecim apostolis

D omnes perfecti, qui exemplum apostolorum in præsenti vita sunt secuti, sicut in Petro cæteri apostoli et prædicatores acceperunt claves regni cœlorum. Est quoque unus thronus, sicut supra legimus, id est una judiciaria potestas : sunt et viginti quatuor, propter numerum prophetarum, et apostolorum cæterorumque fidelium. Ipsi quippe erunt sedes in quorum cordibus Deus sedebit, ipsi et sedebunt, quia et alios judicabunt. Unde et Psalmista : *Illic sederunt sedes in judicio* (*Psal.* CXXI). De quibus adhuc subditur : *Circumamicti vestimentis albis.* Hoc enim non solum ad apostolos pertinet, sed et generaliter ad omnes qui vestimenta baptismatis inviolata a capitalibus criminibus custodiunt. Baptizati enim Christum sunt

induti, juxta illud Apostoli : *Quicunque baptizati estis, Christum induistis* (*Galat.* III). Ipsique habent vestimenta alba, si inviolata servant baptismatis sacramenta. *Et in capitibus eorum coronæ aureæ.* Vidi subaudis. Quia victores accipiunt coronam quando triumphant de hostibus, non immerito per coronas sanctorum regnum et remuneratio intelligitur eorum, qui de mortis auctore triumphant. Sed sicut in illo sedentes judicant, ita per illum victoriam possident, qui dicit : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI). Potest et sub alio intellectu eadem Ecclesia figurari in viginti quatuor senioribus. Constat enim hic numerus ex senario et quaternario, quia quater seni viginti quatuor sunt. Senarius refertur ad operationem, quia sex diebus Deus omnipotens omnia opera sua perfecit, et sexto die atque sexta hora hominem redemit. Quaternarius vero ad quatuor libros sancti Evangelii pertinet. Quia ergo sancta Ecclesia sive in Veteri Testamento sive in Novo, Dei operationem recolit, et veneratur, et libros sancti Evangelii custodit, et recte in viginti quatuor senioribus comprehenditur, vel certe propter viginti quatuor libros Veteris Testamenti, quibus utitur secundum canonicam auctoritatem, in quibus Novum Testamentum, et ea quæ in eo completa sunt prænuntiata cognoscit. Unde et Evangelista dicit (*Marc.* XV) de duobus latronibus qui cum Domino sunt crucifixi : ideo hoc factum, ut impleretur Scriptura, quæ dicit : *Et cum iniquis deputatus est (Isa.* LIII).

Et de throno procedunt fulgura, et voces, et tonitrua. Thronus Dei ipsa est electorum Ecclesia, de qua procedunt fulgura, id est signa miraculorum, de quibus dicitur : *Illuxerunt fulgura tua orbi terræ* (*Psal.* LXXVI). Quæ bene fulgoribus comparantur, quia terrent et illuminant. Fulgura etiam ex nubibus descendunt, et sancti ipsi sunt nubes, qui pluunt verbis et coruscant miraculis. Emittunt quoque voces et tonitrua, id est verba prædicationis et comminationis dicentes : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* XIX). Unde est: *Vox tonitrui tui in rota* (*Psal.* LXXVI). Et quia de sede dicit : Procedunt fulgura et voces et tonitrua, cum hæc non sedi, sed nubibus conveniant, ipsam sedem nubem vult intelligi de qua imbres, fulgura et tonitrua procedunt. *Et septem lampades ardentes ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei.* Septem autem spiritus dicuntur cum unus sit, propter septiformem gratiam, quæ super Dominum requievisse narratur, dicente propheta: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI). Bene autem lampadibus comparatur Spiritus sanctus, quia ad Dei amorem sanctos accendit, et lumine fidei illuminat, ne foveam erroris incurrant. Lampas quippe Græce, flamma dicitur Latine, neque alibi nisi ante thronum lucet, quia videlicet Spiritum sanctum habere non possunt, quicunque extra Ecclesiam sunt, sicut hæretici. Unde et in canonibus dicitur, ut si tales iterum Ecclesiæ conjungi per rectam fidem voluerint, accipiant manus episcoporum impositionem, quatenus sic possint recipere Spiritum sanctum quem perdiderunt.

Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo. Mare appellat luterem, legimus enim quod Salomon fecerit mare, id est luterem. Per mare autem debemus intelligere baptismum, testante Apostolo, qui dicit : *Quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes baptizati sunt in nube et in mari* (*I Cor.* X). Vitro autem comparatur quod perspicuum est metallum, propter puritatem fidei, quæ in baptismo demonstratur, cum baptizandi credere se in Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum fateantur. Mare vitreum intus et foris splendet, quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Notandum autem quod idem mare simile crystallo dicitur. Crystallum enim ex aqua nascitur, et multo frigore durescit ad lapidem ; ita et sancti per tribulationem præsentis vitæ ad firmitatem perducuntur. Ante thronum igitur sunt septem spiritus Dei, et mare vitreum simile crystallo, quia in Ecclesia tantummodo ardet Spiritus sanctus, et Trinitatis baptisma tribuitur. Ideoque fides electorum manifestatur, vitaque illorum conflatur, et a sordibus vitiorum purgatur. *Et in medio sedis, et in circuitu sedis quatuor animalia, ante et retro plena oculis.* Nulli dubium, quin hæc animalia Dominum Jesum Christum significent, et omnes sanctos, præcipue quatuor Evangelistas, qui in medio sedis et in circuitu esse dicuntur, quia incipientes ab Jerusalem prædicando pervenerunt usque ad fines terræ. Jerusalem quippe in medio est orbis terræ, sicut per prophetam testatur Dominus : *In medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terras* (*Ezech.* V). Per oculos autem animalium, divinarum Scripturarum sacramenta significantur. Plena ergo sunt oculis animalia, quia quot sunt scripturarum eloquia, quasi tot sunt sanctorum lumina, quibus illi corda suorum illuminant auditorum. Ante et retro oculos habent, quia tam de his quæ facta sunt, quam de iis quæ facienda sunt, loquuntur. Hæc enim orationis particula aliquando pro præterito ponitur, ut est illud : *Antequam Abraham fieret, ego sum (Joan.* VIII). Aliquando vero pro futuro, ut est illud Apostoli : *Unum quod retro est obliviscens, in ante me extendo (Philip.* III). Ante itaque et retro animalia plena sunt oculis, quia perfecte Veteris ac Novi Testamenti universa continent sacramenta, quæ scilicet principaliter trium temporum causas enarrant, id est præteriti, præsentis et futuri. Et alia quidem prædicta, alia autem jam impleta, alia vero adhuc implenda pronuntiant : prædicta scilicet mysteria Dominicæ incarnationis, impletam jam ejusdem Redemptoris nostri dispositionem, implendam vero justorum atque impiorum separationem. Concordant autem sibi isti oculi, quia quod lucet in Veteri Testamento, hoc fulget in Novo. Vel certe animalia ante et retro oculos habent, quia omnes electi redemptorem suum et judicatum in primo humilitatis suæ adventu, et judicaturum in

secnndo celsitudinis suæ semper attendunt. Cum A etiam quilibet electi verbis Evangelistarum edocti, præterita peccata recolentes deflent, et quæ subsequi possunt, sollicite præcavent, ante et retro animalia oculos habent. Multa hinc dici possunt, quæ brevitati studentes omittimus.

Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. Mirum valde est quare Joannes alio ordine hæc animalia ordinat quam Ezechiel, primum ponens leonem, cum ille primum faciem hominis posuerit. Ad quod dicendum est, quia prophetia non servat ordinem historiæ : quod si faceret, jam non prophetia, sed historia esset. Quod ex libris prophetarum facillime cognoscitur, e quibus ut unum B ponamus pro omnibus, perspiciendum est quod idem propheta Ezechiel, cum superius dixerit ad se factum verbum Domini anno vigesimo sexto, deinceps loquens contra Pharaonem regem Ægypti undecimo anno eamdem prophetiam ad se factam dicit. Spiritus enim sanctus locutus est prophetis sicut voluit, et quando voluit, ideoque non est ibi requirendus sermonis ordo, sicut in libro Genesis, vel Regum, et in cæteris historiis. Primum ergo Ezechiel faciem hominis, id est Matthæi ponit, servans ordinem historiæ. Qui idcirco per hominem intelligitur, quia humanitatem Filii Dei describit in tempore, dicens : *Liber generationis Jesu Christi.* Deinde Marcus per leonem intelligitur, quia a clamore inchoat, veluti C leo dicens : *Vox clamantis in deserto.* Tertium ponit vitulum, id est Lucam, qui a sacerdotio cœpit, dicens : *Fuit in diebus Herodis regis sacerdos quidam;* qui etiam maxime circa templum versatur, a quo et Evangelium suum ita terminat : Quia *erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum.* Quarto loco ponit aquilam, quæ utique Joannem significat, qui a divinitate cœpit, quoniam Christus prius natus est ut homo, deinde prædicavit, et terribilem vocem emisit ut leo, et sic passus est ut vitulus, ac postmodum ascendit ad cœlos ut aquila. Ideoque in hoc ordine ordo servatur historiæ. Joannes vero primum ponit leonem, quia Christus jam surrexit a mortuis, quia videlicet non ideo crediderunt in Christum populi, quia natus est ut homo, aut quia passus est ut vitulus, sed quia resurrexit a D mortuis ut leo. Hinc Paulus dicit : Et si noveramus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus, ac si diceret : Non jam in animalibus hominem mortuum, sed leonem attendimus post mortem in æternum victurum. Unde in sequentibus legimus: *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* v). Et Jacob in persona illius loquitur Judæ : *Ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti, ut leo, et quasi* catulus leonis, *quis suscitabit eum ?* (Gen. XLIX). Nam dicunt qui de natura bestiarum disputant, quod leo non clausis oculis dormit, et Christus mortuus est ex humanitate, tamen vigilavit et impassibilis mansit divinitate. Dormiens quoque leo nascitur, et ad vocem patris excitatur, ita et Christus voce Patris excitatus est juxta illud Psalmi : *Exsurge gloria mea* (*Psal.* LVI), etc. Quia ergo inde creditur unde surrexit, bene Joannes primum leonem posuit. Primus itaque est in ordine homo et vitulus, sed primus in virtute leo. Leo quippe rex est bestiarum, atque ideo non immerito per eum Marcus intelligitur. Secundum ponit vitulum qui utique, ut dictum est, Lucam significat, quia vitulus hostia sacerdotum erat, et in templo offerebatur, et ipse in sua narratione maxime circa templum versatur. Tertium hominem, id est Matthæum, qui temporalem Christi describit nativitatem. Quartum aquilam, id est Joannem, qui in reverberatis oculis transcendens omnem altitudinem cœli, et ipsos etiam choros angelorum, divinitatem Filii Dei intuetur, dicens : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I). Hæc quatuor animalia significabant quatuor flumina paradisi, de uno fonte Christi in Ecclesia manantia. Similiter et quatuor circuli arcæ, quibus portatur Ecclesia. Significant quoque hæc quatuor animalia ipsum Dominum Jesum Christum, qui natus ut homo, passus est ut vitulus, surrexit ut leo, ascendit super omnes cœlos ut aquila. Designantur etiam per hæc animalia omnes sancti, nam unusquisque electus in quantum rationabiliter secundum voluntatem Dei vivit, homo est, quia homo est rationale animal, in quantum adversa istius sæculi æquanimiter tolerat leo, unde scriptum est : *Justus quasi leo confidens absque terrore erit* (*Prov.* XXVIII). In quantum se mortificat cum vitiis et concupiscentiis vitulus. In quantum per mentis contemplationem cœlestia petit aquila.

Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas. Alæ animalium significant duo Testamenta, quibus Ecclesia ad cœlestia supportatur : sed cum duo sint Testamenta, ejusdem Ecclesiæ spirituales alæ, propter geminum testamentum, quod in duodecim tribubus Israel, vel in duodecim apostolis invenitur, ipsæ alæ per binarium duodecies multiplicantur, et viginti quatuor alas reddunt. Bis enim duodeni viginti quatuor sunt. Aliter duodenarius numerus constat ex partibus septenarii, id est ex tribus et quatuor. Sive etiam dicamus, ter quaterni, sive quater terni duodecim fiunt, qui numerus sacratus est numero duodecim apostolorum. In ternario autem fides sanctæ Trinitatis intelligitur. In quaternario autem quatuor mundi partes. Ducatur ergo duodenarius per binarium, et efficiuntur viginti et quatuor. Quo numero summa electorum exprimitur, quibus fidem sanctæ Trinitatis per quadripartitum orbem prædicantibus, totus mundus ad cœlestia sustollitur. Possumus et has alas senas aliter intelligere. Prima ala intelligitur lex naturalis, secunda lex Moysi, tertia prophetæ, quarta Evangelium, quinta Epistolæ apostolorum, sexta canonica auctoritas, sive doctrina catholicorum virorum Hieronymi, Augustini cæterorumque sanctorum Patrum. His alis quotidie sancta Ecclesia sustollitur, et ad cœlestia sublevatur. Aliter senarius numerus pertinet ad omnem Christi operationem, quæ in sex die-

bus et sex hujus sæculi ætatibus peracta est, vel peragitur. Quatuor igitur ad nostram naturam pertinent, quæ ex quatuor humoribus constant. Quatuor ergo senis alis utuntur sancti, quia quandiu in hac vita consistunt, ea tantum possunt comprehendere, quæ per sex hujus ætates sæculi peraguntur. Hinc est quod apud Isaiam cherubin caput et pedes velare alis referuntur, quia videlicet sancti neque ea quæ fuerunt ante mundi constitutionem, neque ea quæ post finem sæculi futura sunt cognoscere possunt. Et Ezechiel adjungit, una similitudo ipsorum quatuor, quia videlicet unam fidem docent quadripartitum orbem. Et etiam in Evangelio uno inveniuntur quatuor, sicut in concordia textus aperte manifestatur. *Et in circuitu et intus plena sunt oculis.* B Hæc animalia, sicut supradictum est, omnes sanctos prædicatores significant, qui in circuitu et intus pleni sunt oculis, quia sua prædicatione et eos illuminant qui in medio Ecclesiæ consistunt, et eos qui in finibus terræ morantur. Vel in circuitu et intus pleni sunt oculis, quia per litteram simplices, et per spiritualem intelligentiam perfectiores instruunt. Quasi enim foris habebat oculos Paulus, cum dicebat quibusdam : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (*I Cor.* III). Quasi intus habebat oculos cum alibi diceret : *Sapientiam loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II). Vel in circuitu et intus pleni sunt oculis, quia et in cogitatione et opere mundos se custodiunt, alios quidem perfectione fidei et operis informant. Quod utrumque Psalmista C breviter comprehendit, dicens : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate* (*Psal.* XLIV). Quia videlicet Ecclesia interiora cordis sollicite in conspectu Dei mundare studet, et exteriora etiam sua irreprehensibilia custodire probatur, quatenus per utramque sententiam, et aliis pulchra sit foris et intus sibi. Vel in circuitu et intus pleni sunt oculis, quia fidem quam habent in corde foris manifestant ore, juxta illud : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). *Et requiem non habebant die ac nocte dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.* Omnis Ecclesia quæ in his animalibus designatur, hoc facit die ac nocte, quia et in prosperis et in adversis D sive etiam per continuum laudes Creatori suo agere satagit. Notandum autem, quia cum sancta animalia ter dixerunt : sanctus, sanctus, sanctus, ad singularem numerum redeunt, dicentia Dominus Deus omnipotens, quia licet trinitas sit in personis, unitas est in majestate, qui erat ante omnia sæcula, et qui est immutabilis, sicut Psalmista dicit : *Tu autem idem ipse es* (*Psal.* CI). Et venturus est ad judicium, ut reddat unicuique juxta opera sua. Quo in loco quæstio oritur cur videlicet sancta animalia cum trinitatem præmiserint, subjungunt qui venturus est. Nostra quippe fides habet, quod in judicio solummodo persona Filii videbitur, quia in ea forma qua judicatus est judicabit : *et Pater non judicat* A *quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V). Sed sciendum est, quia licet persona Filii in judicio tantum videatur, tamen illic cum illo erunt pariter Pater et Spiritus sanctus in unitatis divinitate, et ipsa invisibilis Trinitatis natura, per assumptam Filii humanitatem judicabit reprobos.

Et cum darent illa animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum. In hoc loco animalia non generaliter universalem Ecclesiam significant, sicut supra, sed tantummodo quatuor evangelistas, qui dant gloriam et honorem et benedictionem omnipotenti Deo, quando omnia quæ a Deo perceperunt, ad ipsum referunt. Dabant gloriam et honorem Deo, cum dicebant, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, quia prædicabant et laudabant in his verbis deitatem, magnificentiam, æternitatem et dominationem. Sed quod illi faciebant, admonent utique ut et nos faciamus, laudantes Deum pro omnibus quæ ab ipso percepimus, videlicet ut quidquid habemus in gloria fidei et honoris, operationis et spei, et in benedictione supernæ remunerationis ad ipsum referamus. Paulus apostolus dicit : *Gloria et honor omni operanti bonum, Judæo primum et Græco* (*Rom.* II). Non quod a Judæo et Græco et gentili sit illud bonum, vel illa gloria, sed a Deo, quia ipse dicit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Et Apostolus : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum* (*Jac.* I), etc. Itemque præcipitur, ut qui gloriatur in Domino glorietur. Sedentem super thronum Christum debemus intelligere, ut supra Ecclesiæ suæ præsidentem.

Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum. Viginti quatuor seniores universalis Ecclesia intelligitur, tam in præpositis quam in subjectis plebibus. Procidunt viginti quatuor seniores, qui humiliant seipsos, et omne bonum suum ad illum referunt dicentes : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII). Nihilque de suis meritis præsumunt, sed omne bonum suum ab illo sciunt se habere. Unde et sequitur : Quia adorabant viventem in sæcula sæculorum. Adorant namque eum quando ex suis meritis et operibus non suam, sed illius gratiam quærunt. *Mittentes coronas suas ante thronum.* Quia coronam victores accipiunt, non immerito hic per coronas sanctorum triumphum et victoriam debemus accipere. Hoc est itaque coronas ante thronum ponere, quod est in faciem cadere et adorare. Ante thronum quippe electi suas coronas mittunt, quia quidquid virtutis et fortitudinis habent, ipsi in secreto mentis suæ tribuunt, a quo ut vincere possent diabolum et tentamenta suæ carnis, fortitudinem perceperunt. Hoc denique figuratum est, quando Domino Hierosolymam venienti, turba quæ illi obviam venit, palmas quibus victoria significatur, ante pedes asinæ super quam sedebat prostravisse legitur. Quod enim per palmarum ramos in via stratos, hoc

significatur per coronas ante thronum positas. Mittentes ante coronas dicunt :

Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem. Gloriam Christus accepit, quando tertia die resurrexit a mortuis : honorem, quando quadragesima resurrectionis die elevatus est ad dexteram paternæ majestatis : virtutem, quando omnia ei subjecta sunt, sicut ipse testatur, dicens discipulis :*Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). *Quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.* Ac si dicant: Idcirco cuncta tibi, quæ a tuis geruntur, ascribenda sunt, quia ut esse possent, et ea quæ tua sunt agerent, a te acceperunt. Sed mirum est quod sequitur : Propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.Si enim erant.quomodo creata sunt ? Sed erant in prædestinatione omnipotentis Dei, et creata sunt in opere visibili, et quæ erant prius in artificis voluntate sine tempore,creata sunt secundum quod in arte creatoris disposita erant in tempore. Tale quid et Joannes in Evangelio suo ponit, qui cum dixisset : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.*I),continuo subjecit : Quod factum est in ipso,vita erat. Et Paulus apostolus de electis:*Qui elegit,* inquit, *nos ante mundi constitutionem* (*Ephes.*I), etc.

CAPUT V.

*Et vidi in dextera sedentis in throno librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem.*Sedentem in hoc loco debemus intelligere Deum Patrem: dexteram vero illius Filium, per quem omnia facta sunt. De quo Psalmista dicit : *Dextera Domini fecit virtutem* (*Psal.* CXVII), etc. Liber autem in dextera sedentis Vetus et Novum Testamentum significat. Qui bene in dextera sedentis fuisse dicitur, quia principalis intentio sacræ Scripturæ ad Christum pertinet, cujus nativitatem, mortem, resurrectionem, ascensionemque et secundum adventum ad judicium continet. De quibus omnibus ultro se quærentibus exempla offerunt. Idcirco autem Vetus et Novum Testamentum unus liber appellatur.quia nec Novum a Vetere,nec Vetus a Novo valet disjungi, sed quidquid prædictum est in Vetere,completum constat in Novo. Nam Vetus Testamentum nuntius est et velamen Novi, Novum vero revelatio et adimpletio est Veteris. Qui liber bene intus et foris scriptus esse dicitur,foris scilicet propter Vetus Testamentum, intus propter Novum, vel foris propter faciem terræ, intus propter allegoricos sensus. Sive foris et intus, quia unum testamentum terram promittit, dicens : Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis, et alia multa.Aliud internam regni cœlestis beatitudinem, dum dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (Matth.* V). Qui etiam liber septem sigillis ostenditur signari, id est sigillari. Septenarius numerus, ut sæpe dictum est, ad universitatem refertur. Per septem ergo sigilla plenitudinem obscuritatis et mysteriorum, quæ in Veteri latebant Testamento,debemus accipere.Unde et Habacuc dicit : Deus a Libano veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso. Mons quippe Libanus umbrosus et condensus,libri sunt Veteris Testamenti operti figuris allegoriarum,a quibus Dominus venire perhibetur, quia ibi prædictus fuisse cognoscitur. Sive septenarius numerus ad septiformem Spiritum sanctum refertur. Septem siquidem sigillis liber signatus est, quia videlicet omnis Scriptura per gratiam Spiritus ejusdem et data est et reserata. Unde et lex digito Dei, id est,Spiritu sancto descripta legitur.Et Dominus resurgens a mortuis, et aperiens sensum discipulis ut intelligerent Scripturas, dicit eis : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.*XX).Possumus et in septem sigillis septem modos locutionum intelligere,quibus omnis constat Scriptura.Aut enim indicativo loquimur, ut illud : *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia* (*Isa.* XLVIII).Aut promissivo, ut: *Indicabo tibi,o homo,quid sit bonum* (*Mich.* VI); etc. Aut imperativo, ut : Audi Jacob, serve meus. Et : *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut.* VI). Aut optativo ut: *Utinam attendisses verba mea* (*Isa.* XLVIII). Aut conjunctivo, ut : *Si audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum,eritis mihi in peculium de cunctis populis* (*Ex.* XIX).Aut infinitivo,ut : Intelligere et scire Dominum intelligentia est.Aut impersonali,ut : Quis loquetur potentias Domini ? Ipsa enim sacræ Scripturæ locutio,septiformis, quasi sub septem sigillis intelligentiæ continetur, dum per septem modos distinguitur. Inquirentibus enim nobis Scripturas, primus gestæ rei textus nobis occurrit, quia videlicet, ea tantum Scripturarum eloquia comprehendit, quæ nil mystice significant, sed tantum simpliciter rerum causas evolvunt, ut est: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut.* VI). Secundus allegoricus gestus occurrit. Qui licet aliquid gestum narret, gestus tamen ille reputatur totus allegoricus, unde nec in usu frequentatur. Hinc est quod in omnibus finibus Israel puella quæritur regi David,et invenitur tam fervens, ut algentis senis membra calefaciat, calefactum tamen ad libidinem non provocet. Per quam designatur sapientia, quæ etiam in senibus non senescit, sed insuper eos igne divini amoris accendit. Ad hunc pertinet etiam modum, quod populus Israeliticus in deserto a serpentis percussu aspectu ænei serpentis sanabatur. Per quem Redemptor noster intelligitur in cruce suspensus, qui nos a morsu diaboli liberans, beatæ immortalitatis remedia fidelibus tribuit.Hæc enim si ad litteram discussa tractentur, ludicra pro tempore putabuntur. Si vero mysteriis applicantur, magna insinuant sacramenta. Tertius modus uterque est historicus scilicet atque allegoricus,quo scribitur,quoniam Abraham duos filios habuit, qui, sicut Apostolus scribit (*Rom.* IV), duo significant Testamenta. Intra hunc modum et illum concludit, quo Isaac paterna devotione dispositus, ligna sibi bajulasse dicitur, singulariter Christi passionem designans, quem Pater pro omnibus tradidit, propriamque bajulare passus est crucem. Quo etiam modo de latere dormientis

viri formata mulier. Ecclesiam significabat, ex latere A Christi in cruce pendentis ædificandam. Quartus modus est, quo nobis aliquando proprie, aliquando vero mystice Creatoris nostri divinitas sacris intimatur opusculis. Proprie scilicet sicut Moysi dicit: *Ego sum qui sum, et sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III). Mystice vero, ut omnipotens Deus sicut plaustrum onustum feno stridere se dicit, cum gravia hominum peccata portare se indicat, vel sicut Isaias super solium excelsum et elevatum sedere describit Dominum, angelicas significans potestates, quas tibi ad quod voluerit subjecit. Quintus modus est parabolarum, qui tam relatu verborum quam actu conficitur operum, qui in tantum est multiplex atque occultus, ut non solum B multa, quæ juxta litteram non possunt, admittat, verum etiam quibusdam in locis mysteria narraturus, testimonium de historia assumens, ipsum litteræ gestum immutet. Parabolis enim verborum hic modus conficitur, ex quibus est illud: *Ierunt ligna ut ungerent super se regem* (*Judic.* IX), etc. Neque enim ligna ambulare possunt, aut sibi regem constituere, sed aliud quoddam per congruam significationem metaphorice talibus Scripturarum sententiis profertur. Immutavit autem, ut dictum est, ipsius litteræ textus, aliquando propter mysticum intellectum, ut in titulo psalmi tricesimi tertii dicitur, Psalmus ipsi David, quando commutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum et abiit, cum hoc factum sit coram Achis rege Geth, sicut liber Regum narrat (*I Reg.* XXI). Cum ergo pro Achis C Abimelech ponitur, utique ostenditur ex ipsius interpretatione nominis latens altius penetrare mysterium. Abimelech quippe interpretatur patris mei regnum, significans Judæos, in quorum conspectu verus David manu fortis Dominus Jesus Christus immutavit vultum suum, quando apparens in forma servi, humiliavit semetipsum usque ad mortem crucis. *Vidimus eum non* habentem speciem neque decorem, *et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum* (*Isa.* LIII). Dimisit eum Abimelech et abiit, quia videlicet Christus a Judæis minime receptus, ad gentes cum apostolis transivit. Unde ipsis Paulus dicit: Vobis quidem oportebat loqui verbum Dei, sed quia repulistis illud, ecce convertimur ad gentes. Aliquando vero idem modus in D parabolis rerum de ipsis etiam peccatis hominum et transgressionibus adulterorum prophetiam insinuat operum futurorum, sicut factum esse in David constat, qui uxorem Uriæ sibi assumpsit, quam de solario videns concupierat, et ipsum gladio peremit (*II Reg.* II). Significat quippe in hoc loco David Christum, qui de cœlo misericorditer cernens Ecclesiam in sua prædestinatione, lavacro aquæ in verbo mundandam, concupivit eam providus, ut justificatam sibi conjungeret legitimus. Sed ut Bethsabeæ David jungatur, Urias vir ejus interficitur, quia ut justorum Ecclesia cœlesti sponso adhæreat, antiqui hostis virtus confringitur et pedibus electorum calcanda prosternitur. Unde et per Evangelium illis a Domino dicitur: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super omnem virtutem inimici* (*Luc.* X). Sextus modus est de gemino Salvatoris adventu, quo vigilans discretio adhibenda est, ne aut primus accipiatur pro secundo, aut secundus pro primo. Cujus Judæi ignari, ignorantiæ cæcitate nunc usque laborant, nescientes quid ad primum, quid ad secundum ejus pertineat adventum. Primus itaque humilitatis sibi vindicat locum, unde est: *Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris tanquam me* (*Act.* VII). etc. Et alibi: *Post hæc in terra visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III), cæteraque hujusmodi. Secundus autem celsitudinis ac terroris obtinet loca, unde scriptum legimus: *Deus manifeste veniet. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna et majestate* (*Marc.* XIII). Hinc ipse per Malachiam dicit: *Accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis et adulteris et perjuris* (*Cap.* III) Israel. Septimus modus est, qui geminam præceptorum retinet qualitatem, id est vitæ agendæ vitæque figurandæ. Et quidem agendæ vitæ præcepta nunc usque manent, ut est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, et proximum tuum* sicut *teipsum* (*Marc.* XII), vel cætera talia, quæ etiam nunc evangelica auctoritate servari jubentur. Vitæ vero figurandæ manifesta veritate transierunt, ut est circumcisio, sabbatum, oblatio victimarum, quæ sicut dictum est, cessante umbra, in veritate spiritualiter peraguntur. Sed quia hic liber intus et foris scriptus fuisse asseritur, videndum est de his septem modis, qui debeant intus, qui forinsecus reputari. Primus itaque historicus, idemque simplex nihil in se mysticum retinens, totus est foris. Secundus allegoricus, totus omnino intus. Tertius vero utriusque geminam in se continens formam, ex parte foris, ex parte deputatur intus. Quartus quoque de Deo, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, uterque sensus intus debet accipi. *Pax Dei exsuperat omnem sensum* (*Phil.* IV), et ejus clementiam, quæ de se figuratim multa narravit nullus competenter attingit. Quintus porro in parabolis verborum diffusus, quibusdam etiam gestum litteræ imitans, et de peccatis et adulteriis hominum, vel prophetiam operum, vel secreta spiritualium sensuum multa præsignans, intus modis omnibus est reputandus. Sextus etiam de gemino Salvatoris adventu, certis claret testimoniis, foris in promptu positus, certis intus latet occultus, ut et dubitationem auferat, et fideles exerceat. Septimus ad extremum in præceptis vitæ agendæ foris, in præceptis autem vitæ figurandæ intus latet. Hos modos ante Redemptionis quidem tempus absconditos, ipso vero redemptoris tempore per Christum atque in Christo novimus revelatos. Ex quibus sanctus Ambrosius luculento et pulchro quamplura loquitur stylo.

Et vidi angelum fortem, prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum et solvere signacula ejus? Quis est iste angelus? Nimirum quilibet doctor Veteris Testamenti. *Labia enim sacerdotis custodiunt*

scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (Malach. II). Angeli quippe Veteris Testamenti, id est sancti prophetæ et patriarchæ requirebant anxie quis posset legem spiritualiter intelligendam reserare. Quod autem dicit, quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus, præposterus ordo est? Prius enim dicit librum aperire, et sic signacula ejus resolvi, cum prius signacula sint resolvenda, posteaque liber aperiendus est. Quod tamen ita factum est, quia prius Dominus librum aperuit, id est Scripturam Veteris Testamenti in se factus homo complevit, unde ipse dicit : *Non veni solvere legem, sed adimplere (Matth.* V). Et sic demum resurgens a mortuis reseravit sigilla, quando discipulis suis aperuit quæ scripta erant de eo in lege Moysi et prophetis et Psalmis.

Et nemo poterat, neque in cœlo, id est in angelis, *neque in terra,* id est in hominibus, *neque in inferno,* id est in animabus jam corpore exemptis, *aperire librum,* id est mysteria Scripturarum reserare, quia necdum plenitudo temporis advenerat, quando talia præco legis impleri flagitabat. Quod vero dicitur : *Neque respicere illum,* mirum est; cum de se Joannes dixerit superius : Vidi in dextera sedentis librum. Si enim nemo neque in cœlo, neque in terra, neque sub terra poterat respicere librum, quomodo ille poterat eum videre? Aut ubi fuerit, aut nunquid ei soli concessum est, quod nemini aut hominum aut angelorum permissum est? Sed respicere hic positum est, pro eo quod est digne comprehendere. Quis enim angelorum vel hominum comprehendere potest, quomodo ille incircumscriptus et vivificator spiritus intra uterum virginis sit animatus? Quomodo ille post resurrectionem verum corpus et palpabile habens, clausis januis, intra solidos parietes ad discipulos intravit? Nullus itaque qualiter a Dei Filio compleretur ratione mentis poterat comprehendere, sicut et illud : *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* LIII). *Et ego flebam multum qui a nemo inventus est dignus in terra aperire librum, nec videre eum.* Quæritur cum jam quando beatus Joannes ista videbat, iste liber de quo supra dictum est, per mysterium nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, et adventus Spiritus sancti fuerit revelatus, cur se flevisse dicat? eo quod nullus sit inventus qui librum posset aperire. Sed sciendum est quia non ex sua persona beatus Joannes, sed ex persona Patrum Veteris Testamenti flet, qui flebant desiderantes adventum Filii Dei in mundum, quorum unus dicebat : *Utinam disrumperes cœlos,* et venires, *a facie tua montes turbarentur* (*Isa.* LXIV). Unde et Dominus in Evangelio discipulis : *Beati* (inquit) *oculi qui vident quæ vos videtis : dico enim vobis, quia multi prophetæ et reges voluerunt videre* (*Matth.* XIII), *etc. Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris, ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum, et solvere septem signacula ejus.* Per hunc seniorem quemlibet patrem Veteris Testamenti debemus accipere, qui adventum

A Filii Dei prænuntians, cæteris consolationem præbebat. Quorum unus dicebat : *Non auferetur sceptrum de* tribu *Juda,* etc. Et iterum : *Salutare tuum exspectabo, Domine* (*Gen.* XLIX). Dum enim ista diceret, ostendebat utique librum illum per adventum Filii Dei reserandum, unde et subjungitur : *Ecce vicit leo de tribu Juda,* etc. Leo appellatur Christus per significationem, quia victor a mortuis resurrexit. Agnus propter victimationem, quia oblatus est pro nobis in cruce. De tribu Juda, quia videlicet ex semine Judæ descendit David, de cujus stirpe fuit beata virgo Maria, ideoque radix David appellatur, juxta quod Isaias dicit (*c.* XI) : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Ecce (inquit) vicit leo. Quid vicit leo iste, id est Christus? Diabolum, mun-

B dum, mortem et infernum. Ideoque librum aperuit, et sigilla ejus solvit, quia omnia prius prænuntiata de se veniens in mundum implevit. Nec moveat quempiam quare non dicit vincet, cum sit vox præcedentium Patrum, quia sacra Scriptura sæpe præteritum ponit pro futuro, ut est illud : *Foderunt manus meas et pedes meos (Psal.* XI). *Et vidi, et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum.* Sicut supra dictum est, hoc est thronus, quod quatuor animalia, hoc etiam seniores, quod quatuor animalia, et thronus, hoc est omnis Ecclesia, in cujus medio est Christus, juxta illud : *Ecce ego venio, et habitabo in medio tui (Zach.* II). Superius dicit Joannes, quod viderit similem Filio hominis ambulantem in medio

C septem candelabrorum aureorum. Deinde quod viderit sedentem, nunc autem subjungit, quod viderit agnum stantem, quod taliter est intelligendum: Ambulat Dominus, quando dona misericordiæ suæ suis electis tribuit, alii scilicet gratiam linguarum, alii interpretationes sermonum. Sedet vero quando singulorum facta dijudicat, stat quando eos certantes adjuvat. Stare enim adjuvare est, unde et Stephanus inter manus lapidantium stantem illum vidit in cœlo. Recte autem non occisus, sed tanquam occisus in Ecclesia cernitur, quia etsi mortuus est ex infirmitate, vivit ex virtute Dei; vel certe in medio electorum suorum tanquam occisus stat Christus, quia quotidie in suis moritur electis, qui se mortificant cum vitiis et concupiscentiis. *Habentem*

D *cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Quod per septem cornua, hoc etiam significatur et per septem oculos, id est Spiritus sanctus, sicut ipse manifestat, cum subjungit : Qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Et cum unus sit spiritus juxta illud : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum (Sap.* I). Dicuntur septem oculi vel septem cornua propter septiformem ipsius gratiam. Qui bene per septem oculos figuratur, quia suos electos illuminat discurrens, sicut Zacharias dicit, per universam terram. Sed hoc considerandum, quia cornua in capite sunt, et carnem excedunt, ideoque per cornua eminentiores sæculi intelligi possunt, qui valde cæteros

præcellunt, et capiti Christi adhærent, in quo etiam et regnum perceperunt. Nam per cornua etiam intelliguntur regna, sicut in Zacharia legimus, quia quatuor cornua, quatuor sunt regna principalia. Hinc Paulus Spiritus sancti munere quædam membra cæteris eminere prospiciens ait : *Vos in carne non estis, sed in spiritu (Rom.* VIII), ac si aliis verbis diceret : Nequaquam ut cætera corporis ossa circumdamini, sed tanquam cornua super carnem et ossa erigimini.

Et venit, et accepit librum de dextera sedentis in throno. Cum Pater Spiritus sanctus, et Filius in divinitate unius substantiæ sint, quare dicit agnum accepisse librum de dextera sedentis? Propter hoc videlicet, quia qui agnus factus est tanquam occisus, ipse homo assumptus de Dei verbo non solum a Patre accepit et Spiritu sancto, sed etiam a divinitate ipsius Verbi, qua eum accepit. Accepit autem librum, quoniam ea quæ de se erant prædicta, opere complevit.

Et cum aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno. Agnus librum aperuit, quando ea quæ multo ante de seipso fuerant prænuntiata, opere implevit, unde omnes sancti cognoscentes illum veraciter Deum suum, de quo tanta mysteria sunt prædicta cadunt, id est humilia de se sentiunt et ipsum imitantur. Unde et sequitur : *Habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* In cithara est lignum et chordæ, sed tamen diverso modo tensæ. Per lignum ergo debemus intelligere crucem Christi, per chordas ipsam carnem sanctorum. Tenduntur chordæ in ligno, quia sancti imitantur Christi crucem et passionem, juxta illud Petri apostoli, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum (I Petr.* II) et cætera. Sed tamen diverso modo tenduntur, quia non omnes æqualiter patiuntur, dum alius crucifigitur, alius decollatur, alius ustulatur, atque alius lapidatur, et cætera hujusmodi discrete sustinent tormenta, unum tamen sonum omnes reddunt, quia unam fidem omnes confitentur. Et sicut Christus mortuus est pro illis, ita et ipsi moriuntur pro ipso. Per phialas autem charitatis illorum latitudinem debemus intelligere. Unde bene aromatibus plenæ fuisse referuntur. Odoramenta quippe mundas significant orationes. Unde Psalmista : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (Psal.* CXL). Congrue itaque post citharas phialæ ponuntur, quia prius Dominus passus est, et sua passione taliter ostendit latidudinem charitatis, dum pro suis oravit crucifixoribus, dicens : *Pater, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt (Luc.* XXIII). Habent itaque sancti citharas, qui imitantur passionem Christi, habent et phialas, quia non solum pro amicis, sed etiam pro ipsis orant inimicis sicut legimus in Actibus apostolorum de Stephano, qui positis genibus orabat, dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum (Act.* VII). Aromatibus comparantur ipsæ orationes sanctorum, quia nulla magis grata potest esse oratio, quam ea quæ pro inimico funditur, ut Domini præceptum impleatur, quod dicit : *Diligite inimicos vestros*, etc.

Et cantabunt canticum novum, dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo. Canticum novum Novum est Testamentum, in quo nova res continetur; incarnatio scilicet ejus, passio, mors, resurrectio; ascensio ad cœlos, missio Spiritus sancti, in quo etiam sub gemino præcepto tota lex comprehenditur et prophetæ, ipso dicente: *Mandatum novum do vobis (Joan.* XIII). De hoc cantico Psalmista dicit : *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra (Psal.* XCIII). Hoc canticum sancta Ecclesia cantat quia hoc jugiter recolit, et talia eum pro se peregisse cognoscit. Ipsis quoque operibus hoc confitetur, dum in nomine ejus fonte baptismatis regeneratur, seque cum vitiis et concupiscentiis mortificat, spe et fide cum illo resurgit, et ad cœlestia sublevatur; dono Spiritus sancti locupletatur, ad judicium pariter se cum capite suo venturum profitetur. Quid autem ipsa animalia et seniores dicant, audiamus : Dignus, inquiunt, es Domine Deus noster, accipere librum, etc. Accepit Dominus librum, et signacula ejus solvit, quando factus homo, ea quæ de se fuerant prædicta, opere implevit. Unde in Evangelio legimus, quia cum gustasset acetum, dicit : *Consummatum est (Joan.* XIX), omne scilicet quod in me oportebat fieri usque ad mortem ac si diceret, Ad comparationem victoriarum nostrarum tua sola digna judicatur victoria, cujus singulari passione, de mortis principe a maledicto legis redempti sumus. Si quis autem dubitaverit in quatuor animalibus vel viginti quatuor senioribus totam Ecclesiam posse comprehendi, sicut supradictum est, attendat istorum verba, quibus dicunt, Redemisti nos Deo, quia captivi tenebamur a diabolo. *Ex omni tribu*, id est ex omni ordine. Quia sicut supradictum est, tribus a tribus dicuntur ordinibus : *et lingua*, quia cum sint septuaginta duæ linguæ, ex omnibus his ad fidem sunt collecti, qui fuerant prædestinati. *Et populo*, quia plures sunt populi quam linguæ, utpote cum una lingua multæ gentes loquuntur, sicut Romani, Itali, Franci, Burgundiones, Aquitani, Gotthi, licet quasdam unaquæque gens habeat proprietates. Quod autem subjungit, *et natione*, id ipsum est quod præmiserat : Et populo, quia videlicet nullum est genus hominum, ex quo in ecclesia non comprehendatur. Non enim est apud illum personarum distinctio, *sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi (Act.* X). Et hos non vili pretio, sed suo redemit sanguine. Unde Apostolus : *Empti enim estis pretio magno (I Cor.* VI).

Et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. Omnes electi reges appellantur, quia tyrannidem vitiorum in se consurgere non sinunt. Luxuriæ appetitum frenant, ignem furoris exstinguunt, et cætera hujusmodi tentamenta in se consurgere volentia obruunt. Sacerdotes quoque

dicuntur, quia seipsos quotidie in ara cordis sacrificium contribulatum offerunt, ut hostia viva fiant, se cum vitiis et concupiscentiis mortificantes. Hinc Paulus dicit : *Obsecro vos per misericordiam Dei, et exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII). Dumque hoc faciunt, super terram reges existunt, quia carnaliter et desideria terrena comprimunt, et veluti super subjectam terram lege virtutis regnant. Quæ utique electorum Ecclesia, sicut redempta est a Christo, ita in illo qui eam redemit potestatem ut librum aperiret accepit.

Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium et seniorum. Quod hæc visio tota spiritalis fuerit, hic manifestissime Joannes ostendit, cum dicit : Et audivi vocem angelorum multorum; neque enim vox videri potest, sed videre positum est pro intelligere, sicut in Exodo legitur, *Videbat populus voces*, id est intelligebat (*Exod.* XX). Sic enim solemus et nos dicere cui quam aliquid ostendere cupientes, utrum videat, id est utrum intelligat ea quæ dicimus. Totus quippe visus vel auditus Joannis in spiritu fuit, atque ideo spiritualis. In hoc autem loco quod significant animalia, throni, et seniores, hoc significant et angeli, id est omnes sanctos. Nec solummodo illi appellantur angeli, qui alios docent, sicut episcopi, presbyteri et cæteri, sed etiam omnes justi, qui bonum quod intelligunt, aliis manifestare student : nam et idem Joannes dixit in suo Evangelio, quia *quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I), et Psalmista, *Ego dixi, dii estis* (*Ps.* LXXXI). Idem quoque in Evangelio Dominus ait, *Vos autem qui dii estis, quem me esse dicitis* (*Matth.* XX)? Si ergo sancti, filii Dei vocantur, nec solum filii Dei, sed etiam dii, quid mirum si appellantur angeli ? De his quippe angelis Isaias dicit : Angeli pacis amare flebunt ; et Zacharias : Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Isti in circuitu throni et animalium sunt, quia ipsi sunt throni et animalia, ipsi quoque angeli et seniores. Possumus et hos angelos intelligere supernos spiritus, qui in circuitu Ecclesiæ consistunt, ipsamque custodiunt, juxta illud Apostoli : *Nonne omnes spiritus ministratorii sunt, missi in ministerium, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* II). Non dubium est enim quod de reparatione humani generis ipsi quoque angeli sunt lætati, qui prius homines a suo consortio deputabant extraneos. Unde nato Domino, adfuit multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum et dicentium, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Sive hoc de hominibus sanctis sive de cœlestibus spiritibus dicatur, ostenditur multitudo innumerabilis, cum subjungitur : *Et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna.* Si enim certum numerum posuisset, summam eorum exprimens, et diceret decem millia, aut centum millia, aut si quid hujusmodi, utique finitum ostenderet numerum. Tale quoque legimus in Danielis volumine, qui dicit, *Millia millium ministrabant ei* (*Dan.* VII). Innumerabilis utique numerus angelorum numerabilem significat multitudinem electorum. Tot quippe homines sancti ascensuri sunt in cœlum, quot ibi remanserunt angeli pereunte diabolo, quoniam in omnibus angelorum ordinibus ipsi sancti locum habebunt. *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem.* Qui appellatur leo propter fortitudinem, ipse appellatur agnus propter innocentiam et simplicitatem, et quia in sacrificium est oblatus. Dignus est accipere virtutem, ut eadem scilicet virtus et fortitudo, quæ est in verbo, sit et in homine assumpto, ut omnia possit Deus et homo. Et divinitatem, *quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* II). Et sapientiam, ut sicut omnia scit Verbum ante sæcula a Patre genitum, ita sciat ipse homo in unitate personæ Verbo conjunctus, nec quidquam sit quod eum latere possit; ipsa est quippe Dei virtus et Dei sapientia, sicut dixit Apostolus : *Qui etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (*II Cor.* XIII). Unde Apostolus, Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus. Quod autem præmissa virtute, sapientia, et divinitate, fortitudo subjungitur, repetita sententia est, cum hoc sit virtus quod fortitudo, ubi adhuc subditur : Et honorem et gloriam et benedictionem, subaudis, dignus est accipere, honorem scilicet in resurrectione, gloriam in ascensione, benedictionem, quia sublevatus ad dexteram paternæ majestatis benedicitur, id est laudatur ab omni sua creatura. Dignum est enim, ut humanitas Filii Dei quæ tanta sustinuit cruciamenta, post sputa, post alapas, mortem, sepulturam, resurgat, et in dextera Patris collocetur, et ab omni creatura laudetur, adoretur, et glorificetur, atque benedicatur.

Et omnem creaturam quæ in cœlo est, et super terram, et subtus terra et quæ sunt in mari, et quæ in eo, dignus est accipere. Ut videlicet ipsa humanitas omnia possideat in cœlo, id est in angelis, in terra, in hominibus, sub terra, in inferno et in mari, et quæ sunt in eo. Hoc est quod ipse Dominus resurgens a mortuis, dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matt.* XXVIII), et Apostolus : *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Philip.* II). Possumus et mare allegorice intelligere hunc mundum, in quo comprehensi sunt centum quinquaginta tres pisces, quibus comprehenditur numerus electorum. *Omnes audivi dicentes sedenti super thronum et agno : Benedictio et honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum.* Omnes, id est animalia, seniores, et angelos, audivi dicentes sedenti in throno, Deo Patri, et agno Filio ejus. Quo in loco cum personæ Patris et Filii solummodo ponantur, ibi pariter et Spiritus sanctus intelligitur : quia ubi Filius et Spiritus sanctus, ibi etiam sine dubio comprehenditur et Pater. Hoc itaque nunc sancta Ecclesia generaliter facit quæ in his

animalibus, senioribus, et angelis demonstratur, quia laudat Creatorem suum, cui soli debetur honor, benedictio, laus et gloria in sæcula sæculorum.

Et quatuor animalia dicebant : Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt, et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum. Sicut sæpe dictum est, hoc sunt animalia quod seniores, id est totum corpus Ecclesiæ. Quamobrem et seniores cum animalibus Amen respondent, et animalia cum senioribus adorant et cadunt. Una enim eademque Ecclesia diversis vocabulis figurata, et Deum collaudat, et ipsam fidem interposito Amen veram esse confirmat, et eum quem vero laudis præconio attollit, cadens humiliter adorat. Quid sit autem iste casus et hæc adoratio, supra jam exposuimus. Sequitur:

CAPUT VI.

Et vidi cum aperuisset agnus unum ex septem sigillis. Apertio sigilli revelatio est sacramenti. Verum per septem sigilla, sicut supradictum est, plenitudo mysteriorum absconditorum designatur, quæ latebat ante adventum Domini. Quæ cum multa sint, et multimodis prænuntiata, ut ait Apostolus : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis* (*Hebr.* I), possunt tamen universa tribus modis comprehendi, scilicet locutione, actione et opere, verbi gratia : Ecce venio, locutio est : In capite libri scriptum est de me, cognitio est præmissæ locutionis, Christum demonstrans, de quo propheta : *Ecce veniet desideratus cunctis gentibus* (*Aggæ.* II). Nam et in capite Geneseos de eo dicitur, quod in principio, id est in Filio fecerit Deus cœlum et terram. Quod idem Filius de se ostendit in Evangelio, dicens Judæis : Ego principium qui et loquor vobis. Actione, cum sequitur, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus. Quam operationem idem quoque Filius suam esse ostendit cum in Evangelio loquitur, dicens : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris* (*Joan.* IV). Cæterum ut breviter dicamus, tunc agnus septem sigilla nobis aperuit, quando pro salute nostra, sicut erat in Scripturis sanctis de eo promissum, et nasci et mori et a mortuis resurgere, nec non ad cœlos ascendere voluit, et se ad judicium venturum esse prædixit. Unde et resurgens a mortuis, aperuit discipulis sensum ut intelligerent omnia quæ de ipso continebantur in Scripturis sanctis, dicens quia sic *oportuit pati Christum et resurgere a mortuis* (*Act.* XVII). Inde est etiam quod discipulis Spiritum sanctum se missurum promisit, qui eos doceret omnia, et qui eis quæ ventura erant annuntiaret.

Et audivi unum ex quatuor animalibus dicens tanquam vocem tonitrui : Veni et vide. In hoc loco unum animal primitivam Ecclesiam significat ex Judæis, de quibus scriptum est, quod una die crediderunt tria millia, alia quinque millia, et deinceps multa millia. Joannes autem Ecclesiam sequentem. Dicit ergo angelus Joanni : Veni et vide, quia videlicet Ecclesia primitiva sua doctrina et prædicatione invitat Ecclesiam sequentem, dicens : Veni ad fidem scilicet Christi, non gressibus corporis, sed fidei et mentis, et transiens a mystico legis et prophetarum eloquio ad cognitionis intellectum, et vide ea quæ ante sunt prædicta, jam aperte completa. Hinc est illud, *Audi, filia, et vide* (*Psal.* XLIV). Audi scilicet prædicta, vide completa.

Et ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona. Per equum album debemus intelligere corpus Dominicum ab omni peccato mundum : per sessorem illius, divinitatem Verbi, quæ nunc utique super hunc equum ascendit, quando Verbum Dei carnem et animam sibi intra uterum virginis conjunxit. Unde ipse per Psalmistam loquitur ad Deum Patrem, *ut jumentum factus sum apud te (Psal.* LXXII), etc. Per arcum duo significantur Testamenta, ex quo tot procedunt sagittæ, quot sunt divina eloquia. Sagittis enim interficiuntur homines, et his sagittis divinarum Scripturarum interficiuntur reprobi, ut moriantur peccato, et vivant Deo. Unde Psalmista : *Sagittæ tuæ acutæ* (*Psal.* XLIV), et cætera. His sagittis percussa fuerat Ecclesia, quæ dicebat : Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me et vulneraverunt me. Per coronam vero quæ illi data est, possumus intelligere credulitatem omnium gentium in circuitu hujus sæculi commorantium. Surrexit enim a mortuis, prædicatus est ab apostolis, creditus a toto mundo. *Et exiit.* Unde, nisi aperto sigillo, id est ex revelato Scripturarum sacramento. Tunc exiit de sigillo quando, sicut supradictum fuerat, incarnatus est, hoc est, quando Verbum caro factum est. Exiit autem *vincens* diabolum, primum in seipso, *ut vinceret* deinceps illum in membris suis. Possumus et per equum album intelligere generaliter universalem Ecclesiam, quæ dealbata est in baptismate, cui Christus præsidet, quæ dicit in psalmo quinquagesimo : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor.* Specialiter autem in equo albo ordo prædicatorum exprimitur, de quo dicit Habacuc (*Cap.* III): *Ascende super equos tuos*, et equitatus tuus sanitas est. Qui jure equi Domini vocantur, qui a Dominus illis præsidens per illos universas gentes circuivit prædicando atque ad fidem suam colligendo, quando illi profecti prædicaverunt ubique, de qua sessione etiam Dominus dicit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Eques ergo qui sedebat, habebat arcum, quia per prædicationem doctorum sententiis divini Verbi Christus percussit corda gentilium, et interfecit in eis vitia et peccata, ut posset resurgere sanitas virtutum. Corona autem secundum hunc sensum dupliciter potest intelligi : Vel victoria videlicet sanctorum de diabolo et persecutoribus hujus mundi, vel etiam multitudo subjectorum fidelium, pro quibus ipsi remunerationem æterni regni percipiunt, sicut Apostolus auditoribus dicit (*Philip.* IV) : Quod *gaudium* aut quæ *corona* gaudii mei, nonne vos

estis? Exivit hic ordo prædicatorum a Judæa cum suo equite, hoc est, cum Christo sibi dicente : Ite in mundum universum. Vincens primo diabolum in seipso, ut vinceret illum postea in aliis, quos ab idololatria traxerat ad Christi culturam.

Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens : Veni et vide. Et exiit alius equus rufus. Sicut superius per album equum intelleximus corpus Christi, hoc est, sanctam Ecclesiam a peccato mundam per baptismum et Christi passionem, sic in hoc loco per equum rufum debemus intelligere omne corpus diaboli, hoc est, omnes reprobos: quia sicut Christus est caput omnium fidelium, et omnes fideles corpus ejus in quibus ipse per fidem habitat, ita caput omnium reproborum est diabolus, et omnes reprobi corpus ejus, in quibus ipse habitat. Equus itaque rufus antiqui hostis est corpus peccatis cruentatum, et animarum interfectionibus sanguineum. Quod enim sanguis peccata significet, Psalmista manifestat qui dicit, *Libera me de sanguinibus Deus, Deus (Psal.* L). Ipsi enim reprobi peccatis sunt cruentati, et etiam homicidiis fœdati. Unde et per prophetam quibusdam Dominus dicit (*Isa.* I) : Cum clamaveritis ad me, *non exaudiam* vos. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Hinc est quod inferius bestia, super quam meretrix sedet, coccinea esse perhibetur.

Et qui sedebat super eum, datum est illi ut sumeret pacem de terra. Data est diabolo potestas ut sumat pacem de terra, quando permittitur justo Dei judicio, ut hoc possit facere. Tale est hoc, quale et illud : *Induravit Dominus cor Pharaonis* (*Exod.* XI). Notandum autem quia non de cœlo, sed de terra aufert ille pacem. Cœlum quippe significat sanctos, quibus Dominus ascensurus ad Patrem, dicit : *Pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV). Ab his non potest diabolus auferre pacem, quia cœlestes sunt, et terram calcant, habentes principem pacis habitatorem, de quo Paulus dicit: *Ipse est pax nostra* (*Ephes.* II). De terra enim, id est, de terrenis hominibus sumit pacem, facitque eos discordes, et zizaniorum divortia inter eos seminat, quoniam terra sunt, id est terrena et transitoria immoderate ambiunt. De quo adhuc subjungitur : *Et ut invicem se interficiant, datus est illi gladius magnus.* Gladium non corporeum debemus intelligere, sed spiritualem, quo non tantum corpora, quantum animæ jugulantur. Gladius enim hic intelligitur mala persuasio, locutio prava, deceptio iniqua, quo gladio duobus modis homines diabolus interficit, cum videlicet occulte mala suggerit per seipsum, vel etiam cum aperte justos persequitur per membra sua, unde in Evangelio habemus : *Cum diabolus se misisset in cor* Judæ, *ut traderet Dominum* (*Joan.* XIII), primum quippe gladio malæ persuasionis, ei in anima Dominum ut traderet, deinde persuasit ut semetipsum interficeret. Unde ille miser desperans, seipsum laqueo suspendit. Similiter quoque mulieri locutus est per serpentem, dicens : *Cur Deus præcepit vobis ne comederetis de* (*Gen.* III) ligno vitæ? Et per eam interfecit Adam. Hoc est enim quod hic dicitur, ut invicem se interficiant homines. Per membra sua etiam jugulat multos, et spiritualiter separando a fide, et corporaliter subtrahendo ab hac luce, sicut per Neronem, per Domitianum et cæteros. De talibus quippe Psalmista dicit : *Exacuerunt ut gladium linguas suas* (*Psal.* LXIII). Et rursus, *Lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI).

Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens : Veni et vide, et ecce equus niger. Per equum nigrum omne corpus intelligitur diaboli, sicut et supra per rufum, quod fuscatum est nigredine peccatorum, semperque patitur esuriem, quia cupit devorare alios, atque in malitiæ suæ ventrem trajicere. Et sicut caput eorum nequaquam dicit Sufficit, ita et isti nunquam satiantur. Unde bene subditur : *Et qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua.* Mercatores solent ferre stateram in manu, qui mercantur ea quæ sibi placent, pensantque ea quæ dant et accipiunt. Sed diabolus pessimus est mercator, qui dat vilia, ut auferat pretiosa. Statera itaque perversa ejus suasio intelligitur, quia vitam multorum mercari quærit, ut suam esuriem saturare queat. Et ut hoc possit facere, prius eis quibus temporalia promittit, alimentum Verbi Dei subtrahit, quo necatos in corpus suum assumens, famem malitiæ suæ augeat potius quam depellat. Dat vilia quædam et temporalia, ei aufert pretiosa et æterna, sicut Adæ dedit pomum, et totum per illum in filiis suis accepit mundum.

Et audivi vocem *tanquam vocem in medio quatuor animalium, dicentium : Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario, et vinum et oleum ne læseris.* Hæc vox quam audivit Joannes, vox intelligitur Dei omnipotentis, quando adunatis ad fidem gentibus, a læsione electorum Dominus antiquum adversarium compescuit ipsamque docuit, quemadmodum infestationem ipsius possent evadere, cum ait : *Pœnitentiam agite* (*Matth.* III), et cætera. Apostolis quoque jussit, ut euntes baptizarent omnes gentes, docentes eas ut a cultura idolorum ad verum Dei converterentur cultum. Tunc enim diabolus perdidit frumentum, hordeum, vinum et oleum, id est omnes fideles, cœpitque comedere paleas, vinacia bibere et amurcam. Unde et ipsa vox subdidit, dicens : Bilibris tritici denario uno, subauditur : Valet. Sed prius ista juxta litteram sunt consideranda : Bilibris tritici ita intelligitur : Duo sextarii, et tres bilibres hordei sex sextarii. Et præcipitur illi qui sedebat in equo nigro, hoc est, diabolo, ne frumentum tangat aut hordeum, quia duo sextarii tritici, id est bilibris denario uno valet, et tres bilibres hordei similiter uno denario. Sed jam nunc videamus quid ista significent : Licet omnis Ecclesia frumentum sit, juxta quod Apostolus dicit (*I Cor.* X) : *Unus panis, unum corpus : multi sumus in Christo*, tamen specialiter hic frumentum debemus intelligere prædicatores utriusque testamenti, qui moluntur tribulatione præsentis vitæ, et

excoquuntur igne passionis, et efficiuntur pulcherrimus Christi panis, illum imitantes qui dicit de se: Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, etc. Una ergo bilibris ex duobus sextariis, quia solet homo vas habere, quod capit duos sextarios, intelligitur una ecclesia ex duobus populis in unum collectis, juxta illud: *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor* (*Joan.* x). Sub duali autem numero comprehenditur propter duo testamenta, vel propter geminum dilectionis præceptum. Bilibris itaque tritici denario valet, quia omnes sancti pretioso Christi sanguine redempti sunt. Unde Apostolus: *Empti enim estis pretio magno* (*I Cor.* VI). Vel per denarium possumus intelligere ipsum Dominum Jesum Christum, quem accepturi sunt in remuneratione. Laborantes enim in vinea denarium acceperunt. Sive per denarium vita æterna intelligitur, quæ cunctis electis dabitur, cum audierint: *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXV). Tres autem bilibres hordei, subjectos et simplices significant auditores, qui sub ternario numero comprehenduntur, quia fide sanctæ Trinitatis ornantur. Unum itaque est frumenti et hordei, quia etsi alius alium fortitudine et dignitate præcellit, tamen omnes uno Christi sanguine sunt redempti. Etsi etiam alius plus, alius minus in vinea Domini laborat, tamen unum omnes post laborem denarium recipiunt. Etsi enim erit ibi diversitas mansionum, tamen una erit remuneratio: quia omnes in commune unum possidebunt Deum, et quod in se quis non habebit, habebit utique in altero, quia erit illis Deus omnia in omnibus. Et vinum et oleum ne læseris. Quod superius significatur per frumentum, hoc hic intelligitur per vinum: et quod supra per hordeum, hoc nunc per oleum, id est, omnes sancti in Ecclesia generali. Recte enim per vinum et oleum ipsi exprimuntur, quia sicut vinum et oleum ex multis botris in prælo pressis producitur, ita illi multis tribulationibus istius vitæ premuntur, et in apothecis Dominici cellarii conduntur. Et quia vinum, sunt baptizati in fide Dominicæ passionis. Et postea acceperunt oleum Spiritus sancti, prohibet divina virtus antiquum hostem ne eos lædat, ut suadendo mala aliquando eos ad peccatum pertrahat.

Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis, Veni et vide. Et ecce equus pallidus. Qui superius per equum rufum et nigrum, ipsi designantur et hic per pallidum, id est omnes reprobi ad pallorem æternæ mortis venturi, mortuis enim proprie pallor accidit. Nec mirum si per equi pallorem mors exprimitur, cum etiam ipse sessor mors vocetur. Unde subditur: *Et qui sedebat super illum, nomen illi mors.* Quo nomine diabolus intelligitur, quia invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum; qui super eos sedet, qui pallidi sunt, hoc est, qui opera mortis habent: et cum ipsi sint mortui, etiam alios exstinguere quærunt, unde et sequitur, quia *et infernus sequabatur eum.* Ipsi enim bene infernus appellantur, quia sicut infernus nequaquam dicit Sufficit, sed semper ad recipiendas animas sinum laxat, ita et isti mentem dilatant ad ambienda terrena, nec tantum acquirere possunt quantum cupiunt. Unde sequuntur diabolum, id est imitantur illum qui est caput omnis malitiæ. Unde scriptum est: *Imitantur qui sunt illum ex parte ejus* (*Sap.* II). Auctor itaque mortis contra vivos pugnaturus, super equum pallidum sedet, quia nimirum per officium eorum, quos jam spiritualiter occidit, vitam electorum exstinguere quærit. *Et data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio.* Hic aperte demonstratur, quia singulis gentibus Deus omnipotens angelos secundum meritum suum præposuit, et sicut bonis bonum, id est Michaelem præfecit angelum. Unde est, Nemo est adjutor meus, nisi Michael princeps vester, ita malis malos angelos præposuit, ideoque quatuor angeli qui quatuor regnis principalibus sunt præpositi, non boni fuerunt, sed mali. Data est illi potestas super quatuor partes terræ, id est super omnes reprobos, qui in quatuor partibus terræ morantur, in oriente scilicet, occidente, aquilone et meridie. Vel per quatuor partes terræ, possumus intelligere quatuor regna principalia, Assyriorum videlicet et Chaldæorum, Medorum et Persarum, Macedonum atque Romanorum. Sive etiam quatuor partes terræ, in quibus potestatem accepit diabolus, intelligamus hæreticos, paganos, judæos et falsos christianos. Super has quatuor partes terræ, id est terrenorum hominum, et per desiderium terram inhabitantium habet potestatem diabolus, et cum his contra unam Christi pugnat Ecclesiam, quam ideo scindere non potest, quia fide Christi est unita, juxta illud, *Una est columba mea* (*Cant.* VI): Et illi divisi, isti vero inveniuntur uniti. Interfecit vero has partes terræ gladio malæ suggestionis, ut supradictum est, *et fame* audiendi verbum Dei, de qua fame Dominus dicit per Amos prophetam (*Cap.* VIII). *Mittam* in eis *famem, non panis, non sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.* Quo in loco quæstio oritur: Si Deus hanc famem immittit, quid peccat diabolus? Quæ quæstio facile solvitur, quia quod Deus facit justo judicio, diabolus facit in suasione et mala voluntate. *Et morte*, subaudis, datum est illi interficere homines, spirituali scilicet atque interiori. *Et bestiis terræ.* Bestiæ efferatos homines et bestiales significant, per quos diabolus multos interfecit, sicut fuit Nero, Domitianus et cæteri persecutores sanctorum martyrum: de talibus dicit Apostolus: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ* (*Tit.* I), et alibi: *Si secundum homines ad bestias pugnavi Ephesi* (*I Cor.* XV).

Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi sub altare Dei animas interfectorum. In tabernaculo Moysi duo altaria fuerunt, prius scilicet ære coopertum sub divo, ubi sacrificia cremabantur: aliud vero interius ante velum, in quo tantum sanguis ponebatur et thymiama, et erat vestitum auro. Scisso autem velo, arca quæ erat intra Sancta sanctorum, conjuncta est altari aureo, ut jam nulla esset distantia inter

altare et arcam. Per hæc duo altaria, duo significantur populi : unus scilicet per altare exterius, id est carnalis in Judæis, qui tantummodo per legis opera et sacrificia putant se salvari posse et justificari. Per aureum autem quod erat interius, alter, id est spiritualis patres utriusque testamenti, qui non per legem aut opera sacrificiorum se putant salvari solummodo posse, sed potius per fidem Christi futuri, quoniam sicut doctores spiritualiter legem intellexerunt, ita et faciebant illi prophetæ scilicet, patriarchæ, et cæteri, quod in dictis David aperte probare possumus, qui ab adulterio sciens se non posse purgari per legis sacrificia, dicebat: *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.* Ideoque hoc fieri non posse considerans, adjungit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus (Psal* L). Sciendum vero quod altare illud aureum, de quo nunc agitur, prius quidem ante arcam erat, sed velum pendebat ante hoc et illud quod sanctum et Sancta sanctorum dividebat. Inter Sancta sanctorum vero erat arca, in qua duæ tantum erant tabulæ digito Dei scriptæ: per quam arcam Christus significatur, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ. Postquam vero verus pontifex venit, et velamen scidit, facta est arca et altare unum, quia scilicet caput et membra, id est Christus et Ecclesia, unum corpus sunt. Hujus itaque altaris in hoc loco mentio fit, cum dicitur, Vidi sub altare Dei animas interfectorum. Jam enim non duo sunt altaria, sed unum, quia Christus conjunctus est corpori suo. Ipse enim est altare, ipse sacerdos et sacrificium. Sacerdos, quia per illum munera nostra Deo Patri dirigimus. Unde et sacerdotes in singulis orationibus se per Dominum exaudiri optantes, sub nomine ipsius suas finiunt orationes, dicentes : Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Altare, quia semetipsum obtulit Deo Patri in ara crucis. Non ergo jam sunt duo altaria, sed unum, postquam verus pontifex ingressus est Sancta sanctorum cum parte corporis sui, et sicut illi jam cum illo sunt in re, ita et isti in spe. Itaque ipsæ animæ occisorum sunt altare, et tamen subtus altare sunt, quia per omnia coæquari capiti suo non possunt: quia ipse est Deus, illi homines : ille Dominus, isti servi. Ideoque et altare sunt capiti suo conjuncti: et sub altare, quia non illi per omnia coæquantur. Aliter: Ipsi qui sunt altare, subtus altare sunt, hoc est, sub se, quia nondum pervenerunt ad eam gloriam ad quam venturi sunt, quando erunt similes angelis Dei. Divisum quippe est adhuc desiderium illorum, quoniam exspectant resurrectionem corporis sui. Et sicut cum corpore et anima servierunt Christo, ita cum corpore et anima remunerentur, quia revera sic est dignum. Ideoque, quia necdum ad illam dignitatem ad quam venturi sunt pervenerunt, sub se sunt, quia post modum majores futuri sunt. Cum autem venerint ad tantam gloriam, jam non erunt sub se, sed in se. Quod tali exemplo cognosci potest: Ponamus quemlibet in monasterio nutritum, et postea abbatem

A constitutum, quamdiu talis sub prioribus vivit, quasi sub se est; cum autem abbas fuerit electus, jam non est sub se, sed in se. Tali modo tunc jam animæ fidelium sub se non erunt, quando animæ simul cum corporibus in immortalitate gaudebunt. Animæ occisorum dicuntur animæ martyrum. Duo quippe sunt martyrii genera in hoc mundo: unum scilicet apertum, quod fit in corpore, sicut martyrizatus est Petrus, Paulus et cæteri. Alterum vero occultum, quando sancti ab impiis opprobria et irrisiones et contumelias sustinent. De his duobus generibus martyrii dicit Dominus filiis Zebedæi, *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum (Matth.* xx)? et deinceps, *Calicem meum bibetis, cum* unus illorum fuerit decollatus, alter in pace vitam

B finierit, et tamen non sine martyrio fuerit, quia multa opprobria et adversitates pro Christo sustinuit. Unde legimus eum in Actibus apostolorum *(cap.* v) flagellatum cum cæteris, quando ibant gaudentes a conspectu concilii, et *propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant.* Istud est verbum, de quo Joannes : *In principio erat Verbum (Joan.* I). Cui verbo, quia habebant illud in corde, testimonia etiam proferebant in ore, juxta illud: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (Rom.* x). Vel quia verbum Dei gestabant in corde et ore, ostendebant testimonium in opere, nolentes idola colere, et propter hoc interficiebantur vel aperto martyrio, vel occulto, dum eos simulatores et hypocritas esse dicebant. *Et clamabant omnes* qui

C apertum sive occultum martyrium fuerant perpessi. *Voce magna dicentes : Usquequo, Domine, sanctus et verus non judicas et non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra ?* Quæstio oritur in hoc loco, cur sancti jam cum Domino manentes, vindictam de inimicis expetant, cum Dominus in Evangelio dicat : *Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (Luc.* VI)? Sed sciendum quia illi sancti jam in conspectu Creatoris sui consistentes, vident voluntatem illius, et ideo ab ipso accipiunt, quod eum velle facere noverunt, et de ipso bibunt quod ab ipso sitiunt. Petunt autem vindictam de inimicis duobus modis, et hoc causa charitatis, ut scilicet qui ad vitam æternam prædestinati sunt, convertantur a malo ad bonum. Qui vero præ-

D sciente Deo damnandi sunt, moriantur et peccare desistant, ut post hoc minorem pœnam in inferno habeant, ubi unusquisque secundum qualitatem operum sustinebit magnitudinem pœnarum. Quod petere utique charitatis est et misericordiæ. Non autem putandum est, quod illi corporeo modo vocem emittant, sicut nos qui aereum flatum in follem ventris trahimus per organum gutturis, sed vox illorum desiderium est ipsorum. Et tanto magis quisque illorum clamat, quanto magis desiderio flagrat. De hoc Psalmista ad Dominum : *Desiderium cordis eorum audivit auris tua (Psal.* IX). Petunt autem de reprobis vindictam, quia optant venire diem extremi

judicii, et resurrectionem suorum corporum præstolari.

Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Per stolas albas intelligere debemus mercedem baptismi, præmium martyrii, mercedem æternorum et gaudium cœlestis patriæ. Habent ergo ante resurrectionem sancti singulas stolas, quia in sola anima æternis beatitudinibus adhuc perfruuntur, postea autem accepturi sunt binas, quando receptis corporibus immutabiles erunt in anima, et incorruptibiles in corpore. De hoc Isaias: *In terra sua duplicia possidebunt* (*Isa.* LXI). *Et dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum et fratrum eorum.* Dictio ista inspiratio est divina, qua mentibus illorum desiderantibus diem judicii immittitur virtus patientiæ, ut patienter ferant omnia, exspectantes numerum illorum qui similiter interficiendi sunt pro Christo, cum eis postmodum regnaturi, ut qui desiderant recipere sua corpora, gaudeant ex numero colligendorum fratrum. Tali modo loquitur Deus omnipotens sanctis, veluti quilibet paterfamilias habens multos filios, singulisque de agro revertentibus et rogantibus ut cibum sibi tribuat, respondet: Refectio quidem vestra parata est, sed exspectate fratres vestros, ut cum in unum positi fueritis, omnes in commune comedatis, et epulemini gaudentes. *Qui interficiendi sunt sicut et illi.* Vel aperto scilicet martyrio, vel occulto.

Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, terræmotus factus est magnus. Quid hoc loco per terræmotum debemus intelligere nisi validissimam persecutionem quæ futura est temporibus Antichristi? Unde bene non simpliciter dixit, terræmotus factus est, sed cum additamento, terræmotus factus est magnus, quia sicut Dominus dicit, talis erit tunc tribulatio, qualis non fuit, neque fiet ex quo homines esse cœperunt. *Et sol factus est niger sicut saccus cilicinus.* Cilicio peccatores homines et rei induuntur. Sol autem Christum significat, de quo scriptum est: *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ (Malach.* IV). De quo etiam impii dicturi sunt gementes. Et sol justitiæ non luxit nobis. Fiet itaque tunc sol tanquam saccus cilicinus, quando hi in quorum cordibus lucebit Christus, pro nihilo ducentur, et veluti peccatores et rei interficientur a ministris Antichristi. Aliter: sol ipsos significat prædicatores, quibus Dominus dicit: *Vos estis lux mundi (Matth.* V). Qui utique tunc fient tanquam saccus cilicinus, quia celabunt coram impiis quidquid habebunt luminis et virtutis. In illis quoque obscurabitur sol, qui timore concussi, aut blanditiis deliniti, negabunt Christum, et ad tenebras erroris devolventur. *Et luna tota facta est sicut sanguis.* Luna Ecclesiam significat, quæ tunc tota fiet sicut sanguis, qui non in uno loco, sed in omnibus mundi partibus persecutio Antichristi contra Ecclesiam grassabitur.

Et stellæ cœli ceciderunt super terram. Cœlum est sancta Ecclesia, de qua Dominus dicit: *Cœlum mihi sedes est* (*Act.* VII), et Salomon (*Sap.* II): Anima justi sedes sapientiæ. Stellæ ergo cœli sancti sunt, qui in tenebris istius vitæ lucent, veluti in firmamento stellæ. Qui tunc utique de cœlo cadent, quando sub illa persecutione validissima, fide recedunt, qui prius fide recta et operibus justis videbantur lucere. In terram cadent, quia terrenis delectationibus inhærebunt, et ex ipso amore terreno ad iniquitatem ruent. Unde subditur: *Sicut ficus mittit grossos suos cum a vento movetur.* Licet ficus in Evangelio synagogam significet, specialiter hic omnem Ecclesiam significat, de qua tunc cadent qui infructuosi fuerant et a bonis operibus vacui. Grossus enim fici appellatur fructus primi temporis, qui antequam veniant ad maturitatem, vento concussi cadent in terram, ita et illi qui necdum pervenerunt ad maturitatem bonorum operum, et vacui sunt, concussi vento, id est extrema persecutione decident in terram, hoc est in terrenas delectationes. Qui ventus bene magnus dicitur, quia, ut supra dictum est, persecutio illa etiam electos occupabit.

Et cœlum recessit sicut liber involutus. Quod est cœlum, hoc est et liber, id est sancta Ecclesia, quia dum Deum habet habitatorem, habet quoque et Dei legem scriptam, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalis. Intuendum autem quod ipsa Ecclesia sicut liber involutus recessisse dicitur. In libro enim involuto quid interius contineatur, non videtur, nisi ab illis quibus voluntarie aperitur. Sic nimirum sancti illius temporis et suis se manifestabunt, et extraneis se celabunt, sicut legimus in passionibus sanctorum martyrum. Cujus videlicet membra Joannes alloquitur, dicens: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt* (*I Joan.* IV). Recedet autem Ecclesia in suis electis a reprobis, non abscessu corporis, sed fide et operatione, juxta illud (*Isa.* LII). Egredimini *de medio ejus*, populus meus, et immundum ne tetigeritis. *Et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt.* Per montes in hoc loco debemus intelligere præcipuos sanctos in Ecclesia constitutos, qui cæteris eminent, sicuti montes planitiem terræ transcendunt ad quos pertinet illud, quod Dominus per prophetam dicit: *Sustollam te super altitudinem terræ* (*Isa.* LVIII), qui movebuntur, non ut a fide recedant, sed corpore et animo atque opere recedunt a societate reproborum, audientes illud prophetæ, sicut supra dictum est: Exite de illa populus meus. Hoc est de Babylone, quæ peccata significat, et societatem malorum: insulæ quoque Ecclesias significant, qui sicut insulæ tunduntur fluctibus, ita Ecclesiæ fluctibus persecutionum istius vitæ tunduntur, de quibus per prophetam dicitur: *Me insulæ exspectabunt, et brachium meum sustinebunt* (*Isa.* LXI). Quæ similiter sicut et montes separabuntur, dum a malis fide et operatione disjungentur.

Et reges terræ, et principes et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber, absconderunt se in speluncis et petris montium. Reges sunt, qui corpora

sua bene regere noverunt, ne scilicet vitiis insolescant, ne penuriis succumbant. Principes autem sunt minoris dignitatis sancti, qui non omnibus ut reges, sed tamen quibusdam pro concessis virtutibus resistunt. Tribuni vero, qui adhuc minoris potestatis quam principes, et ipsi inquantum prævalent, contra vitia carnis dimicant. Divites quoque non opibus, sed bonis operibus vocantur ; unde Apostolus admonet divites fieri in bonis operibus, fortes, non corporis virtute, sed animi. Servus, qui conjugio obligatur. Liber quoque, a conjugio et a peccatis absolutis. Isti omnes ultima persecutione deprehensi, fugient, et abscondent se in speluncis et petris montium, id est, suffragia sanctorum hominum et angelorum expetent. Ad hos montes novissima persecutione comprehensos hortatur fugere Dominus in Evangelio, dicens : *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes* (*Matth.* XXIV).

Et dicent montibus et petris, id est angelis et hominibus. Qui recte montes appellantur, quia terrena despiciunt, et cœlestia contemplantur. Recte petræ, quia a Christo qui est petra, roborantur. *Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira agni.* Id est, misericordia animum inflectite, et nos piis vestris intercessionibus adjuvate ab ira judicantis.

Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum. Id est, damnatio reproborum. *Et quis poterit stare?* Id est, nullus. Si enim sancti illius iram tunc timebunt, et angeli quoque timore concutientur, quis nostrum sustinebit, in quo et justus vix salvabitur? De hoc tempore propheta dicit : *Dies illa dies iræ* (*Soph.* I.) Possumus et hæc in contrariam partem intelligere. Montes enim sæpe in sacro eloquio superbos significant, unde est illud Isaiæ : Super montem caliginosum levate signum, in quibus verbis Balthasar voluit intelligi, infidelitatis et impietatis nebula coopertum. Insulæ autem appellantur, qui sæcularium negotiorum fluctibus quatiuntur, et instabiles sunt. Isti tales movebuntur a bono ad malum, a fide ad infidelitatem, ut cupiditatem suam possint implere. Qui etiam sub pacis tempore non solum exterorum substantiam præripiunt, sed etiam in morte propinquorum gaudent, atque eorum bona in suos usus convertunt. Reges autem, principes, ac tribuni, juxta qualitatem graduum, omnes reprobos significant, majoris scilicet dignitatis homines, mediocres, et minores, qui timentes amittere regna et honorem, dum viderent Antichristum regnare et membra illius, transibunt ad eos et movebuntur ad malum, ut eis parcant, et divitias non amittant. Divites quoque appellantur peccatis, qui omne malum quod voluerunt implere, libere poterunt, nec in malo aliorum auxilio indigebunt. Fortes similiter in malo intelligimus ad miscendam scilicet ebrietatem, vel ad fidem aliorum subvertendam. Servi peccato servientes sunt, quia qui facit peccatum, servus est peccati. Liberi a justitia, id est alieni a justitia; unde Paulus: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ* (*Rom.* VI). Isti omnes imminente futuro judicio, current ad auxilium dæmonum, cum desperati ad sanctorum quemlibet non præsument accedere, dicentes : Cadite super nos, et abscondite nos ab ira sedentis in throno, id est modo liberate nos, quia in vobis hactenus confisi sumus.

CAPUT VII.

Et *post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ.* Quatuor angeli stantes super quatuor partes terræ, principes sunt, præpositi super quatuor regna principalia, Assyriorum videlicet et Chaldæorum, Medorum et Persarum, Macedonum et Romanorum. Super has quatuor partes terræ, stabant quatuor angeli nequam, quia eos ad sui servitii dominum inclinaverunt. *Tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.* Quod sunt quatuor angeli, hoc sunt et quatuor venti, id est quatuor dæmones, principalitatem super quatuor regna tenentes. Unde in Danielis volumine legimus, quod quatuor venti pugnabant in mari magno, et quatuor bestiæ consurgebant de terra, quæ sunt præfata quatuor sæculi regna. Tenebant ergo angeli quatuor ventos, id est seipsos in suis membris. Quia enim diabolus et omnes iniqui unum corpus sunt, profecto et in angelis et in ventis ipse intelligitur. Ipsi angeli tenebant quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, quia quatuor dæmones singulis regnis prælati, ita tenebant omnem subjectum populum ut nullus alicujus flatum regionis auderet contra eos emittere, aut mutire contra illos, et verbum veritatis efflare adversus idola, ut diceret : Non sunt dii, qui hominum manu efficiuntur, sed sunt simulacra ad nihilum utilia. In terra autem diversitas provinciarum, in mari vero innumerositas designatur insularum. Per arbores quoque intelliguntur homines singuli, quia ab universitate redit ad specialitatem, quia ipsi dæmones omnes homines in his quatuor regnis degentes, pro suo tenebant astrictos servitio.

Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens : Nolite nocere terræ et mari neque arboribus. Alius angelus Dominum significat Jesum Christum, de quo scriptum est : *Vocabitur nomen ejus* magni consilii angelus (*Isa.* IX). Ab ortu solis ascendit, quia tertia die resurrexit a mortuis, et sua resurrectione totum mundum illuminavit per evangelicam doctrinam. Unde Psalmista dicit : *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen* est *illi* (*Psal.* LXVII). Venit ergo ab ortu solis, et præcepit quatuor angelis, ne nocerent terræ et mari, quia surgens a mortuis, prohibuit dæmones a læsione eorum, qui ad vitam æternam sunt prædestinati. Unde et ipsa quatuor regna sibi subdidit, et ad notitiam et ad cultum unius Dei perduxit, hinc est quod Nabuchodonosor vidit lapidem præcisum de monte, qui percussit statuam in ferreis pedibus, et comminuit pariter

aurum, argentum, et æs. In auro enim intelligitur regnum Assyriorum, in argento Medorum, in ære Persarum et Macedonum, in ferro regnum Romanorum significatur. Christus enim natus de stirpe Judaica, sine opere maritali, per prædicationem apostolorum percussit extremitatem regni Romanorum, et tunc præfata omnia sæculi regna contrivit, quæ illi erant subjecta. Lapis autem crevit, et suscitatus est in regnum, quod in æternum non dissipabitur. Unde et subditur, *Quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum*. Ubi intuendum, quia cum superius unum angelum se vidisse dicat Joannes, ipse angelus nunc pluraliter loquitur dicens : Quoadusque signemus, ego scilicet et apostoli mei. Quod enim fecerunt apostoli, ipse Christus fecit, qui in ipsis habitat juxta illud : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Signum hoc, quo signantur omnes servi Dei in frontibus, ipsum signum est sanctæ crucis, quod fideles in Ecclesia dupliciter, in corpore scilicet et anima, portant. In corpore scilicet, quia signantur in fronte in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. In anima vero, quia Christi passionem imitantur, crucifigentes se cum vitiis et concupiscentiis. Unde in Veteri Testamento præceptum est, ut super utrumque limen de sanguine agni ponerent, quia non prodest hoc signum exterius quidquam, nisi ipsum quis accipiat et interius: fides enim si non habeat opera, mortua est. Dicit ergo : Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum, ac si diceret : Nolite lædere illos qui ad vitam æternam sunt præordinati ante omnia sæcula; unde Apostolus : *Qui elegit nos ante mundi constitutionem in adoptionem filiorum Dei* (*Ephes.* I).

Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. In hoc loco finitus ponitur pro infinito nec pertinet solummodo ad duodecim tribus filiorum Israel, sed ad omnem Ecclesiam, quæ per hunc numerum comprehenditur in suis electis, quod etiam natura ipsius numeri demonstrat. Ternarius enim summum bonum significat, id est sanctam Trinitatem. Quaternarius vero sacratus est similiter propter quatuor libros Evangelii. Vel propter quatuor flumina paradisi, sive etiam propter quatuor partes mundi, seu propter quatuor virtutes principales. Sive igitur ducantur tria per quatuor sive quatuor per tria, duodecim faciunt, qui et ipse sacratus est propter duodecim tribus Israel, et propter duodecim apostolos. Millenarius enim numerus perfectionem significat, quia sæpe pro universitate ponitur. Unde est : *Verbi, quod mandavit in mille generationes* (*Psal.* CIV). Ecclesia igitur, quia Trinitatis notitia ex universis generationibus aggregatur, quatuorque paradisi fluminibus irrigatur et in quatuor mundi partes distenditur, recte in duodenis millibus figuratur. Sed si in eo quod credidit perficiatur, necesse est ut duodenarius millium numerus quadra soliditate jungatur. Ducantur ergo duodecim millia per quatuor, et qua-

A draginta octo millia fiant. Ut vero quod credidit, ad Trinitatis contemplationem pertingat, rursum quadraginta octo millia ter multiplicentur, et de se centum quadraginta quatuor millia reddant. Nam et centenarius numerus, qui a læva transfertur ad dexteram, generalem significat sanctorum numerum, qui in perfectione operis inventi, in dextera sunt collocandi.

Ex tribu Juda duodecim millia signati. Manifeste in hoc loco ostenditur, non nos debere hic carnalem accipere generationem, per hoc quod non secundum ordinem nativitatis suæ filii Jacob ponuntur in hoc catalogo. Nam Judas qui hic primus ponitur, utique quarto loco natus est. Gad quoque hic est tertius, ibi octavus invenitur. Similiter de cæteris est in- B tuendum. Quod quare factum sit, ipsa nominum interpretatio manifestat : Judas quippe interpretatur confessio sive laudans, in quo Ecclesia comprehenditur, quæ de peccatis præteritis pœnitentiam agit, et a laude Creatoris non cessat. Confiteor enim æquivocum verbum, et pro confessione ponitur et pro laude. Unde Dominus : *Confiteor tibi, Pater cœli et terræ* (*Matth.* XI). Et Psalmista : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo* (*Psal.* CXXXVII). *Ruben* dicitur videns filium. Et in hoc loco ipsam Ecclesiam significat, quæ filios, id est bona opera videt. Unde est : Videas filios filiorum tuorum. Filii quippe filiorum, intelligitur remuneratio operum. Spiritualis itaque est ista prosapia, quia et in Juda præcessit initium confessionum, et in Ruben succedunt incrementa C virtutum. Qui si primus poneretur, ordo nativitatis suæ confunderetur. Prius enim recedimus per confessionem a malis, deinde proficimus ad subsequentia bona, ut informemur rectis et placitis. Post Ruben recte ponitur *Gad*, qui tentatio interpretatur, quia bene operantes solet probare tentatio. Unde cuidam dicitur : Quia acceptus erat Domino, necesse fuit ut tentatio probaret te : et quia contra easdem tentationes divina virtute præcincti fortes existunt, recte idem Gad accinctus vocatur. Unde Psalmista : *Præcinxisti me virtute ad bellum* (*Psal.* XVII). Et quia sancti clauso ostio orant Patrem, et sua opera inquantum possunt favori humano celant, ut qui videt in abscondito eis reddat. Recte etiam convenit quod idem Gad latrunculus dicitur. Et quia illata D tentatio probatos coronat, congrue post Gad :

Aser ponitur, qui beatus interpretatur. Unde est : *Beatus vir qui suffert tentationem* (*Jac.* I). Certi autem sancti de ista promissione, non solum patienter illata sibi perferunt mala, sed etiam in ipsis tribulationibus constituti a latitudine charitatis non recedunt, atque idcirco post Aser *Nephthalim* ponitur, qui latitudo interpretatur. Per illud enim mandatum currunt, de quo Psalmista dicit: *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII.) Et quia per hoc amplissimum dilectionis præceptum gradientes, ea quæ retro sunt oblivioni tradunt, et in ante se extendunt, seque peregrinos in hac vita esse conspiciunt, ideoque et mendicos se esse fatentur, jure post Nephthalim

Manasses ponitur, qui oblitus interpretatur, vel necessitas. Oblitus scilicet, quia unum quod retro est dimittunt; necessitas vero, quia ad ea quæ desiderant, necdum pervenerunt. Hinc Psalmista: *De necessitatibus meis erue me* (*Psal.* XXIV).

Unde et bene post Manassen *Simeon* collocatur, qui audivit tristitiam appellatus interpretatur, quia videlicet desiderium illorum postulantium dissolvi, ut possint esse cum Christo, sæpe differtur, non tamen aufertur. Unde necesse est etiam ut nomen habitaculi retineant, quod idem Simeon sonare videtur: quoniam qui mœrent in tabernaculo corruptionis, debent gaudere de habitaculo æternæ quietis, scientes quia in terrena eorum habitaculo dissolvitur, habent ædificationem in cœlis, domum non manufactam. Cui *Levi* succedit, qui additus dicitur, quia videlicet tales jam omnia conculcantes terrena, superaddunt sibi præcepta non jussa, ut est virginitas, erogatio dimidii bonorum vel facultatum, et cætera hujusmodi, quæ non jussu, sed concilio sunt superaddita. Quibus nimirum bene convenit, quod *Issachar* post Levi annectitur, qui merces interpretatur. Talibus enim debetur merces remunerationis, quorum uni dicit Jeremias: *Quiescat vox tua ploratu, quoniam merces est operi tuo* (*Jerem.* XXXI). Tales autem qui ita vivunt, et solummodo pro remuneratione æternæ vitæ laborant, solent aliquando tentationes probare. Unde bene post Issachar:

Zabulon ponitur, qui interpretatur habitaculum fortitudinis. Non enim tales succumbunt tentationibus, sed virtus in infirmitate perficitur. De talibus dicit Apostolus (*Hebr.* XI): *Convaluerunt de infirmitate. Fortes facti sunt in bello*, quia corpus illorum quod ab inimicis putatur infirmum, et per quod animæ parant interitum, invenitur invictum. Qui etiam dum a malis persequuntur talentum divini verbi sibi creditum expendere quoque inimicis non cessant, atque idcirco post Zabulon bene *Joseph*, qui augmentum vocatur, subjungitur, quia ut augmentum lucri de accepta pecunia referant, hanc inimicis erogare non trepidant. Et quia omnes isti in dextera sunt æterni regis locandi, qui in virginibus, continentibus, ac bonis conjugatis, in duodecim istis inveniuntur profectibus animarum, bene post hos omnes *Benjamin* ponitur, qui filius dexteræ interpretatur. Quasi enim ab ejus dextera generantur, qui ejus virtute in hoc sæculo proteguntur. Hoc etiam non est prætereundum cur Dan de hoc catalogo fuerit ejectus, cum in cæteris libris sicut et cæteri fratres inveniatur. Manasses enim qui non fuit filius Jacob, sed qui alienigena matre natus est, id est, de Aseneth filia Putipharis sacerdotis Heliopoleos, locum ejus teneat. Ad quod dicendum, quod de Dan nasciturus est Antichristus, juxta illud Jacob, *Fiat Dan coluber in via*, etc., usque *cadat ascensor ejus retro* (*Gen.* XLIX). Ejicitur itaque ex hoc loco Dan, ut ostendatur Antichristus ex numero sanctorum ejiciendus. Aliter: Dan interpretatur judicium transiens Hebræorum; quia scilicet, postquam veritas apparuit, omnia illorum sacrificia et victimæ transierunt, et veritas surrexit per Manassen, hoc est per populum gentilem, quæ oblivioni tradidit idola. Finito enim sacerdotio quod in figura præcesserat, statim surrexit verum in Ecclesia sacerdotium secundum ordinem Melchisedech. De hoc enim Dominus per prophetam dicit: *Ecce dies venient et consummabo super domum Juda testamentum* (*Jerem.* XXXVIII). Et Apostolus: *Quod enim antiquatur et senescit, prope interitum est.* Jam enim Domino adveniente, illud sacerdotium Judæorum in vetustatem fuerat versum, et ad senium declinabat, ideoque cito periit adveniente vero sacerdote Christo. Recte ergo sexto loco pro Dan, qui inde est ejectus, Manasses constituitur, quia videlicet in sexta mundi ætate, adveniente Domino Jesu Christo, Judaica plebs et sacerdotium et omne bonum perdidit, et in ejus loco Manasses, id est populus gentilis est ascitus, atque in filium adoptatus. Et sicuti Dan de hoc catalogo spirituali est ejectus, ita omnes reprobi ejicientur de consortio sanctorum in die judicii.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Hoc est, postquam audivi numerum fidelium qui comprehenduntur in duodecim tribubus Israel, vidi turbam quam dinumerare nemo poterat. Numerus electorum apud Deum finitus est, sed apud homines est infinitus. Unde ad homines est referendum quod dicitur: Quam dinumerare nemo poterat. *Ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis.* Cum dicit ex omnibus gentibus, et deinde subinfertur. Et tribubus, ostendit quia in omnium gentium nomine comprehenduntur fideles omnium tribuum, et econtra in tribuum nomine comprehenduntur fideles omnium gentium. Sancta Ecclesia in tres ordines dividitur, in prælatos, conjugatos, et continentes. Numerus ergo præmissus non est accipiendus pro finito, sed pro infinito. *Stantes ante thronum et in conspectu Agni.* Per thronum (sicut frequenter dictum est) intelligitur Ecclesia, quæ est sedes Dei, secundum illum: *Anima justi sedes sapientiæ* (*Sap.* V). Stat Ecclesia ante thronum, id est ante seipsam, quia circumspecta est, et sibi providet, ne aliquid indecens faciat. Stat, dum animum suum in soliditate dilectionis et fidei roborat. Hinc Psalmista: *Statuit supra petram pedes meos* (*Psal.* XXXIX). In conspectu etiam agni stat, quia de sua conscientia fida, omnia opera sua vult videri a Deo, a quo remuneretur, unde et unus ex his astantibus dicebat: *Vivit Dominus in cujus conspectu sto (IV Reg.* III). *Amicti stolis albis.* Per stolas albas accipe sinceritatem et puritatem baptismi, purgationem occulti et aperti martyrii, ablutionemque fontis lacrymarum. Ante Mediatoris adventum, corda humani generis maculis peccatorum erant respersa, sed dealbata postea sunt tribus modis superius dictis. Sunt multi, qui has stolas post baptismi ablutionem mundas conservant, quia nullum mortiferum crimen admittunt. Alii sunt, qui coinquinantur diversis sceleribus, sed ut ad pristinum decorem redeant, se occulto vel aperto mar-

tyrio gemitibus lacrymarum candificant, sicque ut omnes fideles stolas habeant superius positas. *Et palmæ in manibus eorum*. Per palmas triumphus victoriæ designatur, per manus vero virtus operationis exprimitur. Palmas ergo in manibus habent electi, dum quolibet modo triumphant de antiquo hoste et hujus sæculi voluptatibus. Vel per manus intellige potestatem. Quod enim per manus potestas designetur, habes in Evangelio, dicente Domino: Nemo potest rapere oves meas de manu mea (*Joan*. x), hoc est de potestate. Potestatem enim accepimus ut filii Dei essemus, dicente beato Joanne: Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Palmas habemus in manibus, hoc est victorias, cum de operibus bonis contra diabolum et incentiva carnis triumphamus. Cujus nimirum victoriæ summa, in capite membrorum consistit.

Et clamabant voce magna, dicentes. Vocem magnam, non strepitum vocis, sed desiderium summum sanctorum accipiamus. Unde est: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus (Psal*. x). Hinc Moysi cum nihil exterius diceret, sed intus tantum gemens oraret, Dominus ait: *Quid clamas ad me* (*Exod*. XIV)? *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno*. Salus omnibus quæcunque tribuitur hominibus, sive in corpore, sive in anima, ipsi est deputanda; unde Psalmista: *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua* (*Psal*. III). Salus Deo nostro, id est Deo Patri: et Agno, id est Dei Filio, qui sedet super thronum, qui Agnus appellatur propter innocentiam et victimationem. Sicuti autem hic introducit Patrem et Filium sedentem, et intelligitur Spiritus sanctus, ita superius ubi solum Filium commemoravit, Pater et Spiritus sanctus pariter intelliguntur. Tale quid legimus in Evangelio, Domino dicente: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan*. XVII). Ista est enim consuetudo divinæ Scripturæ, sicut supradictum est, ut ubi ponit Patrem et Filium, simul intelligatur Spiritus sanctus. Super thronum sedet, id est super Ecclesiam, quæ est sedes Dei, regnatque in cordibus fidelium habitando.

Et omnes angeli stabant in circuitu throni et seniorum et quatuor animalium. Quod sunt throni, hoc sunt seniores, hoc et quatuor animalia. Genus in genere est in hoc loco sicut legimus supra de arca et de octo animabus. Ecclesia enim propter diversa officia diversis modis exprimitur. Quia enim Dominus in Ecclesia regnans, singulariter cuncta examinat, recte per unum thronum designatur: quia vero ipsa Ecclesia in capite suo aliorum facta judicat, recte per seniores: quia quoque pascuis virentibus per fidem, jam in quibusdam membris inhæret, in quibusdam vero per spem fruitur, bene per animalia: quia hæc ventura prædicando annuntiat, aperte per angelos: quia etiam ex diversis gentibus aggregatur, jure per turbam figuratur. Unde et auctor hujus revelationis ut hanc turbam innumerabilem ipsos esse angelos ostenderet, solummodo eorum casum commemorat. Neque enim convenit ut angelis adorantibus homines rigida cervice starent. Angelos itaque hic accipimus ipsos electos qui designantur per viginti quatuor seniores, qui recte angeli vocantur, quia vitam æternam annuntiant. Electi, ut diximus, angeli sunt, qui aliquando stantes, aliquando sedentes introducuntur. Stantes, sicut hic: sedentes, sicut ibi: *Illic sederunt sedes in judicio* (*Ps*. CXXI). Et: *Sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (*Matt*. XIX). Ipsi sunt in circuitu throni, quia Ecclesiam doctrina, prece, exemplo undique ambiunt. *Et ceciderunt in conspectu throni in facies suas*. Casus iste humilitatis indicium est, quia electi quidquid boni habent, non suis meritis, sed gratiæ Dei deputant, a quo omnia bona sumuntur, secundum illud: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jacob*. I). Et nota quod electi in faciem, reprobi vero retro cadunt, quia electi videlicet in futuro sibi prospiciunt, reprobi vero quæ eos in futuro sequantur, providere negligunt. *Et adoraverunt Deum, dicentes: Amen, benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen*. Hæc omnia cum pertineant ad sanctam Trinitatem, quæ unus et verus est Deus, specialiter tamen ad incarnati Verbi personam referuntur, et infidelium ora Judæorum hac auctoritate clauduntur. Ipsi enim dicunt Christus vester purus homo fuit. Nec mendax, sed Deus et homo una veritas, quod sonat amen, quia amen dicitur verum vel fideliter. Ipsi etiam dicunt: Maledictio congruit crucifixo, quia *maledictus homo qui pendet in ligno* (*Deut*. XXI). Nos e contrario dicimus, quod nulli melius convenit benedictio, quam illi qui maledictum legis abstulit a nobis, et benedictionem Abrahæ ad gentes pervenire fecit. Ipsi quoque dicunt: Non convenit homini mortuo claritas, sed soli Deo vivo. Nos e contrario dicimus nemini magis quam illi ascribendam claritatem, quia in divinitate manens ipse est auctor lucis æternæ, et humanitate ad horam mortuus, tertia die surrexit per gloriam Patris, et est illi claritas comparticeps, et vivit ac sedet in dextera Dei Patris. Ipsi nihilominus dicunt: Non est vester Christus illa sapientia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, quoniam parvulus ex nostra sorore natus est, et per incrementa temporum sapientia ut homo profecit. Nos econtra dicimus: Non est illa sapientia passa detrimentum in assumpto homine, cum idem secundum quod homo erat, profecit sapientia, sed magis hæc ab illa sumpta mansit una sapientia, qua sapientia mundus est factus, et restauratus homo de terra creatus, de terra ad cœlum sublevatus. Ipsi dicunt: Nulla ei debetur gratiarum actio pro salute animarum, quia suam ipse liberare non potuit: nos econtra: Nulli convenientius quam illi debetur gratiarum actio, qui ut afferret salutem animarum nostrarum, propria potestate voluit animam ponere: quod si nollet, nun-

quam poneret. Ipsi etiam dicunt : Nulla ratio permittit honorem deitatis illi ascribi, qui exprobratur irrisus, contemptu dignus habitus est. Et nos econtra : Per hoc a nobis dignius honorandus est, quia pro nobis indigna sustinuit. Ipsi etiam nihilominus dicunt : Non fuit Christus æterna virtus et fortitudo, quia lassari potuit ex itinere. Nos econtra respondemus, Quia *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (*I Cor.* I). Illius enim infirmitas totam mundi fortitudinem ac virtutem prostravit.

Et respondens unus de senioribus dixit mihi : Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt? et dixi illi : Domine mi, tu scis. Quare dicit, respondens : nulla interrogatione præmissa? Consueto more Scripturæ loquitur, quæ solet plerumque nullo interrogante, ita respondentis voce proferre sententiam. Unde in Evangelio legimus quia respondens Jesus dixit : *Confitebor tibi, Domine, Pater cœli et terræ* (*Matth.* XI). Et alibi legimus, quia respondens angelus dixit mulieribus : *Nolite timere* (*Matth.* XXVIII), nulla interrogatione ipsarum mulierum præmissa. Hoc autem in hac revelatione unius senioris responsio dissimilitudinis habet ex illis, quia ista interrogativa est, illa indicativa. Quid itaque in uno seniore accipimus, nisi ordinem prophetarum unitatem omnium prædicantium? Viginti quatuor enim seniores propter numerum duorum testamentorum, qui duodenario duplicato numero in duodecim tribubus et duodecim apostolis exprimuntur, sæpius hic frequentantur. In uno vero seniore unitas eorumdem testamentorum. Vel certe senior ipse seniorum, Dominus videlicet prædicatorum designatur. Ideo autem interrogat senior, ut quærat Joannes, quærens audiat, audiens intelligat, intelligens ad imitanda quæ quærit, semetipsum accendat. Denique ostenduntur ei amicti stolis albis, ut talem habitum, tale concupiscat indumentum. Sed statim requiritur qui sint, aut unde venerint, quatenus scilicet si vult in talium transire numerum, dum audit qui sint et unde venerint, studeat talis esse, quales illos cernit, satagat inde venire, unde alios venire cognoscit. Quid vero sint stolæ albæ, paulo superius dictum est. Dicatur igitur : Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt? ac si prædicatores sancti, vel Dominus prædicatorum piis auditoribus diceret : Quotquot ante mundi constitutionem electi sunt, nunquid amatores mundi sunt? nunquid voluptatum suarum sectatores? nunquid per iter voluptatis ambulaverunt? Ad hæc cum Joannes ex persona bonorum auditorum uni seniorum respondit : Domine mi, tu nosti, rursum ille ex persona Domini vel prædicatorum ejus subinfert.

Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Cujus videlicet vox toto isto tempore per ora docentium talia clamat, talia prædicat. Unde et in eo quod dicit : Venerunt trium temporum summam concludit, præteriti scilicet, præsentis, et futuri, pro eo quod est, venerunt, veniunt, atque venturi sunt. De tribulatione magna, hoc est, adversitatibus hujus sæculi, juxta quod Apostolus ait : *Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei* (*Act.* XIV); et Psalmista : *Multæ tribulationes justorum* (*Psal.* XXXIII). Magnas quippe sancti tribulationes perferunt, dum alios jugulo stravit gladius, alios crucis patibulo affixit, alios in se subjectos aqua absorbuit, alios edax flamma consumpsit. Nec solum pertinent ad hanc gloriam, qui ejuscemodi corporaliter tormenta perferunt, sed et illi, qui in pacis tempore pie vivere in Christo cupiunt, et persecutionum opprobria, irrisionesque aliorum pro Christo sustinent, vel jejunia adhibent, vigiliis insistunt, orationes multiplicant, voluntates proprias gladio præcepti interficiunt, sicque suas stolas, hoc est, sua corpora in sanguine agni candificant, dum Christi, capitis videlicet sui, imitantur exempla, vel pro illo patiendo, vel aliorum illatas contumelias patientur tolerando, vel semetipsos vitiis et concupiscentiis mortificando.

Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus. Et qui sedet in throno, habitat super illos. Ac si diceretur : Propterea ad numerum pertinent electorum, propterea thronus Dei, propterea templum Dei sunt, propterea in templo ejus sanctam illi exhibent servitutem, quia talibus vestimentis induti, quia sanguine agni videntur abluti. Ipsi enim a conditore tanquam thronus præsidentur, ipsi tanquam templum inhabitantur, ipsi et ante thronum in templo Deo servire probantur, quia et ipsi sunt simul templum et thronus Dei. Nam quod dixit : Sedet in throno, hoc repetivit, dicens : Habitat super illos, ubi et thronum et templum eos esse demonstravit. Serviunt autem die ac nocte, id est in prosperis et adversis fidei atque operationis rectitudinem servant. Dies enim prosperitatem, nox vero significat hujus sæculi adversitatem, sed in utriusque sancti Deo serviunt, quia eos nec prosperitas, nec adversitas a beata institutione et libera conditoris sui servitute valet inclinare, et hæc in Ecclesia, hoc est in semetipsis.

Non esurient neque sitient amplius, et non cadet super illos sol, neque ullus æstus; quoniam Agnus qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Causa redditur, cur non esurient, neque sitient, neque solem (id est, æstum) patientur, quia vestimentis albis coruscare videntur, cum dicitur : Quoniam Agnus qui in medio throni est, reget eos, et cætera. Non esurient, neque sitient, inquit. Famem quippe sancti jam non patientur, quia præsentia illius satiabuntur, qui est panis vivus de cœlo descendens. Hinc Psalmista : *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI). Sitim quoque non sustinebunt, quia ipse est potus vitæ. Unde Psalmista (*Psal.* XXII) : *Dominus regit me*, etc., usque *Super aquam refectionis educavit me.* Et non cadet super illos sol neque ullus æstus, hoc est adversio aliqua, tribulationisve angustia, vel persecutionis et tentationis molestia non eos gravabit, quia ipsius obumbratione tegentur. Cui Psalmista dicit : *Obum-*

bra caput meum in die belli (*Psal.* CXXXIX). Solis A quippe et æstus nomine sæpe solet tribulatio persecutionis accipi. Unde de seminibus jactis in Evangelio ipse Dominus dicit, quia quod supra petram cecidit, sole orto æstuavit. Agnus vero qui in medio throni est, reget eos, hoc est, Christus in medio Ecclesiæ suæ consistens, eos gubernabit, et ad vitæ fontes aquarum deducet eos, hoc est, ad contemplationem sanctæ Trinitatis Hinc Psalmista : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV). Quod tale est, quasi diceret : In fonte tuo videbimus fontem. Spiritus quoque sanctus fons appellatur, ut in Evangelio ipse Dominus dicit : Si quis sitit, veniat et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ ; ut quid aquarum fons, et non simpliciter fons introducitur, nisi quia simplicitas donorum per B hanc sententiam exprimitur? Unus enim fons propter unitatem naturæ Patris, Filii et Spiritus sancti. Aquarum vero fons propter numerositatem, ut diximus, gratiarum introducitur. Ad vitæ itaque fontes aquarum deducet eos, hoc est, ad contuendam sanctæ Trinitatis majestatem, quo fame ac siti depulsa, nec solem nec æstum patientur vitiorum, vel perturbationum nullo calore urentur. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Deus omnipotens miro pietatis affectu aliquando patrem, aliquando matrem se ostendit, quia plangentium filiorum lacrymas abstergit. Hinc ut pater aversos filios revocat, dicens: *Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras* (*Jer.* III). Materna quoque viscera pietatis transcendens, ait : *Nunquid oblivisci potest mu-* C *lier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui* (*Isa.* XLIX) ? Tamen si illa oblita fuerit, ego non obliviscor tui. Ecce amat ut pater, ecce miseretur etiam ultra matrem, lacrymasque ab oculis tergit electorum. Notandum autem quod omnem lacrymam abstergere Deus promittat. Variæ enim sunt electorum lacrymæ, quoniam alius propterea plangit, quia malum egit, quia bonum non fecit ; alius, quia dura correptionis flagella sustinet ; alius, quia vitiis impugnatur ; alius, quia diu a regno peregrinatur. Talique modo varii sunt in hac vita fletus sanctorum, qui tunc utique abstergentur ad plenum, quando instante tempore gaudii æterna jucunditas succedet, juxta illud : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* III). Et alibi : *Iterum autem videbo vos, et* D *gaudebit cor vestrum* (*Joan.* XVI). Tunc utique absterget omnem lacrymam, quoniam nihil eis adversi accidere potuit, unde vel modicum contristentur.

CAPUT VIII.

Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, quasi media hora. Cœlum (ut frequenter jam diximus) justorum Ecclesia vocatur, quæ scilicet dum a frequentia rerum corporalium, contemplatione intima cujusdam secreti secessum petit, et cogitationum tumultus reprimens, in internæ quietis secretum penetrat, quasi quoddam silentium Deo in mente præparat. Sed quia in hac vita nequaquam contemplatio perfecte agitur, animoque renitenti cogitationum tumultus se ingerunt, recte per silentium quasi media hora factum dicitur. Quod si in hac vita fuisset perfectum, nequaquam quasi media hora quæ imperfectionem significat, sed integra perhiberetur factum, quæ perfectionem demonstrat. Quasi ergo media hora fit silentium in cœlo, cum electorum animus in hac mortali vita, et aliquid de superna quiete percipit, et tamen in eo quod perceperat, diu stare non valet.

Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ. Ordo præposterus est in hoc loco, quia prius venit unus angelus ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua, et sic septem angeli acceperunt septem tubas. Per septem angelos, prædicatores universalis Ecclesiæ intelliguntur, qui bene angeli vocantur, quia æternam vitam nobis annuntiant de quibus scriptum est : *Angeli pacis amare flebunt* (*Isa.* XXXIII). Recte etiam septenario numero exprimuntur, quia videlicet septiformi spiritu replentur. Recte septenario numero terminantur, quia universitati credentium præponuntur, septenario enim numero et universitas et perfectio designatur; unde est : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII). In conspectu quoque Dei stare perhibentur, quia calcatis omnibus terrenis voluptatibus, contemplationi quoque Dei adhærent, ejusque voluntatem, qui nusquam deest, considerant : et quod ei placere sciunt, opere perficiunt. Hinc Paulus ait : *Sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur* (*II Cor.* XII). Et Elias : *Vivit Dominus in cujus conspectu sto III Reg.* XVII). Per septem quoque tubas, Scriptura Veteris ac Novi Testamenti intelligitur, propter septiformem Spiritum, per quem omnis Scriptura dictata est, et intelligentibus reserata. Quæ Scriptura tubæ comparatur, quia magna annuntiat : unde ipsis prædicatoribus dicitur : Quasi tuba exalta vocem tuam. Datæ sunt illis ab angelo, id est, a Christo qui omnibus doctoribus intelligentiam divinorum voluminum in utroque testamento dedit; unde sequitur :

Et alius angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum. Iste angelus alius, qui stetit ante altare, intelligitur homo Christus Deus, de quo propheta dicit : *Vocabitur nomen ejus magni consilii angelus* (*Isa.* IX). Ipse est enim nuntius paternæ voluntatis qui venit et stetit ante altare cum aureo thuribulo, ut ostenderet quia ipse est verus pontifex futurorum bonorum. Sacerdotis quippe ministerium est altari assistere, et aptatum aromatibus thymiama sollicite cremare. Ipse est enim angelus angelorum, et pontifex pontificum. Porro ante altare, id est, ante omnem ecclesiam, quæ igne divini amoris accenditur, et verum sacrificium (id est, cor contritum) Domino offert, semetipsum mactans, ut hostia viva et rationalibus fiat, ante hoc altare enim stat angelus, id est, pontifex verus, per quem omnia munera nostra Deo Patri mittimus: unde et sa-

cerdotes singulis suis orationibus ejus memoriam A faciunt, ut per illum exaudiantur, dicentes : Per Dominum nostrum Jesum Christum. Unde intuendum, quod Joannes ita hæc descripsit, dicens : Venit et stetit. Venire quippe ad humanitatem pertinet, per quam habuit transire de loco ad locum : stare autem ad divinitatem, per quam ubique præsens est, juxta illud: *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* XXXIII). Venit ergo ad nos per humanitatem, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, qui ubique habet esse per divinitatem, secundum quam omnia facta sunt. Habens thuribulum aureum. Quid per thuribulum aureum in quo ignis ponitur, nisi corpus Domini intelligere debemus? Tunc enim accepit thuribulum, quando suæ divinitati nostram conjunxit mortalitatem, quod thuribulum bene au- B reum dicitur, quia videlicet in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Verbum enim, et homo una est sapientia, de qua scriptum est : Accipite sapientiam sicut aurum. Possumus et per thuribulum aureum, in quo cremantur aromata, intelligere Ecclesiam, quæ igne divini amoris accensa, mundas ad Deum dirigit orationes, dicens cum Psalmista : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (Psal.* CXL). Nam et ipsa sapientia repleta est, quam ab ipso suo percepit capite. *Et data sunt illi incensa multa.* Quid incensa significent, et supradictum est, et hic aperte manifestatur, cum subditur : *Ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum.* Ipsi C enim angelo dantur incensa, ut ea super altare, hoc est, super semetipsum offerat Deo Patri, per quem orationes et omnia opera sua sancti ad Patrem dirigunt, juxta quod scriptum est : *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*I Joan.* II).

Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli. Sicut fumus ex crematis aromatibus procreatur, sive virtus compunctionis ex studio orationis gignitur. Sed de manu angeli coram Deo ascendunt, quia per Redemptorem nostrum, quæ a fidelibus committuntur, ad Deum Patrem perveniunt. Quia vero ignis mittitur in thuribulo, ut inde fumus generetur, patet (sicut dictum est) quod per D thuribulum et ipse Dominus, et totum corpus ejus intelligitur, in quo mittitur ignis Spiritus sancti, de quo Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram*, (*Luc.* XII). Isto igne electi accensi, et fumum compunctionis ad Deum per Christum dirigunt, et ad Dei amorem et proximi accenduntur.

Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris. Tunc enim angelus thuribulum accepit, cum Dominus sibi intra uterum virginis naturam humanam conjunxit, vel cum primum in Judæa discipulos elegit, quia non de alio spiritu, sed ex seipso de quo impleta est Ecclesia, ipse replevit corpus suum; verum cæteros ad mensuram, ipsum autem plenitudo spiritus implevit. *Et misit in terram.* Hoc dupliciter potest intelligi. Primus enim misit Spiritum sanctum in terram, hoc est, in apostolorum corda, quando resurrectionis suæ tempore surgens a mortuis, insufflavit et dixit eis : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* X); deinde misit eumdem Spiritum sanctum in terram, hoc est, in corda gentilium, qui crediderunt in eum per prædicationem apostolorum; primum fecit in Judæis, hoc per se quos collegit ad fidem suam, deinde in gentibus, ad quorum salutem misit apostolos, qui credentes in eum, meruerunt accipere Spiritum sanctum. *Et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terræmotus.* Prædicantibus apostolis facta sunt ista tonitrua, id est, comminationes et terrores ut : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (*Matth.* VII). Et : Tunc dicet rex his qui a sinistris erunt : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Et voces exhortationum, ut : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Et : *Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Et fulgura et terrores miraculorum, quibus fideles et ad vitam præordinati illuminabantur. Alii enim excæcabantur, assignantes ea diabolo potius quam Deo. Terræ motus, id est, persecutiones contra credentes, quibus illi exercentur.

Et septem angeli qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tuba canerent, id est, omnes prædicatores universalis Ecclesiæ, qui habebant scientiam duorum testamentorum, præparaverunt se ut tuba canerent, id est, ut Evangelii doctrina insonarent. Duobus modis se præparant electi ad prædicandum: primo, quia antequam verbum prædicationis ad publicum proferant, cogitant quemadmodum singulis personis verbum aptent secundum qualitates singulorum, quomodo scilicet servis, quomodo dominis, quomodo prælatis, quomodo subjectis, quomodo simplicioribus, quomodo perfectioribus, sicut Paulus, qui benignos hortabatur dominos, ut misericordiam impenderent servis, scientes quoniam communis omnium Dominus in cœlo est. Servos quoque monebat ut debitum impenderent dominis, non ad oculum servientes. Vel certe præparant se, quia quæ prædicaturi sunt, prius ipsi faciunt, primumque ea in se ostendunt factis, deinde etiam verbis, ut simplices exemplo erudiantur operis : perfectiores vero, verbo exhortationis. Sic enim fecit et Dominus, juxta quod Lucas dicit : *Quia cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I).

Et primus angelus tuba cecinit. Quod est primus angelus, hoc sequentes : quia quod unus, hoc sunt et septem, id est, omnis Ecclesia sanctorum. *Et facta est grando et ignis mista in sanguine.* Per grandinem ira omnipotentis Dei designatur, unde scriptum est : Ira Domini sicut grando descendens. Per ignem autem, odium et invidia intelligitur reproborum adversus sanctos. Statim enim ut apostoli cœperunt prædicare grandinem, id est, vindictam Dei, reprobi accensi sunt zelo et odio, quod per ignem

designatur. Quod autem post ignem sanguis sequitur, A ad damnationem reproborum pertinet, quia videlicet velut homicidæ humanum sanguinem fundentes, ita tales qui insecuti sunt veros prædicatores, peribunt, dicente Domino : *Qui odit fratrem suum, reus erit judicio* (*Matth.* v). Et Joannes : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III). Non autem mirum, si inde electi clementiam inveniunt, unde reprobi iram incurrunt, dicente Apostolo : *Quia aliis sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam* (*II Cor.* II). Et Simeon de ipso Domino : *Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel* (*Luc.* II). *Et missum est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum combusta est, et omne fenum viride combustum est.* Per terram terreni homines designan- B tur, super quos ira omnipotentis Dei cadit. Sed cum dictum est, quod tertia pars terræ combusta est, sic videntur, hæc verba sonare, quasi in duabus partibus electorum plures remanserint, quam in tertia perierint, sed non est ita, quia scriptum est : Multi sunt vocati, pauci vero electi. In duobus itaque partibus comprehenduntur omnes boni, qui divisi sunt in duali numero, id est, in prælatis et subjectis, in prædicatoribus et auditoribus, de quibus supradictum est : Beatus qui legit et audit verba prophetiæ hujus. In tertia autem parte omnes reprobi, id est hæretici, pagani, Judæi, et falsi christiani. Super hos omnes grando, id est ira Dei, venit et ignis æternæ damnationis, cum sanguine, id est, C vindicta homicidii et cæterorum peccatorum, quæ per sanguinem intelliguntur, juxta illud : *Libera me de sanguinibus* (*Psal.* L). Verum hoc est terra, quod arbores, id est malorum summa. Ipsi enim sunt terra quærentes terrena, ipsi quoque arbores instabilitate nutantes, de quibus per Apostolum dicitur : Hi sunt arbores autumnales, infructuosæ, eradicatæ, bis mortuæ. Quod autem omne fenum viride combustum esse dicitur, repetita sententia est, in tertia parte scilicet, sicut et supra, id est memorata pars malorum qui fenum sunt, hoc est, illecebrosi et voluptuosi, luxuriam suam sequentes. De talibus propheta dicit : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus ut flos feni* (*Isa.* XL). Quo contra : Qui de panibus Dei reficiuntur, super fenum D discumbunt, quia omnes in se carnales voluptates comprimunt.

Et secundus angelus tuba cecinit, et tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare. Mons magnus est diabolus, qui se extollit in altitudinem superbiæ, unde et in principio suæ creationis voluit fieri similis illi de quo scriptum est : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, dicens : Ascendam super altitudinem nubium, et ero similis Altissimo* (*Isa.* II et XIV). Vel etiam propterea mons appellatur, quia in novissimo tempore ingredietur perditum hominem, et ipse Deo similem se esse ostendet, juxta quod Apostolus ait : *Adversabitur et extolletur super omne quod dicitur Deus aut quod colitur* (*II Thess.* II). Igne ardet, hoc est, malitia et invidia torquetur. Unde et primum hominem idcirco decepit, quia invidit ei locum quem ipse perdiderat. Missus est in mare, hoc est, in mundum, et in cordibus reproborum habitare cœpit. Canente itaque tuba angelo, mons magnus igne ardens missus est in mare, quia prædicante Ecclesia in suis doctoribus, exclusus est ab his diabolus qui ad vitam æternam erant præordinati, et compulsus est redire ad suos, non quod in eis ante non fuerit, sed quod abjectus ab istis, eo amplius reprobis damnari cœpit. *Et facta est tertia pars maris sanguis.* Sic visum est illi factum in mari, sicut olim fuerat factum in Ægypto, ad egressum filiorum Israel. Porro per aquam in sanguinem versam, sapientia carnalis intelligitur, quæ in sanguinem vertitur, quando aperte mala agere persuadet, non solum eos qui extra Ecclesiam, sed etiam hæreticos et falsos christianos qui suas voluntates sequi desiderantes, defendere se conantur, per suam sapientiam et inanem philosophiam. Unde scriptum est : *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III). Et sic ad perversitatem erroris vertitur sapientia carnis. Tertia autem pars creaturæ quæ mortua est in mari, secundum prædictum sensum, intelliguntur hæretici, falsi christiani, pagani, et Judæi, qui, licet vivant corpore, mortui sunt in anima, et in hoc mundo versi sunt in sanguinem, id est, in perpetrationem malorum operum, quæ ut diximus, designantur per sanguinem.

Et tertia pars navium interiit. Naves et in bonam partem ponuntur, et in malam. In bonam, ut legimus in Evangelio, quod *Dominus ascendens in navim, abiit trans fretum* (*Marc.* VI). In malam, ut hic. Tertia autem pars navium in prædictis hæreticis et cæteris intelligitur, qui absque gubernatore feruntur, ideoque in mari istius sæculi fluctibus tunduntur et submerguntur.

Et tertius angelus tuba cecinit, et cecidit de cœlo stella magna ardens tanquam facula. Quod enim primus angelus, hoc secundus et tertius et cæteri, id est, universalis Ecclesiæ prædicatores. Sed quia sibi invicem succedunt, sicuti martyres apostolis, ipsique martyribus confessores et virgines, ideo taliter distinguuntur, ut dicatur primus, secundus, tertius, et cæteri. Ipse autem designatur per stellam, qui et per montem, antiquus videlicet hostis, qui inter cætera cœli clara lumina creatus, primum adhuc tantum nomen retinet, non quod luceat, sed quia in angelum lucis se transfigurat. Nam et in cœlo stella magna Lucifer appellatur, quæ præ cæteris lucet. Et ad ipsum per Isaiam dicitur : *Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris* (*Isa.* XIV)? Et quia etiam præ cæteris sideribus, id est angelicis spiritibus luxit, recte non simpliciter stella, sed cum additamento stella magna vocatur. Cecidit de cœlo, hoc est, de societate angelorum, juxta illud : *Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem* (*Luc* X). Quia vero postquam cecidit humano generi invidit, me-

rito tanquam facula ardens appellari debuit, quia videlicet ardet invidia, et totum mundum consumpsit. Unde est : *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum (Rom.* v).

Et cecidit in tertiam partem fluminum ; et in fontes aquarum. Quod sunt flumina, hoc sunt et fontes. Flumina enim a fontibus oriuntur, et sic ad mare currunt. Aquæ autem multæ, populi multi sunt. Ideoque hic flumina vel fontes ipsos hæreticos significant, et cæteros qui sub tertia parte comprehenduntur, in quos diabolus cecidit, cum humano generi invidit, et per eos doctrinam erroris seminavit. Quod tale est, quasi diceret in tertiam partem hominum ; unde subditur:

Et nomen stellæ absynthium. Per absynthium, quæ amarissima est herba, doctrina hæreticorum intelligitur perversa, qui per suam falsitatem dulcedinem fidei converterunt in amaritudinem perfidiæ et erroris et operationis, quia omnis operatio illorum et doctrina in amaritudinem versa est. Ejectus enim ab electis antiquus hostis, dum reprobos invadit mendacio, illos veneno inficit. Mendacium autem non solum perversæ credulitatis, verum etiam malæ operationis noxam intelligere debemus. Quod enim sancta Ecclesia in sacris paginis rectæ fidei congruere docet, hoc hæretici, Judæi, atque philosophi in pravum dogma convertunt; et quo illi ad incrementa virtutum, hoc pravæ viventes catholici ad incitamenta vitiorum utuntur. Quamvis autem et illi de Domino multa intelligant, et isti quædam salutaria peragant, totum tamen amarissimum est, quod et illorum verba sonant, et istorum opera clamant.

Et multi hominum mortui sunt ex aquis, quæ amaræ factæ sunt. Id est ex doctrina hæreticorum perfida et amara multi perierunt. Multos siquidem habuerunt discipulos, qui eorum exempla et doctrinam sunt secuti, qui omnes mortui sunt, non tantum morte corporis, quantum morte animæ.

Et quartus angelus tuba cecinit, et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et non luceret diei pars tertia et noctis similiter. Per solem et lunam et stellas in hoc loco Ecclesiam intelligere debemus, quæ obscurata in tertia sui parte, duabus partibus permanentibus in claritate, in bonis prælatis et subditis, in doctoribus et auditoribus. Ipsa enim Ecclesia solis nomine nuncupatur, sicut in Canticis canticorum dicitur : *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol* (*Cant.* III)? Stellarum quoque nomine eadem Ecclesia nuncupatur, juxta quod Apostolus dicit : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* (*Philip.* II). Quandiu itaque hæretici in Ecclesia erant, quasi lux esse putabantur, sed statim ut error illorum detectus est, et a catholicis fides illorum explorata, agnita est eorum cæcitas, et obscurati sunt, quia ab Ecclesia abjecti sunt verbi gratia : Cæcus si ponatur in radio solis, quia lippientes oculos habet, statim cæcitas illius mani-

A festatur, quoniam ipsum modicum lumen quod videbatur habere, perdidit, ita illi statim ut in conspectu examinantium positi sunt, cognitus est eorum error, et qui prius videbantur lucere per fidem, cœperunt obscurari, et ab Ecclesia expulsi sunt propter suam infidelitatem. Quod dicit : Tertia pars solis percussa est, etc., solis percussio ad diem, lunæ autem vel stellarum, referenda est ad noctem. Significatur autem in sole apertus error hæreticorum, in luna vel stellis occultus, quia quidam illorum apertis, quidam autem occultis persuasionibus in abditis, quos possunt decipiunt. Notandum autem quod non dicit : Percussa est tertia pars eorum et obscurata, sed : Percussa est ut obscuraretur, ad hoc scilicet percussa est ut postea obscuraretur, quia illi

B videlicet vulnerabantur occulte in mente, postea vero obscurabantur, quando ab Ecclesia expellebantur et anathematizabantur aperte. Sed ne talium perditio ad Deum referatur, hoc quod de præfatis luminaribus dicitur, Percussa est tertia pars eorum ut obscuraretur, sic intelligatur, sicut cor Pharaonis ab ipso indurari dicitur, cujus duritia per ipsum misericorditer non emollitur. Neque enim culpa est solis, quod suis radiis lippientibus oculis cæcitatem infundit, sed magis ad vitia oculorum redigendum est, qui ex lumine tenebrescunt. Omnipotens autem Deus bene utens malis nostris, multa ex his operari consuevit. Excitavit enim doctores error schismaticorum ad defendendam veritatem fidelium, quia proculdubio nequaquam ad disserendas Scripturas tanto studio

C vacassent, si erroris mendacium veritati resistens non increvisset. Hinc scriptum est, quia *oportet hæreses esse* (*I Cor.* XI).

Et vidi, et audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magna : Væ, væ, væ, habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium angelorum qui erant canituri tuba. Quod significant angeli, hoc etiam aquila, id est universalem Ecclesiam, sive doctores specialiter, qui volant per medium cœlum, hoc est, per mediam Ecclesiam currunt, quæ cœlum appellatur, quia sedes Dei est. Quod autem dicit Joannes, Vidi et audivi vocem unius aquilæ, ostendit procul dubio quia in spiritali visione hoc est videre, quod audire, hoc audire, quod videre. Tria

D væ æternam significant damnationem, quæ in trium angelorum vocibus, qui sequuntur, continetur. Quod vero non de præcedentium quatuor angelorum vocibus, sed trium subsequentium, qui erant canituri, vocem unius aquilæ volantis vidisse se dicit et audisse, atque lugentis, nimirum aperte innuit, quia electorum Ecclesia venturas diversæ calamitatis plagas lugere simul ac prædicare non cessat, ac si ipsa Ecclesia diceret : Reproborum perditionem per totum tempus præsentis vitæ lugere simul ac prædicare me cerno. Bene autem una aquila volans per medium cœlum Ecclesiam significat, quæ unitate fidei consistit, et calcatis terrenarum voluptatum desideriis, intima contemplatione ad cœlestia sublevatur, cujus videlicet membra cum Apostolo dicunt :

Nostra conversatio in cælis est (*Philip.* III). Bene autem per medium cœlum volat, qui hinc inde orbem terrarum in electis possidet, cujus prædicatio non simpliciter vox, sed cum additamento vox magna vocatur, quia in toto mundo sonuit, sicut de primis prædicatoribus ejus dictum est : *In omnem terram exivit sonus eorum* (*Rom.* X). Vel certe magna vox pro magnæ libertatis audacia ponitur. Et notandum quia non cælum, sed terram inhabitantibus væ futurum lamentando denuntiat, terrenis scilicet desideriis atque oblectationibus deditis.

CAPUT IX.

Et quintus angelus tuba cecinit : et vidi stellam de cælo cecidisse in terram. Hæc stella, ut supra dictum est, diabolum significat, qui se transfigurat in angelum lucis, unde quibusdam apparens dicit se esse Christum, sicut beato Martino. De hoc cœlo cecidit, hoc est, de numero angelorum, vel de cœlo, hoc est, de Ecclesia cadit quotidie, quando ex gentilitate quidam convertuntur ad fidem, sive ex parentibus christianis nati, fonte baptismatis regenerantur, et diabolo renuntiant, et omnibus operibus et pompis ejus. In terram cadit, hoc est, in eos qui terreni sunt. Non enim in cœlo, id est in sanctis potestatem habet.

Et data est ei clavis putei abyssi. Quid per abyssum, nisi prava designantur corda reproborum peccatis tenebrosa ? De hac abysso dicitur in Genesi : *Tenebræ erant super faciem abyssi* (*Gen.* I). Per puteum autem hæretici intelliguntur, quia sua prava doctrina et profunda homines in ima terræ demergunt. Clavis vero putei abyssi, potestas intelligitur diaboli, qui dominatur hæreticis, paganis et cæteris infidelibus. Legimus enim quod Petro datæ sunt claves, id est potestas ligandi et solvendi. Ita ergo in hoc loco clavis, quæ data est diabolo, potentia intelligitur, quam exercet in reprobos. Quæ illi data esse dicitur propter hoc, quod non est ablata, sicut induratum est cor Pharaonis, id est non emollitum.

Et aperuit puteum abyssi. Quia ipse inspirat hæreticis, ut tenebras suæ doctrinæ proferant ad decipiendum quos possunt. Ipse hoc facit, quia eo instigante fit. Sive per clavem possumus intelligere potentiam carnalem, id est, reges et principes hujus sæculi, quos sibi conjungebant hæretici, quia non auderent tanta et talia loqui, nisi temporali essent potentia fulti. *Et ascendit fumus putei*, id est, pravorum hæreticorum doctrina manifestata est. Quæ bene fumo comparatur, quia lumine veritatis caret, et quod sanctis in Scriptura sacra lumen præbet, hoc hæreticis cæcitatem infundit, qui etiam aliis fidei lumen obscurare non cessant. *Sicut fumus fornacis magnæ.* Fornax autem magna novissima est vexatio, tempore antichristi futura, de qua videlicet fumus egredietur, id est adversa doctrina, quæ mentes pereuntium in caliginem vertat, cui fumus putei comparatur, quia sicut nunc et eo amplius error, ita tunc seminabitur ab impiis, unde dicit : Erit tribulatio qualis non fuit neque fiet. Quo in loco quæstio oritur, quare dicatur fumus putei similis fumo fornacis magnæ : si enim tunc tribulatio erit, qualis non fuit, quomodo nunc similis est doctrina hæreticorum doctrinæ antichristi ? Sed sciendum quia illa persecutio et falsa doctrina antichristi et cæterorum ex parte similis erit, ex parte dissimilis. Similis erit in persecutione sanctorum, in errore mendacii : dissimilis vero in hoc quod tunc illi miracula facturi sunt, cum sint falsi doctores, quod isti facere non possunt, ideoque immanior erit illa, quia per utraque decipiet. *Et obscuratus est sol et aer.* Id est Ecclesia, quia quod per solem, hoc significatur per aera, et hoc in tertia parte sui, id est, in omnibus reprobis est intelligendum ut supra.

De fumo putei, id est, de hæreticorum doctrina, *Exierunt locustæ in terram.* Discipuli scilicet erroris nati sunt, qui terrena corda hominum deciperent. Nam locustæ neque rectos gressus habent, ut quædam animalia, neque volatum ut aves, quia discipuli hæreticorum vel ipsi hæretici neque rectam habent fidem, ut volent, et cœlestia cum sanctis petant, de quibus Isaias dicit (*c.* LX) : *Qui sunt isti qui ut nubes volant ?* neque rectos gressus operationis, ut cum Psalmista dicere possint : *Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos* (*Psal.* XXXIX). Saltus dant locustæ, et virentia quæque corrodunt, quia illi per jactantiam elevantur, et animas quas possunt quæ virorem fidei habent, necant. *Et data est illis potestas, sicut habent scorpiones potestatem terræ.* Potestas nocendi scorpionis in cauda est. Per hanc enim percutit et venena diffundit. Scorpio quoque in facie est blandus, sed occulte cauda percutit. Tales sunt hæretici, qui falsis vera permiscent, ut facilius auditores decipiant, sicque veneno malæ doctrinæ decipiunt simplices, de quibus Psalmista ait : *Sepulcrum patens est guttur eorum* (*Rom.* III). Et sacra Scriptura testatur quia propheta docens mendacium, ipse est cauda.

Et præceptum est illis ne læderent fenum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis. Superius dictum est quod omne fenum viride combustum est, quod in sui tertia parte intelligitur. Ergo hic fenum in bonam partem ponitur. Significat enim lactentes, qui non possunt capere solidum cibum, sed veluti animalia, litteræ superficie delectantur. Quibus Apostolus ait : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus tanquam parvulis in Christo lac potum vobis dedi, non escam* (*I Cor.* III). Omne autem viride, intelliguntur proficientes, qui jam possunt intelligere et capere quod Joannes dicit. *In principio erat verbum* (*Joan.* I). Porro arbores perfecti quique et fortes atque in fide robusti sunt, quoniam hi tales tentationum ventos perferre possunt, et firma stabilitate perdurant. De quibus Psalmista : *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt* (*Psal.* XCI).

Sed et hic a toto pars intelligenda est, ut supra, qua duabus scilicet partibus permanentibus in Ecclesia, a quarum læsione prohibentur locustæ, tertia pereat. Unde et statim subjungitur : Nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis, subaudi digne, quia non solum excluduntur illi qui extra Ecclesiam sunt, id est pagani et Judæi, sed etiam falsi Christiani, qui signum portant in corpore, qui baptizati sunt, et in Ecclesia consistunt, sed tamen fidem quam habere videntur, operibus maculant, ideoque læduntur. Tale est illud : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo (Joan.* VI). Cum multi eadem sacramenta percipiant, in quibus non habitat Christus, quia non ad salutem, sed ad judicium suum manducant et bibunt, ideoque rei sunt corporis et sanguinis Christi. Et alibi dicitur sub eodem sensu : Nemo dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Cum utique multi eum tantum verbis fateantur, sed habentes formam pietatis, virtutem ejus abnegant, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.

Et datum est illis ne occiderent eos. Ad superiora respiciunt ista, id est ad fenum, ad omne viride, ad arbores, quæ in bonum intelleximus, et a quorum morte et læsione prohibitæ sunt locustæ. *Sed ut cruciarent mensibus quinque.* Per quinque menses intelligitur omne præsens tempus, a Domini scilicet ascensione usque ad finem sæculi, in quo hæretici et cæteri infideles et impii adversus Ecclesiam grassantur. Nam quia quinarius numerus ad quinque sensus corporis pertinet, recte per quinque menses omne præsens tempus intelligitur, quia tandiu impii sanctis nocere possunt, quandiu quinque sensibus corporis subsistant. *Et cruciatus eorum ut cruciatus scorpii cum percutit hominem.* Sicut enim scorpio a posterioribus venena diffundit, ita illi reprobi iis quæ cito transeunt, et in præsenti relinquuntur, atque ideo posteriora nuncupantur, nocent, et hoc in cauda, id est in potestate hujus sæculi, vel minis quoslibet confringentes, vel commodis blandientes.

Et in diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam. Dies isti quibus electi quærent mortem intelliguntur ab ascensione Domini usque ad finem sæculi. Specialiter autem fiet hoc temporibus antichristi. Homines in hoc loco accipimus sacerdotes et ecclesiarum præpositos, qui cum viderint tempore illo tantum pravitatis dogma consurgere, sicut ex parte jam factum est temporibus hæreticorum, quærent mortem, quia scilicet optabunt in Dei contemplatione consistere, ut sint mundo mortui et omnibus sæculi actionibus, et vivant Deo. Sed ista quærentibus fugiet mors ab eis, quia insolubile vinculum regiminis astringet illos, nec poterunt gregem sibi commissum relinquere in ora luporum, ne forte damna gregum super eos revertantur, et illis in peccatum reputetur, si eos errare aut perire pro sui quiete permiserint. *Et cupient mori, et fugiet mors ab eis.* Quia sancti viri, ut dictum est, inter scandala hujus sæculi secreta conversatione Deo per contemplationem inhærere cupiunt, sed propter aliorum lucra quibusdam occupationibus in certamine desudant. Nolentes itaque vivunt, sed dilatam mortem propter aliorum salutem æquanimiter ferunt, attendentes illud Apostoli : *Non quæ sua sunt singuli quærentes sed quæ aliorum (I Cor.* XIII).

Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium. Equis assimilantur omnes hæretici propter velocem ubique discursum, quia totum subito replebunt mundum ; locustis vero, propter vacuitatem. In prælium vadunt, quia contra fidem rectam electorum pugnant. Et sicut Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, ita et iste resistent veritati : et quamvis juxta rationem subsistere adversus prædicatores nequeant, semper tamen irrationabiliter veritati resistunt. *Et super capita earum tanquam coronæ similes auro.* Superius dictum est de senioribus, quod habebant coronas aureas in capitibus suis, per quas triumphus victoriæ illorum significatur. Isti autem non habent coronas, sed quasdam figuras tanquam coronas, nec sunt aureæ, sed similes auro, quasi scilicet quoddam falsitatis figmentum, quia videlicet ipsi se victores simulant, et dignos remuneratione, sed nec coronas, nec ex auro habent, quia, ut Apostolus ait, habentes formam pietatis, virtutem ejus abnegant. *Et facies earum* subaudi locustarum. *Sicut facies hominum* erant. Quia homo est animal rationale, per faciem hominum rationabilitas eorum intelligitur, quia licet sint seductores eorum, tamen etiam multa vera dicunt, et dialectici sunt, cæterasque artes liberales sciunt.

Et habebant capillos sicut capillos mulieris. Fluxus mulieris in capillis esse dignoscitur. Unde Apostolus : *Mulier si comam nutriat, gloria est illi (I Cor.* XI). Per capillos ergo mulierum, effeminatos illorum animos intelligere debemus et lascivos, quia sunt homines sibi placentes et suas voluptates sequentes. Sive per faciem hominum et capillos mulierum, uterque sexus intelligitur, quia illi non solum deceperunt viros, sed etiam mulieres. Quia enim hæretici ad hoc ut locustæ saliunt, et equi discurrunt, et tamen in omnibus veritati resistunt, recte illorum opinio fetoi esse describitur. Unde et ipsæ mulieres defendebant eos, sicut soror Constantini, quæ Arium revocavit ab exsilio : et sicut Justina quæ eamdem Arianam doctrinam defendit contra Ambrosium, et aliæ multæ. Locustæ ergo facies humanas, et capillos mulierum habent, ut in hæretica perfidia uterque sexus sibi (ut ita dixerim) nequius applaudat, tueatur atque defendat. Possunt etiam per capillos mulierum ipsi intelligi, quos hæretici deceperunt, animos scilicet habentes seducibiles, et mollitie feminarum flexibiles. *Et dentes earum*, subaudis locustarum, *ut leonum erant.* Dentes leonum habent laniatum et fetorem naturalem. Tales erant hæretici, qui animas hominum interficiebant, et malam famam de se emittebant. Et sicut bonis Christi præ-

dicatoribus convenit, *Christi bonus odor sumus* (*II Cor.* II), sic econtrario istis erit pro suavi odore fetor.

Et habebant loricas sicut loricas ferreas. Per loricas obfirmata et dura perversorum hominum corda monstrantur, quia sicut homo lorica munitur, ne ictibus telorum vulneretur, ita illi sua obstinatione muniuntur, ne sagitta veritatis ad corda illorum veniat, et ita defendunt perfidiam, sicut fideles veritatem, sicque mendacio dediti, contemnunt obedire veritati. Et notandum quam apta sit hæreticorum in singulis speciebus comparatio, qui et in locustis elati et vani, et in caudis scorpionum venenati, et in equis lascivi ac vani, et in humana facie simulatione callidi, et in capillis mulierum moribus incompositi, et in dentibus leonum fetidi, et in loricis ferreis corde notantur perfidi. *Et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium ad bellum.* Quod superius per caudas, hoc designatur hic per alas locustarum, id est potentia hæreticorum, vel doctrina electa, quam ipsi eligunt. Quarum vox etiam bene similis dicitur : curribus equorum currentium in bellum. Nam currus quando a stabulis prodeunt, divisi ab invicem et sejuncti incedere solent usquequo ad locum certaminis venientes conjungantur, et pari voto pugnent : Ita et hæretici semetipsos dividunt, et contrarios sibi errores proferunt, verbi gratia : Photinus negat Christum ante Mariam fuisse, sed ex ipsa initium dicit eum sumpsisse, et verum corpus habuisse Econtra, Arius dicit eum ante sæcula natum et creaturam esse. Similiter et cæteri varios mendacii inveniunt errores valde sibi contrarios : sed quamvis inter se dissideant, tamen unanimiter contra unitatem Ecclesiæ pugnant.

Et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum, et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. Per caudas, ut supra dictum est, potentia temporalis intelligitur, per quam nocent conjungentes suo errori principes hujus sæculi. Verum quod superius fuerat prætermissum de caudis scorpionum, hic adjungitur cum dicitur : Et aculei in caudis eorum. Quid sit aculeus in caudis locustarum, Paulus exponit cum dicit : *Ubi est mors victoria tua, ubi est aculeus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est* (*I Cor.* XV). Constat ergo quia omnis illorum potentia et error et peccatum est. Quod sequitur, potestas earum nocere hominibus mensibus quinque, repetita sententia est, per quam præsens vita iterato exprimitur. Et supra quidem potestatem locustæ accepisse referuntur, ut mensibus quinque homines cruciarent, nec eos occiderent. Hic vero eorumdem mensium numero nocere hominibus facultatem habere perhibentur. Quod utique ibi de bonis, hic vero de malis intelligendum est, quia et illos cruciant, sed non occidunt : istos vero non cruciant, sed nocendo perimunt.

Et habebant super se regem angelum abyssi. Id est diabolum, qui est princeps omnium reproborum, ipse est rex super omnes filios superbiæ, non quo ipse hominem creaverit aut regat, sed quo super eos dominationem exerceat, quos sibi per peccatum servos addicit. *Cui nomen Hebraice labbadon, Græce autem appolyon, Latine autem habet nomen exterminans.* Quod in quibusdam codicibus invenitur scriptum abadon, ubi scilicet primum est a, sed falso scriptum est, et vitio scriptoris factum ; sed primum ibi ponendum I, et labbadon dicendum, sicut beatus Hieronymus dicit in Hebraicis interpretationibus. Quid sit autem Hebraice labbadon, Græce apollyon exprimitur cum subditur, Latine habet nomen exterminans. In his quippe nominibus diabolus intelligitur, qui homines exterminat, id est extra patriam cœlestem emittit, qui audituri sunt : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Exterminabuntur enim injusti, quibus hoc dicetur, id est ejicientur ab omni societate sanctorum. Legimus enim in Evangelio, quod super crucem Domini scriptum fuerat Græce, Hebraice et Latine, quia iste tres linguæ tunc vigebant : *Hic est Jesus rex Judæorum* (*Matth.* XXVII). Ita et hic nomen diaboli, qui novissimo tempore perditum hominem ingredietur, quique se Christum esse mentietur, tribus linguis exprimitur. Qui recte exterminans dicitur, quia sicut Christo congregandi, sic diabolo congruit nomen exterminandi. Unde est : *Qui non colligit mecum, spargit* (*Matth.* XII).

Væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ post hæc. Legimus supra quod aquila volans per medium cœlum, tria væ prædixit futura quorum unum abiisse describitur in narratione præcedenti, vel in tribulatione quæ facta est temporibus sanctorum martyrum, adhuc vero duo restare dicuntur narranda, vel posteriore tempore sub antichristo adimplenda.

Et sextus angelus tuba cecinit, et audivi vocem unam ex cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei dicentis sexto angelo qui habet tubam : Solve quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. Altare significat Ecclesiam, de qua fumus compunctionis ad Deum dirigitur. Bene altare aureum dicitur, quia profecto Ecclesia justorum sempiterna sapientia illustratur, de qua Salomon dicit : Accipite sapientiam sicut aurum. Recte quoque ante oculos Dei esse dicitur, quia superno respectu semper illustratur, unde in psalmis dicitur : *Oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXIII). Hujus altaris cornua sunt omnes prædicatores. Unde et in Veteri Testamento sæpe legimus sanguinem super cornua altaris positum : significabantur enim in hoc sancti martyres proprio sanguine perfundendi. Unum hoc cornu altaris hic specialiter positum, debemus intelligere Dominum Jesum Christum mediatorem Dei et hominum, qui præcepit sexto angelo, id est omni Ecclesiæ, ut solvat quatuor angelos, per quos quatuor regna principalia, et quatuor potestates illorum atque omne corpus diaboli intelligitur. Solvit vero Ecclesia quatuor angelos, id est omnes dæmones in capite suo, a quo audivit in Petro : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlo* (*Matth.* XVI).

Quaternarius numerus sæpe pro universitate ponitur, unde et in fine sæculi a quatuor ventis cœli electi per angelos assumi perhibentur. Vel dicitur ei solve, id est solvendos prædic tempore antichristi. Modo enim ligati sunt, quia non possunt nocere quantum volunt, ex quo Dominus veniens eis potestatem abstulit. Quo in loco considerandum est, quantum sævirent si soluti essent, qui modo etiam ligati tantum sæviunt. Tale est illud etiam in Evangelio de ficulnea, quod Dominus cultori dicit: Abscinde illam, id est prædic abscindendam. Neque enim apostoli absciderunt Judæos, sed abscindendos a Romanis prædixerunt. Per flumen Euphratem, in quo angeli alligati sunt, potentia sæcularis intelligitur, quia in principibus hujus sæculi maxime diabolus habitat, et in eis regnat. Euphrates quippe fluvius est Babyloniæ, qui in multa flumina divisus, ingreditur Babyloniam. Medi et Persi diviserunt hunc fluvium in multos rivos, et per ejus alveum ingressi sunt Babyloniam. Quod flumen sæpe in malam partem ponitur. In hoc loco vero, ut diximus, significat potentiam sæcularem, in qua diabolus alligatus prædicitur novissima persecutione, quia et impiis quantum vult nocere permittitur, usquequo novissima persecutio adveniat.

Et soluti sunt, pro eo quod est solventur, *angeli*, id est dæmones, et omne corpus diaboli. *Qui parati erant in horam et diem et mensem et annum, ut occiderent tertiam partem hominum.* Per horam dimidium annum intellige, per diem mensem et annum, annos tres, quibus antichristus sæviet adversus bonos. Ideo enim per horam, diem, mensem et annum illud tempus intelligi potest, quia et horis gradatim diem, et diebus menses, et mensibus certum est annum expleri. Parati sunt dæmones ut occidant tertiam partem hominum, quia nimirum nocendi opportunitatem semper præstolantur. Unde nec immerito de locustis præmissum est, quod essent similes equis paratis ad prælium. Tertia autem pars ita ut supra intelligitur.

Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum. In hoc numero omnis multitudo intelligitur dæmonum et hominum. Equites itaque in hoc loco debemus intelligere dæmones, qui malis præsident et in eorum cordibus habitant. Vicies autem millies nihil aliud est quam viginti millia. Tale est illud: *Non dico tibi*, Petre, *usque septies, sed usque septuagies septies (Matth.* XVIII). Quod nihil aliud est, nisi septuaginta septem. Quando enim numerus per nomen transit, sicut verbi gratia, cum dicitur septies septuaginta, summa numeri multiplicatur, et efficiuntur quadringenti nonaginta. Quando autem adverbialiter proferuntur nihil aliud intelligitur, nisi quod ipse numerus sonat. Unde et in Genesi legitur: *De Lamech vero septuagies septies ultio dabitur (Gen.* IV). Vicies itaque millies omnes significat reprobos: dena autem millia omnes sanctos, qui decem verba legis custodiunt. Et quia plures reprobi quam justi, duplex numerus reproborum opponitur contra simplicem numerum justorum. De ipsis enim electis dicitur: Currus Dei decem millia. Duplex quoque est numerus reproborum, quia ex malignis spiritibus et reprobis constat hominibus. Et contra simplicem numerum justorum ac parvissimum opponitur innumerabilis multitudo perfidorum hominum et dæmonum.

Et ita vidi equos in visione, subaudis, sicut dixeram, et conscripsi. *Et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas et hyacinthinas et sulphureas.* Per sessores equorum, intelliguntur dæmones, vel magistri errorum, hæretici scilicet et potentes hujus sæculi quibus præsidet diabolus, sicut Christus electis. De quibus scriptum est: Ascendes super equos tuos, et equitatus tuus sanitas est. In ipsis autem dæmonibus vel errorum magistris, intelliguntur omnes reprobi, et per loricas pœnæ et tormenta æterna figurantur, quæ a miseris nulla prece sunt evacuanda. Dicent enim in inferno gementes, Domine, Domine, aperi nobis. Sed non ideo misericordiam invenient, quin potius audient: Nescio vos. Quas pœnas inevitabiles non solum sustinebunt dæmones, sed etiam omnes reprobi. Hyacinthinas autem posuit pro eo, quod est fumeas. Ex igne enim fumus egreditur. Hoc etiam ipse color hyacinthinus indicat, qui speciem aeris tenet, quia in inferno erit ignis inexstinguibilis. Erit et fumus qui miseros excæcabit, ne veram lucem jam videre possint. Et sulphureas, id est putridas. Erit enim duplex ibi pœna, caloris et frigoris. Unde Job: *Ad calorem nimium transeunt, ab aquis nivium* (*Job.* XXIV). Erit et fetor intolerabilis, quo cruciabuntur igne et sulphure exusti, atque a vermibus comesti. *Et capita equorum tanquam capita leonum.* Quia et animas (ut supra dictum est) interficiunt, et fetorem malæ famæ de se emittunt. Per capita autem equorum auctores intelliguntur errorum, qui et fortes sunt ad conterendos infirmos, et cum se simulant esse bonum odorem, fetoribus inveniuntur repleti. Ut enim supra meminimus, os leonum et corpora dilaniat, et naturalem fetorem egerit.

Et de ore ipsorum procedit ignis et fumus et sulphur. Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum de igne et fumo et sulphure, quæ procedebant ex ore ipsorum. De ore autem eorum ignis et fumus et sulphur egrediens, tertiam partem hominum occidit, quia videlicet malorum prædicatio sequacibus suis æterna supplicia præparat, quæ recte tormentum impiorum vocatur, per quam ad illud multitudo impiorum pervenit. Genus enim tropicæ locutionis ab eo quod procurat, illud quod procuratur, ostendens. De ore illorum procedit ignis, quia pro illorum doctrina hæc omnia ventura sunt eis, qui eam suscipiunt. Cum autem in illam incurrerint, tunc experientur quam amara mors sit, semper igne cremari, nec funditus mori, semper fumum pati, lucem nunquam videre, semper fetoribus repleri, suavitatis nihil adoleri. Ideoque horrenda prorsus perversorum sunt dogmata, quibus pervenitur ad talia.

Potestas enim equorum in ore ipsorum est, et in

caudis eorum. Quia per suam prædicationem perversam suadendo decipiunt, et temporalibus potestatibus fulti, per ea quæ retro sunt, exaltantur. Per caudam quippe, ut supra dictum est, potestas terrena exprimitur, quæ in temporalibus rebus lætatur, quæ postponendæ sunt omnibus qui ad ea quæ in ante sunt se extendere nituntur. In ore vero illud quod per os fit intelligitur. Potestas ergo eorum in ore eorum est, et in caudis ipsorum, quia quos non possunt decipere per pravitatem erroris, decipiunt per principes hujus sæculi. Unde subditur: *Nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita, et in his nocent*. Legimus in Genesi, quod diabolus serpentem indutus mulierem decepit fraude malæ suasionis. Tales sunt et isti errorum magistri, qui sua perversa doctrina decipiunt quos possunt, et quia eos quos subvertere nequeunt per pravitatem erroris, opprimunt per potentiam sæculi, bene caudæ illorum similes serpentibus dicuntur. Habentes capita, per quæ principes hujus sæculi figurantur, quos sibi hæretici conjungunt, ut catholicos a fide subvertant. Unde et alia translatio habet: Caudæ eorum similes sunt draconibus. Per dracones quippe qui pene immaniores sunt omnibus bestiis, aperte sæculi designatur potestas, quam Ezechiel (c. XXIX) ex persona Domini loquens ad Pharaonem regem Ægypti demonstrat dicens: *Ecce ego ad te, Pharao, draco magne*. Et Jeremias (c. LI) ex persona Jerusalem de Nabuchodonosor: *Comedit me, devoravit me, absorbuit me quasi draco*. Principium ergo patrociniis fulti magistri errorum amplius nocent, quam si solo sermone suaderent.

Et cæteri homines, id est, pagani, *qui non sunt occisi in his plagis*. Hoc est, non sunt decepti ab hære- A ticis, ut in anima moriantur, *neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia et simulacra aurea et lapidea et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis*. Subaudi, similiter peribunt igne, sulphure, fumo. Ac si diceret: Et hi tales ad supradictum pertinere numerum videntur. Hæretici quippe tantummodo Christianos decipiebant et Judæos, non tamen paganos: sed quia ipsi non cognoverunt Deum, cum hoc utique possent facere per naturalem legem, similiter damnabuntur. Unde considerandum est, qua pœna plectendi sunt, qui habentes Dei notitiam, fidem et scientiam et hæc omnia contemnunt, si illi etiam damnabuntur, qui B horum omnium nihil habuerunt, et solummodo, quia per naturalem legem Deum non cognoverunt peribunt. Cum enim debuissent considerare et attendere, ut Creatorem cœli et terræ et omnium rerum colerent et adorarent, relinquentes Creatorem, cœperunt adorare opera manuum suarum aurea et lapidea et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, quia spiritus non est in eis. Et non egerunt pœnitentiam a suis homicidiis, quibus interficiebant multos, et sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum fundebant et offerebant dæmoniis, neque a fornicatione sua duplici, ut ab immunditia carnis cessarent, aut ab idololatria, neque a furtis suis, quia sibi invicem unusquisque quæ poterat, furabatur. De quorum profecto conversatione impœ- C nitenti, nunc operis intentio non sinit amplius loqui, præsertim cum et hic liber in longum protractus debiti finis terminum exspectet.

LIBER TERTIUS.

CAPUT X.

Et vidi alium angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, et iris in capite ejus. Angelus Christus est, nuntius paternæ voluntatis. Et quia æternæ vitæ novus nuntius advenit, nova nuntiavit, nova promisit, nova fidelibus suis contulit. Unde et per prophetam magni consilii angelus dicitur. Hujus sacerdotis membra sunt illi etiam, de quibus scriptum est: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam* (*Malach*. II). In eo autem quod alium angelum Joannes vidisse se dicit, non est rei diversitas, sed ordo visionis, et consuetudo recapitulationis. Alium enim angelum vidit, quia aliam visionem sub alio intellectu enarrandam repetivit. Fortis autem dicitur, quia ad bellandas venit aereas potestates. De quo Psalmista ex persona angelorum (*Lib*. III): *Quis est iste rex gloriæ?* Et respondens: *Dominus*, inquit, *fortis et potens, Dominus potens in prælio* (*Psal*. XXIII). Sed cum Dominus ubique sit, juxta illud, *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer*. XXIII), et extra cœlum et terram non sit locus, quomodo descendit de cœlo? Ad quod procul dubio dicendum, quia descensio illius nihil aliud fuit, nisi humilitatis ejus incarnatio. Nube autem amictus apparuit angelus, quia nimirum carne indutus, inter homines apparuit Dominus. De qua propheta: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur* D *Ægyptum* (*Isa*. XIX). Super nubem quippe levem ascendit, quando carnem sine gravedine peccati assumpsit. Caput vero angeli divinitas intelligitur Filii Dei, juxta illud: Caput Christi Deus. Iris autem, sicut et supra diximus Græce, Latine arcus dicitur, quia diversis coloribus in nube apparere videtur, et est signum propitiationis a tempore diluvii positum inter Deum et homines. Tuncque fit arcus in cœlo, cum radiis solis imbrifera nubes fuerit illustrata, quia dum claritas lucis æternæ, et sol justitiæ carnem assumpsit, reconciliatio facta est mundo. In arcu quoque duo sunt colores principales, cæruleus scilicet et igneus, per quos duo judicia significantur. In uno scilicet diluvium præcedens, in altero vero ignis subsequens. Possunt et in arcu

mysteria figurari baptismatis, quo baptizamur aquis A in memoria passionis Filii Dei, sicque percipimus gratiam Spiritus sancti, de quo Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII). In capite itaque angeli iris erat, quia in potestate verbi propitiatio Filii Dei constabat. *Et facies ejus sicut sol.* Quia in facie cognitio est hominis, per faciem angeli incarnatio Filii Dei intelligitur, quia nisi ille carnem assumeret, nemo hominum illum cognosceret. Hanc manifestam in facie cognitionem Psalmista optabat fieri cum dicebat : *Ostende faciem tuam et salvi erimus* (*Psal.* LXXIX). Non autem ut sol iste visibilis facies Christi fulget, sed multo amplius, quia et de electis dictum est : *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris sui* (*Matth.* XIII). Et quidem erunt electi similes angelis, non tamen ita similes, quod æquales Filio B Dei. Nam et in monte coram tribus discipulis transfiguratus, futura membra sua jam in seipso ostendit. Sed non sine causa Christus soli comparatur. Sol quippe habet ortum et occasum. Unde Salomon: *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem* (*Eccle.* I). Sol enim ortus est, quando Christus natus est. Venit ad occasum, quando pro nobis mortuus est, sicque rediit ad ortum, quia ejus humanitas ex passione mortis, ad gloriam resurrectionis rediisse probatur, ibique renascens gyrat per meridiem, quia resurgens a mortuis, calore fidei et Spiritus sancti corda discipulorum illustravit. Jure enim illi meridies vocantur, in quibus sol justitiæ ampliorem Spiritus infundit calorem. Per meridiem C quoque gyrans ad aquilonem flectitur, quia ad colligendam gentilitatem, apostolorum prædicatione perducitur, in qua frigidus ventus illi dominabatur, qui in superbiam elatus, primus dixisse probatur : Ponam sedem meam ad aquilonem. Quodque subditur, Lustrans omnia pergit Spiritus, ad hoc pertinet, quod totus mundus prædicatione plenus esse ostenditur; unde est: *Vox tonitrui tui in rota, illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ* (*Psal.* LXXVI). Et ad circulos suos revertitur, quia post aggregationem gentium illuminabitur etiam multitudo Judæorum, et cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit. Possunt et per faciem angeli membra Redemptoris intelligi, non qualia nunc sunt in terris, sed qualia futura sunt in cœlis. Unde est : Tunc D justi fulgebunt sicut sol. Quia enim Dominus et Ecclesia una persona est, non inconvenienter ipsa in facie angeli ut sol lucere perhibetur. *Et pedes ejus tanquam columnæ ignis.* Per pedes angeli prædicatores intelliguntur, in quibus per totum mundum incarnata Dei sapientia ambulavit. De quibus dicitur : Illi autem profecti prædicaverunt ubique. De quibus et dicitur : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem* (*Rom.* X). Qui bene etiam columnæ et igni comparantur, quia et more columnarum superimpositum Ecclesiæ ædificium portant, et Spiritu sancto accensi, corda auditorum ad amorem Dei prædicando inflamman.t Quia ergo ad prædicationem mittuntur, recte pedes ; quia vero ad amorem Dei illos quibus prædicant accendunt, bene ignis; quia super ædificium Ecclesiæ construuntur, apte columnæ vocantur. Quia enim columnæ sunt, testatur Paulus cum dicit : *Petrus et Jacobus et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras mihi dederunt et Barnabæ* (*Gal.* II). Hinc et per Psalmistam dicitur : *Ego confirmavi columnas ejus* (*Psal.* LXXIV).

Et habebat in manu sua librum apertum. Superius legimus quod viderit librum signatum sigillis septem, per quem Vetus Testamentum designatur, plenum multimoda obscuritate. Hic autem per libellum apertum jam Novum Testamentum significatur, quod apertum est in manu Dei, id est operatione ipsius reseratum. Manus enim illa operatio est nostræ salutis. Et quia in superiori libro noscuntur latuisse secreta, apte nunc in libello aperto Novi Testamenti revelata claruisse significatur gratia, ipse enim apparens in carne, quæ intelligitur per faciem angeli, ea quæ latebant nascendo, moriendo, a mortuis resurgendo, et ad cœlos ascendendo aperuit. *Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.* Per dextrum pedem illa significantur membra, quæ nullis adversitatibus franguntur, nec ullis successibus extolluntur, id est apostoli, martyres et cæteri, qui potestatem habent calcandi super omnem virtutem inimici. Tales super mare, hoc est, super hunc mundum constituuntur, quia omnes malorum persecutiones perferunt, et non succumbunt. Per sinistrum autem pedem qui supra terram ponitur, intelliguntur confessores, sicut Remigius, Germanus, Martinus et cæteri, qui pacis tempore vixerunt, nec publicum pertulerunt martyrium, quia super terram, hoc est, soliditatem fidei sunt locati. Deus enim vicissitudines temporum disposuit in Ecclesia, membra fortiora scilicet super fluctus maris. Infirmiora vero super soliditatem terræ constituens. Sic et hujus sæculi principes, ubi fortior est impetus belli, fortissimos milites præparant.

Et clamavit voce magna quemadmodum cum leo rugit. Leo cum rugit, omnes bestiæ timent. Et ipse in sua fortitudine ostenditur. Clamavit Christus, leo appellatus propter fortitudinem, sive per se, sive per suos prædicatores, cum dixit : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* III). Et iterum : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV). Et hac sua voce fortitudinem suam demonstravit, dum multos sibi subjecit, bestias quoque, id est bestiales et feroces homines timore concussit. Quod autem fecit Christus, fecerunt et ejus apostoli, æterna tormenta prædicando peccatoribus, et feroces homines ad fidem illius sua doctrina convertendo. *Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.* Quid per septem tonitrua, nisi universalis Ecclesia in suis prædicationibus intelligitur septiformi Spiritu repleta? Unde et bene clamavit leo prius, ac postea septem tonitrua sunt locuta, quia videlicet prius prædicavit

Christus, deinde Apostoli et cæteri doctores ad ejus vocem profecti, prædicaverunt ubique. Bene autem septem tonitrua voces suas loqui perhibentur, quia sancta prædicatio non Judæorum fabulas, non philosophorum nænias, non hæreticorum versutias in suis dogmatibus recepit, sed propriis sensibus ut est edita, semetipsam jam in auditorum cordibus per sanctos prædicatores diffudit. Possunt autem et in septem tonitruis specialiter apostoli sancti intelligi, qui in rota hujus sæculi tonant, quia alta et profunda et obscura et terribilia loquuntur. Unde et eorum numerus ex partibus septenarii conficitur, id est, ex pari quaternario et impari ternario. Sive enim tria per quatuor, sive quatuor per tria ducantur, ad duodenarium numerum pervenitur, quia videlicet per ipsos duodecim apostolos fides sanctæ Trinitatis intonuit per quadripartitum orbem, qui missi sunt prædicare tria summa per quatuor infima.

Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas scripturus eram. Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere. Quia audierat Joannes superius: Quod vides scribe in libro, voluit etiam ea quæ audivit a septem tonitruis scribere, sed dictum est ei, signa, id est sigilla quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere. Ubi merito quæritur, quare illi hoc dicatur, cum in Joanne omnes doctores figurentur, qui utique non debent divina eloquia sigillare, ut non ad aliorum manifestentur utilitatem. Verum dicendum est, quia quod nos sub sigillo signamus, non omnibus notum esse volumus, sed solummodo familiaribus, et quibus credere nos pro certo posse scimus. Quod autem palam dicimus, et non sigillamus, ad multorum notitiam ducimus. Dicitur Joanni, et in illo omni ordini doctorum, ne scribat quæ locuta sunt septem tonitrua, quia non omnibus sunt manifestanda divina eloquia. Pro temporibus enim abscondenda sunt, ne fiat contra præceptum Domini, quo ait: *Nolite sanctum dare canibus neque mittatis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* VII). Simplicibus quoque debent discrete, et secundum capacitatem singulorum distribui, quia alii lactis potum suscipiunt, alii vero solidum cibum percipere possunt. Unde ipse Dominus discipulis dicit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* XVI). Et iterum: *Fidelis servus et prudens, qui dat conservis suis in tempore tritici mensuram* (*Luc.* XII). Dicatur ergo Joanni signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere, et in illo omni choro doctorum ac si diceret: Eloquiorum Dei sacramenta sic intra mentis secretum tege, quatenus ne aut hi qui non debent ad eorum cognitionem perveniant, aut hi qui debent cum discretione et moderatione eorum notitiam capiant.

Et angelus quem vidi stantem super mare et super terram, levavit manum suam ad cœlum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum. Cum Dominus in Evangelio jurare prohibeat, dicens: *Nolite jurare neque*

A *per cœlum neque per terram, sed sit sermo vester, est est, non non: quod enim amplius est, a malo est* (*Matth.* V). Quid est quod ipse manum ad cœlum levans, jurat per viventem in sæcula sæculorum? Sed sciendum quia homines recte jurare prohibentur, quia sæpe in juramento falluntur: non enim homines a juramento Deus cohibuisset, si in eo peccatum deesse cognovisset. Deus itaque jurare potest, qui non mentitur aliquando. Juramentum autem ejus est omnis sermo illius, quia quidquid loquitur, absque ulla ambiguitate completur. Per manum autem angeli, ut supra diximus, intelligitur operatio Filii Dei, et dispensatio humanæ redemptionis. Levavit itaque angelus manum in cœlum, quando Filius Dei carnem quam pro nobis assumpsit, ad dexteram
B Patris elevavit. Hinc scriptum est: Levabo in cœlum manum meam, et jurabo per dexteram meam, ac si diceret: Assumptam a verbo carnem ad cœlos elevabo, et per utramque naturam scilicet Verbi et hominis, quæque futura sunt roborabo. Juravit per viventem in sæcula sæculorum, id est per Deum Patrem, quando se et Patrem unum ostendit, dicens (*Joan.* XIV): *Ego in Patre et Pater in me est.* Et quando etiam omnia sua opera ad Deum retulit, dicens: *Pater, in me manens, ipse facit opera.* De quo etiam subditur: *Qui creavit cœlum et ea quæ in eo sunt*, id est, solem et lunam et cætera sidera. *Et terram et ea quæ in ea sunt*, id est, homines, bestias, aves et cætera usque ad vermiculum. *Et mare et ea quæ in eo sunt.* Cete scilicet et pisces diversi generis.
C Quo in loco hæreticorum perfidia damnatur, qui non verentur asserere, quædam a bono Deo, quædam vero a principe facta tenebrarum. Sed et cum subjungit, *Quia tempus non erit amplius*, quæstionem nobis facit, maxime cum Psalmista de reprobis dicat: *Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula* (*Psal.* LXXX). Si enim impiorum tempus erit in sæcula, quomodo tempus jam non erit? Ad quod dicendum, quia justis non erit tempus, id est, mutabilitas aliqua, quia immutabiles erunt in mente, et incorruptibiles in corpore. Tempus quippe est vicissitudo dierum ac noctium. Ideoque ibi jam tempus non erit, ubi nulla varietas cujuslibet rei. Justi vero immutabiles existent, quia in
D æterna claritate et in indeficienti luce permanebunt; unde Psalmista: *Ordinatione tua perseverat dies* (*Psal.* CXVIII). Impii autem tempus habebunt, quia semper per varia tormenta mutabuntur, et ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium. Quod ergo Dominus de justis negat, hoc de injustis Psalmista affirmat.

Sed in diebus vocis septimi angeli cum cœperit tuba canere. Id est cum cœperit sancta Ecclesia ultimam suam prædicationem diffundere. *Consummabitur mysterium Dei.* Id est perficietur quidquid modo latet, quia consummatio hic non abolitionem significat, sed perfectionem. Mysterium autem appellatur illud, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II), quod tunc consummabitur, id est

perficietur,cum et justis bona,et injustis data fuerint tormenta ante præparata,*sicut evangelizavit per servos suos prophetas.*Omnis enim intentio prophetarum principaliter de Domini adventu fuit, et sæculi consummatione. Ideoque tunc perficietur, quod ante prædictum est per illos *Et audivi vocem iterum de cœlo loquentem mecum, et dicentem : Vade et accipe librum de manu angeli stantis supra mare et supra terram.*Et angelus qui tenet librum apertus Christus est, et ipse qui invitat Joannem ut vadat ad angelum Christus est; ipse enim tenet librum apertum, quia ipse revelavit omnia quæ latebant in Veteri Testamento, de ejus nativitate, passione, morte et resurrectione. Vox ergo illa quæ facta est ad Joannem nihil aliud intelligitur, nisi interna inspiratio qua Deus inspirat cordibus fidelium ut accedant ad eum, juxta illud : *Accedite ad eum et illuminamini* (*Psal.* XXXIII). Nam et quod Joanni dicitur, omnibus utique dicitur, qui revelata facie gloriam Domini contemplantur. Isti enim tales apertum habent libellum, ideoque illis dicitur, ut accedant ad angelum non gressibus corporis,sed passibus fidei et mentis. Nec mirum si ipse Christus de se tanquam de alio loquitur,cum et sancti in Scripturis sæpissime de se quoties magna dicunt, sic loquuntur quasi de alio. Unde est, *Erat Moyses vir mitissimus super omnes qui morabantur in terra* (*Num.*XII).Et Job : *Vir erat in terra Hus nomine Job, simplex, rectus ac recedens a malo* (*Job.*I).Et ipse Joannes : *Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus* (*Joan.* XIII). Bene quoque ipsa vox non de terra, sed de cœlo sonuit, quia qui de terra est, de terra loquitur. Quod vero sequitur, stantis supra mare et supra terram, superius expositum est.

Et abii ad angelum, dicens ei ut daret mihi librum. Jubentis quippe Dei vocem paratissimus sanctorum sequitur effectus, quia pergunt ad angelum, id est, accedunt fide et devotione ad Christum,poscentes sibi dari librum ab eo, qui aperit ora mutorum, et linguas infantium facit disertas. Ex hoc Jacobus : *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus,et non improperat,et dabitur ei*(*Jacob.*I). *Et dixit mihi, accipe librum et devora illum.* Acceptum librum devorare est,cum aviditate Scripturam secretis recondere visceribus. Ubi notandum quia non dicit, accipe et bibe illum, sed devora, id est manduca avide.Scriptura enim sacra in quibusdam locis potus est, in quibusdam vero cibus. In rebus obscurioribus, quæ intelligi sine expositione non possunt, cibus est quia veluti mandendo, legendo, et ruminando sumitur ; in apertioribus vero quæ intelligi sine expositione possunt, ibi potus est : potum enim non mandendo glutimus.Apertiora ergo et manifestiora bibimus, quæ etiam non exposita intelligere valemus. Et quanquam sancti apostoli et ipse Joannes aperte cognoscerent Dei sacramenta, tamen quia adhuc expositione indigebant, qualiter ad eum pertinerent,nequaquam dicitur Joanni bibe, sed devora, ac si apertius diceretur, pertracta et intellige, id est prius mande, et sic degluti. Quod sancti patres fecerunt, Augustinus scilicet, Gregorius,et cæteri,quorum nunc expositionibus utimur. *Et faciet amaricare ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Præposterus ordo est in hoc loco : Prius enim in ore cibus assumitur, et sic demum ad inferiora ventris trajicitur. Hæc omnia in sequentibus exponentur.

*Et accepi librum de manu angeli, et devoravi eum, et erat in ore meo tanquam mel dulce.Et cum devorassem eum,amaricatus est venter meus.*Qui alii per os Ecclesiæ figurantur, nisi sancti prædicatores, qui die ac nocte legem Domini meditantur,et possunt dicere : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel et favum !*(*Psal.*CXVIII) Per ventrem vero sæculares homines intelliguntur, ventri et voluptatibus suis servientes, de quibus Apostolus : *Quorum Deus venter est* (*Philip.* III). Tales enim aliquando avide per os prædicatorum divina verba suscipiunt : sed quia terrenis voluptatibus deserviunt,sermo Dei qui in ore doctorum fuerat illis tanquam mel dulce, in ventre amarescit, sicut (verbi gratia) cum audiunt : Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum ; et : *Si quis non oderit patrem,aut matrem, aut uxorem, filios et filias, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Et iterum : *Si quis vult post me venire,abneget semetipsum* (*Luc.*IX). Amarescunt illis divina eloquia,quia desperant se hoc posse facere, voluptatibus suis volentes deservire. Aliter : Ipsis sanctis prædicatoribus dulcis est sermo Dei in ore ad prædicandum, ad meditandum,ad exponendum ; sed dum coguntur ea complere operibus,quæ docent verbis, vertitur illis in amaritudinem.In ore quoque prædicatorum dulcis est sermo (sicut diximus) ad legendum, ad exponendum ; sed dum pro ipsa sua prædicatione contemnuntur,et insuper affliguntur,et diversis modis cruciantur,in ventre eorum convertitur in amaritudinem, quia contristantur in mente simul, et de vexatione et de contemptorum damnatione, unde Apostolus : *Tristitia est mihi magna et* ingens *dolor cordi meo* (*Rom.* IX). Quod enim venter secretum cordis significet,Jeremias ostendit, qui cum dixisset, *Ventrem meum doleo,* continuo subjecit, *sensus cordis mei conturbati sunt in me* (*Jer.* IV).Neque enim ad salutem populi pertineret, si ventrem se corporeum dolere prædicaret,sed ventrem doluit,quia mentis afflictionem sensit.Vel certe acceptus liber et comestus in amaritudinem vertitur, cum quilibet doctor ex sua prædicatione pœnitentes conversos aspiciens,mentis affectu illis conjungitur, et cum Apostolo dolet cum dolentibus,flet cum flentibus.Vel certe dulcis est nobis, cum gaudia patriæ cœlestis promittit ; amarus vero cum austera præcepta, per quæ ad eamdem patriam perveniamus indicit.Dulce quippe est audire : *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris sui*(*Mat.*XIII).Amarum autem: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*(*Matth.*XXIII).Item dulce est audire : *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus,quoniam*

videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). Amarum autem: *Qui dicit se in* Christo *manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare* (*I Joan.* II). Dulce fuit apostolis : *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim* (*Luc.* XII). Amarum fuit illis : *Qui vult inter vos esse major, sit omnium servus* (*Matth.* XXIII).

Et dicit mihi : Oportet te iterum prophetare populis et gentibus et linguis et regibus multis. Joannes pene omnia, imo omnia quæ in hoc libro præmissa sunt non specialiter ex sua, sed generaliter ex electorum protulit persona : nunc autem quæ in hoc versu narrantur, et suæ et aliorum personis congruere docet. Quando enim ista vidit, in Pathmos insula relegatus erat, et ideo ei dicitur : *Oportet te iterum prophetare populis et gentibus et linguis et regibus.* Ac si ei divina vox diceret : Non morieris in hac insula, ut tu putas, sed iterum prophetabis, et hanc Apocalypsin quam vidisti, manu tua scribes, et alios docebis, nec solum hanc prophetiam annuntiabis, sed altius cæteris ad erudiendam fidem sanctorum Evangelium scribes. Iterum autem dicit, quia videlicet jam hoc fecerat coram regibus et gentibus, unde et a Domitiano impiissimo Cæsare, et in ferventis olei dolium missus est, et in eamdem insulam exsilio deportatus, ubi etiam hanc Apocalypsin vidit. Nam cum jam provectæ esset ætatis, et putaret se celerius ad Christum e mundo migrare, interfecto Domitiano, et cuncta ejus jussione cassata reversus est Ephesum, ubi et præfatam Apocalypsin Ecclesiis tradidit legendam. Ebione autem, Valentino et Cerintho contra Christum oblatrantibus, episcoporum precibus flexus, indicto triduano jejunio, Evangelium etiam scripsit, et ideo tot populis, et gentibus prædicavit, quia ejus prædicatio ad multorum notitiam pervenit. Sed quæ illi specialiter ascribuntur, generaliter prædicatoribus deputantur, ad quorum personam dicit : Oportet te iterum prædicare populis, quia nimirum aliis ad Christum migrantibus, electorum Ecclesia in subsequentibus prædicatoribus iterum non desinit prædicare. Prophetare autem intelligere debemus prædicare, sicut et Paulus dicit : *Prophetæ duo dicant vel tres, et cæteri dijudicent* (*I Cor.* XIV). Vel certe propterea iterum Joannes prophetare jubetur, ut quod doctores Ecclesiæ prædicant ore, facto iterato clament. Oportet enim ut hi qui verba vitæ credentibus nuntiant, operibus etiam vitæ clamare non desistant.

CAPUT XI.

Et datus est mihi calamus similis virgæ. Hæc verba sicut conveniunt Joanni, similiter conveniunt omni ordini prædicatorum. Per calamum autem, id quod calamo efficitur intelligere debemus, id est divinam Scripturam, quia antiqui calamo scribebant. Unde bene ipse calamus non inanis, sed similis virgæ dicitur. In virga enim rectitudo sacræ Scripturæ intelligitur, in qua nullum est mendacium, nullus error, sicut in philosophorum libris, Judæorum et hæreti-

A corum, quorum doctrina plena est mendacio. Sacra autem Scriptura ex omni parte est recta, atque ideo bene virgæ comparatur, juxta quod Psalmista dicit *Virga* recta est *virga regni tui* (*Psal.* XLIV). Aliter : Reges in signum potentiæ suæ virgam in manibus portant, per quam regia illorum potestas exprimitur. Recte ergo calamus, id est divina Scriptura virgæ comparatur, quæ suis observatoribus regnum promittit, dicens : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* V), et multa similia. Et istud regnum quod cœlestis prædicatio promittit, in inflexibili justitia perseverat. Postquam autem datus est ei calamus, divina vox dicit illi : *Surge*, videlicet ad prædicationis officium, et noli jacere in imis vitiorum, quia, ut supra dictum est, quod Joanni
B dicitur, omnibus veritatis prædicatoribus convenit, qui quod verbis prædicant, factis iterato clamare debent. *Et metire templum Dei ac altare* Templum Dei ipsa est Ecclesia, cui Apostolus dicit : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Altare autem in templo, eminentiores significat in Ecclesia fideles, id est virgines, continentes, et sæculo renuntiantes. Sicut enim altare in templo est, ita vita religiosorum in plebe fidelium consistens, in quibus principaliter jugis atque indeficiens sanctæ compunctionis permanet ignis. Quod autem sequitur, *et adorantes in eo*, tale est, tanquam subaudiretur et in templo, et in altari adorantes metire. Quo nimirum dicto illi exprimuntur, qui in spiritu et veritate adorant Patrem, sicut Dominus dicit. Dicitur itaque omni ordini
C doctorum : Surge ad potiora opera, metire templum et altare et adorantes in eo, hoc est, unicuique professioni et ordini, secundum suam dignitatem et locum annuntia verbum Dei, ut (verbi gratia) virginibus dicito : Beatæ estis quæ respuistis nuptiale consortium, unde et habebitis societatem angelorum ; et quæ non habetis in terra sponsum, habebitis in cœlo sponsum Christum Deum et hominem victurum in æternum. Dicito etiam sæculo renuntiantibus : Beati estis qui, Evangelici præcepti non immemores, cuncta terrena pro Christo reliquistis, sequentes eum, a quo thesaurum in cœlo indeficientem percipietis. Continentibus vero : Beati qui post licitum nuptiarum, sectantes continentiam, internumerari contenditis his, de quibus merito dicitur : *Virgines*
D *enim sunt, et sequuntur agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV). Vel altare generaliter sanctam Ecclesiam accipiamus, in quo Deo quotidie sacrificium laudis, et incensum orationis offertur. Metire templum et altare, id est secundum capacitatem uniuscujusque sermonem profer, simplicibus simpliciora, perfectis alta et profunda committens.

Atrium autem quod est foris templum ejice foras, et ne metiaris illud. Miranda prorsus locutio talis, quod illud foras ejici præcipit, quod foris esse ostenditur. Quomodo enim foras ejici potest, si intus non est ? Sed tale est hoc, quale et illud : Deleantur de libro viventium, id est, non scribantur in eo. Ita ergo et hic dicitur. Atrium vero ejice foras, id est, noli illud

computare intus. Per atrium autem quod foris est, intelliguntur hæretici, pagani, et Judæi, quibus ad sancta sanctorum nullus patet ingressus, de quibus Paulus dicit : *Quid autem mihi de his qui foris sunt judicare?* (*I Cor.* v). Dicatur ergo, ne metiaris atrium quod foris est, id est, noli tales computare in numero sanctorum, *quoniam datum est gentibus*. Id est, communi tormento peribunt, et inter eos reputabuntur qui idola colunt, quoniam et illi simulacra colere videntur, mendacium pro veritate tenentes. Judæi se dicunt credere in Deum Patrem, sed mentiuntur, quia qui non habet Filium, nec Patrem habet, et qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Mendacium ergo colunt, qui veritatem non adorant. Hæretici quoque diversos errores de Domino fatentur, unde quia a veritate recedunt, similes gentibus habentur, verbi gratia : Sabellius dicit quod idem sit Pater qui Filius, et quia duas non vult intelligere personas in Patre et Filio, similis est et etiam deterior paganis. Photinus quoque affirmat eum purum hominem, nec fuisse ante Mariam, et iste similis est gentibus, qui simulacrum hominis mortui se adorare fatentur, dum solummodo Christum hominem fuisse dicit, et Deum negat. Et ideo isti tales atque eorum similes, velint nolint, in illorum transeunt numerum, qui imagines mortuorum adorant hominum, præsertim cum singulis partibus mendacium sit quod tenent. Similiter qui fidem quam habent operibus destruunt, in numero infidelium reputantur. *Et civitatem sanctam calcabunt*, ipsa scilicet atria *Mensibus quadraginta duobus*. Civitas sancta olim appellabatur Hierusalem, juxta illud Evangelii : *Multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt et apparuerunt multis in sancta civitate* (*Matth.* XXVII). Verumtamen hic non de illa dicitur, sed potius de Ecclesia, de qua scriptum est : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI). Hanc civitatem calcant, id est comprimunt atria, id est hæretici, pagani, Judæi, et falsi fratres, et verbo et tormento : sed sicut silex calcata pedibus hominum, elimari potest, comminui non potest, et tanto magis elimatur, quanto magis calcatur : ita sancta Ecclesia ex persecutione perfidorum robustior redditur et luculentior, unde Apostolus : Quando *infirmor, tunc* fortior *sum* et *potens* (*II Cor.* XII). Quadraginta duos menses possumus specialiter referre ad spatium trium annorum et dimidii, quando sub Antichristo acerbius calcabitur, et comprimetur Ecclesia ab impiis. Nam in tribus annis et dimidio quadraginta duo menses continentur, quo numero etiam omne præsens tempus intelligitur, propter sex mundi ætates, et septem dies, quibus omne præsens tempus volvitur. Sexies enim septem quadraginta duo faciunt. Aliter : Legimus in Veteri Testamento, quod populus Israel quadragesima et secunda mansione ingressus est terram repromissionis, et quia in figura omnia contingebant illis, utique et hoc iter ad nos pertinet, qui in itinere deserti moramur, et ad patriam repromissionis tendimus post Rubri maris baptismum, in quo submersus est Pharao cum suis exercitibus, id est diabolus cum omnibus peccatis originalibus. Quod ergo ibi per quadraginta duas mansiones in figura factum præcessit, hoc hic per menses figurata locutio expressit. Mensibus ergo quadraginta duobus calcatur civitas, quia quandiu in præsentis vitæ itinere transit, persecutionem ab impiis sustinet Ecclesia.

Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt, id est dabo ut prophetent, *diebus mille ducentis sexaginta*. Hic etiam et in numero dierum, qui juncti faciunt annos tres et dimidium, et in adventu etiam et prophetia duorum testium manifeste ostenditur persecutio, et regnum Antichristi. De his quippe duobus testibus Dominus per Malachiam prophetam dicit : *Ecce ego mittam vobis Enoch et Eliam, ut convertant corda patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum* (*Matth.* IV). Et in evangelio ipse Dominus : *Elias veniens restituet vobis omnia* (*Matth.* XVII). Isti ergo venientes prophetabunt, id est prædicabunt, quia, ut supra dictum est, prophetare aliquando ponitur pro prædicare. Diebus mille ducentis sexaginta, id est tribus annis et dimidio, qui interficientur ab antichristo *Amicti saccis*, quia pœnitentiam quam prædicabunt ore, etiam habitu ostendent, sicut fecit beatus Joannes, qui erat indutus pilis camelorum. Sed in his duobus testibus omnis Ecclesia comprehenditur in suis prædicatoribus, quæ per omne tempus istius vitæ prophetat et prædicat mysteria Filii Dei, sive nunc scilicet, sive in extremis temporibus. Bene autem Ecclesia in duobus testibus figuratur, propter duo Testamenta videlicet, quibus roboratur ; vel quia ex duobus populis constat, et duobus præceptis charitatis vivificatur; sive etiam propter duo martyrii genera. In saccis vero humilitas sanctorum exprimitur, qui, licet sint magistri, peccatores se esse fatentur ; nam cilicium criminosis convenit. Vel certe, quia sanctorum vita reprobis videbitur despecta, ideo saccis induti perhibentur. Et hoc est quod in hac eadem Apocalypsi dicitur. *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus* (*Apoc.* VI).

Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. Ipsi specialiter duo, Enoch scilicet et Elias, duæ olivæ appellantur propter unctionem Spiritus sancti, qua sunt delibuti. Dicuntur etiam et candelabra, quia lucebunt, aliisque lumen veritatis ostendent et verbo et opere. Generaliter omnes sancti Ecclesiæ in his duobus comprehenduntur, qui tempore baptismatis in manuum impositione episcoporum acceperunt Spiritum sanctum. Dicuntur autem duæ olivæ, cum una sit oliva, id est, universalis Ecclesia, juxta illud : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei* (*Ps.* LI), propter duo Testamenta, vel dilectionem Dei et proximi, vel duo genera martyrii. Similiter et eadem Ecclesia cum sit unum candelabrum propter unitatem fidei, dicuntur duo candelabra propter prædicta mysteria. Bene autem in conspectu Domini terræ stare per-

hibentur, quia sancti intima contemplatione sui Conditoris in suis præcordiis inhærere probantur, et jugiter voluntatem ejus considerantes, ea faciunt in quibus Creatorem suum non offendunt. Unde Elias dicit : *Vivit Dominus in cujus conspectu sto* (*III Reg.* XVII). Et Paulus : Sicut ex Deo, *coram Deo loquimur in Christo* (*II Cor.* XII). Potest etiam et de his duobus testibus intelligi, aliter qui in conspectu Domini terræ stant, quod videlicet in paradiso, ubi quondam fuit Adam, antequam peccaret, translati sunt, et a nostris conspectibus ablati, claritate visionis Dei perfruuntur.

Et si quis eos voluerit nocere, ignis exiet de ore illorum, et devorabit inimicos eorum. Hoc ex parte jam impletum est, quando, sicut in libro Regum, legimus (*IV Reg.* I), ad vocem Eliæ descendit ignis de cœlo, et consumpsit quinquagenarios cum suis quinquaginta. Sed specialiter hæc verba sicut pertinent ad illos duos, ita generaliter et ad omnes sanctos. Per ignem autem prædicatio sancta figuratur, quia corda auditorum ad amorem Dei ascendit. Ex isto itaque igne boni perficiunt, mali vero deficiunt, unde Paulus : *Christi bonus odor sumus Deo;* et : *Aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II Cor.* II). Dum enim sancti bona coram ipsis proferunt, etiam nolentes nocent, quia ipsi bona quæ audiunt, in sui damnationem vertunt ; dumque sanctos persequuntur, qui sibi vitam annuntiant, hoc igne, id est doctrina quæ procedit de ore illorum, devorantur, quia pro contemptu et persecutione sanctorum, digni suppliciis æternis aguntur. *Et si quis eos voluerit lædere, ita oportet eum occidi*, sententia scilicet verbi Dei. Vel certe de ore testium ignis egrediens inimicos eorum interficit, quia nimirum contraria Christo sentientes, atque in malo perseverantes, anathematis fulmine sancta Ecclesia percutit. Quod si et hoc in bonum accipere volumus, sancta Ecclesia in suis doctoribus igne oris sui inimicos devorat, cum verbo exhortationis et administratione claritatis eos ad sui amorem provocat, ut moriantur inimicitia, et vivant dilectionis gratia, coacervatis dilectionis carbonibus super caput eorum, juxta Salomonis sententiam.

Hi habent potestatem claudendi cælum nubibus ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint. Et hoc juxta litteram impletum cognovimus in Moyse et Elia, quoniam unus aquas Nili fluminis convertit in sanguinem, eo quod induratum esset cor Pharaonis. Alter vero clausit cœlum ne plueret annis tribus et dimidio. Dum enim regnaret Achab rex impius, qui sanctos Dei interfecit, et insuper idola coluit ; omnisque populus Israel relinquens Deum patrum suorum, adoraret Baal, et eos Elias revocare ad cultum Dei non potuisset, iratus dixit : *Vivit Dominus, si erit vobis ros aut pluvia, nisi juxta oris mei verbum* (*III Reg.* XVII). Quod ita factum est, donec populus ageret pœnitentiam, et iterum ille sua petitione obtineret pluviam. Moyses quoque terram Ægypti percussit omni plaga, quotiescunque voluit, id est, quousque liberaret filios Israel de Ægyptiorum servitute. Spiritualiter ipsi sancti appellantur cœlum ; appellantur autem et nubes, de quibus scriptum est: *Et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem* (*Isa.* V). Claudunt itaque cœlum, hoc est se ipsos, non quo omnimodis cœli imbres non emittant, sed quod super terram, quæ spinas et tribulos germinat, non pluant. Pluunt itaque perfectis, abscondunt vero suam pluviam impiis, quoniam bonis et suscipere volentibus suam prædicationem manifestant, contemptoribus vero et irrisoribus abscondunt. Unde est : *Ne miseritis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* VII). Et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem. Aqua Scripturam significat. Unde est : *Aqua profunda sermo ex ore viri* (*Prov.* XVIII). Ipsi itaque aquam in sanguinem vertunt, cum occasionem illis qui bene prolata male intelligunt, administrant, et doctrinam quam perceperunt, in sui perniciem convertunt. Quod idcirco facere sancti dicuntur, quia ipsi eis divina verba annuntiant, qui contemnunt, cupientes eos instruere, et ad Dei voluntatem revocare. Habent quoque potestatem percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint, quia in potestate illorum est, ut quando velint loquantur, et iterum quando velint taceant, ut scilicet fidelibus loquantur, infidelibus autem taceant. Et ideo quotiescunque infidelibus divina mysteria claudunt, toties insanabili plaga percutiunt. Quotiescunque vero fidelibus Dei sacramenta pandunt, toties alios ad mortem, alios ad vitam trahunt. Et quod aliis proficit ad salutem, aliis provenit ad mortem ; dumque verba coram impiis formant, sanguinem carnalis intelligentiæ quo moriantur porrigunt. Et notandum quod non dicit, habebunt potestatem, sed habent, ut hoc non de duobus tantum, Enoch et Elia, qui venturi sunt, sed etiam de præsentis nunc temporis Ecclesiæ prædicatoribus dictum intelligamus.

Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversus illos bellum, et vincet illos et occidet illos. Hoc testimonium non ad ipsum regnum Antichristi est referendum, sed ad præcedens tempus quo ipsi prædicabunt, antequam ille incipiat regnare. In revelatione enim bestiæ finiendum, id est perficiendum et complendum est testimonium illorum, qui docent ipsum non esse Christum, sed diabolum, pronuntiantes Judæis atque gentibus olim jam venisse Christum, et sua passione redemisse genus humanum, unde et ab eo tenti interficientur. Et hoc est quod sequitur, quia bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversus eos bellum. Bestiæ autem vocabulo non solum damnatus ille homo, verum etiam habitator illius diabolus, qui per illum exaltabitur, et extolletur supra omne quod dicitur deus, aut quod colitur, sed et omne corpus illius figuratur. Homo itaque ille perditus ascendet de abysso, hoc est de multitudine Judæorum per-

fidorum, qui impietate profundi sunt nascendo, et per ætatum momenta proficiendo, juxta illud : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita* (*Gen.* XLIX). Diabolus enim ascendet de abysso, hoc est, de reproborum cordibus in quibus habitat : et ingredietur illum damnatum hominem, ut per eum signa faciat, et elevetur ita, ut sedeat in templo Dei tanquam sit Deus. Omne enim corpus illius cum capite suo ascendet de abysso, quia divino Dei judicio efferari permittetur. *Judicia* enim Dei *abyssus multa* (*Psal.* XXXV). Inde namque ascendet, unde ad superbiam elevari permittetur. Faciet autem contra Dei testes bellum, et corporale et spirituale, exhibebit cuncta quæ in præcedentibus martyribus sunt adimpleta, id est virgas, fustes, plumbatas, candentes ferri laminas, ungulas ferreas, bestias, ignes, et carceres, et si qua sunt similia tormentorum genera. Iterum quos sic non poterit vincere, conabitur doctrinis superare, exhibebit dona, verba promet dulcia, adhibebit falsa miracula, et per utraque sæviens multos a fidei rectitudine ad errorem inclinabit, alios scilicet decipiens terroribus, alios autem persuasionibus. Verum quod dicitur, *vincet eos,* non ad sanctos pertinet, qui non poterunt vinci, et qui ante poterunt occidi, quam a fide separari ; sed quædam pars malorum intelligitur, quæ sociata est corpori Christi, quæque sive terroribus, sive blandimentis vinci posse narratur. Quod vero *occidet eos*, ad sanctos pertinet, quod interficiet diversis modis, et superare non poterit. Inter quos etiam erunt ipse Elias et Enoch, qui a bestia nec terroribus nec blandimentis superari nullo modo poterunt. Inter eos autem qui vincentur, comprehenduntur falsi Christiani, Judæi, hæretici et pagani. Si vero quærimus quæ sint arma Ecclesiæ, utique fides et innocentia, duo dilectionis præcepta, duo etiam Testamenta. Hinc pugnant, hinc victores existunt, etiam cum moriuntur.

Et jacebunt corpora eorum in platea magnæ civitatis, quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. Civitatem magnam, quantum ad litteram appellat Jerusalem, quæ Dei civitas magna dicebatur, sed postquam Dominum suum interfecit, jam non dicitur civitas magna, aut Jerusalem, sed Sodoma et Ægyptus. Licet enim persecutio ubique grassetur, tamen immanior et acerbior erit Ecclesiæ vexatio, ubi Dominus crucifixus traditur, et ubi caput malorum apparebit Antichristus. In cujus platea specialiter dicuntur jacere corpora sanctorum, tanquam scilicet ut ubi principale certamen erit, ibi mortuorum corpora multipliciter pereant ; ubi etiam intelligitur, quia Judaica plebs specialiter adhærebit Antichristo, quousque Enoch et Elia prædicantibus, qui ex ea salvandi fuerint, revertantur ad Christum. Bene autem illa civitas Sodoma vocatur et Ægyptus, quia opera Sodomorum atque abominationes Ægyptiorum sectasse cognoscitur. Unde Isaias illis dicit : *Audite, principes Sodomorum* (*Isa.* I). Altius autem per civitatem magnam in qua jacebunt corpora sanctorum, totus mundus intelligitur, quia in omnibus mundi partibus sancti tunc temporis interficientur. Unde bene dicitur : Ubi Dominus eorum occisus est. Quod enim Dominus extra portas illius civitatis est passus significabat, quia Christus in suis membris in toto mundo erat passurus. Ita est civitas magna, quæ Babylon vocatur, in qua diabolus regnat, sicut civitas est Christi Hierusalem, in qua regnat ipse Christus. Illa cœpit a Cain, ista autem ab Abel. Sodoma interpretatur *muta*, Ægyptus *tenebræ*. Quibus nominibus illi comprehenduntur, qui, metu nimio concussi, tempore Antichristi non audebunt confiteri fidem Christi, sed in tenebris infidelitatis cæcati, et in tenebris tenti peccatorum, negabunt illum. Insuper etiam et civitatem sanctam calcabunt, id est compriment. Jacebunt autem corpora multorum, et illorum scilicet qui fuerint mortui, et illorum etiam qui diversis affligentur tribulationibus, id est fame, nuditate, carceribus, et cæteris inexquisitis tormentis.

Et videbunt de populis et tribubus et linguis et gentibus, corpora eorum per tres dies et dimidium. Manifesta etiam ostenditur persecutio sanctorum in omnibus gentibus futura, cum dicitur quod omnes populi, et tribus et linguæ, videbunt corpora eorum tribus diebus et dimidio, id est tribus annis et dimidio, quibus regnabit Antichristus. Ita enim hic dies pro anno positus est, sicut et in Veteri Testamento, ubi legimus quod reversi exploratores qui quadraginta diebus terram exploraverunt, fecerunt murmurare populum : Unde et postea quadraginta annos permanserunt in deserto, Domino dicente ad Moysen (*Num.* XIV) : Diem pro anno dedi vobis. Similiter et ad Ezechielem (*Ezech.* IV), cui præceptum est, ut trecentis nonaginta diebus jaceret super latus sinistrum, *diem*, inquit, *pro anno dedi tibi.* Significata est enim in his diebus captivitas decem tribuum trecentis quadraginta annis futura.

Et corpora eorum non sinent poni in monumentis. Per corpora autem totos homines accipere debemus, qui non solum exstincti, verumetiam diversis pressuris attriti jacebunt et conculcabuntur. Consuetudo quippe sacræ Scripturæ est, ut aliquando per animam aliquando per corpus totum hominem significet. Per animam, ut ibi : *Descendit Jacob in Ægyptum in animabus septuaginta* (*Act.* VII). Per corpus vero, sicut Maria in Evangelio dicit : *Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum* (*Joan.* XX), cum solum corpus quæreret, quod positum fuerat in sepulcro, anima illius cum divinitate Verbi descendente ad infernum. Verum tanta sævitia tunc erit, et tam erit immanis illa persecutio, ut non satientur reprobi, postquam interfecerint eos, sed etiam ad augendam suam malitiam, neque post mortem permittent eos poni in monumento. Sic enim legimus factum et in persecutione sanctorum martyrum, quod tanto tunc amplius fiet, quanto gravior erit persecutio. Aliter : In monumentis idcirco mortuorum corpora ponuntur, ut ibi quiescant, et diem ex-

spectent novissimum. Unde et per quemdam sapientem dicitur : Corpora eorum in pace sepulta sunt. Tunc itaque non sinent eos poni in monumentis, hoc est, non permittent eos quiescere, veluti quiescunt corpora mortuorum, sed variis et inexquisitis eos cruciabunt tormentis. Monumentum etiam dicitur eo quod moneat mentem, quia et nos dum consideramus sanctorum monumenta, qui sua corpora pro Christo tradiderunt, monemur venerationem illis impendere. Non itaque sinent eos poni in monumento, hoc est non permittent eos venerari, sed velut irrisione dignos, permittent eos in plateis jacere, ubi comedantur a bestiis.

Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, et judicabuntur, et munera mittent invicem. Recte inhabitantes terram vocantur, qui de interitu et de nece sanctorum gaudentes, mentem ad præmia contuenda electorum, vel ad sua consideranda supplicia erigere non noverunt. Tales ultimo tempore cum Ecclesia tradita fuerit in manus persecutorum, videntes Enoch et Eliæ, cæterorumque martyrum corpora insepulta jacere, gaudebunt ex eorum humiliatione et interfectione, qui eos male viventes et peccantes increpabant. Et mittent sibi invicem munera, eulogia scilicet et datum temporale, vel sermonum congratulationem, tanquam diem festum celebrantes. *Quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos qui habitant super terram.* Sicut supradictum est, in devoratione scilicet ignis spiritualis, in suspensione pluviæ salutaris, in conversione aquarum in sanguinem. Licet ergo toto nunc tempore gaudeant impii de tribulatione et humiliatione justorum, lætantes cum malefecerint, et exsultantes in rebus pessimis, tamen jam tunc longa erit et major talium exsultatio de afflictione vel morte justorum, ac sua crudelitate. Sed cum dixerint *pax et securitas*, tunc repentinus eis superveniet interitus. Unde hic quoque apte subinfertur :

Et post tres dies et dimidium. Id est interitum repentinum super eos venire, qui dicunt pax et securitas, et tunc dolorem, cum dicunt gaudium post quadraginta scilicet quinque dies, qui in Danielis libro et Isaiæ commemorantur. *Spiritus vitæ a Deo intrabit in eos.* Non tamen alienus spiritus ingredietur in eos, sed unusquisque homo suam animam recipiet. *Et steterunt.* Pro eo quod est stabunt, quia præteritum tempus est positum hic pro futuro. *Super pedes suos.* Quantum autem sit hoc futurum, post illos quadraginta quinque dies solus Deus novit. Bene vero stare dicuntur sancti, quia scilicet jam incommutabiles erunt in mente, et incorruptibiles in corpore. *Et timor magnus cecidit*, id est cadet *super eos qui viderunt eos.* Pro eo quod est videbunt, id est super omnes reprobos qui interfecerunt eos. Ibi quippe recognoscent eos in gloria, quos persecuti sunt in præsenti vita et timebunt dum viderint eos glorificatos, exspectantes sententiam divinæ ultionis. Vel etiam ipsi sancti cum viderint se invicem glorificatos, et viderint cœlum ardere, infernum apertum, dæmones per hunc aera discurrentes, Dominum venientem ad judicium cum multitudine angelorum timebunt. Sed ut Dominus dicit, *virtutes cælorum movebuntur* (*Matth.* XXIV), quanto magis homines. De quibus adhuc subditur :

Et audierunt vocem magnam dicentem illic : Ascendite huc. Vox ista quæ eos vocat ut cœlos ascendant, ipsa est de qua Apostolus dicit : *Ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo* (*I Thess.* IV). Ascendite (inquit) huc, id est, ascendite ad Deum, et ad caput vestrum qui membra estis illius, qui modo singulis redditurus est juxta opera sua. Ideoque nolite morari in terra, ne involvamini in pœnis miserorum. *Et ascenderunt in nube in cælum, et viderunt illos inimici eorum.* Legimus in Evangelio, quod Dominus in nube venturus sit ad judicium ; sic enim dixerunt angeli testes illius ascensionis : *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum* ascendentem, id est, eadem carne et nube (*Act.* I). Sicut ergo Christus venturus est in nube, ita et omnes sancti. Unde ipse dicit : *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum* potestate magna *et majestate* (*Matth.* XXIV). Unde et Apostolus dicit : *Nos autem qui vivimus rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus* (*I Thess.* IV), non in aere, sed in cœlo. Quod si quis, hanc Pauli sententiam intuens, inquirit qualiter generalis primo homini illata compleatur sententia, qua illi dixit Deus : *Terra es et in terram ibis*, scire debet veram Dei esse, et Pauli sententiam, quia et vivi reperientur homines, ex quorum persona hoc Apostolus loquitur ; et tamen scire debet ut beatus Augustinus dicit, in ipso raptu nubium, etsi momentaneam, mortem tamen gustabunt. In terram ergo revertentur, quia hoc est corpus in terram reverti, quod est exeunte anima remanere corpus, quod utique terra est. Itaque securi dicimus, quia in momento et in ictu oculi, in ipsis nubibus, Spiritum vitæ accipient hi, qui in adventu Domini vivi reperientur, in quibus, ut dictum est, et momentaneam mortem gustabunt. Impii quippe remanebunt in terra hac, electi elevabuntur ad gloriam, in qua et inimici illorum eos videbunt, et sentient judices juste, quos judicaverunt et damnaverunt injuste.

Et in illa hora factus est terræmotus magnus. Cum loqueretur de ipso judicio, repente venit ad ea quæ ante futura sunt ; id est ad persecutionem Antichristi, de quo paulo ante fecerat sermonem, ipsamque vocat horam quam ante in tribus diebus et dimidio expresserat. Quid autem mirum, si eadem persecutio una hora vocetur, cum omne præsens tempus una hora appelletur, juxta quod Joannes dicit : *Filioli, novissima hora est* (*I Joan.* II). Terræmotus itaque significat illam persecutionem validissimam, unde bene terræmotus non simpliciter sed cum additamento magnus vocatur, quia tunc tribulatio erit, ut Dominus ait, qualis non fuit, neque fiet. Hinc et

Danieli angelus dicit : Veniet tempus quale non fuit ex quo gentes esse cœperunt. *Et decima pars civitatis cecidit, et occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia.* Hic locus in Evangelio exponitur, ubi Dominus dicit, quod quædam mulier habens drachmas decem, perdiderit unam ex illis. Novem quippe sunt ordines angelorum, sed homo decimus est creatus, qui locum a diabolo evacuatum repleret. Ista decima pars periit in illis, qui consenserunt et crediderunt Antichristo. Non autem tota decima pars periit, sed pars decimæ partis in hæreticis scilicet, paganis et Judæis et falsis fratribus. Civitas quippe Hierusalem appellatur, quia constat ex angelis et hominibus. Civitas cujus decima pars cecidit, illa scilicet quæ ad novem angelorum ordines non pertingens, locum decimi ordinis cum electis minime tenet. Et cum sit ipsorum perditorum numerus infinitus, sub finito comprehenditur, cum dicitur : Quia mortua sunt in terræmotu nomina hominum septem millia. Septenarius enim numerus sæpe pro universitate ponitur, atque ideo in septem millibus hominum omnes reprobi intelliguntur, qui mortui sunt in anima sub eadem persecutione. *Et reliqui*, qui in fide permanserunt, id est, post abnegationem ad fidem redierunt, sive etiam qui ex errore ad veram doctrinam conversi sunt, et in eadem fide perstiterunt. *In timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli.* Sive quod eo gubernante, et fortitudinem donante non sunt lapsi : sive quod misericorditer post ruinam sunt erecti.

Væ secundum abiit, et ecce væ tertium venit cito. Superius aquila volans, tria væ dixit futura, quorum duo in enarratione præcesserunt, tertium adhuc restat. Primum væ quippe narrat prælium locustarum, secundum solutionem angelorum quatuor usque ad istum locum, in quo multa per recapitulationem de adventu Antichristi dicuntur : tertium inchoatur hic, et tendit usque ad præfinitum locum, id est damnationem omnium reproborum cum capite suo.

Et septimus angelus tuba cecinit, et factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicentes : Factum est regnum hujus mundi Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum. In septimo angelo nihil aliud, nisi ut supra in cæteris Ecclesia intelligitur, non jam prædicans ut superius, sed in conspectu sui Creatoris consistens. Et hoc est quod superius angelus stans supra mare, et super terram juravit per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus jam non erit, sed in diebus septimi angeli consummabitur mysterium Dei. Septimo autem angelo tuba canente, voces magnæ fiunt in cœlo, id est in ipsa electorum Ecclesia. Quæ voces nihil aliud sunt, nisi magnum sanctorum desiderium, laudantium Deum, et gratiarum actiones personantium atque dicentium : Factum est regnum hujus mundi, cui antiquus hostis dominabatur, Domini Dei nostri, id est Patris et Christi sui Filii, et regnabunt Pater et Filius, et hi qui in Patris et Filii nomine intelliguntur, cum omni electorum Ecclesia in sæcula sæculorum. Hanc potestatem Filius Dei accepit per humanitatem, qui omnia cum Patre possidebat per divinitatem, unde et ipse surgens a mortuis dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.*

Et viginti quatuor seniores, id est prædicatores, *qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis.* Id est in potestate judiciaria, juxta illud : Ecce Dominus veniet cum senioribus populi sui. *Ceciderunt in facies suas.* Omnia sua ad eum referentes, qui dicit : Sine me nihil potestatis facere. Qui in conspectu Dei sedent, quia in cunctis quæ agunt, vel dicunt, Deum sibi præsentem semper attendunt. *Et adoraverunt Deum dicentes : Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es* immutabilis *et qui eras* ante sæcula cum Patre. Ubi intuendum est, quia non subjungit, *qui venturus es*, ut supra. Præsentem enim jam in judicio, quo hæc omnia agentur demonstrant, quem venturum minime prædicant. *Qui accepisti virtutem tuam magnam.* Quando resurgens a mortuis omnia regna mundi tuæ potestati subjecisti, et hoc in humanitate, quia virtus indeficiens est in tua divinitate. *Et regnasti*, regnas et regnaturus es.

Et iratæ sunt gentes, quæ scilicet vident suam culturam ad nihilum redigi, unde Psalmista : *Dominus regnavit, irascantur populi. Et venit ira tua*, id est tempus vindictæ tuæ, quando irascentium populorum cervices confringes. *Et tempus mortuorum.* Ut scilicet qui mortui sunt peccato, moriantur damnatione perpetua. In quibus videlicet gratiarum actionibus duos Domini adventus comprehendunt : Primum scilicet humilem et occultum, quando surgens a mortuis mundum sibi substravit. Secundum vero excelsum et manifestum, quando impiis irascetur, et servos suos vindicabit. Non autem gaudent electi, quia reprobi damnantur, sed ideo gaudent, quia advenit tempus quando mali justam damnationem, et ipsi recipiant bonorum operum dignam remunerationem. Ante enim damnabuntur impii, et sic remunerabuntur pii, nec poterunt pervenire ad regnum corpora piorum, nisi præcesserit damnatio reproborum. Quod autem dicit, *iratus es*, non ita intelligendum est, ut irascatur Deus sicut et homo, sed sic videbitur reprobis, quos damnabit. Talis quippe in singulorum conscientiis erit, qualem eum videbunt. Unde in mentibus electorum videbitur benignus, in mentibus reproborum iratus. *Judicare et reddere mercedem* unicuique. *Servis tuis prophetis et sanctis.* Sic videntur hæc verba sonare, quasi præcesserit meritum electorum, pro quo mercedem sunt recepturi. Non enim redditur nisi quod debetur, sed non est ita, quia scriptum est : *Quis prior dedit illi et retribuetur ei?* (*Rom.* XI). Et alibi : *Gratia salvi facti estis, et hoc non ex vobis, ut ne quis glorietur* (*Eph.* II). Sciendum est itaque quia ut aliquid Deo daremus, prius ab illo accepimus, cujus misericordia prævenit ut velimus, subsequitur ut operemur, unde Psalmista : *Misericordia ejus præveniet me, et misericordia ejus subsequetur me* (*Psal.* XX, LVIII). Itaque quod accepimus, et Dei est, quia ipse dedit, et nostrum, quia nos ab illo percepi-

mus, et ideo cum Dominus mercedem reddit, sua ipse dona in electis remunerat. Sub hac intelligentia quotidie dicimus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Matth*. v); si nostrum est, cur ut detur petimus ? Sed fit nostrum accipiendo quod non erat habendo. Quæritur autem, cur, nominatis prophetis et cæteris sanctis, apostoli sunt relicti ? Sed sciendum, quia in prophetis ibi sunt comprehensi et apostoli, qui prophetæ sunt, quia ventura reproborum supplicia, et sanctorum præmia prænuntiant. De quibus ipse Dominus ait : *Ecce ego mitto ad vos prophetas*. Et ipsi Joanni dictum est : *Oportet te prophetare et prædicare gentibus*. Et quia non omnes sunt prophetæ qui sunt sancti, remunerabuntur prophetæ, remunerabuntur et isti. *Et timentibus nomen tuum pusillis et magnis*. Timentes quoque nomen illius, id est reverentiam habentes nominis ejus, et ideo peccare timentes, cum pusillis et magnis mercedem recipient. Magni quippe sunt, qui bonum quod intelligunt, juvante se divina gratia facere possunt. Pusilli autem, qui non ea possunt implere quæ intelligunt, quia nec locum habent. Sicut quilibet in monasterio constitutus, misericordiam vult impendere fratribus, vult etiam aliis sermonem prædicationis et doctrinæ impendere, sed quia ad hoc non vocatur, non illud quod intelligit, et vult, opere perficere valet. Ideoque tales in numero perfectorum habentur. Ideoque nulla subripiet de imperfectione desperatio, licet non fuerit omnibus attributa perfectio. Hinc Ecclesia in Canticis canticorum dicit sponso suo : *Unguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis* (*Cant*. I). Et quia talium innumerosior summa invenitur, ideo in subsequentibus Salomon ait : *Adolescentularum autem quarum non est numerus* (*Cant*. IV). *Et exterminandi eos qui corruperunt terram*, subaudis tempus advenit. Qui enim corruperunt terram, id est carnem suam maculaverunt diversis vitiis et peccatis, vel qui alios maculaverunt exemplo et doctrina prava, exterminabuntur, id est a terra viventium separabuntur, et ab hæreditate sanctorum, exsilio æternæ damnationis damnati.

Et apertum est templum Dei in cœlo. Cœlum est Ecclesia, quæ est sedes Dei. Templum in cœlo corpus intelligitur Christi, de quo ipse Judæis dicit : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud;* unde Evangelista exponens subdit : *Hoc autem dicebat de templo corporis sui* (*Joan*. v). Quod templum apertum est nascendo, moriendo, resurgendo, atque ad cœlos ascendendo. Templum etenim Dei est ipsum corpus, quia in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. In cœlo hoc templum, quia in Ecclesia hæc mysteria prædicantur et retinentur. Vel apertum est hoc templum, quando (sicut in Evangelio legimus) lancea latus ejus perforatum est. In cœlo autem secundum hunc sensum Joannes apertum dicens templum, in conspectu suo intelligi voluit, cognoscens se esse de illorum numero, de quibus meminerat scriptum : *Cœli enarrant gloriam Dei*. *Et visa est arca testamenti in templo ejus*. Quod significatur per templum, hoc et per arcam, id est sanctorum Ecclesia, genus est in genere, sicut octo animæ in arca. Quæ propterea arca testamenti vocatur, quia duorum Testamentorum habet cognitionem, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus; ibi est urna habens manna, id est corpus Christi, in quo verus est panis qui de cœlo descendit ; ibi est virga Aaron, per quam sacerdotium designatur, quia et illud sacerdotium in figura præcessit. Significabat enim regale sacerdotium, quod agitur nunc in Ecclesia. Hæc arca quatuor portabatur circulis, quia quatuor instruitur Evangeliis. Aperto ergo templo, visa est arca, quia eo moriente dum latus ejus lancea perforatur, mysterio sanguinis et aqua Ecclesia ædificabatur. In cujus rei figura, in principio mulier de latere viri dormientis fabricata esse describitur. *Et facta sunt fulgura et voces et tonitrua et terræmotus et grando magna*. Per fulgura miracula intelliguntur, quibus incredulorum mentes percussæ fractis mox superbiæ viribus, humilitati se subdiderunt. Hinc Psalmista : Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos. Per voces vero, prædicationes et exhortationes. Bene autem prius fiunt fulgura, ac deinde subsequuntur voces, quia sancti prædicatores prius miracula faciebant, et sic ad nova credenda loquendo suos auditores invitabant; unde Petrus prius ad Speciosam portam sanavit paralyticum, et deinde Judæorum mentes ad fidem verbo exhortationis informavit. Tonitrua quoque significant comminationem terroris divini judicii Post voces tonitrua fiunt, ut hi qui forte miracula contemnunt, verba despiciunt, terrore judicii quatiantur. Terræmotus vero persecutionem significat, quæ excitata est contra sanctos. Unde et bene post terræmotum grando sequitur, nam grando eos qui persecutionem commovent, significat. Grando quippe et fruges terræ comminuit, et ipsa comminuitur; fitque ut grando funditus deficiat, et denuo terra fructificet. Sic nimirum principes hujus sæculi dum persequebantur sanctos et affligebant, et ipsi pariter confringebantur, et ad nihilum redigebantur, aut viribus scilicet, aut commutatione in melius. Plures etenim de his, qui Ecclesiam Dei persecuti sunt, ad finem Christi conversi, cœperunt pati, qui prius aliis inferebant. Porro malis pereuntibus, aut etiam qui fuerant prædestinati conversi ad fidem, Ecclesia fructificare in bono opere, et crescere cœpit in fide.

CAPUT XII.

Et signum magnum apparuit in cœlo : Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Istud est signum de quo admonitus est Achaz, ut peteret *signum a Deo in profundum inferni, sive in excelsum supra*. Sed cum ille diceret, *Non petam, et non tentabo Dominum*, conversus propheta ad domum David, dixit : Propter hoc dicit Dominus : *Ecce dabo vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium*. Magnum quippe fuit signum, quando virgo concepit et peperit, et

post partum virgo permansit. Et in cœlo hoc factum A est, id est in Ecclesia, cujus et mater Domini membrum erat. *Mulier amicta sole*, id est circumdata divinitate Altissimi, unde angelus ait : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc.* I). Illa scilicet de qua Paulus ait, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Ipsa autem beata Dei genitrix in hoc loco personam gerit Ecclesiæ. Neque enim omnia quæ hic narrantur, juxta litteram beatæ Virgini specialiter congruere possunt, sed electorum Ecclesiæ, secundum mysticam narrationem generaliter conveniunt, in qua quotidie fit hoc signum, quia quotidie concipitur in ea Christus et nascitur. Ipsa est enim mater, ipsa est et filius ; unde Dominus dicit: *Si quis fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, et mater* B *est (Marc.* III). Dum enim quotidie novos populos creat, in illis nascitur Christus. Ipsa est amicta etiam sole, id est circumdata Christo, de quo scriptum est : *Vobis timentibus nomen meum, orietur sol justitiæ (Malach.* IV). Hinc Paulus dicit : *Omnes quotquot baptizati estis, Christum induistis (Gal.* III). De hoc sole impii dicturi sunt in inferno : *Sol justitiæ non luxit nobis (Sap.* V). Per lunam autem quæ mutabilis est, ut pote quæ a principio usque ad plenum orbem crescit, et inde deficit usque ad tricesimam ætatem, omnia istius sæculi mutabilia designantur, ideoque tam beata Dei genitrix, quam etiam omnis Ecclesia, lunam sub pedibus habet, quia cuncta temporalia despicit, omnia mutabilia pro nihilo ducens, cœlestia C mentis tenet intuitu, dicens cum Apostolo : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Phil.* III). Aliter : In hac muliere possumus intelligere perfectiores in Ecclesia, qui juxta Domini consilium, sua omnia relinquentes, secuti sunt Christum. Per lunam autem simplices, qui laborant ad aliorum usus, in plantando, ædificando et agricolando. Hos itaque habent illi, qui sunt perfecti, quasi sub pedibus, quia longe ab eorum merito distant, non tamen illi mercede carebunt, licet illis non per omnia coæquentur, si fideliter ministerium suum impleverint. *Et in capite ejus coronam stellarum duodecim.* Quia per mulierem (ut diximus) Ecclesia intelligitur, caput illius Dominus Jesus Christus intelligitur. De qua Paulus dicit, de Deo Patre loquens : Ipsum caput dedit supra omnem D Ecclesiam, quæ est corpus ejus. In duodecim vero stellis significantur duodecim apostoli, qui sua prædicatione tenebras infidelitatis fugant, et lumine veritatis suos auditores illuminant. Unde angelus Danieli dicit : Qui autem docti fuerint, et alios erudiunt, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. *In capite ejus corona* est *stellarum duodecim*, id est duodecim apostolorum, per quos omnes gentes quæ in circuitu istius mundi sunt, crediderunt in Christum, et primum per eos ipsum caput victoriam de toto mundo portavit.

Et in utero habens clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat. Hæc juxta litteram beatæ Mariæ aptari nequeunt, quæ sicut sine delectatione concepit, ita sine dolore peperit, nullumque cruciatum habere in partu potuit, quæ nullum peccatum libidinis in conceptu contraxit. Sed juxta mysticum intellectum hoc ad Ecclesiam refertur, quæ mulier vocatur, non propter effeminatum animum, sed quia prædicatione et lavacro spirituales filios gignere quotidie non desistit. Unde et ipse dicit in Evangelio : *Si quis fecerit voluntatem Patris*, et cætera usque, *et mater est*. Ipsa enim Ecclesia reputatur in matrem, reputatur in filium : quia dum quoslibet ad fidem adducit, mater est, aut fonte baptismatis regenerat. In illis autem, qui accendunt ad baptismum, et confitentur se in Christum credere, filius est. Hinc Paulus : Per Evangelium ego vos genui. De hac muliere Dominus dicit : *Mulier cum parit*, id est cum parere vult, *tristitiam habet*, *quia venit hora ejus*. Sicut enim mulier dum parturit, affligitur et vexatur, ita et sancta Ecclesia dum in hoc sæculo est, et videt suos affligi, et variis modis tribulari, tristatur, affligitur, et vexatur : et clamat ad Deum, postulans liberari, ne victa tribulationibus succumbat. Sed cum ad tempus vel horam pervenerit, qua ultima corporis membra ad lucem æternam nascendo perveniant, tunc cessabit cruciatus ac parturitionis clamor.

Et visum est aliud signum in cœlo : et ecce draco magnus, rufus, habens capita septem et cornua decem. Per draconem, ut supra jam quoque diximus, intelligitur diabolus, qui aperte quoscunque potest deglutire non cessat, et quia diu est ex quo homines nocet, propter multiplicitatem insidiarum magnus vocatur : Rufus vero, propter homicidium, quia ille homicida erat ab initio, ex quo scilicet primum hominem interfecit. Cœlum autem ipsa Ecclesia intelligitur, quæ superius significata est per mulierem. In cœlo est draco, quia etiam in Ecclesia diabolus, quibus valet, nocere non desinit. Neque enim ipse cœlum possidet, sed cœlo adversatur. Per septem autem draconis capita, omnes intelliguntur reges illi subjecti, qui contra septiformem Ecclesiam pugnant. Per decem vero cornua omnia regna illi subjecta. Nam quod in cornibus regna significentur, Zacharias manifestat et Daniel, quorum uterque dicit se vidisse quatuor cornua, quæ sunt quatuor regna principalia. Cum his enim cornibus, hoc est, cum ista sæculi potentia, et regnis sibi subjectis, pugnat diabolus contra eos, qui decem præcepta legis observant. *Et in capitibus ejus septem diademata.* Quod significatur per capita, hoc et per septem diademata, id est omnis hujus sæculi potentatus, qui illi adhærent, et per fraudem verisimilem contra septem ecclesias, et contra septiformem Spiritum dimicant.

Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram. Per caudam draconis, ut supra quoque dictum est, pravi intelliguntur doctores : propheta enim docens mendacium, ipse est cauda. Potest etiam et cauda specialiter ipse Antichristus intelligi, qui omne mendacium dicturus

est, habens eum habitatorem, de quo Dominus dicit : *In veritate non stetit*. Tertia autem pars stellarum quam trahebat cauda draconis : in hæreticis, paganis, Judæis figuratur ac falsis Christianis, qui de cœlo, hoc est, de societate sanctorum ejiciuntur, et in consortium malorum hominum trahuntur. Illi enim designantur per stellas de cœlo abstractas, qui prius lucere videbantur in Ecclesia, sed adveniente Antichristo, decepti blandimentis, tormentis et falsis miraculis, obscurabuntur. Fit autem quotidie hæc stellarum dejectio, sed amplius tunc fiet, quanto immanior erit persecutionis sævitia. Quod autem dicitur, *trahebat*, more Scripturæ sacræ præteritum ponitur pro futuro. Vel, bene etiam trahebat tertiam partem stellarum, quia quodammodo retro aspiciens, de toto transacto hoc tempore ista loquitur. Ab adventu enim Domini, quo stellæ spirituales in cœlo splendere cœperunt, et isti cadere inchoaverunt. *Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret.* Quantum ad beatam Mariam pertinet, diabolus stetit ante eam, volens per Herodem Filium ejus interficere, quando ille fugit in Ægyptum, et lactentes pro eo sunt interempti, sed quod non potuit facere per illum, fecit per filium ejus Herodem, qui illis diebus, sicut Evangelium dicit, Hierosolymis erat. Voluit autem eum devorare diabolus, quia æstimans eum purum hominem, putabat quod cum cæteris in inferno eum tenere posset, sed non potuit, ut in sequentibus dicitur, quia surgens a mortuis, ascendit ad Deum Patrem : sic quotidie, imo omni hora, stat diabolus ante sanctam Ecclesiam, ut possit eos decipere, qui, fonte baptismatis renati, efficiuntur filii Dei, sed non prævalet, quia rapiuntur ad Deum, a quo proteguntur, juxta illud : *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ*. Et : *Volo ut ubi ego sum, illic et minister meus sit* (*Matth.* XXIV). Non autem vel Christus, vel membra illius tunc solummodo draconem vincunt, cum ad cœlos ascendunt, sed potius vincunt eum in hoc, et ipse Dominus et electi ejus, quia mandata vitæ custodiunt. Unde et in Evangelio legimus, quod cum tentaret Dominum, testimonia ejus divina ipse protulit, et sic eum confudit.

Et peperit filium masculum. Beata Maria peperit masculum, id est Dominum Jesum Christum fortem, qui ad hoc venit, ut principem hujus sæculi debellaret. De quo Psalmista : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio*. Masculus autem aliquando ponitur in malam partem, aliquando in bonam. In malam, ut illud Jeremiæ : *Maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens : Natus est tibi puer masculus*. (*Jerem.* XX) Quo in loco propheta personam humani generis gerit, dicens: *Maledictus vir*, diabolus scilicet, *qui annuntiavit patri meo*, mundo, *natus est tibi puer masculus*, id est, populus fortis in malum. De hoc patre Psalmista dicit : *Audi, filia, et vide*, et cætera, usque ad *domum patris tui*. In hoc autem loco masculus in bonam partem ponitur, quia significat Do-A minum Jesum Christum, vel certe membra illius, quæ quotidie parit sancta Ecclesia. Recte autem sancti sub nomine masculi comprehenduntur, quia fortiter contra adversa istius sæculi dimicant, sicut fecerunt sancti apostoli et martyres, qui etiam ipsa corpora tradiderunt pro Christi nomine, quibus Psalmista dicit : *Viriliter agite et confortetur cor vestrum* (*Deut.* XXXI). Quod autem subditur: *Qui erat recturus omnes gentes in virga ferrea.* Tam de Christo, qui potestate inflexibili omnes gentes regit, unde illi in psalmo dicitur : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II), quam de omnibus electis potest intelligi, qui in suo capite acceperunt potestatem, ut regant gentes in virga ferrea, et habeant potestatem con-B fringendi eos tanquam vas figuli, ut faciant ex vasis iræ vasa misericordiæ. Nam quod Christus facit potentia, faciunt etiam sancti, dono illius adjuti, prædicatione sua. Virga autem ferrea rectitudo intelligitur justitiæ, qua et diligunt bonum quod Deus fecit, et insequuntur malum quod homo nequiter gessit, sicque sua ut aliena facta librant, et aliena judicant ut sua. *Et raptus est filius ejus ad Deum et ad thronum ejus.* Iste raptus, ut supra dictum est, non est solummodo corporalis, sed spiritualis. Quasi enim quidam raptus sanctorum sit ex hoc mundo ad Deum, dum fidem quam habent interius mandata vitæ custodiendo, etiam exterius opere exornant, unde et Psalmista dicit : *Ascensus in corde suo disposuit.*

C *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.* Solitudinem ad quam mulier fugit, secretum mentis debemus intelligere, quia abjiciens primum terrenorum desideriorum tumultus et mundi hujus superfluas curas, seipsam desertum quietis facit, ibique invenit locum a Deo paratum, hoc est, ipsum Deum omnipotentem, qui in corde illius requiescit. Iste est locus de quo Psalmista dicit : *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii ut salvum me facias* (*Psal.* XXX). In solitudine ergo cordis locum sancti inveniunt quo salventur, quia dum insolentias cogitationum non patiuntur, solaque æterna petunt, Conditorem suum in se-D creto cordis sui habent habitatorem, in qua solitudine pascunt eam, nulli dubium, quin prædicatores sancti hic intelligantur, qui Ecclesiam pascunt sua prædicatione et doctrina diebus mille ducentis sexaginta. Quamvis hic numerus specialiter pertineat ad tempora Antichristi, quibus necessario pascetur Ecclesia a doctoribus, præcipue Elia et Enoch, tamen ad omne præsens tempus potest referri, a Domini scilicet ascensione usque in finem sæculi. In hoc tempore morante Ecclesia in solitudine sui Conditoris, et curis temporalium rerum quiescente, pascunt eam doctores exemplo et doctrina per suas Epistolas, Evangelium, et expositiones Librorum pabulo divini sermonis. Nam sicut Antichristus mille ducentis sexaginta diebus re-

gnabit, ita et Christus mille ducentis sexaginta diebus, id est tribus annis et dimidio, prædicavit. ideoque totum præsens tempus possumus accipere per hunc numerum, a quo divina prædicatio cœpit, in quo et per novissimos prædicatores terminabitur. Hanc etenim mulierem significabat olim populus ex Ægypto egressus, qui Pharaonem, draconem scilicet qui in medio fluminum suorum cubabat, fugiens in desertum perductus est, quo manna vesceretur, et a morsu ignitorum serpentium, aspiciens æneum serpentem in ligno suspensum liberaretur. Desertum quippe illud significabat præsentem vitam, et secretas mentium solitudines. In hac quippe vita pascimur vero manna, id est corpore Christi, qui dicit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* et cætera, usque *pro mundi vita*. Adsunt quoque igniti serpentes, id est dæmones, qui virus nequitiæ suæ nobis infundere conantur, sed non prævalent, quia liberamur per eum qui suspensus in cruce nos a diabolo liberavit, qui et similitudinem nostræ habuit mortalitatis, tamen non habuit maculam peccati, ideoque nos ab omnibus prævalet mundare peccatis

Et factum est prælium magnum in cœlo. Non tunc solummodo factum est prælium, quando in initio temporis diabolus per superbiam dejectus est de cœlo, sed et quando a Domini passione ejectus de cordibus fidelium, cœpit amplius sævire contra omnes, et hæc pugna perseverat usque ad finem sæculi, quando cum fuerit solutus, consummabitur. Cœlum enim sancta Ecclesia est, in qua fit hoc prælium, maxime, ut diximus, ex quo per fidem ejectus est de cordibus credentium, apostolis prædicantibus, juxta illud : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, et cætera. Sic enim dicitur : *Factum est prælium magnum in cœlo*, ut ab initio fidei Christianæ usque ad finem, totum tempus vitæ præsentis comprehendi, sine aliqua dubitatione credatur, quatenus et factum in præteritis, et esse in præsentibus, et consummandum in novissimis asseratur. *Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone*. Angeli Michaelis, vel draconis dicuntur illis subditi et ad obediendum missi, non tamen ab eis creati, sicut quidam vaniloqui dixerunt hæretici : vel etiam quoniam sub uno rege in una civitate militare creduntur Sic enim solemus et nos dicere, videntes eos qui ex eadem societate sunt : Ecce mei aut nostri. Hinc enim Dominus de pusillis ait in Evangelio : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Hinc Josue principem exercitus Domini interrogat dicens : *Noster es, an adversariorum ?* Omnes enim angeli boni, dicuntur angeli Michaelis, quia ad ejus societatem pertinent. In quo numero bonorum angelorum, etiam homines justi comprehenduntur pugnantes cum diabolo. Porro angeli draconis dicuntur omnes quotquot ei consenserunt, quando superbiens dixit : *Ascendam super altitudinem cœli*, et cætera. Ubi etiam pariter malorum hominum forma comprehenditur. Pugnant itaque Michael et angeli ejus in cœlo, hoc est, in Ecclesia,

A et pugnat draco cum suis dæmonibus, quoniam sicut dæmones sunt parati semper ad impugnandum, ita et sancti angeli ad resistendum. Attamen nec nos sine angelorum, nec rursum angeli sine nostro conflictu contra antiquum hostem dimicant. Erigamus ergo arma securi, quia fortissimos nostræ patriæ concives, et invictos adjutores habemus, juxta quod Apostolus dicit : *Nonne omnes administratorii sunt spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis ?* Inde autem illi fortes, unde et nos : inde illi invicti, unde et nos, id est ex divina virtute, sine qua nec illi aliquid valent, nec nos. Pugnat enim nunc Michael, qui est præpositus Ecclesiæ cum suis angelis pro Ecclesia. Pugnabit etiam amplius tempore Antichristi, juxta illud : In tempore

B illo consurget Michael princeps vester et cætera.

Et non valuerunt, neque locus inventus est amplius eorum in cœlo. Quare dicit, non valuerunt, cum etiam post baptismum et suam abrenuntiationem diabolus multos decipiat ? Sed licet videantur prævalere ad tempus, tamen in eos qui ad vitam sunt prædestinati, non prævalent : quia ablato peccato per pœnitentiam, non invenit in eis locum diabolus. Ille namque fit ejus habitatio, in cujus mente regnat peccatum. Tolle ergo regnum peccati, et non invenietur locus diabolo. Sunt autem et nonnulli in quibus nec ad tempus prævalent, quia ad nullum mortale crimen eos possunt impingere, per quod illorum corda debeant possidere, quibus Paulus ait : *Nolite locum dare diabolo*. Potest autem et hoc specialiter referri

C ad diem judicii, quando illorum certamen ab adventu Domini in judicio terminabitur. Quo peracto, ista sententia complebitur, non valuerunt scilicet, quia in fine certaminis succumbent. Neque locus eorum amplius inventus est in cœlo, quia tunc funditus ab electis exclusi, decipiendi ultra tempus non habebunt.

Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas. Ipse antiquus hostis, ut jam dictum est, draco appellatur propter immanitatem sceleris, magnus propter occultas insidias : et quia ex multo tempore nocet, serpens antiquus, quia per serpentem primum hominem decepit fraude, et sic eum veneno nequitiæ interemit.

D Vocatur quoque diabolus, id est deorsum fluens, sive criminatur, quia quotidie de cordibus fidelium fluit, et inde dicitur Satanas, id est contrarius, quia bonos insequitur, quorum illi opera sunt contraria. *Qui seducit universum orbem*. In his videlicet quæ pereunt, id est partem orbis. Nam a toto partem intelligere debemus, quia quamvis multos electorum in corde plerumque seducat, non tamen in perpetuum, nec ad æternam mortem. *Et projectus est in terram*. Projectus est autem de cœlo in terram, id est de mentibus electorum in corda reproborum, non quo in eis et ante non erat, sed quod ab istis exclusus amplius illis dominari cœperit. Ruinam ejus terra excipit quia terrena quærentium, terrena sapientium mentes invadit. De qua scilicet

terra eidem serpenti in prima maledictione figuratum dicitur : Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Nam quod Propheta dicit : Esca ejus electi, de illis est intelligendum, qui æstimatione hominum electi apparebant, sed in conspectu Dei jam terra erant.

Et audivi vocem magnam de cœlo dicentem : Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus. Hæc vox ad omne præsens tempus pertinet quæ cœpit ab adventu Redemptoris, sed usquequo ad consummationem perveniat, clamare non desinit. Vox itaque in cœlo ista, est magnum electorum desiderium in Ecclesia : *Nunc facta est salus.* Sed omni tempore vitæ præsentis, ab adventu scilicet mediatoris usque ad finem ejusdem prædicationis, salus facta est, quia gratia Dei vel bonitate B sumus salvati, unde Psalmista dicit : *Domini est salus*, et cætera. *Factus est virtus*, quia per illum sumus roborati. Regnum quoque et potestas facta est Dei nostri. Sicut ipse resurgens a mortuis dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (Matth.* XXVIII). — *Quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Accusatio diaboli nihil est aliud, nisi ad malum præcipitatio. Tunc enim accusat, quando dignos accusatione reddit, non loquendo exterius, sed odiendo interius. Sed ab hac accusatione ille liber apparet, qui in se accusare studet quod ab adversario suo accusari posse cognoscit. Angeli itaque gaudentes de nostra revocatione, lætantur de casu diaboli. Unde in Domini nativitate dicebant : *Gloria in excelsis Deo.* Quid enim mirum, si homines fratres vocant, dum cernunt ipsum Dominum hoc facere? Surgens enim a mortuis dicit Mariæ : *Vade, dic fratribus meis.* Neque enim jam dedignantur homines A habere fratres, qui Dominum habent hominem fratrem. In die autem et nocte, vel continuum tempus intelligitur, vel prospera vel adversa. In die et nocte diabolus accusat, quando alios in prosperitatibus extollit, atque alios adversitatibus frangit, et hoc ante conspectum Dei, qui ubique est, juxta illud : Cœlum et terram ego impleo.

Et ipsi vicerunt illum. Id est, sancti qui in Ecclesia sunt et in cœlo, bellum contra draconem faciunt, hoc est, in societate electorum. *Propter sanguinem agni.* Cujus videlicet Passionem imitantur mortificantes se cum vitiis et concupiscentiis. *Et propter verbum testimonii sui.* Quia rectitudinem fidei custodiunt. *Et non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* Quia ante elegerunt mori in hac vita ut postmodum regnarent cum Christo, quam hic vivere temporaliter, et postmodum æternaliter perire, usque ad mortem se posuerunt, ne animas suas nequiter amarent. Hinc Paulus dixit : Ego enim non solum alligari, sed et mori paratus sum pro Christo, *nec facio animam meam pretiosiorem quam me (Act.* XX). Et Dominus : *Qui amat animam suam perdet eam.* Imitantur enim Dominum suum, quem sciunt pro sua redemptione non pepercisse animæ suæ.

Propterea lætamini, cœli, id est omnes ecclesiæ. Plurali enim numero utuntur, quia numerositatem Ecclesiarum assignant. *Et qui habitatis in eis.* Id est, omnes sancti qui in congregatione sanctorum moramini, vel certe habitatores cœlorum, angelos intelligere possumus, quibus concorditer in Domino C convenit congratulari, dum et homines ad illorum consortium redeunt, et angeli redintegratum numerum suum istis receptis aspiciunt. Ubi non est aliud quod exponi debeat, nisi ut hac manente lætitia, hic liber debitum finem accipiat.

LIBER QUARTUS.

SEQUITUR CAPUT XII.

Væ terræ et mari, quia descendit ad vos diabolus habens iram magnam. Terra autem et mare unum idemque significant, sicut Daniel aperte demonstrat. Qui cum dixisset se vidisse quatuor ventos pugnantes in magno mari, adjecit : *Et quatuor bestiæ ascenderunt de terra.* Hoc ipsum significans per terram, quod et per mare, id est hunc mundum, in quo miseri fluctuant, qui semper terram petunt. Ita ergo et hic terra et mare reproborum significant corda, quibus est væ, id est æterna damnatio, vel perditio, ad quos versutus inimicus expulsus ab electis, descendit, non quod in eis ante non esset, sed quia expulsus a non suis, amplius in suis dominari cœpit. Qui recte terra et mare nuncupatur, quia dum semper terrena petunt, superbiæ fluctibus tumidi, et vitiorum illecebris amarissimi inveniuntur. Talibus itaque væ imminet, id est æterna damnatio, quia dejectus a fidelibus diabolus, cum ira magna sævit adversus illos : et tanto utique hoc agit ferventius, quanto viciniorem sibi sentit adesse pœnam, unde subditur : *Sciens quod modicum tempus habet.* D Modicum quippe tempus, præsens intelligitur vita, de qua Apostolus : *Filioli, novissima hora est (I Joan.* II). Et si computemus omne tempus ab exordio mundi usque ad finem sæculi, æternitati comparatum, brevissimum est. Quia ergo diabolus in proximo se scit esse damnandum, ad exercendum, malitiam suam, angustum ei videtur hoc tempus, quamlibet prolixis morarum spatiis proteletur. Considerat quippe quod juxta sit, ut licentiam, nequissimæ libertatis amittat : et quanto brevitate temporis angustatur, tanto multiplicitate sceleris expanditur. Hanc autem ejus ruinam et in adventu nostri redemptoris factam, et nunc usque fieri debemus credere. Habet autem diabolus iram non solum contra eos, qui per terram et mare figurantur, sed etiam contra eos qui in cœlo habitant, a quibus

victus excluditur. Nam et per ipsos sævit versutius adversus ipsos

Et postquam vidit draco quod projectus esset de cœlo, hoc est de corporibus electorum. *In terram*, id est in reproborum corda *Persecutus est mulierem quæ peperit masculum*. Sancta Ecclesia designatur per cœlum, similiter et per mulierem. Appellatur autem mulier non propter mollitiem animi, sed quia quotidie spirituales Deo filios gignere non cessat. Ipsa etenim est sponsa annulo fidei in baptismo subarrhata, de qua Paulus dicit : *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI). Et alibi: *Desponsavit sibi Christus Ecclesiam non habentem maculam aut rugam* (*Eph.* V. Et in sequentibus hujus libri verbis dicitur : *Veni, ostendam tibi sponsam agni* (*Ap.* XXI). Ipsa est etiam uxor in perfectione operis et morum constituta, quia sua prædicatione et doctrina multos filios Dei generat. Unde et ipse Dominus dicit : *Si quis fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror, et mater est* (*Marc.* III) Credendo ergo sponsa, operibus inhærendo uxor, vocibus prædicando mater efficitur Christi. Toties enim parit Christum quoties officio prædicationis membra ejus quæ nos sumus ad fidem et operationem informat. Postquam itaque vidit draco quia projectus esset de cœlo, maximeque post adventum Filii Dei, de quo Dominus ait : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum, id est fortem populum, sicut fuerunt sancti martyres, qui ante potuerunt mori quam a fide Dei separari. Persecutus est quippe hanc mulierem in ipsa adolescentia, quando interfecit Abel, sed hanc post adventum Filii Dei acrius persequi aggressus est, et ad argumentum persecutionis callidus semetipsum convertit, alios per membra sua crucifigens, ut Petrum, alios lapidibus obruens, ut Stephanum, alios igne consumens, ut Laurentium, alios quoque serpentibus tradidit, ungulis laniavit, in mare præcipitavit, et per varia instrumenta similia transire coegit. Et hæc quidem facit ligatus, sed vehementius contra eam exsurget, quando damnatum hominem ingredietur, et pugnabit tormentis, et falsis miraculorum signis, *ita ut in errorem* deducantur, *si fieri potest, etiam electi* (*Matth* XXIV). Quorum tanto robustior tunc erit constantia, quanto immanior persecutorum sævitia.

Et datæ sunt mulieri duæ alæ magnæ aquilæ ut volaret in desertum in locum suum. In duabus alis mulieri datis, duo intelliguntur Testamenta, et duo charitatis præcepta, in quibus *tota lex pendet et prophetæ*, sive etiam activa et contemplativa vita. Quibus acceptis effecta est aquila, petens per mentis contemplationem cœlestia, juxta illud Apostoli : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Sic enim dicitur : *Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ*, tanquam diceretur : Hoc donum ipsa mulier meruit, ut aquila magna efficeretur. Desertus autem locus corda sanctorum intelliguntur, remota a terrenis desideriis. Prius enim a semetipsis inordinatos desideriorum motus ejiciunt, et sic semetipsos desertum quietis efficiunt, ut habeant locum quo fugere possint, quia dum mala hujus mundi non diligunt, sed solummodo æternam patriam appetunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. In qua solitudine locum tenet, quo fugiat ad Deum qui in secreto mentis a quærentibus invenitur, cui Psalmista dicit: *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii ut salvum me facias* (*Ps.* LXX). Duabus ergo alis mulier utens, draconis persecutionem evadit, quia sancta Ecclesia duorum Testamentorum cognitione, sive duobus præceptis charitatis fulta, et ad cœlestia suspensa, occultas inimici insidias præcavere, et apertas persecutiones novit contemnere, removens se ab omnibus terrenarum rerum tumultus, et in secreto mentis Domino vacans. *Ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis a facie serpentis.* Id est, per omne tempus istius vitæ, a Domino prædicatione usque ad finem sæculi, illo vero pane qui de cœlo descendit Ipse enim est fugientibus persecutorum sævitiam via, ipse ad solitudinem pervenientibus locus, ipse in eadem solitudine esurientibus cibus.

De hoc tempore satis supra dictum est. Nam quia prædicatio Christi tribus annis et dimidio perduravit, et tribus annis et dimidio terminabitur. Recte per hoc spatium omne tempus præsentis vitæ intelligitur, in qua sub eadem doctrina Ecclesia moratur. In hujus mulieris figura olim populum Israeliticum columna nubis præcedebat per diem, et columna ignis per noctem. In nube quippe blandimentum amoris, in igne autem terror exprimitur timoris Per has quippe duas columnas duo significantur Testamenta, Per nubem in die, Novum significatur Testamentum, in quo non vindicta peccantium, sed misericordiæ lenitas ostensa est. Unde est : *Nemo te condemnavit, mulier* (*Joan.* VIII. Per ignem vero in nocte. Vetus Testamentum intelligitur, quod supplicium peccantibus minatur. Unde est : Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur. Fugiens autem populus Pharaonem, qui est draco magnus, cubans in medio fluminum suorum, veluti mulier fugit draconem, pervenit in desertum, in quo Deum protectorem reperit, et manna cœlesti pastus est et per suspensum serpentem æneum. Dominum videlicet Jesum Christum salvatus est, qui veneno peccati caruit: quia et si apparuit in similitudine carnis peccati, tamen *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). Potest autem deserti nomine illa regio designari, quam apostata angelus deseruit, et homo in quo certum refugii locum invenit Ecclesia, quæ undique persecutionibus angustiatur in terra, ubi cibum indeficientem reperit, quæ hic dum affligitur, justitiam esurit. In alis autem mulieris, ipsa suspensio intelligitur contemplationis. Solet enim hoc proprium esse sanctorum donum, in quo magis pressuris angustiantur in terra, eo amplius contemplationis penna eleventur ad summa. Hinc Paulus dicit : *Quanto infirmor, tunc fortior sum* (*II Cor.* XII). — *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen.* In

Scriptura sacra sæpe aquarum impetus significat persecutionem, unde Psalmista : *Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos* (*Psal.* CXXIII). Per os vero antiqui serpentis, suasio illius intelligitur, qua reprobi instigantur ut contra Ecclesiam sæviant. Post mulierem ergo in desertum volantem, serpens ex ore suo flumen emisit, quia maxime post adventum Filii Dei, et postquam Ecclesia cœlestia petiit, infidelium multitudinem diabolus in sanctorum necem commovit, sicut Neronem, Domitianum, et cæteros, ut eam faceret trahi a flumine, id est in corpus suum, hoc est, in societatem reproborum posset eam traducere, sed non valuit, quia si moriuntur martyres corpore, tamen post mortem carnis veraciter dicent : *Torrentem pertransivit anima nostra* (*Ibid.*), quia dum persecutores trajicere eos in corpus suum non valuerunt, funditus delere conati sunt.

Et adjuvit terra mulierem. Terra in sacro eloquio humanam naturam significat, unde primo homini dictum est : *Terra es, et in terram ibis.* Terra itaque in hoc loco caro nostri Redemptoris intelligitur, qui cum in forma Dei esset, formam servi accepit. De hac terra Psalmista ait : *Benedixisti, Domine, terram tuam* (*Psalm.* LXXXIV). Hæc terra mulierem adjuvit, quia ipse primum omnes fluctus humanæ persecutionis pertulit et devicit. *Et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.* Quia tempore passionis abundantia vitæ suæ mortis principem deglutivit, et resurgens a mortuis inundantes fluctus absorbuit potentia divinitatis, quia ad hoc mortuus est, ut et vivorum et mortuorum dominetur, unde Apostolus: *Dedit illi Deus nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur* (*Ph.* II). Et unde ipse fluctus persecutionum superavit, inde Ecclesiam ne vinci possit adjuvit, ac si diceret suis fidelibus : Nolite timere mortem, nolite timere fluctus humanarum subire persecutionum, sed confidite, quia ego vici mundum, principem quoque mundi debellavi, fluctus vitæ mortalis resurgendo calcavi, quia prior ego persecutiones ejus bibi, bibensque superavi, vobisque spem resurgendi dedi. Ideoque sicut ego me humiliavi, et per humilitatem ad victoriam veni, ita et vos humilitatem sequimini, ut mecum postmodum regnare possitis, quoniam diabolus nihil amplius prævalebit in corpore, quam quod prævaluit in capite. *Et iratus est draco in mulierem.* Id est, contra sanctam Ecclesiam quæ, sicut dixi, mulier appellatur, quia spirituales filios generat. *Et abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus.* Fecit quidem draco prælium cum his, qui fuerunt ante Domini adventum boni, sicut fuit Abraham, Isaac et Jacob, et multi alii, sed amplius post adventum Filii Dei, cœpit sævire cum reliquis, qui erant de semine ejus, id est cum apostolis et martyribus, quos per membra sua crucifixit, ustulavit, igni tradidit, et variis tormentis cruciavit. Semen quippe mulieris verbum intelligitur prædicationis, quo renascuntur homines, et filii Dei efficiuntur. Tanto enim diabolus amplius sævit adversus Ecclesiæ membra, quanto a præcedentibus divino munere roboratis victus est. Hinc est quod expulsus ab homine, cum septem aliis nequioribus redire describitur. *Qui custodiunt mandata Dei.* Quibus scilicet in lege præcipitur : Non occides, non furtum facies, et cætera his similia. *Et habent testimonium Jesu.* Id est, fidem illius retinent corde, et ornant opere. Cum his quippe diabolus maximum habet conflictum, juxta illud Apostoli : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III). Sustinent quidem et reprobi mala, sed non adversus eos diabolus intorquet bellum, quod nequaquam fieri potest, nisi inter duas partes contrarias. Sed cum dicitur primum qui custodiant mandata Domini, et deinde infertur : Et fidem Jesu, sic videntur verba hæc sonare, quasi ante fidem bona opera possint esse, cum prius sit credere, ac si eamdem fidem operibus post fulcire. Sed sciendum, quod ideo mandata prius ponuntur, quia charitas quæ in mandatis constat, major est omnibus virtutibus, licet fides via sit ad Deum. Unde Apostolus : *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum charitas* (*I Cor.* XIII). Quare major? quia cæteræ transibunt, charitas permanebit in electis.

Et stetit super arenam maris. Notandum autem quod idem draco non supra petram, sed super arenam stetisse dicitur. Cunctis enim liquet, quia serpens in petra vestigium habere non valet. In arena vero quæque loca tetigerit, signa sui corporis relinquit. In petra non stat draco, quia in cordibus sanctorum, quæ voluptates nullæ emolliunt, locum diabolus nullum invenit. E contra, in arena gressum figit, quia mentes quas humor carnalis concupiscentiæ emollit, inhabitat. Hinc a Domino Job dicitur : *Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus* (*Job.* XL), id est, in lubricis et voluptuosis cordibus requiescit. Quem ergo Dominus in locis humentibus dormire prohibet, hunc Joannes super arenam stare affirmat.

CAPUT XIII.

Et vidi de mari. Hoc est de multitudine reproborum, vel de profunda perfidia Judæorum. *Bestiam ascendentem.* Id est Antichristum. Ubi enim in sacro eloquio singulariter bestia ponitur, ipse malignorum spirituum princeps per illam designatur. Unde est : *Bestia agri scindet eos.* Et Isaias : *Mala bestia non pertransibit per eam.* Ubi vero particulariter, vel universa dæmonum portenta, vel bestiales hominum motus exprimuntur. Unde est : *Omnes bestiæ agri ludent ibi.* Et Apostolus : *Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi.* Et : *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ.* Hic itaque, sicut dixi, bestia quæ ascendit de mari, diabolum significat, qui ascendit de cordibus reproborum, ut amplius sæviat, solutus per ipsum perditum hominem, qui nascetur de plebe Judaica, juxta illud : *Fiat Dan coluber in via*, et usque. *Ut cadat ascensor ejus retro* (*Gen.* XLIX).

Et in illo etiam omne corpus ejus figuratur. *Habentem capita septem et cornua decem, et super cornua ejus decem diademata.* Per septem autem capita, omnes reges intelliguntur illi subditi, per decem cornua, omnia regna. Multas enim potestates hujus sæculi habebit sibi subditas, quibus et honorem dabit, et mundi regna Domino permittente, unde in cornibus ejus decem sunt diademata, hoc enim significat per decem diademata, quod per decem cornua, id est omnia regna terrena illi subdita; septem enim capita vel cornua, non numero, sed significatione universitatis invenimus. *Et super capita ejus nomen*, scriptum, *blasphemiæ*. Quia maxime potentatus hujus sæculi blasphemat Deum et verbo et opere. Blasphemabit autem ipse Deum et tabernaculum et nomen ejus, sicut in sequentibus inveniemus. Facient etiam qui sunt membra ejus, quia ei placere cupiunt. De hac blasphemia Apostolus dicit, qui adversabitur, et extolletur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut sedeat in templo Dei tanquam sit Deus. Et membra ejus adorabunt eum, quia honorem divinum illi dabunt. Et quia in bestia non solummodo caput, sed omne quoque ejus figuratur corpus, subditur:

Et bestia quam vidi, similis erat pardo, et pedes ejus sicut pedes ursi, et os ejus sicut os leonis. Pardus bestia est sævissima atque impatientissima; et varietate cutis discolor. Ursus quoque rapicissima est, primum pedibus conculcat et comminuit, et sic omnia devorat. Leo vero terrorem suo rugitu omnibus bestiis immittit: et cum sit fortissimus bestiarum, atque ad nullius paveat occursum, tamen insidiando prædam sibi præripit. Tales sunt utique hæretici, pagani, et cæteri, qui ad corpus Antichristi pertinent. In varietate siquidem pardi, diversitas nationum ostenditur, quæ illi creditura est. Vel etiam multitudo divitiarum, quibus ille suos ornabit subjectos. Vel certe omnium hypocritarum, atque omnium reproborum fictæ actiones, qui bona quæ faciunt, cupiunt semper videri, ut laudem ab hominibus accipiant. Unde contra Dominus fidelibus dicit: *Orantes nolite multum loqui, sicut hypocritæ faciunt. Et cum eleemosynam facis, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt, sed nesciat sinistra tua quod faciat dextera tua* (*Matth.* VI). Justi quoque opera sua ostendere jubentur, sed ad hoc ut non ipsi quoque per ea, sed Pater cœlestis glorificetur. In urso autem potestas exprimitur sæcularis. Unde bene in libro Regum legimus, quia cum reverteretur Eliseus in Bethel, pueri iludentes cœperunt dicere: *Ascende, calve, ascende, calve* (*IV Reg* II). Maledixit ergo eis in nomine Domini, et egressi duo ursi de saltu, devoraverunt ex eis quadraginta duos pueros Eliseus in hoc loco significat Dominum Jesum, qui cum reverteretur ad Patrem per passionem mortis, clamaverunt ei pueri insultantes, id est Judæi pueriliter sapientes atque dicentes: *Vah qui destruit templum Dei, et in triduo illud reædificat. Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce et credimus ei* (*Matth.* XXVII). Sed ipsius Domini sanguine vindictam expetente, exierunt duo ursi, Titus et Vespasianus, principes gentium, cum multitudine exercituum, post quadragesimum secundum annum Dominicæ passionis, ipsamque Judaicam gentem peremerunt. Sicut ergo ibi per ursum potestas terrena exprimitur, ita et hic. Tales quippe sunt in corpore Antichristi, qui pedibus sæcularis potentiæ conculcant pauperes, debiles, orphanos, et cæteros Dei servos. Leo quoque (ut diximus) quamvis sit fortissimus bestiarum, et ad nullius paveat occursum, tamen insidias tendit, cum prædam sibi præripit. Cujus etiam rugitu omnes bestiæ pavere dicuntur, et ideo non immerito per leonem Antichristus intelligitur: quia quosdam terroribus decipit, quosdam autem fraude. Unde Psalmista: *Sub lingua ejus labor et dolor* (*Psal.* X). Sedet in insidiis cum divitibus in occultis. De quo rursum per eumdem dicitur: *Sicut leo in cubili suo* Recte enim antiquus adversarius contra electos in certamine positus, leo appellatur, quia per utraque sævire permittitur, et fraude scilicet et virtute. Virtute, per potentiam sæcularem: fraude, per signa miraculorum. Ut eos enim qui aperte iniqui sunt, pertrahat, sæcularem potentiam ostentat: Ut vero etiam justos fallat, signis sanctitatem simulat. Illis enim suadet elationem magnitudinis, istos decipit ostensione sanctitatis. *Et dedit illi draco virtutem suam et potestatem magnam.* Sicut in Christo plenitudo divinitatis requiescit, ita in illo plenitudo nequitiæ. Et sicut Christus per virtutem verbi omnia sua facit opera, ita et ille perditus per diaboli potestatem, qui in eo habitabit, opera sua faciet. Draco itaque, id est diabolus, dedit illi potestatem suam et virtutem, ut faceret miracula et signa inaudita, et potestatem magnam dedit illi, per quam elevatur super gentes et regna. Contra bonos desæviet, nec erit ulla difficultas peragendi malum, quia is eum inhabitabit, qui per se omne malum adinvenit.

Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem. Diximus superius quia per septem capita omnes reges illi subditi designantur, per unum autem caput, quod hic singulariter tanquam occisum se vidisse dicit Joannes, ipsum principem malorum intelligere debemus. Unde recte dicitur: Tanquam occisum eum vidisse in mortem, quia videlicet ipse simulabit se occisum, et post mortem resurrexisse. Unde subjungitur: *Et plaga mortis ejus curata est.* Tanta quippe temeritas erit in illo damnato homine, ut ad deludendos animos parvulorum, imitatione veri capitis Christi, occisum se dicat et resurrexisse post mortem, ideoque ne forte veritas, sed illusio putetur, idcirco nequaquam affirmando dicitur: Et unum de capitibus suis occisum in mortem, et plaga mortis ejus curata est, sed præmittitur. Quasi, adverbium scilicet similitudinis, ut per hoc (sicut dictum est) aperte ostendatur non esse illud veritatis persecutione, sed verisimili fraude: quanquam illa particula non semper pro adverbio similitudinis, sed aliquando etiam pro affirmatione veritatis in Scri-

ptura ponatur, unde est: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. — Et admirata est universa terra post bestiam.* Nulli dubium, quin per terram terreni intelligantur, qui admirantur post bestiam, æstimantes eam resurrexisse a mortuis, et facere ea miracula in virtute divinitatis.

Et adoraverunt draconem, id est diabolum, *qui dedit potestatem bestiæ* ut faceret miracula potentialiter. *Et adoraverunt bestiam*, id est ipsum Antichristum. *Dicentes: Quis similis bestiæ?* Ut se ostendat resurrexisse a mortuis. *Et quis poterit pugnare cum ea?* Ut voluntati ejus resistere possit, id est nullus. Hic jam aperte demonstratur, quid sit admirari universam terram post bestiam, id est reprobos et terrena sapientes. In eo itaque draconem adoraverunt, quod bestiam illam, videlicet, Antichristum non solum divitiis et potentatibus, verum etiam electorum signis et virtutibus fultum, Christum esse putaverunt. Forsitan enim contemnenda esset, si solummodo potentia sæculari, et non virtutibus fulta esset. Rursum despicienda esset fortassis, si solum virtutibus simulatis et non etiam sæculari potentia usa fuisset. At cum signis et potentia videatur suffulta, quis non solum reproborum, verum etiam electorum non trepidet? Unde et adorantes dicunt: *Quis similis bestiæ?* Et verum dicunt isti qui hanc bestiam adorant, quia neque in sæculari potentia, neque in miraculorum fraude in retroactis temporibus similis ei apparuit.

Et datum est ei os loquens magna et blasphemias. Divino et justo Dei judicio ad illudendos animos reproborum, permittitur Antichristus magna loqui: magna utique, non quia bona, sed quia inaudita et terribilia. Et blasphemias loquetur, quia dicet se Deum esse, et pro illo se adorari faciet. Datum est enim et illi a Deo ut hoc faceret, id est permissum est illi. Tale quippe est hoc, quale et illud: *Induratum est cor Pharaonis.*

Et data est illi potestas facere menses quadraginta duos. In tribus annis et dimidio, quadraginta duos menses sunt, atque idcirco specialiter in his mensibus ultimum tempus et persecutio significatur Antichristi. Generaliter autem omne tempus hujus sæculi, a Domini prædicatione usque ad finem sæculi, sicut et supra per dies mille ducentos sexaginta. Quia ergo per quadraginta duos menses omne tempus, quo diabolus contra Ecclesiam pugnat, sive etiam quo aperte solutus acrius pugnabit, intelligitur, videndum est in ipsius numeri natura, quare eos non vincat. Constat enim hic numerus ex denario, quaternario, et binario. Quatuor ergo referuntur ad quatuor libros Evangelii, sive quatuor virtutes principales. Denarius ad Decalogum legis, binarius ad duo dilectionis præcepta. Idcirco itaque, sive in omni tempore præsentis vitæ, sive etiam sub Antichristo, insuperabiles existunt, quia, quatuor libris Evangelii fulti, quatuorque principalibus virtutibus roborati, Decalogum legis opere complent, et duo dilectionis præcepta custodiunt, diligentes Dominum Deum ex A toto corde suo, et proximum sicut seipsum, nam et quod omne tempus hujus vitæ designetur per quadragesimum secundum numerum, hinc patet, quod filii Israel quadragesima et secunda mansione ingressi sunt terram repromissionis. Notandum quippe est omnibus, quod per ipsum iter Israelitici populi præsens vita significetur, in qua peregrini sumus, et ad patriam cœlestem tendimus.

Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum: blasphemare nomen ejus. Ipse qui nunc aperuit ora reproborum ad blasphemandum Deum vel Dei servos, ipse tunc aperiet os corporaliter, cum in illo damnato homine habitare cœperit. Tale est enim hoc, quale et illud, quod in Evangelio de Redemptore nostro, licet per contrarium dicatur, quia ape-
B riens os suum docebat eos, ac si diceretur: Qui dudum aperuerat ora prophetarum, in præsentia carnis apparens, os suum aperuit. Sed agnus ad doctrinam, bestia aperiet os suum ad blasphemias. Vel certe, quia nunc per membra sua metu fidelis populi aperte non præsumens blasphemare, os suum obstruitur, Psalmista dicente: *Obstructum est os loquentium iniquitatem* (*Ps.* LXII). In futuro os aperire dicitur, quando per ipsum hominem damnatum sæculari potentia contra Deum et Ecclesiam elevatus, publice ausus fuerit blasphemare nomen ejus, illud scilicet, de quo Paulus dicit: *Propter quod et Deus exaltavit illum*, etc., usque *Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Blasphemabit hoc nomen, quia dicet ipsum non esse Christum, sed potius Antichristum,
C se autem Christum esse fatebitur, nec jam similem Deo, sed, sicut dicit Apostolus, extolletur et elevabitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ideoque in illo deterior omnibus blasphemia invenitur.

Et tabernaculum ejus, subauditur blasphemabit, id est, ipsam carnem Redemptoris nostri, in qua habitat omnis plenitudo divinitatis, dicens, non hæc ita se habere, sed signum fuisse, et per dæmonum potestatem tanta agere potuisse, se autem confitebitur vere esse Filium Dei et filium hominis, ita ut sedeat in templo Dei tanquam sit Deus. Et quia divinitatem in se habitare dicit, idcirco etiam adorari se faciet.

Et eos qui in cœlo habitant, id est in Ecclesia, sive
D nunc, sive etiam qui jam præcesserunt, blasphemabit, dicens, omnes hos ministros fuisse Antichristi, et pseudoprophetas et apostolos ab ipso deceptos, affirmans ante se nullum Christianum fuisse, sed omnes Antichristos exstitisse.

Et datum est illi, id est, permissum est illi a Deo justo judicio. *Bellum facere cum sanctis, et vincere illos.* Faciet bellum adversus sanctos, quia pugnabit adversus eos, et muneribus et tormentis, et quos non poterit inclinare ad suam fidem, vincet, id est occidet eos, non tamen animas illorum decipiet. Sed fortassis quærit aliquis, cur Deus omnipotens ita sanctos suos permittet affligi? Quibus breviter respondendum est, quia filii sunt et paterna hæreditate

donandi atque a Deo dilecti. Unde scriptum est: *Flagellat Deus omnem filium quem recipit* (*Heb.* XII). Nam si ipse Dominus persecutionem sustinuit, ut ad gloriam perveniret, qui est omnino sine peccato, quanto magis sancti justo judicio affliguntur, ut hæreditatem cœlestis patriæ consequantur? qui, licet sancti sint, tamen non sunt sine peccato, econtra reprobi adversus eos sæviunt, jugiter mala operantur, tamen minime corriguntur, sed in judicio isti, quibus nunc videtur iratus, invenient illum placatum, reprobi autem experientur iratum: et ira quæ nunc misericorditer a sanctis inchoat, in reprobis sine misericordia conquiescit: hinc Petrus dicit (*I*, *c.* IV): *Tempus est ut incipiat judicium de domo Dei.* Possumus sanctos eos intelligere, qui nunc simulatam in conspectu hominum videntur habere sanctitatem, quos vincet, quia superati donis aut tormentis, a fide recedent, quam nunc ficte tenent.

Et data est ei potestas in omnem tribum et linguam et gentem. In tribu et populo accipimus Judæos, quia ille populus in tribubus erat distinctus: in lingua et gente, omnes nationes; non solum in Judæis, sed etiam in omnibus gentibus erunt sancti, adversum quos potestatem accipiet, ut eos interficiat et temporaliter contra eos prævaleat. Similiter etiam erunt et in Judæis et in gentibus, qui victi succumbent. Unde et subditur:

Et adorabunt eum, id est Antichristum, et in illo diabolum. *Omnes qui habitant terram*, id est qui terrenis desideriis inserviunt. *Quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni*, sed potius in terra, juxta illud Jeremiæ (*c.* XIII): *Recedentes a te in terra scribentur.* Quis vero sit agnus, Joannes manifestat, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Quis est autem liber vitæ Agni, in quo justorum nomina numerentur ascribi, nisi vis quædam divina, quæ ante mundi constitutionem ad vitam æternam sanctos prædestinavit futuros? Qui videlicet liber prædestinationis, sicut fixa æternitate electos tenet ascriptos, ita nequaquam ulla ratione reprobos admittit scribendos.

Qui occisus est ab origine mundi. Occisus est autem iste Agnus ab origine mundi, non in se, sed in suis membris, sicut in Abel et multis aliis: quia sicuti in suis pascitur, ita in suis occiditur, unde est: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* IX). Vel certe in prædestinatione occisus est, quia ante omnia sæcula decrevit Deus Pater cum Filio et Spiritu sancto, ut in fine temporum veniret, et occideretur, ut sua morte nostram redimeret mortem; vel in ipso agno quem Abel obtulit, aut certe (ut verius dicam) ipse Abel innocens, a fratre peremptus, eum præfigurabat.

Si quis habet aures, subauditur cordis, *audiat*, id est intelligat spiritualiter quod dicitur. Quotiescunque hæc particula ponitur, sive in Evangelio, sive in hac Apocalypsi, ea quæ præcedunt, aut quæ sequuntur, spiritualiter intelliguntur.

Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet. Hæc verba sicut pertinent ad omne corpus Antichristi, ita et ad ipsum principem malorum Antichristum, qui duobus modis captivabit homines, primum videlicet a fide Christi eos separans mente, deinde ab æternorum societate fidelium, quia qui ei obaudierint, perpetuo captivitatis exsilio damnabuntur. Ita et ille prius captivabitur in anima, dum diabolo tradetur ad possidendum. Deinde damnabitur in inferno captivitate perpetua.

Et qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Et hoc similiter duobus modis est accipiendum: primum enim gladio malæ persuasionis interficiet homines in anima, deinde quos sic non poterit superare, interficiet gladio materiali, cum quibus etiam Eliam et Enoch gladio ipso trucidabit. De hoc gladio spirituali Psalmista liberari se optabat, dicens ad Deum: *De gladio maligno eripe me* (*Psal.* CXLIII). Ita et ille occidetur gladio sententiæ divinæ, juxta illud: *Quem Dominus Jesus Christus interficiet spiritu oris sui*, ac si diceret martyribus: Nolite timere, nolite expavescere, nolite pusillanimes existere, sed estote fortes contra robustos, quia et hoc quod patimini cito transiet, et hi a quibus patimini, sine tarditate vindictam recipient, id est diabolus, ejusque damnatus homo, seu omnis multitudo reproborum, qui unum utique sunt.

Hic est patientia, id est idcirco virtutem patientiæ etiam inter adversa sancti custodiunt, quia triumphaturos se post paululum sciunt, damnatoque eo, qui sibi ad tempus prævaluerat, ipsi in perpetuo lætabuntur. *Et fides sanctorum*, subaudis, hic est, quia pro certo juste implebitur et eorum remuneratio, et impiorum damnatio.

Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra. Prior bestia Antichristus ipse scilicet malorum caput, sequens vero corpus illius intelligitur, maxime qui eum prædicaturi sunt. Qui de terra ascendere dicuntur, quia de terrenis commodis et divitiis quas possidebunt, in superbiam elevabuntur. De terra quippe ascendere est, pro terrenis rebus in superbiam erigi.

Et habebat cornua duo similia Agni. Agnus Christus est de quo Joannes dicit: *Ecce Agnus Dei* (*Joan.* I). Duo ejus cornua sunt innocentia et vita pura, doctrina et miracula. Ista duo cornua simulabunt se habere ministri Antichristi, innocentiam scilicet et vitam puram, doctrinam et miracula: quoniam quod Christus et ejus ministri habent in veritate, isti habebunt simulate. *Et loquebatur sicut draco*, id est sicut olim diabolus per serpentem mala persuasione locutus est mulieri, per quam decepit virum, ita et isti sua prava doctrina omnes quoscunque possunt, seducunt, et a fide Christi separant: et cum sint sævissimi dracones, virus nequitiæ suis auditoribus infundentes, agnos se esse simulant, ut agnos decipere valeant. Assumunt Agni faciem, ut draconis possint exercere operationem.

Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus. Quia sicut Antichristus vi et fraude, blandimentis et doctrinis, terroribus et tormentis decipit, ita et omnes ministri ejus. Quid est autem,

quod dicit in conspectu ejus? Nunquid enim prædicatores Antichristi semper in ejus præsentia manere poterunt? Non. Quin potius discurrent per universas mundi partes prædicando, sed ubicunque sint, ita ea facere studebunt, quæ illi sciunt placita, quasi semper ab eo videantur, et in ejus conspectu consistant. Intantum quippe illum honorabunt, ut quidquid acturi sunt, coram ipso se agere dicant, tanquam nihil eum latere possit. Sicut enim sancti, quia jugiter ejus voluntatem custodiunt, in conspectu Dei se manere fatentur, juxta illud: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* (*III Reg.* XVII); et Apostolus: Sicut ex Deo *coram Deo in Christo loquimur* (*II Cor.* XII), ita et illi in omne quod locuturi sunt et acturi, caput suum sibi præponent, quasi in conspectu ejus potestatem super populum exerceant.

Et fecit terram, id est terrena corpora hominum. *Et inhabitantes in terra*, id est animas in corporibus quiescentes, et omnem suam sollicitudinem in terrenis rebus ponentes. *Adorare bestiam primam*, id est Antichristum, de quo supra dixerat: *Vidi de mari ascendentem bestiam, habentem capita septem*, etc.

Cujus curata est plaga mortis, id est qui se fingit resurrexisse a mortuis, sicut jam supra dictum est. Omnes enim qui eum recepturi sunt, utique prostrati et corpore et anima illum adorabunt, et in ipso damnato homine adorabunt diabolum in eo habitantem. Quo in loco gravissima vis seductionum ostenditur, quæ et animas et corpora miserabiliter mancipat. Qui enim vi cadit, non seductus, solo corpore captivatus est. Qui autem seducitur, et mente et corpore captivatur.

Et fecit signa magna, quia non solum verbis, sed etiam falsis miraculis multos seducet. Ita *ut ignem faceret de cœlo in conspectu hominum descendere*. De hoc, Dominus in Evangelio dicit: *Consurgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV). Inter quæ etiam signa et miracula hoc erit maximum, quod ignem faciet de cœlo descendere. Legimus in Veteri Testamento, quod diabolus justo Dei judicio et permissu descendere fecit ignem de cœlo super pecora beati Job, qui tactas oves puerosque consumpsit. Quid ergo mirum, si facturus est per Antichristum quod jam fecit per semetipsum? Tamen non faciet hoc in sua potentia, sed Dei permissione, ut hi qui ei sunt credituri justo Dei judicio decipiantur. Aliter: legimus in Actibus apostolorum, quod die Pentecostes Spiritus sanctus in ignis visione descendit super apostolos, quo repleti *cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei* (*Act.* II). Qui etiam eis quos baptizabant, deinceps Spiritum sanctum dabant, ut similiter omnibus linguis loquerentur, sicut legimus fecisse Petrum et alios. Unde et Simon allata pecunia dixit: Date mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manum, accipiat Spiritum sanctum, ut possit loqui omnibus linguis. De cœlo itaque, id est de seipsis, faciebant descendere ignem, hoc est Spiritum sanctum, de quo Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram* (*Matth.* XII), id est super eos qui ante fuerant terreni, sed tunc renovabuntur per gratiam Spiritus sancti. Unde et ipse Dominus in signum credentium specialiter hoc dixit futurum. *Signa*, inquit, *eos qui crediderunt, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis* (*Marc.* XVI). Ita ergo hæc bestia ignem faciet descendere de cœlo, quia prædicatores Antichristi falsa imitatione per impositionem manus, dare suis sequacibus Spiritum sanctum se fingent. Et hinc vehementior erit persecutio, quo illud Spiritus sancti donum, bestia vel habere vel dare putabitur, quo Ecclesiam suam Dominus eminere voluit super omnia regna mundi; nam cum multa videantur nobiscum hæretici habere communia, hoc specialiter donum sola se gloriatur habere Ecclesia. Sed illi forsitan agent quibusdam præstigiis, ut illi quibus manus imposuerint, loquantur linguis multarum gentium. Et hoc in conspectu gentium carnaliter sapientium. Homines enim vocantur, qui non divina, sed humana sapiunt, quia per hanc simulationem non oculos spiritualium, sed carnalium ludificare probantur. Aliter: legimus in Veteri Testamento, quod ad vocem Eliæ descendit ignis de cœlo, et consumpsit duos quinquagenarios cum suis quinquaginta. Sermo itaque Eliæ ignis fuit, et ipsi excitaverunt contra seipsum ignem irrisorie clamando: Homo Dei, descende, rex te vocat. Ignis ergo intelligitur fervor et zelus, quo accenduntur sancti, Elias scilicet et Enoch, et cæteri prædicatores, adversus eos quos viderint recedere a fide, et zelo fervoris succensi condemnabunt eos suo anathemate. Ipsa itaque bestia ignem faciet descendere de cœlo, quia ipsi reprobi perverse agendo accendent se flammis zeli in cœlestes animas electorum ut eos condemnent. Et hoc est quod etiam supradictum est, quia si quis eos voluerit nocere, ignis exibit de ore eorum, et devorabit inimicos illorum.

Et seducet inhabitantes terram propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, et vixit. Per terram, ut sæpe dictum est, terreni intelliguntur, qui idcirco seduci poterunt a ministris Antichristi, quoniam plus terrena quam cœlestia diligunt. Imaginem bestiæ facient, hoc est fidem illius tenebunt, et simulationem ejus imitabuntur. Neque enim hoc pueriliter intelligere debemus, quod facturi sunt aliquam imaginem quam secum ferant, sed imaginem illius facient, id est fidem ejus habebunt, et simulationem ejus imitabuntur, tanquam sit vere Filius Dei, et veraciter resurrexerit a mortuis. Habet autem plagam gladii et vixit, secundum quod supra dictum est, quia Antichristus dicet se interfectum et resurrexisse a mortuis. In conspectu hujus bestiæ multa signa facient, quibus seducent terram: quia ubicunque fuerint, ita ejus voluntatem implebunt, et ea quæ illi placere cognoscunt, facient, quasi semper illi præsentes assistant.

Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ.

Id est ipsis ministris Antichristi datum est a Deo, hoc est, permissum est ut daret spiritum imagini bestiæ. Imago bestiæ, ipse homo damnatus intelligitur, in quo diabolus habitabit, cui prædicatores falsi spiritum dabunt, hoc est, plenitudinem Spiritus sancti in eo requiescere dicent. Dicimus enim nos : *Date honorem Deo*. Et rursus : *Exaltabo te, Deus meus rex (Psal.* XXIX). Quomodo enim illi honorem dare possumus? aut quomodo illum exaltare valemus, qui non habet quo exaltetur? Sed exaltamus illum, quando excelsum prædicamus. Tali modo isti dabunt spiritum imagini bestiæ, prædicantes eum plenum esse divinitate. Nam et Photinus dicit : Ego Christo principium ex Maria tribuo, id est hoc annuntio quia ex Maria initium sumpserit. *Et ut loquatur imago bestiæ*. Datum est illi, subauditur. Nam non solum Spiritum sanctum in eo requiescere dicent, sed etiam prædicabunt illum loqui, id est ventura prædicere, per spiritum prophetiæ. Intantum quippe signis et miraculis prævalebit, ut a suis et Spiritu sancto plenus credatur, et ventura prædicere posse æstimetur. Diabolus enim per os ejus loquetur, et suis cultoribus multa fallacia dabit responsa, sicut olim loquendo per ora idolorum. *Et faciat ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur*. Id est quicunque non audierint eos, ut colant Antichristum pro Deo, interficiantur ab illis et ab hujus sæculi principibus qui eos sequentur : sicut Elias et Enoch et multi alii.

Et faciet omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos et servos habere characterem in dextera manu aut in frontibus suis. Pusilli sunt, qui malum quod intelligunt et volunt, perficere non possunt. Magni sunt qui secundum suum libitum operantur malum. Divites, qui terrenarum rerum possessores, vel etiam superbi. Quo contra beati pauperes spiritu dicuntur. Nam et ille suos ministros multis ditabit divitiis, pro quibus in superbiam nimiam elevabuntur. Pauperes fide et bonis operibus intelliguntur. Quo contra Apostolus dicit de se et sibi similibus : *Tanquam nihil habentes et omnia possidentes (II Cor.* VI). Liberi et servi sunt, alieni a justitia, et servi peccatorum facti. Talibus quippe dicit Apostolus : *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ* (*Rom.* VI). Id est, alieni fuistis a justitia. Hi homines habent characterem bestiæ in dextera manu et in frontibus suis, et sunt etiam nunc tam extra Ecclesiam quam intra. Extra Ecclesiam sunt Judæi, intra falsi Christiani. Quid autem per dexteram manum reproborum intelligitur, nisi operatio illorum ? Et quid per frontem, nisi fides exprimitur ? Habent ergo characterem in dextera manu et in frontibus suis, quia ubi debuerunt habere pura opera virtutum et fidei, ibi inveniuntur macula criminis deturpati. In manu habent Judæi ejus characterem, quia opera diaboli faciunt : in fronte, quia in eum credunt, et illum recepturi exspectant, juxta illud ; Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me : alius veniet in nomine suo, illum suscipietis. Similiter habent et illi qui fidem verbotenus habent, sed opera fidei non habent. Proprie autem ad illud tempus pertinet hoc, quando mali aperte illum sequentur reproba fide et reproba actione.

Et ne quis possit vendere aut emere, nisi qui habuerit characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus. Negotium istud spiritualiter est agendum. Dominus quippe committens suis fidelibus tanta talenta doctrinæ, dicit : Negotiamini dum venio. Et bene prædicatio negotio comparatur. Sancti enim doctores doctrinam prærogant, et fidem a populis reportant, fidem impartiuntur, et eorum protinus vitam sumunt. Tempore itaque Antichristi nemo talium (id est bonorum prædicatorum) poterit vendere aut emere, id est, nemo poterit prædicare libere Christum, quia carceribus recludentur, et insuper interficientur, nisi qui habuerit characterem bestiæ, id est fidem illius tenuerit, et nomen ejus et numerum nominis, de quo in sequentibus dicemus. Character autem et nomen bestiæ et numerus nominis ejus, unum sunt. Verum ista mercatio non cessabit in his qui electi fuerint, quoniam, prout valuerunt, talentum divini verbi erogare curabunt. Ad has enim nundinas illi negotiatores occurrent eximii : Elias videlicet et Enoch, qui intuitu merces Ecclesiæ præclaras ostendent, ut non solum fidei Christianæ dediti, verum etiam ipsi eas concupiscant, qui characterem bestiæ videbantur habere, Domino de uno eorum dicente : Elias veniens, restituet vobis omnia.

Hic est sapientia : Qui habet intellectum, quo possit hæc intelligendo penetrare, *computet numerum bestiæ* Obscuritatem hujus loci considerans beatus Joannes, intentum voluit lectorem facere : atque idcirco eum præmonuit, ut numerum bestiæ perspiceret, et quia purus homo erit Antichristus, plenus tamen dæmone, subjungit : *Numerus enim hominis est*. Ac si diceret : Attendite diligenter, quia homo erit verus, non Deus, sicut ipse jactando dicet. *Et numerus ejus sexcenti sexaginta sex*. Omnes libri Novi Testamenti Græco sermone sunt scripti, præter Evangelium Matthæi et Epistolam Pauli ad Hebræos. Quia ergo hic liber (ut cæteri) Græce scriptus est, idcirco sensus hujus loci more Græcorum est requirendus, apud quos omnes litteræ numeros in se continent. Dicamus itaque ANTEMOS, quod interpretatur *honori contrarius*, quod nomen illi bene convenit, qui Antichristus, id est Christo contrarius dicitur. Hoc etenim nomen præcedentem in se continet numerum, hoc modo : α unum, ν quinquaginta, τ trecentos, ε quinque, μ quadraginta, ο septuaginta, ς ducentos. Dicamus adhuc et aliter : ARNUME, quod interpretatur : *Nego*. Et hoc nomen bene illi aptatur, quia Christum negabit Deum esse, seque Deum confitebitur injuste. Et in hoc quoque nomine numerus ipse continetur. Nam α unum ostendit, ρ centum, ν quinquaginta, ο septuaginta, υ quadringentos, μ quadraginta, ε quinque; qui simul ducti, faciunt sexcentos sexaginta sex. Dicamus et aliter : TEITAN, quod Latine *sol* dicitur. Sol autem Christus est per significationem, *qui illuminat*

omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). Teitan quoque appellatur gigas : unde et in Virgilio legimus: *Titaniaque astra*. Christus enim gigas, de quo Psalmista dicit : *Exsultavit ut gigas* (*Psal.* XVIII). Ipse itaque Antichristus hoc nomen sibi fallaciter usurpabit, et dicet se esse solem illum, de quo scriptum est : Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ. Litteræ autem hujus nominis totum illum præcedentem continet numerum, id est sexcentos sexaginta sex. τ quippe trecentos exprimit, ε quinque, ι decem, iterum τ trecentos, α unum, ν quinquaginta ; qui simul juncti faciunt sexcentos sexaginta sex. Quod nomen (sicut diximus) sibi Antichristus usurpabit, audens se hominibus lucem profiteri, cum sit apostata angelus in eo transfigurans se in angelum lucis. Quam ob causam, si etiam hoc aliquis intelligere vult, Latinis litteris ponamus nomen, in quo idem numerus inveniatur, hoc modo : Dic Lux. Ipse enim (ut dictum est) fatebitur se esse lucem, nam *d* quingentos, *i* unum, *c* centum, *l* quinquaginta, *v* quinque, *x* decem exprimunt. Quæ in unum collectæ, faciunt similiter sexcentos sexaginta sex. Possumus adhuc eumdem numerum, si per Græcas litteras scribatur, Gothico nomine, reperire hoc modo : Γενσηρικος. γ quippe tria, ε quinque, ν quinquaginta, σ ducentos, η octo, ρ centum, ι decem, κ viginti, ο septuaginta, σ ducentos ostendit. Qui simul ducti, faciunt sexcentos sexaginta sex. Interpretatio autem nominis ejusdem est, *gentium seductor* : in eo Christo contrarius, quod iste seductor, ille vero dicitur gentium salvator. Sive ergo hoc, sive illo modo, sive in Græca, sive in Latina, sive in Gothica lingua hic numerus accipiatur, non incongrue ad Antichristi personam refertur. Sed est adhuc quod de eodem numero subtili investigatione pensemus, ut plura de eo offerentes lectori plenius satisfaciamus. Dicatur ergo : Numerus enim ejusdem sexcentesimus sexagesimus sextus. Senarius quippe numerus apud sæcularem scientiam ideo perfectus est, quia primus in numeris completur partibus suis, id est, sexta sui parte, tertia et dimidia : quæ sunt unum, et duo, et tria : quæ in summa ducta, sex faciunt. Nec alius ante senarium numerus reperitur, qui suis partibus dum dividitur, tota ejus summa compleatur, quique dum a sexta sui parte, id est, ab uno in denarium, a tertia autem in vicenarium surgit, quasi quadratum denarium reddit. Sed ut solidetur, rursum a sexta sui parte quæ in denarium surgit, ad centenarium pervenit, sicque in suis partibus multiplicatus, sexcentos consummat. Sed quia cuncta hæc per sacræ Scripturæ celsitudinem proficiendo transcendimus, ibi senarium, ibi sexagenarium, ibi centenarium, unde perfectus numerus sit, invenimus. In Scriptura etenim sacra numerus senarius ideo perfectus est, quia in mundi origine Dominus, ea quæ primo die cœpit, sexto die opere complevit, cum hominem, propter quem cuncta creaverat, ad imaginem suam fecit. Denarius numerus in eo perfectus est, quia lex in decem præceptis concluditur, omnisque culpa non amplius quam per decem verba cohibetur : atque enarrante Veritate, operatores vineæ denario remunerabuntur. Sexagenarius in eo perfectus est, quia omnia quæ in sex diebus operantur, eisdem decalogi mandatis concluduntur : atque evangelico protestante eloquio, terra bona fructum sexagesimum reddit. Centenarius in eo perfectus est, quia dum decalogi mandata decies multiplicata comprehendit, omnis operationis summam concludit. Nisi enim centenarius numerus perfectionem designaret, nequaquam Dominus ad discipulos diceret : *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios*, aut filias, *aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX). Quia vero sex diebus Deus cuncta opera sua fecit, et sex sunt ætates hujus sæculi, recte per hunc numerum possumus intelligere omne tempus præsentis vitæ. Quia ergo homo ille, filius perditionis, Christum se esse fallaciter affirmabit, tanquam ipse sit conditor omnium, quæ in sex diebus peracta volvuntur, seque alpha et omega, principium et finem, et Deum scilicet ante sæcula, et hominem mentietur in fine sæculorum, recte numerus bestiæ per intellectum computatus, sexcentesimus et sexagesimus sextus omne tempus vitæ præsentis comprehendens, et diabolicæ fraudis nequitiam, et finalem sæculi terminum ostendit.

CAPUT XIV.

Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, id est, Christi. *Et nomen Patris ejus*, id est, Dei Patris, *scriptum in frontibus suis*. Sion, quæ interpretatur speculatio, Ecclesia est, quæ bona futura incessabiliter contemplatur, et quæ etiam mala sint cavenda denuntiat. Mons Sion nihil est aliud quam ipsa Sion, id est Ecclesia, de qua Psalmista dicit: *Mater Sion dicet, homo* (*Psal.* LXXXVI), etc. ; et alibi, *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion* (*Psal.* CXXIV). Agnus autem Christus est, de quo Joannes dicit : *Ecce Agnus Dei* (*Joan.* I). *Agnus stabat supra montem Sion*, quia ipse Christus præsidet Ecclesiæ suæ. Sed in hoc loco finitus numerus ponitur pro infinito, id est, centum quadraginta quatuor millia pro innumerabili multitudine electorum. Specialiter vero hic numerus eos significat qui virgines sunt et mente et corpore : quia multi sunt virgines corpore, non tamen mente. Nam et ipsa verba, quibus dicuntur centum quadraginta quatuor millia cum Domino visa, non carent mysterio. Centenarius enim numerus in divina Scriptura sæpe perfectus ostenditur, unde est : Terra bona fecit fructum centuplum, quod scilicet ad virginalem pertinere probatur perfectionem. Rursusque, Homo quidam habuit centum oves. Quo in loco summa angelorum et hominum intelligitur, centum quippe oves Deus omnipotens habuit, quia angelorum et hominum naturam ad se videndum creavit, et iterum, *Qui reliquerit domum et fratres*, etc., usque *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit*. Quadragenarius quoque numerus in mysterio est consecratus, unde

et ipse Dominus quadraginta diebus jejunavit, sicut olim fecerant Moyses et Elias. Constat enim ex quaternario et denario. Quaternarius sacratus est propter quatuor flumina paradisi, sive propter quatuor libros Evangelii, vel propter quatuor notissimas mundi partes, sive etiam propter quatuor virtutes principales. Denarius quoque similiter est consecratus, propter decem legis præcepta. Tunc decalogum legis perficimus, cum quatuor libros Evangelii in fide et operatione custodimus. Millenarius etiam sæpe pro perfectione rei de qua agitur, ponitur, unde est, Verbi quod mandavit in mille generationes. Cum enim credendum sit quod nequaquam usque ad centum generationes mundus extendatur, quid aliud in mille generationibus nisi generationum universitas designatur? Unde et in hac Apocalypsi sancti cum Christo mille annis dicuntur regnaturi, id est, semper et omnia futura tempora. In hoc itaque numero, ut dictum est, summa eorum exprimitur, qui virgines sunt mente et corpore. Ideoque considerandum est, quia, si tanta eorum numerositas erit qui virginitatem servaverunt, ut Joannes et Paulus, multo plures erunt et cæteri sancti. Quo in loco etiam hoc notandum, quod hi supra montem Sion stare dicuntur, cum ipsi sint mons Sion, quia videlicet nisi quis etiam supra semetipsum ascenderit, de bestia non triumphabit. In magna enim mentis celsitudine stare debet, qui contra sæculi principem certamen inierit. Intuendum etiam quod Agnus hic stare perhibetur, cum Lucas de eo dicat: *Dominus Jesus ascendit in cœlum, et sedet a dextris Dei (Act.* I). Unde sciendum quia sedere, regnantis est vel judicantis: stare vero, laborantis vel juvantis. Quia ergo post devictam mortem Christo resurgenti a mortuis data est potestas in cœlo et in terra, jure eum Lucas sedere dicit. Hinc etiam et Stephanus inter manus lapidantium positus, intuens in cœlum, dixit: *Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei (Act.* VII). Stant quoque cum illo electi, quia laborant in præsenti vita, et in certamine sunt constituti. *Habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.* Non debemus hoc carnaliter intelligere, quod scilicet habeant pictaciola frontibus suis circumligata, in quibus sit nomen Agni vel Patris ejus scriptum, sed in suis frontibus nomen Agni et Patris portant, quorum fidem tenent, et operibus ornant. Et quia in nomine Patris et Filii signantur, et hoc signo crucis ab omnibus tuentur adversis.

Et audivi vocem de cœlo tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni. Et vocem quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Cœlum enim ipsa est Ecclesia, quam ob causam et illi qui cum Agno sedent, ipsi sunt cœlum. Et quia multi per Domini misericordiam virgines ex omnibus gentibus sunt colligendi, idcirco eorum vox similis voci aquarum multarum dicitur. Aquæ enim multæ, ut idem Joannes dicit, populi multi sunt. Et quia etiam tales ad numerum judicum

A pertinent, qui et prædicatores exsistunt, ut ipse scilicet Joannes et Paulus, qui dicit: *Volo omnes esse sicut meipsum (I Cor.* VII), idcirco dicitur: *Et tanquam vocem tonitrui magni.* Ipsi quoque sunt citharœdi, imitantes Domini sui passionem, nam (sicut supradictum est) in cithara est lignum, et sunt chordæ diverso modo tensæ. Lignum hoc. lignum est Dominicæ passionis, vel crucis. Porro chordæ devota sunt corda sanctorum, qui imitantes et recolentes ejus passionem, mortificant se cum vitiis et concupiscentiis, adimplentes ea quæ desunt passionibus Christi, in corpore suo.

Et cantabant quasi canticum novum ante sedem et ante quatuor animalia et seniores. Canticum novum cantare est de incorrupta mentis et corporis integri-
B tate gaudere. Sed cum ipsi sint sedes, et quatuor animalia, et seniores, quid est quod ante sedem et quatuor animalia et seniores cantare dicuntur? Quia videlicet semper ante se consistunt, qui nulla rerum mutabilium varietate a contemplatione Conditoris animos reflectunt. *Et nemo poterat dicere canticum,* id est, nemo poterat gaudere de incorrupta mentis et corporis virginitate. *Nisi illa centum quadraginta quatuor millia,* non Petrus scilicet, non alius quilibet apostolus connubium expertus. Nam et in ipso conjugio peccatum Psalmista considerat, dicens: *Ecce enim iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea (Psal.* L). Dicere tamen possumus, quod veraciter affirmare non audemus, quia non omnes virgines in illo beato regno conjugatos
C præcedunt, sed hi specialiter, qui et vita et moribus et tormento passionis, virginitate insuper custodita coæquantur martyribus conjugatis. Verbi gratia: si Joannes apostolus in cruce fuisset levatus ut Petrus, si verum est quod de Petro dicitur, id est quod uxorem habuerit, utique præcelleret eum, quia ille virgo, hic vero esset non virgo. Unde nec canticum illud dicere cum Joanne, nec Agnum quocunque ierit, potest sequi. *Qui empti sunt de terra.* Quo pretio? Utique pretioso sanguine Christi, cujus amore sunt elevati a terra, et cælibes effecti.

Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, id est, non sunt polluti et maculati cum mulieribus mente et corpore. Nihil enim prodest esse virginem corpore, si contigerit mente corruptum quempiam
D esse, *Virgines enim sunt.* Ideoque: *Hi sequuntur Agnum quocunque ierit,* id est, imitantur illum. Sequi enim Christum, imitari est. Unde et ipse dicit: *Qui mihi ministrat, me sequatur (Joan.* XII), id est me imitetur. Sequuntur isti Christum, quia, sicut ille virgo, ita et isti virginitatem custodiunt. Et quia eum in præsenti præ cæteris sequuntur, in futuro familiarius adhærebunt. Sequentur quoque illum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt, non quocunque ille ierit, sed quocunque ipsi potuerint. Quæ etiam multitudo sanctorum, etsi non poterit dicere canticum illud, audire tamen poterit et condelectari tam excellenti dono. *Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo et Agno.* Sicut enim ex multo grege optimus eligitur

agnus, et sicut ex multis fructibus eliguntur primitiæ, ita et isti eliguntur ex multitudine electorum, qui, tanquam primitias semetipsos offerentes, centesimum referunt fructum.

Et in ore ipsorum non est inventum mendacium. Quæstio hic oritur, quare hoc dicat Joannes, cum Psalmista dicat : *Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV). solus autem Deus verax ? Quod ita solvitur, quia omnis homo, inquantum ex se est, mendax est : inquantum autem verax est, ex Deo est. Unde cum Dominus interrogasset discipulos suos, dicens : *Vos autem quem me esse dicitis ?* respondit Petrus : *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Et ille : *Beatus es, Simon Bar-Jona* (*Matth.* XVI). Ecce homo in confessione Filii Dei verax, imo veracissimus homo. Sed unde verax? non a se, sed a Deo Patre qui in cœlis est. Cum autem alibi Dominus pœnam passionis suæ prædiceret, respondit Petrus : Absit a te, Domine, non morieris. Ego moriar pro te. Ecce homo mendax. Sed unde mendax ? utique quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Ergo omnis homo quantum de se, mendax : quantum de Deo, verax. Sed cum hæc ad omnes sanctos pertineant, quare de solis virginibus specialiter dicitur : *In ore eorum non est inventum mendacium ?* Sine dubio, quia ad comparationem aliorum, soli virgines dicuntur veraces. Sed nec mirum si illi specialiter veraces dicuntur, qui veritati, quæ Christus est, virginitate mentis et corporis amplius inhærere videantur. *Sine macula enim sunt,* et hoc similiter intelligendum, quia cum sint etiam sancti sine macula, id est sine corruptione, utpote jam peccatis omnibus expurgati, ad comparationem Dei mendaces sunt et maculati.

Et vidi alterum angelum volantem per medium cœlum, habentem Evangelium æternum. Primus angelus ipse est Agnus, de quo superius sermo habitus est, est enim nuntius paternæ voluntatis. Alter autem angelus ordo prædicatorum intelligitur. Dicitur autem alter, non quod Christus ejusque prædicatores unus non sint, quia ipse est caput, electi membra, sed quod in narratione non unus. Nam hoc est iste angelus, quod etiam sequens, id est ordo prædicatorum. Sed quia unus succedit alteri, idcirco alius post alium commemoratur. Volat angelus per medium cœli, id est sancti prædicatores incedunt velociter prædicando Christum per Ecclesiam. Volat per medium cœlum, quia mentis contemplatione cœlestia petunt, non terrenis inhærentes, sed subjectos etiam populos ad cœlestia et verbis et litteris invitant. De his quippe volantibus prædicatoribus Isaias dicit (*c.* LX) : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* Ut nubes enim volant, quia a terrenis desideriis pennis virtutum sublevati pluunt verbis, et coruscant miraculis. Ad fenestras suas velut columbæ sunt, quia per hoc quod exterius conspiciunt, nihil terrenum concupiscunt, sed gaudia æterna jugiter contemplantur. Ipse quoque angelus Evangelium æternum habere dicitur, quia

A videlicet illud quod Evangelium promittit, æternaliter manebit. Per illud enim quod nuntiat, illud exprimitur quod nuntiatur. *Ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem et tribum et linguam et populum, dicens voce magna.* Hoc est quod Dominus in Evangelio dicit : *Oportet prædicari Evangelium in toto mundo, et tunc veniet finis.* — *Timete Dominum*, id est, habete reverentiam nominis ejus, *et date illi honorem*, id est, adorate eum, et subjicite illi. *Quoniam venit hora judicii ejus*, ut reddat unicuique secundum opera sua. *Et adorate eum qui fecit cœlum et terram, mare et fontes aquarum.* Ac si diceret : Nolite adorare Antichristum, qui tantummodo ad tempus prævalebit in corporibus hominum, sed eum, qui postquam occiderit corpus,
B habet potestatem animam mittere in gehennam. Et nolite adorare eum qui putatur conditor esse creaturæ, spiritu seductionis repletus, sed potius ipsum, de quo dicit Daniel (*c.* VII) : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.* Et Apostolus : *Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen*, etc., usque *quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris (Philip.* II). Illi (inquit) date honorem, et non Antichristo, qui contrarius honori in charactere et nomine ac numero nominis ejus esse cognoscitur. In cœlo autem et terra et mari omnis creatura in tempore condita demonstratur.

Et angelus alius secutus est eum, dicens : Cecidit, cecidit Babylon illa magna civitas, *quæ a vino iræ*
C *fornicationis suæ potavit omnes gentes.* In eo quod iste angelus primum secutus asseritur, subsequens prædicatorum ordo imitatur. Bene autem angelus angelum sequitur, qui eadem annuntiat. Ille enim dixit : *Quia venit hora judicii ejus :* hic autem dicit: *Cecidit, cecidit Babylon* (*Is.* XXI). Nomine autem Babylonis confusio mundanæ conversationis intelligitur. Duæ quippe civitates sunt in hoc mundo, id est Hierusalem quæ habet regem Christum : et Babylon, quæ habet regem Nabuchodonosor, id est diabolum. Quarum una cœpit ab Abel, altera a Cain : una est corpus Christi, altera corpus diaboli. Cum autem dicunt sancti prædicatores : *Cecidi, cecidit Babylon*, præteritum tempus ponitur pro futuro. Cecidit, vide-
D licet pro eo quod est casura, vel cadet in æternam damnationem scilicet, qua diabolus cum omnibus suis membris damnabitur, cum audierint : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Quod autem angelus, id est prædicatorum ordo, ruinam perfidæ civitatis congeminando denuntiat, pro confirmatione rei facit idipsum. Aut certe nunc simul cum ipsis reprobis omnem eorum gloriam perituram demonstrat, juxta illud: Peribit *mundus et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II), ac si diceret: Et sæcularis gloria, et amatores ejusdem temporalis pariter ceciderunt. Magna hæc dicitur civitas, propter innumerabilem reproborum multitudinem, vel propter enormitatem vitiorum. Vinum autem fornicationis intelliguntur omnia vitia et peccata, quibus

reprobi alios inquinant: præcipue autem philosophi et principes hujus sæculi omnes subjectos inebriant vino erroris, unde et sensum ab eis auferunt, ut, relicto Creatore, creaturæ serviant. Nam et fornicatio specialiter pro idololatria ponitur. Unde est : Perdes *omnes qui fornicantur abs te (Psal.* LXXII). Hæc Babylon, id est, *conversatio mundana*, a vino fornicationis suæ potavit omnes gentes, quia vitiorum omnis summa in temporalis gloriæ ambitu retinetur. Pro quibus omnibus, quos vino erroris et peccatorum inebriant, punientur.

Et tertius angelus secutus est eos dicens voce magna. Tres angeli hic ponuntur, propter fidem Trinitatis quam annuntiant, sed tamen, ut dictum est, quod est primus, hoc sunt sequentes, id est ordo prædicatorum. *Voce magna*, quia bestiam se despicere et pro nihilo ducere, in libertate vocis ostendunt. *Si quis adoraverit bestiam*, id est diabolum, *et imaginem ejus*, id est Antichristum. *Et acceperit characterem in fronte sua*, id est fidem illius in mente sua, *aut in manu sua*, ut ejus imitetur opera.

Et hic bibet de vino iræ Dei mixto mero in calice iræ ipsius. Videamus qui sint qui habent characterem bestiæ in fronte et in manu, et qui solummodo in manu. Judæi habent in fronte et in manu, quia et in eum credunt, et inde eum recepturi sunt, juxta illud, Alius veniet in nomine suo, illum recipietis ; et opera illius imitantur, blasphemando Christum, et nequissimis deserviendo operibus. Falsi autem Christiani habent ejus characterem in manu, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Dum ergo Christum operibus denegant, procul dubio Antichristi sunt, ideoque characterem illius in manu portant. Idcirco dicitur et hic, quia videlicet similiter damnabuntur falsi Christiani, qui operibus imitantur Antichristum, quomodo et Judæi, qui illum sequuntur fide et opere. Quod est autem vinum, hoc est calix, id est vindicta et ira Dei omnipotentis, ventura super eos qui Antichristum adorant et imitantur. Nam et nos dum vinum in calicem damus, non dicimus : Ecce vinum et calix, sed tantum aut vinum, aut calix. Sed idcirco posuit vinum et calicem, ut ostenderet quia quod erat in calice cum mero mixtum, ad comparationem meri turbidum erat. Merum quippe dicimus purum. Sunt enim in hoc calice simul mixtæ fæces cum vino mero, id est puro. Per vinum itaque merum, vindicta divini examinis intelligitur circa justos, qui flagellantur in præsenti, ut postmodum glorificentur. Per fæces autem damnatio peccatorum exprimitur, qui in extremo examine damnabuntur, nam vinum supra est, fæces autem in fundo latent, quia videlicet sancti in præsenti puniuntur, et quasi apertum contra eos sævit divinum judicium. Reprobi autem in fine damnabuntur, quia nunc sine flagello deseruntur. Bibent reprobi quod remanserit in fundo, id est fæces, et non bibent electi, quia et reprobi post voluptatis lasciviam æternis cruciatibus damnabuntur, et electi post temporaneam disciplinam in potentiam regni erigentur. Ideoque si quis adoraverit Antichristum, aut imaginem illius acceperit in fronte, aut in manu sua, non hic ad præsens flagella recipiet, tanquam vino potatus, sed in futuro perenni vindicta plectetur, tanquam fæcibus inebriatus. *Et cruciabitur igne et sulphure in conspectu sanctorum.* Cum sint in inferno tanta tamque innumerabilia tormenta, quanta nec dici nec æstimari possint, breviter tamen in his duobus omnia comprehenduntur tormenta. Erit enim ignis, non ad lucendum, sed ad miserorum corpora concremandum. Erit quoque ibi et sulphur, quod et fomentum præstabit igni, et fetorem gignet intolerabilem, ac per hoc ex igne fetor, et ex fetore ignis procreabitur, cum unum horum ad tormentum miserorum satis sufficere posset, aut ignis videlicet, aut fetor. Sulphur quippe (ut diximus) fetorem, ignis autem habet ardorem. Qui enim ad perversa desideria ex carnis fetore ardent, nunc maxime libidini deserviendo, dignum est ut postmodum igne et sulphure pereant, quatenus ex justa pœna discant quid ex injusto desiderio faciunt. Angelorum autem vocabulo, in quorum conspectu cruciari dicuntur, non solum angelici spiritus, verum etiam electorum Ecclesia exprimitur. Quod ideo fiet, ut dum impiorum cruciatus justi conspiciunt, in Dei laudibus crescant, per cujus misericordiam evaserunt quod miseri patiuntur : quia in se cernunt bonum quo gratis remunerati sunt, et in illis aspiciunt supplicium, quod misericorditer evaserunt, eritque ut malorum tormentum, ad electorum proficiat incrementum. Subjungitur autem, *et ante conspectum Agni.* Non quo eum ultra visuri sint, cum scriptum sit : Tollatur impius, ne videat gloriam Dei, sed tanto timore terrebuntur, ut videatur illis Deus omnipotens semper esse præsens, eisque vindictæ suæ iram semper infligere, unde Job dicit : *Dimitte me ergo ut plangam paululum peccata mea, antequam vadam ad terram, ubi umbra mortis et sempiternus horror inhabitat (Job.* XX).

Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum. Magnus fumus indicium est magnarum flammarum, quia, quamvis sine nutrimento lignorum, corporeus tamen erit ignis reproborum, ideoque fumum ejus sempiternum dicit inesse. Quia ergo in igne reprobos sine fine ardere conspicit, idcirco fumum tormentorum in sæcula sæculorum ascendere dicit. Quo in loco error Origenis aperte destruitur, qui dixit post mille annos reprobos redire ad vitam, justos autem reversuros ad pœnam, alioquin falsum est quod Veritas dicit: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam (Matth.* XXV). Quod si quis vult quærere cur pro temporali peccato sine tempore reprobi cruciabuntur, dicendum est quod districtus judex veniens non facta pensabit, sed voluntates. Nam reprobi, si fieri posset, semper in hac vita vivere cuperent, ut nequaquam peccare desisterent : et ideo nunquam carebunt supplicio, qui nunquam voluerunt carere peccato. Et nullus erit iniquis terminus ultionis, qui nunquam volue-

runt habere terminum criminis. Si enim, ut illi aiunt, finienda sunt supplicia quandoque reproborum, ergo quandoque finienda sunt et gaudia justorum. Si ergo hoc verum non est, quod minatus est, neque illud verum est quod promisit. At inquiunt: Ideo æternam pœnam minatus est peccatoribus, ut eos a perpetratione peccatorum compesceret, quia creaturæ suæ æterna supplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius respondemus : Si falsa minatus est ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa est pollicitus, ut ad justitiam provocaret. *Nec habent requiem die et nocte, qui adoraverunt bestiam et imaginem ejus, et si quis accepit characterem nominis ejus.* In die et nocte continuum tempus intelligitur, sive etiam vicissitudines pœnarum, juxta illud : *Ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium (Job* XXIV): unde est : Erit tempus eorum in sæcula. Deficient enim miseri sine defectu, semperque erit quod crucietur, quia semper ad cruciamenta reparabitur quod defecit.

Hic, id est in præsenti vita, *patientia sanctorum est*, qui dum considerant quæ sint sanctorum gaudia et reproborum supplicia, patienter omnia perferunt ut in fine salventur. *Qui custodiunt mandata Dei*, id est, præcepta legalia, ut est, *Diliges Dominum Deum tuum (Matth.* XXII), et *Non adulterabis, Non furtum facies (Luc.* XVIII), et cætera hujusmodi.

Et audivi vocem de cœlo dicentem : Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur. Hæc vox tam ad ipsum Joannem pertinet, quam ad omnes fideles, qui remunerationem sempiternam exspectant. Scribe in corde tuo, et in cordibus auditorum tuorum, vel litteris commenda ut ad posteros veniat: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Quæ sententia dupliciter potest intelligi : Beati mortui sæculo qui in Domino moriuntur, viventes virtutibus; qui scilicet pleni fide et cæteris bonis operibus, de hoc mundo migrant. Vel, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, id est, qui imitantes caput suum, non timent pro eo mortem subire temporalem, ut in æternum possint vivere cum illo, *amodo*, id est, a præsenti tempore *jam dicit Spiritus*, id est tota Trinitas, quæ est Deus, *ut requiescant a laboribus suis.* Quod superius dicitur : *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, omnibus electis congruit : quod autem sequitur, *Amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis*, specialiter pertinet ad prælatos, qui diverso modo laborant in hoc, quod gregem Dei commissum habere videntur, ad quorum personam a Domino specialiter dictum est : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam (Matth.* XXV). — *Opera enim illorum sequuntur illos*, id est, merces operum suorum sequetur illos, cum unusquisque receperit secundum suum laborem; quia enim post opus merces sequitur operis, ipsum opus electorum eos comitari dicitur. Ubi autem finis annuntiatur operis, ibi tandem hujus libri sit finis.

LIBER QUINTUS.

SEQUITUR CAPUT XIV.

Et vidi, et ecce nubes candida, et supra nubem sedentem similem Filio hominis, subauditur, vidi. Nubes candida, caro et anima nostri Redemptoris intelligitur, quam non fuscavit macula peccati. De hac nube per prophetam dicitur : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum (Isa.* XIX). Super nubem quippe levem ascendit, et in Ægyptum venit, quando carnem nostræ mortalitatis accepit, et in hoc mundo natus apparuit. Super nubem vidit sedentem, quia Christus divinitatis potentia præsidet etiam humanitati suæ. Vel certe per nubem candidam Ecclesia intelligitur, fonte baptismatis a peccatis mundata. Per fidem enim Christi et baptismum illius mundatur ab omnibus peccatis, juxta illud : *Fide mundans corda eorum (Act.* XV). Hinc inibi præsidet Christus, suaque sessione Ecclesiam, velut gallina pullos suos, protegit et gubernat. Quare autem ipse non jam simpliciter homo, sed similis Filio hominis dicatur, supra dictum est, quia videlicet surgens a mortuis, metasque humanitatis transcendens, *jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (Rom.* VI). Et *nubes* autem, et *supra nubem* sedens, unum sunt, id est caput et membra. Unde et cum Dominus super nubem sedet, utique ipsa nubes cum Domino sedet. *Habentem in capite suo coronam auream*, per quam victoria Christi designatur, qui primum de diabolo triumphavit, et Ecclesiæ suæ triumphum victoriæ contulit. Legimus etiam superius quod angelus habebat in capite suo stellas duodecim, ubi per angelum Christus, per duodecim stellas duodecim apostoli intelliguntur, et per illos omnis ordo prædicatorum, quo coronatur Christus, id est ornatur et circumdatur, et ex quorum societate lætabitur in capite, id est in mente sua. *Et in manu sua falcem acutam*, id est in potestate sua judiciariam potestatem vel dignitatem, quam ipse Christus etiam suis fidelibus dedit, dicens discipulis : *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (Matth.* XIX). Potest etiam falx intelligi divina prædicatio, quam alibi Dominus gladium appellat, dicens : *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium (Id.* X). Quare gladius divina prædicatio appellatur, quia per ipsam separantur boni a malis, veluti membra a membris. Hanc falcem habet Christus in manu, id est in operatione sua, quia ea quæ docuit verbis, primum ipse implevit operibus, juxta illud. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere (Act.* I). Volens quippe Dominus instruere prædicatorem quomodo prædicare deberet, primum in seipso formam verbi ostendit. Quam etiam falcem, id est divinam prædicationem, commendavit suæ Ecclesiæ, dicens apostolis :

Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare quæcunque mandavi vobis (*Matth.* XXVIII), acuta est falx, quia velociter hominem a terrenis desideriis et societate malorum separat.

Et alter angelus exivit de templo. Ipse designatur per alterum angelum, qui et per primum, id est Christus, sed propter ordinem visionum dicitur alter, cum idem sit. *Exivit de templo*, hoc est, de sua invisibili majestate, quando *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I), quia, cum esset invisibilis in sua natura, accepit carnem et animam in utero virginali, et factus est visibilis in nostra substantia. Hinc Apostolus ait : *Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* (*Phil.* II). Et ipse Dominus : *Exivi a Patre, et veni in mundum* (*Joan.* XVI). Templum quippe Patris est Filius et templum Verbi ipse homo assumptus, et templum Patris et Filii Ecclesia, de qua Paulus dicit : *Templum Dei sanctum est quod estis vos* (*I Cor.* III). Exivit ergo de templo, quando visibilis ad humanos prodiit aspectus. *Clamans voce magna ad sedentem super nubem.* In hoc loco qui designatur per nubem, ipse et per sedentem supra nubem. Est enim genus in genere, sicut supradictum est de arca Noe et octo animabus. Sedens ergo supra nubem, Ecclesia est in suis prædicatoribus, ad quos loquitur Christus præcipiendo dicens : *Mitte falcem tuam acutam,* id est prædicationem divinam in Judæos. Hoc est enim quod ipse eis dicit : *Ite tantum ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* X.) — *Et mete*, id est separa Judæos a terreno sensu vel a terrenis desideriis, ne jam carnaliter accipiant: *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis* (*Isa.* I). — *Quia venit ut hora metatur*, id est tempus quod prædictum est per os prophetarum, quod jam colligi debet ad spiritualem sensum et fidem Christi. *Quoniam aruit messis terræ*, id est præparata sunt corda populorum ad credendum, et ideo tempus est ut excidantur a terra, et colligantur ad fidem Dei omnipotentis. De hac messe ipse in Evangelio dicit : *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Matth.* IX).

Et misit, qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, quia ad vocem Christi cœperunt prædicare Judæis primum, quousque ejicerent eos a finibus suis, unde Paulus et Barnabas dixerunt eis : *Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei*, etc., (*Act.* X). — *Et messa est terra*, id est collecti sunt omnes, quotquot fuerant præordinati ad vitam æternam, de quibus jam scriptum est : *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Rom.* IX).

Et alius angelus exivit de templo quod est in cœlo. Superius dixerat angelum de templo exiisse, nunc autem ubi hoc templum visum fuerit, indicare curavit. Hic quoque angelus Christus est, porro hic cœlum simpliciter debemus intelligere habitationem cœlorum, ubi est templum, id est sancti angeli, in quibus Deus habitat. Si enim in hominibus, licet peccatoribus, habitare dignatur, juxta illud : *Inhabitabo in illis, et inambulabo* (*II Cor.* VI), quanto magis in angelis, qui sine peccato sunt ! Ipsi itaque sunt templum Dei, quia in ejus sunt jugiter contemplatione. *Exivit* ergo *de templo*, quod est in cœlo, non quo a contemplatione angelorum recederet, sed quia assumendo carnem, hominibus visibilis apparuit. *Habens et ipse falcem acutam*, id est judiciariam potestatem, quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V). Vel sicut dictum est, in facie acuta prædicatio intelligitur superna, quæ dividit patrem a filio, et filium a patre, etc., sicut in Evangelio Dominus dicit, id est reprobos a bonis.

Et alius angelus exivit de altari. Qui enim superior est, ipse designatur et per hunc angelum, id est Christus nuntius paternæ voluntatis. Altare autem ipse est, qui et pontifex, Christus scilicet, per quem munera nostra Deo Patri dirigimus petentes nos exaudiri per Christum. Omnes quoque electi altare sunt, quibus Apostolus dicit : *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII). Angelus itaque exivit de altari, id est Christus electus est singulariter princeps ex omni multitudine fidelium. *Qui habet potestatem super ignem.* Ignis Spiritus sanctus est, de quo Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc* XII). Qui etiam super electos in linguis igneis descendit. Unde merito quæritur quomodo angelus, qui utique Christus intelligitur, potestatem habeat super ignem, id est super Spiritum sanctum, cum unius substantiæ sit cum Patre et Spiritu sancto. Non enim (ut hæretici dicunt) Deus pater ex nonnullis rebus subsistentibus Filium creavit, aut iterum ipse Filius Spiritum sanctum minorem se creavit : quia quorum una est deitas, una est etiam et essentia : et ideo Pater et Filius et Spiritus sanctus unius substantiæ sunt, unius potestatis et majestatis. Sed in hoc habet Filius Dei potestatem super ignem, quia nemo angelorum et hominum accipit Spiritum sanctum, nisi per Filium. Unde ipse surgens a mortuis, *insufflavit et dixit discipulis suis : Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX). Et alibi : *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos* (*Joan.* XVI). — *Et clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam*, id est ad ordinem prædicatorum, qui habent in se divinam prædicationem, dicens : *Mitte falcem tuam, et vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ ejus.* Quod supra per maturas segetes, hoc et hic per botros vineæ terræ designatur, id est omnes fideles. Maturæ sunt uvæ ejus, id est præparati sunt populi ad credendum. Tunc præcepit hoc Dominus, quando post resurrectionem suam apparens discipulis suis, ait illis : *Ite, docete omnes gentes* (*Matth.* XXVII), etc.

Et misit angelus falcem suam in terram. Quia profecti prædicaverunt ubique. *Et vindemiavit botros vineæ terræ.* Id est, homines a terreno sensu et pristino separavit errore, et unitati fidei conjunxit. *Et misit in lacum iræ Dei magnum.* Quid per *lacum*, sive, ut

alia translatio habet, *torcular*, intelligitur, nisi angustia humanæ tribulationis, in qua omnes mittuntur boni et mali? In hac tribulatione sancti triturantur tanquam segetes, ut a paleis separentur et cœlestibus horreis recondantur. Tunduntur etiam calcibus tanquam uvæ in prelo, ut a vinaciis expressi, æternis promptuariis includantur. Misit ergo falcem et botros quos vindemiavit, in lacum, quia missa sancta Ecclesia prædicatione eos, quos a terreno amore vel pristino errore separavit, magnis tribulationibus tradidit, quibus tribulantur ab impiis, et affliguntur diverso modo. Hinc Apostolus dicit : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam* (*Rom.* VIII); et alibi : *Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei.* Lacus iræ Dei dicitur, quia propter peccata hominum istæ tribulationes aguntur. Nisi enim primus homo, in quo omnes peccàverunt, peccasset, nemo hominum in lacum mitteretur, id est, nemo has tribulationum angustias sustineret. Sed postquam peccavit, ejectus de paradiso, missus est in lacum tribulationis. Qui lacus magnus dicitur propter amarissima electorum tormenta, quibus affliguntur in præsenti vita. Quæ enim major pressura angustiæ et tribulationis esse potest, quam crucifigere hominem, ut Petrus est crucifixus? ustulari, ut Laurentius? Affligunt ergo injusti temporaliter justos, ut sint quibus Deus misericors postea in æternum parcere possit.

Et calcatus est lacus extra civitatem. Per id quod continet, illud intelligamus quod continetur, id est per lacum, eos qui in lacu sunt. Civitas autem ista, extra quam calcalti sunt, Ecclesia est. Si itaque (ut supradictum est) in lacu tribulatio, qua et boni et mali tribulantur, intelligitur, quid est quod modo calcati sunt extra civitatem? si enim ipsa civitas calcatur, quomodo extra civitatem calcantur? Sed sciendum est, quia hic a genere redit ad speciem, et loquitur solummodo ex persona reproborum, de quibus in sequentibus plura erit dicturus : quod statim manifestatur, cum subditur : *Et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum*. Sancti enim pressi non sanguinem de se reddunt, sed purissimum vinum, quod in Dominicis apothecis reconditur. Reprobi vero, quia videbantur intra Ecclesiam esse, et non erant, missi in lacum, sanguinem reddiderunt, hoc est, infidelitatem. Sanguis enim diverso modo intelligitur in sacro eloquio : aliquando significat propagationem humanæ sobolis, ut ibi : *Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I). Aliquando adulterium et homicidium, ut ibi, *Libera me de sanguinibus, Deus Deus meus* (*Ps.* L). Aliquando etiam peccata cætera, ut est illud : *Sanguis sanguinem tetigit* (*Ose.* IV). Sanguis sanguinem tangit, cum peccato peccatum adjicitur. Aliquando infidelitatem, ut hic, et in Exodo, cum aquæ in sanguinem conversæ referuntur. *Exivit* ergo *sanguis de lacu*, id est peccatum infidelitatis de pressura tribulationis. Tacetur enim de vino, quod egreditur de bonis uvis, quod reconditur in Dominicis promptuariis : et dicitur de sanguine, qui egreditur de labruscis, vel hiemalibus (ut ita dicamas) racemis, de reprobis scilicet, qui simul mixti cum uvis non perveniunt ad maturitatem, sed aliqua tribulatione tacti, vel persecutionis angustia gravati, continuo recedunt a fide : et perfidiæ errore infecti, foras delabuntur : atque ideo extra civitatem calcari dicuntur, permanentibus electis intrinsecus vino fidei debriatis. Talis fuit Porphyrius, et multi alii, qui persecutionibus cesserunt, recedentes a fide Christi, et facti reprobi. Et quia tali modo non solum minimi quique, sed etiam principes pereunt, recte subditur, *usque ad frenos equorum.* Per equos enim subjecti, per frenos vero principes intelliguntur et prælati, qui alios regere debuerant, qualis fuit Julianus apostata et imperator, ac si diceret : Tanta fuit afflictio temporalis, ut ipsos etiam qui alios regere videbantur, ad infidelitatem perduceret. Sicque sanguis usque ad frenos equorum pervenisse dicitur, tanquam aperte diceretur : Afflictio temporalis intantum prævaluit, ut ipsos etiam qui plebes regere videbantur, cruore infidelitatis macularet. *Per stadia mille sexcenta.* Stadium Græce est mensura Latine. Item. Et dicitur a stando, eo quod ibi Hercules uno anhelitu currens centum viginti quinque passus, steterit. Qua mensura Græci metiebantur loca in quibus ludos exercebant, ibique ludentes spatiando et ludicra exercendo, deambulabant. In mille itaque sexcentis stadiis, omnis summa reproborum comprehenditur, quæ in quatuor mundi partibus consistit, propter quatuor mundi hujus plagas. Quater quippe quadringenti fiunt mille sexcenti. In centenario numero sæpe summa alicujus rei intelligitur. Quaternarius autem pertinet ad quatuor mundi climata, ideoque in mille sexcentis omnes designantur reprobi, qui per quatuor mundi istius partes per voluptatum ludibria currunt, et per spatiosam viam incedunt, quæ ducit ad mortem, atque ideo vocabulo eorum summa comprehenditur. Sed quod dictum est de primo adventu, potest referri et ad secundum. Judicium quippe futurum per angelos exercendum nullus ignorat qui attendit quod Dominus dicit de tempore messis, vel de messoribus. Ait enim : Messis quidem consummatio est sæculi, messores autem angeli sunt. Parabola quoque zizaniorum huic loco congruit, nec non illud, quia simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, omnium genera piscium congreganti, de qua elegerunt bonos in vasa, nulli dubium quin angeli, malos autem foras miserunt. Sed quod illi facturi sunt officio ministeriorum, hoc est Christus et Ecclesia facient potestate. Dicatur ergo de angelo, qui habebat falcem acutam in manu sua, id est, judiciariam potestatem. Falx enim quidquid incidit, intra se colligit, quia videlicet examen divini judicii nullus valet evadere. Intra ipsam quippe sumus, quocunque fugere conemur. Recte ergo judex venturus falcem tenere perhibetur, quia cum potentialiter ad omnia obviat, utique cuncta incidendo circumdat. Unde Psalmista :

Si ascendero in cœlum, tu illic es (*Psal.* CXXXVIII), A et alibi : *Neque ab oriente, neque ab occidente* (*Psal.* LXXIV) et cætera, subauditur, est locus fugiendi, quoniam Deus judex est, ac si diceret : Fugiendi via undique deest, quia ille judicat qui ubique est. Abbreviatio superiorum : *Et alius angelus exivit de templo*, quoniam in judicio ex secreto divinitatis suæ, in forma humana hominibus apparebit. *Clamans voce magna ad sedentem supra nubem :* Sicut supradictum est, quod est nubes, hoc est angelus, cui clamat Christus, id est Ecclesia, quæ propter unitatem capitis, etiam supra nubem, hoc est, supra seipsam sedere dicitur. Non enim erat conveniens ut diceret : Clamavit angelus qui sedebat supra nubem, ad eamdem nubem, ideoque mutavit nubem, id est Ecclesiam, in angeli nomen. Tamen B quod est nubes, hoc et angelus sedens supra nubem. *Mitte falcem tuam.* Hoc est quod alibi ipse dicit Dominus apostolis, et in illis, omnibus perfectis: *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. — Quoniam venit hora ut metatur:* Id est : adest tempus, quo et electi remunerari, et reprobi justo Dei judicio debent condemnari. *Quoniam aruit messis terræ :* id est, finis uniuscujusque advenit, quo et paleæ (id est reprobi) tradantur igni, et frumenta in Domini cellario recondantur. *Et misit qui sedebat falcem suam in terram*, etc. Id est, Ecclesia cum Domino sedens in judicio potestatis, inter bonos et malos discernens, cuncta examinabit. *Et alius angelus exivit de templo, quod est in cœlo*, etc. Qui habet falcem messoriam, ipse et vindemiato- C riam. Et qui dixit messori, *Mete:* ipse et vindemiatori, *Vindemia.* Nam quod sunt segetes, hoc et botri, similiter quod sunt paleæ, hoc et vinacia. Cætera supradicta sunt. Vindemiavit omnes botros vineæ terræ, id est, collegit omnes a terra, et bonos et malos, frumentum scilicet et zizania. Et vinum mundum, id est sanctos, recondidit in Dominicum promptuarium : vinacia vero, id est reprobos, misit in lacum iræ Dei. Per lacum vero iræ Dei, damnatio intelligitur inferni, vel sententia divini judicii, in quem lacum mittentur reprobi, cum audierint : *Ite in ignem æternum.* Nisi enim vocabulum lacus infernum designaret, nequaquam propheta diceret, omnes interfecti ruentesque gladio, qui descenderunt D incircumcisi ad terram ultimam, et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum. Et Psalmista: *Salvasti me a descendentibus in lacum* (*Psal.* XXIX). Unde et quod subjungit *magnum*, juxta hunc sensum non est referendum ad lacum, sed ad diabolum, qui magnus appellatur propter superbiæ jactantiam. Magnum enim, id est, diabolum cum omni corpore suo mittet in lacum iræ Dei, cum omnes reprobi (ut dictum est) damnabuntur cum diabolo et angelis ejus. *Et calcatus est lacus*, id est, calcati sunt, qui erant in lacu, hoc est in æterna morte, depressi sunt, non jam ut purgentur, sed ut penitus intereant. *Extra civitatem*, id est, extra sanctorum societatem, cum quibus jam nulla erit reproborum communio.

Et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum. Per sanguinem qui egreditur de lacu, id est sententia districti judicis, vindicta intelligitur sanguinis vel vitiorum omnium, pro quibus damnabuntur iniqui. Qui usque ad frenos pervenit, quia non solum subjectos, sed etiam ipsos reges et principes, qui sanguini et diversis vitiis servierunt, sententia divini judicii comprehendet. Porro quod sequitur: *Per stadia mille sexcenta*, in hoc numero (ut supradictum est) omnis summa reproborum exprimitur, quæ per orbem quadripartitum, latitudinem istius vitæ sequuntur.

CAPUT XV.

Et vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile.

Quisquis sanctorum Patrum sensibus invigilat, minime posse hanc Apocalypsim juxta litteram accipi, facile cognoscit. Cœlum itaque (ut sæpe dictum est) Ecclesia est, de qua Dominus per prophetam dicit: *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (*Act.* VII); et alibi: *Anima autem justi sedes est sapientiæ.* Ipsa enim Ecclesia, terrena cuncta despiciens, per mentis desiderium ad superna volat. Unde Paulus dicit: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III); et rursum: *Qui conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus* (*Ephes.* II). In hoc cœlo, id est, in Ecclesia vidit Joannes signum magnum, et mirabile fuit signum illud. Quod sit autem illud signum, aperit cum subjungit, *angelos septem*, subauditur vidi. *Habentes septem plagas novissimas* Quia septenarius numerus sæpe pro universitate ponitur, propter hoc videlicet tempus, quod per septem dies volvitur, per septem angelos idipsum quod et per cœlum, id est, universalis Ecclesia intelligitur. Sed quia auctor historiæ frequenter a genere redit ad speciem, per septem angelos intelligamus in hoc loco specialiter omnes prædicatores, de quibus scriptum est: *Angeli pacis amare flebunt* (*Isa.* XXXIII) et alibi: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam* (*Malach.* II), etc. Quid vero sint septem plagæ, in sequentibus manifestatur, cum ipsi angeli septem phialas accepisse dicuntur plenas iræ Dei. Hoc sunt enim phialæ, quod angeli, id est sancti prædicatores. Qui septem plagas habent, hoc est, notitiam universæ scripturæ, qua vulnerantur corda bonorum ad salutem, corda impiorum ad perniciem. Audiunt enim quidam in divino eloquio prædicantibus angelis: *Neque avari, neque adulteri*, et cæteri quos memorat Apostolus, *regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI): et timentes gehennæ ignem, vulnerantur in corde, et redeunt ad Deum per lamenta pœnitentiæ: talique modo vulnerantur sancti ad suam salutem. Unde et ipsa sancta Ecclesia in Canticis canticorum dicit : *Vulnerata charitate ego sum*, et iterum: *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me et vulneraverunt me* (*Cant.* III). Econtra cum hæc audiunt reprobi, verba prædicatorum despiciunt. Quod istis est ad salutem, illis est ad damnationem. Quo in loco quæstio oritur, quare dicat angelos habere septem plagas novissimas, cum ab ipso mundi exordio usque ad finem sæculi ita inveniamus quosdam vulneratos ad salutem, quosdam ad mortem. Primus quippe

homo in paradiso constitutus accepit præceptum a Deo ne tangeret pomum ligni scientiæ boni et mali; quod præceptum si servasset, ad vitam illi profuisset. Verum contempsit hoc præceptum : et quod illi datum fuerat ad vitam, versum est ei in mortem : sicque ex salubri præcepto vulneratus est et mortuus. Moysi quoque dedit Deus præcepta legalia, dicens : *Non occides, non adulterabis* (*Exod.* xx), et cætera his similia. Quæ quidam servantes, sicut Moyses, et Josue, et multi alii, habuerunt vitam in eis. Econtra cæteri contemnentes, vulnerati sunt, quia perdiderunt præsentem vitam et futuram. Ipso quoque Domino prædicante, quidam crediderunt in eum, quidam non. Illi qui crediderunt in eum, pœnitentiam agentes de præteritis peccatis, salvati sunt: qui autem noluerunt credere, damnati sunt, unde ipse dicit : *Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (*Joan.* xv). Hinc est et illud: *Qui crediderit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur* (*Marc.* xvi). Apostoli quoque prædicantes, facti sunt *quibusdam odor vitæ in vitam, quibusdam vero odor mortis in mortem* (*II Cor.* ii). Similiter est et modo. Verbi gratia : Prædicat angelus: *Non concupisces uxorem proximi tui* (*Deut.* v), et cætera hujusmodi: audit hic quilibet hominum, et videtur ei esse durum. nec vult audire ejus consilium. Unde et spernit verbum illius, faciens quod sibi videtur. Hoc itaque quod illi poterat prodesse ad salutem, si voluisset ei credere, vertitur illi in damnationem. Similiter et quilibet paganus audit dicentem angelum: *Qui non credit, jam judicatus est* (*Joan.* iii): audit ille, et contemnit credere, ideoque vulneratus est ex ipsius divina prædicatione, in qua jam damnatus asseritur. Cum ergo istæ plagæ ab ipso mundi sint principio, ut dictum est, quid est quod Johannes angelos se vidisse dicit, habentes septem plagas novissimas ? quia videlicet tunc major erit damnatio infidelitatis reproborum, cum prædicantibus Elia et Enoch, pauci eos audient, multi autem infidelitatem sequentes, adhærebunt Antichristo. Unde subjungitur : *Quoniam in his consummata est* pro eo quod est, consummabitur *ira Dei.* Statim enim veniet Christus ad judicium post ultimam eorum prædicationem, et damnabuntur iniqui pro sua infidelitate et animi pertinacia, qua relinquentes Christum, et insuper servos Dei interfecerunt.

Et vidi tanquam mare vitreum igne permistum. Ipsi qui habent septem phialas et septem plagas, ipsi sunt qui stant supra mare. Mare itaque baptismum significat, testante Paulo, qui dicit: *Patres nostri sub nube omnes fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes baptizati sunt in nube et in mari* (*I Cor.* x). Vitreum dicitur, propter puritatem fidei, quæ manifestatur in baptismo, dum confitentur se credere in Deum Patrem et Filium ejus et Spiritum sanctum, ut Paulus : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x). Sed ipsum mare mistum est igni, et per hoc coagulatum est. In igne autem Spiritus sanctus intelligitur, sive etiam A passio nostri Redemptoris. Per gratiam enim Spiritus sancti baptizantur fideles in memoriam Dominicæ passionis. Unde Joannes de eodem Redemptore nostro dicit: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Joan.* i), et Paulus : *Quotquot baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* (*Rom.* vi). Coagulatum est mare igne, quia per virtutem Spiritus sancti firmantur fideles, ne fluctuent, aut ullis persecutionum pruinis in mollitiem convertantur ; de hac aqua Psalmista dicit: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit*, etc., usque, *Super aquam refectionis educavit me* (*Psal.* xxii). — *Et eos qui vicerunt bestiam et imaginem illius*, id est Antichristum. *Et numerum nominis ejus.* Qui non crediderunt illum solem nec lucem, vidi subauditur, *stantes supra mare* B *vitreum.* Qui sunt qui stant supra mare vitreum? Qui videlicet hoc quod professi sunt in baptismo, tenent et gratiam baptismi illibatam custodiunt, abstinentes se ab omnibus gravioribus criminibus. *Habentes citharas Dei.* Ipsi sunt citharæ, quia in memoriam Dominicæ passionis semetipsos mortificant. Sicut enim jam supra dictum est: In cithara lignum est et chordæ : in ligno crux intelligitur, in chordis autem corda sanctorum, qui se mortificant cum vitiis et concupiscentiis, de quibus Paulus dicit : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* v).

Et cantantes canticum Moysi servi Dei et canticum Agni, dicentes: In cantico Moysi Vetus Testamentum, in Agni vero Novum intelligitur. Est enim hoc ab in- C ferioribus intelligendum, nam quid sit canticum Moysi, vel canticum Agni, aperiunt, cum subjungunt: *Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens.* Utriusque Testamenti paginæ hoc consona nobis voce testantur, quia magna et mirabilia sunt opera omnipotentis Dei. Moyses quoque narrat quomodo fecerit Deus cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, et quod spiritus Dei ferebatur super aquas, et quod viderit ardere rubum et rubus non comburebatur. Virgam quoque dicit conversam in draconem, aquas Ægypti mutatas in sanguinem, Ægyptum decem plagis percussam, et mare ad ingressum filiorum Israel divisum: deinde aquas amarissimas immistione ligni dulcoratas, et sitienti populo aquam de petra productam, et multa his similia D quæ in Veteri Testamento, hoc est in Moysi cantico, commemorantur. In Novo quoque Testamento narrantur similiter magna et mirabilia opera Dei. Quis enim digne explicare valet quam magnum sit opus, quod Deus homo factus est, quod ille qui est cibus omnium, lacte mulieris nutritur, ne fame moriatur: quod qui cœlum et terram implet, intra corpus unius virginis concluditur. Quis hæc et his similia digne dicere vel considerare sufficit? Sed cum hæc omnia divina pietas pateretur, cumque mortuos suscitaret, infirmos sanaret, ad ultimum (quod præcipue est mirandum) factum est ut vita moreretur, virtus infirmaretur, et multa his similia sustineret, donec post triumphum resurrectionis exaltatus est super

omnia : hæc itaque opera Dei sancti angeli, id est, omnes prædicatores prædicant, hæc omnes suis auditoribus narrant. Hæc et nos, si non digne, tamen pro modulo nostro debemus agere, dicentes : Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens, qui cum esses verbum in principio manens apud Patrem, novo ordine indutus es hominem, mortuus es pro nobis, mirabiliter suscitatus, super cœlos elevatus, iterum ad judicium venturus. *Justæ et veræ viæ tuæ, rex sæculorum*. Legimus in Genesi quod Deus omnipotens recessit ab omni genere humano, quod cum aquis diluvii delevisset, adhæsit Noe et filiis ejus, quia inventi sunt justi. Deinde in superbiam elevati, postquam multiplicati sunt, voluerunt contra Deum ædificare turrim, ibique omnes gentes recesserunt a Dei cultura, præter Abrahæ progeniem. Reliquit ergo Deus omnipotens eas, et adhæsit Abrahæ et semini ejus, qui eum longo tempore coluerunt. Sed postquam Filius Dei venit ad eos, negaverunt eum dicentes : *Hunc nescimus unde sit* (*Joan.* IX) ; et, *dæmonium habet* (*Matth.* XI). Unde et eum morti tradiderunt. Recessit ab eis, et transivit ad gentes. Istæ viæ omnipotentis Dei justæ et veræ sunt, quia sic est justum apud Omnipotentem, ut qui illi adhærent per fidem et dilectionem, cum eis maneat ; qui autem ab eo recedunt, eos relinquat. Vias enim Dei debemus intelligere actiones ipsius, quæ justæ sunt, quia Deus injuste nihil agere potest, nam quod alios damnat, alios misericorditer liberat, in his misericors, in illis autem justus judex esse dignoscitur. Ponamus, ut hoc manifestius fiat, præ oculis duos peccatores : Audiunt ambo divina præcepta, quibus et præmia justorum, et supplicia continentur reproborum. Quorum unus per Dei misericordiam compungitur, agit pœnitentiam, et salvatur : alter, in suis sceleribus perseverans, damnatur justo Dei judicio propter peccatum suum. Justæ itaque viæ, id est, actiones Dei justæ sunt, quia Deus justus est judex, et in uno misericordia, in altero autem ejus apparet justitia. Nisi enim reprobos damnaret, iniquitas ei (quod absit) placere videretur ; quamobrem qui præsumit blandiendo sibi de Dei misericordia, videat etiam quia justus judex est. Bene autem de bestia triumphantes in laudibus Domino dicunt : *Justæ et veræ viæ tuæ sunt*, *rex sæculorum* ; ac si dicant : Et cum gentes, quibus iram irrogare debueras, ad misericordiam perducis, nequaquam justus esse desistis. Et cum Judæos, quibus pro legis observantia mercedem te dare promiseras, iratus repellis, nullatenus veritatem amittis.

Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? Sensus est : Jam quia judicia tua vera sunt, et sine ullis hominum meritis præcedentibus, liberas quos vis, alios autem pro suis debite peccatis punis, quis Judæorum aut gentium non timebit te ? id est quis non habebit reverentiam nominis tui ? Et quis non magnificabit nomen tuum, juxta illud, *Magnus Dominus et laudabilis nimis?* (*Psal.* XLVII).—*Quia tu solus pius*, quia gratuita pietate quosdam qui digni fuerant morte, ad vitam prædestinans salvas. *Quoniam omnes gentes venient* gressibus fidei et cordis, quia Judæi te negaverunt. *Et adorabunt in conspectu tuo.* Hoc est, in corde puro, quod solus vides. De hac adoratione Dominus mulieri Samaritanæ dicit : *Veniet hora quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (*Joan.* IV).— *Quoniam judicia tua manifesta sunt.* Quæstio oritur in hoc loco, Quare triumphantes de bestia dicant, *Judicia tua manifesta sunt*, cum Apostolus dicat, *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei. Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus !* (*Rom.* XI.) Quæ quæstio ita solvitur : Subtilitatem quidem judiciorum Dei, quare scilicet hoc vult, ut illud fiat, nemo comprehendere valet. Quis enim dicere potest, quare Deus qui prius gentes vias suas libere ingredi permisit, Judæos sibi ascivit, et deinde, Judæos repellens, gentes advocaverit ? Manifesta vero sunt in hoc, scilicet justa sunt, quia quidquid Deus fecit, justum esse ab omnibus vera scientibus intelligitur.

Post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi Testimonii in cœlo. Tabernaculum et cœlum unum est, id est Ecclesia. In hoc cœlo apertum est templum, sicut supradictum est, id est sacramenta Christi revelata sunt in Ecclesia, nativitas ejus scilicet, mors, passio, et resurrectio, et cætera hujusmodi. Ipsa autem Ecclesia tabernaculum Testimonii dicitur, quia habet tabulas duorum Testamentorum. Habet etiam in se arcam Dominum Jesum Christum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, urnam quoque ipsum Domini corpus, in quo est verus panis qui de cœlo descendit. Ibi et virga est Aaron, quæ fronduerat, id est sacerdotium spirituale, quod verum sacerdotium Ecclesiæ præsignabat. Dicit autem Joannes apertum templum tabernaculi Testimonii in cœlo, cum unum sit (sicut dixerat) tabernaculum et cœlum, tanquam genus dividens per partes, sicut supradictum est de arca et octo animabus.

Et exierunt septem angeli habentes septem plagas de templo. In septem angelis, sicut sæpe dictum est, omnes intelliguntur prædicatores, quia septenarius numerus pro universitate ponitur. Isti habent septem plagas, hoc est, plenitudinem doctrinæ, quibus vulnerantur (ut supra dictum est) quorumdam ad salutem corda, quorumdam ad perniciem. Templum autem de quo exierunt angeli, secretum cordis eorum intelligitur. Quando enim sancti prædicatores contemplationi inserviunt, ab omnibus sæculi actibus se alienos reddunt : et cum divina eloquia meditantur, quasi in templo, hoc est, in secreto mentis suæ morantur. Sed quia non ita debent insistere propriis, ut relinquant etiam aliorum necessitates, quando iterum procedunt ad publicum, ad prædicandum, ad carnalium mores componendos, sive ad temporalia ministrandum, quasi de templo egrediuntur. Sicque fit ut internis inhiantes, in templo sedeant, et rursus curam proximorum non negligentes, de templo exeant, verbi gratia : Est quilibet doctor vel

homo processurus ad publicum, ut faciat sermonem ad populum, qui prius residens colligit sese intra seipsum, meditando qualiter, quibus et quomodo debeat loqui, qualiter inchoare sermonem, qualiterve finire. Ecce dum ita intra secretum mentis suæ inhabitat, quasi in templo moratur. Cum autem procedit ad prædicandum, et ea quæ mente tractaverat, publice profert, quasi a templo, id est a secreto mentis suæ foras egreditur. *Vestiti lapide mundo et candido*. Id est ornati et amicti Domino Jesu Christo, juxta illud, *Omnes qui baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III). Qui bene lapis dicitur, quo electi circumdantur, quia murus est impenetrabilis. Mundus, quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). Candi vocatur, quia candor est lucis æternæ, et lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vel, si legamus, Vestiti lapidibus mundis, sicut in quibusdam codicibus invenitur, per hos lapides designantur virtutes : spes videlicet, fides, charitas, castitas, humilitas, et cætera hujusmodi, quibus ornantur fideles. Alia translatio habet, *Vestiti lino mundo*, per quod puritas vitæ et innocentiæ castitas intelligitur. Nam linum ex terra nascitur, et multo labore ad candorem venustatis perducitur, quia videlicet castitas sive vita pura cum multo labore et mortificatione carnis acquiritur. De his vestimentis Salomon dicit : *Omni tempore sint vestimenta tua candida* (*Eccl.* IX). — *Et præcincti ad pectora zonis aureis*. Per zonam qua præcingebantur eorum pectora, vinculum castitatis ostenditur, et significatur per hoc, quia in Novo Testamento non solum opus libidinis, sed etiam ipsa restringitur cogitatio vigore mentis. Vetus enim dicit : Qui adulterium commiserit, puniatur : Novum vero : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V). Vel certe per zonam auream vinculum charitatis intelligitur, quia sancti non timore pœnali, sed per charitatem se invicem solo Dei amore stringunt. Sive etiam per zonas aureas sapientia significatur, de qua scriptum est : Accipite sapientiam sicut aurum. Zona aurea cinguntur angelorum pectora, quia superna sapientia replentur electorum corda, quia et ipsi Deum jugiter laudant, et alios ad laudandum provocant.

Et unum ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundia Dei viventis in sæcula sæculorum. Superius legimus quod viderit quatuor animalia, quæ tam quatuor Evangelistas quam omnes sanctos, sive etiam ipsum Dominum significant, qui factus est homo temporaliter nascendo ex virgine : Factus est vitulus in passione, qua semetipsum obtulit Deo in ara crucis : Factus est leo tertia die resurgens a mortuis. Aquila, quadragesimo die ascendens ad cœlos. Istud unum animal, id est Dominus Jesus Christus, dedit septem angelis septem phialas. Quod sunt septem angeli, hoc sunt etiam septem phialæ, id est sancti prædicatores pleni divina prædicatione. Ut enim possent angeli esse, id est nuntii vitæ æternæ facti sunt phialæ

A repleti verbo sapientiæ. Sed quia absurdum era. dicere minusque conveniens : Unum animal dedit septem angelis septem angelos, variavit sermonem, dicens : Unum animal dedit septem angelis septem phialas. Vel etiam per istud animal, quod dedit septem angelis septem phialas, possumus intelligere ordinem electorum, Apostolorum scilicet et cæterorum, qui suis sequacibus dederunt phialas, id est divinam prædicationem commiserunt, quoniam non solum eos baptizaverunt, sed etiam ordinaverunt, et in loco suo sedere fecerunt, sicut Petrus Clementem, Linum atque Cletum : quibus etiam potestatem ligandi atque solvendi quam a Domino percepit, tradidit, et in cathedra sua sedere compulit. Quod etiam quotidie agitur, cum per impositionem ma-
B nuum in civitatibus præsules animarum constituuntur. Bene autem phialæ quas accipiunt, aureæ describuntur. Quia ut prædicationis officium implere possint cœlitus sapientiæ fulgore illustrantur. Sed cum superius de senioribus dixerit, quod habebant phialas plenas odoramentis, quid est quod hic dicitur de angelis, quod acceperunt septem phialas plenas iracundia Dei viventis in sæcula sæculorum ? Ipsi enim sunt angeli, qui et seniores, quia videlicet in eorum doctrina et plena est electorum salus, et plena est reproborum damnatio et unde illi vitam, inde isti accipiunt mortem. Unde Apostolus : *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II Cor.* II). Hinc etenim ipse Dominus quibusdam in ruinam positus dicitur, quibusdam in resurre-
C ctionem.

Et impletum est templum fumo a majestate Dei et de virtute ejus. Templum in hoc loco significat infirma corda simplicium fratrum, quibus injustum videtur quod Deus omnipotens reprobos in hac vita permittit regnare, et omni honore et divitiis ac sanitate corporis vigere; et contra, sanctos suos patitur crucifigi, lapidari, ustulari, et per varia tormenta præsentem vitam finire, neque unquam possunt in præsenti vita quietem habere, sicut verbi gratia : Nero impiissimus imperator, qui etiam masculum convertit in uxorem, et imperabat toti orbi. Petrus vero princeps omnium apostolorum, ab eo tentus est et crucifixus. Paulus etiam ab eo decollatus est, pater omnium gen-
D tium, qui plus omnibus laboravit. Fumus significat cæcitatem ignorantiæ, quo replentur talium corda infidelium, qui nesciunt considerare quod Deus illis ut filiis hæreditatem est daturus, ideoque permittit eos affligi ad tempus, ut post modicum lætentur cum illo sine tempore. Et hoc a majestate et virtute Dei fit. Magna quippe est in hoc Dei virtus, quoniam sustinere potest hominem malum, ut sit imperator et Dominus totius mundi, et ut electi illius mala patiantur ab illo. *Et nemo* talium subauditur, *poterat intrare in templum*, id est, non poterat perscrutari subtilitatem judiciorum omnipotentis Dei, *donec consummentur septem plagæ septem angelorum*, id est, donec omnis Ecclesiæ prædicatio terminetur. Cum autem consummatæ fuerint septem plagæ septem angelorum,

id est, cum terminum acceperit omnis Ecclesiæ prædicatio, et venerit Christus ad judicium, ut reddat unicuique juxta opera sua, tunc manifestabuntur ista omnipotentis Dei judicia, quæ nunc sunt occulta, cum et reprobi, qui hic honore et dignitatibus pollent, ducentur ad supplicium : justi autem qui in isto sæculo sustinuerunt tormenta atque supplicia ab illis illata, elevabuntur ad regnum. Ex talium namque persona Psalmista dicit : Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum. Sancti autem qui habent phialas aureas intrant in templum Dei, quoniam considerant et perspiciunt judicia Dei omnipotentis, et cognoscunt cuncta justa esse. Unde sciunt et istorum tormenta qui in præsenti exaltantur, et dominationem tenent, et illorum præmia, qui humiliantur, et dominationem aliorum hominum sustinent. Et ideo *nemo* ad eos referendum est, qui Dei omnipotentis judicia reprehendere conantur. Tale est et illud Joannis de Christo loquentis : Testimonium ejus nemo accipit. Et illud Psalmistæ : *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII). Et in sequentibus dicit idem Joannes : Quia autem accipit ejus testimonium, signabit quia Deus verax est, quia videlicet sunt nonnulli, quorum nemo testimonium Christi accipit, sicut miseri Judæi : et iterum sunt nonnulli qui accipiunt testimonium ejus, et sciunt quia Deus verax est. Sic ergo et in hoc loco intelligendum est quod dicitur, nemo poterat intrare in templum. Aliter : Templum corda significat sanctorum electorum, fumus vero significat compunctionem cordis, quia compunguntur corda et pectora peccatorum, et intimo usque ad lacrymas. Impletur templum fumo, quando corda quorumdam facinorosorum implentur pœnitentiæ lamento. Verbi gratia : Audit quilibet peccator loquentem sapienter et docte prædicatorem, et dicentem quod Apostolus dicit : Neque adulteri, neque immundi, neque fornicatores et cæteri regnum Dei possidebunt. Dum hæc audit et considerat quilibet peccator, quæ tormenta ingentia inferni sibi immineant, compunctus corde, effundit fumum, id est compunctionem cordis, dum lacrymis confitetur peccatum suum. Fumus quippe multum ignem præcedit, quia videlicet ex confessione peccati et compunctione cordis nascitur ignis charitatis. Primum enim homo confitetur peccatum suum, postea incipit valde diligere Dominum Deum suum et proximum. Et hoc majestate et virtute Dei fit, quia Deus virtute sua illuminat cor illius, ut agat pœnitentiam, qui in cordibus hominum confessionem gignit peccatorum. Unde Psalmista quoque canit dicens : *Confessio et magnificentia in conspectu ejus*. Et alibi : *Qui tangit montes, et fumigant* (*Psal.* CX, CIII), id est mentes sæcularium hominum et superborum respectu suæ miserationis compungit, et lamenta fletusque pœnitentiæ proferunt. Sed quamvis ita sit, nemo potest intrare in templum, id est, nemo potest esse securus de sua conscientia, utrum scilicet indulgentiam et remissionem peccatorum suorum consecutus sit. Ignorat enim utrum odio an amore dignus sit, donec finiantur septem plagæ septem angelorum, id est omnis prædicatio Ecclesiæ sanctæ terminum et finem accipiat, quando veniet Christus reddere unicuique hominum secundum opera sua.

CAPUT XVI.

Et audivi vocem magnam de templo, dicentem septem angelis : Ite et effundite septem phialas iræ Dei in terram. Vox ista vox est Dei omnipotentis, quæ recte magna dicitur quia magna præcipit. Templum autem sancta Ecclesia est, ut sæpe dictum est. Porro septem angeli omnes sancti prædicatores sunt. De templo fit vox ad angelos, quia de Ecclesia loquitur Christus prædicatoribus, quia et ipsi sunt Ecclesia. Ait ergo : *Ite, effundite phialas iræ Dei*, quas accepistis, *in terram*. Hoc est quod ipse dicit discipulis suis, quasi primis angelis : *Ite ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* X). Et alibi legimus, quia misit eos ante faciem suam in omnem locum, ad quem erat venturus. Quare vero phialæ *iræ Dei* dicuntur, supradictum est, quia videlicet unde alii veniam placationis, inde alii sumunt iram ultionis. Per terram autem terrena designantur corda hominum. In terram ergo angeli phialam effundunt, quando sancti prædicatores contra terrenos homines loquuntur. Unde sequitur :

Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram. Quæstio oritur hoc in loco : Si præceptum est illis ut phialas suas in terram effunderent, quid est quod quasi mandatum transgredientes, alius in terram, alius in mare, alius in flumina et fontes aquarum, alius in solem, alius super sedem bestiæ, alius in flumen magnum Euphratem, alius in aerem phialam effudit? Quasi enim (quantum ad litteram pertinet) mandatum videntur transgredi, sed non faciunt quantam ad mysticum sensum : quia quod est terra, hoc est mare et cætera, id est omne corpus diaboli cum capite suo. Similiter quod est unus angelus, hoc septem : et quod septem, hoc unus. Sicut enim Christus cum capite suo unum est, quia ipse est caput, electi membra, neque aliud membra quam caput, ita diabolus et omnes iniqui unum sunt corpus, et unione malignitatis vinciuntur. Quamvis autem per terram omnis multitudo reproborum accipiatur, de qua ad diabolum dicitur in primordio, *Terram comedes omnibus diebus* (*Gen.* III), tamen specialiter in hoc loco terram, in quam prima effusa et phiala, possumus intelligere plebem Israeliticam. De hac quippe terra Job dicit : Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igne consumpta est, id est, Judæi a quibus procedebant eloquia divina, peccato incredulitatis et igne invidiæ in loco suo occisi sunt. Effudit itaque angelus phialam suam in terram, quia apostoli ad vocem Christi cœperunt prædicare remissionem peccatorum, incipientes ab Hierusalem. Nam et ipse Christus, qui est angelorum princeps, prædicavit in eadem terra. Unde quia noluerunt in eum credere, damnati sunt peccato infidelitatis suæ, unde sequitur : *Et factum est vulnus sævum ac pessi-*

mum in homines, qui habent characterem bestiæ, et in eos qui adoraverunt imaginem ejus. Hoc vulnus non est corporis, sed mentis. Est enim peccatum infidelitatis, quo vulnerati sunt Judæi nolentes credere in Christum. Unde Dominus dicit : *Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent* (*Joan.* xv). Hoc vulnere mortui sunt Judæi. Hoc ex gentibus infideles mori videntur, sed mirabilius Judæi quam gentes, quia illi habuerunt legem, et Dei notitiam acceperunt, ipsum etiam in carne prædicantem audierunt. Gentiles autem nihil horum habuerunt, nisi tamen prædicationem Christi contempserunt, quam per apostolos audierunt. Ideoque et isti damnabuntur, sed illi crudelius. Hinc etenim scriptum est : *Qui non credit, jam judicatus est*. Unde bene non dixit simpliciter sævum vulnus esse factum, aut pessimum, sed junxit duo nomina, id est, *sævum ac pessimum*, ad exaggerandam hujus vulneris magnitudinem, quasi diceret irremediabile atque mortiferum, quo soli, etiam si alii desint, quilibet vulnerati, æterna judicentur pœna plectendi. Et quia novissimam Judæorum cæcitatem describit, qui pro Christo Antichristum sunt suscepturi, juxta illud : Ego veni in nomine Patris mei, et non suscipistis me : alius veniet in nomine suo, illum suscepietis. Bene homines dicit prædicatione Christi pessime vulneratos, qui characterem bestiæ videntur habere ejusque imaginem adorare. Character vero bestiæ, ut supra dictum est, fides ejus intelligitur. Quem characterem jam habent Judæi, credentes in illum et eum exspectantes, suscepturi illum cum omni cordis devotione. Tunc utique aperte suscipient, quem nunc toto voto tenent. Adorant quoque imaginem ejus, id est, ipsum Antichristum, nunc voto et desiderio, tunc autem et mente et corpore prostrati in conspectu illius. Revera enim dignum est, ut qui vitulum saginatum tumentes despiciunt, hædum accipiant, contemnentes videlicet Christum, suscipiant Antichristum. Quamobrem specialiter hoc de ipsis intelligamus, quanquam hoc et incredulis gentibus generaliter congruere videatur. Multos enim et innumerabiles ipsi Judæi in susceptione Antichristi ex incredulis gentibus habebunt sequaces, sicut apostoli in fide Christi multos habuerunt imitatores. Sciendum præterea, quia sicut Judæi atque gentiles pro eo quod prædicationem Ecclesiæ despiciunt, tanquam vulnus adjunctum vulneri suscipient Antichristum, sic reprobi intra sanctam Ecclesiam constituti, quia Christum juste confitentur, operibus denegant, dignum est ut, imminente persecutionis articulo, professionem amittant, quam sola gerunt lingua, et characterem habeant in fidei abnegatione, quem dudum occulte habebant in operibus manuum, eumdemque Antichristum manifeste sequantur, post quem dudum occulte ambulabant.

Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tanquam mortui. In mari aqua est, et ideo primum videndum quid sit aqua, et deinde quomodo conversa sit in sanguinem. Lex enim Veteris Testamenti aqua est, conversa deinceps in vinum per Christi nuptias. Data est quippe Judæis Scriptura dulcis aqua, qua salvari possent credentes in Christum sibi promissum, sed illi verterunt eamdem Scripturam in amaritudinem infidelitatis, negantes Christum, et morti tradentes, et in sanguinem, hoc est, in carnalem intellectum vertentes. Factum est ergo illud mare sanguis, sicut vere sanguis est in corpore mortui hominis, quia veraciter in sui perniciem ipsi verterunt legem, dum eam semper carnaliter voluerunt intelligere, et nunquam ad spiritualem sensum transire. Sed hac labe illi periculosius perire probantur, qui in sui damnationem ante faciem Pilati Christum negantes, dixisse referuntur : *Sanguis hujus super nos et super filios nostros* (*Matth.* xxvii). *Et omnis anima vivens mortua est in mari.* Hic a toto pars intelligitur. Neque enim omnes sub carnali sensu legis moriuntur, quia nunc multi Dei gratia ea quæ illis in figura contingebant, spiritualiter intelligunt. Tale est et illud, *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* xiii). Nam et in hoc mari, id est in sacra Scriptura, continetur vita piscium centum quinquaginta trium qui capti sunt reti apostolorum. Hoc est enim pisces reti apostolorum capi, quod est, in electorum parte aquas in sanguinem minime converti. Omnis ergo anima mortua in mari, pro his tantum accipienda est, qui in lege nihil aliud nisi litteram attendunt, sicut Judæi, qui maxime ex eo tempore non sunt mortui, quo cœperunt vivere fideles per sensus spirituales.

Et tertius effudit phialam suam super flumina et super fontes aquarum, et factus est sanguis. Quod est primus angelus, hoc secundus, hoc tertius, hoc denique omnes, id est cuncti prædicatores. Porro per flumina et fontes aquarum gentiles significantur, sicut supra per mare. Fluvius ab initio sui ad inferiora tendit, et in mare diffunditur, sic et gentilitas in infidelitate præventa, cucurrit ad mortem, sed ipsa gentilitas in suis philosophis accepit phialam suam, id est, sacram Scripturam et Dei notitiam, sicut, verbi gratia, Plato a Jeremia in Ægypto positus, cognovit quod Deus omnipotens fecerit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, sed hanc phialam vertit in sanguinem, id est in pravitatem erroris, dicens quod cœlites (id est angeli) fecerint cætera, id est, minorem creaturam. Virgilius quoque ex Danielis volumine didicit quatuor regna a Deo præordinata, ex quibus unum est aureum, sed convertit hoc in sanguinem, cum retulit hoc ad Saturnum et Jovem, ipsosque dixit conditores regnorum ipsorum ; hinc doctor gentium loquitur dicens : Sapere secundum carnem mors est, et rursum, sapientia carnis inimica est Deo.

Et audivi angelum aquarum. Id est, nuntium populorum, quia, sicut in sequentibus legimus, aquæ multæ populi multi sunt. *Dicentem : Justus es qui eras sanctus.* Præteritum tempus positum est hic

pro tribus temporibus, id est, pro præterito, præsenti et futuro. Qui eras sanctus, justus es et eris. Quæ justitia in hoc manifestatur, cum subditur : *qui hæc*, inquit, *judicasti quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt et sanguinem eis dedisti bibere*. Justum enim est apud te, ut quia sanguinem sanctorum tuorum effuderunt, ipsi sanguinem bibant. Hoc est vindictam effusi sanguinis sustineant, et in tui cognitionem minime perveniant hi qui, bona sibi annuntiantes, non solum non audierunt, verum etiam crudeliter peremerunt. Quod intelligendum est tam de Judæis quam de gentibus. Judæi enim fuderunt sanguinem sanctorum prophetarum, sicut interfecerunt Ezechielem, et Isaiam secuerunt, Jeremiam lapidaverunt. Unde et Stephanus eis in contentione, quam cum illis habuit improperat, dicens : Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu justi. Gentiles quoque similiter multum sanctorum martyrum sanguinem fuderunt, sicut Nero crucifixit Petrum, decollavit Paulum et multos alios. Hi omnes justo Dei judicio postea biberunt sanguinem, id est, vindictam sanguinis pertulerunt : vel in præsenti, sicut Judæi et ipse Nero, ut perderent et præsentem vitam et futuram : vel in inferno damnati, et perpetuis cruciatibus traditi. Unde Dominus in Evangelio dicit : Requiretur sanguis omnium sanctorum a generatione hac reproborum, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ. Aliter : Sanguis sanctorum prophetarum intelligitur spiritualis sensus illorum. Qui igitur sanguinem prophetarum vel cæterorum sanctorum fuderit, id est, qui spiritualem illorum sensum in terrenum intellectum converterit, sanguinem bibet, id est, vindictam sanguinis sustinebit. Hoc est, quidquid vitale habere videtur, perdet, et in carnali sensu remanebit justo Dei judicio. *Digni enim sunt*. Dignum est enim, ut is qui spirituale vinum bibere noluit, corruptionibus vitiorum tanquam sanguinibus debrietur.

Et audivi alterum. Subauditur, verbum, *dicens : etiam*, *Domine Deus omnipotens*, *justa et vera sunt judicia tua*. Non dixit, audivi alterum dicentem, ne angelum intelligeremus, sed, *Audivi alterum dicens*, id est, alterum verbum ab eo repetitum. Ipse enim angelus qui præcedentia dixerat, adjunxit et hoc verbum, dicens : *Etiam*, *Domine Deus omnipotens*, *justa et vera sunt judicia tua*, quia justum est ut qui sanguinem fuderunt, sanguinem bibant, id est, vindictam sanguinis sustineant. Potest hoc specialiter de hæreticis intelligi, ex quorum ore abundantia eloquiorum tanquam flumina decurrere videtur. Sed hi qui sanguinem sanctorum et prophetarum fundunt, in sanguinem conversi, sanguinem bibunt : quia dum verba legis, et prophetarum eloquia, dictaque apostolorum in falsos sensus commutant, agente persecutionis articulo, ipsum nomen Christi, quod falso tenebant, amittunt, serviendo publice vitiis carnis. Dicatur itaque : Justus es qui eras sanctus, qui hæc judicasti, et cætera, tanquam diceretur : Quia verba legis, eloquia prophetarum, dictaque apostolorum depravantes, quasi ipsos occiderunt, dignum est ut per temporalia (quæ ante calcaverunt) flagella ipsum sanguinem, quem effuderunt, quo et animas suas cruentaverunt, coram hominibus bibant, id est nomen tuum quod falso colebant, publice negent, et corruptionibus carnis, quasi inanis gloriæ appetitu refrenaverant, iterare præsumant.

Et quartus angelus effudit phialam suam in solem. Sol in sacro eloquio diversas habet significationes, et ponitur in bono et malo. Aliquando significat Christum de quo scriptum est : *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ (Zach.* III), aliquando significat et tribulationem præsentis vitæ, juxta quod in parabola iacti seminis dicitur, quia aliud cecidit supra petram, et statim ut ortus est sol, exaruit. Hic autem solem intelligamus ipsum damnatum hominem, qui se in novissimis diebus solem justitiæ, mentietur, cum sint in eo densissimæ tenebræ et umbra mortis. In solem itaque angelus phialam effundit, quando prædicatores adversus Antichristum et ejus ministros verbum prædicationis proferunt. *Et datum est illi æstu afficere homines et igne*. Hoc ad utrumque potest referri. Æstus persecutionem significat gravem, qua Antichristus afficiet homines, id est, sanctos qui in fide permanserunt, sicut Eliam et Enoch. Datum est illi a Deo, id est, permissum est afficere homines æstu et igne, id est, persecutione validissima, qualis nunquam fuit neque fiet, sicut Dominus in Evangelio dicit. Unde subditur :

Et æstuaverunt homines æstu magno. Quia, sicut dictum est, erit tunc tribulatio *qualis non fuit*, *neque fiet*, *ita ut in errorem inducantur*, *si fieri potest*, *etiam electi (Matth.* XXIV). Aliter : Ipsi qui cruciabuntur, afficient eos æstu, id est, ira magna et angustia, a quibus sibi illata fuerint tormenta, quia ante poterunt occidi, quam a fide Christi separari : dumque insuperabiles eos viderint, ipsi magno æstuabunt æstu iracundiæ, indignantes illis, quos inter tormenta constantes viderint. Quod etiam factum est in persecutione sanctorum martyrum, sed tunc fiet tanto validius, quanto gravior erit tribulatio. Amplius quippe isti, id est, reprobi cruciabuntur in anima quam sancti in carne. Illi inter tormenta redibunt, isti dentibus stridebunt. Illi Deum laudabunt, isti pene exanimes fient : sicque æstu afficient homines humana sapientes id est, flammis invidentiæ et malignitatis eos consumi facient, insuperabiles usque ad mortem manentes. Unde subditur : *Et blasphemaverunt nomen Domini, habentis potestatem super has plagas*. Dum enim sanctos patienter et firmiter viderint perseverare in fide usque ad mortem, et gaudenter pergere ad passionem blasphemabunt Dominum. Qui propterea super has plagas potestatem habere dicitur, quia a quo vult, amovet eas : et super quos vult, justo judicio permittit, juxta illud : *Induravit Dominus cor Pharaonis (Exod.* XI.)

Neque egerunt pœnitentiam. Quare non egerunt pœnitentiam? quia non potuerunt; quare non potuerunt? quia noluerunt: et ideo noluerunt, quia non potuerunt. Aliud dicit beatus Ansbertus Ambrosius: Si millies a me quæratur quare non egerint pœnitentiam, non respondebo. *Ut darent illi* claritatem; id est, ut se peccatores recognoscerent, et Dei justa judicia collaudarent. Ille enim claritatem Deo dat, qui et se pro suis iniquitatibus accusat, et ejus justa judicia collaudat. At contra iniquorum mos est, ut suas iniquitates defendant, et Dei judicia reprehendant.

Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ: et factum est regnum ejus tenebrosum. Quod est sedes bestiæ, hoc est regnum illius, id est omne corpus diaboli, mali videlicet præpositi cum subjectis sibi plebibus. Diabolus autem bestia vocatur, quia aut latenter insidians, aut aperte sæviens, agnum (id est corpus Christi) invadere nititur. Quod autem dicit: *factum est regnum ejus tenebrosum*, tale est quasi dicat: non est illuminatum, quia videlicet præcedentibus meritis non merentur illustrari. Et ipsi præcedentium delictorum jaculis vulnerati sunt, quibus illorum corda vulnerantur. Unde sequitur: *Et commanducaverunt linguas suas præ dolore.* Quod juxta litteram nullatenus stare valet, ut alterius linguam quis laniare possit, qui suam præ doloribus manducat. Sic enim dicitur quod *commanducaverunt linguas suas præ dolore*, tanquam diceretur: singuli et suam et alterius linguam dilaniaverunt, sed *commanducaverunt*, nihil est aliud nisi: sub luce et aperte blasphemias contra Christum protulerunt, hortantes se invicem ut Antichristum confiterentur juste, et Christum blasphemarent injuste, unde et subjungit:

Et blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus et vulneribus suis. Cum enim prædixerit, *commanducaverunt linguas præ dolore*, et deinde subjunxerit, *blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus suis*, ostendit hoc esse linguas commanducare, quod est mutua exhortatione Deum cœli blasphemare. Dolor quippe iste insensibilis est, id est peccatum infidelitatis, quod infideles dolent, non sentientes dolorem suum, veluti phrenetici patiuntur injuriam, et putant se esse sanos, et quia peccato infidelitatis noluerunt recedere, ad hoc scelus usque prolapsi sunt, ut Deum cœli blasphemarent. Ista autem blasphemia dupliciter agitur, voce scilicet, et cordis obduratione; et quamvis perniciosa sit oris blasphemia, tamen perniciosior est cordis obduratio. *Et non egerunt pœnitentiam ab operibus suis.* Ac si diceretur: Ita vehemens dolor ex plaga blasphemiæ eos depressit, ut ad fructuosam pœnitentiam surgere nullatenus possent, quia semetipsos obdurantes, ad pœnitentiam noluerunt reverti.

Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, et siccavit aquas ejus. Euphrates fluvius est Babyloniæ, qui (ut fertur) Babyloniam ingrediens, plures dividitur in rivos. Qui fluvius sæpe in malam partem ponitur. Unde est: *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus (Psal.* CXXXVI). Jeremias quoque dicit: *Sacrificium Domini sabaoth in terra Aquilonis, in flumine magno Euphrate.* Per flumen itaque magnum Euphratem, potentia istius sæculi exprimitur, et omnis malorum multitudo, contra quos sancti prædicatores indesinenter loquuntur. Dividitur hic fluvius in multos rivos, quia malorum multitudo per multa dividitur crimina. Alii enim sunt homicidæ, alii adulteri, alii diversis criminibus maculati. Siccabitur aqua ejus, quia possibilitas peccandi auferetur. Cum enim damnati cum diabolo et angelis ejus fuerint reprobi, omnis facultas peccandi auferetur, non tamen voluntas mala deerit, quia si fieri posset, æternaliter vivere æternaliter peccare, æternaliter vellent sanctos persequi et tribulari. Unde et Dominus nequaquam dicturus est illis repulsis: *Discedite a me*, qui operati estis iniquitatem, sed *qui operamini.* Tanquam dicat: Qui nunc usque voluntatem malam operandi habetis. Unde Psalmista dicit: Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum. Si enim fieri posset, sicut Nero interfecit Petrum in hac vita, sic illum vellet interficere in judicio. Dicatur ergo de angelo: Effudit phialam suam in flumen Euphratem, et siccavit aquam ejus. Ac si diceretur: oblata vitæ cœlestis prædicatio, in tantam reprobos malitiam excitavit, ut cum eis de exercenda malitia nihil remanserit, voluntas tamen iniqua permanserit. *Ut præparetur via regibus ab ortu solis.* Reges isti sancti intelliguntur, qui se et alios bene regunt, et motus suæ carnis regendo restringunt, qui idcirco ab ortu solis venire dicuntur quia a Domino vocantur qui est verus sol justitiæ. Ut autem his regibus præparetur via, prius exsiccatur aqua Euphrates, quia nisi prius malorum nequitia fuerit consummata, nequaquam ad judicandum apparebunt. Per hos quippe transeunt, cum impletam eorum nequitiam dijudicant, ablataque omni facultate peccandi, ipsi post eorum damnationem remunerabuntur, qui eos sunt judicaturi. Prius enim audient isti: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum;* deinde illi: *Venite, benedicti Patris mei*, etc. *(Matth.* XXV). In alia translatione habetur: *ut præparetur via venienti Regi ab ortu solis*, Christo scilicet, de quo Propheta dicit: *Ecce vir oriens nomen ejus.* Cui venturo ad judicandum, ipsi de quo dictum est modo via præparabitur.

Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum exisse. Quod est draco? hoc est bestia, hoc et pseudoprophetæ, id est diabolus cum omni corpore suo; tamen propter distantiam personarum et potestatem illa commemorat, quæ majorem potestatem habent in ipso malorum corpore, draconem scilicet, id est diabolum, bestiam, Antichristum: pseudoprophetam, doctores ejusdem damnati hominis cum subjectis plebibus. De horum omnium ore egrediuntur tres spiritus, quod nihil est aliud nisi unus spiritus. Tanta quippe unitas malitiæ est in omnibus

dæmonibus, ut cum multi sint potestate et malitia, A in unum tamen redigantur, quia diverso modo homines impugnant. Unde unus dicitur spiritus mendax, alius spiritus fornicationis, tertius spiritus immundus. Idcirco tres spiritus immundos se vidisse dicitur, pro numero, scilicet partium ejusdem corporis. Bene autem spiritus immundus dicitur propter peccata gravia, quibus sordidatus est, et alios coinquinare non cessat. Sed quia caput et membra unum sunt, id est diabolus et omnes iniqui, ipsi qui spiritus immundi, ipsi sunt draco, bestia, et pseudopropheta. Exivit ergo de ore draconis bestiæ et pseudoprophetæ, id est de seipsis ad apertam blasphemiam contra Christum, et ad apertam persecutionem contra sanctos illius. Nunc enim dum latent et aperte sævire non audent, quasi intra semetipsos conquie- B scunt. Cum autem diabolus ingressus fuerit perditum hominem, tunc egredientur ad apertam blasphemiam (sicut diximus) et sanctorum persecutiones. Nec vacat quod idem spiritus in modum ranarum dicuntur egressi. Ranæ quippe molestiam hominibus inferunt, strepitum faciunt, quietem hominibus auferunt, et in cœno versantur. Tales erunt ipsi ministri Antichristi, qui non loqui, sed potius garrulis vocibus strepere videbuntur. Omnem quoque quietem auferent ab electis, dum eos ubique graviter insequentur, et in cœno, hoc est, in immunditia peccatorum devolvent.

Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa. Ipsi quippe dæmones per eos quos inhabitabunt facient signa, aut vera Dei permissione, aut falsa, quibus C reprobi justo Dei judicio decipiantur: sicut olim faciebant magi, qui videbantur homines resuscitare a mortuis, sicut Simon fecit in conspectu Neronis. Nam et de hoc Dominus dicit in Evangelio: *In illis diebus consurgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et facient signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur si fieri potest, etiam electi (Matth.* XXIV). Sed non sine causa isti qui signa faciunt, in modum ranarum procedere dicuntur. Legimus quippe in historia Veteris Testamenti quod Moyse signa faciente, fecerunt et magi similiter usque ad signum ranarum. Verbi gratia, primum Moyses projecit virgam, quæ versa est in draconem; fecerunt et malefici similiter suis incantationibus, licet virga Moysi devoraverit virgas illorum; deinde convertit aquas Nili in sanguinem; D fecerunt et ipsi similiter aquas cisternarum quas sibi foderant Ægyptii, non volentes bibere de aqua fluminis. Fecit etiam Moyses ascendere ranas super terram, quod et ipsi facere suis magicis artibus sunt permissi. Ubi vero terræ pulvere virga percusso cyniphes processerunt, incantationes quæ jam tertio prævaluerant, pœnitus evanuerunt. Unde et superati dixerunt: *Digitus Dei est hic (Exod.* XI) Ita ergo et isti usque ad signum ranarum pervenient, ibique deficient, ac superati quiescent, quia insipientia eorum, illius videlicet damnati hominis et pseudoprophetarum manifesta erit sicut et illorum fuit; unde et Apostolus dicit: *Quemadmodum Jamnes et Mambres resisterunt Moysi, ita et isti resistent veritati (II Tim.* III). Sed ista signa (sicut dictum est) aut erunt vera ex Dei permissu, aut falsa, quibus reprobi propter peccata præterita decipi merentur, unde non in conspectu sanctorum hoc facere dicuntur, sed in conspectu hominum, sicut supra dictum est, id est in conspectu illorum, qui non sapiunt ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. At in conspectu electorum muti apparebunt, nec poterunt procedere ultra definitum signum ranarum. *Et procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.* Quod in tribus immundis spiritibus unus diabolus designetur, ex hac processione manifestatur, de qua alibi scriptum est: *Cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet reges et gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ (Apoc.* XX). Reges autem hic in malam partem noverimus positos, id est principes et divites hujus sæculi, qui sunt membra Antichristi. Quomodo ergo procedunt ad eos, si ipsi sunt in quibus dæmones habitant? sed per ipsos procedunt ad ipsos, ad apertas scilicet blasphemias, ad persecutionem commovendam. Unde sequitur: Congregare illos in prælium contra Deum et sanctos illius. Quo autem loco congregabit? nunquid in unum venturi sunt, ut qui sunt in occidente transeant in orientem, aut rursus ab oriente in occidentem? Non; sed in unum consensum, et in unam malam voluntatem congregabuntur. Propter unitatem quippe malitiæ illorum hoc dicitur, quia quod unus facit hoc et reliqui Dies autem ista ad quam congregabuntur in prælium, novissima intelligitur persecutio, quando diabolus et membra ejus aperte blasphemiis contra Christum, et persecutionibus pugnabit contra ejus Ecclesiam. Facit enim nunc bellum, sed occultum, quia ligatus est. Si ergo tanta facit ligatus, quanta putamus eum facere solutum? Tunc congregabit eos in prælium, quando gravissimas excitabit adversus eos persecutiones, unde bene ipsa dies magna et Dei vocatur, quia videlicet tunc agnus victor cum suis contra ferocissimas bestias pugnabit.

Ecce venio sicut fur. Istum vero adventum et quotidianum possumus intelligere et generalem; quotidie quippe venit Christus ut fur, quando improvisa morte subito dum non sperat homo moritur. In die etiam judicii *sicut fur*, id est repente veniet, quia cum dixerint pax et securitas, tunc ejus repentinus superveniet interitus. Beati autem sunt illi, qui sive quotidie dum transeant per mortem, sive etiam tunc venientes ad generalem resurrectionem, parati inventi fuerint. Hinc in Evangelio ipse dicit: *Vigilate, ne cum venerit Dominus repente, inveniat vos dormientes* (*Marc.* XIII); et alibi: *Dies Domini sicut fur ita in nocte veniet* (*I Thess.* V). Unde hic quoque subjungitur: *Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua ne nudus ambulet.* Vigilat, qui ad aspectum superni luminis mentis oculos apertos tenet; vigilat ut beatus Gregorius dicit) qui servat operando quod credit. Hæc autem vestimenta quæ vigilanti

studio monentur servari, sacramenta sunt baptismatis. Vestimenta sua conservat qui baptismum non iterat. Vestimenta etiam sua custodit qui ea quæ in baptismo promisit, implere satagit. Ista sunt vestimenta immortalitatis et innocentiæ, quibus primus homo in paradiso exspoliatus fuerat, sed iterum per occisum vitulum saginatum, id est per passionem Filii Dei, in baptismo eadem vestimenta recipit. Servat igitur hæc vestimenta quisquis gravioribus peccatis se non commaculat. Quod si hæc amitti peccatis impedientibus, et fragilitate carnis cogente contigerit, habet adhuc baptismum secundum, quo mundari possit, compunctionem scilicet fontemque lacrymarum. De quo baptismate gemino Psalmista dicit : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, in baptismate primæ regenerationis, *et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI), per compunctionem cordis. Est et aliud vestimenti genus, quo vestiuntur electi, charitas scilicet, de qua dicit Jacobus : *Charitas operit multitudinem peccatorum* (*Jac.* V). Hoc vestimento erat ille exspoliatus, quem ejecit rex a conspectu nuptiarum, sicut Evangelium testatur dicens : *Quia intravit rex ut videret discumbentes* (*Matth.* XXII). Beatus igitur qui custodit vestimenta sua, id est, fidem quam in baptismo percepit, et innocentiam vitæ, et charitatem, cæterasque virtutes, ne nudus ambulet, hoc est ne his exspoliatus, turpiter cum diabolo damnetur. *Et videant turpitudinem ejus*, id est omnibus appareat peccatum illius.

Et congregabit eos in locum, qui Hebraice dicitur Armageddon. Redit ad ea quæ superius prætermiserat de spiritibus immundis, qui processerunt ut reges totius terræ in prælium convocarent. Et quia in tribus unus intelligi debet, a plurali numero revertitur ad singularem, dicens : *Congregabit eos in locum, qui Hebraice dicitur Armagedon.* Tale est et illud Evangelii, quando dum Dominus hominem a legione liberaret, interrogavit tanquam unum dicens : Quod tibi nomen est? Cui ipsa unitas unita respondens, ait : Legio nomen mihi est. Et subdendo, multi sumus, ipsam unitatem ostendit ex multis constare. Armagedon interpretatur *consurrectio testium iniquorum*, vel *mons a latrunculis*, sive *mons globosus.* Testes iniqui omnes sunt ministri Antichristi, qui bene iniqui dicuntur, quoniam inique confitentur Christum esse Antichristum, et inique Antichristum confitentur Christum. In consurrectione testium iniquorum congregabit eos Antichristus, quia ad hoc eos ad partem suam trahet, ut contra Christum verba blasphemiæ et iniquitatis proferant. Ad istorum testium iniquorum numerum pertinent illi, de quibus Dominus dicit in psalmo : *Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi* (*Ps.* XXVI). Dicitur etiam Armagedon *mons a latrunculis.* Mons Christus appellatur a fidelibus, juxta quod in Isaia propheta habetur : *Venite, ascendamus ad montem Domini* (*Isa.* II). *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Mich.* IV), id est Christus qui supereminet meritis omnium electorum. Et sicut Christus appellatur a fidelibus mons, ita Antichristus appellabitur mons, id est Christus a latrunculis, hoc est a suis ministris, qui furantur fidem rectam a cordibus fidelium. Mons quoque globosus appellatur Antichristus, propter multitudinem populorum sibi adhærentium, vel quia quoscunque prava seductione illicit, globosi vocantur, quia diversos ostendit errores in suo corpore, dum hinc aperte sævit, illinc fraudulenter decipit. Quasi enim unum bellantium globum contra electos emittit, dum eos per temporalem potentiam affligit. Sed dum ejus insana potentia contemnitur, fortiorem dimittit, cum per miracula et falsa prodigia illaqueare fingit.

Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem. Qui est septimus ipse est et primus, quia in uno omnes intelliguntur, et in septem angelis, ut supra dictum est, omnes prædicatores Ecclesiæ figurantur, qui effundunt phialam suam in aerem, id est prædicationem suam contra dæmones, per hunc aerem discurrentes spargunt, juxta illud Apostoli : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI). *Et exivit vox magna de templo a throno dicens : Factum est.* Vox ista vox Dei omnipotentis intelligitur. Templum autem et thronus unum est, id est sancta Ecclesia, quam Dominus et inhabitando præsidet, et præsidendo inhabitat. Inhabitat sicut in templo, præsidet sicut in throno. A sedente ergo in throno atque inhabitante in templo vox ista procedit, quia ejus judicio consummantur omnia. *Factum est*, inquit, id est finitum est regnum Antichristi, et completa est damnatio reproborum. Quod vero sequitur :

Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et cætera quæ sequuntur, ejusdem persecutionis tempus recapitulatum comprehenditur. Fulgura itaque miracula significant, quæ facturi sunt ministri Antichristi, ut terrorem incutiant hominibus. *Voces* autem exhortationes appellantur illorum, quibus suadebunt hominibus Antichristum credere Deum. At vero tonitrua comminationes et tormenta intelliguntur, quibus multos decipient. Terræmotus vero magnus, persecutio magna validissimaque intelligitur, unde dicitur : *Qualis* terræ motus *nunquam fuit*, id est sic magnus. *Ex quo homines fuerunt in terra.* Hoc etiam et Dominus manifestat, quando in Evangelio dicit : *Erit tunc tribulatio qualis non fuit ab initio sæculi* (*Marc.* XIII). Possumus et ista in bonam partem, hoc est ad prædicatores veritatis referre, qui ista omnia complebunt spiritualiter, ad confirmanda corda electorum, et terrendos animos reproborum. *Fulgura* sunt eorum miracula, quæ illuminant fideles et terrent infideles ; voces illorum exhortamenta pietatis ; tonitrua comminationes futuri judicii ; terræmotus vero motionem illorum significat, qui per eorum prædicationem ab infidelitate ad fidem moventur.

Et facta est civitas magna in tres partes. Ab exordio mundi usque ad finem sæculi duæ civitates ædificari

videntur, quarum una est Dei, altera diaboli : una quæ ab Abel justo cœpit, et ad novissimum electum tendit; altera quæ a Cain impio initium sumpsit, et in ultimo reproborum terminabitur. Hinc autem civitas magna, civitas intelligitur diaboli, quæ magna dicitur propter multitudinem populorum, vel propter enormitatem scelerum. Hæc civitas hoc in loco in tres partes dividi pronuntiatur, non quo et ante divisa non esset, ut tunc solummodo dividatur, sed quo certum sit ex quibus hominum qualitatibus ipsa constet, hoc est paganorum in gentilitatis errore adhuc manentium, atque hæreticorum et Judæorum, qui pro uno accipiuntur, falsorum quoque Christianorum, qui in sinu Ecclesiæ modo latent : *Et civitates gentium ceciderunt*. Hic genus in speciem dividitur; nam quod superius per unam, hoc nunc significatur per plures gentium civitates. Hoc est enim una civitas Babylon, quod multæ civitates gentium, sicut hoc est una Ecclesia quod septem. Et quod dicit *civitates gentium ceciderunt*, hoc est quod in sequentibus dicitur : *Cecidit, cecidit Babylon*. Quæ licet quotidie cadat in reprobis, tamen generaliter in fine sæculi damnabitur, et cadet cum audierit a Domino : *Ite in ignem æternum. Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.* Deus omnipotens non patitur aliquam oblivionem, aut recordatur, quia immutabilis est, sed condescendit humanæ fragilitati sermo divinus, dum hos Deo dicit inesse humanos affectus, veluti patres et matres solent balbutiendo condescendere filiis, ut facilius intelligantur ab eis. Sciendum est autem quia omnipotens Deus ex quadam parte obliviscitur nunc electorum, ex quadam vero recordatur. Dum enim eos pro bonis actibus in præsenti non remunerat, quasi obliviscitur eorum : dum autem mala illorum per flagella purgat, illorum recordatur. In futuro autem judicio aliter erit, cum recordabitur bonorum illorum ad hoc, ut eos remuneret: mala vero illorum, quia hic per flagella sunt punita, oblivioni tradet; et ideo unde nunc obliviscuntur, tunc recordabuntur ; et unde nunc recordantur, inde tunc obliviscentur. At contra reprobis aliter continget, quorum Deus omnipotens in præsenti recordatur ad hoc, ut si boni aliquid faciunt, in præsenti remunerentur, non recordatur ad hoc, ut flagella pro suis sceleribus sustineant. In futuro vero judicio recordabuntur, ut pro suis peccatis igni perpetuo tradantur ; non recordabuntur ad hoc, ut pro aliquo bono opere remunerationem percipiant. Unde et hic bene dicitur : *Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.* Per calicem indignationis, pœna intelligitur infernalis, quæ omnibus dabitur reprobis cum suo capite damnatis. In hac autem pœna innumerabilia erunt tormenta, ignis videlicet, frigus, vermes immortales, et fetor intolerabilis, cæteraque hujusmodi cum densissimis tenebris, de quibus scriptum est : Inutilem servum mittite in tenebras exteriores.

Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. Significant enim sanctos, qui fluctibus istius vitæ tunduntur undique, et terræ supereminentes, mente cum Apostolo cœlestia petunt : Unde Psalmista : *Levavi oculos meos in montes* ; et alibi : *Montes in circuitu ejus* (*Psal.* CXXII, CXXIV); et Propheta : *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Mich.* IV). Isti fugiunt societatem malorum non corpore, quia non possunt, sed mente. Corpore enim in medio peccatorum morantur, mente autem ab eorum consortio longe distant. Quibus per Prophetam dicitur : *Exite de illa*, hoc est de Babylone, populus meus, *et immundum ne tetigeris* (*Cor.* II). Sed quod tunc facturi sunt corpore, quando ex toto ab eis separabuntur, hoc nunc mente faciunt, quia ab eorum reproba vita longe per meritum distant. *Non sunt inventi*, id est in societate malorum non sunt per vitæ communionem reperti.

Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines Talenti genera sunt tria : unum scilicet centum vigenti librarum; aliud septuaginta duarum; tertium quinquaginta. Sed hic tantum medii talenti fit mentio, quod continet septuaginta duas libras. Quid autem per grandinem, nisi sententiam omnipotentis Dei intelligere debemus ? unde scriptum est : *Ira Domini sicut grando descendens.* Quæ bene ut talentum memoratur, quia videlicet ex septuaginta duabus linguis peccantes reprobi damnabuntur, nullusque ad mortem præscitus hanc mortem evadet. Talenti enim ponderis pro magnitudine vindictæ, ipsa grandinis ira fuisse perhibetur. Qua videlicet ira non nisi præcedentis culpæ merito infligitur. Præcedit ergo peccatum in hominibus cujus merito grando descendit de cœlo. Descendens autem plaga magna reprobos vulnerat, quia ipsa districti judicis ira agitur, ut qui peccatum commissum manu pœnitentiæ cito non tergunt, in aliud deterius cadant. Ex illo quippe judicio, culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, ut pejus et alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est simul et plaga ac pœna peccati, quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in alio cadat. Quem enim liberare noluit, deserendo percussit. Sed ut manifestius hoc fiat, dicamus sub exemplo : Populus Judæorum de accepta Dei lege superbiens, per tumorem cordis pervenit ad malum negationis. Si enim ex superbia qua tumuit pœnitentiam ageret, peccatum solummodo fuisset. At quia per tumorem pervenerunt ad Christi negationem, non solum peccatum est, sed peccatum simul et causa peccati, quia ex se aliud genuit. Per quam etiam causam lapsi sunt in pœnam peccati, ut qui Christum sibi promissum suscipere noluerunt, suscipiant quandoque Antichristum, ipso Domino dicente : Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me, alius veniet in nomine suo, illum vos suscipietis. In tumore itaque de legis observantia Antichristi susceptione publicus Christi contemptus peccatum et plaga est, et causa peccati. Peccatum vero est per semetipsum; plaga autem peccati est, quia præcedens

culpa tumoris illud inflixit. Causa vero peccati, quia subsequentem culpam, quæ diabolus in Antichristo adorandus suscipitur, ex se genuit. *Et blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis*. Ac si diceret : Ira districti judicis actum est, ut qui veritatem non receperunt, ut salvi fierent, operatione horroris famulatum exhibeant ut pereant. Propter plagam quippe grandinis Deum blasphemare est propter præcedens peccati meritum, ira superni judicis permittente, blasphemiæ plagas incurrere, sic enim dicitur : Blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis, tanquam diceretur : Ideo blasphemaverunt, quia ipsius blasphemiæ plagas a grandine incurrerunt, vel per grandinem incurrerunt ; A per grandinem validissima exprimitur tribulatio temporibus Antichristi futura. Mutato enim subito sensu, cum loqueretur de damnatione reproborum, super quos ira Dei descendit, revertitur ad tempora Antichristi, quibus tanta erit grandinis afflictio, ut multi timentes pœnas sibi præpositas recedant a fide Christi, et blasphement Deum propter plagam grandinis. Nunc autem quia finis earumdem plagarum esse affuturus dicitur, et hic liber congruo fine terminetur, propter tormenta validissima et exquisita. *Quoniam magna facta est vehementer*, ita ut nec ante talis fuerit, nec postea futura sit, sicut Dominus in Evangelio dicit : *Erit tunc talis tribulatio qualis non fuit, nec postea fiet* (*Marc.* XIII).

LIBER SEXTUS.

CAPUT XVII.

Et venit ad me unus ex septem angelis, qui habebant septem phialas, et locutus est mecum, dicens : Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ. Angelus in hoc loco personam gerit Christi, qui est nuntius paternæ voluntatis : Joannes autem typum tenet Ecclesiæ. Quod dicitur Joanni ab angelo, dicitur quotidie omni Ecclesiæ a Christo. Ubi notandum quod et angelus ut Joannem doceat venit, et idem Joannes ut docendus veniat, invitatur. Venit angelus ad Joannem, id est Christus ad Ecclesiam, quando sive per internam inspirationem, sive per doctrinam apostolorum et cæterorum sanctorum eam invitat Christus ad consideranda tormenta reproborum, justo Dei judicio parata. *Veni*, inquit, gressibus fidei et intelligentiæ, et considera damnationem meretricis magnæ, id est : attende damnationem reproborum. Venit Joannes, quando sancta Ecclesia præbet assensum, et intelligens verba doctorum, sive admonita inspiratione divina, considerant supplicia reprobis ventura. Porro meretrix hic Babylon intelligitur, id est omnis multitudo reproborum : sive per angelum qui invitat Joannem, intelligitur præcedens ordo doctorum, qui fuit in apostolis, martyribus, et cæteris Ecclesiæ principibus : per Joannem vero subsequens Ecclesia. Invitat itaque angelus Joannem ut veniat, et videat damnationem perfidæ civitatis, quia illi doctores qui præcesserunt, damnationem reproborum omnium suis sequacibus ostendere studuerunt, quatenus dum malos in hac vita florere, seque conspiciunt egere, ex eorum prosperitatibus nihil concupiscant, dum attendunt quæ mala illis immineant. Unde Paulus apostolus dicit : *Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis* (*Philip.* III). Duæ autem civitates sunt in hoc mundo cum suis regibus, sicut supra dictum est : id est Jerusalem et Babylon, cum Christo et diabolo. Quarum una constituta est supra firmam petram, altera autem supra arenam, atque idcirco una manet, id est civitas Christi, altera cadit, id est civitas diaboli. Quæ meretrix nuncupatur, quia veluti mulier B meretricatur, quando super virum suum introducit alienum, et prioris sponsi fœdera irrita facit, ita omnis multitudo malorum et facit et fecit, quando relicto Creatore, dæmonibus se prostituit construpandam. Relinquit enim Deum suum, qui est vir animæ, et jungit se adultero, id est diabolo, idola colendo, vel plus terrena quam cœlestia diligendo, sive etiam immunditiæ carnis serviendo. Et quia maxime per carnis libidinem, quæ mater est omnium vitiorum, genus humanum perit, idcirco ipsa malorum multitudo meretrix vocatur. *Quæ sedet super aquas multas*. Quia enim aquæ multæ, sicut in sequentibus legimus, populi multi sunt ; sedere super aquas multas, nihil est aliud quam regnare super populos multos, quia videlicet luxuria carnis multis dominatur, C et multos ad suam miseriam trahit, sed tamen diverso modo. Hinc est quod Dominus loquens ad beatum Job de diabolo, dicit : *Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo illius in umbilico ventris ejus* (*Job.* XL). Seminarium, quippe coitus virorum in lumbis est, mulierum autem in umbilico. Quando ergo viros decipit, in lumbis virtutem habere dicitur : quando autem feminas, in umbilico. Nam quod viris in lumbis sit seminarium, Deus manifestat, qui dicit fidelibus : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII). Et Paulus de Levi, qui adhuc in lumbis erat Abrahæ, quando obtulit ei decimas Melchisedec. Quod feminis in umbilico, Propheta manifestat, qui sub figura mulieris meretricis loquitur ad Jerusalem : *In die* (inquit) *ortus tui non est præcisus umbilicus tuus* (*Ezech.* XVI). Umbilicum quippe in die D ortus præcidere, est conversionis tempore carnis luxuriam resecare. Quia ergo diabolus utrumque sexum decipit, recte in lumbis vel in umbilico virtutem et fortitudinem habere dicitur. Sed sciendum quia, propter diversitatem causarum, diverso modo hoc facit, sicut supradictum est : verbi gratia, sunt quidam qui virginitatem suam Deo devoverunt, sicut monachi, canonici, et cæteri in gradu ecclesiastico positi, quam si postea concupiscentia carnis illecti corruperunt, deterius peccant, quam si hæc nunquam professi

fuissent. Sunt quidam conjugati, qui relinquentes proprium thorum, alienum violant, et adulterium perpetrant, et isti gravius peccant quam hi qui proprias uxores non habent. Tale genus est eorum qui incesta perpetrant cum propinquis, aut sororibus, sicut fecit Ammon cum sorore sua Thamar. Sunt et alii (quod est sceleratius et gravius) relinquentes naturalem usum feminæ, cum masculis se miscent vel pecudibus. Et licet genus humanum in multis offendat Deum, tamen in nullo gravius agit quam in isto quod contra naturam gerit. Quia ergo fornicatio, quæ est mater omnium vitiorum, in reprobis potestatem exercet, recte meretrix super aquas multas sedet. Et hæc quidem fornicatio ad concupiscentiam carnis, spiritualis vero pertinet ad concupiscentiam oculorum et in his omne peccatum agitur, juxta illud: *Omne quod in mundo, est concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum* (*I Joan.* II). De hac spirituali fornicatione Psalmista dicit: *Perdes omnes qui fornicantur abs te* (LXXII). Et breviter dicamus: quisquis plus terrena quam cœlestia, et ea quæ sunt in mundo concupiscit, fornicationem perpetrat.

Cum qua fornicati sunt reges terræ. Ipsi qui sunt reges terræ, ipsi sunt et meretrix, sed propter distantiam præpositorum et subjectorum dividitur in regibus, in terram inhabitantibus, cum tamen ipsi reges sint inhabitantes terram, hoc est, terrena diligentes, libidini servientes. Ipsi reges itaque fornicati sunt cum meretrice, hoc est cum seipsis, terrenos honores et voluptates appetendo et immunditiam carnis sectando, quia quo amplius comedunt et bibunt, eo amplius luxuriantur, unde et seipsos ipsum corpus meretricis efficiunt, juxta quod Apostolus dicit: *Nescitis quod hi qui adhærent meretrici, unum corpus cum ea efficiuntur?* (*I Cor.* VI.)—*Et inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus.* Per reges principes mali intelliguntur, per inhabitantes terram subjecti illorum qui inebriantur vino fornicationis, hoc est omnibus peccatis replentur; et reges sunt malorum auctores, inhabitantes vero terram, imitatores eorum accipiuntur. Recte autem incentiva carnis et fornicationis vino comparantur ebrietatis. Vino enim ebrius ita insensibilis efficitur, ut non solum animæ, sed etiam periculum mortis non trepidet, unde et audacter se in mortem mittit. Sic nimirum libido hominis sensum et rationabilem intellectum aufert, ut non metuat damnationem inferni, ideoque et audacter etiam contra suam conscientiam malum operatur, nec timet etiam pro peccato damnari, quod non potest prævidere, quia ipsum peccatum aufert illi rationabilem sensum.

Et abstulit me in desertum in spiritu. Hic manifeste ostenditur, quia hæc omnia beatus Joannes non corpore vidit, sed spiritu et mentis intellectu. Desertum, in sacro eloquio, aliquando significat cœlum, aliquando corda sanctorum, aliquando Deum omnipotentem, aliquando corda reproborum. Cœlum significat desertum, ut est illud in Evangelio: *Quis ex vobis homo qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ erraverat quærere* (*Matth.* XIII)? qui videlicet tunc homo cœlum deseruit, quando peccavit. Corda sanctorum significat, ut est: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV), id est, in secreto mentis. Sancti enim removent se ab omnibus istius sæculi curis, et efficiuntur ab his sollicitudinibus desertum, in solitudine suæ mentis a sæculi actibus vacantes. Aliquando Deum, ut illud Jeremiæ: *Quis dabit me in solitudine diversorum viatorum?* (*Jer.* IX.) Significat quoque desertum corda reproborum, ut est illud: *Quomodo sedet sola civitas plena populo* (*Thren.* I)? Si enim sola, quomodo plena? aut si plena, quomodo sola? sed sola, id est sine Deo. Hinc et Joannes dicit: *Vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini* (*Joan.* I). Jure enim vocantur desertum hi quos omnipotens Deus per gratiam non inhabitat. In hoc autem loco desertum intelligere debemus corda reproborum, absentia Divinitatis vacua. Angelus vero personam Christi gerit, ut supra, Joannes personam Ecclesiæ, quæ in desertum ducitur, quando sive per internam inspirationem, sive etiam per prædicationem doctorum ad consideranda reproborum merita trahitur, et propter eorum perversa opera justam illorum inspicit damnationem futuram. *Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam.* Ipsam vocat mulierem, quam paulo superius appellavit meretricem, id est omnium malorum congregationem. Bestia autem diabolum significat, super quem omnes reprobi sedent, qui eo hortante per diversa vitia currunt. Sicut enim civitas Dei super Christum est ædificata, sic illa civitas reproborum super diabolum. Quæ recte meretrix appellatur, ut ostendatur ex qua parte regnum diaboli amplius prævaleat. Bene etiam mulier dicitur, quia a muliere peccati sumpsit initium, per quam etiam, ut Scriptura testatur, morimur omnes. Super bestiam hæc mulier sedet, quia diabolo ducente prona fertur ad peccandum: ut verbi gratia, quando quilibet homo pergit ad interficiendum Dei servum, aut succendendam Ecclesiam, sicuti modo faciunt hi qui nostro tempore paganis sunt juncti, diabolus eum portat cui ipse insidet. Quod autem bestia coccinea dicitur, tam ad diabolum quam ad omne ejus corpus refertur: sive propter peccata innumerabilia, quibus est cruentatum; sive propter sanguinem sanctorum, quem fuderunt; sive etiam pro eloquiis divinarum Scripturarum male intellectis. De qua adhuc subditur: *Plenam nominibus blasphemiæ.* Ac si diceret: Nulla pars in ea blasphemiis vacat, quia voce simul et opere Deum et servos ejus blasphemat. Magis autem hoc fiet, postquam ille damnatus homo regnare cœperit, qui se Christum dicet esse, cum sic Antichristus. Tunc enim omne corpus illius maxime Deum blasphemabit, quia omnia quæ ante se fuerunt, dicet fuisse contraria, affirmans Christum fuisse Antichristum, apostolos illius pseudoapostolos et Antichristi ministros: et quidquid modo tenemus in veritate, totum ille et mem-

bra ejus negabunt, et mendacium fuisse dicent *Habentem capita septem et cornua decem*. Per septem capita (ut supradictum est) omnes reges mali, qui fuerunt ab exordio mundi usque ad finem sæculi, intelliguntur : quia septenarius numerus universitatem solet ostendere. Per decem autem cornua, omnia regna diabolo et Antichristo subjecta, unde et Daniel dicit: *Bestia quarta quartum regnum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis* (*Dan*. VII). Porro decem cornua ipsius regni decem reges erunt, quos videlicet hæc Apocalypsis in septem bestiæ capitibus ac decem cornibus commemorat. Et ipsi enim reges et regna, pars bestiæ sunt, quia Christum blasphemant et voce et opere. Unde Joannes idem in Epistola sua dicit : *Omnis spiritus qui solvit Jesum* in carne venisse, *ex Deo non est: et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam veniet, et nunc jam in mundo est* (*I Joan*. III); et alibi: *Nunc multi antichristi facti sunt*. Nec mirum si hoc significent septem capita, quod decem cornua, cum mulier meretrix, et aquæ multæ, et bestia, hoc totum unum corpus esse ostendatur: propter diversitatem enim scelerum nunc in septem bestiæ capitibus, nunc in decem cornibus, ipsa bestia dividitur quæ et fraude decipit, et vi premit : in virtute, scilicet per apertam potentiam, in signis vero et prodigiis mendacibus ac seductione iniquitatis, per hypocrisim simulatæ virtutis. Quod et generaliter de omni corpore malorum intelligere debemus, quamvis quidam hoc referant ad Neronem, asserentes eum ab inferis resuscitandum, et regnum futurum accipiendum.

Et mulier erat circumdata purpura et cocco, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis. Purpura regum est indumentum, et tingitur sanguine piscium maritimorum. Quid itaque per purpuram qua circumdabatur mulier debemus intelligere, nisi fucum regiminis? Quod enim Ecclesia habet in veritate, hoc isti simulate habebunt. Ecclesia namque habet purpuram et coccum, id est regiam dignitatem, quia habet regem Christum, et habet ex se etiam reges plures, quoniam et ipsa Ecclesia regnat per Christum Est enim genus electum et regale. Sed ista mulier meretrix, id est omnis multitudo malorum, dicit se habere purpuram cum non habet, id est se fingit habere reges, sicut fuit Nero, Domitianus, et cæteri malorum principes qui divitias istius sæculi, quæ malorum animos illiciunt, habuerunt : sed hi tales non fuerunt reges, quia neque se, neque alios bene regere potuerunt, quin potius et ipsi vitiis servierunt, et alios suo exemplo ad vitia perpetranda traxerunt. Habet quoque Ecclesia inauratam vestem, id est charitatem, sive etiam sapientiam de qua scriptum est: *Accipite sapientiam sicut aurum;* et Psalmista: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato* (*Psal*. LXIV). Ita et hæc mulier meretrix, cum sit stultissima, adhuc ut negligat quæ sibi in futurum prospera succedere debeant, dicit se esse sapientem, et gloriatur in libris philosophorum, et sapientia humani verbi. In lapide pretioso et margaritis virtutes significantur sanctorum, id est fides, spes, charitas, humilitas, mansuetudo et cæteræ hujusmodi, quibus ornantur fideles. Quæ ornamenta cum sola habeat Ecclesia, fallaciter sibi usurpare nititur hæc mulier perversa. Idcirco se hoc habere simulat quod non habet, ut quos non potuerit per potentiam trahere ad errorem, decipiat per simulatam sanctitatem, et fraudem verisimilem. *Habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione et immunditia fornicationis ejus*. Ipsa meretrix est poculum aureum propter simulatam sanctitatem, quam prætendit exterius, cum sit interius plena omni iniquitate et abominatione, unde et Jeremias dicit : *Calix aureus Babylon in manu Dei* (*Jer*. LI). Aurum enim simulatæ sanctitatis se per hypocrisim fingit, ut facilius ad immunditiam fornicationis quemlibet bibendum invitet. Talibus Dominus dicit : *Væ vobis, qui similes estis sepulcris dealbatis* (*Matth*. XXIII). Abominari quippe est abjici. Unde et in Psalmo dicitur : *Virum sanguinem et dolosum abominabitur Dominus* (*Psal*. V). Hæc ergo mulier plena est abominatione, hoc est plena est operibus nequitiæ, pro quibus digna est abominatione, hoc est abjectione, quod statim manifestatur, cum subditur : *et immunditia fornicationis ejus*. Ponitur hic fornicatio, quæ est radix omnium malorum, pro omnibus peccatis.

Et in fronte ejus nomen scriptum: Mysterium: Babylon magna mater fornicationum et abominationum terræ. Per frontem Babylonis, manifestatio designatur operis. Unde Dominus dicit: *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth*. VII). Nam quia Babylon, id est multitudo reproborum per hypocrisim simulat se esse quod non est, id est ostendit se aureum calicem, cum sit plena iniquitate et abominatione, ne superstitio erroris pallio simulationis falleret incautos, ex titulo frontis solliciti redduntur, cum ibi Babylon, id est *confusio*, scribitur. Unde videndum quare ipsum nomen mysterium appelletur Mysterium quippe occulta res esse dicitur in qua aliud videtur, aliud intelligitur. Opera quippe Babylonis quibusdam sunt in fronte, quibusdam in mysterio. Simplicioribus quidem qui ea prævidere et intelligere non possunt, mysterium est, quia occulta sunt eis, quæ a multitudine reproborum gerantur interius. Perfectioribus autem in fronte nomen suum ostendit, quia ejus omnia opera facile cognoscunt. Et ideo nomen ejus in fronte quidem est, sed tamen in mysterio scribitur; quia quibusdam in aperto ostenditur, quibusdam in mysterio clauditur. Magna dicitur Babylon propter multitudinem reproborum, vel propter enormitatem scelerum. *Mater fornicationum*, id est radix omnium malorum : nam et peccatum a muliere cepit initium, quæ suscepit semen diaboli, quasi adulteri, id est pravam ejus suggestionem, et peperit peccatum, contemnens præceptum Domini, quæ etiam postea virum decepit, et sic semen peccati ad nos usque transmisit. Ambo ergo peccati genitores fuerunt, quia adulter et meretrix unum corpus effici

meruerunt Vel certe mater fornicationum, præcedens generatio intelligitur, quæ imitatione perversa et exemplo malo malos reliquit imitatores. Sicut enim semen justorum imitatores dicuntur bonorum, unde est, *Generatio rectorum benedicetur* : et sic semen impiorum dicuntur illorum imitatores. Ideoque Babylon in auctores transgressionum mater appellatur fornicationum.

Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu. Quod vidit Joannes, videt omnis Ecclesia, cujus ille figuram gerebat. Dicit ergo : *Vidi mulierem*, id est malorum congregationem, *ebriam de sanguine sanctorum,* id est repletam vindicta de sanguine sanctorum, *et de sanguine martyrum Jesu.* In hoc versu tam Judæi quam etiam gentiles comprehenduntur : illi enim fuderunt sanguinem prophetarum, isti autem apostolorum et cæterorum martyrum. Ideoque vindictam effusi sanguinis tam Judæi quam gentiles sustinebunt. Unde Dominus dicit in Evangelio : Amen dico vobis, requiretur sanguis omnium qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ a generatione hac pessima (*Luc.* XI). Vel certe, sicut supra dictum est, sanguis prophetarum, spiritualis illorum intelligitur sensus, quem qui male interpretando pervertere in carnalem sensum non metuunt, sicut faciunt Judæi, vindictam effusi sanguinis sustinebunt, quando quidquid vitale habent, perdent. *Et miratus sum, cum vidissem illam, admiratione magna.* Sic et sancti dum considerant quotidie damnationem reproborum omnium mirantur, cur miseri non considerant, quæ tormenta sibi immineant.

Et dixit mihi angelus : *Cur miraris?* Sic etiam dicitur Ecclesiæ a Christo per internam inspirationem: Cur miraris tormenta reproborum et supplicia, quæ illis sunt futura justo Dei judicio ? *Egô tibi dicam sacramentum mulieris, et bestiæ quæ portat eam.* Id est, ego tibi ostendam quid significet illa mulier, et quid bestia, et manifestabo etiam illorum damnationem. *Quæ habet capita septem, et cornua decem ;* id est omnes reges reprobos, et omnia illi regna subjecta.

Bestia quam vidisti fuit et non est. Bestia diabolus est, sicut sæpe dictum est, qui fuit ab exordio sæculi in hoc mundo, ibique tenuit principatum usque ad Domini adventum, et in cordibus hominum male potiebatur potestatis imperio. Sed postquam Christus venit, et in sua morte mortis destruxit imperium, abstulit ei potestatem. et ejecit eum foras, ideoque jam non est, quia comparatione prioris potentiæ, præsens illius potestas nulla est. Fuit ergo in præcedentibus membris, non est in sequentibus. *Et ascensura est de abysso*, hoc est, de profunditate perfidiæ Judæorum nascetur, juxta illud : *Fiat Dan coluber in via (Gen* XLIX). Notandum autem quod dicit ascendet, quia videlicet ab ipsa sua infantia elevabitur, extollens se super omne quod dicitur deus, aut quod colitur. *Et in interitum* ibit, id est in damnationem perpetuam. Juxta illud : *Quem Dominus Jesus* A *interficiet spiritu oris sui* (*II Thess.* II). Quod et generaliter de omni corpore malorum intelligere debemus, quamvis quidam hoc referant ad Neronem, asserentes eum ab inferis resuscitandum, et regnum futurum accipiendum. *Et mirabuntur inhabitantes terram.* Inhabitantes terram, reprobi intelliguntur, qui mente terram inhabitant, et terrenis rebus inhærent per desiderium animi. Hi cum viderint damnatum diabolum,cui crediderunt,quia maxime hoc ad eos pertinet qui Antichristum pro Deo sunt recepturi, admirabuntur dicentes ad invicem : *Hæccine erat spes nostra* (*Isai.* XX)? Et ad ipsum se convertentes dicent: Ecce qui te putavimus Christum, decepti sumus, dum modo te damnari videmus. *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ a constitutione mundi.* B Liber vitæ jus divinitatis est, id est præscientia et prædestinatio omnipotentis Dei. Hi enim qui Antichristum sequentur non sunt ad vitam prædestinati, id est præordinati, quia ex his nemo peribit, quos ab initio mundi Deus salvandos prædestinavit, de quibus Apostolus : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri* claritatis suæ (*Rom.* VIII). Novit enim Deus quibus dicturus est : *Ite in ignem æternum;* et quibus : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXI). *Videntes bestiam*, id est diabolum. *Quæ erat* in potentia magna ante adventum Filii Dei. *Et non est,* quia ablata est ei potestas, sicut supra dictum est, per passionem Filii Dei; vel fuit, quia in membris suis jam apparuit, et non est, quoniam adhuc membrorum caput per semetipsum necdum apparuit.

C *Et hic est sensus : Qui habet sapientiam*, hoc est, intellectus est illi necessarius in hoc loco. Qui habet sapientiam, hoc est intelligentiam. *Septem capita, septem montes sunt, super quos sedet mulier et reges sunt septem.* Frequenter dictum est, in unaquaque specie genus plerumque posse inveniri, sicut hic. Quod enim bestia, hoc septem capita, et septem montes, septemque reges, id est universa malorum pars, quæ in præpositis tanquam in regibus constat, et subjectis plebibus.

Quinque ceciderunt. In quinque regibus accipe quinque sensus corporis, qui infantiam nostram regunt, quia naturaliter lenia tactu appetimus, sapora amamus, canora et consona quærimus, odoriferis D delectamur et pulchris visu. Reliqua his contraria omni modo refugimus, quæ sunt amara, dissona, fetida, aspera et turpia. Accedente vero ætate matura, hi quinque reges superius dicti desinunt, et succedit alius rex, aut intellectus, aut error. Hi sunt etiam quinque viri, de quibus Dominus Samaritanæ dicit : *Quinque viros habuisti, et nunc quem habes non est tuus vir* (*Joan.* IV), quia error dominatur tui. Quod diximus de unoquoque, hoc etiam generaliter de genere humano intelligi potest, quia et unumquemque nostrum, et etiam totum genus humanum in tenera ætate, hi quinque sensus regunt. Adveniente autem matura ætate, succedit aut intellectus legitimus vir, aut adulterinus, qui est error. Iste est rex de quo loquitur sermo divinus : Unus,

inquit, est, ac si dicatur : Et ad perfectam ætatem intelligendi pervenerunt, et tamen errorem, suum super se regnare voluerunt. Et iste est rex totius corporis diaboli, quisquis talis est ; unde de quibusdam Deum cognoscentibus, et tamen errorem sequentibus dicit Apostolus : *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt* (*Rom.* I) in vanitatibus suis, etc. Quod autem sequitur, *alius nondum venit*, ad residuum corpus Antichristi pertinet, vel ad ipsum Antichristum, qui licet modo regnet in membris, tamen amplius et manifestius regnaturus est per seipsum. De quo sequitur : *Et cum venerit, oportet illum brevi tempore* regnare, id est, tribus annis et dimidio. Unde et Dominus in Evangelio dicit : *Nisi abbreviati fuissent dies illi, non fuisset salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur* (*Matth.* XXIV.)

Et bestia quæ erat et non est, et ipsa octava est, et ex septem est. Bestia quæ erat in prioribus membris diaboli, in præcedentibus et subsequentibus, cum ipsa quæ non est adhuc, sed ventura est, sicut diximus, juncta fuerit corpori suo, hoc est Antichristo, in novissimo tempore. Et septima erit, quia de eodem genere; et octava erit, quia septuplum transcendit malitiam et hypocrisim membrorum diaboli, qui nunc sunt vel fuerunt. Ad nihil enim aliud appellavit octavam, quæ septima erit, nisi ut ostenderet quia septies tantum tunc dominabitur Antichristus in corpore suo, cum solutus fuerit, quamque nunc faciat Sicut et Dominus dum in Evangelio de uno maligno spiritu loqueretur, ut ostenderet quia pro septem unus est, statim subnectit : *Tunc*, inquit, *vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se* (*Luc.* XI). Qui utique non diceret *septem alios*, nisi in uno etiam septem voluisset intelligi. *Et in interitum vadit.* De eodem corpore diaboli dicit, quod proculdubio cum capite suo peribit cum dies judicii advenerit, dicente Domino : *Ite in ignem æternum*, etc.

Et decem cornua quæ vidisti decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt. Temporibus Antichristi decem regna erunt in terra, sicut liber Danielis prophetæ testatur, sed sicut idem Daniel dicit, quartum regnum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, et devorabit universam terram, et conculcabit et comminuet eam. Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt, e quibus ille tres interficiet, regem videlicet Ægypti, regem Africæ, et Æthiopiæ; cæteri autem subdent se illi *Et potestatem tanquam in reges una hora accipient post bestiam.* Una hora intelliguntur tres anni et dimidius, quibus ipsi cum capite suo regnabunt. Post bestiam, id est, secundi ab eo in honore et dignitate erunt, accepta ab ipso capite. Et illi quidem reges jam regnant in avis et proavis, id est in suis similibus, sed tamen ad comparationem illius extremæ potentiæ, necdum perfecte regnum acceperunt, sicut et regnum Ecclesiæ : erat quidem ante adventum Redemptoris in mundo, sed tunc amplius surrexit, cum caput ejus in carne apparuit. Sed hanc potestatem post bestiam, id est, in subjectione illius tanquam membra, et illi subditi accipient.

Hi unum consilium habent. Contra Christum et membra illius, ut negent Christum, et confiteantur Antichristum. Sed consilium bestiæ destruet Agni innocentia, juxta illud : *Dominus dissipat consilia gentium (Psal.* XXXII). — *Et virtutem et potestatem suam bestiæ tradent*, id est, quidquid virium et tortitudinis habent, ipsi tribuent dicentes : Tibi gratias agimus, quia quidquid habemus, a te accepimus.

Hi cum agno pugnabunt; et verbo et opere, ut fideles a fide illius separent; *et Agnus vincet illos*, quia constantiam dabit suis, ut ante possint occidi, quam a fide Christi separari, qui dicit : *Gaudete, quia ego vici mundum* (*Joan.* XVI). Vel vincet eos quando damnabit illos cum capite suo diabolo. *Quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum.* Ac si diceret : Etsi reprobi gloriam filiorum Dei amittent, tamen dominium ejus non evadent, sed semper eum Dominum sustinebunt; utitur enim eis ad utilitatem sanctorum, etiam cum pugnat adversus eorum perfidiam. Secundum hunc sensum Nabuchodonosor servus Dei vocatur; et spiritus etiam malus Domini spiritus dicitur. Malus scilicet a se, Domini autem spiritus, quia a Deo creatus, et potestati illius subjectus. *Et qui cum illo sunt electi et vocati et fideles*; subauditur propterea reges exsuperant. Electi in Dei prædestinatione ante mundi constitutionem vocati per apostolorum prædicationem, fideles per bonorum operum exsecutionem.

Et dixit mihi : Aquas quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt et gentes et linguæ. Hic exponitur quod superius fuerat præmissum, quod scilicet bestia super aquas multas sedet. Quæ aquæ multæ, sicut hic dicitur, populi multi sunt, ex omnibus gentibus et populis et linguis a diabolo decepti, maxime per libidinem, quæ est mater omnium malorum. Meretrix enim super aquas sedet, quia dominationis regnum libido vitiorum in reprobis tenet. Vel certe quia ipsum regnum antiqui hostis ex multitudine populorum in fastu superbiæ elevatur, ideo meretrix super aquas multas sedere dicitur.

Et decem cornua quæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam: Cum ipsa regna, quæ per cornua designantur, ut supradictum est, sint bestia, id est omne corpus diaboli, et ipsa bestia sit meretrix, id est omnis multitudo reproborum; decem cornua, vel bestia, odient fornicariam, hoc est, ipsi reprobi odient seipsos. Quod tripliciter potest intelligi; dum enim reprobi mali opera faciunt, seipsos odiunt, quia scriptum est : Qui diligit iniquitatem, odit animam suam ; quia unde reprobi se amant voluntates sequendo, inde odisse se convincuntur. Quisquis enim diligit iniquitatem, odit animam suam ; quoniam male amando animam suam, odit justitiam, et ideo aptat animam suam ad suscipiendam futuræ famis miseriam. Aliter : reges et bestia odient fornicariam, quoniam amatores hujus sæculi odio se invicem persequuntur, quia si quis alium vi-

det ad altiora ascendere, quo ipse non potest, odio illum insequitur, quoniam semper inter superbos jurgia sunt. Hinc Paulus apostolus dicit : *Invicem invidentes, invicem odientes* (*Galat.* v). Vel certe cum viderint se miseri in judicio constitutos et damnatos, odient seipsos quod peccaverunt et post peccatum pœnitentiam non egerunt. Sed nihil proderit tunc odisse malum quod fecerunt, quando ipso malo carere non poterunt. *Et desolatam facient illam*. Hoc est, seipsos facient extraneos a Deo propter peccata præterita. Jam enim cum illis Deus non habitabit, qui est pacis et charitatis habitator. Hinc est quod Jeremiam lamentabili voce clamasse legimus: *Quomodo sedet sola civitas plena populo?* (*Jer.* ix). *Et nudam* facient illam, subauditur a superioribus. Vestimenta fidelium sunt sacramenta baptismatis, charitatis, atque innocentiæ. Sed his vestimentis se nudant, quicunque baptismum iterant, vel se gravioribus criminibus maculant, et charitatis jura violant. Sunt autem et quidam, qui etiam in præsenti his vestimentis sunt nudi, sicut Judæi et pagani, qui neque baptizati sunt, neque charitatis mandatum custodiunt. Falsi quoque Christiani etsi habere videntur hæc vestimenta, tamen in judicio cum illis nudi reperiuntur, quia ea quæ habuerunt, male vivendo amiserunt. Pariter ergo nudi reperientur, quia reproborum corpus ex apertis infidelibus et falsis fratribus construitur. *Et carnes* suas *commanducabunt*, Isaias propheta dicit de reprobis, quia *ignis eorum non exstinguetur et vermis eorum non morietur* (*Marc.* ix). Ipsi ergo carnes suas commanducabunt, quia pœnis semper pascentur, semperque eos vermes comedent, et nunquam ad defectum, cum jugiter defecerint, pervenient. Et dum vermibus æternaliter pastum præbebunt, quasi igni carnes suas manducabunt, quia pœnam carnium suarum sustinebunt. Manducant enim carnes suas æterno supplicio dediti, sed alienis dentibus, non suis, vermium scilicet immortalium, quos ipsi ad devorandum suis iniquitatibus exacuent. *Et ipsam igni concremabunt*, quia malis operibus deserviendo, ipsi sibi æternum incendium quo crucientur, præparaverunt, seque ultro pravis actionibus eisdem incendiis præcipites dederunt. Dum ergo suis iniquitatibus, quasi quibusdam lignis ignem quo comburuntur accendunt, ipse se concremant. Sic enim usitata locutione quod in ipsis contigerit, reprobi facere perhibentur, sicuti nos quemlibet seipsum interfecisse dicimus, qui periculum mortis cum posset non declinavit, vel seipsum incendisse, qui semet volens in ignem præcipitem dedit.

Deus enim dedit in cordibus eorum, ut faciant quod illis placitum est. Sæpe Deus omnipotens iratus pro præcedentibus hominum peccatis, permittit eos facere unde illum amplius offendunt. Hinc est quod de quibusdam dicitur veritatem non recipientibus : *Propter hoc dedit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* i). Hinc etiam dicitur indurasse cor Pharaonis, quod non merebatur emolliri. Dedit ergo Deus in cordibus infidelium,

A propter præcedentem eorum infidelitatem, ut faciant quod illis est placitum. Quod quid sit, statim aperit cum subjungit : *Ut dent regnum suum bestiæ*. Gratias illi agentes, et honorem et fortitudinem suam illi tribuentes, quasi ab ea perceperint omne quod habent. Non autem fuit Dei voluntas, qui nullam injustitiam vult, cui Psalmista dicit : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, ut reprobi contra Deum pugnantes, regnum suum bestiæ traderent, sed præcedentium iniquitatum illorum merita exigunt ut reprobi in errorem a Deo ire permissi ita ambulent, ut misericordia parcentis non salventur, sed justitia punientis damnentur. Ac si diceret : Exigentibus illorum meritis, ita Deus eorum corda permisit obscurari, ut sic agerent, et hoc tam diu, *donec consummentur verba Dei*. Id est, donec opere compleantur omnia, quæ ante sunt prædicta. Quo in loco quæstio oritur, quare Dei verba consummare dicantur, cum ipse Dominus in Evangelio dicat : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transient* (*Matth.* xxiv). Sed sciendum quia ad aliquid verba Dei consummantur, ad aliquid non transeunt. Consummantur ad hoc, ut quæ promissa sunt opere compleantur : non transeunt vero, quia ea quæ loquuntur, æternaliter perseverant. Sermo enim Dei sententias in æternum mansuras explicat. Prædictum est enim de Christo, quod veniens ad judicium, statuet a dextris oves, hœdos autem a sinistris, et dicet rex his qui a sinistris erunt : Esurivi, et non dedistis mihi manducare, etc., usquequo dicet illis: *Discedite a me qui operamini iniquitatem* (*Matth.* vii). Consummabuntur hæc Dei verba, cum ipse veniens ad judicium dicet reprobis : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo*, etc. *Tunc ibunt hi in supplicium æternum* (*Mat.* xxv). Promisit et sanctos statuendos ad dexteram, et gloriam se his daturum. Consummabuntur hæc Dei verba, cum audierint : *Venite, benedicti Patris mei*, etc. Sic namque dicitur, *donec consummentur verba Dei*, tanquam diceretur : Usquequo boni et mali recipient secundum quod eloquia Dei promittunt ? *Et mulier quam vidisti est civitas magna*, id est omnis malorum multitudo. *Quæ habet regnum super reges terræ*. Quia maxime malorum multitudo in regibus et hujus sæculi principibus in superbiam elevatur. Sic enim dicitur, civitas magna habet potestatem super reges terræ, tanquam diceretur : Ipsum sæculi regnum in cunctis superbiæ potentibus regnat.

CAPUT XVIII.

Et post hæc vidi alium angelum descendentem de cœlo. Sic videntur hæc verba sonare, quasi spatium aliquod fuerit in hac revelatione inter visionem, sed non est ita. Uno enim die hæc omnia vidit beatus Joannes, id est, die Dominico. Sic quippe dicitur, *vidi alium*, quasi diceret, vidi aliam visionem. Unus itaque angelus fuit, qui has visiones manifestavit, sed propter aliam visionem alium se vidisse angelum dicit. Sic et nos de quolibet dicimus : Alius mihi videbaris, cum illa et illa verba diceres ; alius

nunc appares, cum dissimilia loqueris. Post hæc, inquit, id est, post præcedentem visionem, vidi alium angelum de cœlo descendentem. Iste angelus Christus est, qui est nuntius paternæ voluntatis, et qui vitam æternam suis nuntiat quotidie fidelibus. Quo in loco quæritur, quomodo descendisse de cœlo eum Joannes vidit, cum Filius Dei in divinitatis substantia cum Patre et Spiritu sancto ubique sit, juxta quod ipse per prophetam dicit: Cœlum et terram ego impleo. Et iterum : Extra cœlum et terram locus non est, ubi non sit Dominus. Sed descendit de cœlo, non quo de loco ad locum transiret, sed quando in utero virginali suscepit animam et carnem, ut posset videri in nostra, natura qui invisibilis erat in sua. Descensio ergo illius nihil est aliud quam carnis assumptio, de quo Paulus dicit: *Qui cum in forma Dei esset, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem (Philip.* II).— *Habentes potestatem magnam*. Hæc potestas ad utramque ejus naturam potest referri, et ad divinam scilicet et humanam. Fuit enim hæc potestas in ipso per divinitatem sine tempore, ante omnia sæcula, quia sicut cum Patre et Spiritu sancto cuncta creaverat, ita cum Patre et Spiritu sancto omnia possidebat. Hæc etiam potestas data est ei in tempore, quando post triumphum resurrectionis *data est ei potestas in cœlo et in terra, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Ibid.*). De hac enim ipse resurgens a mortuis dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* De illa vero quam ante tempora habet cum Patre, Daniel dicit : Potestas ejus, potestas æterna; *et terra*, id est, Ecclesia electorum *illuminata est a gloria ejus*, id est, a potestate ejus. Ipse enim tenebras infidelitatis et ignorantiæ et peccatorum evacuavit a cordibus fidelium, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Unde scriptum est : *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis (Is.* IX). Nam et ipse de seipso dicit: *Quandiu in mundo sum, lux sum mundi (Joan.*IX). Et alibi de eo scriptum est: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem (Joan.*III). Quia iste angelus ad destruendam venit potentiam diaboli, recte fortis perhibetur, utpote contra fortem fortior, contra robustum robustior advenisse insinuetur. Quia vero ad evacuandam humanam sapientiam accessit, bene terra a gloria illius illuminata pronuntiatur, ac si diceretur: Contra tumentem sæculi potestatem magna potestas, contra falsæ doctrinæ tenebras veræ scientiæ lux apparuit. Potest etiam et iste angelus intelligi primus ordo prædicatorum, qui fuit in apostolis et apostolicis viris. Nam et per ipsos loquebatur Christus, qui est magni consilii angelus. Hinc est quod Joannes *vox clamantis* Christi dicitur. Et Paulus dicit : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? (II Cor.* XIII). Qui angelus de cœlo descendisse dicitur, quia quidquid sancti prædicatores habent, seu in doctrina, seu in opere, cœlitus illis datum est.

A Hinc etenim Jacobus dicit : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.*I). Ipse quoque habet potestatem magnam, quam ab ipso suo capite percepit, quando Petro, qui est princeps prædicatorum, dictum est : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (Matth.* XXIII). Et terra, hoc est, Ecclesia illuminata est a majestate ejus, quia sua prædicatione totum mundum infidelitatis circumdatum tenebris, repletum lumine fidei, quando prædicaverunt ubique, incipientes ab Jerusalem, et pervenientes usque ad terminos universæ terræ, quoniam ante defecit eis terra quam lingua. Hinc Psal-
B mista dicit : *In omnem terram exivit sonus eorum*, etc. (*Psal.* XVIII).

Et exclamavit in forti voce *dicens*. Fortem vocem intelligimus prædicationem Christi, qui ait : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Quæ scilicet vox ab ipso Domino, postea per apostolos totum orbem clamore complevit. Et vox ista fortis fuit, quia fortissima limina regni gentium destruxit. *Cecidit, cecidit Babylon*. Postquam in superbiam se erexit. Unde est: *Dejecisti eos dum allevarentur (Ps.* LXXII), vel cecidit jam in Dei præsentia. Novit enim Dominus, qui pertineant ad Babylonem, et casuri sunt in perpetuam damnationem. Qui etiam jam ceciderant in capite suo de cœlo, qui per superbiam ab illa cœlesti ædificatione irreparabiliter corruit. *Et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis*
C *spiritus, immundi et custodia omnis volucris immundæ*. Quantum ad litteram pertinet, hoc de Babylone dicit, quæ capta a Medis et Persis, interfecto Balthasar, destructa est, nec diu ibi postea habitaverunt homines, quia in solitudines sempiternas est redacta, viaque est pro ea ædificata. Et ubi quondam erant pulcherrimæ et præcipuæ inhabitationes hominum, ibi sunt modo inhabitationes dæmonum et bestiarum, ibique inhabitant dracones, serpentes, et volucres diversi generis. Ipsa autem Babylon istam significabat, quæ ex multitudine constat reproborum, in qua est omnis custodia omnis spiritus immundi, quia videlicet ibi in cordibus pravorum hominum, velut in carceribus, dæmones tenentur inclusi. Qui
D immundi dicuntur propter spurcitiam omnium peccatorum, in quibus versantur. Ipsi quoque sunt volucres immundæ, qui per hunc aerem discurrunt usque ad diem judicii, exspectantes damnationem suam, juxta illud Judæ Jacobi : Angelos vero qui non servaverunt principatum, sub caligine hujus aeris tradidit cruciandos in judicium diei (*Jud.* 6). Sive etiam immundas volucres possumus intelligere leves et superbos homines, qui in eadem Babylone morantur. Maligni ergo spiritus propter malitiam, dæmones : propter carnis illecebras, spiritus immundi : propter mentis vero elationem, volucres appellantur. De his volucribus et bestiis Isaias plura loquitur: *Omnes*, inquit, *bestiæ ludent ibi, et erit cubile draconum, et pascua struthionum, et occurrent*

dæmonia onocentauris, et pilosi clamabunt alter ad A *alterum (Isa.* XXXIV).

Et de ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes. Id est vindictam peccatorum illius omnes gentes sustinebunt. *Et reges terræ qui cum illa fornicati sunt.* Hoc est principes hujus sæculi, qui cum semetipsis fornicati sunt diligendo terrena plusquam cœlestia, vel etiam immunditiam carnis sectando aut idola colendo. Et isti enim vindictam sanguinis sustinebunt, quoniam ipsi principes malorum sunt, ideoque in societate Babyloniorum consistunt. *Et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.* Mercatores terræ appellantur, quia animam suam venalem faciunt, nec timent committere peccata, tantum ut honores hujus sæculi et dignitates sibi acquirere possint. Isti de virtute deliciarum ejus, hoc B est de ambitione sæcularis pompæ divites facti sunt, non virtutibus, sed peccatis. Isti sunt mercatores, qui pro abundatia temporali suas animas commutant infelici mercatu. Notandum autem quod in hoc loco tres personæ reproborum, et tria comprehenduntur genera peccatorum, in quibus et omnes iniqui designantur, et omnia peccata, gentes scilicet subjectæ, reges illarum, et mercatores. Hoc duces et principes, qui suas animas venales faciunt, ut acquirant comitatus et episcopatus, cæterasque dignitates hujus sæculi. Tria autem genera vitiorum sunt: lascivia, gastrimargia, et avaritia, a quibus omnia peccata prodeunt. In nomine enim fornicationis lascivia voluptatum : in virtute deliciarum, gulæ appetitus : in ditatione, mercatorum avaritia designa- C tur.

Et audivi alteram vocem dicentem : Exite de illa, populus meus. Vox ista, vox intelligitur Dei omnipotentis, qui quotidie clamat, hortans electos sive per doctrinam fidelium, sive per internam inspirationem, ut exeant de Babylone. Sed illam vocem, quæ fit in aure per officium prædicatorum, simul audiunt boni et mali : istam autem quæ fit in corde, soli audiunt justi. Dicit ergo : Exite de illa, populus meus, non corpore, quia non potestis, sed mente. Quod statim manifestat cum subjungit : *Et ne participes sitis delictorum ejus.* In præsenti enim vita, corpore quidem boni cum malis morantur, sed tamen moribus et vita longe ab eorum consortio distant. Idcirco ipsa vox Dei monet, ut exeant de ea mente et mori- D bus et vita, non corpore : et ne participes sint delictorum illius, ne forte fiant et socii pœnarum. Quod si socii fuerint culpæ, similes erunt tormento. Si autem ab eorum vita fuerint separati, separabuntur in pœna. Quod in Lot probare possumus, qui cum corpore quidem morabatur in medio iniquorum, sed mente procul erat ab eorum conversatione. Ideoque cæteris pereuntibus, ipse solus meruit liberari. *Et non accipiatis de plagis ejus.* Ac si diceret: Idcirco videte ne participes sitis delictorum ejus, ne forte cum peccata illius fuerint consummata, pariter cum illa incipiatis affligi. Quorum enim vitam similem habere in peccatis noluistis, ultionem cum eis parem non recipietis ; verum hoc non nostris meritis, sed misericordia fiet ipsius Salvatoris.

Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum. Peccata illorum perveniunt usque ad cœlum, qui nolentes agere pœnitentiam, contra Deum habitatorem cœli elevantur, quia si potuisset fieri, justum judicium ejus voluissent eludere. Isti tempus sibi datum ut agant pœnitentiam, vertunt in augmentum culpæ, et unde diutius exspectantur, inde districtius ferientur. Ideoque recte Babylon nequaquam ante ad plagas pervenit, nisi cum peccata ejus ad cœlum pertingunt : quia qui converti a pravitatibus nolunt, et exspectantur adhuc ut amplius delinquentes durius feriantur, non nisi consummatis delictis damnabuntur. Unde Apostolus dicit: *Ut impleant peccata sua semper (I Thess.* II) Et hæc quidem specialiter de singulis Babyloniæ membris dicuntur. Cæterum generaliter tunc peccata ejusdem corporis usque ad cœlum perveniunt, cum novissime principaliter vel pleniter contra Deum in superbiam erigitur, quando adunata compage membrorum, conjuncto etiam per Antichristum capite membris immanitas transgressionis ejus indicat, quia non est ultra quo peccando transeat. Vox ergo qua dicitur? *Exite de ea, populus meus*, et ne sitis participes delictorum, toto quidem nunc tempore aures electorum pulsat, sed tunc instantius clamabit, cum jamjamque delictis cœlum tangentibus, perfida civitas ad debitas suppliciorum plagas in articulo diei pervenerit. Dicatur ergo : *Exite de ea, populus meus*, etc. Ac si diceretur, ut æternis verberibus cum reproba civitate non affligamini, dum adhuc modicum tempus superest, participationem delictorum fugite, quoniam jam terminus appropinquabit, quo peccata debitum finem accipiant *Et recordatus est Dominus Deus iniquitatum ejus.* Recordari dicitur Deus, non quod aliquando oblivionem patiatur, sed more nostro Scriptura loquitur, condescendens fragilitati nostræ, sicut supradictum est. Videtur enim oblivioni tradere bona justorum, et facta impiorum, quando istos permittit affligi, illos autem honoribus et dignitatibus pollere. Econtra in judicio, facta bonorum videbitur recordare, cum eos pro suis bonis remunerabit operibus : et bona impiorum oblivioni tradet, qui in præsenti remunerationem recipiunt, unde illis dicentibus: *Nonne in nomine tuo prophetavimus, Dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus (Matth.* VII) ? dicet illis : *Amen dico vobis, nescio vos (Matth.* XXV).

Reddite illi sicut ipsa reddidit vobis. Alloquitur hic sermo divinus chorum doctorum, quibus Babylon, hoc est, multitudo reproborum mala intulit. Ubi notandum, quia non dixit, facite illi sicut ipsa fecit vobis, sed *reddite illi sicut ipsa reddidit vobis.* Si enim diceret, reddite illi sicut illa fecit vobis, manifestum esset. Ecclesia enim in suis principibus judicabit omnes reprobos, quibus Dominus dicit : *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (Matth.* XIX). Sed quia sæpe Deus omnipotens per reprobos mala bonorum purgat, idcirco

dicitur fidelibus : *Reddite illi, sicut illa reddidit vo-* A *bis*. Ac si diceretur, sicut illa antea vindictam meam exercuit de vobis, sic vos meam injuriam vindicate de illa. *Et duplicate duplicia secundum opera ejus*. Id est, in corpore et anima punite illam : vel certe duplici pœna tradite illam, calori scilicet et frigori. In inferno enim reprobi cum anima et corpore cruciabuntur, et duplici pœna torquebuntur. Cum enim impii in tempore peccaverunt, æternaliter punientur, quia Deus ad judicium veniens, non tantum opera, quantum singulorum affectus et voluntates judicabit. Reprobi quippe si fieri posset æternaliter optarent vivere, ut semper possent peccare, et ideo semper sustinebunt tormenta, qui semper si fieri posset cuperent perpetrare peccata. *In poculo quo miscuit vobis, miscete illi duplum*. Quid poculum B nisi tormentum exprimitur passionis, quo martyres afflixerunt reprobi in præsenti vita ? Ait ergo, *In poculo quo miscuit vobis, miscete illi*, id est sicut vobis afflictionem tribulationis intulit, ita et vos modo illi inferte tormenta, et vestro judicio damnate illam.

Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Hæc omnia jam superius dicta fuerant. Sed propter diversorum diversæ significantur personæ, una plus, alia minus delinquens, ac si diceretur ? In quantum quis gloria temporali lætitiaque deditus, ac voluptatibus resolutus est, intantum date illi tormentum et luctum, id est unicuique secundum opus suorum actuum tribuite. Propter discretionem enim pœnarum hæc ipsa impia C civitas tantum recepit quantum deliquit, sed tamen nihil pœnarum illi deerit : et quæ temporaliter peccavit, æternis cruciabitur tormentis. *Quia in corde suo dicit : Sedeo regina*, id est, in honore et dignitate sum constituta, sicut regina sedet in gloria et honore. *Et vidua non sum*. Quia virum habeo, et ejus amissione, *luctum non videbo*. Loquitur hæc meretrix, id est civitas reproborum, dum gloriatur in principibus nequam, et regibus hujus sæculi, sicut fuit Nero et Domitianus. In quibus divitiis et honoribus maximis exaltata putabat se cum eis æternaliter regnare et vivere, et nunquam eos amittere, ut in eorum amissione lugeret, sicut lugere solent mulieres viros, dum eos amittunt. Vel aliter : Sicut Ecclesia proprium habet virum, id est Christum, ut D ait Apostolus : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor*. XI) : ita meretrix, id est, civitas reproborum adulterino juncta est viro, id est diabolo, a quo putat se regi, et in hoc mundo regnare, quæ dum præsentibus delectatur luxuriis, æternum non præcavet supplicium, sed tantum temporalibus affluens deliciis, in his vitam suam ponit, nunquam se putans vitam temporalem amittere, ut ipsa luctum quem reprobi in supplicio sempiterno sustinent patiatur. Aliter, electorum animæ virum habent proprium, id est spiritualem intellectum, a quo ad æternam salutem reguntur, ut intimo discretionis examine terrena cuncta despiciant, supernis inhient. Econtra, meretrix cum erroneo intellectu ad interitum tendit spirituali intellectu intima cordis sui disponere se jactat. Hic enim locus superioribus jungitur, ubi dicitur, quod quinque reges ceciderunt, et unus superest. Quinarius siquidem numerus pertinet ad quinque corporis sensus, quibus post infantiam cadentibus in homine, surgit in infidelibus error, in fidelibus autem rationabilis intellectus, qui est vir fidelium. Porro reprobi non istum, sed erroneum intellectum habent, quasi virum. Hinc est quod mulieri Samaritanæ Dominus dicit : *Quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes non est tuus vir* (*Joan*. V). Quasi diceret, non habes rationalem intellectum, sed error dominatur tui. Cum itaque improba civitas rationabili careat intellectu, putat se falsa æstimatione habere virum, dicens : Vidua non sum, quia intellectum mentis habeo, et luctum non videbo, quasi fulta intellectu, et virtutibus in gaudio perseverabo.

Ideo in una die venient plagæ ejus. Vel in una hora, tempore scilicet judicii, quoniam subito dum non speratur veniet Christus ad judicium, ut reddat unicuique secundum opera sua. Quæ sunt autem plagæ istæ, aperit cum subjungit, *mors et luctus*. Has plagas per contrariam partem intelligere possumus, id est ex consideratione præmiorum, quæ sancti sunt percepturi. Primum enim attendamus quæ sit mors corporis, mors corporis est absentia animæ, mors animæ absentia Dei : *quia anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech*. XVIII). Electi enim habentes Deum, habebunt vitam, juxta illud : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*. (*Joan*. XVII.) Ideoque perpetuo vivent, quia in præsentia vitæ manebunt. Quam vitam, id est Deum, cum amiserint reprobi, mortem incurrent, quia cum eo partem habebunt, cui nomen est mortis, sicut supra legimus : Et sanctis gaudentibus et laudes creatori suo decantantibus, juxta illud : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal*. C). Miseris erit luctus juxta illud : *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis* (*Luc*. VI). Quia enim præsentibus delectati deliciis nolunt ultionem pavere futuram, lætantes cum male fecerint, ideo in brevi tempore descendentes ad inferos, luctu perpetuo mœrebunt. *Et fames*. Societati justorum præsens erit omnipotentis Dei vultus, in cujus conspectu satiabuntur æterna refectione. Juxta illud Psalmistæ: *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Psal*. XVI). Cum ergo reprobi Deum perdiderint, qui est sanctorum refectio, famem æternam sustinebunt. Ad ultimum autem *igni comburentur*. Cum audierint : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth*. XXV). — *Quia fortis est Dominus qui judicabit illam*. Idcirco fortis Dominus qui judicabit illam dicitur, quia nullius poterit precibus flecti. At idcirco in æternum cruciabitur, quia nullus angelorum, aut hominum audebit, vel valebit vel cupiet Deo obviare, cum dederit fortem damnationis sententiam in reprobos.

Et flebunt et plangent se super illam reges terræ. A Hic fletus regum dupliciter potest intelligi. Reges enim in malam partem ponuntur in hoc loco, et significant reprobos in hoc sæculo divites, et in terreris rebus suam spem collocantes, ipsique reges, sicut Babylon civitas meretrix. Ideoque quod dicit, *Qui cum illa fornicati sunt* nihil est aliud, nisi cum seipsis fornicati sunt, plus terrena quam Deum diligentes, vel immunditiæ carnis servientes. *Et in deliciis vixerunt.* Hoc est in honoribus et dignitatibus, comedentes et bibentes, et voluntates suas sequentes. Isti itaque in die judicii, tota mundi gloria in qua sunt confisi pereunte, flebunt et plangent, sola præteritæ vitæ pœnitentia remanente, dicentes : *Quid nobis profuit superbia* nostra, *aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt* B *omnia tanquam umbra (Sap.* v). Vel certe ex præsenti tempore hoc intelligere possumus, in quo reproborum superstites, considerantes mundi gloriam deperire: sive per paganorum interfectionem, sive per diversarum gentium contritionem, plorant et deflent, quia amor illorum et gloria transit. Plangent enim illorum interitum, qui simul cum vita divitias amiserunt, et metuunt ne eis similia eveniant, dum et tormentum sibi futurum et præteritorum pœnas inspiciunt, unde subjungitur : *Videntes fumum incendii ejus.* Per fumum enim illius civitatis, diminutio intelligitur rerum temporalium. Quam dum impii vident, considerantes ut dictum est quorumdam interfectionem, et gentium etiam vastationem, plorant et lugent, eo quod gloria illorum pereat, et C ipsa præsens tribulatio ignem æternum præcedat. Sicut fumus indicium est flammarum, sic et præsens tribulatio specimen esse videtur futurorum. Dum ergo tales præsentes tribulationes attendunt, et pœnam etiam quæ sequitur inspiciunt, flent et dolent, timentes ne sibi similia eveniant, ut scilicet mundi gloria exspolientur, et præsentibus bonis et deliciarum affluentiis nudentur.

A longe stantes propter timorem tormentorum ejus. Quod in judicio minime licebit eis facere, quando simul omnes casus apprehenderit ruinæ. Cæterum in hac vita longe stant, non corpore, quia post modicum transituri sunt ad eorum societatem, sed animo dum unusquisque sibi metuit, quod alterum per calumnias et potentiam pati videt. Optaret enim si D fieri posset, separari, et ab eorum tormentis, et ab eorum exspoliatione, ita ut temporalia semper possideret, et ad infernum non transiret, semperque optaret vivere, ut semper posset peccare. Quid autem de mundi destructione dicant, audiamur : aiunt enim : *Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis.* Plorant enim, quia simul et divitias et vitam amisisse contigit, quia si possent, voluissent semper in deliciis vivere, et nunquam hanc miserabilem vitam amittere. Magna autem dicitur Babylon, quia in toto mundo distenditur, vel propter multitudinem reproborum, sicut etiam propter enormitatem scelerum. Fortis quoque dicitur non in bono, sed in malo et in persecutione sanctorum, quos diversis afflixit modis et interfecit. *Quoniam una hora venit judicium tuum.* De qua hora Joannes apostolus dicit : *Filioli, novissima hora est (I Joan.* II), a passione Christi scilicet usque ad finem sæculi. Tota namque hac hora, id est, in omni præsenti tempore damnantur reprobi. Quorum utique judicium singulis advenit, quando quotidie exuti corporibus damnantur apud inferos. Et quia in præsenti tempore de perpetratis facinoribus temporaliter etiam cruciantur, recte nunc fumare Babylon dicitur, ut quandoque sempiternis tormentorum flammis concremetur.

Et negotiatores terræ flebunt et lugebunt super illam. Qui sint isti negotiatores supra jam dictum est, qui scilicet venales suas animas faciunt, nec metuunt eas perdere, tantum ut honores et dignitates sibi possint acquirere. Vel certe negotiatores sunt, qui ut gloriam et divitias sæculi hujus sibi aggregare valeant, de loco ad locum transeunt, nec unquam vel ad modicum quieti indulgent, qui dum vident quædam loca clade desolata, gladio consumpta, hostili invasione prædata, deflent, eo quod mundi gloria pereat, de qua lætabantur *Quoniam merces eorum nemo emet amplius.* Sic enim dicunt : Quoniam omnium gloria pereunte, non erunt merces quas nos emamus, nec erunt qui nostras merces emant, ut eorum pretio ditemur. Dolent enim quod ad præsens perdunt inviti, nec amant quod in æternum possidere poterant voluntarii.

Merces auri et argenti, et lapidis pretiosi et margaritæ, et byssi et purpuræ et serici et cocci, et omne lignum thyinum, et omnia vasa eboris, et omnia vasa de lapide pretioso et æramento et ferro et marmore, subauditur, nemo emet amplius. Hic manifeste ostenditur, quia reprobi ea perire dolent, quæ ad quinque sensus corporis pertinent. Neque enim aliud attendunt, nisi ut his delectentur, quæ exterius per quinque sensus corporis percipiunt. Qui idcirco ea quæ vel sensibus corporis suavia, vel exterioribus sunt usibus accommoda deficere solent, deflent, quoniam in his omnem suam prosperitatem esse deputant. Aurum enim et argentum et cætera, ad sensum oculorum rediguntur, quæ intantum a carnalibus ardentius desiderantur, quantum rariora a cæteris inveniuntur. Quod si spiritualiter ista intelligere volumus, libet prius inquirere qualiter electorum divitias significent nunquam perituras, et sic demum quibus modis ea sibi fallaciter pars adversa usurpare nitatur demonstrare. In auro itaque radians sapientia significatur, de qua scriptum est : *Accipite sapientiam sicut aurum.* Argenti autem nomine sacra figurantur eloquia. De quibus Psalmista dicit : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum (Psal.* XI). Lapidis vero vocabulum cum singulari numero ponitur, ipse Salvator omnium per eum designatur, de quo scriptum est : *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem electum pretiosum, et qui crediderit in eum non confundetur (I Pet.* II). Cum

autem plurali numero inseritur, membra ejusdem Redemptoris per eum figurantur, quibus apostolus Petrus dicit : *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domus spirituales* (*I Petr.* II). Margaritæ etiam nomine, in singulari numero Dominus Jesus Christus : in plurali vero apostoli ejusdem figurantur. De quibus in hac eadem Apocalypsi dicitur : *Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas.* (*Apoc.* XVIII). In bysso vero justificationes sanctorum intelliguntur. In purpura martyrium. In serico virginitas. In cocco vera charitas. In ligno thyino ac pretioso, constantia durabilis. In ebore virtutum pulchritudo. In ære fortitudo et longanimitas, vel certe prædicationis sonoritas. In ferro subtilitatis acumen. In marmore invicta humilitas. Hæc denique omnia plerumque se habere obumbrata verisimile gloriatur bestia, vel civitas meretrix, cum in auro, vel in argento philosophorum et hæreticorum doctrinam ostendit. In lapide pretioso, ac margarita, pseudochristos vel pseudoprophetas, atque hæresiarchas opponit. In bysso injustitiam obtentu justitiæ adopertam. In purpura interfectionem hæreticorum tegmine martyrum Christi velatam. In serico corruptionem mentis integritate carnis oppansam. In cocco simulationem charitatis crudelitate palliatam. In ligno thyino ac pretioso, durabili constantia, mentis obstinationem obumbratam. In ebore simulatione virtutum, vitiorum turpitudinem obtectam. In ære, fortissimæ prædicationis tegmine, durabilem atque sonorabilem perfidiam palliatam. In ferro autem, acumine subventionis astutiam deceptionis cælatam. In marmore humilitatis similitudine falsæ subjectionis, muscipulam obumbratam anteponit. Quia ergo hæc omnia falsæ religionis obtentu velata confunduntur, atque ad interitum tolluntur, recte mundus in reprobis iisdem divitiis inops effectus florere describitur.

Et cinnamomum et amomum *et odoramentorum, et unguenti, et thuris, et vini et oleæ et similæ et tritici et jumentorum et ovium et equorum et rhedarum et mancipiorum et animarum hominum.* Subauditur semper a superioribus, merces nemo emet amplius. Ex his quædam pertinent ad olfactum, quædam autem simul ad olfactum et tactum. Cinnamomum enim et amomum diversorumque odoramenta pigmentorum, et thus ad olfactum, unguentum vero ad tactum simul et olfactum redigitur. Verum quæramus, ut cœpimus, qualiter illa, quæ in bonum istæ species significant, usurpet pars adversa, quibusque ablatis amariter defleat. Per cinnamomum quippe et amomum, odor designatur virtutum, unde Ecclesia dicit : Sicut cinnamomum et amomum aromatizans odorem dedi. Hinc Paulus dicit : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II). In diversorum vero odoramentis pigmentorum et thure, orationes exprimuntur sanctorum. Hinc enim in Canticis sponsi voce in laudem Ecclesiæ dicitur : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii* (*Cant.* V)? Et per Psalmistam dicitur : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* C). Unguenti quoque nomine ipsa divinitas incarnata intelligitur. Cui in Canticis canticorum dicitur : *Unguentum effusum nomen tuum* (*Cant.* I). Et alibi : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata* (*Ibid.*). Jam vero, si attendamus qualiter hæc fraudulenter se habere dicat pars adversa, quibusque ablatis vehementer videatur affligi, in cinnamomo et amomo fetentem vitam hæreticorum, sub obtentu odoris, qui manat ex virtutibus sanctorum imitandam opponit. De quibus dicitur econtra : *Et erit pro suavi odore fetor* (*Isa.* III). In diversis autem odoramentis, fictam hypocritarum sedulitatem orandi bene orantium similitudine obumbratam, objicit. In unguento vero pseudochristianorum asperitatem sub velamine lenitatis Christi tectam ostentat. Quarum simulationum subtractis auctoribus, amariter mundus flere describitur, sicut flevit Nero, necato Simone mago, et sicut mœsti facti sunt hæretici ex morte Arii, qui eum nec damnatum imitari desierunt. Vinum et oleum, simila et triticum pertinent ad gustum, quæque ita fauces illiciunt, ut et ea quæ in veritate significant, electorum demulceant cordis palatum, et ea quæ ex eorum falsa imitatione assumunt, suavia credantur mentibus reproborum. Per vinum quippe novum designatur testamentum, quod auditorum mentes debrians, mundi concupiscentiis insensibiles reddit, unde Dominus in nuptiis aquam vinum fecisse narratur. Quid autem per oleum, nisi unctio Spiritus sancti figuratur? Unde Psalmistæ voce redemptori nostro dicitur : *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV). Per similam vero et triticum, caro Redemptoris nostri exprimitur, qua fideles quotidie sanantur. Quæ scilicet dum pars reprobæ civitatis obumbrata bestiæ seductione se putat habere, tanto amplius dolet, si contigerit perdidisse, quanto magnarum opum divitias ista significare videntur. Nam vinum et oleum amisisse dolent, cum vinacia et amurcam perdiderunt. Similam et triticum perdidisse se gemunt, cum zizania et paleas amiserunt. Æstimant enim veræ fidei prædicatores subtractos, spirituali doctrina repletos, Spiritus sancti illustratione afflatos, cœlestibus sacramentis ad vitam enutritos, cum pravæ hæreseos seductores corrupta sententia infectos, spiritu dæmoniorum plenos, abusione divinorum sacramentorum damnatos, vellent, imo si possent de mundo sublatos gauderent. Porro jumenta, oves et equi, et cætera usibus exterioribus sunt apta, quoniam juvant homines sive in equitando, sive in ferendo onera. Rheda autem quæ hic commemoratur, genus vehiculi fuit apud antiquos, et est forsitan adhuc similis plaustris rusticanis, divitibus hujus sæculi ad sedendum præparata, quæ etiam alio vocabulo, currus vocatur. Hujusmodi enim currus venduntur. et inde merces acquiruntur, sicut legimus in libro regum de Ægypto exire quadrigam quæ

vendebatur sexcentis siclis argenti. Cum autem dixit, et mancipiorum merces, subaudis nemo emet amplius : merito quæritur, quare subjungit, et merces animarum hominum. Nunquid enim mancipia sine animabus vendi possunt aut emi? Non utique, sed in his verbis aliud aliquid intelligitur. Sunt enim quædam mancipia, quæ tantummodo corpore venduntur, animæ vero illorum in libertate permanent, sicut hi qui venduntur Christianis, et cum corpore sunt servi, anima per fidem rectam sunt liberi. Sic enim venundatus est Joseph : qui cum esset servus corpore, liber erat anima, unde et eum domina ad peccatum trahere non potuit. Tales itaque non in anima venduntur, quia solummodo ad exteriorem servitutis conditionem pretiis distrahuntur, manente interius animæ libertate. Plerique autem simul anima captivantur et corpore, sicut hi qui paganis aut Judæis venduntur, quoniam ipsi quos emunt, secundum legem circumcidunt, et servos non solum corpore, sed etiam in anima faciunt : ut sicut domini, ita et servi servitutis nexu sint alligati. Propter has itaque duas venditiones, distinctionem fecit sermo divinus inter mercem mancipiorum et animarum hominum. Sed et istæ singulæ species electos significant, quas eadem bestia fraude se habere ostendit, et perdidisse dolet. Jumenta quippe electos significant, qui cum Psalmista dicunt, *Ut jumentum factus sum apud te* (*Psal.* LXXII). Oves quoque sanctos exprimunt, quibus Dominus ait : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Matth.* X) Et Petro dicitur : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Sed et equorum vocabulo prædicatores intelligi nulli dubium est, dicente propheta : *Misisti in mare equos tuos*. Rhedarum etiam nomine eosdem prædicatores novimus designari, attestante Eliseo, qui ascendente Elia plorat, dicens : *Pater mi, Pater mi, currus Israel et auriga ejus* (*IV Reg.* II, XIII). Mancipiorumque vocabulo ipsi exprimuntur electi, qui toto mentis desiderio Dei se subjiciunt servituti, in cujus potestate consistere se noverunt, dicentes cum Psalmista : *Sicut oculi servorum*, et cætera, usque, *ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum* (*Psal.* CXXII). Quo contra pars bestiæ supernis judiciis desolato mundo, amisisse se dolet jumenta, oves, equos et rhedas, id est ad portanda suorum onera viros fortes atque innocentes, cum debiles ad omne opus bonum, et noxios in malum amiserit, gemit se perdidisse mundo exterius mortuos, cum interius nequiter eosdem viventes perdiderit.

Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt a te. Hoc etiam fit, quando hostes de regno insurgentes in regnum, non solum depopulantur urbes, sed etiam omnia ligna regionis vastant, et incendio cremant. Et ista tam ad conspectum quam ad gustum pertinent. Unde habemus in Genesi, quod viderit mulier lignum pulchrum visu et ad vescendum suave, et tulit de fructu illius et comedit : deditque viro suo. Notandum autem quod cum in cæteris majoribus rebus, plus soleant homines delectari, solummodo poma desiderii animæ dicit esse : unde ostenditur quia non solum in majoribus, sed etiam in minimis valde offenditur, si immoderate et ultra quam debent appetuntur. Poma vero in sacro eloquio virtutes sanctorum significant, unde est : *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus* (*Cant.* IV). Dicit ergo se pars bestiæ omnia simulate habere, quæ in veritate possidet Agnus. *Et omnia pinguia.* Id est crassa. *Et præclara perierunt a te, et amplius illa jam non invenient.* Ista ad gustum vel gastrimargiam redigenda videntur. Hæc itaque omnia, quæ secundum quinque corporis sensus reprobi tractant, pereunte mundo deplorant, quia nesciunt aliud cogitare, nisi quæ exterius considerant. Et dum vident alios transire per mortem et afflictionem ab hac vita, ipsi eorum superstites interitum illorum qui mundi gaudium reliquerunt, deplorant, timentes ne sibi similia eveniant. Significant etiam et hæc ut cætera aliquid bonorum, dum ostendunt simulationem impiorum. Nam cum Psalmista dicat: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII), ostendit saginam in significatione virtutes esse animarum Ista etenim sagina in novæ vitæ prædicatoribus apparuit, quam se perdidisse in hæreticis pars reproborum dolet. Unde sequitur :

Mercatores. Terræ de quibus satis supradictum est, *qui divites facti sunt.* Non virtutibus, sed peccatis. *Ab ea longe stabunt*, non corpore, sicut dictum est superius, sed mente, nolentes eos sequi. *Propter timorem tormentorum ejus, flentes et lugentes ac dicentes : Væ, væ, civitas illa* Babylon *magna, quæ amicta byssino*, subauditur vestimento, *et purpura, et cocco, et deaurata est auro, et lapide pretioso, et margaritis, quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ.* Qui supra appellantur reges, ipsi dicuntur modo mercatores, qui videlicet infelici mercatu, pro terrenis lucris animas commutant, unde in sequentibus dicitur, *Mercatores tui erant principes terræ.* In civitate autem homines intelliguntur divitiis dediti, et voluptatibus resoluti. Neque enim civitas amicitur auro vel argento, aut cæteris speciebus, sed potius homines in ea habitantes. Quibusdam itaque pereuntibus cum terrenis pariter rebus superstites eorum ut supra meminimus lugent, eo quod gloria illorum perire videatur, et a longe stant, quia nolunt illis fieri socii neque in amissione terrenarum rerum, neque in pœnis, ad quas eos transire credunt. Una autem hora in qua tantas divitias perisse denuntiat, hoc breve tempus intelligitur a Domini passione usque ad finem sæculi. De qua Joannes dicit : *Filioli, novissima hora est (I Joan.* II). — *Et omnis gubernator et omnes qui in longum navigant, et nautæ, et qui in mari operantur, longe steterunt, et clamaverunt videntes locum incendii ejus.* Qui supra appellantur negotiatores, hic gubernatores navium et nautæ Nunquid enim mare navigantes adesse poterunt, ut videant incendium civitatis? Sed in his omnes sæculi cultores exprimuntur, qui sibi timent, videntes ruinam suæ spei. Locum autem incendii ejus videre

dicuntur per incendium fumi, id est per præsentes tribulationum angustias futurarum pœnarum notitiam prægustare, quæ omnia supra latius sunt exposita, ideo nunc breviter tanguntur. Aiunt ergo flentes: *Quæ est*, subauditur civitas, *similis civitati huic magnæ?* Quasi dicant: Nulla civitas illi in magnitudinis honore coæquari potest. Oculi enim carnalium nihil magnum noverunt, nisi quod corporeis oculis intueri possunt, et ideo comparatione præsentis vitæ etiam cœlestia despiciunt. Plus enim diligunt mundum quam Deum : plus amant filios quam angelos. Terrenam peregrinationem pro habitatione cœlestis patriæ deputant. Salutem corporis ducunt pro summa felicitate : aurum, argentum, et lapides præponunt vitæ coronis, et ideo comparatione præsentium gaudiorum nihil credunt esse illa et dicunt. Quæ similis civitati huic magnæ ? Ac si dicerent, Nulla. De quibus adhuc subditur :

Et miserunt pulverem terræ *super capita sua, et clamaverunt flentes ac lugentes*. Capitis nomine sæpe in sacro eloquio principalitas mentis intelligitur. Per terram autem, terrena concupiscentia designatur. Reprobos itaque super capita sua pulverem mittere, est terreno amore ne cœlestia intueri possint, oculos suæ mentis corrumpere. Deflent ergo reprobi ruinam civitatis magnæ, sed tamen ipsi non cessant terrena concupiscere, dumque immoderate terrenis rebus inhiant, quasi pulvere terræ suos oculos excæcant, ne cœlestis patriæ gaudia inspicere valeant. Aliter : Capita reproborum possumus intelligere principes illorum. Cum enim se viderint reprobi jam in judicio constitutos et damnatos, ponent pulverem terræ super capita sua, hoc est, faciem suorum principum exprobrabunt, a quibus seducti sunt, ut terrena diligerent, pro quibus tunc peribunt, dicentes: *Væ, væ, civitas illa magna* Babylon, *in qua divites facti sunt omnes qui habent naves in mari de pretiis ejus*. Nam multi negotiatores in hoc sæculo ditantur ex his quæ navigio, non solum de loco ad locum vehuntur, sed etiam de regione ad regionem, sicut, verbi gratia, fiebat temporibus Salomonis, quando classes ibant semel in tribus annis in Ophir, et afferebant inde auri talenta quadraginta, et multas alias species quæ non poterant reperiri in terra Israel : sic fit etiam usque hodie, unde ex Græcorum regione pallia et ornamenta varia in his regionibus deferuntur. *Quoniam una hora desolata est.* Id est subito adveniente die judicii. Attende, quia non solum jacturam divitiarum, sed etiam repentinam improvisamque deflent ruinam hujus sæculi.

Exsulta super eam cœlum et sancti apostoli et prophetæ. Quæstio oritur in hoc loco, cum Dominus in Evangelio præcipiat, *diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Luc.* XXVI), quid est quod hic hortatur cœlum, apostolos, et prophetas ut gaudeant? Sed sciendum est, quia non de perditione reproborum lætari jubentur, sed potius de justo Dei judicio. Unde cum dixisset, Exsulta cœlum et apostoli et prophetæ, protinus subjecit : *Quoniam judicavit Deus judicium vestrum de ea*. Vel etiam in hoc lætari præcipiuntur, quia post damnationem reproborum ventura est eorum remuneratio. Neque enim ante electi sublevabuntur ad gloriam, quam reprobi damnentur, et in infernum demergantur, quia scriptum est : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*. Gaudent ergo, quia justo judici concordant. Non enim illi concordarent si de ejus justo judicio non gauderent. Gaudent etiam : quia dum illi pereunt, gloria illorum appropinquat. Unde Dominus cum ruinam pereuntis mundi suis discipulis exposuisset, statim subjecit : *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra* (*Luc.* XXI). Ac si diceret : Cum ex mundi desolatione, finem ejus appropinquare cernitis, respicite et levate capita vestra, id est, exhilarate corda, quia dum finitur mundus, cui amici non estis, prope fit redemptio quam quæsistis. In cœlo, apostolis et prophetis comprehenditur omnis Ecclesia a principio sæculi usque ad finem decurrens. *Quoniam judicavit Deus judicium vestrum de ea*, hoc est illud judicium de quo superius legimus quod animæ sanctorum sub altare Dei clamabant dicentes : *Usquequo, Domine, sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra* (*Apoc.* VI)? Judicavit judicium nostrum, id est damnavit illam juste, quæ nos damnaverat injuste. Et quæ nobis temporalem intulit mortem, nunc æternam sentiet gehennæ pœnam. Verum ista omnia beatus Ansbertus Ambrosius etiam ad eos refert, qui his malis exterriti, dum attendunt quæ sibi futura sunt, ad fructuosam pœnitentiam ex hac contritione confugiunt.

Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon magna illa civitas, et ultra jam non invenietur. Iste angelus Dominus Jesus Christus est, qui est nuntius paternæ voluntatis. De quo Propheta dicit : *Vocabitur magni consilii angelus*. Cum dicit, *sustulit lapidem molarem magnum*, tale est, quasi dicat : Sustulit molam magnam. Recte ante *unus angelus* fuisse dicitur, quia unus est Dominus, una fides, unum baptisma. Bene *fortis*, quia ad debellandas aereas potestates venit. De quo Psalmista dicit : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio* (*Psal.* XXIII). Per molam, volubilitas hujus sæculi intelligitur, in qua multæ farinæ, id est multæ cogitationes et curæ temporales fiunt. Lapis autem molaris significat pondus peccatorum, quod in eadem actione contrahitur, ab efficiente scilicet illud quod efficitur. Ex hac mola Dominus dicit de hominibus in extremitate hujus sæculi positis : *Erunt duæ molentes, una assumetur, et altera relinquetur* (*Luc.* XVII). De hac etiam mola dicitur : *Quia qui scandalizaverit unum de pusillis istis credentibus in me, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demer-*

gatur in profundum maris (*Matth.* XVIII). Quod non A solummodo de scandalo intelligitur, sed de omnibus gravioribus peccatis, pro quibus mittentur reprobi in mare, id est in profunditatem inferni. Et hoc per angelum, id est per Christum, quia sicut ipse dicit : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V). Hoc impetu, id est, ista velocitate mittetur magna illa civitas in mare, et ultra non invenietur, id est, sicuti iste lapis velociter transit in profundum maris, sic omnis cœtus reproborum velociter mittetur in profunditatem inferni, et amplius non invenietur in societate Ecclesiæ. In hac enim Ecclesia simul sunt boni cum malis : quia sicut hæc vita inter cœlum et terram media consistit, ita utriusque partis cives inter se continet. Tunc autem separabuntur omnes mali, nec ultra invenientur in societate bono- B rum.

Et vox citharœdorum et musicorum et tibia canentium et tuba, non audietur in te amplius. Ex his quæ superius commemoraverat, quæ ad quinque sensus corporis pertinent, subjungit quæ simul etiam inter alia de mundo auferri prædicit. Omnia enim hæc cum delectatione a principibus hujus sæculi requiruntur, sed tunc ab illis auferentur, quia jam nulla erit eis delectatio, ut pote qui in tormento constituti, æternis pœnis cruciabuntur. Et ostendit in his omnibus ea quæ per quinque sensus corporis cum dulcedine percipiuntur, penitus ab hoc sæculo esse transitura. *Et omnis artifex* sicut fabri, carpentarii, gemmarii, *et omnis ars in te non invenietur amplius, et vox molæ non audietur in te amplius, et lux lucernæ* C *non lucebit tibi amplius, et vox sponsi et sponsæ non audietur adhuc in te.* Ac si diceret. Omnia quæ ad usum et jucunditatem pertinent, tollentur ab impiis. Et quare hoc fiat, subinfertur causa. *Quoniam mercatores tui,* inquit, *erant principes terræ.* Isti sunt mercatores, de quibus supra dictum est, qui ut honores temporales sibi acquirant, animas suas infelici commercio commutant. Et idcirco, quia Babylon terrena quærit, quæ utitur bonis temporalibus, et ipsa justo Dei judicio fraudatur, et æternis suppliciis damnanda submergitur. Ex ipsis enim regibus terræ ac mercatoribus impia civitas constat, qui et suas animas venales faciunt, et elationis fastu in superbiam elevantur. *Quia in veneficiis*, id est in maleficiis, *tuis erraverunt omnes gentes.* Hinc manifes- D tatur, quia sicut Ecclesia in omnes mundi gentes distenditur, ita et Babylon. Maxime autem principes hujus sæculi ostendit avaritiæ servire in his verbis, quorum exemplis cætera perit multitudo.

Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terra. Sermo divinus aliquando loquitur ad Babylonem, quasi ad secundam personam, aliquando de Babylone, quasi de tertia. Dicit enim superius : *Omnis artifex et omnis ars non invenietur in te amplius,* etc., similiter nunc autem dicit : *Et inventus est in ea sanguis prophetarum et sanctorum, qui interfecti sunt in terra.* In quibus verbis apertissime demonstratur, in hac civitate totum corpus diaboli intelligi debere. Sanguis autem inventus dicitur, id est vindicta sanguinis, quæ veniet super omnem reprobam generationem, juxta illud : *Requiretur sanguis omnium qui effusus est super omnem terram a generatione hac.* Sciendum est etiam, quia, ut supra dictum est, illi sanguinem prophetarum et sanctorum fudisse inveniuntur, qui dicta illorum in alium sensum quam prolata sunt, pervertere non timuerunt.

CAPUT XIX.

Post hæc, id est post prædictam visionem, *audivi* mente *quasi vocem magnam tubarum multarum in cœlo dicentium : Alleluia.* Joannes in hoc loco personam tenet Ecclesiæ, quæ quotidie audit has voces, quia ipsa eas mittit. Quod autem dicit : *Post hæc* non est diversitas temporis, sicut dictum est, sed ordo narrationis. Ista autem vox magna, magnum est sanctorum desiderium, quæ recte magna dicitur, quia sancti magna loquuntur, magna operantur. Multitudo tubarum, multus est conventus fidelium. Sed quamvis multi sint, unam vocem emittunt : quia omne quod loquuntur, in unius fidei concordia consistit. Istæ sunt tubæ prædicatorum quibus septem diebus Hiericho circumeuntibus, muri illius corruerunt, quod mystice in hac Ecclesia completur, in qua per septem dies, hoc est, per omne tempus hujus vitæ prædicatoribus tubam doctrinæ insonantibus, omnis fortitudo infidelium ruit. Alleluia, Græcus sermo est, Latine dicitur : *Laudate Dominum.* Unde et ubi nos in nostris codicibus habemus : *Laudate, pueri, Dominum* Græci habent alleluia. Alleluia ergo sancti resonant, quia et ipsi Dominum verbo et opere laudant, et cæteros ut eadem faciant admonent. Hoc fecerunt præcedentes fortissimi patres, hoc nos etiam licet infirma mente parvuli dicimus. Sed jam quid dicant audiamus : *Alleluia, laus et gloria et virtus Deo nostro.* Hoc enim alleluia dicere scilicet, quod laus : quia omnis creatura cœlestis et terrestris Deum laudare debet. Et gloria, id est honor et exsultatio. Et virtus Deo nostro est, quia ipse vicit diabolum, et electis suis potestatem vincendi tribuit, quibus ipse dicit : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI).

Quia vera et justa sunt judicia ejus. Quibus scilicet judicavit, ut hi qui sanguinem fuderunt, sanguinem bibant, hoc est, vindictam sanguinis sustineant. Hinc Psalmista dicit : *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum* (*Psal.* CXVIII).—*Qui judicavit de meretrice magna*, id est de omni malorum multitudine. *Quæ corrupit terram*, hoc est, seipsam. *In prostitutione sua.* Hoc est in immunditia carnis, vel in idolorum cultura, seu etiam in delectione terrenarum rerum plus quam cœlestium. *Et vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus.* Quia sicut illi effuderunt eorum sanguinem, ita et ipse fudit sanguinem illorum. Vel effusionem sanguinis possumus intelligere spiritualiter, sicut et supra. Sanguinem enim sanctorum fuderunt, quia spiritualem sensum corruperunt. Et

quia illud quod vitale erat in divinis eloquiis effuderunt, et in carnalem sensum verterunt, ipsi quidquid vitale habent, amittunt.

At iterum dixerunt : Alleluia. Geminatio sermonis confirmatio est. Ecclesia enim semper indesinenti affectu Deum laudat, ex cujus persona Psalmista dicit : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII). Duoque meretricis in hoc loco facta commemorantur, quod videlicet terram, hoc est, seipsam malis operibus corruperit, et quod sanguinem sanctorum fuderit, pro quibus gehennæ incendium æternaliter sustinebit. *Et fumus* tormentorum *ejus ascendit in sæcula sæculorum*. Hic fumus non præsentis sæculi tribulationem, sed æternam significat. Unde intuendum, quia non dicit ascendet, sed *ascendit*, quia videlicet in singulis reprobis quotidie reproba civitas damnatur, et ad inferni pœnas deducitur, sicut quotidie Hierusalem transit in singulis electis ad patriam cœlestem, nam hic per fumum flamma æternæ pœnæ designatur, quia miseri in æternum sunt torquendi. Hic locus valet contra eos qui dicunt quod reprobi post multos annos ad gloriam sint reversuri, contra sententiam Domini, qua dicturus est illis : *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Quidquid enim æternum est, terminum non habet, et hoc est quod hic dicitur, *Fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum*, quia videlicet tormenta, quibus miseri tunc tradentur, finem non accipient.

Et ceciderunt viginti quatuor seniores et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes : Amen, Alleluia. Quod viginti quatuor seniores, hoc significant et quatuor animalia, id est omnem electorum Ecclesiam. Quia enim subjectorum facta examinat, recte per seniores : quia pascua æternæ viriditatis inquirit, digne per animalia figuratur. In vicesimo autem quarto numero, sicut supra dictum est, omnes patres tam Veteris Testamenti quam Novi ostenduntur, propter duplicatum duodenarium, de cujus natura satis superius dictum est. Iste autem casus seniorum et animalium non pertinet ad ruinam, sed ad humilitatem. Cadunt enim ante sedentem in throno, id est ante Deum, qui præsidet suæ Ecclesiæ, quia semetipsos humiliantes, quidquid habent in fide et opere, ipsi deputant, a quo hæc perceperunt, qui dicit : *Sine me nihil potestis facere*. Aiunt ergo adorantes, *Amen*, id est *verum est*, quia Deo nostro est laus et gloria et virtus, qui judicavit de meretrice magna; justum est enim ut qui sanguinem sanctorum fudit, sanguinem bibat, hoc est, vindictam sanguinis sustineat. Et idcirco laudandus est, qui sive propter voluptatum illecebras, seu propter sanguinis effusionem, non nisi juste reprobos damnat, seu condemnat. Amen quippe interpretatur *verum* : Alleluia, *laudate Dominum*. Cum autem thronus et viginti quatuor seniores una sit Ecclesia, distinguitur ita, quia et generaliter a Christo, ut unus thronus, et specialiter in quibus suis eminentioribus membris mystice sedet super thronos ideoque se invicem hortantes, dicunt, *Alleluia*, id est, *Laudate Dominum*.

Et vox de throno exivit, dicens : Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti ejus. Hoc non semel, sed etiam secundo in præmissa locutione factum legimus, quod hic iterum fieri jubetur. Sed ut ipsa laus indeficiens semper perseveret, ipsa membra mutua exhortatione informantur, ut omnes ei laudem dicant, thronus enim ipsi sunt servi Dei. Cum ergo de throno exivit vox, et aures secundo penetrat, nimirum servi ad conservos exhortationis proferunt verbum. Verum in hoc quod sequitur, *et qui timetis Deum*, quæstio oritur, quare timentes Deum laudare præcipiantur, cum ipse Joannes dicat in Epistola sua : Quoniam timor pœnam habet, etc. Qui timet, non est perfectus in charitate. Alibi quoque scriptum est, quia *non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV). Sed sciendum est quia duo sunt timores, servorum videlicet et filiorum. Servi enim timent ne flagellentur a dominis : filii autem, ne oculos offendant pii patris, et hæreditate eorum priventur. Ita ergo aliter timent reprobi, atque aliter justi. Reprobi timent, ne damnentur in inferno pro suis peccatis : Justi autem, ne aliquid peccent, et oculos sui creatoris offendant. Isto itaque timore timentes præcipiuntur laudare Deum, et de quo Psalmista dicit : *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII.) — *Pusilli et magni*. Pusilli sunt, qui non possunt penetrare altiora mysteria, quibus Apostolus dicit : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam* (*II Cor.* III). Nec possunt etiam implere Domini consilium, quo ait : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, et sequere me* (*Matth.* XIX). Magni vero sunt, de quibus ipse Dominus dicit : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* V). Hi omnes Deum laudant, et hoc in Ecclesia, in qua pariter consistunt, juxta illud : Parvus et magnus ibi sunt, subaubitur in regno, filii dilectionis.

Et audivi vocem quasi tubæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium : Alleluia. Magna vox canticorum, magna est devotio sanctorum. Quæ recte tubæ comparatur, quia magna prædicat. Unde per Isaiam dicitur : *Quasi tuba exalta vocem tuam*. Vox quoque aquarum multarum, vox est populorum multorum, aquæ enim multæ populi sunt multi, sicut supra legimus. In voce autem tonitruorum magnorum terror exprimitur judicii. Tonitrua quippe magna ex se emittunt, quando impiis terrorem divini judicii annuntiant. Omnes itaque, id est prædicatores et subditi auditores invicem se hortantes dicunt : *Alleluia*, id est, *Laudate Dominum*. — *Quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens*. Ac si dicant : In eo nobis collaudandus est, quoniam sicut ab initio mundi regnavit in nobis diabolus, sic ab adventu suo regnavit ipse Christus, et nos qui eramus dudum regnum diaboli, transtulit in regnum gloriæ suæ,

moriens, et tertia die a mortuis resurgens. Cujus etiam potentia in hoc principaliter ostenditur, quoniam qui potuit in principio mirabiliter hominem formare, ipse mirabilius moriens in fine temporum, eum, qui perierat, potuit reformare. Et in his omnibus simul potentia illius ostenditur et misericordia.

Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei. Hæc vox non est extraneorum, id est, non est Judæorum, paganorum, qui a fide Christi et consortio fidelium longe sunt, sed vox omnium sanctorum invicem se hortantium ut gaudeant et exsultent, dentque gloriam omnipotenti Deo, qui sine ullis præcedentium bonorum actuum meritis, sola sua misericordia ad tantam eos perduxit dignitatem. *Quoniam venerunt nuptiæ Agni.* Nuptias in sacro eloquio sæpe legimus esse appellatam Christi et Ecclesiæ conjunctionem, unde est: *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias Filio suo* (*Matth.* XXII). Sponsus enim est Christus, sponsa Ecclesia, quia sibi desponsavit et per fidem et gratiam baptismatis. Dedit ergo Christus huic sponsæ arrham, id est fidem, spem, charitatem: et per hæc toto isto tempore conjungitur illi, in futuro autem jam ei per rem sociabitur. *Et uxor ejus præparavit se.* Duo dicit, sponsam videlicet, et uxorem nunc enim sancta Ecclesia est sponsa, cum autem ad amplexus viri sui fuerit perducta, et quod nunc videt in spe, viderit in re, tunc erit uxor. Consuetudo quippe est sacræ Scripturæ, ut aliquando sponsas appellet uxores, et sponsos viros: iterumque sponsas uxores, et maritos sponsos. Unde evangelista cum superius dixisset de Domini matre: *Cum esset desponsata mater ejus Joseph*, in sequentibus addidit: *Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere illam.* Cui et angelus dixit: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* (*Matth.* I), cum necdum scilicet esset ejus uxor. Tale est et illud: *Si invenerit puellam desponsatam in agro, et dormierit cum ea, morte moriatur, quia humiliavit uxorem proximi* (*Exod.* XXII). Appellatur quoque vir et uxor, sponsus et sponsa, sicut Joel dicit: *Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo* (*Joel* II). Quod autem dicit: *Uxor ejus præparavit se*, non de ista quæ nunc agitur præparatione per fidem intelligitur, sed potius de illa de qua Dominus dicit: *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. Tunc venit sponsus, et quæ paratæ erant, intraverunt ad nuptias cum eo* (*Matth.* XXV). Ista est conjunctio, quando quæ dicebatur sponsa, transit in conjugem. Et cum in fine sæculi ista conjunctio et præparatio debeat fieri, jam facta esse refertur in Dei prædestinatione. Et ideo omnes justi ad hanc conjunctionis speciem anhelant, et invicem se hortantes dicunt: *Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei.* Potest etiam et ita intelligi, quod cum illuc Ecclesia pervenerit, ista sit dictura. Et hoc prævidens spiritus pro certo uturum ita narrat, quasi jam sit factum.

Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Quid sit byssinum, ipse aperit cum subjungit. *Byssinum enim sunt justificationes sanctorum.* Justificationes autem sanctorum fiunt per fidem, juxta quod Apostolus dicit: *Justificati per fidem, pacem habeamus ad ipsum.* Fiunt etiam justificationes per gratiam baptismatis, per eleemosynarum largitatem, per charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum. Et quia has virtutes Ecclesia a se non habet, sed a Deo percipit, idcirco dicitur: *datum est illi*, a Deo scilicet, a quo omne bonum tribuitur, juxta illud: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I). Hinc et Paulus ait: *Quid habes quod non accepisti?* (*I Cor.* IV). In hac itaque vita per fidem et charitatem cooperitur Ecclesia, in illa autem sola charitate vestietur, quæ major horum esse perhibetur. Et in hac charitate omnes maxime justificationes consistunt, propter quam cuncta per fidem operantur. Bene autem byssinum splendens et candidum dicitur, quia videlicet nullis peccatorum tunc maculis offuscabitur electorum conscientia, quæ hic per fidem, spem, et charitatem fuerit ornata.

Et dicit mihi: Scribe. Videlicet in corde tuo, vel etiam scribe in libro, ut perveniat ad posteros. Nam et quod Joanni dicitur, omni Ecclesiæ dicitur, cujus ille tunc typum gerebat. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Non de his nuptiis quæ in præsenti aguntur, ista dicuntur, ad quas multi intrare videntur per fidem et baptismum, sed non ideo sunt beati, quia fidem quam habere videntur, operibus maculant, unde scriptum est: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX). Sed de his nuptiis hoc intelligitur, in quas solummodo boni intrabunt, ubi jam non erit quisquam qui dignus sit projici, non habens vestem nuptialem, sed omnes candidis stolis induti, gaudebunt in æternum cum Christo. Has multi exituri intrant, sed illas quisquis semel intraverit, ulterius non exibit. *Beati*, id est felices, *qui ad cœnam nuptiarum Agni*, id est, ad supernum illud et cœleste convivium, *vocati sunt* in Dei præscientia et prædestinatione, id est ad societatem angelorum et sanctorum hominum, ibi erit refectio animarum sanctarum, id est præsens omnipotentis Dei vultus. Unde Psalmista dicit: *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI). De hac cœna et in Evangelio dicitur: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei* (*Luc.* XIV). In hac cœna ipse Dominus suis ministrabit fidelibus, justa illud: *Præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis* (*Luc.* XII). Bene autem non convivium, sed cœna vocatur, quia nimirum in fine sæculi adimplebitur. Post prandium enim cœna restat, post cœnam autem convivium nullum restat; qui ergo, finito præsentis vitæ termino, ad refectionem supernæ contemplationis veniunt, profecto ad cœnam Agni vocantur. *Et dicit mihi, Hæc verba Dei vera sunt.* Id est quia Deus verax est, qui non mentitur aliquando, et hæc verba quæ dico tibi Dei verba sunt, et ideo pro certo venient quæ futura

prædixi. Quæ Dei verba ad hominem veniunt, quando per internam inspirationem ipsum Dei verbum ea in corde revelat fidelibus sine strepitu vocis.

Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum, et dicit mihi: Vide ne feceris. Conservus tuus et fratrum tuorum sum habentium testimonium Jesu. Quia majorem se vidit Joannes, idcirco cadens angelum adorare voluit. Hic etenim et angelus et Joannes proprias sumunt personas, nam cum supra angelus dixerit: *Ergo sum α et ω, primus et novissimus,* ostendit se in hoc loco missum esse in figura Christi, cum propriam personam considerans, prohibet ne se adorare debeat. ubi et notandum, quod idem angelus pedes habuisse dicitur, quia nimirum veniens, ex aere corpus assumpsit. Ait ergo: *Vide*, id est cave *ne feceris*, quia *conservus tuus sum*, quia unum Dominum habemus ego et tu, et in nullo sum tibi prælatus, nisi tantum in doctrina, quam te missus sum docere, nec solum tuus sum socius, sed etiam omnium fratrum tuorum, fidelium scilicet hominum me coæqualem esse profiteor, habentium testimonium Jesu, id est fidem Jesu. Ubi et hoc intuendum, quia cum sæpe in Veteri Testamento legimus angelos ab hominibus adoratos, nequaquam legimus eos fuisse prohibitos. Postquam autem Dominus assumptum hominem super cœlos levavit, angelus ab homine adorari timuit, quem super se regnare cognovit: et quia ne se adorare debeat ei dicit, et ostendit quem adorare eum oporteat, subjungens: *Deum adora.* Quasi diceret: Noli adorare me, qui verba tibi depromo, sed eum, in cujus persona tibi appareo. *Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ.* Quidquid enim spiritus prophetiæ dixit, testimonium est Jesu, cui lex et prophetæ testimonium perhibent. Unde et cum ipso in monte transfigurato Moyses et Elias apparuerunt in eadem majestate, ut ostenderetur, ipsum habere testimonium a lege et prophetis. Hinc ipse Dominus dicit Judæis: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* v). Omnis enim Scriptura per Spiritum est data. Et ideo ipse spiritus prophetiæ testimonium Jesu est, quia omnis Scriptura testimonium perhibet Jesu. Unde ipse resurgens a mortuis, dixit discipulis suis: *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi et prophetis et Psalmis de me* (*Joan.* I); nam et eo baptizato, Spiritus sanctus testimonium ei perhibuit quod esset Dei Filius, quando in specie columbæ super eum descendit. Spiritus itaque prophetiæ Christo testimonium perhibet, quia omnia quæ lex et prophetæ narrant, de illo dicta videntur. Habent autem hoc testimonium Jesu, non hi qui verbotenus ea quæ de illo dicuntur credunt, quia fides si non habeat opera, mortua est, sed qui ea fide pollent, quæ per dilectionem operatur, id est qui fidem quam habent, operibus ornant. Sed ubi omnis summa fidei de Christo enuntiata concluditur, ibi tandem hujus prolixitas libri debito fine terminetur.

LIBER SEPTIMUS.

SEQUITUR CAPUT XIX.

Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus. Cœlum, ut sæpissime jam dictum est, Ecclesia electorum intelligitur, de qua scriptum est: *Cœlum mihi sedes est.* Et Salomon dicit: *Anima justi sedes est sapientiæ.* Paulus autem confirmat Christum esse Dei virtutem et Dei sapientiam. Quod videlicet cœlum clausum fuit, quando non permittebantur apostoli et cæteri fideles libere loqui, nec dumque prædicando pervenerant ad omnes gentes. Clausum erat hoc cœlum, quando timore cogente apostoli positi erant in conclavi propter metum, et sub silentio se tegebant, quando venit Dominus januis clausis, et stetit in medio, et dixit eis: *Pax vobis.* Sed postquam ille ascendit ad cœlos, aperuit hoc cœlum, quia decima die ascensionis suæ, misit eis Spiritum sanctum, quo inflammati, cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei: et qui prius non audebant Christum confiteri in sua lingua, postea innumera hunc diversitate linguarum publice prædicabant. Per equum album, corpus et animam Christi intelligere debemus: per sessorem autem equi, divinitatem Verbi, quæ præsidet suæ humanitati. Hunc autem equum tunc divinitas ascendit, quando Verbum Dei humanam sibi carnem et animam suscipiendo univit. Sed cum aliud sit equus, aliud equester, quia equus est animale, equester est homo, non hoc in Dominum cadit, in quo non sunt duæ personæ, sed una, in duabus tamen substantiis. Sicut enim homo ex anima et carne constans, unus homo habetur, ita ipse ex anima et carne constans et divinitate, unus est Christus, in una eademque persona ex duabus constans substantiis. Bene autem ipse equus, cui divinitas Verbi singulariter præsidet, albus esse describitur, quia videlicet in homine illo assumpto, nullius peccati offuscatio invenitur. Unde scriptum est: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (*I Petr.* II). Cœlo itaque aperto, equus albus et sessor aspicitur, quia Ecclesia prædicante, humanitas Christi ejusque divinitas gentibus manifestatur. De cujus divinitate adhuc subjungitur, *et qui sedebat super eum, vocabatur fidelis et verax.* Fidelis, quia quidquid promittit, sine dubio adimplebit: verax, quia ipse est Patris veritas, qui non mentitur aliquando, *et cum justitia judicat,* hoc est unicuique secundum opera sua retribuit. Neque enim aliter judicare potest, qui in omnibus justus est. Unde qui eum attendunt miseri-

cordem et fidelem promissorem, debent considerare quia verax et justus est, ideoque nullum impœnitentem impunitum relinquit, nullum non conversum misericordia salvat, *et pugnat* in suis electis. Vicit enim primum per se diabolum, quoniam ad debellandas aereas potestates venit, deinde vincit quotidie per membra sua. Ut enim fideles victores fiant, Christi juvantur auxilio, sine quo nihil facere possunt. Judicat ergo, ut rex sæculorum : pugnat, quia in suis membris semper contra dæmonum vel pravorum hominum adversitates dimicat.

Oculi autem ejus ut flamma ignis. Oculi istius equitis dona sunt Spiritus sancti. Unde superius dictum est, quod viderit agnum tanquam occisum Joannes, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in orbem terrarum. Qui oculi bene *ut flamma ignis* dicuntur, quia videlicet nos ad fidem illuminant, et ad Dei amorem et proximi accendunt. Vel per oculos Domini possumus intelligere divina eloquia, quæ nos similiter illuminant, et ad Dei amorem accendunt. Unde Psalmista dicit : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Ps.* CXVIII) ; et iterum : *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Ps.* XVIII). — *Et in capite ejus diademata multa.* Quia Dominus multis electis victoriarum coronas tribuit, idcirco in capite suo multa diademata habere dicitur, quibus multitudo sanctorum coronatur. Quia enim caput omnium electorum est, et membra ejus electi, a quo accepit caput ut sit, ab ipso et membra coronantur. Singulis autem victoribus, ipse coronas victoriæ tribuit, sed tamen (ut jam dictum est) ipse in omnibus vincit. Aliter : Caput Christi Deus est, juxta quod Apostolus dicit, Verbum autem et Pater cum Spiritu sancto unus est Deus. In capite ergo Christi, id est in Deo Patre, sunt multa diademata, quia omnia ad ipsum referuntur, ex quo secundum Apostolum omnia esse probantur. Filius enim non a seipso, sed a Patre est, Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit. A quo ergo omnia, in ipso et diademata multa. Omnes itaque electi in capite Christi habent coronas, quia a Patre post victoriam coronantur. Sed in hoc quod sequitur, *habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse,* valde perplexa oritur quæstio, nunquid Filius scire aliquid potest, quod nesciat Pater aut Spiritus sanctus? Non omnino, quia quorum inseparabilis est substantia, inseparabilis est et scientia, ideoque quod scit Filius, scit Pater, scit et Spiritus sanctus, atque ideo cum Filius aliquid scire dicitur, omnis prorsus Trinitas scire docetur : et quod solus Pater scire narratur, cum sua sapientia quæ Christus est, et suo suæque sapientiæ Spiritu nosse probatur : et quidquid Spiritus sanctus perhibetur scire, omnino cum Patre et Filio quorum Spiritus est, scire creditur. Nam et quod in Evangelio Dominus dicit : *De die autem illa nemo scit nisi Pater*, non est ita intelligendum, quod aliquid sciat Pater, quod nesciat Filius, qui utique Patris est sapientia, sed potius ita quod nescire Filius dicitur, nescientes homines reddere, sicut et scire dicitur, aliquid scientes homines facere. Unde est : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat* (id est, ut scire vos faciat) *si diligitis eum*, an non. Cum ergo interrogassent eum apostoli de die judicii, et eis non ipsum diem indicavit, per hoc utique nescire ipsum dicitur diem, quia eos nescientes reddidit. Neque enim ille ignorare potest diem, a quo omnis factus est dies : nec potest aliquod esse tempus, quod eum lateat, per quem facta sunt omnia tempora. Nomen itaque Filii Pater scit, a quo est genitus, scit etiam Spiritus sanctus, quia ab utroque procedit. Sed nunquid hoc nomen etiam homines non sciunt? Nam in sequentibus idem Joannes dicit : *Vocatur nomen ejus Verbum Dei*, et iterum : *Habebat in vestimento et in femore suo scriptum, Rex regum et Dominus dominantium.* Si ergo beatus Joannes nomen ejus scivit, quid est quod dicit : Nemo novit nomen ejus nisi ipse? Nunquid enim ipse aliquis non erat qui scire potuit nomen Dei? Sed subaudiendum est, nemo extraneus novit nomen ejus, nisi ipse cum corpore suo, scilicet quod est Ecclesia : non Judæi, qui eum in suis synagogis blasphemant : non hæretici, qui male de illo sentiunt : non pagani, qui in eum credere nolunt : non utique falsi Christiani nomen ejus sciunt, sicuti qui fidem quam habent, operibus destruunt : sed ipse, hoc est Christus cum Ecclesia, quæ in ipso illud scire meruit, scit nomen suum. Talis est hæc locutio, qualis illa, qua ipse alibi ait : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III), id est Christus cum corpore suo, quod est Ecclesia.

Et vestitus erat veste aspersa sanguine. Vestis sanguine respersa, caro intelligitur Redemptoris, passionis sanguine cruentata. De hac veste Isaias ex persona angelorum ad ipsum Dominum loquentium dicit : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Quibus ipse respondit : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* (*Isa.* LXIII). Sive etiam vestis Domini sanguine cruentata, intelligitur Ecclesia, quæ in sanctis martyribus proprio sanguine est perfusa. Sæpe enim in Scripturis vestis Domini Ecclesia intelligitur. Unde Psalmista ex illius persona dicit : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Psal* XXI). Vestis quippe Dei sunt omnes electi, juxta quod ei a Patre dicitur : Vivo ego, dicit Dominus, quoniam his omnibus vestieris. *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei,* quia idem qui homo apparuit in tempore passurus, in principio erat Deus et apud Deum. Verbum Dei vocatur, quia per ipsum omnia Deus Pater fecit, juxta illud : *Ipse dixit et facta sunt.* Si enim dixit, utique per Verbum dixit, per quod omnia fecit. Unde idem Joannes in Evangelio suo ait : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I). Nam et per hoc Verbum Deus Pater se nuntiari voluit mundo. De quo scriptum est : *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*). Cum enim hoc esset Verbum invisi-

bile in sua natura, factum est visibile per assumptionem carnis in nostra.

Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis. Exercitus hic multitudo intelligitur fidelium. Cœlum quoque Ecclesia est, sicut sæpissime dictum est. Sic ergo dicuntur exercitus qui sunt in cœlos sequi Christum, cum ipsi exercitus sint cœlum, sicut dicuntur in castris inire homines certamen, cum ipsa castra sint ipsi qui præparantur ad bellum. Recte autem exercitus nuncupantur multitudines sanctorum, quia in hoc sæculo dimicant, et semper in certamine consistunt contra hostes, videlicet malignos spiritus, vel perversos homines, sive etiam contra vitia carnis. Equi autem albi quibus insident corpora illorum munda ab omni peccato. Equus quippe est unicuique sanctæ animæ corpus suum, quod videlicet scit et ab illicitis continentiæ se freno restringere, et rursus charitatis impulsu, in exercitationem boni operis relaxare. Sequuntur Christum, quia imitantur ejus munditiam et castitatem, mortificantes se cum vitiis et concupiscentiis, juxta illud Apostoli : *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram*, etc. (*Col.* III). Superius dictum est de virginibus, quod centum quadraginta quatuor millia sequuntur illum quocunque ierit. Unde sciendum, quia sequuntur eum et alii, hoc est martyres, confessores, conjugati etiam boni, specialiter virgines. Qui gradus quando excellentior, tanto est utique numero minor. *Vestiti byssino albo et mundo.* Hoc est innocentia castitatis, et munditiæ ornati. Jam enim supra dictum est, quid sit byssinum, id est justificationes sanctorum.

Et de ore ipsius procedit gladius ex utraque parte acutus. Gladius sacra Scriptura intelligitur, juxta illud Apostoli : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI). De isto gladio ipse Dominus in Evangelio ait : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* X). Sicut enim gladio ancipiti inciduntur carnes, et membra a membris separantur, sic gladio verbi Dei dividuntur boni a malis, fideles ab infidelibus. Hic etiam gladius in utroque Testamento intelligitur, quia videlicet hinc peccata operis, et illinc resecantur peccata cogitationis. De ore Dei procedit, juxta quod ipse Dominus dicit : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei* (*Matth.* IV). Isto autem gladio fideles vulnerantur ad salutem suam, infideles vero et contemptores ad damnationem. Hinc et Apostolus, qui unus erat ex his qui gladium verbi Dei portabant, dicit : *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II Cor.* II). Unde sequitur : *ut in ipso percutiat gentes.* Gentes in hoc loco non ut supra malas gentes significant, sed bonas, propter hoc quod sequitur. *Et ipse reget eas in virga ferrea.* De his gentibus ei et per Psalmistam a Patre dicitur : *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II). Virga autem ferrea potestas intelligitur inflexibilis et invicta. In virga ferrea reget gentes, hoc est in regni fortitudine, vel inflexibili justitia. Hinc Psalmista ad ipsum dicit : *Virga recta est virga regni tui.* Et quasi exponendo quid esset hæc virga, subdit : *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem.* — *Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Quia propter peccata humani generis quibus promeruit iram Dei, mortuus est Christus. Nemo enim viveret, nisi ipse moreretur. Nisi enim peccasset primus homo, immortalis mansisset. Sed quia Dei præcepta contempsit, statim iram Dei incurrit et mortuus est. Quam mortem pro nobis misericorditer Filius Dei suscipiens, in qua calcatus est, calcavit, quia hanc a mortuis resurgens, potenti virtute depressit. Vel per torcular possumus intelligere tribulationem præsentis vitæ. Calcat Dominus torcular, hoc est qui sunt in torculari, id est omnes electos, quos purgat per hujus vitæ angustias. Hinc Apostolus dicit : *Per multas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei.* Et Salomon : *Flagellat Deus omnem filium quem recipit.* Sicut enim in torculari uvæ tunduntur, ut vino promptuaria repleantur, sic nimirum electi pressurarum afflictionibus conteruntur, ut in cœlestibus habitaculis recondantur. Et quia patienter electi iram Dei sustinent, quæ peccatoribus debetur, idcirco bene jam vinum furoris iræ Dei vocantur. Sustinent enim iram Dei propter peccata, quibus primo homini, ut dictum est, iratus est Deus, et efficiuntur vinum quod in dominicis apothecis reconditur. Vinacia autem, id est omnes reprobi, cum similiter premantur, foras projiciuntur, et ab illorum societate separantur. Sed electi tamdiu vinum furoris sunt, quousque in torculari vice uvæ tunduntur, et a vinaciis separantur. At ubi promptuaria æterna intraverint, jam desistunt esse vinum furoris, quia desinit calcatio torcularis.

Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium. Per vestimentum Domini, sicut supra diximus, corpus illud intelligitur, quod Verbum Dei patris anima mediante suscepit in utero virginis. Per femur vero propagatio carnis exprimitur, unde Abraham mittens servum suum ut acciperet uxorem filio suo de domo patris ejus, dixit ei : *Pone manum tuam sub femore meo, et jura mihi per Dominum cœli et terræ* (*Gen.* XXXIV). Prævidit enim Dominum cœli ex suo femore nasciturum, per quem adjuravit servum ; Jacob quoque dixit : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est* (*Gen.* XLIX). In suo itaque vestimento, hoc est in humano corpore, et in femore, id est in carnali propagatione, habet scriptum quod sit rex Regum et Dominus dominantium. Unde Matthæus generationem illius per reges describit, id est per David et ejus posteros. Cujus dicta cum legimus, et veraciter eum ex stirpe David descendisse, regem verum cognoscimus, et credimus, in Domini femore credendo legimus, quod ipse sit rex regum. Maxime enim promissiones de ejus incarnatione ad David factæ sunt, e quibus una est : Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo de semine tuo, quod egredietur de lumbis

tuis, et stabilietur regnum ejus in sempiternum. Ipse erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem (*II Reg.* VII). Reges isti quorum rex Christus est, omnes sancti sunt, qui se et alios bene regunt. Quibus Petrus dicit: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II). Ipsi sunt etiam dominatores, qui dominationem exercent super subditos, accepta potestate in Petro apostolo, cui Dominus ait: *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI). Vel etiam per Domini vestimentum Ecclesia intelligitur, quam Christus fonte baptismatis abluit, et non habentem maculam aut rugam sibi desponsavit. Per femur autem omnes intelliguntur Christiani, qui credentes in Christum, facti sunt filii Dei, juxta illud Joannis: *Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I). In suo ergo vestimento et in suo femore, hoc est in cordibus electorum suorum, habet scriptum, quod sit *Rex regum et Dominus dominantium.*

Et vidi alium *angelum stantem in sole.* Angelus, ut sæpe dictum est, Christus intelligitur, de quo Propheta dicit, vocabit nomen ejus magni consilii angelus. Alius autem dicitur propter aliam, quam ostendit visionem, eo modo quo et superius dictum est, quia alium esse dicimus hominem, priorem locutionem ad nos factam permutantem. Sol in sacro eloquio diversas habet significationes. Aliquando enim significat ipsum Dominum, unde scriptum est: *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ* (*Mal.* IV). Aliquando tribulationem persecutionum, ut Dominus dicit de seminibus quæ ceciderunt super petrosa, quia oriente sole æstuaverunt. Aliquando manifestam rem ut illud, quod Nathan, ex persona Domini dixit ad David: *Tu fecisti abscondite, ego vero faciam* in oculis solis hujus (*II Reg.* XII), id est in aperto. Quod tunc impletum est, quando Absalon videntibus cunctis ingressus est ad uxores patris sui. Et Psalmista in eodem sensu dicit: *In sole posuit tabernaculum suum* (*Psal.* XVIII). Ac si diceret, humanitatis assumptæ sacramentum in lumine manifestationis ostendit. Ita ergo in hoc loco sol ostensionem manifestæ visionis significat. In sole itaque stat Christus, id est in manifesta luce, et fide populorum, quoniam gloria illius in toto orbe terrarum diffusa est. Surrexit enim a mortuis, prædicatus est ab apostolis, creditur modo in toto mundo, et in hac luce fidei stat. *Et clamavit voce magna omnibus avibus quæ volabant per medium cœlum.* Aves similiter aliquando in bonam partem ponuntur, aliquando in malam, ideoque pro locorum qualitatibus sunt accipiendæ. In malo quidem ponuntur, ut Dominus dicit de jactis seminibus, quæ a volucribus comesta sunt. In bono autem ut in Evangelio dicitur: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod minimum est omnibus oleribus. Sed cum jam factum fuerit in terram crescit, et magna fit arbor, ita ut volucres cœli habitent in ramis ejus (*Matth.* XIII). Granum sinapis, Dominus est Jesus Christus, qui tempore suæ passionis despicabilis, et minor omnibus apparuit hominibus, quasi nihil esset: sed postquam surrexit a mortuis, factus est arbor magna, ita ut in ramis ejus, hoc est in doctrinis Evangelicis, aves cœli habitent, id est sancti requiescant. Qui idcirco aves cœli appellantur, quoniam mente cœlestia petunt, ut cum Apostolo dicere possint: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Aves itaque appellat sanctos in cœlesti vita degentes. Quæ bene per medium cœlum volare dicuntur, quoniam non terrenis rebus inhærent, sed mente, ut dictum est, cœlestia petunt, et ubique prædicando discurrunt. Hoc est quod dicit *per medium cœlum*, id est per mediam Ecclesiam. De quibus Isaias dicit: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* (*Isa.* LX). Clamat autem angelus avibus, id est, per internam inspirationem loquitur eis, dicens: *Venite et congregamini ad cœnam magnam Dei omnipotentis.* Quid per cœnam, nisi convivium intelligitur æternæ refectionis? Vocat ergo aves ad cœnam, id est omnes sanctos ad epulas regni venturi, dicens: Venite credendo et bona faciendo. *Congregamini ad cœnam Dei omnipotentis*, id est ad commune convivium æternæ refectionis.

Ut manducetis carnes regum et carnes tribunorum et carnes fortium, et carnes equorum, et sedentium in ipsis. Hinc est quod Petro dixit: *Occide et manduca* (*Act.* X), id est, occide in hominibus infidelitatem, et in corpus tuum, quod est Ecclesia trajice. Per carnem autem in hoc loco, totus intelligitur homo. Aliquando enim in Scriptura, per animam totus homo accipitur, ut illud: *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* III). Neque enim aut animæ sine corporibus ingressæ sunt in Ægyptum, aut caro sine animabus Filium Dei videre poterit, sed carnis vel animæ nomine totus homo intelligitur, id est a parte totum. Ita ergo et hic fit cum dicitur, *ut manducetis carnes regum et tribunorum.* Quo in loco diversæ hominum qualitates ad Christum convertentium comprehenduntur: Sunt quippe in Ecclesia reges, sunt et tribuni, id est comites et cæteri principes nobiliores, sunt fortes viri bellicosissimi ad Christum conversi. Per equos autem hi designantur, qui prius erant voluptuosi et luxuria coinquinati, de quibus propheta dicit: *Equi emissarii facti sunt* insanientes in feminas (*Jer.* V). Et in Psalmis ipse Dominus admonet, dicens: *Nolite fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI). Per sessores autem hæresiarchas intelligere possumus, qui dum eloquiorum scientia carnalibus eminent quasi super bruta animalia insident, eisque jure potestatis ad quodlibet facinus abutuntur. Sed aliquando tales sancti sua doctrina ad fidem Christi convertunt, et ad bonitatem Ecclesiæ trahunt, sicque quasi mactantes eos comedunt. *Et carnes omnium liberorum ac servorum et pusillorum ac magnorum.* Liberti sunt virgines carne. Servi autem conjugio obligati, quibus Apostolus dicit: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ* (*Rom.* VI), id est alieni fuistis a justitia. Per pusillos intelligitur vulgus ignobile, et multitudo plebis. Per ma-

gnos vero, philosophi et divites hujus sæculi. Ex his omnibus magnum illud convivium cœnæ, ab exortu quidem sanctæ Ecclesiæ præparatur, sed in fine temporum abundantius præparabitur, quando non solum gentiles, sed etiam Judæi occurrent, et ad Christum convertentur. Unde et ista specialiter ad illud tempus referre possumus. Angelus itaque in sole, Elias et Enoch intelliguntur, in aperta luce Christum prædicantes. Licet enim persecutiones videlicet ab Antichristo sustineant illatas, tamen constanter et manifeste prædicabunt Christum, dicentes omnibus avibus, id est omnibus sanctis, sociis videlicet prædicatoribus, Venite ad cœnam magnam Dei omnipotentis, id est ad Ecclesiæ conventum, et æternam omnium fidelium refectionem. Quæ cœna recte magna vocatur, quia videlicet et gentiles, et Judæi ad vitam æternam præordinati tunc credent, et ad hanc cœnam venient, ut comedant carnes regum et cæterorum, id est ut ex omnibus conditionibus et qualitatibus ad fidem Christi convertantur, et in corpus suum, quod est Ecclesia, trajiciantur.

Et vidi bestiam et reges terræ et exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus. Bestia, ut supra dictum est, aliquando diabolum malorum principem, aliquando vero Antichristum, aliquando totum corpus diaboli significat. In hoc loco bestia, diabolus cum suo homine assumpto intelligitur. Reges vero et exercitus eorum, præpositi cum subjectos eorum malis designantur, hi faciunt bellum contra Christum et ejus fideles, blasphemiis et opprobriis, tribulationibus et miraculis pugnantes. Et quamvis ab ipso Domini adventu, diabolus cum suis membris bellum certaminis contra Ecclesiam inierit, validius tamen in fine sæculi pugnabit, quando divino judicio solutus propriis viribus efferabitur, quando signis et miraculis castra sanctorum perturbare nisus fuerit. Tunc pariter bestia, reges et exercitus eorum pugnabit cum Christo, et ejus exercitu, quia uno voto unaque voluntate reprobi, adversus Ecclesiam firmabuntur, cum per damnatum hominem, antiquus hostis in sæculari potentia se eriget : tunc enim unanimi crudelitate reprobi cum suo capite, contra Ecclesiam erigentur, nullumque membrum iniquorum a sui capitis voluntate, in hac persecutione discrepabit.

Et apprehensa est bestia. Pro eo quod apprehendetur, quia præteritum tempus pro futuro hic positum est. *Et cum illa pseudopropheta, et qui fecit signa coram ipso quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adoraverunt imaginem ejus.* Bestia, Antichristus, pseudopropheta doctores pravi intelliguntur. Quæ sint autem signa quæ pseudopropheta fecerit, quia in uno multa intelliguntur, superius dictum est, inter quæ etiam ignem fecerit descendere de cœlo. Coram bestia dicit, quia ubicunque fuerint ipsi ministri Antichristi, ita ea facient, quæ illi placere cognoverint, quasi semper in conspectu illius consistant, et ab eo videantur. Et his signis subjicient eos qui acceperunt characterem bestiæ : hoc est qui in eum crediderunt, et qui adoraverunt imaginem ejus, sicut Judæi, qui cum gaudio et veneratione ejus præstolantur adventum, quem et suscepturi sunt cum venerit. Juxta quod Dominus eis dicit : Ego, inquit, veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me, alius veniet in nomine suo, ipsum suscipietis. De quibus omnibus satis supradictum est, ideo hic breviter repetuntur. *Hi duo*, id est caput et corpus, *vivi missi sunt in stagnum ignis ardentis et sulphuris.* Hoc dupliciter potest intelligi: vivi etenim in stagnum ignis ardentis mittentur hi, quos Christus veniens ad judicium vivos reperit in carne. Qui paululum degustata morte, statim resurgent et damnabuntur cum diabolo et angelis ejus. Qui etsi momentaneam carnis mortem gustaverint, tanquam in ictu oculi resurgent, non mortui sed vivi appellantur. Vel certe viventes in stagnum ignis mittuntur, hi qui scienter malum operantur. Et ut manifestius fiat, dicamus sub exemplo, verbi gratia : Constituentur duo homines, unus mortuus et alter vivus. Si tetigeritis mortuum, non sentit; si tetigeritis vivum, sentit. Sæpe vero in Scriptura mortui pro nescientibus, vivi pro scientibus ponuntur. Mortui itaque sunt pagani, et quasi nescientes et mortui in infernum descendunt, unde scriptum est : Qui non credit, jam judicatus est, vivi autem sunt, qui fidem Christi habent, sed dum eam operibus destruunt, vivi in infernum descendunt, quia scienter peccant, et hi utique gravius torquebuntur, quia servus qui scit voluntatem Domini sui, et non facit digna, plagis vapulabit multis. Considerandum denique est quam terribiliter locus suppliciorum stagnum ignis, et sulphuris esse perhibetur. Stagnum scilicet propter densissimas tenebras, quibus miseros demergit. Ignis vero, quia exurit. Sulphur, quia quos demergit simul et exurit, et continuis fetoribus replet.

Et cæteri, id est fideles qui ad Christum sunt conversi, *occisi sunt gladio sedentis super equum qui procedebat de ore ipsius.* Narrata reproborum damnatione, revertitur ad eos qui ad Christum conversi sunt, et gladio verbi Dei interempti mortui sunt mundo et peccato, ut viverent. *Et omnes aves*, id est, omnes sancti *saturati sunt de carnibus eorum.* Satietas enim electorum est lætitia et gaudium de profectu fidelium. Verum quia verbi Dei gladio quidam jugulantur ad salutem, ut superius dictum est, quidam vero ad damnationem. Possumus et hos mortuos qui occisi sunt gladio sedentis super equum eos intelligere, qui ante Domini adventum secundum transeunt ad infernum, et ex his lætantur aves, hoc est dæmones, qui valde gaudio replentur, cum ad interitum suos perducunt imitatores. Sicque de eorum damnatione capiunt satietatem, quibus se auctores præbuerunt ad errorem. Istæ aves non vocatæ ad mactationem cœnæ occurrunt, sed tanquam corvi, ac milvi, ut si quid a fidelibus, aut morticinum

aut inutile projectum fuerit, consumant. Quod si bonæ aves ex carnibus reproborum, id est sancti prædicatores ex damnatione impiorum, quia videlicet tormentum impiorum aspicientes, de ereptione sua amplius lætabuntur, saturari narrantur, specialiter est intelligendum tanquam diceretur : Eo internæ contemplationis dulcedine interius satiantur electi, quo reproborum tormenta exterius conspiciunt, quæ divina misericordia evaserunt. Hinc Isaias dicit : *Et erunt usque ad satietatem visionis omni carni* (*Is.* LXVI). Quasi enim damnatio reproborum, cibus est electorum, quia quo cruciatus eorum indesinenter aspiciunt, eo amplius divinæ contemplationis gaudiis perfruuntur. De quo per Psalmistam dicitur : *Videbunt justi et timebunt, et super eum ridebunt* (*Ps.* LI). Quia enim voluptates mundi tanquam aquam hauserunt, invidiæ ardoribus æstuaverunt, ac luxuriæ fetoribus tabernaculum corporis sui sparserunt, digne in stagnum ignis ardentis et sulphuris mitti cum illo perhibentur, quam ad hæc perpetranda incentorem habuerunt. Quod autem non ait, mittentur, sed *missi sunt*, secundum Scripturæ auctoritatem posuit, quæ solet præterito pro futuro uti, ut est illud : *Foderunt manus meas et pedes meos (Psal.* XXI), præoccupata quidem narratione quod adhuc futurum extremo tempore positum est, certissime retinemus.

CAPUT XX.

Et vidi alium *angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua.* Nunc revertitur ad superiora, id est ad ea quæ ante adventum Christi secundum, facta sunt. In hac enim prophetia non servatur ordo historiæ, Angelus autem hic idem est qui et supra, id est Dominus Jesus Christus, qui a propheta *magni consilii angelus* appellatur. Sed quo descendit, qui ubique est ? Ipse enim per prophetam dicit: *Cœlum et terram ego impleo (Jer.* XXIII). Et quia extra cœlum et terram non est locus, descensio illius non est aliud quam assumptio humanitatis : unde Apostolus ait : *Qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* II). De cœlo descendit, quia homo factus, paulominus ab angelis minoratus est. Clavis autem abyssi, discretio intelligitur, qua Deus omnipotens aliquando reprobos sævire permittit contra Ecclesiam, quantum scit utile : et iterum ne tantum noceant quantum volunt, aditum egrediendi et nocendi eis adimit. Abyssus enim profunda et tenebrosa significat corda impiorum hominum, et sicut ex clavi aperitur ostium et iterum clauditur, sic diabolus, vel ejus membra modo sævire permittuntur, modo exire prohibentur. Per catenam vero, inevitabilis Dei potestas exprimitur, quæ omnia cingit, omnia complectitur, quam habet in manu, hoc est in potestate Verbi per quod omnia facta sunt, per quam ipse virtutes et miracula fecit, per quam

A etiam Deus Pater omnia operatus est, cœlestia, terrestria, visibilia et invisibilia. In hac manu, id est in virtute Verbi sui habet, et vim discretionis, quo cuncta suo moderamine temperat, et potestatem inevitabilem, qua omnia cingit atque complectitur.

Et apprehendit draconem, serpentem antiquum qui est diabolus et satanas. Hoc quomodo sit factum, ipse manifestat, qui dicit in Evangelio : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, fortem ligat et universa arma ejus aufert, et spolia ejus distribuit* (*Luc.* XI). Ipse enim in carnis humilitate apparens, primum fortem alligavit, deinde eos qui fuerunt vasa iræ fecit vasa misericordiæ. Draco, B serpens, diabolus et satanas licet plura sint nomina, unum tamen eumdem hostem significant. Qui draco appellatur propter nocendi malitiam, serpens, propter fallendi astutiam, antiquus, propter iniqua et exercitata consilia, quibus ab initio nocere non desinit. Dicitur quoque diabolus, id est deorsum fluens, quia quotidie de cordibus ruit fidelium. Quia vero Christo et Ecclesiæ adversatur, satanas, id est *contrarius* appellatur. *Et ligabit eum per annos mille, et misit eum in abyssum.* Millenarius numerus in Scriptura pro perfectione rei ponitur. Unde est : *Verbi quod mandavit in mille generationes (Ps.* CIV). Nam et secundum sæcularem sapientiam perfectus est, quia constat ex denario in se multiplicato. Decies enim deni centum fiunt. Quæ jam figura non quadrata, sed C plana est. Decies autem centum mille, qui numerus in altitudinem surgens solidam figuram reddit. Et ideo hic numerus propter sui perfectionem omne significat tempus hoc præsens, a Domini scilicet passione usque ad finem sæculi, et hic totum pro parte positum est, quia mille anni quantumlibet tempus Ecclesiæ exprimunt, id est usque ad regnum Antichristi. In hoc tempore ligatus est diabolus in abysso, id est, in cordibus infidelium et hominum perversorum, ubi et latet et regnat usque ad adventum Antichristi, quando solvetur de suo carcere, et procedet ad apertas blasphemias et persecutiones. Sed mirum est quomodo in abyssum mitti dicitur, cum ibi ante esset, quia videlicet juxta quod sæpe superius dictum est, ejectus a fidelibus D atrocius cœpit dominari in suis. *Et clausit*, id est, potestatem egrediendi illi interdixit, ne alibi gressus nequitiæ extendat, nisi quo occultum et justum Dei judicium permittat. *Et signavit super illum*, id est sigillavit, ut ea etiam quæ sub se habet, lateant illum. In hoc enim diabolus signatus est : quia qui sint vel ex his quos tenet, vel ex his quos amisit, qui ad electorum numerum pertineant, nec ipse diabolus nec membra illius scire possunt, sed ille solus a quo inclusus tenetur. Aliquando enim quidam ex his qui ejus esse videbantur, subito ad electorum numerum transeunt : aliquando vero ex his qui dominium ejus evaserant ad eum quem deseruerant revertuntur. Habuit enim

ipse Petrum sub se, quando negavit Christum : et David, quando adulterium simul perpetravit et homicidium, sed signum positum fuit super illum, quia prævidere non potuit, quod uterque per pœnitentiam ad vitam reversurus esset, et Dei misericordiam consecuturus. Quia itaque nescit, qui pertineant ad illum, qui ad Christum, idcirco etiam ea quæ sub ipso sunt quasi sub signaculo reclusa custodiuntur. Ac per hoc agitur, ut nec ille qui sint ejus ad plenum cognoscat, nec nos qui sunt Christi scire valeamus, verum in hoc quod sequitur: *Et non seducat amplius gentes donec consummentur mille anni*. Gravis ad solvendum oritur quæstio : si enim et ille idcirco ligatus est, ne seducat amplius gentes, quomodo quotidie contra tot homines pugnat, quos et seducit, dum ad vitia ruere facit ? Sed sciendum quia nunc gentes in Christum credentes, et si ad tempus videtur seducere, non tamen seducit ut æternaliter pereant hi, qui in Dei prædestinatione sunt salvandi, et ideo a toto pars intelligenda est, quæ scilicet non potest seduci. Istæ enim sunt gentes, de quibus ad eum Pater dicit : *Postula a me et dabo tibi gentes* (*Psal.* II). — *Post hæc*, id est post mille annos, ut a toto sicut supra partem intelligamus, quoniam de mille annis adhuc restant tres anni et dimidius, *oportet illum solvi modico tempore*. Id est per tres annos, sed nec tunc seducere poterit eos qui ad vitam sunt prædestinati, sed eos quos antequam solveretur, seductos tenebat. Quia sicut nunc alligatus, a læsione fidelium cohibetur, sic etiam tunc solutus, a seductione illorum virtutis potentia deprimetur. Et mille quidem anni, quantum ad electos pertinet, omne tempus istius vitæ significant, usque ad finem sæculi : Quantum autem ad reprobos, usque ad adventum Antichristi. Tunc ille quasi exiet seducere, quia comparatione illius seductionis, ista quæ nunc agitur seductio esse denegatur. Quod si quis inquirit, cur Deus quem semel alligavit, solvi modico tempore voluit : Si a me quæris, dicit beatus Ambrosius, cito respondeo, et ut Dei virtus, et diaboli infirmitas manifestetur virtus Dei, in hoc, quod sancti etiam inter flagella et tribulationum angustias constanter in fide perseverant. Infirmitas autem diaboli in hoc quod etiam a puellis et infantibus vincitur. Si enim nunquam solveretur, minus appareret ejus maligna atque crudelis potentia, minus etiam probaretur sanctorum gentium fidelissima patientia. Solvetur enim modico tempore, et totis viribus sæviet contra electos, ut in illis et Dei potentia nota fiat qui non poterunt vinci tanto ejus impetu, et ille suam infirmitatem et propriam impotentiam erubescat tanquam ei dicatur a Deo exprobrantis voce, Vide quam infirmus sis, qui a puellis vinceris.

Et vidi sedes et sederunt super eas et judicium datum est illis. Thronus Græce Latine dicitur sedes. Per sedes vero generalis Ecclesia exprimitur. Per sessores autem sancti intelliguntur prædicatores, id est duodecim apostoli, et omnes qui perfectam vitam illorum sunt imitati. Nam et his sedibus Psalmista dicit : *Illic sederunt sedes*. Ipsi enim sunt sedes, quia in eorum cordibus Deus sedet, et ipsi sedebunt in judicio, quia aliorum facta judicabunt. Et isti cum Domino venturi sunt ad judicium, juxta quod eis ipse dicit: *Sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (*Matt.* XIX). Jam nunc etiam sedent et judicant, quia potestatem in Petro apostolo acceperunt, cui dictum est una cum cæteris : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis*, etc. (*Matth.* XVI). Datum est eis judicium, id est potestas ligandi atque solvendi. Quæritur autem quare superius singulariter unam ponit sedem, dicens : *Ecce sedes posita erat in cœlo* (*Apoc.* IV), et hic pluraliter sedes enuntiantur. Non autem hoc pertinet ad illud generale judicium, sed ad præsens tempus, quo judicant inter bonos et malos. *Et animas decollatorum*. Subauditur vidi. Per animas vero decollatorum plenitudo intelligitur omnium sanctorum, sive scilicet qui spiritualiter in anima sunt mortui, sive corporaliter pro Domino jugulati per ingentis martyrii gloriam. *Propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei*. Hac enim sola causa interfecti sunt, quia confitebantur Christum Deum et hominem, et quia nolebant adorare diabolum. Jesus quippe proprium nomen est hominis assumpti, et interpretatur *salvator*, eo quod salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Verbum autem Dei divinitas intelligitur Filii Dei, in qua æqualis est Patri. Propter testimonium ergo Jesu, et propter verbum Dei, id est propter fidem humanitatis et divinitatis ejus, interfecti sunt. Cur autem decollatorum animæ specialiter visæ dicuntur, cum non hi solummodo cum Christo sint regnaturi ? Nimirum propter excellentiorem dignitatis gradum. Erunt quippe virgines ibi, conjugati, et cæteri, sed majorem gloriam habebunt hi qui martyrium pro Christi nomine sunt perpessi. De quibus adhuc subditur *et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus*, id est Antichristum, *nec acceperunt characterem ejus in frontibus suis*. Id est in fide, sicut Judæi faciunt. *Aut in manibus*. Id est in opere, sicut faciunt non solum pagani qui opera diaboli perpetrant, sed etiam falsi Christiani, qui fidem quam habent operibus destruunt, de quibus satis supra dictum est. Possumus et imaginem bestiæ accipere omne corpus diaboli, id est omnes reprobos qui illum imitantur. Quam imaginem justi non adorant, quia in nullo reprobos imitantur. Neque enim bestiam adorant, neque characterem illius in fronte aut in manu sua accipiunt, quia nec Judæorum Antichristum exspectantium perfidiam, nec hæreticorum dogma, ac gentium sequuntur errorem. Unde Apostolus admonet dicens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus* (*II Cor.* VI). Non enim adorant imaginem bestiæ, id est non imitantur simulationem reproborum, qui fidei confessionem ore proferunt, sed infideliter vivunt: *Et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis*. Sancti et in præsenti vita regnant cum Christo et in futura regnabunt. Ideoque per millenarium numerum et præsentem vitam et futu-

ram intelligimus : Quia regnum sanctorum in die judicii non terminabitur, sed augmentum accipiet. Jam enim regnant per fidem, et etiam in illis, qui quotidie ab hac vita transeunt per apertam speciem, sed tunc amplius regnabunt, quando simul in regnum introducentur, et *erit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* xv). Unde et idem Joannes in Epistola sua dicit : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus. Scimus autem, quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III).

Cæteri mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni. Sicut supra sancti intelliguntur, qui semper cum Christo sunt regnaturi, ita et hic reprobi, qui nunquam sunt victuri. Ideo enim dicit cæteri, quia et sancti moriuntur in præsenti vita. Juxta quod Paulus dicit : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*, etc. (*Col.* III). Et iterum : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Ibid.*). Isti itaque moriuntur peccato, atque ideo in æternum vivent cum Christo. Cæteri autem mortuorum qui in anima per peccatum sunt mortui, non vixerunt, id est non vivent. Quia enim hic non vivunt per fidem et operationem, illic non vivent per resurrectionem. Tales utique et hic viventes mortui sunt in anima, et quotidie etiam ad mortem transeunt, quando ab hac vita migrantes, in inferno damnantur, et in futuro morientur, quando non ad hoc resurgent ut postea vivant, sed ut acceptis corporibus iterum ad mortem transeant sempiternam. Et non sunt victuri donec consummentur mille anni, id est per omnia futura tempora, ita illi miseri mortui erunt, et nunquam a vita separati vivere poterunt. Mortui quippe erant ante, sed in die judicii mors illorum non accipiet terminum, sed augmentum, quia videlicet in toto ipso tempore quo volvuntur mille anni, noluerunt audire vocem Filii Dei, ut viverent. Has mortes duas Dominus in Evangelio manifestat. De præsenti enim, quia sancti in anima post peccatum surgunt ad vitam, dicit : *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent* (*Joan.* V). De illa autem : *Tunc omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ.* Quia ergo reprobi hic (id est in prima resurrectione) a morte peccati nolunt redire ad vitam, profecto in secunda resurrectione, quæ carnis est, ad mortem secundam cum ipsa carne transibunt. Sicque electi de vita justitiæ, transibunt ad vitam beatitudinis per resurrectionem carnis ; et reprobi de morte peccati, ad ultionem mortis per eamdem resurrectionem carnis. *Hæc est resurrectio prima*, nequaquam diceret : *Prima*, nisi esset et secunda. Prima ergo resurrectio est, quæ fit in anima, quod est, ab infidelitate redire ad fidem, a vitiis ad virtutes resurgere. Secunda autem erit in die judicii, quando resurgent cum corporibus in æternum victuri. Sicut enim sunt duæ mortes, una scilicet animæ, altera corporis ; sic sunt et duæ resurrectiones, una quæ hic fit in anima sicut diximus. Altera quæ in futuro exspectatur in corpore. De hac quippe resurrectione, quæ in præsenti fit per baptismum, Apostolus fidelibus dicit : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite* (*Col.* III).

Beatus, id est felix. *Et sanctus qui habet partem in resurrectione prima*, id est qui hic resurgit in anima. Felix est enim, qui dum adhuc vivit in corpore, a morte animæ resurgit, quia dum carnis resurrectio advenerit, in æterna lætitia vivet. Ille enim post in carne feliciter resurget, qui in hac vita a mentis suæ morte resurrexit. *Et in his secunda mors non habet potestatem.* Sicut scilicet habet in reprobis, de quibus satis supradictum est : *Cæteri mortuorum non vixerunt*, etc. Quia enim hi qui prius a morte animæ resurgere studuerunt, in his *secunda mors*, hoc est damnatio perpetua, non habet potestatem ; ut enim supradictum est, sicut sunt duæ resurrectiones, similiter et duæ mortes. *Sed erunt sacerdotes Dei* Patris, *et Christi* ejus, id est Filii. *Et regnabunt cum illo mille annis.* Hæc verba non ad solos pertinent episcopos ac presbyteros, sed ad omnes fideles, quicunque scilicet sunt membra veri regis et pontificis Christi, quibus Petrus apostolus dicit : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* III). Reges quippe sunt, quia et in se et in subditis, motus carnalium cogitationum bene regunt. Sacerdotes, quia seipsos mortificant, ut hostia viva fiant. De quibus per prophetam dicitur : *Isti sunt filii Sadoch, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum ut ministrent ei* (*Ezech.* XL). Sunt itaque sacerdotes et reges in præsenti. Verumtamen sacerdotium et regnum illorum in die judicii non accipiet terminum, sed augmentum, quando et semetipsos totos Deo offerent, et super omnia regna constituentur. Quo contra reprobi. qui hic mercedem suam recipiunt, omnibus rebus exspoliabuntur. In mille autem annis quibus regnabunt cum Christo, omne tempus futurum intelligitur, sicut supra dictum est. Neque enim nunquam a gloria illius regni, secundum quod hæretici voluerunt, separabuntur, sed semper cum Christo regnabunt. Juxta quod Dominus dicit : *Ibunt hi in vitam æternam* (*Matth.* XXV).

Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo. Nunc redit ad describenda tempora Antichristi. Consummatos autem mille annos dicit, a toto partem comprehendens. Sic enim solvetur ut super sint anni tres et menses sex. Supra enim mille anni, a Domini adventu usque ad finem sæculi intelliguntur, hic autem usque ad regnum Antichristi, quando ille solvetur de suo carcere, hoc est de reproborum cordibus, in quibus modo ligatus est, ne tantum sæviat, quantum vult. Vel de carcere solvetur, quia de pravitate perfidiæ Judæorum nascetur. Juxta illud : *Fiat Dan coluber in via* (*Gen.* XLVI), etc. *Et exibit*, ad apertas scilicet blasphemias et persecutiones. *Et seducet gentes multas, quæ sunt super quatuor angelos terræ Gog et Magog.* De his gentibus varie quidam loquuntur, æstimantes eas esse gentes aquilonares, id est Getas et Massa-

getas, quæ Scanzam insulam inhabitant. Sed si has tantummodo duas gentes diabolus seducturus esset, nequaquam diceretur ad hoc exire, ut seducat multas gentes quæ sunt super quatuor partes terræ, cum hæ gentes, non quatuor, sed unam tantummodo partem mundi inhabitent. Dicunt etiam alii has gentes ab Alexandro magno in partibus Macedoniæ conclusas, ubi et intantum sunt multiplicatæ, ut viginti quatuor regna de se reddidissent. Sed neque istæ etiam si verum esset, omnes mundi partes tenere possent. Ideoque hæc sententia humana est, non divina. Nam in his duabus gentibus, omnis multitudo intelligitur reproborum, qui super quatuor partes terræ sunt, id est super Orientem, Occidentem, Aquilonem et Meridiem. Quo in loco ostenditur, et fides sanctorum in omnibus mundi partibus invenienda ante finem sæculi. Juxta quod Dominus dicit : Oportet Evangelium prædicari in toto mundo, et tunc veniet finis, et numerositas impiorum, similiter per omnes mundi partes sævitura. Quia enim ubique erunt fideles, idcirco ubique eos insequentur infideles. Gog quippe interpretatur *tectum*, Magog, *de tecto*, quod tale est, quasi dicatur domus procedens de domo. Per tectum itaque intelliguntur corda reproborum, in quibus modo latet diabolus. Juxta quod superius legimus in abysso eum esse conclusum. Diabolus autem est de tecto, tanquam scilicet de reproborum cordibus progrediens. Ipse est ergo modo in tecto, et tunc progredietur de tecto. Tectus est enim modo diabolus in illis, sed temporibus Antichristi exibit de tecto, quasi discoopertus, quia quod nunc facit occulte, tunc faciet manifeste. Vel certe ipsæ gentes sunt tectum, quia in ipsis modo tetigitur et concluditur diabolus, et ipsæ de tecto erunt, quando in apertam persecutionem prorumpent. Exibit ergo in apertam persecutionem, ut seducat Gog et Magog, id est omnia membra sua. Seductio autem hæc erit, quæ incitabit omnes reprobos, ut bellent contra Christum. *Et congregabit eos in prælium.* Non in unum locum, sed in unum consensum, et unam malam voluntatem, per quam omnes faciet concordes. *Quorum numerus est sicut arena maris.* Legimus in Genesi quod dixerit Deus ad Abraham : *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam, quæ est in littore maris* (*Gen.* XVII). Ubi in stellis intelliguntur sancti ; in arena maris, omnes reprobi steriles et infructuosi.

Et ascenderunt, subaudis diabolus et membra illius, Gog et Magog super latitudinem terræ. Hic demonstratur Ecclesia sanctorum in toto orbe dilatanda. Juxta quod Dominus in Evangelio ait : *Oportebat*, inquit, *pati Christum et resurgere a mortuis, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes* (*Luc.* XXIV). Et iterum : *Prædicabunt hoc Evangelium in toto orbe, et tunc veniet consummatio.* Sicut ergo ubique erit Ecclesia, ita et ubique erit persecutio, et in nullo loco erit sanctus, quem non persequetur impius. *Et circuierunt castra sanctorum.* Sancti appellantur

A castra, quia semper dimicant contra diabolum, et membra ejus. Sic enim dicitur : *Ascenderunt super latitudinem terræ, cinxerunt castra sanctorum;* ac si diceretur, per omnem terræ habitationem, electorum Ecclesiam pressuris arctaverunt. Bene autem dicit, *ascenderunt*, contra electos videlicet, tumentes, et caput suum imitantes, qui dicit : *Ascendam super altitudinem nubium, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV). Et hic quidem super altitudinem nubium, illi vero super latitudinem terræ ascendunt, quia videlicet caput specialiter contra Deum, membra vero generaliter contra electos elevantur. *Et civitatem dilectam.* Ipsa Ecclesia est civitas a Deo dilecta, de qua Dominus dicit : *Non potest civitas abscondi in monte posita* (*Matth.* V). Et Psalmista : *Gloriosa dicta*
B *sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI).

Et descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit illos. Per ignem repentinum interitum Antichristi, vel membrorum illius intelligere debemus. Unde Paulus dicit : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (*II Thess.* II). Et in Evangelio ipse Dominus : *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus* (*I Thess.* V). Sicut enim nunc iste mundus plenus est hominibus, sic erit in adventu Filii hominis. Sicque cum repente Dominus venerit ad judicium, quasi ignis, id est sententia damnationis subito descendet de cœlo, et devorabit impios, non solum in corpore, sed etiam in anima. Unde Dominus in Evangelio dicit : Sicut fuit in diebus Noe, sic erit in adventu Filii hominis (*Luc.* XVII).
C Aliter : Supra legimus de sanctis prædicatoribus quod ignis exiens de ore illorum devoravit inimicos eorum. Quasi enim ignis de cœlo descendit, cum ex divini verbi prædicatione, reprobis livor invidiæ accrescit, sicque ipsa prædicatio, quæ justis est vita, reprobis est damnatio perpetua. Unde Paulus : *Aliis sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam* (*II Cor.* II). — *Et diabolus qui seducebat illos*, sive per se, sive per membra sua. *Missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia*, id est Antichristus.

Et pseudoprophetæ. Præteritum tempus positum est hic pro futuro missus est, scilicet pro eo quod est mittetur. Per stagnum vero ignis in quo missus est diabolus, profunditas intelligitur inferni, in quo
D impii cum capite suo damnati in perpetuis tenebris obvolventur. Quoniam licet sit ibi ignis, non erit ad lucendum sed ad miserorum corpora concremandum. Corpora enim reproborum erunt fomentum ignis. Ideoque et ipse ignis erit indeficiens, quia erunt et corpora immortalia quibus semper accendetur. Sulphur autem et ignem accendit et fetorem generat, quia sicut dictum est, et ignis ibi erit perpetuus, et fetor intolerabilis. Unde sequitur : *Et cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Cum in inferno semper tenebræ sint, juxta illud : *Inutilem servum projicite in tenebras exteriores* (*Matth.* XXV), quid est quod hic dicitur, *cruciabuntur die ac nocte ?* Sed sciendum quia non pro vicissitudine diei ac noctis, hic dies

aut nox ponuntur, sed propter mutabilitatem pœnarum, caloris scilicet et frigoris. Quo contra de sanctis dicitur, quia jam tempus non erit, id est nulla immutabilitas. Quod exponens Paulus dicit : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor.* xv). Apud electos enim nullius rei erit vicissitudo, sed sicut erunt immortales corpore, sic erunt et immutabiles mente. Reprobi autem, licet sint immortales corpore, tamen corruptionem sustinebunt, quia a vermibus comedentur, et mutabilitatem animi patientur, semperque deficient, et nunquam ad defectum pervenient. Hæc itaque immutabilitas pœnarum hic exprimitur per diem et noctem. Aliter, diem possumus referre ad gloriam justorum, noctem ad pœnam reproborum. Illi ergo qui in inferno erunt, die ac nocte cruciabuntur, recordantes bonorum justorum et malorum suorum.

Et vidi thronum magnum candidum. Thronus Ecclesia est, cui Christus singulariter et generaliter præsidet. Magnus dicitur, quia Ecclesia ex multitudine populi constat, et per mundi partes dilatatur. Candidus quia fonte baptismatis ab omni abluitur macula criminis. *Et sedentem super eum.* Subauditur vidi. Per quem Dominus Jesus Christus intelligitur, qui habitat in cordibus fidelium. Juxta illud, *Inhabitabo in illis et inter eos ambulabo* (*II Cor.* vi), — *a cujus conspectu fugit terra et cœlum.* Hoc est quod Dominus dicit : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* xxiv). Transibunt cœlum et terra, non ut esse desinant, sed immutabuntur. Juxta quod Paulus dicit : *Præterit figura hujus mundi* (*I Cor.* vii). Erit enim tunc cœlum novum et terra nova. Fugient quippe a conspectu judicis ab ea specie, quam nunc habent, et ostendent pulchritudinem, quam nunc celant. Unde et in hac eadem Apocalypsi dicitur : *Vidi cœlum novum et terram novam* (*Ap.* xxi). Primum enim cœlum et prima terra abiit. Ignis enim comitabitur Domini adventum, qui tantum spatium aeris occupabit, quantum occupavit aqua diluvii, quando quindecim cubitis fuit super omnes montes, qui erant sub universo cœlo. Inter hæc autem sciendum, quia quidam minus caute divinam Scripturam considerantes, prius dixerunt cœlum et terram transire per ignem, quam judicium fieri. Quidam vero affirmant, prius futuram resurrectionem, deinde cœli et terræ innovationem. Sed et hos et illos minus cauta conspectio fefellit, quod Paulus manifestat, qui dicit : *Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur* (*I Cor.* iii). Et Psalmista : *Ignis in conspectu ejus ardebit et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* xlix). Simul enim Dominus veniet ad judicium, et mortui resurgent, et elementa igne solventur, atque omnia, Deo judicante per ignem, cum adversarios ignis involverit, et in infernum demerserit, atque electos ad regnum præmiserit, tunc cœlum et terra nova apparebunt, quod nos quoque exemplo colligimus, qui hiemalium dierum revolutionibus vernum tempus abundantiori solis lumine superius splendescere, varietate florum interius candescere videmus. Hinc et Dominus in Evangelio regnum cœlorum æstati comparat. *Et locus*, pristinæ subauditur visionis, *non est inventus ab eis*. Ac si diceret : Figura præterit, natura permanet. Hinc Paulus dicit : *Præterit figura hujus mundi* (*I Cor.* iii). Possumus et per cœlum intelligere animas sanctorum. Per terram vero corpora illorum. Quæ non solum tunc incorruptionem corporis, verum etiam incommutabilitatem mentis recepturi sunt, quando ab ea specie, quam nunc habent, tanquam terram et cœlum transeuntes, in pulchriorem statum commutabuntur. Et locus pristinæ corruptionis et mutabilitatis non invenietur in eis. Quasi enim jam non ipsi sunt, sed alii, dum a vetustate primæ corruptionis in novitatem transeunt secundæ regenerationis.

Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni. Magni sunt de quibus Dominus dicit : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* v). Pusilli qui simplicitatem vitæ servant, nec altiora mysteria capere sufficiunt. Omnes enim hic generaliter comprehenduntur, quicunque in judicium sunt venturi in gloriam. Vel magnos et pusillos possumus intelligere, reges et principes hujus sæculi cum suis sibi subjectis. Hi enim omnes et justi scilicet et perfectiores, cum simplicioribus, et principes hujus sæculi cum suis sibi subjectis stabunt in die judicii. Illi quidem ut remunerentur, isti vero ut damnentur. *Et libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ.* Libri aperti, duo sunt Testamenta, quæ in judicio aperientur, quando singuli electorum manifeste videbunt, quid ex his compleverint, vel quid prætermiserint. Alius autem liber, *qui est vitæ*, Dominum Jesum Christum significat, qui vitam suis fidelibus tribuit. In illo enim libri, hoc est duo Testamenta, aperientur, quia in illo omnes actiones justi considerabunt. Vel libri aperti, opera justorum significant, quæ in judicio omnibus manifestabuntur. Nunc enim abscondita sunt justorum opera, quia humanum vitare cupientes favorem, omne opus suum in abscondito faciunt, tunc autem manifesta luce revelabuntur. Unde Apostolus : *Veniet Dominus et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo* (*I Cor.* iv). Vel libri etiam intelliguntur conscientiæ quæ singulis invicem manifestabuntur, quia quidquid unus cogitabit, ab altero facile intelligitur. *Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Id est, ex utroque Testamento judicati sunt secundum quod ex his fecerunt aut non fecerunt. Vel etiam ex comparatione operum sanctorum judicabuntur reprobi, qui quasi in expansione librorum legunt bonum, quod agere noluerunt, considerantes vitam justorum, quorum comparatione damnantur. Quapropter expedit illis ut in præsenti vita actus eorum considerent, et deteriores usus conversione immutent. Qui enim plenissime intelligere appetit, qualis est, debet nimi-

rum tales conspicere, qualis non est : et in bonorum forma metiatur, quanto ipse deserto bono deformis est.

Et dedit mare mortuos suos qui in eo erant. Hoc prius fiet quam libri aperiantur, et ex his mortui judicentur secundum opera ipsorum. Quantum ad litteram pertinet, mare, flumina, et omnia stagna, suos qui in eis tenentur mortuos dabunt. Cui autem dabuntur, nisi vitæ ? Tunc enim omnes resurrecturi sunt quacunque morte perempti fuerint, et quibuscunque locis absconditi. Altius autem mare, id est hic mundus in fluctuatione positus, dabit suos mortuos, generaliter scilicet bonos et malos producens. Juxta quod Apostolus dicit: *Omnes enim resurgemus.* Vel mortuos quos mare dabit, possumus intelligere eos, qui vivi in adventu Domini sunt reperiendi, qui utique subito mortui vitæ reddentur. *Et mors et infernus dederunt mortuos qui in ipsis erant.* Mors diabolum significat, de quo Paulus dicit: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II). Infernus omnia membra diaboli. Vel per mortem possumus intelligere simpliciter mortem carnis. Inferni autem nomine, loca significantur tenebrarum. Et mors itaque et infernus suos mortuos dabunt, hoc est diabolus et omnia membra ejus. Vel etiam omnia loca inferni, quoscunque per mortem corporis astrictos tenent, tunc vitæ restituent. Postquam autem omnes resurrexerint. *Judicatum est de singulis*, pro eo quod est judicabitur, *secundum opera ipsorum.* Hoc est, dabitur unicuique secundum opus suum.

Et infernus et mors Hoc est omnia membra diaboli cum capite suo. *Missi sunt in stagnum ignis.* Hoc est in profundam damnationem inferni. Recte autem per infernum omnes reprobi figurantur. Vel quia ibi habitantes una cum inferno in quo habitant, una sunt domus : Vel etiam quia imitantes opera diaboli, nunquam saturantur malis, sicut infernus nunquam dicit, *Sufficit.*

Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus. Hoc est, qui non est ante mundi constitutionem ad vitam prædestinatus. *Missus est in stagnum ignis.* Liber quippe vitæ, sicut supra dictum est, jus divinitatis intelligitur, id est Dei præscientia, in qua qui non fuerit præordinatus, in stagnum ignis mittetur. Hoc est reproborum hominum societati copulabitur. Quod enim dicit, qui non est inventus, nihil est aliud, nisi non præordinatus. Electi autem in hoc libro scripti qui ante mundi constitutionem sunt præcogniti, et præordinati. Unde Apostolus : *Quos præscivit et prædestinavit (Rom.* VIII). Et alibi : *Sicut elegit nos ante mundi constitutionem (Ephes.* I).

CAPUT XXI.

Et vidi cœlum novum et terram novam. In prædestinatione Dei omnipotentis quæ futura sunt jam transierunt, unde hic dicit se videre cœlum novum et terram novam, atque addit : *Primum enim cœlum et prima terra abiit.* Quod qualiter sit vel juxta litteram, vel etiam spiritualiter intelligendum, superius dictum est. Abiit primum cœlum, et prima terra, hoc est per innovationem immutata sunt, et a pristina figura recesserunt. Juxta illud Apostoli : *Præterit figura hujus mundi* (*I Cor.* III). Verum quod sequitur, *et mare jam non est*, utrum ad litteram, id est, ut mare cum fluminibus exsiccetur, possit intelligi, an etiam solummodo spiritualiter hoc dicatur dubium est. Terra enim aquarum conjunctione subsistit, quoniam et infra et extra et supra se aquas continet, ne naturali ariditate fatiscat, quoniam nisi aquis temperaretur, in cinerem redigeretur. Ideoque utrum maximo illo ardore mare cum fluminibus siccetur, an et ipsum vertatur in melius, non facile dixerimus. Quod et si factum fuerit per Dei potentiam, licet arida sit terra, satis subsistere poterit. Quatuor siquidem sunt elementa, ex quibus duo sunt immutanda in melius, sicut hic dicitur, et Dominus in Evangelio manifestat, cœlum et terra transibunt, id est immutabuntur. Utrum autem mare vel ignis transeat, id est immutetur, Deus scit, licet hic legamus, *et mare jam non est.* Et alibi : *Lumen lucernæ non lucebit in ea.* Hæc enim qualiter fiant, cum illuc pervenerimus, melius sciemus.

Et civitatem sanctam Hierusalem novam vidi descendentem de cœlo a Deo. Hæc civitas sancta Ecclesia est, quæ idcirco civitas appellatur, quoniam a multis inhabitatur, et in quatuor mundi partes distenditur, habens habitatorem Deum. Hinc Paulus dicit : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos (I Cor.* III). Sancta dicitur, quia quotidie per baptismum sanctificatur. Vocatur quoque Hierusalem, quæ *visio pacis* interpretatur, quia ad hoc laborat, ut visionem Dei in cœlestibus percipiat. Nova dicitur, quia a vetustate peccati exuitur. Peccati enim perpetratio ad veterem Adam pertinet. Et ideo dum Ecclesia a peccato originali mundatur, a vetustate peccati ad novitatem venit. Unde Apostolus : Exspoliantes vos veterem hominem, induite novum, qui renovatur in agnitione Dei (*Col.* III). Idcirco autem civitas hæc a Deo descendere dicitur, quia ab exordio sui jam cum capite suo descendit, cum quo, et per quod sursum ascendit, unde idem Dominus dicit : *Nemo ascendit in cœlum*, etc. Aliter : In hoc de cœlo descendere dicitur, quia cœlestis est gratia, quod Deus eam fecit Ecclesiam, juxta illud : Ego Dominus faciens te. Quidquid enim habet in fide, spe, et charitate, cæterisque virtutibus et baptismo, desuper datum est illi. Unde Jacobus : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (Jac.* I). Paratam, id est fide cæterisque virtutibus ornatam, ut mereretur fieri sponsa. *Sicut sponsam ornatam viro suo.* Duo dicit, sponsam et virum, in quo subintelligitur uxor, quia consuetudo est sanctæ Scripturæ, ut sponsos appellet viros, et sponsas uxores : unde est : *Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo* (*Joel* II), et Sephora ad Moysen : *Sponsus sanguinum tu mihi es* (*Ex.* IV). In Evangelio quoque ab angelo dicitur :

Joseph autem vir ejus (Matth. I). Et in lege: *Si invenerit* A *vir puellam in agro desponsatam, et dormierit cum ea, morte moriatur, quia humiliavit uxorem proximi sui (Deut.* XXII). Sponsa itaque nunc est sancta Ecclesia, per fidem, spem et dilectionem: sed tunc erit uxor quando ad amplexus viri, id est ad contemplationem Dei omnipotentis pervenerit. Quod quotidie quidem in singulis agitur electis, generaliter autem in fine complebitur, cum omnes in commune audierint: *Venite, benedicti, Patris mei (Matth.* XXX), etc. Ornatam dicit, id est omnibus virtutibus compositam, juxta illud Psalmistæ: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato (Psal.* XLIV).

Et audivi vocem magnam de throno dicentem. Thronus hic intelliguntur angeli, et homines sancti, in quibus habitat Dominus. Ideoque hæc vox magna, B vox intelligitur Dei omnipotentis. Quæ idcirco magna dicitur, quia de magnis loquitur, dicens: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Magna est enim Dei gratia, ut homines illius fiant tabernaculum, cujus magnitudinem non capit mundus. Tabernaculum Dei cum hominibus, id est, ipsi homines sunt tabernaculum Dei. Joannes in hoc loco typum tenet sanctæ Ecclesiæ, quæ audit vocem dicentem. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, quando per internam inspirationem seipsam cognoscit esse Dei tabernaculum. *Et habitabit cum illis.* Id est cum illis qui tabernaculum Dei esse meruerunt. Unde ipse apostolis dicit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus (Matth.* XXVIII). *Et ipsi populus ejus erunt.* Juxta C illud: Hæreditas mea Israel. *Et ipse Deus cum eis erit.* Habitans in eorum fide et dilectione, sicut ipse dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Joan.* XIV). Unde et idem Joannes in Epistola sua ait: *Qui manet in dilectione, Deus in eo manet.* Et ipsorum Deus est omnipotens Deus, cum quibus habitare dignatur, unde Psalmista: *Dominus pars hæreditatis meæ (Psal.* XV). Et ipse in lege loquitur dicens: Filiis autem Levi non dabitis possessionem. Ego enim hæreditas illorum. Quando enim homo peccando recedit a Deo, non est Dei populus, nec Deum possidet. Deus autem pœnitendo revertitur ad Deum, populus Dei est, quia possidet Deum, et possidetur a Deo.

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eo- D *rum.* Hæc verba non ad præsentem vitam luctu et lacrymis plenam pertinent, sed ad futuram; quando omnis luctus auferetur a fidelibus, et perpetuum gaudium possidebitur, juxta illud: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (Matth.* V). Intuendum autem quid sit quod omnem lacrymam ab oculis sanctorum dicit auferendam, cum sufficere potuisset, si diceret: Absterget lacrymam ab oculis eorum. Sed sciendum quia diversæ sunt qualitates lacrymarum, quibus in hac vita affliguntur electi, aliquando scilicet propter timorem tormentorum, ne videlicet merito iniquitatis suæ pœnis tradantur ultricibus; aliquando vero propter amorem et consortium supernorum civium. Postquam enim veniam peccatorum consequuntur, iterum incipiunt flere, non jam quia timent damnari, sed quia differuntur a regno. Aliquando quoque deplorant aliorum peccata, sicut Samuel flebat Saul, eo quod pœnituisset Dominum, quod constituerit eum regem super Israel. Et sicut Paulus flebat Corinthios, qui post fornicationem et idololatriam, non egerunt pœnitentiam. Omnem ergo lacrymam ab oculis electorum Dominus absterget, quia neque timore arctabuntur pœnarum, neque jam differuntur a regno, quod præsentialiter possidebunt, neque etiam aliorum peccata deflebunt, quia justo Dei judicio damnatis reprobis, nullus deinceps peccare poterit. *Et mors ultra non erit.* Postquam enim omnes a mortuis resurrexerimus, in electis jam ultra mors non erit, neque corporis neque animæ. Primus namque homo ea lege conditus est in paradiso, ut nisi peccasset, immortalis mansisset, et completo electorum numero, ab illo paradiso terreno absque mortis interventu transiret ad patriam cœlestem; sic autem est conditus, ut si peccaret, mori potuisset. Quæ mors, qui eam per peccatum incurrit, destructa est per Domini mortem. Ideoque locum in electis non habet, postquam omnes ad vitam resurgemus, tales effecti, ut deinceps neque mori neque peccare possimus. *Neque luctus,* erit in illa Ecclesia, quia, ut superius dictum est, multis modis fit in præsenti. *Neque clamor, neque dolor erit ultra.* Clamor in hoc loco intelligitur querela pravæ suggestionis. Prius enim quam peccaret homo, in magna quiete erat, omniaque membra sibi subjecta et nullo modo in aliquo repugnantia possidebat; sed postquam peccavit, statim clamorem pravæ suggestionis contra se exsurgentem sensit, vidensque mulierem concupivit; factumque est Dei justo judicio, ut qui noluit esse subjectus Deo, non posset habere membra sibi subjecta. Hunc clamorem deinceps omnes sustinemus, quo laborare se ostendit Paulus, dicens: *Video aliam legem in membris meis (Rom.* VII), etc. Semper fit enim hic clamor, quia semper caro spiritui resistit. Sed cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, cessabit clamor tumultuari contra electos, qui eos in hac vita quiescere non sinebat Ibi enim cessabit omnis prava suggestio, ibi nulla erit carnis delectatio. Sed et dolor post hæc non erit, quia videlicet caro electorum ultra spinas et punctiones peccatorum pro quibus dolere debeant, non generabit. *Quia prima abierunt,* quia in præsenti sæculo hæc omnia sustinent, sed cum innovata cœlum et terra fuerint, tunc electi innovabuntur, et nequaquam præteritas passiones sustinebunt.

Et dixit qui sedebat in throno, id est Deus omnipotens, qui præsidet suæ Ecclesiæ: *Ecce nova facio omnia.* Ea scilicet quæ superius dicta sunt, inter quæ etiam cœlum et terra innovabuntur. *Et dicit mihi: Scribe.* In corde tuo, vel etiam litteris commenda, ut ad notitiam perveniat posterorum. Sed quod Joanni dicitur, ad omnem Ecclesiam pertinet, quæ

in tabulis cordis carnalibus verba Dei scribere videtur. *Hæc verba*, quæ ab initio istius libri divinitus tibi sunt ostensa, *fidelissima et vera sunt*, quia a Deo vero processerunt, ac si diceret : Eo in cordis memoria arctius deprimantur, quæ loquuntur, quo de tota fidei summa, de tota spei fiducia proferuntur.

Et dixit mihi : factum est. Pro eo quod est fiet, id est, complebuntur omnia quæ superius sunt dicta, sive de remuneratione justorum, seu de damnatione reproborum. Quia enim hæc omnia tempore suo pro certo complebuntur, quasi jam facta sint Dei omnipotentis voce firmantur, in cujus præsentia omnia futura præsentialiter manent, unde est: Qui fecit quæ ventura sunt. *Ego sum α et ω, initium et finis*. Non quod initium habeat in tempore vel finem, sed quia ab illo cuncta sumpserunt initium, et in ipso resument terminum. De quibus satis supradictum est. Quod autem Dominus hoc jam tertio per angelum in hac Apocalypsi ita nomen suum inculcat dicens : *Ego sum α et ω*, duo per hoc factum, quædam nobis insinuat : unum scilicet per quod intelligamus, neque ad angelum proprie, neque ad Joannem pertinere quæ in hac revelatione continentur; aliud vero quod scire possimus, ipsum esse Deum ante tempora et hominem in fine sæculorum. *Ego sitientibus dabo fontem aquæ vivæ gratis*. Sitientibus, id est esurientibus justitiam, promittitur fons aquæ. De quibus Dominus dicit : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* V). Fons autem aquæ vivæ inseparabilis Trinitas intelligitur. Pater enim fons, Filius fons, Spiritus sanctus fons. Unde Psalmista dicit : *Apud te est fons vitæ*. Sitientibus ergo Deum, seipsum dabit in remunerationem, in cujus contemplatione erit refectio æternæ satietatis. Quo fonte Psalmista satiari desiderans, dicebat : *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* (*Psal.* XLI). De quo fonte dicit : Qui biberit, vitam habebit. Habendo enim Deum, habebit vitam æternam, quæ est Deus, unde ipse dicit : *Hæc est vita æterna* (*Joan.* XVII), etc. Gratis iste fons datur fidelibus, hoc est, sine ullis præcedentibus hominum meritis.

Qui vicerit diaboli tentamenta, incentiva carnis suæ, adversitates pravorum hominum, *possidebit hæc*, quæ superius dicta sunt, id est Deum omnipotentem, carnis immortalitatem et incorruptionem. *Et ero illi Deus*, id est æterna satietas et remuneratio. *Et ipse erit mihi filius*, qui credendo in Deum efficiuntur fideles filii Dei ; hic quidem per fidem, illic autem per manifestationem. Unde idem Joannes in Epistola sua ait : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus autem, quia cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III).

Timidis autem et incredulis, et exsecratis, et homicidis. Timidos possumus eos intelligere, quia voluntas erat ut crederent in Christum, verum videntes diversa tormentorum genera, fidelibus præparata, timore concussi recedebant a fide Christi. Quidam autem etiam post fidem Christi, et baptismum, vel terroribus concussi, vel blandimentis illecti, timentes pœnas recedebant a fide.

Quorum pars erit in stagno ardenti. Id est in damnatione perpetua. Sunt etiam timidi in pace Ecclesiæ, qui metu principum et sæcularium hominum bonum operari metuunt. De talibus dicitur : *Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor* (*Psal.* LI). *Cum incredulis*, id est cum paganis : et cum *exsecratis*, id est cum incredulis Judæis, vel falsis Christianis, qui sunt exsecrandi a Deo, id est valde abominabiles. Unde est : *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus* (*Ps.* V). — *Et* cum *homicidis*, id est quocunque modo hominem interficientibus, vel odio seipsos jugulantibus. Unde est : *Qui odit fratrem suum homicida est* (*I Joan.* III). *Et fornicatoribus*, id est cum idolis servientibus, seu immunditiam carnis sectantibus, vel etiam plus creaturam quam Creatorem diligentibus, et divitias ultra modum amantibus. Unde Paulus : *Et avaritia quæ est idolorum servitus* (*Gal.* V). *Et veneficis*, id est magis, qui incantationes peragebant. Sive etiam veneficos, id est maleficos, possumus eos intelligere, qui humana potestate aliis dominantur. Unde in Evangelio : *Reges gentium dominantur eorum* (*Matth.* XX), et qui potestatem habent super eos, venefici vocantur, id est malefici. *Et idololatris*, qui simulacra hominum mortuorum, vel etiam imagines rerum quarumdam, pro Deo venerantur. *Et omnibus mendacibus*. Nominatis superius per ordinem singulorum auctoribus vitiorum, ad extremum intulit, *et omnibus mendacibus* : ubi cum dicit *omnibus*, ostendit multa esse genera mendaciorum. Nam beatus Augustinus octo dicit esse genera mendaciorum, sed tamen nullum est mendacium quod peccato careat, unde scriptum est : *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I). Et iterum : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Nonnulli enim dicunt non esse peccatum, si pro veritate aut justitia proferunt mendacium, sicut legimus factum in Ægypto de obstetricibus, quæ ad Pharaonem reversæ, et increpatæ cur vivificarent parvulos, quos jussæ fuerant interficere, mentitæ sunt dicentes : *Non sunt Hebrææ mulieres sicut Ægyptiæ, sed ipsæ habent obstetricandi scientiam* (*Exod.* I). Unde et Scriptura refert : Quamobrem ædificavit illis Deus domum. Nunquid ergo peccatum fuit illud mendacium, pro quo mercedem acceperunt a Deo? Fuit quidem peccatum, sed tamen operæ misericordiæ est purgatum, unde et Deus ædificavit illis mansiones, id est multitudinem filiorum dedit illis, quia aliorum filios vivificaverant. Similiter legimus factum et in Raab meretrice, quæ nuntios Josue abscondit, et inquirentibus de eis respondit : *Fateor quidem, venerunt ad me, sed cum clauderetur porta, et illi pariter exierunt* (*Josue*, II). Quia opus misericordiæ circa eos exhibuit, et a morte eos liberavit, postea meruit pertingere ad unius Dei cognitionem, et inter Israelitas connumerari, quia peccatum illud mendacii purgavit opus pietatis et misericordiæ. Pejus enim fuisset si eos perderet ad

mortem, quam quod eos negavit, et mentita est. Unum sane debemus retinere, nullum genus mendacii inultum remanere, quod hic laxatum non fuerit pœnitentia, aut aliquo pietatis opere. Omnium enim istorum qui sunt superius connumerati, *pars eorum erit in stagno ardenti et sulphure*, id est in profunda inferni damnatione, ubi sunt simul ignis et sulphur. *Quod est mors secunda*, id est corporis et animæ. Prima enim mors fit in anima per peccatum, secunda autem intelligitur in anima et corpore. Sequitur:

Et venit unus de septem angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis. Per septem angelos, sicut superius dictum est, vel universalis Ecclesia intelligitur, vel omnes prædicatores, propter septiformem Spiritum quo Ecclesia instruitur et doctores erudiuntur. Sæpe enim dictum est septenarium numerum universitatem ostendere, quia omne præsens tempus septem diebus volvitur, unus ergo ex septem angelis qui ad Joannem venit intelligitur Dominus Jesus Christus, qui est secundum prophetam *magni consilii angelus*, id est nuntius paternæ voluntatis, unus est ex angelis, quia caput est omnium electorum, et per assumptionem humanitatis illis est conjunctus in utero Virginis. Venit ergo per incarnationis mysterium, qui ubique erat per divinitatis potentiam. Isti angeli, hoc est prædicatores quorum caput est Christus, habent phialas plenas septem plagis novissimis, hoc est ipsi sunt pleni divina prædicatione, qua quidam auditorum vulnerantur ad salutem, quidam autem ad sui perniciem. Bene autem ipsæ plagæ novissimæ dicuntur, quia in novissima hujus sæculi hora, id est ab incarnatione Domini usque ad finem mundi immittuntur.

Et locutus est mecum, dicens: Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni. Joannes in hoc loco significat Ecclesiam, cui loquitur Deus per occultam inspirationem in mente dicens: Veni, passibus fidei, et passibus amoris et *ostendam tibi sponsam uxorem Agni*, id est tibi ipsi manifestabo, qualis nunc sis per fidem, et qualis postea futura es, cum ad Dei veneris contemplationem. Duo autem dicit, *sponsam* et *uxorem*: qui sicut superius quæ nunc est sponsa per fidem et dilectionem, erit tunc uxor, cum ad amplexus sui pervenerit viri: *vir enim Ecclesiæ Deus* est, unde Salomon dicit: *Non est vir in domo sua (Prov.* VII).

Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum. Hic manifeste ostenditur quod Joannes non corporeis oculis hanc intuitus est visionem, sed spiritu, hoc est mentis oculis ad contemplanda cœlestia mysteria est elevatus. Mons magnus et altus, in quo dicit se elevatum, Christus intelligitur. De quo Daniel dicit: Quia *lapis præcisus de monte sine manibus, crevit in montem magnum, et replevit universam terram* (*Dan.* II). Ipse quoque de se dicit: *Non potest abscondi civitas supra montem posita (Matth.* VIII). Magnus est iste mons, quia totum mundum replet. Altus, quia ita est homo, ut sit etiam Deus verus. De hoc monte Isaias dicit: in novissimis diebus erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, id est Christus princeps omnium electorum. Quamobrem? Quia angelus et mons Christus, et in Joanne Ecclesia intelligitur. Angelus Joannem ducit in montem, hoc est Christus Ecclesiam suam super semetipsum constituit. Recte ergo Christus et angelus et mons dicitur, quia nuntius Ecclesiæ apparens ad cœlestem patriam invitat electos, et ipse eamdem Ecclesiam super se portando ad cœlestia sublevat.

Et ostendit mihi civitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo a Deo habentem claritatem Dei. Civitas Ecclesia est, Deum habens habitatorem. Quæ sancta dicitur, quia quotidie per baptismum sanctificatur Jerusalem quia ad hoc laborat, ut ad visionem patriæ cœlestis perveniat. De cœlo descendit, quia omne quod habet bonum cœlitus datum est illi per Dei gratiam, unde Jacobus: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* III). Vel etiam sicut supra dictum est, in capite suo descendet de cœlo, quia eam in utero virginali conjunxit, unde Apostolus: Desponsavit sibi Christus Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Claritatem Dei habet, quia a Filio Dei illuminatur, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Unde et ipse apostolis dicit: *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII). Unde sequitur: *Et lumen ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidis.* Dicitur, quia dum electos suos illustrat, æternæ viriditatis pabulo nutrit; lapis enim jaspis, viridis est coloris, et ideo non inconvenienter per lapidem jaspidem, visio intelligitur sanctæ Trinitatis, ad quam animæ sanctorum pertingere desiderant, veluti animalia virentia quæque perquirunt. Hinc ipse dicit: *Per me si quis introierit salvabitur* (*Joan.* X), et ingredietur per fidem, et egredietur a fide ad spem, et pascua inveniet æternæ satietatis. Unde et Psalmista dicit: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit (Psal.* XXII). — *Sicut crystallum.* Per crystallum vero intelligitur præmium supernæ remunerationis, quæ in ipsa visione Dei complebitur. Quasi enim aqua in crystallum vertitur, dum præmium ex aqua et spiritu renatorum ipsa Dei contemplatio efficitur. Nam et si bene perpendimus, quod significat jaspis, hoc et crystallum, quia remuneratio sanctorum nihil aliud erit, nisi præsens Dei vultus.

Et habebat murum magnum et altum. Murus Ecclesiæ est Christus, de quo Isaias ait: *In illa die cantabitur canticum istud in terra Juda: Urbis fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus* (*Isa.* XXVI). Ipse est etiam magnus, de quo Psalmista: *Dominus in Sion magnus* (*Psal.* XCVIII). Altus quoque est, quia a Patre super omnia sublimatus, et Deus quoque etiam per humanitatem est constitutus. Ipse quoque est murus, hoc est defensio et protectio Ecclesiæ suæ. Vel etiam murus generaliter ipsa Ecclesia intelligitur, quæ murus appellatur propter firmitatem fidei et constantiam virtutum. Magnus

est iste murus, quia Ecclesia ex multis constat fidelibus, et per quatuor mundi climata dilatatur. Altus quoque est, quia corpore inhabitat terram, mente autem possidet cœlum. De quo bene subditur: *habentem portas duodecim.* Per duodecim quippe portas duodecim intelliguntur apostoli. Et per duodecim apostolos, omnis ordo doctorum, per quorum ministerium intramus Ecclesiam. Ipsi enim nos baptizant, et docentes per fidem Ecclesiæ portis nos introducunt. De quibus adhuc subinfertur: *et in portis angelos duodecim.* Id est in apostolis omnes doctores subjecti, sicut sunt presbyteri et cæteri minoris ordinis Ecclesiæ præpositi: qui et si magna non valent, tamen minora quæ acceperunt, fideli populo nuntiare non desistunt. De quibus in Zacharia legitur: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Mal.* II). In duodecim ergo portis, duodecim angeli consistunt, quia doctores Ecclesiæ fidem et vestigia apostolorum sequuntur. *Et nomina scripta quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.* Filios Israel non debemus intelligere carnaliter duodecim filios Jacob, quorum fuit reproba vita, sicut Scriptura manifestat, sed patres spiritales, ex ejus progenie descendentes, sicut fuit Isaias, Jeremias, cæterique prophetæ, quorum nomina scripta sunt in portis, quia memoria illorum in fide continetur apostolorum. Quod enim isti annuntiant factum, illi prædixerunt futurum. Quia ergo eadem quæ illi prædixerunt annuntiant, memoriam illorum in suis cordibus se habere insitam demonstrant. Sive etiam in duodecim filiis Israel possumus intelligere omnes gentes, sicut in duodecim apostolis intelligimus omnem ordinem prædicatorum In duodecim ergo portis nomina duodecim filiorum Israel scripta sunt, quia in fide et dilectione apostolorum, omnes gentes consistunt. Hinc Paulus dicit: *Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris* (*II Cor.* III). *Ab oriente portæ tres.* Per orientem populus intelligitur Judæorum, de quo Christus est exortus qui est verus sol justitiæ illuminans corda credentium. Ibi enim fuerunt primum portæ tres, hoc est fides sanctæ Trinitatis, in illis primum annuntiata est a prophetis et cæteris justis, qui per Spiritum illuminati, fidem sanctæ Trinitatis cognoverunt, unde Isaias dicit audisse se cherubim clamantia: *Sanctus, sanctus, sanctus* (*Isa.* IV). Sed quia in trinitate personarum intelligitur una majestas, cum pluraliter præmisissent, *Sanctus, sanctus, sanctus*, unitatem substantiæ attendentes adjungunt, *Dominus Deus Sabaoth.* Similiter et Psalmista præmittens: Benedicat nos Deus Pater, benedicat nos Deus Filius, benedicat nos Deus Spiritus sanctus, trinitatem personarum convertit ad unitatem majestatis, dicens: *Et metuant eum omnes fines terræ* (*Psal.* LXVI). *Ab aquilone portæ tres.* Per aquilonem intelliguntur gentiles, in figura infidelitatis, et ignorantiæ positi, sicut fuerunt patres nostri. Ibi quoque sunt portæ tres, quia et gentiles per doctrinam apostolorum cæterorumque prædicatorum edocti, fidem sanctæ Trinitatis perceperunt. Et bene quidem primum ab oriente portæ tres, deinde ab aquilone commemorantur, quia prius Judæi crediderunt, deinde gentiles, qui ante erant in aquilone, qui est frigidissimus et durissimus ventus, habentes diabolum, qui dicit: *Ponam sedem meam ad aquilonem. — Et ab austro portæ tres.* Per austrum claritatem fidei intelligimus, quæ in toto orbe terrarum lucet: quia dum sol in austro, id est in medio centro cœli figitur, totum mundum illuminat, significans Christum, qui luce fidei claritatis suæ illuminat universam Ecclesiam. In austro itaque portæ tres sunt, quia fides sanctæ Ecclesiæ splendore sanctæ Trinitatis illuminatur baptizata in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. *Et ab occasu portæ tres.* Per occasum novissimam mundi ætatem accipiamus, in qua per Eliam et Enoch, cæterosque prædicatores, eadem fides sanctæ Trinitatis per quadripartitum orbem diffundetur, Judæos atque gentiles pariter complectens. Duodenarius enim numerus portarum, qui per quatuor mundi partes sub ternario comprehenditur, ad ministerium pertinet duodecim apostolorum, per quos fides sanctæ Trinitatis per quadripartitum orbem diffusa est.

Et murus civitatis habens fundamenta duodecim. Murus ipsa est civitas, quæ habet duodecim fundamenta, quia in apostolorum et prophetarum doctrina consistit. Quorum fundamentorum fundamentum Christus est, de quo Paulus dicit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III). Quando enim singulariter fundamentum enuntiatur, ipse Christus intelligitur, super quem omnis ædificatio Ecclesiæ constituitur: Quando enim pluraliter, patriarchæ, apostoli, cæterique doctores. Unde idem Apostolus dicit: *Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* (*Ephes.* II). Sic ergo fundamentum apostoli cæterique doctores intelliguntur, in uno fundamento Christo fundati; ipse enim est fundamentum fundamentorum, sicut est Rex regum et Dominus dominantium. Ad hoc enim pertinet quod etiam, nominatis fundamentis, agni nomen non siluit, sed ait: *Et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum et agni.* Et in ipsis fundamentis, hoc est in fide patriarcharum et apostolorum, nomina duodecim apostolorum, quia videlicet quisquis in Ecclesia regimen suspicit, locum apostolorum tenet, quorum doctrinam et actus imitatur. Et ut absolutius hoc sit, dicamus fundamenta, patriarchas esse et prophetas, in quibus nomina duodecim apostolorum sunt, quia fidem quam perceperunt apostoli, habuerunt et illi: et quem isti crediderunt in carne venisse, illi prænuntiaverunt venturum. Hinc Psalmista dicit: *Fundamenta ejus in montibus sanctis (Psal.* LXXXVI). Montes quippe ipsi sunt patriarchæ et prophetæ, super quos Novi Testamenti doctores fundantur, quia eorum fidem imitantur. Tanquam, scilicet fundamen-

tum super fundamenta, quia et ipsi montes fundamenta esse noscuntur.

Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem. Hic angelus typum filii Dei tenebat, quia omnia mensura et numero disponit. Nam per arundinem, divinam debemus intelligere prædicationem ; quia enim arundine scribitur, recte per arundinem Scriptura sancta intelligitur, ab efficiente videlicet illud quod efficitur. Hac itaque arundine, id est divino eloquio tangit et illuminat Deus corda fidelium, ibique perpendit et metitur facta singulorum atque profectus : dum alii tribuit sermonem sapientiæ, alii genera linguarum etc. Quæ mensura arundinea aurea dicitur, propter claritatem divinæ sapientiæ, quæ in plerisque locis auro figuratur. Unde est : *Accipite sapientiam sicut aurum.* Hic itaque arundine metitur civitatem, id est universalem Ecclesiam. *Et portas ejus*, id est doctores et præpositos Ecclesiæ. *Et murum*, civitatis, in quo nihil aliud quam ipsa civitas intelligit.

Et civitas in quadro posita est. In quadrata figura, non aliud latus majus est, aliud minus, sed cuncta simul quatuor latera, æquali spatio tenduntur. Per hæc autem quatuor latera, debemus intelligere, spem, fidem, charitatem et operationem, quæ æqualia sunt : quia unusquisque fidelis quantum credit tantum sperat, tantum amat et operatur. Similiter quantum sperat, tantum credit, tantum amat et operatur. Iterum, tantum amat quantum credit, quantum sperat, quantum operatur. Tantum operatur quantum credit, quantum amat, quantum sperat. Bene autem Ecclesia in quadro posita esse memoratur, quia est robusta per fidem, longanimis per spem, ampla per charitatem, efficax per operationem. Habent etiam singuli fidelium fidem, qua credunt quæ videre non possunt, Deum scilicet trinum in personis et unum in majestate. Habent et spem, quia sperant posse se pertingere ad illud quod necdum vident. Habent quoque charitatem, id est Dei et proximi dilectionem. Quibus virtutibus, ut perfecta sit vita illorum, adjungitur operatio, sine qua fides mortua est, unde Jacobus apostolus : *Fides sine operibus* otiosa est (*Jac.* II). Sive etiam per quatuor latera civitatis, possumus intelligere quatuor virtutes principales, prudentiam videlicet, temperantiam, fortitudinem atque justitiam. Quæ ita debent esse in electis, ut una alteram non excedat. Prudentia quippe est scientia in appetendis bonis et vitandis malis. Cui debet conjungi seu coæquari temperantia, quia non est perfecta prudentia, nisi studeat homo semetipsum temperare, et a voluptatibus istius sæculi retrahere. Quod cum fecerit, debet habere fortitudinem, ut illud quod intelligit, opere perficiat. Deinde etiam debet possidere justitiam, quatenus actus suos ita temperet, ne nimis justus et plusquam oporteat sapiens sibi videatur. *Longitudo ejus tanta est quanta et latitudo.* Repetit quod supradictum est, quia quadrata figura ex omni parte æqualis est Tanta est itaque longitudo quanta et latitudo : quia quanta est fides, tanta est spes, tanta charitas, tanta nihilominus et operatio. Quantum enim credimus, tantum amamus, et quantum amamus, tantum de spe præsuminius ; et in quantum per spem ad superna erigimur, tantum per dilectionem circa Deum et proximum extendimur, tantumque ipsam fidem, spem et charitatem operibus exornare studemus. Similiter unusquisque tantum prudens est, quantum temperans, fortis et justus. Tantum temperans, quantum prudens, fortis et justus. Tantum fortis, quantum prudens, temperans et justus. Tantum justus, quantum prudens, temperans, fortis fuerit. *Et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia.* Jam civitas Ecclesia intelligitur, arundo doctrina evangelica. Porro per stadia duodecim millia omnes exprimuntur laborantes in Ecclesia. Per stadium quippe illud intelligitur quod in stadio agitur, id est, per locum labor et præmium laborantium. Hinc Paulus dicit : *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium* (*I Cor.* II). Laborant itaque electi in stadio, hoc est, in labore præsentis vitæ, ut bravium supernæ retributionis possint percipere. Nam et per duodecim millia summa electorum exprimitur Duodenarius enim numerus idcirco perfectus habetur, quia ex denario et binario constat ; denarius pertinet ad decem præcepta legis : binarius ad duo dilectionis præcepta, in quibus tota lex pendet et prophetæ. Sive idcirco perfectus habetur, quia ex partibus septenarii conficitur quæ sunt tria et quatuor. Ternarius enim ad fidem sanctæ Trinitatis refertur ; quaternarius ad quatuor Evangelia. Millenarius quoque perfectus numerus ostenditur, quia denarii numeri quadratum solidum reddit ; decies enim centeni fiunt mille. Atque idcirco millenarius numerus perfectus est. Unde dicitur : *Verbi quod mandavit in mille generationes*, per quas generationum universitas exprimitur Quia igitur duodenarius sive millenarius numerus in sacro eloquio pro perfectione ponitur, recte in duodecim millibus summa perfectionis illorum exprimitur, qui decalogum legis cum dilectione Dei et proximi implent, fidemque sanctæ Trinitatis custodiunt, et hoc secundum auctoritatem quatuor Evangeliorum. Hos metitur Deus omnipotens arundine, quia unicuique secundum capacitatem sui intellectus distribuit doctrinam scientiæ. Omnes tamen quos tangit in his quæ acceperunt perfectos ostendit ; et unusquisque quod non accepit in se, per charitatis studium possidet in altero, ut ex multis membris unum efficiatur corpus. Vel, sicut supradictum est, alii tribuitur sermo scientiæ, alii genera linguarum, etc. Et hi licet non æqualiter, quia ut Dominus dicit : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV), tamen omnes supernæ remunerationis præmium percepturi sunt. Sed cum novo consilio auctor et dispensator noster huic illa largiatur, quæ alii denegat, extra mensuram arundinis egredi non vide-

tur. Quisquis posse plus quam accipit conatur, inde plerumque amittit; et hoc quod poterat, quia audacter ea quæ contingere non valet, arripere festinat. Nam et membrorum nostrorum tunc ministeriis bene utimur, cum sua eis officia distincta servamus. Lucem enim oculis cernimus, vocem vero auribus audimus. Si quis autem mutato ordine, officia deserit, ad aliena non assurgit. *Et longitudo et latitudo et altitudo ejus æqualia sunt.* Hæc est illa soliditas quadratæ figuræ, de qua superius dixit: *Et civitas in quadro posita erat.* Longitudo pertinet ad fidem, altitudo ad spem, latitudo ad charitatem, de qua scriptum est: *Latum mandatum tuum nimis* (*Ps.* CXVIII). Sive etiam longitudo pertinet ad longanimitatem, altitudo ad contemplationem; latitudo sine dubio charitatem designat, quæ in tantum lata est, ut non solum ad amicos, sed etiam usque ad ipsos perveniat inimicos. Juxta illud: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*Luc.* VI). Longitudo itaque civitatis, et latitudo atque altitudo ejus, æqualia sunt, quia quantum patiens fuerit mens per longanimitatem, tantum lata erit per amorem: et quantum patiens fuerit per longanimitatem, quantumque lata per amorem, tantum erit et alta per contemplationem; unusquisque ad altiora per contemplationem erigitur, inquantum semetipsum humiliat in toleranda mala proximorum. Longitudo itaque Ecclesiæ latitudo et altitudo, æqualia sunt, quia inquantum longanimis est inter adversa, inquantum charitate erga omnes dilatata, intantum est alta per contemplationem.

Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum. Hæc summa quadraturam duodenarii numeri continet; duodecies enim duodeni, centum quadraginta quatuor fiunt; centenarius numerus perfectionem significat. Unde in Evangelio Dominus: *Qui reliquerit domum, vel fratres aut sororem*, etc., usque *centuplum accipiet* (*Matth.* XIX), id est perfectionem mentis consequetur, ut ea quæ amisit semel, ultra repetere nolit. Quadragenarius quoque numerus in Scriptura sacra multimoda ratione habetur perfectus: sive propter Domini jejunium, quadraginta diebus peractum, sive propter decalogum legis, et quatuor Evangelia, in quibus perfectio decalogi continetur. Quaternarius similiter consecratus est, propter quatuor flumina paradisi, vel quatuor libros Evangelii, seu etiam propter quatuor mundi partes, vel quatuor virtutes principales. Quia autem in cubitu manus est, recte per cubitum operatio manus exprimitur. Muri autem ipsa est civitas. Mensus est itaque angelus muros civitatis centum quadraginta quatuor cubitis, quia omnipotens Deus perpendit et considerat, quantum singuli electorum, per auctoritatem quatuor Evangeliorum, laborant in legis decalogo, quantamque perfectionem mentis consequuntur, ut ad societatem angelorum pervenire possint, unde sequitur: *Mensura hominis quæ est angeli.* Quantum ad litteram pertinet, hic ostenditur ipsum angelum, qui hæc ostendebat Joanni in figura hominis apparuisse; quantum autem ad altiorem pertinet intellectum, mensura hominis, quæ est angeli, intelligitur recte ipse angelus, qui Ecclesiam metitur, quia videlicet gloria angelorum et hominum in cœlesti beatitudine æqualis erit. Unde in Evangelio ipse dicit: *Neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo* (*Matth.* XII). Vel ideo mensura hominis, quæ est angeli, dicitur, quia quot angeli remanserunt in cœlo post casum archangeli, tot homines de terris sunt ascensuri in cœlos.

Et erat structura, id est ædificatio, *muri ejus ex lapide jaspide.* Jaspis lapis viridis est coloris, atque Dominum Jesum Christum significat, qui est refectio sanctorum animalium. In contemplatione enim Dei omnipotentis erit summa electorum perfectio, et æterna satietas, juxta illud Psalmistæ: *Dominus pascit me et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit* (*Psal.* XXII). Sive etiam per lapidem jaspidem, electi exprimuntur, quorum fides nunquam marcescit, sed in viriditate operationis constat. Ex lapide ergo jaspide structura civitatis efficitur, quia prius in Ecclesia fundamentum Christi constituitur, cui etiam omnes fideles superponuntur, juxta illud Apostoli: *Ad quem accedentes lapidem vivum, et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domos spirituales* (*I Petr.* II). Nam sicut in muri ædificatione primo ponuntur lapides magni et quadrati, qui alios super se positos portant, qui et ipsi iterum alios portant, sicque omnis ædificatio construitur usquequo ad ultimum lapidem perveniatur, qui cum portetur ab omnibus, ipse neminem portat. Ita in fundamento Ecclesiæ, primo positi sunt apostoli, deinde martyres, deinde confessores, virgines, viduæ, cæterique sancti, qui se omnes invicem portant, passiones suæ mentis libentissime tolerantes, juxta illud Apostoli: *Alter alterius onera portate* (*Galat.* VI). Vel etiam exemplo semetipsos invicem foventes, et ita agitur usque ad finem sæculi, quando ultimus electus in novissimo culmine hujus ædificii ponetur: qui cum portetur ab omnibus retro se præcedentibus, ipse tamen non habebit quem portare possit, quia in ipso omnis Ecclesiæ consummabitur ædificatio. Erit vero Christus et fundamentum et consummatio Ecclesiæ, qui est initium et finis.

Ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo. Per aurum claritas intelligitur cœlestis, de qua Dominus dicit: *Accipite sapientiam sicut aurum.* In vitro vero puritas cordium intelligitur: nam ex cæteris metallis, si conficitur aliquod vas, quidquid intrinsecus ponitur, extrinsecus minime videtur. In vitro autem, quidquid interius ponitur, totum exterius perspicitur. Atque ideo per vitrum puritas designatur cordis omnium sanctorum, quæ invicem in cœlesti beatitudine omnibus manifestabitur. Hæc enim verba non ad præsentem Ecclesiam referri possunt, in qua singulis singulorum conscientiæ occultæ sunt, sed ad futuram, quando veniente Domino, qui illuminabit abscondita tenebrarum, singulorum conscientiæ cunctis manifestabuntur. Quid-

quid enim cogitatum fuerit ab aliquo, totum videbitur ab altero, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse potest conspicabilis sibi. Vel per aurum sicut dictum est, intelligitur sapientia superna. Per vitrum vero puritas fidei ; nam in vitro, sicut dictum est, quidquid ponitur interius, totum videtur exterius, et per hoc puritas fidei designatur, quam sancti tenentes corde, manifestant etiam ore. Nec quidquam intus agitur per simulationem, quod non videatur exterius per puram oris et operis confessionem.

Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamenta civitatis, id est Ecclesiæ, sunt patriarchæ, prophetæ et cæteri prædicatores, super quorum doctrinam vel exempla, constat Ecclesiæ structura. Quæ fundamenta omni lapide pretioso, id est omnibus virtutibus, fide scilicet, spe, charitate, hospitalitate, jejunio, abstinentia, cæterisque sunt ornata bonorum actuum operibus. Sive etiam lapides pretiosos intellige omnes imitatores illorum, qui in ædificio civitatis positi sunt, ipsamque civitatem moribus et vita exornant. De his lapidibus Dominus per prophetam dicit : *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris (Isa.* LIV). Unde sequitur : *Fundamentum primum jaspis.* Qui lapis, ut superius dictum est, viridis est coloris, atque ideo non incongrue Dominum significat, qui est pabulum et refectio omnium electorum, ipse est primum fundamentum Ecclesiæ, quia ut Apostolus dicit : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III). Significat quoque et electos, quorum fides nunquam marcescet, sed semper in operationis virore perseverat. *Secundum sapphirus.* Lapis sapphirus in sua natura, nequaquam pretiosus est, sed in mysterio valde præclarus invenitur, quia videlicet aereum colorem retinet, atque ideo sanctos significat, qui cœlestia mente petunt, dicentes cum Apostolo : *Nostra conversatio in cœlis est (Philip.* III). *Tertium chalcedonius.* Chalcedonius lapis multo est vilior quam sapphirus in natura, sed in mysticis sensibus valde invenitur et ipse pretiosus. Est enim fortissimæ naturæ, adeo ut omnium sculpentium argumentis resistat : atque ideo significat sanctos, qui invictissimi sunt inter adversa hujus sæculi. Quorum unus dicit : *Quis nos separabit a charitate Christi (Rom.* VIII)? Et iterum : *Certus sum quia neque mors, neque vita ; neque angeli,* et cætera, *poterunt nos separare a charitate Christi (Ibid.)*; et tales bene in fundamento Ecclesiæ constituuntur, quia aliis exempla fortitudinis præbent. Unde et idem auditoribus suis dicit : *Imitatores mei estote sicut et ego Christi (I Cor.* VIII). Habet quoque idem lapis similitudinem lucernæ pallentis, et in hoc humilitatem sanctorum significat, qui in præsenti vita pallidi habentur, quia despiciuntur, contemnuntur et velut in nihilum reputantur. Attamen ipsi obscuro loco lucent, aliisque lumen scientiæ atque ardoris demonstrant. Unde et ex uno illorum dicitur : *Ille erat lucerna ardens et lucens (Joan.* V). Ardens videlicet fide et dilectione, lucens verbo et opere. *Quartum smaragdus.* Smaragdus pretiosus lapis est in sua natura, sed pretiosior in electorum figura. Qui lapis tantæ viriditatis est, ut omnem virorem herbarum superet, et aerem etiam circumfusum viridem reddat. Reddit etiam imagines aspicientium, si moles ejus fuerit ampla. Hujus lapidis genera sunt multa, sed pretiosissimi smaragdinei lapides reperiuntur in Scythia, regione deserta, quos tamen custodiunt gryphes, animalia terribilia et ferocia, quæ corpus habent leoninum, pedes autem, rostrum et alas, ut aquila : ideoque per terram currunt ut leones, per aera volant ut aves. Quæ bestiæ custodiunt ipsam deserti regionem, et servant ipsos lapides, non quod ipsæ in suam eos convertant utilitatem, sed hominibus eos auferunt. Cum quibus Arimaspi, homines unum oculum habentes, bellum gerunt, ipsosque lapides ejus auferunt. Quæ res pulchrum in se continet mysterium : Lapis quippe smaragdus, qui, ut diximus, nimiæ est viriditatis, Christum significat, qui pascua æternæ refectionis suis daturus est fidelibus. Porro desertum illud in quo lapides reperiuntur, significat corda sanctorum, qui se a terrenis et hujus mundi curis longe faciunt, ut in secreta cordis sui quiete Domino servire possint. Unde unus eorum dicit : *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (Psal.* LIV). In quorum cordibus invenitur lapis smaragdus, quia in ipsis habitat Christus. Sed adsunt gryphes, id est maligni spiritus, qui Christum nituntur tollere fidelibus, non quod ipsi eum habeant, sed causa invidentiæ hominibus eum auferunt. Sed sunt Arimaspi unum oculum habentes, id est electi unum oculum mentis possidentes, qui bellantur cum gryphibus, hoc est, cum malignis spiritibus, Christumque sibi rapiunt, qui est lapis pretiosus. Et ut Dominus designatur per hunc lapidem, ita electi, quorum fides nunquam marcescit. Nam et ipsi in fundamento Ecclesiæ ponuntur, quia alios et exemplo et doctrina erudiunt, et in Christi doctrina confortant.

Quintum sardonyx. Sardonyx compositum est ex sardio et onyche, cujus genera plurima sunt, sed pretiosior tribus coloribus distinguitur in modum unguinis, quia in subteriori parte habet nigrum colorem, in medio rubicundum, in superiori candidum. Vel aliter : primam partem habet nigram, mediam candidam, superius rubeam, significans sanctos, qui nigri, id est despecti, contemptibiles, et abominabiles, videntur, sed tamen innovati per gratiam Christi, semper splendore fidei irradiantur ab eo, ut si necessitas ingruerit, etiam per charitatis officium proprium sanguinem non solum pro amicis, verum etiam pro ipsis fundere non metuant inimicis, quod significatur per colorem rubeum. Hinc in Canticis canticorum Ecclesia dicit : *Nolite me considerare quod fusca sum, quia decoloravit me sol* (*Cant.* I). Unde Paulus apostolus ait : Etsi exterior homo noster corrumpitur, tamen interior renovatur de die in

diem (*II Cor.* IV). *Sextum sardius.* Sardius lapis terræ rubræ speciem habet ideoque significat sanctos, qui, licet ad sublimia intelligenda et contuenda ducantur, tamen suam semper student recognoscere fragilitatem, recordantes se esse filios Adæ, qui *terra rubra* interpretatur. Reducunt semper ad memoriam qui sint et unde venerint, scilicet ex radice fragilis et peccatoris hominis, ne videlicet ex accepto cœlestis gratiæ dono extollantur. Hinc Ezechiel sæpe contuens cœlestia mysteria, *filius hominis* vocatur ; et Abraham : *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* XVIII). Et Psalmista : *Memento, Domine, quia pulvis sumus, homo sicut fenum dies ejus* (*Psal.* CII). Bene autem iste lapis sexto loco subrogatur, qui terræ rubræ speciem tenere videtur, quia et primus homo sexto die conditus invenitur, cui dictum est : *Terra es et in terram ibis* (*Gen.* III). *Septimum chrysolithus.* Chrysolithus quasi aurum fulget, et videtur emittere ex se quasdam ardentes scintillas. Cujus specie significantur hi qui luce supernæ sapientiæ resplendent, suas virtutes atque sententias cum verbo exhortationis velut scintillas in proximos effundunt, quibus ad amorem Dei et proximi alios accendunt. *Octavum beryllus.* Beryllus duos colores habet, viridem et pallentem. Per quem vita illorum designatur, qui æternorum contemplationi bonorum inhærent, et iterum cura fraternæ administrationis, quasi ad pallorem redeunt, dum exteriora per activam vitam fratribus ministrare student, et qui paulo ante fuerant virides in Dei contemplatione, pallescunt iterum in temporalium rerum per humanitatis officium administratione. *Nonum topazius.* Topazius lapis omnium lapidum colores in se habet ; unde et nomen accepit, quia *pan* Græce, Latine *omne* dicitur. Quo nihil carius reges in thesauris suis habere possunt ; et nascitur in insula Ægypti quæ dicitur Topazion. Significat sanctos omnibus virtutibus refertos, et quasi multis coloribus, sic multis virtutibus lucentes. *Decimum chrysoprasus.* Chrysoprasus aurei coloris est et viridis, quod ipso nomine manifestatur, parum distans a beryllo. Significat autem electos sapientia resplendentes, et viriditate fidei semper ad cœlestia tendentes : *Undecimum hyacinthus.* Hyacinthus similis est aquæ radio solis perfusæ. Et in hoc significat electos sapientia repletos, non tamen humana, qua sunt filii sæculi prudentiores filiis lucis, sed divina, quæ significatur per radios solis aquæ immissos. *Duodecimum amethystus.* Amethystus tribus coloribus principalibus respergitur, id est purpureo, violaceo et roseo. Et in hoc significantur sancti, qui cœlestem habitum gerunt in terris, et ad præmium et ad coævitatem angelorum venturi sunt in cœlis. Unde Dominus dicit : *Et erunt sicut angeli in cœlo* (*Matth.* XXII), quod designatur per purpuram quæ principum est indumentum. In viola autem, quæ humilis est herba, et tamen odorem optimum habet, humilitas illorum exprimitur, cum bonæ opinionis odore. In rosaceo autem colore charitas intelligitur, quæ intantum in illis viget, ut etiam usque ad passionem martyrii non solum pro amicis, sed pro ipsis quoque prosiliant inimicis. Unde Dominus dicit : *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV).

Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas. Quantum autem ad litteram pertinet, hoc dicit, quod illa civitas habet duodecim portas, et singulæ portæ erant ex singulis margaritis, id est unaquæque porta erat ex una gemma, et iterum in unaquaque porta erant duodecim margaritæ, quæ sunt centum quadraginta quatuor. Una porta, vel margarita singulariter Dominus intelligitur Jesus Christus qui sicut dicitur fundamentum fundamentorum, sic etiam potest dici margarita margaritarum. Istud est margaritum, quod negotiator venditis omnibus emit. In duodecim autem portis intelliguntur sancti apostoli et cæteri prædicatores, qui nobis januam Ecclesiæ aperiunt, unde Psalmista : *Aperite mihi portas justitiæ* (*Psal.* CXVII). Statimque unam portam annectit, quæ singulariter Dominum significat, sicut dictum est, sine quo nemo venit ad Patrem, dicens : *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam* (*Psal.* CXVII). Superius legimus quod mensus est angelus muros civitatis centum quadraginta quatuor cubitorum. Qui numerus etiam hic replicatur, cum duodecim margaritæ per singulas duodecim portas describuntur ; quia duodenarius numerus duodecies ductus, centesimum ac quadragesimum quartum numerum consummat, in quo omnis multitudo sanctorum concluditur. *Et platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum.* Superius dictum est quod ipsa civitas fuerit ex auro mundo tanquam vitrum perlucidum, et hic platea civitatis iisdem metallis fertur. Per muros quippe civitatis, robustiores et eminentiores sæculi intelliguntur : per plateam vero, quæ a latitudine ita vocatur, quia Græce *platon*, Latine *latum* dicitur, simplices intelliguntur, ipsisque subjecti in latitudine charitatis morantes. Dicitur autem platea civitatis ex auro mundo, sicut et muri fuisse feruntur, quia licet sit ibi distantia meritorum, quia sicut in hac vita invenitur alius alio sanctior, sic in illa beatitudine alius invenitur alio eminentior, tamen unusquisque quod non habebit in se, possidebit in altero per charitatis amorem. Hinc per beatum Job dicitur : *Parvus et magnus ibi sunt*, et Apostolus : *Stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum* (*I Cor.* XV). Nam per aurum claritas designatur æternæ retributionis, per vitrum vero puritas cordis illorum exprimitur, quæ tunc singulis invicem manifestabitur. Iisdem itaque metallis adornatur platea, quibus et muri : quia non licet tantam habeant gloriam subjecti, quantam prælati et doctores Ecclesiæ, tamen (ut dictum est) quod in se quisque non habebit, possidebit in altero per charitatis ardorem, quando sicut Apostolus dicit : *erit illis Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV). Unde sequitur :

Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et agnus. Præsens Ecclesia templum Dei est, juxta quod Apostolus dicit : *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos* (*I Cor.* III).

Tamen habet etiam ipsa templum corporale, id A est locum orationis, quo conveniunt fideles ad audienda divina eloquia et celebranda Christi sacramenta. Illa autem cœlestis civitas Jerusalem jam non habebit templum visibile, quia Dominus Deus omnipotens Pater et Agnus (id est Filius Dei), templum ejus est. Hinc Paulus dicit : Non enim in manufactis habitaculis Jesus introivit, et alibi, *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, introivit semel in sancta* (*Heb.* IX). Et hoc templum, id est totam Trinitatem, nunc Ecclesia possidet per fidem, tunc vero possidebit per manifestam speciem, quando erit Deus omnia in omnibus et in illo. Erit enim tunc templum Ecclesiæ, Pater cum Filio et Spiritu sancto, quia inhabitabit ille B Ecclesiam regendo, et ista inhabitabit illum in eo quiescendo. In qua scilicet mansione, id est in divina protectione, tribus qualitatibus vigebit, quia ibi habebit esse feliciter, et nosse sanctam Trinitatem perfecte, et eam quam noverit, diligere caste. In his autem tribus beatitudinum qualitatibus omnis summa beatitudinis consistit.

Et civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea. Hæc Jerusalem quæ in præsenti agitur, in die fruitur lumine solis, nocte vero lumine lunæ : illa autem cœlestis Jerusalem nihil horum indigebit, quia verum habebit lumen, quod non solum corpora, sed etiam mentes singulorum illuminabit, unde sequitur : *Nam claritas Dei illuminabit eam.* Ipse enim Deus, qui nunc illuminat mentes fidelium per fidem, C ipse jam tunc multo magis illuminabit, cum eum videre meruerint facie ad faciem. Hinc ipse dicit : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). *Et lucerna ejus Agnus.* Lucerna ad ignem pertinet. Nam præsens Ecclesia eget lucerna, hoc est igne corporali illuminari. Illa autem jam non indigebit hac frui lucerna, quia lumen ejus est agnus, id est visio Christi cum Patre et Spiritu sancto, de ipso enim Filio in libro Sapientiæ dicitur : *Candor enim est lucis æternæ.* (*Sap.* VII). Quæ lux utique in præsenti videri nequit. Unde Dominus ad Moysen dicit : *Non enim videbit me homo et vivet.* (*Exod.* XXXIII).

Et ambulabunt gentes per lumen ejus. Lumen Ecclesiæ Christus est. Unde per Isaiam dicitur : *Surge,* D *illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum. (Isa.* LX). Hæc autem verba non ad futuri temporis remunerationem, sed ad præsentis laborem, referenda esse satis elucet. Neque enim jam tunc sancti in ambulando laborabunt, sed post laborem beate viventes quiescent. Nunc itaque ambulant per lumen ejus, hoc est, per Christi fidem, cæterasque virtutes, ut postea pervenientes ad patriam cœlestem, quiescant in ipso lumine, hoc est, in ipsius Dei contemplatione. *Et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam.* Reges terræ intelliguntur omnes justi, qui bene se cum subjectis regere satagunt, de quibus dictum est: *Cor regis in manu Dei, quocunque voluerit, vertet illud* (*Pr.* XXI). Isti itaque regis, hoc est, omnes justi, suam gloriam et honorem, quod idipsum est, referent ad illam cœlestem Jerusalem, quia omnem suam remunerationem et prosperitatem, atque omne suum gaudium et exsultationem ibi recipient : et quo amplius in præsenti vita affliguntur et despiciuntur, eo amplius ibi exaltabuntur. Quo contra reprobi, qui in præsenti suam gloriam et honorem possident, et in prosperis hujus sæculi se extendunt, ibi vacui remanebunt. Unde Dominus dicit : *Væ vobis divitibus, qui hic habetis consolationem vestram* (*Luc.* VI). Quia enim sancti in præsenti vita gloriam hujus sæculi, quæ reproborum est, non amant, idcirco suam ad æternam felicitatem gloriam deferunt, quando ibi exaltati remunerabuntur, cum et uni illorum dixerit Dominus : *Te esto supra decem civitates ;* alteri autem : *Te esto supra quinque*, sicut in Evangelio ipse manifestat. Aliter : Reges terræ intelliguntur apostoli cæterique prædicatores, qui propter regimen animarum quas regunt, jure reges vocantur. Isti afferent gloriam et honorem in illam, hoc est, omnes quos Christo acquisierunt sua prædicatione et doctrina. Unde Paulus quibusdam dicit: *Gloria nostra vos estis in die Domini nostri Jesu Christi (II Cor.* I), recte enim gloria regum et honor vocantur hi pro quibus iidem reges coronantur.

Et portæ ejus non claudentur per diem. Magna securitas erit in Jerusalem cœlesti, ubi nullæ jam erunt insidiæ inimici, et idcirco portæ ejus non claudentur, quia videlicet dies erit ibi perpetua, cui nox non succedet. Unde sequitur : *Nox non erit illic.* Sed videamus quomodo in præsenti vita clauduntur portæ, quæ utique prædicatores intelliguntur, per quorum ministerium Ecclesiam intramus. Portæ enim civitatis dum clauduntur, ingredientibus aditum non permittunt. Itaque quasi clauduntur portæ, dum sancti prædicatores diabolum repellunt a cordibus fidelium, ipsique aditum ingrediendi denegant, dum fideles instruunt quomodo ejus tentationibus resistant. Hinc Petrus dicit: *Adversarius vester tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*II Petr.* V). Ideo autem ibi dicit : *Portæ ejus non claudentur*, quia sublato noctis timore, perpetua dies electis fulgebit. Non jam dicetur ibi : *Vigilate et orate* (*Marc.* XIII), quod ad noctem adversitatis pertinet, sed : *Vacate et videte quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV), quod ad diei redigitur securitatem.

Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. Haud dubium ipsi qui superius appellantur reges terræ, id est sancti prædicatores, qui gloriam et honorem gentium in illam civitatem afferent, quando aggregata turba fidelium, ipsos quos prædicando adduxerunt ad fidem, secum ad patriam cœlestem introducent. Magna enim gloria, magnusque honor gentium in illam civitatem afferetur, quia maxima ex parte ex ipsis gentibus decorabitur.

Non intrabit in illam aliquid coinquinatum et faciens abominationem. In hanc civitatem coinquinati, id est vitiis maculati, et facientes abominationem, id

est peccatum, simul intrant cum bonis, quia sicut hæc vita media inter cœlum et terram consistit, ita utriusque partis cives in se continet. In illam autem, ubi soli erunt boni, non intrabit coinquinatum, et faciens abominationem, id est peccatum, quia nulla erit ibi permistio malorum, sed sola societas bonorum. Soli enim boni regnabunt cum Christo, cum quo et in quo in eadem Jerusalem cœlesti feliciter permanebunt. *Et mendacium*, subaudis, non intrabit in eam, id est quilibet jam mendacii noxam perpetrans. Omne enim mendacium, sicut supradictum est, non caret peccato. *Nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni*, id est hi soli ingredientur cœlestem Jerusalem, qui in Dei præscientia ad hoc ante omnia sæcula sunt præsciti et prædestinati. Liber quippe vitæ Agni vis intelligitur omnipotentis Dei, sicut supradictum est, quia omnia scit antequam fiant.

CAPUT XXII.

Et ostendit mihi flumen aquæ vivæ, splendidum tanquam crystallum, procedens de sede Dei et Agni. Flumen aquæ vivæ intelligitur doctrina Veteris et Novi Testamenti. Quod enim aqua prædicationem sanctam significet, Salomon docet qui dicit : *Aqua profunda, verba ex ore viri : et torrens redundans, fons sapientiæ* (*Prov.* XVIII). Et Dominus dicit in Evangelio : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Sed cum una sit doctrina Veteris et Novi Testamenti, pluraliter enuntiatur, quia scilicet et unitatem fidei annuntiat, et tamen ad multos auditores pervenit, et per multorum ora diffunditur. Bene autem *flumen aquæ vivæ* vocatur, quia quos irrigat, vivificat, et ad vitam æternam invitat. Recte ergo crystallo splendenti comparatur propter puritatem fidei, quæ in baptismo percipitur. Quos enim vivificando vivificat, ad aquam baptismatis perducit, eosque et puritate fidei splendidos, et robore fortissimos reddit. Sedes autem Dei Patris et Agni, id est Filii Dei, ex qua ipsa procedit, Ecclesia est fidelium, quibus Paulus dicit : *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (I Cor.* III), quia in illorum cordibus Christus sedet cum Patre et Spiritu sancto. Quorum, quia inseparabilis est potestas, inseparabilis est etiam sedes. Ab ipsa ergo Dei sede procedit aqua, quia per ipsam Ecclesiam diffunditur prædicatio.

In medio plateæ ejus. Id est in medio ipsius Ecclesiæ. Nec solum ipsa doctrina robustos quosque irrigat, sed etiam simplices, qui per plateam designantur. *Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus per menses duodecim.* Hoc juxta litteram non potest intelligi, ut videlicet lignum ex utraque parte fluminis sit, nisi forte in medio fuerit collocatum, ut rami illius hinc et inde sint expansi. Verum spiritualiter hoc intelligendum est, quod scilicet lignum ex utraque parte fluminis sit. Lignum quippe vitæ Christus est sapientia Dei Patris, de qua Salomon dicit : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam : et qui tenuerit eam, beatus* (*Pr.* III). Hinc et in libro Geneseos legimus, quod fuerit lignum vitæ in medio paradisi, quod scilicet lignum Dominum Jesum Christum significat, qui vitam æternam præstat se digne comedentibus. Lignum itaque ex utraque parte fluminis est, quia Vetus et Novum Testamentum Christum annuntiat : et quod in Veteri prænuntiatur futurum, hoc in Novo manifestatur impletum. Per menses autem duodecim, in quibus ipse Christus qui est lignum vitæ, suos affert fructus duodecim apostoli intelliguntur. Dicit enim ipse de se et de ipsis apostolis in Evangelio : *Nonne duodecim sunt horæ diei?* (*Joan.* XI) seipsum appellans diem, horas autem duodecim apostolos. Et quia ex horis dies, et ex diebus menses efficiuntur, quod significatur simpliciter per duodecim horas, hoc et per duodecim menses, id est ipsi duodecim apostoli, per quos Christus fructum suum affert, hoc est, miracula, prædicationem atque opera cœlestia. Hinc in Evangelio legitur, quia profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante. Hinc et Paulus dicit : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (*II Cor.* XIII) ? *singula*, subauditur ligna, *reddentia fructum suum.* Quod intelligitur per menses, hoc intelligitur et per ligna, quæ ab ipso stipite prodeunt, duodecim videlicet apostoli, et in ipsis omnes sancti, qui fructum fidei suæ atque operationis reddere assidue non cessant. *Et folia ligni ad sanitatem gentium.* Si per ramos stipitis intelliguntur apostoli, per folia ligni intelliguntur apostolorum discipuli, qui ad sanitatem gentium perveniunt, quas suo exemplo et doctrina instruunt, et ad veram sanitatem mentis perducunt. Si autem hæc ad cœlestem Jerusalem referre voluerimus, flumen aquæ vivæ intelligamus contemplationem sanctæ Trinitatis, in qua est satietas æternæ refectionis, juxta illud Psalmistæ : *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Ps.* XVI). Nam et supra, dicente ipso Domino, legimus : Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis. Hinc Psalmista ipsum esse fontem ostendens, dicit: *Filii hominum in protectione alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Ps.* XXXV). In hoc vero fonte est vita perpetua, quia quicunque ad Dei contemplationem pervenire poterit, habens vitam æternam, id est Deum, ipse quoque vivet in æternum. Quod videlicet flumen, splendidum tanquam crystallum dicitur, quia videlicet sua contemplatione perducet ad firmitatem immortalitatis atque incommutabilitatis. Quod etiam flumen bene a sede Dei procedere dicitur, et in plateam civitatis derivari. Quod enim est sedes, hoc est et platea civitatis, id est omnis Ecclesia generaliter, sed propter diversorum personas ita distinguitur. Quia enim quos possidendo regit, ubertate suæ visionis satiat, bene in sede tanquam fons redundat, ut unusquisque habitator pro viribus inde hauriat, pro meritis accipiat : quia licet eadem visio simul habeatur ab omnibus, tamen pro singulorum meritis unicuique distribuitur. *Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ.* Quod superius designatur per fontem

aquæ vivæ, hoc nunc etiam designatur per lignum ex utraque parte fluminis positum, id est contemplatio sanctæ Trinitatis, quæ angelicam simul et humanam naturam hinc inde satiat, ipsaque visionis potio ita est multimoda, ut quidquid cuiquam in desiderio tunc venerit, hæc eadem visio fiat, quando sicut Apostolus dicit : erit *Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV). Sed nec mirum, cum et ipsum manna filiis Israel de cœlo attributum, per quod æterna satietas figuratur, hoc secundum Scripturæ sententiam unicuique sapuerit in ore, quo fuisset delectatus. Per menses, quibus ipsum lignum fructus affert, æternitas intelligitur : Per annos, ut, *anni tui non deficient* (*Psal.* CI) : per menses vero, ut est illud Isaiæ (*c.* LXVI) : *Et erit mensis ex mense :* per diem, ut est illud : *Melior est dies una in atriis tuis super millia* (*Psal.* LXXXIII) ; et iterum : *Ordinatione tua perseverant dies* (*Psal.* CXVIII). Lignum ergo vitæ per duodecim menses fructus reddit, quia ipsa merces beatæ immortalitatis, quæ per fructus designatur, quaque electi perfruuntur, nullum terminum habet, sed sine fine manet. *Singula ligna reddentia fructum suum.* In hoc fructum suum reddent, quoniam mercedem operum suorum percipient. *Et folia ligni ad sanitatem gentium.* Folia ligni, laudes intelliguntur sanctorum, de quibus Psalmista : *Beati qui habitant in domo tua* (*Psal.* LXXXIII). Quæ laudes ad sanitatem gentium proficient, cum eorum corda perpetua Creatoris laus replens, nullam in eis fatigationem, nullam lassitudinem, nullam tristitiam sinit inesse.

Et omne maledictum non erit in ea *amplius.* In præsenti Ecclesia maledictum est, scilicet genus hominum, qui in Cain maledictionem perceperunt. In illa societate sanctorum, nullum erit maledictum, sed omnis Ecclesia electorum benedicetur in suis habitatoribus, cum audierint : *Venite, benedicti patris mei* (*Matth.* XXV), etc. *Sed sedes Dei et Agni in illa erunt.* Superius unam sedem posuerat ; de qua et dixerat se vidisse emanare flumen aquæ vivæ : nunc autem pluraliter sedes introducit, dicens : Sedes Dei in illa erunt. Sed et hoc significant plures sedes, quod una, id est omnem electorum Ecclesiam, quæ scilicet propter unitatem fidei in una sede propter diversitatem gentium in pluribus exprimitur. Unde et superius viginti quatuor sedes visæ esse referuntur. *Et servi ejus servient illi.* Cum Dominus discipulis dicat : *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos* (*Joan.* XV), quomodo hic Scriptura jam immortales effectos vocat servos ? Aut si jam servitute corruptionis liberati, ad libertatem et gloriam filiorum Dei tunc pervenient, quomodo in illa quiete æterna servire narrantur ? Sed sciendum est nobis, quia in eo quod jam nullo certamine desudabant, sed æterna quiete fovebuntur, liberi erunt, ac nulla servitute obnoxii. Nam et nunc non sunt servi timoris, sed amoris. Duæ enim sunt servitutes, quia aliter timet servus ne verberetur a Domino, aliter autem filius ne privetur hæreditate paterna, offendens in aliquo pii patris oculos. Ille enim servit timore, iste

A autem amore Hac servitute serviunt electi hic omnipotenti Deo, præcaventes omnino, ne eum in aliquo offendant peccato. Ibi autem servient illi, laudando et glorificando illum, juxta illud : *Beati qui habitant in domo tua* (*Psal.* LXXXIII).

Et videbunt faciem ejus. Id est perfectam cognitionem ejus habebunt. Neque enim pueriliter hoc intelligendum est, ut putemus Deum habere faciem, quæ corporeis oculis possit videri, sed quia in facie hominis cognitio est, ideo hic per faciem quam electi videre dicuntur, nihil aliud quam cognitio sanctæ Trinitatis intelligetur. Hinc scriptum est : *Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III). Talem enim videbunt sancti Deum, qualem nunc angeli vident, de B quibus Dominus dicit : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). De hac autem visione quomodo scilicet sit intelligenda, satis supradictum est. Et beatus Ansbertus Ambrosius, dicta aliorum doctorum sequens, plura, inquit, loquuntur, patefacientes oculos mentis, Dei naturam esse contemplandam, sicut et charitas videtur. Si enim exterior homo noster videre nequit interiorem, quanto magis Deum conspicere nequit, qui utique multo est subtilior anima nostra ? Videbunt illum itaque mente, id est perfectam ejus (ut dictum est) habebunt cognitionem, ut impleatur quod Dominus dicit : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Cætera ex illius investigentur contractione. *Et nomen ejus* scriptum *in frontibus eorum.* Per frontem C (sicut superius dictum est) exprimitur fides. Sed cum ibi jam non sit fides aut spes, quid sibi vult, quod electi nomen Dei in frontibus habere perhibentur ? Sed sciendum, quia fides hic pro remuneratione fidei posita est, quæ remuneratio contemplatio Dei omnipotentis erit. Cum enim acceperit Ecclesia, quod per fidem credidit, recte ipsum fidei præmium pro titulo gloriæ in suis frontibus gestare videbitur.

Et nox ultra non erit. Id est vicissitudo temporis, vel etiam tribulatio angustiæ, quæ sæpe per noctem figuratur. Hæc namque supra jam dixerat, sed in repetitione verbi demonstrat, quam appetendum sit lumen illud, quod totiens loquendo inculcat. *Et non egebunt lumine lucernæ neque lumine solis.* Nunc humana infirmitas ad exercenda diurna opera, noctis D quiete redditur idonea, utitur etiam in nocte lucerna pro consolatione : tunc autem quando erit Deus omnia in omnibus, qui est lux vera omnes illuminans, non egebit lumine lucernæ vel lumine solis. Unde sequitur : *Quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* Si vero noctem intelligamus ignorantiam, lucernam vero vel solem, divini verbi prædicationem, neque nox erit tunc ignorantiæ, neque prædicatio doctrinæ, quia sicut Isaias dicit : Non docebit vir proximum suum, dicens : Cognosce Dominum, quia omnes scient me a majore usque ad minorem (*Jer.* XXXI). Sed omnes æternæ sapientiæ inhærentes, perfecta scientia fulgebunt. *Et regnabunt* cum capite suo *in sæcula sæculorum. Et dixit mei.* Haud dubium quin

angelus qui hæc illi ostendebat : *Hæc verba* quæ scilicet ab initio libri dicta vel ostensa tibi sunt. *Fidelissima sunt* quia quidquid tibi dictum est, veraciter implebitur. *Et vera sunt* quia a Deo vero sunt prolata. Quod autem dicitur Joanni, pertinet etiam ad universalem Ecclesiam, cui per internam inspirationem ipsa verborum veritas revelatur : et ideo nullus in tantum debet insipiens fieri, ut aliquo modo dubitet de his quæ sub tanta contestatione pronuntiantur esse verissima. *Et Dominus Deus spiritus prophetarum misit angelum suum ostendere servis suis*, id est ipse qui locutus est prophetis, ipse misit angelum suum ostendere Joanni, et in illo omni Ecclesiæ *quæ oportet fieri cito.* Nomine spiritus tota Trinitas intelligitur, quæ ipsum angelum misit, qui natura quidem angelus fuit, sed incarnati Verbi solius personam gessit Unde et aliquando ex persona Christi loquitur, dicens : *Ego sum primus, ego novissimus* (*Is.* XLIV), etc. Aliquando suam attendens naturam, Joannem ne se debeat adorare prohibet. Notandum autem quod in initio istius libri dixit et significavit, mittens, per angelum suum servo suo Joanni. Hic vero non uni singulariter, sed servis pluraliter dicit ostendenda quæ oportet fieri cito. In quibus verbis ostendit, utique, non uni specialiter, Joanni, sed omnium in se utilitati in Joanne generaliter prospexisse, quia quod Joanni dicitur, omnibus Ecclesiæ fidelibus congruit. Quæ sunt autem quæ oportet fieri cito ? utique remuneratio sanctorum, et damnatio reproborum. Unde et sequitur :

Ecce venio velociter ad reddendum, scilicet unicuique juxta meritum suum. Licet enim quantulumcunque spatium hæc præsens vita videatur, tamen omne tempus præsentis vitæ comparatum æternitati, veluti momentaneum habetur, atque idcirco velociter se venire protestatur, ut cito impleantur quæ oportet fieri. *Beatus*, id est felix, *qui custodit verba prophetiæ libri hujus*, servans quæ in eo scripta sunt, ut dignus habeatur remuneratione perpetua.

Et ego Joannes, subauditur, beatus sum, *qui audivi et vidi hæc. Et postquam audissem et vidissem, cecidi ante pedes angeli ut adorarem eum, qui mihi hæc ostendebat. Et dicit mihi : Vide ne feceris. Conservus tuus sum et fratrum tuorum prophetarum, et eorum qui servant verba prophetiæ libri hujus* Hoc loco, sicut et superius, Joannes et angelus proprias personas resumunt. Ne enim quisquam de conscriptione libri hujus dubitaret, suam auctoritatem Joannes interponit, dicens : *Ego Joannes qui audivi et vidi hæc.* Ipse quoque angelus resumit suam personam, prohibetque Joannem ne se adorare debeat, dicens : *Vide ne feceris. Conservus tuus sum et fratrum tuorum*. Ex quibus verbis satis supradictum est, quod videlicet ipse angelus æthereum corpus susceperit, atque ideo pedes habere dicitur, et quod timuerit post adventum Filii Dei adorari ab homine, qui super se sciebat jam esse hominem, cum nihil tale legamus in Veteri Testamento, ubi frequenter quidem legimus angelos ab hominibus adoratos, nec prohibitos. Sed mirum valde est cur Joannes contra interdictum angeli secundo eum adorare voluerit. Jam enim simili modo se adorare vetuerat, unumque Deum adorandum esse docuerat. Ad quod dicendum, quia aut magno visionum stupore perculsus, oblitus fuerat eorum quæ supra audierat, aut certe potest esse repetitio prioris sententiæ. *Deum adora*. Id est non creaturæ, sed Creatori honoris reverentiam offer. Nota vero quod sæpe angelus Joanni futura prædixit, et multa etiam in hoc libro reperiuntur prophetarum verbis similia. Nam et integri versus Isaiæ et Zachariæ, aliorumque prophetarum ibi reperiuntur. Unde est : *Videbunt in quem transfixerunt* (*Joan.* XIX).

Et dixit mihi : Ne signaveris verba prophetiæ hujus. Quare hic dixit : *ne signaveris*, id est, ne sigillaveris, ne clauseris verba libri hujus, cum in media hujus orationis serie dictum sit Joanni : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere?* Quia videlicet malis et contemptoribus signanda et claudenda atque abcondenda sunt divina mysteria. Unde est : *Nolite sanctum dare canibus* (*Matth.* VII), et : *Ne miseritis margaritas vestras ante porcos* (*Ibid.*). Fidelibus autem manifestanda sunt divina eloquia. Unde Dominus dicit : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis* (*Luc.* XI). Dicitur itaque propter infideles : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere*, propter fideles autem. *Scribe quæ vides*, et : *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus.* Vel certe, quod in principio hujus revelationis dicitur Joanni : *Scribe quæ vides, quæ visurus es*, in medio vero : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua*, atque in fine : *Ne signaveris verba prophetiæ hujus*, potest ita intelligi, quod Spiritus sanctus prævidit, primo tempore quosdam in Ecclesia futuros, qui cum gaudio et aviditate recepturi erant Domini sermonem : deinde etiam quosdam futuros, in quibus abundat iniquitas et refrigescit charitas, quin potius verbum Dei contemnunt, quam suscipiunt : extremo vero appropinquante judicio, erunt (verum non solum gentiles, sed etiam Judæi) qui cum maxima aviditate verbum Dei suscepturi sunt, prædicantibus Elia et Enoch, cæterisque prædicatoribus. Quia ergo in primo et ultimo tempore fideles fuerunt, sive futuri sunt, verbum Dei cum gaudio suscipientes, bene initio hujus libri dicitur : *Scribe quæ vides*, et in fine : *Ne signaveris verba prophetiæ hujus.* At quia in medio multi sunt contemptores verbi Dei, congrue quoque et hic in medio dicitur : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere. — Tempus enim prope est.* Hoc ad illud pertinet, quod præmisit : Ne signaveris verba prophetiæ hujus, quo hæc impleri debeant, a tempore scilicet resurrectionis Christi usque ad diem judicii, quando singulis juxta opera sua retribuetur. De hoc brevissimo tempore idem Joannes in Epistola sua dicit : *Filioli, novissima hora est* (*I Joan.* II).

Qui nocet, noceat adhuc : et qui in sordibus est, sordescat adhuc. Permissivus modus est, non opta-

tivus ; sæpe enim Deus omnipotens permittit hominem propter peccata præterita ruere ad graviora ; unde per Psalmistam dicitur : *Non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi*, etc. usque : *Ibunt in adinventionibus suis* (*Psal.* LXXX) In qua sententia aperte ostenditur præcessisse culpam inobedientiæ, per quam a Deo permissi sunt ire in voluntatibus suis. Hinc Paulus de quibusdam dicit : *Qui cum cognovissent Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I). Dicatur itaque, *qui nocet*, sibiipsi subauditur, id est, qui non vult verba Dei audire, *noceat adhuc*, id est, permaneat impœnitens, et peccatis præteritis conjungatur. Et qui in sordibus vitiorum versatur, *sordescat adhuc*, id est ad deteriora labatur. Dum enim quis tempus pœnitentiæ accipit, et impœnitens permanet, ipsumque peccatum convertit ipse remedium gratiæ convertit in augmentum culpæ. Et quia non vult deserere malum ut vivat, auget unde moriatur. De quibus Paulus dicit : *Ut impleant peccata sua semper* (*I Thess.* II). *Et justus* per fidem *justificetur adhuc* per operationem. *Et sanctus sanctificetur adhuc*. Juxta illud : *Ibunt sancti de virtute in virtutem*. Electi enim semper sunt in profectu virtutum, quia quotidie inchoant, et per momenta temporum virtutibus virtutes addunt.

Ecce venio cito, ad judicandum scilicet. *Et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua*. Hæc locutio et electos ad meliora proficere, et reprobos hortatur a malis recedere, ne pereant sine excusatione. Quæ verba expositione non indigent quia ipsa se explanant.

Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis. Primus, ante quem nullus : *et novissimus*, post quem nullus. *Principium*, a quo omnis creatura sumpsit initium ; *et finis*, quia in eo omne redigitur. Alpha pertinet ad verbi dignitatem, omega ad susceptam in fine temporum humanitatem. Ipse est ergo alpha, id est, principium manens cum Patre Ipse et omega, id est finis, natus temporaliter ex matre. Unde Paulus : *Christus finis legis ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X). Principium quoque non ad ipsum est referendum, quod scilicet ipse, secundum quod hæretici voluerunt, ex tempore cœperit, sed ad ordinem creaturarum pertinet, quæ ex illo sumpserunt initium. De alpha Joannes dicit : *In principio erat Verbum*, et, *omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I). De omega vero, qui est finis elementorum apud Græcos, sicut et alpha principium : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*). In his totius salutis Christianæ summa consistit, ut scilicet in uno eodemque Christo et perfecta deitas, et vera credatur humanitas.

Beati qui lavant stolas suas, id est, corpora sua et vitam fonte baptismatis et lacrymis pœnitentiæ, atque custodia mandatorum Dei. *Ut sit potestas eorum in ligno vitæ*. Id est, in Domino Jesu Christo. Quæ habentes, utique in capite suo omnia possidebunt. Unde superius cum præmisisset : *Et ego sitienti dabo aquam vitæ gratis*, illico adjunxit : *Qui vicerit*, possidebit hæc. *Et portis*, id est per portas, per apostolos videlicet, cæterosque doctores *intrent in civitatem*, hoc est, in cœlestem Jerusalem. Per quorum enim ministerium nunc intramus Ecclesiam, per ipsorum ora et solutionem ingrediemur regnum cœlorum, de his portis Psalmista dicit : *Aperite mihi portas justitiæ* (*Psal.* CXVII). Statimque unam principalem portam, ad quam etiam istæ pertinent manifestat, subdendo : *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam*. Hæc enim porta Christum significat, qui dicit : *Ego sum ostium*, dicit Dominus : *per me si quis introierit salvabitur* (*Joan.* X). Cum enim quilibet fidelium per ora prædicatorum aditum intrant regni cœlorum, nimirum per illum ingrediuntur, qui per ora illorum loquitur.

Foris canes, id est Judæi, hæretici, cæterique increduli, qui contra Ecclesiam latrant. *Et venefici*, id est, malefici sive magi, *et impudici*, id est, inverecunde peccantes. *Et homicidæ* diverso modo homines interficientes. *Et idolis servientes*, hoc est, simulacra quædam pro Deo colentes, sive etiam plus terrena quam Deum diligentes. *Et omnis qui amat mendacium, et facit illud*. Multi enim mendacium faciunt, sed tamen non amant mendacium, quia studio atque amore peccandi non mentiuntur. Quod mendacium purgant opere misericordiæ, sicut dictum est superius de obstetricibus Hebræorum. Sed sicut isti in tali mendacio, nisi emendationis studium subsequatur, perditione non carent, Scriptura dicente : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V), sic et isti graviori pœna plectendi sunt, qui studio, voluntate atque amore, fallaciis illaqueantur. Hi omnes superius dicti, erunt foris, hoc est, ab aditu cœlestis Jerusalem repellentur, cum audierint : *Discedite a me, maledicti* (*Matth.* XXV).

Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis. Hoc et supra jam dictum fuerat. In quibus verbis aperte ostenditur, cujus figuram Joannes in hac revelatione tenuerit : nec solum ad ipsum pertinent Joannem, quæ ei dicta sunt, sed ad omnes Ecclesias, quæ superius septenario numero comprehenduntur, in quibus una catholica, id est universalis exprimitur. *Ego sum genus et radix David*. Quod nihil aliud est, nisi : Ego sum ex ipsa natura David. Beata enim Dei genitrix de stirpe David descendit, atque idcirco ipse Filius Dei, filius David est. Unde ipse interrogans Judæos. *Quid vobis videtur de Christo cujus filius sit*, hoc responsum ab eis accepit : *David*, et ille : *Quomodo ergo David vocat eum Dominum, dicens* : *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis?* (*Matth.* XXII). Sed secundum divinitatem est Dominus Deus David, secundum humanitatem vero non alius, sed idem ipse genus et radix David, id est, natura. Aliter : *Ego sum radix David*, quia ex me David sumpsit initium Et *ego sum genus et radix David*, quia ex illo in fine temporum carnis materiam sumpsi. *Stella splendida et matutina*.

Quantum ad litteram pertinet, stellam splendidam A et matutinam appellat Luciferum, qui dum extremas horas noctium illustrat, mane citius affuturum declarat. Ipse atque Christus est stella splendida, quia ipse est *lux vera illuminans omnem hominem* (*Joan.* I). Et bene *matutina*, quia mane surrexit, et tenebras totius mundi fugavit, nobisque claritatem æterni diei, devicta mortalitate, post resurrectionem ultimam demonstravit, juxta illud Apostoli : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* XIII).

Et spiritus, id est tota Trinitas, Pater videlicet, Filius et Spiritus sanctus. *Et sponsa*, id est sancta Ecclesia, *dicunt*, cuilibet fideli : *Veni* ad Deum, scilicet gressibus fidei et passibus amoris, juxta illud : *Accedite ad eum et illuminamini* (*Ps.* XXXIII). Spiritus, id est Deus, dicit hoc per occultam inspirationem cordibus fide- B lium. Sponsa autem, id est sancta Ecclesia per apertam prædicationem auditores suos invitat ad patriam cœlestem. *Et qui audit* sive per occultam inspirationem, sive per doctorum prædicationem Dei vocem. *Dicat* alteri cuilibet fideli. *Veni*. Per fidem rectam et per operationem fidei congruam. Qui enim a Deo jam vocatus est, necesse est ut et alium vocet, ne solus ad remunerationem pergat. Nam et qui ad balneum pergit, ut beatus Gregorius dicit, socios habere desiderans, alios hortatur ut secum pergant. *Et qui sitit* justitiam, id est Deum omnipotentem. *Veniat*, id est accedat ad illum, ut satietatem æternam accipiat. *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*, id est qui desiderat frui Dei contemplatione, in qua est refectio æternæ satietatis, studeat recte vivere, C ut postea ad ipsam Dei visionem valeat pervenire. Sed cum Apostolus dicat : *Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* XVI), quomodo qui vult, accipit aquam vitæ gratis? Sed sciendum est, quia prius prævenit misericordia ut velimus : deinde etiam subsequitur nostra voluntas per eamdem gratiam, ut operemur. De hoc Paulus dicit : *Qui operatur in vobis et velle et perficere* (*Philip.* I). *Qui* itaque *sitit*, id est, qui æternas delicias præveniente se gratia Dei desiderat, passibus amoris ad eas tendat. Et *qui vult*, id est qui volens ex nolente effectus est, non suis meritis, sed gratuita Dei voluntate, hauriat aquam æternæ delectationis.

Contestor ergo, id est, obtestor et testificor *omni* D *audienti verba prophetiæ libri hujus. Si quis apposuerit ad hæc* quæ in libro hoc continentur, aliquem errorem. *Apponet super illum Deus plagas scriptas in libro isto*. Ut post innumera tormenta ad æternam perveniat damnationem. Tempore quo beatus Joannes ista scripsit, surrexerunt hæretici in Ecclesia, Valentinus scilicet et Ebion, et Cerinthus, quos et in Epistola sua Antichristos vocat, idcirco hanc contestationem eis objecit, ne per pravitatem erroris aliquid huic libro superaddere auderent, sicut, verbi gratia, Arius auferre nisus est ex suo libro : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X). Photinus quoque dixit : Ego principium tribuo Jesu ex Maria.

Et si quis diminuerit de verbis hujus libri prophetiæ vel sensum, vel etiam verba contra suam conscientiam, sicut Arius fecit ex Evangelio, ut prædictum est, *auferet Deus partem ejus de libro vitæ*, id est in memoria præscientiæ Dei non scribetur. *Et de civitate sancta*, id est de cœlesti Jerusalem et societate sanctorum angelorum et hominum. *Et de his* præmiis *quæ scripta sunt in libro isto*. Tamen hoc sciendum est, quia hoc non propter eos dicitur, qui simpliciter quod dicunt sentiunt, sed de his utique, qui contra conscientiam suam male de Deo loquuntur.

Dicit qui testimonium perhibet istorum, subauditur verborum atque idcirco manifestatur, quam vera sint, quia Dominus ipse Christus eis testimonium perhibet. Unde sequitur : *Etiam*, id est, sic fiat, ut compleantur omnia quæ superius dicta sunt. *Venio cito*, ad judicandum et reddendum unicuique secundum opera sua. *Amen*, id est, *verum est*, quia quæ prædicta sunt, procul dubio complebuntur. *Veni, Domine Jesu*. Hæc omnis Ecclesia loquitur in Joanne, optans ut veniat Christus ad judicium. Unde et quotidie in Dominica oratione postulat suppliciter : *Adveniat regnum tuum*. Et illud : *Ostende nobis faciem tuam et salvi erimus*.

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. In hoc loco Joannes typum gerit prædicatorum, qui scientes hominem non posse justificari per legem, sed per gratiam, optat ut eadem gratia semper cum Ecclesia permaneat. Nota autem quod hic liber a gratia sumpsit initium, et in gratia posuit terminum : quia videlicet et præveniente Dei gratia salvamur et subsequente justificamur : unde et Paulus hujus locutionis more Epistolas suas ordinavit Ecclesiis, ut a gratia inchoaret, et in gratia terminum poneret.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

EXPOSITIO IN APOCALYPSIN.

FINIS TOMI CENTESIMI DECIMI SEPTIMI.